J. DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

V. 1

GEORG OLMS HILDESHEIM

JOHANNES DUNS SCOTUS · OPERA OMNIA V. 1

JOHANNES DUNS SCOTUS

OPERA OMNIA

V. 1

1968

GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Lyon 1639
Printed in Germany
Herstellung: fotokop W. Weihert, Darmstadt
Best.-Nr. 5101855

R. P. F.
IOANNIS DVNS SCOTI,
DOCTORIS SVBTILIS, ORDINIS MINORVM,
QVÆSTIONES
IN LIB. I. SENTENTIARVM,

Nunc denuò recognitæ, Annotationibus marginalibus, Doctorúmque celebriorum ante quamlibet Quæstionem citationibus exornatæ, & Scholijs per textum insertis illustratæ.

Cum Commentariis R.mi P. F. FRANCISCI LYCHETI Brixiensis, Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ olim Ministri Generalis,

Et Supplemento R. P. F. IOANNIS PONCII *Hiberni, eiusdem Ordinis, in Collegio Romano Hibernorum Theologiæ primarij Professoris.*

TOMI QVINTI PARS PRIMA.



LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.
M. DC. XXXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

CENSVRA
R. P. F. LVCÆ
WADDINGI
HIBERNI
CIRCA COMMENTARIOS OXONIENSES.

POTISSIMVM *hoc inter Scoti opera, authorem non tam in fronte præfert, quàm ipsa sua dignitate refert. Præstantißimi Doctoris in dicendo acumen, in disserendo copiam, in asserendo pondus, in principijs stabiliendis firmitatem, in connectendis constantiam, præ reliquis eiusdem scriptis hoc maximè commendat. Atque vti felicißimi ingenij nobilissimum partum, & amplißimæ doctrinæ fertile seminarium, omnes non tam amplectuntur, quàm admirantur, quippe quod sparsim varijs libris, siue ipse, siue alij docent, hîc mira contexturâ vel habent diffusè scriptum, vel exuberanti compendio collectum, aut fœcundo principiorum aluo compressum. Neglectis proinde alijs Scoti elucubrationibus, in hanc vniuersim incumbunt, siue qui Philosophiæ præcepta tradunt, siue qui Theologiæ mysteria perscrutantur. Inde factum, vt alijs delitescentibus, hæc duntaxat præstaret, & frequenti editione vbique prodiret.* I. Inter reliqua Scoti opera hoc potissimū.

Primus omnium, quod sciam, edidit Venetijs anno 1477. *Thomas Penchet Eremita Augustinianus Anglus, in Academia Patauina Professor, adiutore Bartholomæo Bellato Feltrensi Minorita, qui primùm excudit librum Reportatorum* *. *Pro illius temporis ratione nitidè & accuratè factum, reiectis ad finem spurijs additionibus, indicatis locis, quibus miscebantur. Secundus, Philippus à Bagnacauallo in gymnasio Veneto ordinarius Prælector, dein Minister generalis totius Ordinis Minorum, eadem in Vrbe anno* 1505. *imprimi curauit, insertis in textum additionibus, addito etiam in margine aliquoto citationum ornatu. Tertiam adhibuit impreßionem prioribus digniorem Mauritius de Portu Hibernicus, publicus Patauij Professor, mox Archiepiscopus Tuamen. anno* 1522. *etiam in Vrbe Venetiarum. Dein multis* II. Variis prodiit editionibus.

* Vide cēsuram Reportatorum.

in locis excuſum hoc opus varijs formis, variiſque incrementis, & decrementis. Tandem vltimam limam plenè adhibuit Illuſtrißimus Cauellus, nihilo prætermiſſo, quod ad operis dignitatem, ſiue integritatem poßit deſiderari. Sex ſunt in Vaticano Codices MSS. quibus per omnia hæc editio cohæret, ſi paucula demas exigui ſanè momenti, in quibus etiam hæc ipſa exemplaria non concordant.

III. Adhibiti integri Commentarij. *Recognitionem hanc, omnibus numeris abſolutam, in hac editione ſequuti, Commentarios adiunximus Franciſci Lycheti, olim Ordinis Minorum Miniſtri Generalis, in Scoti operibus verſatißimi, atque vbi iſti deerant, alios adhibuimus doctorum virorum, huius noſtri Collegij Profeſſorum. Multi ſunt, qui opinentur, & nobis aliquando perſuadere conati ſunt Lychetum integros in vniuerſum hoc opus Commentarios dediſſe, & quæ deſiderabatur, partem deliteſcere in nobilibus Italiæ Bibliothecis, præſertim in Vrbinate, Codicibus MSS. inſtructißima. Ego ante aliquot annos omnem poſui operam vt in optimis quibuſque Bibliothecis perquirerentur, & cum Sereniſſ. Principe Franciſco Maria, poſtremo Vrbini Duce, rei literariæ, inſtruendis duobus, quæ excolebat, Muſeis, & Ordini Minorum addictißimo, ſolerter egi, vt ſi quid in hac re haberet, vel aliquando audierit, edoceret. Præter edita nihil ſcripſiſſe in hoc genere authorem hunc, vndequaque reſponſum, quod tandem certius accepi ex ipſius Lycheti Regeſto, quo ſuæ generalis Præfecturæ geſta congeßit. Etenim anno 1520. die 20. Iunij editis Pariſiis quibuſdam conſtitutionibus ſtudiorum regimini opportunis, inter alias ita præcepit :* Vt Theologiæ ſtudioſi tantùm ſe occupent in lectionibus Scoti, & commentis eiuſdem, quæ præciſè ſunt ad mentem Scoti; ita quòd præciſè videant Scotum cum expoſitione noſtra ſuper primo, ſecundo, & tertio Sententiarum, & ſuper quodlibetis, donec aliqua alia melior apparuerit. *Obijt autem ſub eiuſdem anni finem in ciuitate Budæ in Hungaria, poſt moleſta, & longißima per Germaniam & Poloniam itinera. Non ergo potuit librum quartum interpretari, neque ſupplere, quæ deficiebant in tertium Commentarijs.*

IV. Quæ deerât Lycheto ſuppleruunt viri docti. *Ne porrò hæ partes ſua carerent interpretatione, curauimus vt ex iſto noſtro Collegio integra prodiret, eam, quæ deerat in tertium, iuſto compleuit volumine, & vbique in prioribus libris, quas omiſit Lychetus, quæſtiones explicauit R.P. F. Ioannes Poncius Lector primarius, vir eruditus, in Vrbe notißimus. Quartum librum tribus magnis tomis interpretatus eſt R. P. F. Antonius Hiquæus S. Theologiæ Profeſſor emeritus, apprimè doctus, cuius virtutis & ingenij alia extant argumenta.*

V. Et cum laude. *In his Commentis non tam adhærendum fuit nudæ literæ Doctoris, neque tempus terendum in exponendis terminis, vti quidam inutiliter fecerunt, quàm explicandæ erant controuerſiæ, refellendæ aduerſariorum obiectiones, ſtabilienda authoris doctrina, & ponderoſo ſtudio grauiter confirmanda ſacrorum Conciliorum Decretis, atque ſanctorum Patrum ſententijs. Ita ad votum factum, qui prælegerunt viri docti, iudicarunt: ſed & ſubſcribent, qui ſincerè expenderint, & quanti conſtet hic labor, æquo velint iudicio compenſare.*

Opus

Opus hoc non plenè compleuit Scotus, neque ad omnes Distinctiones adhibuit Commentarios. At discipuli iustâ censurâ reliquis viri doctissimi elucubrationibus hanc præferentes, vt vniuerso sodalitio commendatissimam, ita & integram voluerunt. Ex lectura itaque Parisiensi compleuerunt, & quæ hîc deerant, illinc transtulerunt. Præter varia additionum fragmenta, integras enumero quæstiones & distinctiones, libro primo distinct. 3. quæst. 6. connexas habes quæstiones duas, distinctionis 4. quæstionem primam, distinctionis 16. quæstionem vnicam, distinct. 17. quæst. 4. sub finem, integræ quæstionis additionem, & quæstionem sextam ibidem. Totam distinctionem 18. in libro 4. tres posteriores quæstiones distinctionis 49. & integram distinctionem quinquagesimam. VI. Huc multa translata sunt ex opere Parisiensi. *Atque ex hac compositione, seu contextura, passim citatur hoc scriptum Oxoniense sub nomine* ordinationis, *quia ex vtraque lectura Oxoniensi, & Parisiensi ordinatum, siue compactum. Frequenter etiam appellatur* ordinarium, *quia neglectis alijs operibus, ordinariè, & ex consuetudine hoc solum legebatur in Scholis, &* opus maius, *comparatum ad aliud minus Parisiensè. Communiori tamen vocabulo ab Academia, vel regno, appellatur* scriptum Oxoniense, *siue* opus Anglicanum. Vnde varia indita huic operi nomina.

Porro ne quempiam lateat quid Illustrissimus Cauellus in recognitione huius operis præstiterit, hîc subnectimus ipsius Præfationem.

CAVELLI AD LECTOREM
INSTRVCTIO QVID IN EDITIONE SVA PERFECERIT.

ACCIPE, benigne Lector, rationem villicationis nostræ; in hoc magno difficilíque opere diu multúmque elaborauimus, vt scriptum Oxoniense Doctoris Subtilis ab infinitis, quibus hactenus scatebat, mendis, expurgatum, Scholiis, Doctorum citationibus, notis marginalibus, indicibus variis, & selectis, aliísque multis illustratum, in lucem prodiret. Ordinem, modum, catalogúmque à nobis præstitorum, ob oculos describimus, tuúmque beneuolum de omnibus expectamus iudicium.

I. In primis ante quamlibet distinctionem ponitur eadem distinctio ex Magistro Sententiarum: nec absque causa. Primò, quia sic voluit ipse Scotus, vt testantur variæ editiones antiquæ. Secundò, idem fecerunt S. Thomas, Albertus Magnus, S. Bonauentura, Richardus à Media villa, aliíque grauissimi commentatores Magistri, in quorum scriptis semper præponitur textus Magistri. Tertiò, quia Scotus passim se remittit ad literam Magistri, dicens: *habetur in litera*. Quartò, quia cùm Magistri litera scateat selectissimis auctoritatibus, tam sacræ Scripturæ, quàm Sanctorum Patrum, Scotus multoties nouas auctoritates non addit, sed præallegatis Magistri auctoritatibus contentus, firmissimas ipse addens rationes, excellentem, & diuinam quendam conficit mixtionem, solidam & perfectam Theologiam, nulli hactenus scriptæ secundam, sed omnibus subtilitate, & rationum acumine sublimiorem. Propter hæc & alia, Scoti distinctionibus, Magistri litera necesse est præfigatur, quæ inconsideratè in recentioribus editionibus est omissa. licèt enim Scotus ipse nouas sæpe citet auctoritates, id tantùm facit vbi Magistro vidit deesse efficaces; alioquin vbi auctoritates à Magistro collectæ sunt validiores, nullas adducit, sed rationes tantummodo subtilissimas excogitat, auctoritatibus tamen Magistri innixas: ita vt si auctoritates subtrahantur, rationes illæ (alioquin subtilissimæ) non Theologicæ, sed Metaphysicales potiùs appareant.

II. Præterea, vbi olim diuisus fuit Magistri textus per quæstiones Scoti; id præstamus sine diuisione, ponendo ad marginem initialem quæstionis, maiusculis denotata illa, textus Magistri capita, ad quæ spectat subsequens quæstio: vbi autem textus Magistri diuidi hoc modo non solebat, nihil huiusmodi notamus. Aduertendum tamen est, Magistrum non semper citare ipsa Sanctorum Patrum verba: sed plerumque tantùm sensum aliquando etiam omissis aliquot lineis, aut verbis, dissita verba prioribus connectendo; ideóque, vt Patrum Sententiæ à Magistri verbis discernantur, eas semicirculis inclusimus.

III. Quæstioni cuilibet ea loca præmittuntur, in quibus de eadem re Doctores alij celebriores antiqui tractant, maximè Alexander Alensis, D. Thomas, D Bonauentura, Henricus, Richardus à Media Villa, e. c. quibus sæpiùs addimus alios, sed præcipuos tam antiquos, quàm modernos Scholasticos, vt sine labore occurat lectori, quò recurrendum sit, si aliorum opiniones de eadem re scire desideret, quod plurimis gratissimum, & vtile fore non dubitabimus.

IV. Restituuntur loca quamplurima in editionibus vltimis deprauata, quæ translatione, appositione, vel ademptione vnius, aut plurium verborum, nullum, vel contrarium auctori sensum reddebant. Nonnunquam integræ clausulæ anteà omissæ, sunt restitutæ: & aliæ superfluæ, à quibusdam additæ, nunc omnino delentur, ita vt in primo lib. 400. ad minus loca sint restituta, ex antiquissimis & correctioribus exemplaribus impressis, necnon ex vetustissimo Codice manuscripto, quem ad hunc finem nobis suppeditauit Monasterium S. Martini huius Vniuersitatis Louaniensis. De castigatione verò punctuationum & orthographiæ, non est quod dicam, cùm editiones ipsæ testentur, tot propemodum fuisse huiusmodi mendas, quot lineas: eàque de causa existimo plurimos à Scoti lectione auersos, quia mendosa punctuatio impediebat sensum, & longè reddebat obscuriorem.

V. Deleuimus insuper additiones multas, quarum nonnullæ videbantur inintelligibiles; aliæ malam doctrinam continebant; vt illa lib. 2. d. 20. dicens personam sub forma mulieris mortuam, resurrecturam in forma viri: illas verò, quæ aliquid acuminis habent, aut doctrinæ, non reiecimus; sed suis locis diuerso charactere impressas reliquimus, ne aliquando librariorum incuria irrepant in textum, provt de facto irrepserunt multæ, omissione manus, & asterisci, quibus discernebantur à textu. Vnde Scotus frequenter impugnatur, & reprehenditur à non-

nullis

nullis, additiones pro eius textu sumentibus; nec si etiam omissa non fuissent prædicta signa, ideo discernerentur additiones à litera: quia quid ista significent in recentioribus editionibus non indicatur. Adde etiam hæc signa sæpiùs poni (maximè libro primo) vbi nulla est additio, & hinc plurima incommoda orta, quibus hac editione exactissimè occurritur.

In initio quæstionum, & passim in marginalibus, loca alia citantur, quibus Scotus de eadem re tractat in sua Logica, Physica, Metaphysica, & Theologia, vt lectori statim innotescat quid legendum sit ad pleniorem eius materiæ notitiam habendam ex ipso Scoto: vtque omnibus appareat Scoticæ doctrinæ cōsequentia, immutabilitas, & cōstantia. Distribuimus etiā textum (claritatis causa) & correximus passim distributionē recentiorū editionū, in quibus frequenter versiculus, aut paragraphus inchoatur, existente sensu textus præcedentis adhuc imperfecto. VI.

Quia Scotus (maximè in prolixis quæstionibus) plures aliorum Doctorum sententias adducit, nunc hanc, nunc illam, mutato sæpe ordine impugnans; multi quasi fastidientes ab eius cessant lectione, cùm non satis constet iis, qui in eius lectione parum sunt versati, quam ex allatis sententiis impugnet, vel quando suam, aut aliorum sententiam proferat, quando disputet, aut resoluat; quia vtitur verbo *dicitur, respondetur*, sed communiter aliorum nomine. propter hæc, summaria aliqua, seu scholia eius literæ diuerso charactere inseruimus, clara & dilucida, quibus mens Doctoris, & intentum, breuiter ac prima facie omnibus innotescat. His etiam scholiis ita Scoti textus in partes (seruato tamen suo ordine) est distributus, vt in paragraphos, & articulos videatur esse diuisus; vt sicut Scotus omnibus antehac habitus fuit subtilior: ita cum sua subtilitate, deinceps cæteris omnibus Sententiariis scriptoribus clarior euadat: & quandocunque breuiter, & paucis fieri potuit, rationes singulas textus in scholiis ita breuiter posuimus, vt iis solis lectis, epilogum & summam totius textus vsque ad sequens scholium breuissimè, & lucidè conspicias: in quo, vt plus desudauimus, ita & lectoris desiderio satisfecisse non dubitamus. Addimus de nostro in iisdem scholiis multa ad Doctoris mentem faciliùs percipiendam, & ab impugnatoribus defendendam, eámque secum concordandum, plurimùm conducentia: ídque maximè curauimus in difficilioribus opinionibus, & vbi à non intelligentibus, eius doctrina traducitur; citantes sæpiùs pro sententiæ eius confirmatione, alios celebriores Doctores, & Sanctos, & breuiter aperientes modum soluendi obiectiones aduersariorum: nonnulla, fateor, difficiliora intacta pertransiui, sed hoc ideò, quia paucis vix aliquid ad rem dici potuit; nec enim commentatorem, sed scholiasten agere decreui: alij confratres, quibus plus est ingenij, & ocij, commentarios parant, quos breui spero in lucem mittendos, & scholæ Theologorum gratissimos. VII.

Omnes auctoritates Scripturæ sacræ, Conciliorum, Patrum, Philosophi, & Commentatoris in Scoti litera citatas, diuerso charactere imprimi curauimus, & vbi ratio dubitādi de præmissis occurrebat, ex propriis fontibus veritatem deprompsimus: quod cedet in operis splendorem. VIII.

Mauritius noster, doctissimus ac fidelissimus Scoti discipulus, duplici vinculo, professionis videlicet, & nationis (vterque quippe & Hibernus, & Religionis Seraphicæ) ad id adstrictus, in Scoti operibus castigandis multùm elaborauit, & citationes multas marginales apposuit. cuius tamē castigationes iamdudum, plurimùm (maximè quoad additiones) sunt vitiatæ; quas secutæ sunt recentes editiones Venetæ, nihil corrigentes, sed infinitas mendas cum nonnullis puerilibus marginalibus addentes: quibus deletis, alia substituimus; in quibus quidquid substantiæ habet textus, statim lector offendet, vt vel inuitus ad legendum inuitetur. IX.

Apposuimus numeros marginales, tum vt prima facie locus ex Scoto allegandus occurrat, qui antea ob prolixitatem quæstionum, magno labore conquisitus, non nisi difficulter inueniebatur: cùm, vt deinceps accommodemus indices omni formæ, magnæ, vel paruæ, qua libuerit opus imprimere. Literas verò, quibus olim distribuebatur Scoti textus, omisimus: quia tantùm in antiquis quibusdam editionibus habebantur, & cum tanta discordia, vt vbi vna editio habebat *B*, alia habebat *D*, &c. ita vt nec duas editiones in literarum collocatione concordes reperire potuerimus; & in aliis nouis, multísque antiquis erant omnino omissæ: quarum loco nunc numeros substituimus, qui ad allegandum sunt commodiores. X.

Postremò locupletissimos indices in Scoto semper desideratos dabimus, quorum primus erit locorum sacræ Scripturæ: secundus Distinctionum & quæstionum: tertius rerum omnium notabilium totius operis: quartus præcipuarum controuersiarum fidei, quas Doctor tractat. XI.

Quia verò in tot vitiis & mendis corrigendis, humana industria, moraliter impossibile fuit, etiamsi castigatoris & correctoris lyncei fuissent oculi, quin aliqua limam effugerent: horum fugitiuorum, seu mendarum non correctarum, quæ paucæ sunt, & minoris momenti, catalogum, paginarum ordine seruato, quotquot ad totum opus spectant, post vltimum indicem collocauimus. Vale, benigne Lector, & si quid omissum est, quod ad maiorem operis splendorem & illustrationem faceret, charitate admone, & prima post hanc editione, per Dei gratiam supplebitur. XII.

APPRO

APPROBATIONES.

EX mandato Reuerendissimi Patris Fratris Ioannis Baptistæ à Campanea Ministri Generalis totius Ordinis Minorum legimus Commentarios Reuerendi Patris Fratris Ioannis Poncij, huius Collegij sacræ Theologiæ Lectoris primarij in varias quæstiones primi, secundi, tertij Sententiarum Ioannis Duns Scoti, Doctoris subtilis, atque in septem vltimas Distinctiones tertij, quas non explicuit Reuerendissimus Pater Franciscus Lychetus olim Generalis Minister totius Ordinis, in quibus nihil contra rectos mores, aut fidei regulas reperimus: quinimo copiam eruditionis, & veritatis clarè & solidè adsertæ congrua documenta, & lectoribus maximè vtilia, atque digna, quæ in lucem edantur. In quorum fidem his subscripsimus. In Collegio sancti Isidori die 9. Decembris 1637.

Fr. THADÆVS DALÆVS, *Guardianus S. Isidori, & S. Theologiæ Lector.*

Fr. ANTONIVS HIQVÆVS, *S. Theologiæ Lector emeritus.*

Fr. PATRICIVS BRENANVS, *S. Theologiæ Lector.*

EX commissione Reuerendissimi P. Magistri sacri Palatij vidi attentè Supplementum Commentariorum Lycheti supra primum librum Scoti in Sententias, elaboratum ab admodùm R. P. Fr. Ioanne Poncio S. Theologiæ Lectore in Conuentu Romano S. Isidori ex Seraphico Ordine, in quo subtilitatem Magistri clara methodo exornat, & soliditate doctrinæ claritatem firmat. Omnia Scoto subtilissimo consonant, nihil fidei dissonum, & in nullo Lycheto inferiorem se demonstrat. Propterea dignum luce iudico, hac die decimasexta mensis Decembris, anno 1636.

Fr. IOANNES GONZALEZ DE LEON, *Magister & Mineruæ Regens.*

IMPRIMATVR.

Fr. NICOLAVS RICCARDIVS, *S. Palatij Apostolici Magister.*

INDEX

INDEX

Distinctionum, & Quæstionum libri primi Sententiarum.

DISTIN

TABVLA QVÆSTIONVM examinatarum in Supplemento ad primum Sententiarum.

R. P. F.

R. P. F.

IOANNIS DVNS SCOTI,

DOCTORIS SVBTILIS,

ORDINIS MINORVM,

SVPER

Primum librum Magiſtri Sententiarum

QVÆSTIONES EXACTISSIMÆ.

Cum Commentarijs R. P. F. FRANCISCI LYCHETI *Brixienſis, Ordinis Minorum olim Generalis Miniſtri,*

Et ſupplemento R. P. F. IOANNIS PONCII Hiberni, eiuſdem Ordinis, Sacræ Theologiæ primarij Profeſſoris in Collegio Romano S. Iſidori Fratrum Minorum Hibernorum.

PROLOGVS MAGISTRI.

CVPIENTES aliquid de penuria ac tenuitate noſtra cum paupercula in gazophylacium Domini mittere, ardua ſcandere, opus vltra vires noſtras agere præſumpſimus, conſummationis fiduciam, laboriſque mercedem in Samaritano ſtatuentes, qui prolatis in curationem ſemiuiui duobus denariis, ſupereroganti cuncta reddere profeſſus eſt. Delectat nos veritas pollicentis: ſed terret immenſitas laboris. Deſiderium hortatur proficiendi, ſed dehortatur infirmitas deficiendi: quam vincit zelus domus Dei. [Quo inardeſcentes, fidem noſtram aduerſus errores carnalium, atque animalium hominum;] Dauidicæ turris clypeis munire, vel potiùs munitam oſtendere, ac Theologicarum inquiſitionum abdita aperire, necnon & Sacramentorum Eccleſiaſticorum pro modulo intelligentiæ noſtræ notitiam tradere ſtuduimus. [Non valentes ſtudioſorum fratrum votis iure reſiſtere, eorum in Chriſto laudabilibus ſtudiis, linguâ, ac ſtylo nos ſeruire flagitantium: quas bigas in nobis agitat Chriſti charitas.] [Quamuis non ambigamus omnem humani eloquij ſermonem calumniæ, atque contradictioni æmulorum ſemper fuiſſe obnoxium: quia diſſentientibus volun-

Luc.21.a Marc.12.g Luc.10.f

Ex Auguſt. *3. lib. de Trinit. in proœmio. Cant.4.b*

Ex eodem Auguſt. *loco citato.* Ex Hilario *in principio 10. de Trinitate.*

tatum motibus, diſſentiens quoque fit animorum ſenſus, vt cùm omne dictum veri ratione perfectum ſit, tamen dum aliud aliis aut videtur, aut complacet, veritati vel non intellectæ, vel offendenti, & impietatis error obnitatur, ac voluntatis inuidia reſultet: quam Deus ſæculi huius operatur in illis diffidentiæ filiis, qui non rationi voluntatem ſubiiciunt, nec doctrinæ ſtudium impendunt; ſed his quæ ſomniarunt ſapientiæ verba coaptare nituntur, non veri, ſed placiti rationem ſectantes: quos iniqua voluntas non ad intelligentiam veritatis, ſed ad defenſionem placentium incitat: non deſiderantes doceri veritatem, ſed ab ea ad fabulas conuertentes auditum. Quorum profeſſio eſt magis placita quàm docenda conquirere, nec docenda deſiderare, ſed deſideratis doctrinam coaptare, habent rationem ſapientiæ in * ſuperſtitione, quia fidei defectionem ſequitur hypocriſis mendax: vt ſit in verbis pietas, quam amiſerit conſcientia, ipſámque ſimulatam pietatem, omni verborum mendacio impiam reddunt: falſæ doctrinæ inſtitutis, fidei ſanctitatem corrumpere molientes: auriúmque pruriginem, ſub nouello ſui deſiderij dogmate aliis ingerentes, qui contentioni ſtudentes contra veritatem ſine fœdere bellant. Inter veri namque aſſertionem, & placiti defenſionem, pertinax pugna eſt: dum ſe & veritas tenet, & ſe voluntas erroris tuetur.] Horum igitur & Deo odibilem Eccleſiam euertere, atque ora oppilare (ne virus nequitiæ in alios effundere queant) & lucernam veritatis in candelabro exaltare volentes, in labore multo ac ſudore, hoc volumen Deo præſtante compegimus, ex teſtimoniis veritatis in æternum fundatis, in quatuor libris diſtinctum. In quo maiorum exempla doctrinámque reperies: in quo per dominicæ fidei ſynceram profeſſionem, viperææ doctrinæ fraudulentiam prodidimus, aditum demonſtrandæ veritatis complexi: nec periculo impiæ profeſſionis inſerti, temperato inter vtrumque moderamine vtentes. Sicubi verò parùm vox noſtra inſonuit, non à paternis diſceſſit limitibus. [Non igitur debet hic labor cuiquam pigro, vel multùm docto videri ſuperfluus: cum multis impigris multíſque indoctis, inter quos etiam & mihi ſit neceſſarius:] breui volumine complicans Patrum ſententias, appoſitis eorum teſtimoniis; vt non ſit neceſſe quærenti librorum numeroſitatem euoluere, cui breuitas, quod quæritur, offert ſine labore. [In hoc autem tractatu, non ſolùm pium lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſidero: maximè vbi profunda verſatur veritatis quæſtio, quæ vtinam tot haberet inuentores, quot habet contradictores.] Vt autem quod quæritur faciliùs occurrat, titulos, quibus ſingulorum librorum capitula diſtinguuntur, præmiſimus.

Marginalia: 2.Cor.4.a — Epheſ.2.a — 2.Tim.4.a — Coloſſ.2.d — 1.Tim.4.a — * al. ſuperficie. — 2.Tim.4.b — Matth.5.b — Ex Auguſt. in proœmio 3. de Trinit. — Ex eodem loco ſuprà citato.

PRÆFATIO SCOTI.

Quinque proponit examinanda.

CIRCA *Prologum huius primi libri Sententiarum quæruntur quinque. Primum de neceſſitate huius doctrinæ: & ſpectat ad genus cauſæ efficientis: & eſt quæſtio, Vtrùm neceſſarium ſit homini pro ſtatu iſto aliquam doctrinam ſpecialem ſupernaturaliter inſpirari? Secundum ſpectat ad genus cauſæ formalis: & eſt quæſtio, Vtrùm cognitio ſupernaturalis neceſſaria viatori, tradita ſit ſufficienter in ſacra Scriptura? Tertium ſpectat ad genus cauſæ materialis: & eſt quæſtio, Vtrùm Theologia ſit de Deo tanquam de ſubiecto primo? Quartum, & quintum pertinent ad genus cauſæ finalis: & eſt quarta quæſtio, Vtrùm Theologia ſit practica? Quinta verò quæſtio, Vtrùm ex ordine ad praxim, vt ad finem, dicatur per ſe ſcientia practica?*

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Vtrùm [a] *homini pro statu isto sit necessarium aliquam doctrinam specialem supernaturaliter inspirari, ad quam non possit attingere lumine naturali intellectus?*

D.Thom.1.*p.quæst.*1.*art.*1.*vbi* Bannes *dub.*1.& alij, *&* 2.2.*quæst.*2.*art.*4. Richard.*quæst.*1.*prol.* Baccon.*quæst.*1.*prologi.* Mayron.*quæst.*21. Bassolis *quæst.*2. August. optimè 14.*de Trinit.cap.*1. Scot.1.*Metaphys.quæst.*1. *&* 2.*Metaphys.quæst.*2. *&* 9.*Metaphys.quæst.*12.

VIDETVR quòd non, sic: Omnis potentia [b] habens aliquod commune pro primo obiecto naturali, potest in quodlibet contentum sub illo, sicut in per se obiectum naturale. Hoc patet per exemplum de primo obiecto visus, & aliis contentis sub illo; & ita inductiuè in aliis obiectis primis, & potentiis. Patet etiam per rationem; quia primum obiectum dicitur, quod est adæquatum potentiæ: sed si in aliquo esset ratio eius, circa quod non posset potentia habere actum naturaliter, non esset potentiæ adæquatum, sed excederet potentiam. Patet ergo maior: sed primum obiectum intellectus nostri naturale, est ens inquantum ens; ergo intellectus noster potest naturaliter habere actum circa quodcunque ens, & sic circa quodcunque intelligibile, etiam circa non ens: quia negatio cognoscitur per affirmationem; ergo, &c. Probatio minoris. Auicenna 1.*Metaphys.cap.*5. Ens, & res prima impressione imprimuntur in animam, nec possunt manifestari ex aliis: si autem esset aliquid aliud ab istis primum obiectum, ista possent manifestari per rationem illius; sed hoc est impossibile; ergo.

[Margin: 1. *Prima ratio sumitur ab obiecto adæquato potentiæ.* — 4.Metaph. text. com. 1.& 16. & 2.Periher. ad fin.]

Præterea [c], sensus non indiget aliqua cognitione supernaturali pro isto statu; ergo nec intellectus. Antecedens patet. Probatio consequentiæ; Natura non deficit in necessariis, 3.*de Anima*, & si in imperfectis non deficit, multò magis nec in perfectis: ergo si non deficit in potentiis inferioribus, quantum ad necessaria eis propter actus suos habendos, & finem earum consequendum, multò magis non deficit in necessariis potentiæ superiori, ad actum suum, & finem consequendum; ergo, &c.

[Margin: *Ratio 2. sumitur à simili.* — Text.c.45.]

Præterea [d], si aliqua talis doctrina sit necessaria, hoc est, quia potentia in puris naturalibus est improportionata obiecto, vt sic cognoscibili; ergo oportet quòd per aliquid aliud à se fiat ei proportionata. Illud aliud aut est naturale, aut supernaturale: si est naturale; ergo totum est improportionatum obiecto primo: si supernaturale; ergo potentia est improportionata illi; & ita sequitur quòd per aliud oportet ei proportionari, & sic in infinitum. Cùm ergo non sit procedere in infinitum, 2. *Metaph.* oportet stare in primo, dicendo quòd potentia intellectiua sit ex se proportionata omni cognoscibili, & secundùm omnem modum cognoscibilis: quare, &c.

[Margin: 3. *Tertia sumitur ab improportione potentiæ ad obiectum.* — Text. c. 5. & inde.]

Ad oppositum 2. *ad Timoth* 3. in fine, *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum*, &c. Præterea, *Baruch* 3. de sapientia dicitur: *Non est qui possit scire vias eius: sed qui scit vniuersa nouit eam*; ergo nullus alius potest habere eam, nisi à sciente vniuersa; hoc quantum ad necessitatem: de facto subdit, *Tradidit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo.* hoc quantum ad vetus Testamentum. Et sequitur, *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*, scilicet quando tradidit eam, quoad nouum Testamentum.

COMMENTARIVS.

1. a VTRVM *homini*, &c. Titulus huius quæstionis sic debet intelligi: Posito, quòd homo sit ordinatus ad æternam beatitudinem; de qua Sancti, & Catholici loquuntur, & velit eam efficaciter; an ad ipsam adipiscendam, sit ipsi homini, pro isto statu (qui est status viæ) necessaria aliqua specialis cognitio; ad quam via naturali attingere non possit. Intelligitur ergo de necessitate suppositionis, & non de necessitate absoluta: quia posito quòd velit beatificari, an sit necessaria talis cognitio supernaturalis.

[Margin: *Titulus quæstionis explicatur.* — Necessarium *quomodo sumitur hic.*]

b *Omnis potentia*, &c. Primò principaliter arguit sic; Quia potentia habens aliquod commune pro obiecto adæquato, & naturali, (vt *naturale* distinguitur contra *supernaturale*,) potest in quodlibet contentum sub illo. Patet, quia sicut adæquatum potentiæ non exceditur à potentia, id est, potentia non potest in aliquid aliud, aliter excederetur à potentia: nec excedit potentiam, id est, nihil continetur sub tali communi, quin percipi possit à tali potentia. Vbi ergo saluatur ratio

ratio talis communis, illud potest percipi à potentia, cuius est tale obiectum: sed ens, inquantum ens, est adæquatum obiectum & naturale intellectus nostri. Patet per Auicennam 1. Metaph. cap. 5. *Ens & res prima impressione imprimuntur in anima, nec possunt manifestari ex alijs*; communissimum enim quod immediatè imprimitur in anima, est ens.

2. c *Præterea, sensus*, &c. Secundò principaliter arguit per argumentum à minori affirmatiuè: Si sensus ex puris naturalibus potest in omnem perfectionem, ad quam ordinatur; ergo, à fortiori & intellectus. Patet consequentia per Philosophum 3. *de Anima*, *text. comment.* 45. vbi ait, quòd *natura non agit frustrà, nec deficit in necessarijs.* Et arguit ibi Philosophus à fortiori, quòd scilicet, si natura non deficit in necessariis in imperfectis; (si tamen non sint orbata) multò minùs deficiet in perfectis: ergo videtur, quòd intellectus naturaliter possit in omnem perfectionem, ad quam ordinatur.

d *Præterea, si aliqua*, &c. Tertiò principaliter arguitur: Si talis doctrina sit necessaria, hoc erit quia potentia erit improportionata obiecto sic cognoscibili: & sic fiet per aliud proportionata, & tunc quæro, aut illud aliud est naturale, aut supernaturale: si primum; ergo totum, (scilicet potentia, & illud aliud) erit improportionatum obiecto, & sic per aliud fiet proportionatum. Si secundum; ergo erit ei improportionata, quia ponitur improportionata tali doctrinæ supernaturali; & sic per aliquid aliud fiet proportionata, & sic quæro de illo alio; aut est naturale, aut supernaturale. Si primum, arguatur vt priùs: quia totum esset improportionatum obiecto. Si secundum, erit processus in infinitum, aut oportet stare in primo, dicendo quòd potentia intellectiua sit ex se proportionata omni cognoscibili, & secundùm omnem modum cognoscibilis, scilicet, abstractiuè, intuitiuè, intensè, remissè & huiusmodi. Et quòd non sit procedere in infinitum, patet 2. *Metaph. text. comment.* 5.

In ista quæstione videtur esse controuersia inter Philosophos, & Theologos. Opinio Philosophorum est, quòd omnis notitia necessaria ad vltimam perfectionem hominis ex causis merè naturalibus potest acquiri. Et hìc nota quòd si vltima perfectio hominis consisteret in sola speculatione abstractiua substantiarum separatarum (de qua Aristoteles 10. *Ethic. cap.* 10.) nulla esset difficultas: quia ad illam acquirendam, non requiritur aliqua cognitio merè supernaturalis: sed loquendo de felicitate, (de qua Sancti loquuntur:) quæ est in clara visione Deitatis, & fruitione eiusdem; tunc quæstio habet difficultatem. Et si Philosophi teneant absolutè, quòd omnis cognitio necessaria homini, volenti acquirere felicitatem, quam Catholici expectant, potest acquiri ex causis merè naturalibus. 5.

SCHOLIVM.

Sententia Philosophorum negantium omnem doctrinam reuelatam, probatur tribus mediis. Primum, intellectus agens est actiuum, & intellectus possibilis passiuum, & sunt proportionata & non impedita respectu omnis intelligibilis. Secundum, non sunt ponendæ scientiæ speculatiuæ, præter Metaph. Physicam, & Mathematicam, acquisitas: nec scientiæ practicæ, præter alias practicas actiuas, & factiuas acquisitas. Tertium, naturaliter intelligimus prima principia: ergo & omnes conclusiones.

3. *Opinio Aristotelis & sequacium.* IN e ista quæstione videtur esse controuersia inter Philosophos, & Theologos. Tenent enim Philosophi perfectionem naturæ, & negant perfectionem supernaturalem. Theologi verò cognoscunt defectum naturæ, & necessitatem gratiæ, & perfectionum supernaturalium. Diceret ergo Philosophus, quòd nulla est cognitio supernaturalis homini necessaria pro isto statu: sed quòd omnem notitiam sibi necessariam posset acquirere ex actione causarum naturalium. Ad hoc adducitur simul auctoritas, & ratio Philosophi ex diuersis locis. Primò, per illud 3. *de Anima*, vbi dicit quòd *intellectus agens est, quo est omnia facere; & intellectus possibilis est, quo est omnia fieri.* Ex hoc arguitur sic: Actiuo naturali & passiuo debitè approximatis, & non impeditis, necessariò sequitur actio, quia non dependet essentialiter, nisi ab eis tanquam à causis prioribus: actiuum autem respectu omnium intelligibilium est intellectus agens, & passiuum est intellectus possibilis; & hæc sunt naturaliter in anima, nec sunt impedita, vt patet: ergo virtute naturali istorum potest sequi actus intelligendi, respectu cuiuscumque intelligibilis. (Text. c. 28. 9. Met. tex. com. 10. & inde.)

4. *1. de Cælo, & 3. de Anima, text. com. 18.* Confirmatur ratio. Omni potentiæ passiuæ naturali correspondet aliquod actiuum naturale, alioquin videretur potentia passiua esse frustrà in natura, si per nihil in natura posset reduci ad actum; sed intellectus possibilis est potentia passiua & naturalis respectu quorumcunque intelligibilium: ergo correspondet sibi aliqua potentia actiua naturalis; sequitur ergo propositum. Minor patet, quia intellectus possibilis naturaliter appetit cognitionem cuiuscunque cognoscibilis, naturaliter etiam perficitur per quamcunque cognitionem: ergo est naturaliter receptiuus cuiuscunque intellectionis.

Text. c. 3. *Diuisio scientiarum realium.* Præterea f 6. *Metaph.* diuiditur scientia speculatiua in Metaphysicam, & Physicam siue naturalem, & Mathematicam. Et ex probatione huius *ibidem* non videtur possibile

bile plures habitus esse speculatiuos; quia in istis consideratur de toto ente, & in se, & quo ad omnes partes eius; sicut autem non posset esse aliqua alia scientia speculatiua ab istis, sic nec practica aliqua alia à practicis acquisitis actiuis, & factiuis; ergo scientiæ practicæ acquisitæ sufficiunt ad perficiendum intellectum practicum: & speculatiuæ acquisitæ sufficiunt ad perficiendum intellectum speculatiuum.

Præterea [g], potens naturaliter cognoscere principium, potest naturaliter cognoscere, 5.
& intelligere conclusiones inclusas in principio. Hanc probo, quia scientia conclusionum non dependet nisi ex intellectu principij, & ex deductione conclusionum ex principio; sicut patet ex definitione *scire*, 1. *Posteriorum*: sed deductio est ex se manifesta, sicut Text.c.1.
patet ex definitione Syllogismi perfecti. 1. Priorum, *quia nullius est indigens, vt appareat* Text.c.5.
euidenter necessarius; ergo si principia intelliguntur, & deductio manifesta est ex se, habentur omnia, quæ sunt necessaria ad scientiam conclusionis. Patet ergo maior: sed naturaliter intelligimus principia prima, in quibus virtualiter includuntur omnes conclusiones scibiles: ergo naturaliter possumus scire omnes conclusiones istas scibiles.

Probatio [h] primæ partis minoris, quia termini primorum principiorum sunt communissimi: ergo istos possumus naturaliter intelligere, quia ex 1. *Physicorum*, communissima à nobis primò intelliguntur: principia autem cognoscimus, inquantum terminos Text. c. 2. & 4.
cognoscimus, 1. *Posterior.* ergo principia prima possumus naturaliter cognoscere. Probatio [i] secundæ partis minoris, quia termini primorum principiorum sunt communissimi; ergo quando distribuuntur, distribuuntur pro omnibus conceptibus inferioribus: accipiuntur autem tales termini vniuersaliter in primis principiis, & ita extendunt se ad omnes conceptus particulares, & per consequens ad extrema omnium specialium conclusionum; quare, &c. Text.c.6.

COMMENTARIVS.

1. e PRimò arguitur ibi, *In ista quæstione*, &c. Actiuo naturali, & passiuo debitè approximatis & non impeditis, &c. Sed in anima est actiuum naturale, & passiuum, respectu cuiuscunque cognitionis, quia intellectus agens, & possibilis; quia agens est omnia facere, & possibilis omnia fieri, siue recipere, quæ causantur ab agente: vt patet 3. *de Anima, text. com.* 8. Et patet litera. Dicit, *Actiuum naturale*, non vt distinguitur contra supernaturale, sed vt distinguitur contra actiuum à proposito, siue contra actiuum liberum: accipitur ergo hîc actiuum naturale pro actiuo agente per modum naturæ, & de necessitate naturæ, tale enim, si est perfectè approximatum passo, remoto omni impedimento de necessitate naturæ producit effectum. Non sic est de agente libero, cùm actio eius sit in potestate sua.

2. Et quod dicit quòd *actio non dependet essentialiter*, &c. sic debet intelligi, quòd talis actio, siue effectus dependet ab actiuo vt à causa effectiua, & à passiuo vt à causa receptiua. Si verò effectus sit per se subsistens, sicut ignis productus, & actiuum requirat passum in quod agat, tunc tale passum concurrit vt causa receptiua, non effectus per se subsistentis, sed formæ substantialis, quæ est pars essentialis talis effectus, quæ recipitur in materia quam præsupponit actiuum. Minor rationis est clara; scilicet, sed intellectus agens est actiuus omnis intellectionis respectu cuiuscumque intelligibilis, & intellectus possibilis est receptiuus earum. Cætera patent.

3. f *Præterea*, &c. Secundò principaliter arguitur pro opinione Philosophorum, ibi: *Philosophus*, 6. Met. text. com. 3. *Quare*, inquit, *tres erunt Philosophiæ Theoricæ, Mathematica, Physica, Theologia.* Et Com. ibi: *Modi philosophiæ speculatiuæ sunt tres, scilicet scientia rerum Mathematicarum, Naturalium & Diuinarum, scilicet substãtiarum, in quarum definitione accipitur Deus.* Hæc ille. Et ratio stat in hoc: Intellectus potest perfici naturaliter omni scientia speculatiua, & omni practica: ergo non est ei necessaria aliqua alia notitia specialis, &c. Antecedens patet; quia scientia speculatiua sufficienter diuiditur in Metaphysicam, & Physicam, siue Naturalem, & Mathematicam, quas naturaliter habere possumus. Et similiter Practica sufficienter est diuisa in Practicam actiuam, & factiuam, quas naturaliter habere possumus: ergo. Practica actiua est cognitio, quæ tantùm dictat de praxi elicienda, quæ stat in sola actione immanente: vt cognitio quæ dictat de omni actu virtutis, qui primò elicitur à voluntate conformiter tali cognitioni: licèt etiam actus imperatus in potentia sensitiua dicatur materialiter actus virtutis, vt patet à Doct. *in* 2. *d.* 42. *& in* 3. *d.* 14. Et breuiter illa cognitio quæ dictat de operatione, non transeunte in materiam extrà, dicitur practica actiua; illa verò quæ dictat ad opus recipiendum extrà, vt ars domificatoria, vel fabrilis, dicitur practica factiua, quia dictat de opere extrà. De his patebit in quæstione vltima de praxi.

g Tertiò principaliter arguitur, ibi: *Præterea, potens naturaliter intelligere*, &c. Hæc ratio stat in hoc, quòd naturaliter cognoscens principia per se nota, naturaliter potest cognoscere omnes conclusiones virtualiter inclusas in tali principio: sed naturaliter intelligimus principia prima, in quibus virtualiter includuntur omnes conclusiones scibiles: ergo naturaliter possumus cognoscere istam conclusionem, *Deus est Trinus, & vnus*, & sic de aliis. Cùm dicit quòd scientia conclusionum non dependet, nisi ex intellectu principij, & ex deductione conclusionum ex principio, vt patet 1. Poster. text. com. 5. *Tunc scire opinamur vnumquodque, & non secundùm accidens*, &c. Notitia enim conclusionis immediatè causatur à notitia principiorum, & à deductione ipsorum. Et tunc intelligitur deductio, quando minor actu sumitur sub maiori, siue quando præmissæ sunt pertractatæ, quod est, ipsas ponere in modo, & figu- 4.

ra, vt patet 1. *Prior.* & tunc notitia præmissarum, sic dispositarum, est causa notitiæ conclusionis, partialis tamen; & alia partialis est intellectus. Et quòd sit causa patet, quia inducens statim cognoscit, id est, pertractans præmissas in debito modo, & figura, statim cognoscit conclusionem. Patet per definitionem Syllogysmi perfecti, quæ ponitur 1. *Prior.* videlicet: *Syllogismus perfectus est qui nullius indiget ad hoc vt sit euidens, siue perfectus*, id est, non indiget reduci ad alium syllogismum; puta per Conuersionem præmissarum, vel conclusionis; vel per transpositionem, de quibus vide 1. *Prior.* & sic patet maior.

5. *h *Probatio primæ partis minoris.* Prima pars minoris est ista: *Naturaliter intelligimus principia prima.* Et hanc probat: *quia termini primorum principiorum sunt communissimi: ergo istos possumus naturaliter intelligere, quia communissima à nobis primò intelliguntur:* vt patet 1. *Physic.* &c. *Innata est*, inquit, *via ex notioribus nobis, & certioribus in certiora naturæ & notiora.* An hoc intelligatur de cognitione confusa, vel distincta; vide infrà *dist.* 3. *q.* 2. vbi diffusè exposui hanc materiam. Tunc sic: Si possumus cognoscere naturaliter terminos alicuius propositionis per se notæ: & naturaliter possumus cognoscere ipsam propositionem, vt patet 1. *Poster. text. com.* 6. Et de propositione per se nota multa exposui infrà, *dist.* 2. *quæst.* 2. huius.

i *Probatio secundæ partis minoris.* Secunda pars minoris est ista: In quibus supple, principiis virtualiter includuntur omnes conclusiones scibiles. Probat istam partem ex hoc, *quia termini primorum principiorum sunt communissimi, &c*, vt patet de isto principio: *De quolibet dicitur esse, vel non esse: & de nullo ambo eorum simul.* 6.

Contra hanc opinionem Doctor specialiter arguit, tribus mediis satis euidentibus, quibus probat, quòd homini, pro statu isto, agenti propter vltimam felicitatem, quam expectamus, sit necessaria aliqua cognitio merè supernaturalis.

SCHOLIVM.

Doctor impugnat sententiam Philosophorum. Primò, quia naturaliter non possumus cognoscere finem nostrum distinctè, nec varias conditiones eius. Secundò, non possumus naturaliter habere notitiam omnium necessariorum ad nostrum finem, neque quænam sunt sufficientia ad eius assequutionem.

6. *Primum argumentum principale* *1. Phys. tex. c. 49. 61. & 75.* Text. c. 6. 50.

Contra [k] istam positionem potest argui tripliciter. Primò sic: Omni agenti per cognitionem necessaria est distincta cognitio sui finis. Hanc probo, quia omne agens propter finem agit ex appetitu finis: & omne per se agens, agit propter finem; ergo omne per se agens, suo modo appetit finem: ergo sicut agenti naturali est necessarius appetitus finis, propter quem debet agere, ita agenti per cognitionem (quod etiam est per se agens, ex *secundo Physicorum*,) necessarius est appetitus sui finis, propter quem debet agere, qui sequitur cognitionem. Patet ergo maior. Sed homo non potest scire ex naturalibus finem suum distinctè: ergo necessaria est sibi de hoc tradi aliqua cognitio supernaturalis. Minor probatur primò, quia Philosophus sequens naturalem rationem, aut ponit felicitatem esse perfectam, in cognitione substantiarum separatarum acquisita, sicut videtur dicere 1. *Ethic. &* 10. aut si non determinatè asserit istam esse supremam nobis possibilem; aliam tamen ratione naturali non concludit; ita quòd soli rationi naturali innitendo, vel errabit circa finem in particulari, vel dubius remanebit. Vnde 1. *Ethic. com.* 9. dubitando ait, *Si quidem igitur & aliud aliquod deorum est donum hominibus rationabile, & felicitatem Dei datum esse, & maximè humanorum quanto optimum.*

Cap. 7. Cap. 13. Non scimus naturaliter finē nostrū, nec omnes conditiones eius.

7. Secundò [l] probatur eadem minor per rationem; quia nullius substantiæ finis proprius cognoscitur à nobis, nisi ex actibus eius nobis manifestis, ex quibus ostenditur, quòd talis finis sit conueniens tali naturæ: nullos autem actus experimur, nec cognoscimus inesse naturæ nostræ in statu isto, ex quibus cognoscamus visionem substantiarum separatarum esse conuenientem nobis: ergo non possumus naturaliter cognoscere distinctè, quòd iste finis sit conueniens naturæ nostræ. Hoc saltem certum est, quòd quædam conditiones finis, propter quas est appetibilior, & feruentiùs inquirendus, non possunt determinatè concludi ratione naturali. Etsi enim daretur, quòd ratio naturalis sufficeret ad probandum, quòd visio nuda, & fruitio Dei est finis hominis: tamen non concluderetur, quòd illa perpetuò conuenit homini perfecto in corpore, & anima, sicut dicetur in 4. *dist.* 43. & tamen perpetuitas huius boni est conditio reddens finem appetibiliorem, quàm si esset transitorium. Consequi etiam hoc bonum in natura perfecta, appetibilius est, quàm in anima separata, sicut patet per Augustinum 1. *super Genesim.* Istas ergo, & similes conditiones finis, necessarium est noscere ad efficaciter inquirendum finem; & tamen ad eas non sufficit ratio naturalis: ergo requiritur doctrina supernaturaliter tradita.

Vide ibi dist. 49. q. 6. & 41.

8. *Secundum argumentum principale. Triplex cognitio necessaria agenti propter finē.*

Secundò [m] sic: Omni cognoscenti agenti propter finem, necessaria est triplex cognitio. Primò, quomodo, & qualiter finis acquiratur. Secundò, cognitio omnium, quæ sunt necessaria ad finem. Tertiò, est necessarium cognoscere, quòd omnia ista sufficiant ad talem finem. Primum patet; quia si nesciat quomodo finis acquiratur, nesciet qualiter

qualiter ad conſecutionem illius ſe diſponat. Secundum probatur;quia ſi neſciat omnia neceſſaria ad ipſum finem, propter ignorantiam alicuius neceſſarij, poterit à fine deficere. Et etiam quantum ad tertium,ſi neſciat iſta neceſſaria ſufficere,dubitando ſe ignorare aliquod neceſſarium,non efficaciter proſequetur illud,quod eſt neceſſarium.

Sed hæc tria non poteſt viator ratione naturali cognoſcere. Probatio primi, quia beatitudo confertur tanquam præmium pro meritis eius, quem Deus acceptat tanquam dignum tali præmio ; & per conſequens nullâ naturali neceſſitate ſequitur ad actus noſtros qualeſcunque: ſed contingenter datur à Deo, actus aliquos in ordine ad ipſam, tanquam meritorios, acceptante. Hoc autem non eſt naturaliter ſcibile, vt videtur: quia in hoc errabant Philoſophi ponentes omnia, quæ ſunt à Deo immediatè,eſſe ab eo neceſſariò. Saltem alia duo membra ſunt immanifeſta: non enim poteſt ſciri naturaliter acceptatio voluntatis diuinæ, vt puta tanquam contingenter acceptantis talia, vel talia, digna vitâ æternâ, & quòd etiam illa ſufficiant, dependet merè ex voluntate diuina,circa ea, ad quæ contingenter ſe habet: ergo, &c.

Præmium nõ ſequitur naturaliter meritum.

COMMENTARIVS.

1. k PRima ratio eſt ibi: *Contra iſtam poſitionem, &c.* Et ratio breuiter ſtat in hoc: Omne agens propter finem aliquem, ſi agit per cognitionem, de neceſſitate cognoſcit finem, propter quem agit; ſed homo, pro ſtatu iſto, non poteſt ex puris naturalibus diſtinctè cognoſcere vltimum finem, propter quem agit: ergo eſt ei neceſſaria aliqua cognitio ſupernaturalis, quâ cognoſcat diſtinctè vltimum finem, propter quem agit. Maior ſyllogiſmi patet in litera Doctoris: & probatio ſtat in hoc; quia agens propter finem, agit ex appetitu finis: modò nihil poteſt appeti, niſi præcognoſcatur,vel ab ipſo appetente, ſi eſt cognoſcens; vel ab alio dirigente ipſum ad talem finem, vt patebit infrà *diſt.2.quæſt.* 1. In propoſito, homo eſt agens per cognitionem, & per ſe agens, vt patet 2.*Phyſicor.text.comm.*50.hoc eſt, per formam propriam; ſi ergo agit propter finem vltimum, agit ex appetitu talis finis: & debet intelligi de appetitu rationali, qui ſequitur cognitionem, vt patet ex Doctore in pluribus locis. Minor patet in litera Doctoris, quæ ſatis clara eſt, & ſtat in hoc: aut enim Philoſophus ſequens viam naturalem, poſuit vltimum finem hominis, conſiſtere in ſola ſpeculatione ſubſtantiarum ſeparatarum; & tunc errauit,quia (vt dixi) finis vltimus hominis, eſt in viſione clara Dei, & fruitione eiuſdem. Vel poſuit vltimum finem hominis, vt Chriſtiani ponunt, & hoc non apparet ex dictis eius, nec aliqua naturali ratione hoc probauit. Aut fuit dubius de vltimo fine hominis, vt patet per illud 1. Ethic. cap. 13. vbi dubitando ait: *Si quidem igitur, &c.* Iſta auctoritas ſic exponitur à Commentatore. Ibi enim Philoſophus dubitando quærit: *An felicitas ſit res diſcibilis, ac acquiſibilis per aſſuetudinem; aut alio modo adipiſcendi, vt per prouidentiam diuinam circa hominem: aut per fortunam, & caſum. Sed manifeſtum eſt,quoniam ſi fuerint hîc res aliquæ, quas largitur Deus hominibus; dignius eſt, vt ſit felicitas ab eo donata ipſis: maximè cùm ſit præſtantior rerum, quæ pertinent hominibus.* Hæc ille. Sequitur ergo quòd tunc Philoſophus non cognouit diſtinctè vltimum finem hominis; quia ſi diſtinctè cognouiſſet, nullo modo dubitaret. Si ergo Ariſtoteles princeps omnium Philoſophorum, non cognouit diſtinctè vltimum finem hominis, propter quem homo agit, ſtat ratio Doctoris quòd ſit ei neceſſaria aliqua cognitio diſtincta de fine vltimo, quæ via naturali haberi non poſſit.

l *Secundò probatur eadem minor per rationem.* Hîc Doctor probat eandem minorem per rationem ſumptam à poſteriori; & minor eſt iſta: Sed homo pro ſtatu iſto non poteſt cognoſcere diſtinctè vltimum finem propter quem agit. Probatio eſt ſatis clara in litera, præſupponendo vnum, ſcilicet quòd aptitudo alicuius naturæ ordinatæ, vel aptæ ad aliquem finem, poteſt dupliciter cognoſci ineſſe tali naturæ; ſcilicet, vel per cognitionem perfectam, & diſtinctam talis naturæ, per quam arguimus talem aptitudinem ineſſe: ſicut per cognitionem diſtinctam hominis, concludimus aptitudinem ad ridendum de ipſo homine; vel per operationem talis naturæ:ſicut per actum ridendi hominis, concludimus ipſam proprietatem ineſſe homini. 2.

Aptitudinem alicui naturæ ineſſe, poteſt dupliciter intelligi.

Ad propoſitum, Doctor præſupponit, quòd pro ſtatu iſto non poſſumus via naturali cognoſcere diſtinctè, & ſub ratione propria, aliquam ſubſtantiam, vt probat infrà, *diſt.* 3. *quæſt.* 3. Ideò omittit iſtum modum cognoſcendi aptitudinem ad finem proprium, ineſſe tali ſubſtantiæ; & accipit ſecundum modum cognoſcendi, ſcilicet à poſteriori, & per operationem. Cognoſcimus enim talem herbam eſſe ordinatam ad talem finem; puta ad talem ſanitatem inducendam, propter operationem ipſius, & ſic clara eſt ratio Doctoris: quia nullam operationem experimur in nobis, propter quam poſſimus concludere, hominem ordinari ad claram viſionem Dei, & fruitionem eiuſdem, vt patet. Et poſito, quòd hoc concludi poſſit; tamen loquendo de fine vltimo, & perfectiſſimo hominis,& completiuo, qui, vltra viſionem, & fruitionem Dei,includit perpetuitatem ipſius viſionis, vt claré patebit in 4. *diſt.*49. ad concludendam via naturali talem finem poſſe ineſſe homini, oportet concludere via naturali animam eſſe immortalem: quod tamen ſola fide tenemus, vt probat Doct.in 4. *diſt.* 43.

Finis non cognoſcitur, niſi per operationem.

Dubitatur de iſta propoſitione: Omni agenti per cognitionem neceſſaria eſt cognitio diſtincta ſui finis. Primò, quia fidelis agit propter vltimum finem, & tamen non eſt ei neceſſaria cognitio diſtincta vltimi finis; quia talis de communi lege non habetur; vt patet ex Doctore *præſenti quæſt.* 3.

Dubium 1.

Dico, quòd propoſitio Doctoris debet ſic intelligi; Eſt neceſſe, vt cognoſcat diſtinctè, an *A* ſit finis, vel ne: & non eſt neceſſe, vt cognoſcat diſtinctè *A* in ſe. Vult ergo dicere, quòd agentis efficaciter propter finem vltimum, puta propter

A 4 fruitio

fruitionem Dei, est necesse scire distinctè, an fruitio Dei sit vltimus finis, vel ne: quod tamen non potest scire ex puris naturalibus, sed tantùm per reuelationem. Posito modò quòd per reuelationem sciat fruitionem esse finem vltimum, non est postea necesse, vt cognoscat distinctè illam in se, nec obiectum illius, ad hoc, vt possit efficaciter agere propter illam. Si enim esset neuter, puta nesciret determinatè an fruitio sit vltimus finis, vel ne, non posset agere propter ipsam, oportet enim, vt distinctè, & determinatè sciat ipsam esse vltimum finem, si efficaciter agit ad illam: licèt illam non cognoscat in se distinctè. Et sic intelligitur propositio, & ratio Doctoris.

Cognitio distincta sumitur hic pro certa cognitione.

4. *Dubium 2.*

Secundò dubitatur de illa propositione: Philosophus soli rationi naturali innitendo, vel errabit circa vltimum finem hominis, vel dubius remanebit. Quia Philosophus secundùm rationem naturalem habuit ponere, finem vltimum perfectè quietare potentiam beatificabilem; quia beatitudo est bonum perfectum: habuit etiam illam ponere in ente perfectissimo, vt patet 10. *Ethic. com.* 10. Via etiam naturali potuit scire, quòd cognitio distincta primi obiecti in se, sit perfectior omni alia; & magis obiectum esse per se quietatiuum, vt perfectè cognitum, & perfectè amatum: ergo ponendo felicitatem in tali obiecto sic cognito, non errasset; quia nec nos erramus secundùm fidem; nec dubius fuisset. Nec valet dicere, quòd via naturali non potuit cognoscere primum distinctè: quia nec nos possumus cognoscere, de lege communi.

Beatitudo est bonum perfectum.

Responsio.

Dico, quòd si Philosophus cognouisset esse possibile homini sic posse cognoscere, & amare primum, non errasset, nec dubius fuisset, sed non potuit via naturali cognoscere, hoc esse possibile homini.

5. *Dubium 3.*

Tertiò dubitatur de illa propositione. Vltimus finis non potest cognosci ex actibus, quos experimur, esse conueniens nobis. Primò quia Doctor *in princip. dist.* 1. *quæst.* 2. dicit quòd *vltimus finis est obiectum beatificum sub ratione perfectissima.* Hoc idem in 4. *dist.* 49. & in 1. *d.* 2. *quæst.* 1. in 4. *ratione* de infinitate primi, quòd *Voluntas nostra actu elicito non potest vltimatè quietari, nisi in ente infinito*; & hoc cognoscit homo per actus suos; quia dicit Doctor, *præsenti quæst.* quòd *pro statu isto, tantùm per actus, quos experimur, cognoscimus potentiam ordinari ad tale obiectum*; si ergo voluntas, per quemcunque actum elicitum circa ens finitum, experitur se non quietari, & hoc erit notum intellectui; ergo intellectus naturaliter poterit scire voluntatem ordinari ad ens infinitum, & sic potest cognoscere naturaliter.

Secundò, sic supponendo, quod dicit Doctor in *quæst.* 1. Prologi, quòd *intellectus habet naturalem inclinationem ad omne ens, & naturaliter cognoscit hoc per actus suos*; quia data cognitione cuiuscunque entis finiti, adhuc appetit cognoscere ens perfectius, sicut dictum est de voluntate, *suprà*: ergo naturaliter scit se appetere perfectissimum ens. Patet per Philosophum in procem. Metaph. qui facit hanc consequentiam, Omnes homines naturaliter scire desiderant; ergo maximam scientiam maximè desiderabunt: maxima scientia est circa maximè scibilia, cuiusmodi sunt substantiæ separatæ; ergo homo per actus suos scit se non posse quietari, nisi in ente perfectissimo, perfectissimè cognito: ergo naturaliter scit finem suum sibi naturaliter conuenire ex actibus suis; licèt illum finem in se non cognoscat distinctè, quem nec nos, etiam illuminati, distinctè cognoscimus.

Tertiò, appetitus noster naturalis appetit summam beatitudinem summè, & in particulari, vt 6.
patet ex Doctore in 4. *dist.* 49. ergo intellectus noster potest scire per actus suos se naturaliter appetere illam; quia posito quocunque actu circa alia à summa beatitudine, non quiescit.

Responsio.

Respondeo ad primum, concedendo propositiones Doctoris, & dico, quòd ratio concluderet, si intellectus via naturali posset scire obiectum infinitum, vt clarè visum, esse possibile homini: quamuis sciat, quòd maior perfectio est in obiecto, vt clarè viso, nescit tamen an talis visio possit conuenire homini.

Voluntas est impossibiliũ.

Cùm dicitur, Voluntas vult illud: ergo, &c. Dico, quòd ex hoc solo, quòd vult, non concluditur illud esse possibile illi: quia etiam voluntas est impossibilium, vt probat Doctor 2. *dist.* 6. *quæst.* 1.

Appetitus triplex. vide Scotum 4. dist. 49. q. 10.

Cùm dicitur, appetitus naturalis appetit illud vt sic, & appetitus naturalis non est ad impossibile, vt Doctor concedit in 4. *d.* 43. *quæst.* 2. Dico, vt dicit ibi Doctor, quòd oporteret priùs probare illud esse possibile, quod non probatur via naturali.

Ad secundum, concedo propositionem Do- 7.
ctoris, scilicet quòd *intellectus naturaliter potest scire se habere appetitum, etiam respectu entis perfectissimi:* sed naturaliter non potest scire se habere appetitum naturalem, circa illud perfectum, qualitercumque cognitum, quia oporteret probare, quòd appetitus naturalis, esset ad cognitionem perfectissimam: cuiusmodi est clara visio. Et posito etiam, quòd inesset ei talis appetitus naturalis, adhuc non sequitur, quòd intellectus cognoscat illum, sub illa ratione, quâ appetit illud finem, sub ratione perfectissima; quia oporteret cognoscere relationem illius appetitus, quæ terminatur ad illum finem: quæ cognosci non potest, non præcognito termino. Prima tamen responsio videtur melior.

Et cùm dicit, quòd intellectus habet naturalem inclinationem ad omne ens, concedo; sed oportet probare, quòd habeat naturalem inclinationem, vt intuitiuè cognoscibile à tali potentia. Sicut etiam non sequitur, intellectus habet naturalem inclinationem ad cognoscendum ens infinitum, & illud est cognoscibile, cognitione formaliter infinitâ: ergo naturaliter appetit sic cognoscere; non sequitur, quia hoc est simpliciter impossibile.

Quomodo beatitudo appetitur in particulari.

Ad tertium dico, quòd non intelligit de beati- 8.
tudine in particulari, de qua Sancti loquuntur: sed loquitur de beatitudine in *esse* verè reali, quia non appetit illam sic in communi; quia non esset actu existens; sed appetit aliquod bonum summum vltimatè quietatiuum: & posito quòd appetat id in particulari, non tamen sequitur, quòd appetat illud naturaliter, vt clarè visum. Dico etiam, quòd tantùm appetit illud, vt bonum commodi: obiectum autem non beatificat, nisi vt clarè visum, & amore amicitiæ principaliter amatum. Et posito etiam, quòd sic appetat, adhuc non sequitur, quòd intellectus cognoscat illum appetitum sub illa ratione, quâ sic appetit: & sic patet.

Dubium.

Dubitatur de illo, quod dicit, scilicet: *Ad effi-* 9.
caciter inquirendum finem vltimum, est necesse scire,
quòd

quòd perpetuò poſſit conuenire homini in anima & corpore. Contrà, quia vltimus finis, ſub ſua ratione formali, eſt ſimpliciter appetibilis: ergo ſufficit ad efficaciter operandum, cognitio illius finis: ergo non eſt neceſſe ſcire ſub ratione perpetuitatis. Secundò, quia conditio per ſe obiecti primi, eſt perfectior, quàm conditio eius per accidens. Patet, quia ſi finis vltimus eſt beatitudo noſtra, erit magis beatitudo ſub ratione formali, quàm accidentali.

Reſponſio. Reſpondeo, quòd aliud eſt loqui de fine vltimo, in ſe clarè viſo; & aliud, vt obſcurè cognito. Primo modo homo efficaciſſimè moueretur ad illum, etiam ſi ſciret ipſum durare tantùm per inſtans. Secundo modo non ita, quia communiter quis non mouetur efficaciter, puta ad ſanitatem, ſi ſciat parum duraturam: ſic de fine vltimo, etiam nobis reuelato, niſi ſciret ipſum perpetuò habere, non moueretur, ſaltem ita efficaciter ad illum acquirendum. Dico ſecundò, quòd Doctor non dicit expreſſè, quòd quis non moueretur efficaciter ad finem vltimum, niſi ſciret illum dari perpetuò in anima, & in corpore; ſed quòd non ita efficaciter: quia illæ conditiones reddunt illum finem appetibiliorem.

10. Secunda ratio principalis, quæ eſt ibi: *Secundò ſic: Omni cognoſcenti agenti,* &c. Hîc Doctor intendit probare, quòd homini volenti efficaciter vltimum finem, ſit neceſſaria cognitio mediorum ad finem; quia nunquam aliquis agit efficaciter propter aliquem finem acquirendum; niſi cognoſcat media neceſſaria ad illum finem. Sed homo via naturali non poteſt media huiuſmodi cognoſcere: quia meritum ordinatum ad talem finem, conſiſtit in ſola acceptatione diuinæ voluntatis, vt diffuſiùs probabit infrà *diſt.* 17. Poſito ergo, quòd homo via naturali cognoſceret vltimum finem diſtinctè, (cuius tamen oppoſitum probatum eſt in prima ratione) adhuc eſt ei neceſſaria cognitio, qualiter talis finis poſſit acquiri. Non enim poſſet ex puris naturalibus cognoſcere, quòd talis finis eſt ſic, vel ſic acquiſibilis, puta per talem, vel talem operationem hominis: quia collatio talis præmij, eſt ex ſola determinatione voluntatis diuinæ. Et poſito, quòd etiam hoc cognoſceret, adhuc ignoraret, quæ, & quot opera requiruntur: & an illa ſufficiant, cùm hæc omnia conſiſtant in ſola acceptatione voluntatis diuinæ, merè, liberè, & contingenter, ſic, vel ſic acceptantis: & ſic patet ratio Doctoris.

Sed hîc occurrit dubium. Quia ex quo voluntas diuina declarauit, vitam æternam poſſe acquiri per obſeruantiam præceptorum Dei; & homo ex puris naturalibus poteſt ſcire, ſi obſeruat præcepta Dei, vel ne, vt patet: & ſic ſequitur, quòd poſſit certitudinaliter ſcire via naturali, ſe eſſe dignum vita æterna: cuius oppoſitum Sancti tenent. 11. *Dubium.*

Reſpondeo, quòd ad hoc, vt quis ſciat ſe eſſe dignum vita æterna per obſeruantiam præceptorũ, oportet ſcire ſe obſeruaſſe in charitate, & ex inſtinctu charitatis. Omnis enim actus meritorius elicitur liberè à voluntate, charitate ad huiuſmodi actum inclinante voluntatem, vel partialiter concurrente cum voluntate, vt alia cauſa partiali; vt patet ex Doctore infrà *diſt.* 17. & patet communiter per Doctores, ſed hoc ſcire non poteſt. *Reſponſio.*

SCHOLIVM.

Impugnat multipliciter in fauorem Philoſophorum, duo argumenta contra eos allata: & ſoluit impugnationes per optimam, & ſubtilem doctrinam, multis applicabilem.

Contra [n] iſtas duas rationes inſtatur; & primò contra primam ſic: Omnis natura creata eſſentialiter depẽdet à qualibet per ſe cauſa, & propter talem dependentiam ex cauſato cognito, poteſt *demonſtratione quia* quælibet eius per ſe cauſa cognoſci: ergo cùm natura hominis ſit homini naturaliter cognoſcibilis, quia non eſt potentiæ cognitiuæ improportionalis, ſequitur quòd ex iſta natura cognita, poſſit naturaliter cognoſci finis illius naturæ. Confirmatur [o] ratio, quia ſi ex naturâ inferiori cognitâ cognoſcitur eius finis, non minùs hoc eſt poſſibile in propoſito; quia nec minor dependentia eſt finiti in propoſito ad ſuum finem, quàm in aliis. Ex hac [p] etiam ratione videtur, quòd falſa ſit iſta propoſitio; *finis ſubſtantiæ non cognoſcitur, niſi ex actibus eius*, quæ aſſumebatur in probatione minoris: quia ex cognitione naturæ in ſe, poteſt finis eius cognoſci *demonſtratione quia.* 9.

Si autem [q] dicatur quòd ratio concludit hominem naturaliter poſſe cognoſcere ſuum finem naturalem, non autem ſupernaturalem; contrà [r], Auguſtinus primo de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 4. *Proinde*, inquit, *poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem naturæ eſt hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ eſt fidelium.* Si igitur natura hominis eſt naturaliter cognoſcibilis homini, naturaliter etiam erit cognoſcibilis iſta potentia, vt eſt talis naturæ: & per conſequens ordinabilitas talis naturæ ad finem, ad quem fides, & charitas diſponit. *Donum Dei habere fidẽ, poſſe habere, non.*

Item [s], homo naturaliter appetit finem iſtum, quem dicit ſupernaturalem: igitur ad iſtum naturaliter ordinatur: ergo ex tali ordine poteſt concludi iſte finis ex cognitione naturæ ordinatæ ad ipſum. Item, naturaliter [t] cognoſcibile eſt, primum obiectum intellectus eſſe ens, ſecundùm Auicennam, & naturaliter eſt cognoſcibile, in Deo perfectiſſimè ſaluari rationem entis: finis autem cuiuſcunque potentiæ eſt optimum eorum quæ continentur ſub eius obiecto primo, quia in illo ſolo eſt perfecta quietatio, & delectatio, ex 10. *Ethic.* igitur naturaliter cognoſcibile eſt *1. Met. c. 5. 4. Met. t. c. 4. Cap. 4.*

eſt hominem ordinari ſecundùm intellectum, ad Deum tanquam ad finem.

10\. Confirmatur ratio, quia, cui naturaliter eſt cognoſcibilis potentia aliqua, ſibi naturaliter eſt cognoſcibile quid ſit eius obiectum primum. Et vlteriùs poteſt cognoſcere, in quo ſaluatur ratio illius primi obiecti, & in quo perfectiſſimè: tale autem eſt finis potentiæ; mens autem nota eſt ſibi, ſecundùm Auguſtin. 14. *de Trin. cap.* 4. igitur notum eſt ſibi quid ſit eius primum obiectum, & nouit Deum non excedere rationem illius primi obiecti, quia tunc nullo modo eſſet ab ipſa mente intelligibilis: ergo nouit Deum eſſe optimum, in quo ſaluatur ratio ſui primi obiecti, & ita nouit ipſum eſſe finem potentiæ.

Contra [u] ſecundam rationem arguitur ſic; Si per vnum extremum cognoſcitur aliud extremum; ergo & medium; ſed neceſſaria ad conſequendum finem, ſunt media inter naturam & finem ſuum conſequendum: igitur cùm ex cognitione naturæ poſſit cognoſci finis naturæ, ſecundùm priùs probata, videtur quòd ſimiliter poſſint cognoſci media neceſſaria ad finem. Confirmatur ratio: ita enim in propoſito, entium ad finem videtur eſſe neceſſaria connexio ad ipſum finem ſicut in aliis: ſed propter talem connexionem in aliis: ex fine cognoſcuntur illa, quæ ſunt ad finem neceſſaria, ſicut per rationem ſanitatis concluditur talia, & talia requiri ad ſanitatem: ergo, &c.

11\. *Ad arg. n. 9. q. de ſubiecto, & q. de praxi. & d. 1. q. 2. & in 4. diſt. 48. q. 2. & 49. q. 8.*

Ad primum, [x] licèt procedat de fine, qui eſt cauſa finalis, non de fine attingendo per operationem, quorum finium diſtinctio dicetur *infrà*. Poteſt tamen ad iſtud & ad ſequens de Auguſt. & ad tertium de potentia, & primo obiecto, dici vnicâ reſponſione, quòd omnia accipiunt noſtram naturam, vel potentiam intellectiuam eſſe à nobis cognoſcibilem naturaliter, quod falſum eſt ſub illa ratione propria & ſpeciali, ſub qua ad talem finem ordinatur, & ſub qua capax eſt gratiæ conſummatæ, & ſub qua habet Deum pro perfectiſſimò obiecto. Non enim cognoſcitur anima à nobis, nec natura noſtra pro ſtatu iſto, niſi ſub ratione aliqua generali abſtrahibili à ſenſibilibus, ſicut patebit infrà *diſt. 3. quæſt.* 3. Et ſecundùm talem rationem generalem, non conuenit ſibi ordinari ad talem finem, nec poſſe capere gratiam, nec habere ſic Deum pro obiecto perfectiſſimo.

Quomodo ex cognitione entis ad finem, cognoſcitur finis?

Tunc ad formam argumenti, cùm dicitur: quòd ex ente ad finem poteſt cognoſci finis *demonſtratione quia*, dicendum quòd non eſt verum, niſi cognito illo ente ad finem ſub illa propria ratione, ſub qua habet finem iſtum: & tunc minor eſt falſa. Et cùm probatur per proportionalitatem, dico, quòd licèt mens ſit eadem ſibi, non tamen pro ſtatu iſto eſt proportionalis ſibi, tanquam obiectum, niſi ſecundùm rationes generales, quæ poſſunt abſtrahi ab imaginabilibus.

Ad confirmationem [y] dico, quòd nec aliarum ſubſtantiarum fines proprij cognoſcuntur, qui ſcilicet ſunt earum ſecundùm rationes proprias, niſi aliqui ſint actus manifeſti, ex quibus concludatur ordo earum ad talem finem. Et ex hoc patet ad illud, quod adducitur contra probationem minoris, quòd iſta propoſitio non eſt falſa: Non cognoſcitur à nobis finis proprius ſubſtantiæ, niſi per actus eius nobis manifeſtos. Non enim accipitur propoſitio illa, quòd non poſſit aliter cognoſci finis. Benè enim eſt verum, quòd ſi ſubſtantia ſub propria ratione cognoſceretur ex natura ſic cognita, poſſet eius cauſa per ſe cognoſci *demonſtratione quia*; ſed non ſic cognoſcitur à nobis aliqua ſubſtantia nunc: ideò nullum finem poſſumus nunc concludere proprium ſubſtantiæ, niſi per actum euidentem de illa ſubſtantia, vt notam in vniuerſali, & confusè.

Subſtantia nulla ſub propria ratione cognoſcitur à nobis.

In propoſito [z] autem deficit vtraque via. Sed probatio minoris tetigit vnam viam de ignorantia actus, ſupponendo aliam de ignorantia naturæ in ſe.

12\. Ad ſecundum [a] de Auguſtino, dico quòd illa potentia habendi charitatem, vt ipſa eſt diſpoſitio reſpectu Dei in ſe ſub propria ratione amandi, conuenit naturæ hominis ſecundùm rationem ſpecialem, non communem ſibi & ſenſibilibus: & ideò non eſt illa potentialitas naturaliter cognoſcibilis de homine, ſicut nec homo cognoſcitur ſub illa ratione, ſub qua eſt eius hæc potentia. Et ita [b] reſpondeo ad illud, inquantum poteſt adduci contra concluſionem principalem, ſcilicet oppoſitam minori primæ rationis. Sed inquantum adducitur contra illam reſponſionem de fine naturali, & ſupernaturali; concedo Deum eſſe finem naturalem hominis, licèt non naturaliter adipiſcendum, ſed ſupernaturaliter, & hoc [c] probat ratio ſequens de deſiderio naturali, quam concedo.

Scot. 3. diſt. 28. 29.

Deus, finis naturalis hominis.

Ad aliud [d] negandum eſt illud quod aſſumitur, ſcilicet quòd naturaliter cognoſcimus ens eſſe primum obiectum intellectus noſtri, & hoc ſecundùm totam indifferentiam entis ad ſenſibilia, & inſenſibilia. Et ſic quod dicit Auicenna, non concludit, quòd ſit naturaliter notum. Miſcuit enim ſectam ſuam, quæ fuit ſecta Mahometi, Philoſophicis:

Commentator 4. Met. c. 3.

phicis: & quædam dixit, vt Philosophica, & ratione probata: alia vt consona suæ sectæ. Vnde ipse expreſsè ponit 9. *Metaph. sua*, animam separatam cognoscere substantiam immaterialem in se: & ideò sub obiecto primo intellectus habet ponere substantiam immaterialem contineri. Non sic Arist. sed secundùm ipsum, videtur esse primum obiectum intellectus nostri, quiditas rei sensibilis; & hoc vel in se sensibilis, vel in suo inferiori, hoc est quiditas abstrahibilis à sensibilibus. *c. 7. & suprà.*

Arguitur contra hoc sic; quia si quiditas rei materialis sit obiectum adæquatum intellectus, tunc intellectus non poterit intelligere aliquid de substantiis separatis: quia obiectum adæquatum, vel formaliter, vel virtualiter continet omne illud, in quod potentia potest ferri: sed quiditas materialis, nec formaliter, nec virtualiter continet substantias separatas ergo, &c. Respondeo, assumptum non esse verum, quia quinque communia sensibilia, scilicet Numerus, Figura, Motus, Magnitudo, & Quies, sentiuntur à visu per se, & tamen neutro modo continentur sub luce, vel colore. Sufficit enim aliqua conuenientia, vel concomitantia vnius ad alterum. ADDITIO.

Quod [e] autem additur de Augustino in confirmationem illius rationis; respondeo, & dico quòd dictum Augustini debet intelligi de actu primo sufficiente ex se ad actum suum secundum, sed tamen nunc impeditur; propter quod impedimentum actus secundus non elicitur à primo. De hoc autem ampliùs dicetur infrà. 13. *Auctoritas D. Aug. 14. de Ciu. c. 4. quomodo sit intelligenda*

Si verò obiiciatur [f] contra ista, Homo in statu naturæ institutæ potuit cognoscere naturam suam: igitur finem naturæ, ex deductione primæ rationis: igitur ista cognitio non est supernaturalis. *Dist. 3. q. 3.*

Item contra [g] responsionem ad vltimam rationem, si ideò non cognoscitur quid sit obiectum primum intellectus, quia non cognoscitur intellectus sub ratione propria, sub qua respicit tale obiectum; ergo non potest cognosci de quocunque, quòd ipsum sit intelligibile: quia non cognoscitur potentia sub illa ratione, sub qua respicit quodcunque, vt obiectum intelligibile. *Obiectio contra responsionem vltimæ rationis.*

Respondeo ad primum, requireretur dici, qualis fuerit cognitio hominis instituti, (quod vsque aliàs differatur) saltem respectu viatoris, pro statu isto, est dicta cognitio supernaturalis; quia facultatem eius naturalem excedens, naturalem dico, secundùm statum naturæ lapsæ. Scot. *in 4. dist. 1. q. 3. art. 3.* Vide *in 2. dist. 3. q. 9. & dist. 21. q. 3. & in 3. dist. 14. q. 3. & in 4. d. 10. q. 5. & super lib. de Anima qu. 15.*

Ad secundum, concedo quòd non habetur modò cognitio de anima, vel de aliqua eius potentia, ita distincta, quòd ex ipsa possit cognosci, quòd aliquod obiectum tale sibi correspondeat: sed ex ipso actu, quem experimur, concludimus potentiam, & naturam, cuius iste actus est illud respicere pro obiecto, quod percipimus attingi per actum; ita quòd obiectum potentiæ non concluditur ex cognitione potentiæ, sed ex cognitione actus, quem experimur: sed de obiecto supernaturali, neutram cognitionem possumus habere: ideò ibi deficit vtraque via cognoscendi finem proprium illius naturæ.

Ad argumentum [h] contra secundam rationem, patet; quia supponit quoddam iam negatum. Ad confirmationem illius rationis, dico quòd quando finis sequitur naturaliter ea, quæ sunt ad finem, & naturaliter præexigit illa, tunc ex fine possunt concludi ea, quæ sunt ad finem: hîc autem non est consecutio naturalis, sed tantùm acceptatio diuinæ voluntatis, compensantis ista merita, tanquam digna tali fine.

COMMENTARIVS.

1. n *Contra istas duas*, &c. Arguit Doctore primò contra primam rationem probando quòd homo ex puris naturalibus, potest distinctè cognoscere suum vltimum finem: cuius oppositum prima ratio ostendit. Prima ergo ratio est ibi: *Omnis natura creata essentialiter dependet*, &c.

Dubia de demostratione, quia. Dubitatur de illa propositione Doctoris, *Ex causato cognito potest demonstratione quia, qualibet eius per se causa cognosci.* Quia pono *A*, causatum: si ex cognitione *A* potest cognosci eius per se causa; aut hoc est, quia immediatè effectus causat cognitionem causæ, & hoc est impossibile; quia tunc effectus virtualiter contineret entitatem causæ, vt patet ex Doctore 1. *dist. 2. quæst. 1. & dist. 8. quæst. 1. in 2. dist. 3. quæst. 10. in Quodlib. quæst.* 14. Aut quia cognitio effectus est causa cognitionis causæ; & hoc habet minorem probabilitatem, cùm cognitio causæ sit perfectior. Aut præmissæ vt cognitæ, & pertractatæ, ita vt minor rectè sumatur sub maiori: & hoc non, quia medium, quod est effectus in tali demonstratione *quia*, non continet virtualiter notitiam causæ, quæ causa scitur per demonstrationem: ergo per effectum nullo modo scitur, *demonstratione quia*, ipsa per se causa.

2. *Dubium 2.* Secundò, si per effectum scitur eius per se causa: aut scitur per effectum, inquantum dependet ab illa causa; aut per effectum in se absolutè cognitum. Non primo modo, cùm talis dependentia sit relatio, quæ non cognoscitur, non præcognito termino: vt patet ex Doctore hîc, & *quæst. 3. & dist. 8. quæst. 1. & in Quodlib. quæst. 14. artic.*

artic. vlt. Tum etiam, quia talis dependentia cognita non est ratio cognoscendi terminum ad quem, nec fundamentum: vt ostendit Doctor contra Henric. *dist.* 8. *quaest.* 1. Non etiam secundo modo, quia in tali effectu in se absolutè cognito (cùm nullo modo virtualiter contineat causam) non sequitur cognitio causæ, quia semper quæritur à quo causatur talis cognitio; & tamen ex alia parte, si ex causato cognito non possit cognosci eius per se causa, non demonstratur per effectum *demonstratione quia:* & sic perit doctrina Philosophi 1. *Poster.* 1. *Physic. & 1. Metaph.* & alibi.

17. *Responsio ad 1.* Respondeo, quòd nec effectus, nec cognitio effectus, in se est causa cognitionis causæ distinctæ; sed si est causa, erit tantùm causa cognitionis causæ, in conceptibus communibus: sicut etiam expositum est de Deo, *dist.* 3. *quaest.* 1. quomodo per creaturas cognoscitur in conceptibus communibus. *Quomodo causa cognoscitur per effectum.* Secundò dico, quòd per effectum deuenimus in cognitionem causæ, ita vt cognito aliquo effectu, intellectus quærat causam illius effectus; puta diuidendo; vt cùm cognosco hominem esse risibilem, quæro causam immediatam illius effectus diuidendo: puta, si est effectus, ergo ab aliquo ente; non ab ente in communi, quia tunc omne ens posset esse causa; non ab ente, quod est substantia; & sic diuidendo vsque ad animal rationale: & hoc modo procedo ab effectu ad causam, qua cognita, tunc *demonstratione quia*, per effectum demonstratur causa de homine: sed illa causa priùs cognoscitur, licèt postea demonstretur inesse homini per effectum.

18. *Responsio ad 2.* Ad secundum dico, quòd per effectum in se absolutè cognitum inuestigatur causa, vt *suprà* dixi. Si verò cognoscitur distinctè sub illa dependentia, quâ dependet à causa: dico, quòd per illam non acquiritur cognitio causæ in se; immò illa cognitio dependentiæ, dependet à cognitione tam effectus, quàm causæ. Priùs enim cognoscitur terminus, & fundamentum, quàm cognoscatur relatio: & sic præhabitâ cognitione, distinctâ tam causæ, quàm effectus, & cognitione ipsius dedendentiæ; potest postea *demonstratione quia* cognosci causa de effectu, sic arguendo: *A* dependet in esse à Deo, ergo Deus est causa *A*. vel sic: Cognosco distinctè *A* dependere à Deo vt efficiente, ergo cognosco distinctè Deum esse causam *A*. *Quomodo demonstratio quia præsupponat cognitionem causæ.* Ex his patet sensus illius propositionis quâ declaratâ, adduco primam rationem Doctoris, quæ vt clariùs intelligatur, Doctor supponit aliqua.

19. Primò, quòd dependentia causati est eadem realiter cum ipso causato: & hoc quando terminatur ad talem causam, sine qua impossibile est causatum habere *esse*, vt patet *in 2. dist.* 1. & sic dependentia, quâ homo dependet à prima causa, est eadem res realiter cum homine.

Secundò, supponit quòd cognoscens distinctè dependentiam aliquam, cognoscit etiam terminum talis dependentiæ. Patet, quia omnis dependentia causati ad causam, est relatio: & relatio non potest distinctè cognosci, nisi distinctè cognoscatur terminus, ad quem est talis relatio, vt patet.

Tertiò supponit, quòd dependentia causati à prima causa, terminatur ad absolutum in prima causa, puta ad Deum sub ratione Deitatis. Patet in aliis relationibus: nam paternitas in creaturis, non terminatur ad filiationem, sed ad rem absolutam, quæ est filius, vt patebit infrà *dist.* 30. & *in* 3. *dist.* 8. Patet etiam, quòd Deitas sub ratione Deitatis, est terminus dependentiæ creaturæ ad ipsam, vel saltem illud, quod est ratio formalis creandi, vt patet ex Doct. *in Quodlib. quaest.* 9.

His præsuppositis formatur ratio sic: Cognoscens aliquam naturam distinctè, cognoscit & relationem eandem sibi realiter, & per consequens cognoscit terminum talis relationis distinctè, vt patet ex tertio præsupposito: sed natura humana est naturaliter cognoscibilis ab ipso homine: ergo dependentia ipsius ad Deum, est naturaliter cognoscibilis: ergo & Deitas, quæ est terminus talis dependentiæ, erit naturaliter cognoscibilis. Et sic patet ratio Doctoris, quæ tenet comparando naturam, vt dependentem, in ratione causati effectiuè ad ipsum Deum causantem. Potest hæc ratio Doctoris etiam formari, comparando naturam humanam ad ipsum Deum, vt ad vltimum finem. Nam dependentia naturæ humanæ, vt terminata ad Deum, in ratione vltimi finis, est eadem realiter cum ipsa natura humana: & sic naturaliter cognoscens talem dependentiam, naturaliter potest cognoscere Deum, in ratione vltimi finis: & eodem modo formetur ratio sicut prima. Posito etiam, quòd talis relatio, quæ dicitur dependentia, sit realiter distincta, adhuc stat ratio: quia cognoscens aliquam naturam, vt causatam, vel vt ordinatam ad aliquem finem, à quo dependet, vt causa finali, potest cognoscere talem dependentiam: & per consequens terminum dependentiæ. 20.

o *Confirmatur ratio.* Ista confirmatio clara est, quia si per cognitionem alicuius naturæ inferioris, natura humana cognoscitur, eius finis similiter, per cognitionem naturæ humanæ, cognoscitur vltimus finis ipsius. Patet similitudo, quia natura inferior, puta lapis, in ratione finiti, non minùs dependet ad suum proprium finem, quàm natura humana finita ad suum finem. 21.

p *Ex hac etiam ratione.* Ista litera clara est ex declaratis suprà, in probatione minoris primæ rationis, vbi dixi quòd potest cognosci aptitudo ad finem proprium, vel ex cognitione substantiæ aptæ ad talem finem: vel ex actibus illius substantiæ.

q *Si autem dicatur*, &c. Quia posset dici ad rationem quòd concludit de fine naturali hominis, puta de felicitate naturaliter acquisibili; de qua Philosophus 10. *Ethic.* sed non concludit de fine supernaturaliter acquisibili, qui est clara visio Dei.

r *Contrà, August.* Hîc Doctor intendit probare quòd etiam talis finis sit naturaliter acquisibilis. Et ratio clara erit, quibusdam præsuppositis. Primò, quòd natura humana, & potentia, siue aptitudo ad aliquid, sunt vna res realiter; & per consequens cognoscens naturaliter naturam humanam, naturaliter cognoscit aptitudinem illius: & cùm omnis aptitudo sit formaliter relatio; sequitur quòd cognoscens naturaliter aptitudinem aliquam, naturaliter cognoscit terminum ad quem est.

Secundò præsuppono ex dicto August. 1. *de Prædestinatione Sanctorum*, quòd homo naturaliter habeat aptitudinem ad fidem, & charitatem, dicente August. *Posse habere fidem, & charitatem natura est hominum.*

Tertiò præsuppono, quòd fides habeat Deum sub ratione Deitatis pro obiecto, vt probat ipse 22.

in

in 3. dist. 23. & similiter charitas, vt patet *ibid. dist. 27.* Et sic sequitur quòd cognoscens distinctè fidem, & charitatem, cognoscit etiam distinctè obiectum fidei, & charitatis. Formatur ergo sic ratio: Cognoscens naturaliter naturam hominis, & hoc distinctè, naturaliter cognoscit aptitudinem ad fidem, & charitatem, cùm sit eadem res natura humana; & per consequens cognoscit ipsam fidem, & charitatem naturaliter. Et vltrà sequitur, quòd naturaliter possit cognoscere ipsum Deum sub ratione Deitatis, vt patet ex tertio præsupposito.

Vel sic potest formari: Cognoscens naturaliter dispositionem ad vltimum finem, naturaliter cognoscit illum: sed fides, & charitas disponunt ad vltimum finem hominis: ergo naturaliter cognoscens fidem, & charitatem, naturaliter cognoscit vltimum finem hominis. Posito etiam, quòd talis aptitudo esset realiter distincta, adhuc sequitur propositum, quia cognoscens naturam humanam, potest cognoscere eius aptitudinem.

23. Ex ista ratione fundata super dicto Augustini, apparet quomodo quidam nouus expositor 1. par. Summæ S.Thom. non rectè intellexit rationem Scoti: quia fundamentum rationis stat in hoc, quòd posse habere fidem naturaliter inest homini, id est, natura hominis habet naturalem aptitudinem ad fidem, & charitatem: nam si non haberet talem aptitudinem, nunquam posset eam recipere. Et quod dicit ille expositor, quòd homo tantùm est in potentia obedientiali ad fidem, & charitatem, & sic debet intelligi dictum Augustini. Hoc nihil est; quia omnis potentia obedientialis præsupponit aptitudinem, id est, non repugnantiam ad illud, ad quod est in potentia obedientiali: & talis aptitudo, cui inest, naturaliter inest. Stat enim aliquid esse aptum ad *A*, & non naturaliter inclinari ad illud. Si enim esse sursum non repugnat *B*, ergo *B* est aptum natum esse sursum: & tamen talis aptitudo non potest dici naturalis inclinatio. Et sic stat ratio Doctoris, quòd cognoscens talem aptitudinem naturaliter ad fidem, & charitatem, naturaliter cognoscit fidem, & charitatem. Dico etiam, quòd homo habet naturalem inclinationem ad fidem, & charitatem: ita quòd non tantùm est in potentia obedientia ad illas, vt dicit ille expositor; sed etiam in potentia naturali; quia natura humana habet naturalem inclinationem ad perfectionem sibi conuenientem, vt patet.

24. s Secundò arguit Doctor ibi: *Item homo naturaliter appetit finem istum*, &c. Ratio stat in hoc, supponendo aliqua. Primò quòd appetitus naturalis est realiter idem quòd natura appetens, vt probat ipse *in 4. dist. 49.*

Secundò, quòd appetitus naturalis hominis est ad summam perfectionem, etiam in particulari, vt ipse probat *vbi suprà*; & quòd voluntas non potest perfectè quietari, nisi in ente infinito, vt ipse probat *in 1. dist. 1. quæst. 1. & dist. 2. par. 1. quæst. 1. & in 4. dist. 49.*

Istis præsuppositis arguitur sic: Homo naturaliter potest cognoscere seipsum: ergo sub illa ratione, qua appetit vltimum finem, cùm ille appetitus sit idem quòd homo: ergo naturaliter potest cognoscere vltimum finem, ad quem ordinatur. Patet, quia talis appetitus naturalis, siue inclinatio naturalis terminatur ad illum finem: & sic patet ratio Doctoris.

25. t Tertiò arguitur ibi: *Item naturaliter cognoscibile est.* Ista ratio satis clara est in litera, & potest multipliciter formari. Nam potentia quælibet non potest perfectissimè quietari, nisi in optimo, contento sub adæquato obiecto illius potentiæ. *Potentia non quietatur, nisi in perfectissimo.* Si ergo potentia visiua naturaliter cognoscit adæquatum obiectum, naturaliter potest cognoscere quodcunque contentum sub illo, vt patebit *infrà*, in ista *quæst.* Quia cognoscere obiectum, vt adæquatum, est cognoscere illud, vt inclusum in omni per se contento: & sic est cognoscere quodlibet contentum. Hoc idem dico de intellectu respectu entis, inquantum ens: & sic patet ratio Doctoris. Et confirmatio sequens tenet ex hoc fundamento, quòd omnis potentia cognitiua habet naturalem inclinationem ad suum obiectum, & per consequens si perfectè cognoscit se ipsam, perfectè cognoscit se, vt inclinatam ad tale obiectum: & sic tandem cognoscit obiectum, ad quod naturaliter inclinatur: & sic patet tota ratio.

u *Contra secundam rationem.* Hîc Doctor arguit contra secundam rationem principalem, quâ probat esse necessariam cognitionem mediorum ad finem vltimum acquirendum, & illa secunda ratio supponit (vt *suprà* visum est) quòd via naturali possit cognosci natura humana, sub illa ratione, quâ ordinatur ad vltimum finem, & quòd finis vltimus possit cognosci: & licèt hoc sit falsum, vt *suprà* patuit: tamen hoc supposito, adhuc probat Doctor quòd saltem est aliqua doctrina supernaturalis necessaria homini, quæ erit respectu mediorum: & ratio patet *suprà*. Nunc Doctor probat, quòd si naturaliter cognoscitur homo, & vltimus finis hominis, quòd etiã naturaliter cognoscuntur omnia media necessaria, ad illum finem acquirendum. Arguit ergo sic: Cognoscens naturaliter extrema, inter quæ cadit medium, naturaliter cognoscit medium inter illa. Patet, si enim cognoscit extrema, sub ratione extremorum, quæ vt sic, includunt media inter illa; necessariò cognoscit media illa: ergo naturaliter cognoscens hominem, & vltimum finem ipsius, naturaliter potest cognoscere omnia media, ordinata ad talem finem: maximè, quia necessitas mediorum accipitur à fine, vt *infrà* patebit *quæst. de praxi.* Confirmatur ratio: ita enim in proposito, entium ad finem, scilicet vltimum, videtur necessaria connexio ad ipsum finem vltimum; quia talis finis non videtur posse acquiri sine illis mediis, à quibus necessariò dependet: vt patet de sanitate, & de mediis ad illam: modò propter talem connexionem in aliis finibus ad media, ex cognitione talium finium cognoscuntur talia media: ergo, & in proposito, ex cognitione vltimi finis hominis, cognoscuntur omnia media, ordinata ad illum finem. 26.

Deinde, respondet Doctor ad ista argumenta. Ad primum, &c. Dat duas responsiones ad primam rationem. Prima est, quòd ratio illa concludit de fine, qui est causa finalis. 27.

Nota, quòd Deus potest dici finis hominis dupliciter. Vel vt causa finalis: & sic dicitur finis omnium rerum, inquantum mouet Metaphoricè voluntatem suam, ad causandum res ad extrà, & mouet inquantum amatus, & desideratus: & hoc modo dicitur finis, qui est causa finalis; quia voluntas diuina amando, & desiderando ipsum Deum, producit omnia in ordine ad ipsum. Et sic Doctor concedit, quòd ratio concludit de isto fine. Et finis huiusmodi non est finis beatificatiuus, quia vt sic, lapis beatificaretur in Deo, cùm *Deus dupliciter potest dici finis hominis.*

cùm sit causa finalis ipsius. Sed non concludit ratio de fine attingibili per operationem: sicut dicimus, quòd finis vltimus potentiæ visiuæ in quo quietatur perfectè, est perfectissimus color, vt attingibilis per visionem: & hoc modo finis beatificatiuus ex hoc dicitur beatificatiuus potentiæ, inquantum natus est perfectè attingi, per operationem talis potentiæ.

28. *Dubium.* Sed occurrit dubium. Videtur enim quòd homo naturaliter possit cognoscere Deum, sub ratione Deitatis, si illa ratio concludit de vltimo fine, qui est causa finalis. Patet, quia dependentia ipsius finiti, terminatur ad ipsum Deum absolutè, vt dixi *suprà*, in ratione prima: ergo cognoscens talem dependentiam naturaliter, poterit naturaliter cognoscere ipsum Deum, sub ratione propria: & tunc vltrà, si cognoscit Deum sub ratione propria, potest etiam cognoscere ipsum esse vltimum quietatiuum hominis, vel non: & sic tandem naturaliter poterit ipsum cognoscere sub ratione finis attingibilis per operationem hominis. Similiter in illa ratione prima potest concludi, quòd naturaliter potest cognosci Deus, vt primum effectiuum, & sic sub ratione propria. Patet per dictum Doctoris *quæst.*8. *Quodlib. Illud est ratio terminandi dependentiam causati, quod est ratio formalis producendi illud*; sed voluntas diuina est ratio formalis causandi: vt patet ex ipso in pluribus locis; ergo erit ratio formalis terminandi talem dependentiam: & sic naturaliter cognoscens dependentiam causati ad primam causam, naturaliter poterit cognoscere terminum illius dependentiæ. Ideò responsio Doctoris non videtur multùm efficax.

Dat ergo aliam responsionem, negando minorem, scilicet quòd homo naturaliter possit cognoscere seipsum, sub ratione propria: & sub ratione illa, quâ ordinatur ad vltimum finem, vt attingibilem per operationem: & litera plana est.

29. *Difficultas.* Sed ex ista responsione oritur difficultas contra Doctorem, & videtur stare argumentum primum. Nam ipse vult expresè *in quæst.*14. *Quodlib.* quòd anima separata non possit ex puris naturalibus cognoscere Deum, sub propria ratione; & tamen certum est, quòd ipsa anima separata perfectissimè cognoscit se ipsam, sub ratione propria: ergo & dependentiam ipsius ad Deum: & per consequens ipsum Deum, sub ratione propria. Et formetur ratio, vt *suprà*. Deinde dicit ipse expresè, quòd Angelus ex puris naturalibus non potest cognoscere Deum, sub ratione propria: vt patet *in 2. dist.* 3. *quæst.* 10. & tamen ipse concedit, quòd Angelus possit cognoscere seipsum distinctissimè; & perfectissimè ex puris naturalibus; vt probat *in 2. dist. quæst.*9. & alibi.

Responsio. Dico ergo, posito quòd homo cognoscat seipsum distinctissimè, & similiter Angelus, & anima, adhuc non sequitur quòd cognoscat distinctissimè dependentiam, qua dependet ad Deum, vt efficientem: vel vt causam finalem. Et tota ratio stat in hoc, quia nulla relatio potest distinctè cognosci, nisi præcognito termino: vt patet ex Doct. *in quæst. pen. Prolog.* & *dist.* 8. *primi.* Modò Deus sub ratione Deitatis, via naturali non potest cognosci: ergo nec relatio terminata ad ipsum. Et cùm dicitur quòd talis relatio est idem realiter cum tali natura: & per consequens cognoscens naturam, cognoscit & relationem. Negatur consequentia; quia sufficit quòd distinguatur formaliter, & sic talis relatio formaliter

Nulla creatura distinctissimè cognoscit relationem dependentiæ suæ ad Deum.

distinguitur à fundamento: vt patet ex Doctore *in* 1. *dist.* 1.

Si iterum dicatur, quòd ex quo Angelus cognoscit seipsum intuitiuè; & cognitio intuitiua terminatur ad rem existentem, inquantum existens: vt patet ex Doctore *in* 1. *dist.* 1. & *dist.* 8. & alibi. Sed quæ sunt idem realiter, dicunt eandem existentiam: ergo si Angelus cognoscit se intuitiuè; etiam intuitiuè cognoscet talem relationem; & per consequens terminum relationis. Dico, quòd cognitio intuitiua talis relationis dependet non solùm à fundamento; sed etiã à termino. Dico vltrà, quòd licèt talis relatio dicat eandẽ existentiam realiter; non tamen dicit formaliter. 30. *Cognitio intuitiua.*

x Sequitur nunc litera Doctoris. *Ad primum* argumentum quòd nec anima, nec natura nostra potest cognosci naturaliter pro statu isto, sub ratione propria, & quiditatiua; sed tantùm sub rationibus generalibus: puta, quòd est ens, vel substantia finita, & huiusmodi. Et quomodo sic cognoscatur, exponetur infrà *dist.*3. *q.*3. Modò anima, inquantum ens, vel substantia, non ordinatur ad talem finem, quia si hoc conueniret sibi ratione entitatis, vel ratione substantiæ, tunc quælibet substantia sic posset ordinari: quod est falsum. *Nulla natura pro statu isto cognosci potest sub propria ratione.*

Ad secundum dicendum, quòd mens, siue anima est eadem sibi, & proportionabilis sibi in ratione entitatis, cùm sit penitus eadem anima, siue intellectus: sed non est proportionabilis sibi pro statu isto in ratione obiecti. Vult dicere, quòd licèt intellectus sit penitus idem sibi; non tamen pro statu isto potest intelligi sub ratione propria, quia non proportionatur sibi in ratione obiecti; quia pro statu isto non est in proxima dispositione, vt possit intelligi. Et ratio est, quia pro statu isto, vt patebit infrà, *dist.* 3. *quæst.* 3. nihil potest mouere intellectum, nisi tantùm sensibile. 31.

Ad tertium dicendum, quòd anima, vel intellectus est proportionabilis sibi in ratione obiecti, non sub ratione propria, sed sub ratione generali, abstracta à sensibilibus: puta sub ratione entitatis, quia sensibile mouet intellectum pro statu isto, non tantùm ad cognitionem sui, sed etiam ad cognitionem omnium superiorum, vt patebit infrâ, *dist.* 3. *quæst.* 3.

y *Ad confirmationem dico.* In ista litera Doctor concedit vnum, quod est valde ponderandum, scilicet quòd ex cognitione alicuius substantiæ, potest cognosci finis proprius illius substantiæ. Si absolutè hoc intelligeretur, non posset euadi, quin Angelus ex puris naturalibus possit cognoscere Deum, sub ratione Deitatis; supponendo quòd finis proprius, & vltimatus ipsius sit Deus sub ratione Deitatis. Dico ergo, quòd hoc dictum sic debet intelligi, quòd ex cognitione substantię, potest cognosci finis proprius illius substantiæ, si cognoscatur sub illa ratione, quâ ordinatur ad talẽ finẽ: & sic Angelus, licèt naturaliter cognoscat seipsum, sub ratione propria, & absoluta; nõ tamẽ sub illa ratione, quâ ordinatur ad vltimum finem. *Quomodo cognita substãtia potest cognosci finis.*

z *In proposito autem deficit vtraque via.* id est, quòd finis vltimus hominis, non potest naturaliter cognosci, nec per cognitionem distinctam ipsius hominis, cùm non possit haberi pro statu isto; nec per aliquam operationem ipsius hominis; quia, vt *suprà* patuit, per nullam talem, possumus concludere naturaliter, talem finem conuenire homini. Et hoc est, quod dicit *infrà*, ibi: *Sed probatio minoris tetigit*, id est, probatio minoris primæ rationis, factę pro opinione (quę minor fuit 32.

fuit talis: sed homo pro statu isto non potest naturaliter cognoscere vltimum finem) *tetigit vnam viam de ignorantia actus*; quia scilicet nullum actum experimur in nobis, per quem concludere possumus talem finem sic posse conuenire; supponendo aliam viam de ignorantia naturæ in se, scilicet posito, quòd natura humana non possit in se cognosci: & per consequens, nec finis vltimus illius. Aliquis posset dicere, quòd talis finis posset cognosci per cognitionem alicuius operationis humanæ: & hoc excludit in probatione illius minoris.

33. a *Ad secundum, de Augustino.* Litera patet ex supradictis. Dicit enim quòd illa potentia habendi charitatem, vt ipsa, scilicet charitas, est dispositio respectu Dei in se, sub propria ratione, id est, vt ipsa disponit ad amorem Dei in se, & propter se; vt patet *in 3. dist. 28. & 29.* quia inclinat primò ad amorem Dei in se, vt patet *ibi*; & habet Deum sub ratione Deitatis pro obiecto, vt patet *vbi suprà, & 27. dist. 1.* & sic potentia habendi charitatem sub ista ratione, *conuenit homini, secundùm rationem specialem, non communem sibi, & sensibilibus; & ideò non est illa potentialitas naturaliter cognoscibilis de homine*, scilicet sub illa ratione speciali, quæ sic respicit charitatem. Et posito, quòd natura humana possit naturaliter cognosci in se, sub ratione propria, non tamen sequitur, quòd possit naturaliter cognosci sub illa relatione, quâ ordinatur ad charitatem, vt ipsa charitas disponit.

34. b *Et ita respondeo.* Dicit Doctor quòd ista responsio est ad propositionem oppositam minoris primæ. Nam minor primæ rationis est: sed homo naturaliter non potest distinctè cognoscere vltimum finem: & opposita minoris est ista: Homo potest naturaliter cognoscere vltimum finem; quod probatum fuit per auctoritatem Augustini, scilicet potens cognoscere hominem, inquantum *potest habere fidem & charitatem*, &c. Sed postea negat istam, sed homo potest cognoscere naturam humanam naturaliter, inquantum ordinatur ad fidem, &c. *Sed inquantum adducitur contra illam responsionem*, &c. Dicit Doctor quòd auctoritas August. potest immediatè adduci contra minorem primæ rationis. Et patet responsio, vt *suprà*. Vel potest adduci contra responsionem datam ad primam rationem, factam contra conclusionem Doctoris, quæ dicit quòd illa ratio benè concludit, hominem naturaliter posse cognoscere suum finem naturalem, non autem supernaturalem. Modò auctoritas August. potest adduci ad concludendum etiam de fine supernaturali, & inquantum sic adducitur, Respondet Doctor ibi: *Concedo Deum esse finem naturalem hominis.* Hoc sic debet intelligi: Deus sub ratione Deitatis est finis naturalis hominis, id est, ad quem naturaliter inclinatur; sed talis finis non potest naturaliter attingi, id est, intellectus ex puris naturaliter non potest ipsum Deum cognoscere distinctè, nec cognitione intuitiua, nec cognitione abstractiua.

Quomodo Deus sit finis naturalis hominis.

35. *Dubium.* c *Et hoc probat ratio sequens de desiderio naturali, quam concedo.* Sed videtur quòd ratio Doctoris de desiderio naturali, non sit soluta: quia licèt homo, pro statu isto, non possit se cognoscere naturaliter, sub illa ratione, quâ naturaliter inclinatur ad vltimum finem, quia nec seipsum distinctè, vt patet *suprà*: tamen ratio videtur concludere, quòd saltem anima separata possit cognoscere vltimum finem distinctè; quia distinctè cognoscit seipsam: ergo & inclinationem naturalem ad vltimũ finem, cùm illa nihil addat supra naturã animæ, vt patet ex Doctore *in 4. d. 49.*

Dico breuiter, quòd non cognoscit distinctè, & sub ratione propria, illam inclinationem naturalem, vt terminatam ad vltimum finem; quia talis non potest perfectè cognosci, nisi vltimus finis, ad quem terminatur, distinctè præcognoscatur.

d *Ad aliud negandum est illud quod assumitur.* Hîc Doctor ex hoc negat hominem, pro statu isto, posse cognoscere vltimum finem sub ratione propria, quia sub obiecto intellectus ipsius non continetur talis finis, vt patet in litera. Et videtur innuere, quòd si pro statu isto haberet ens, inquantum ens, pro obiecto adæquato, posset naturaliter cognoscere vltimum finem, sub ratione propria.

Homo pro statu isto non potest cognoscere finem vltimum sub ratione propria.

Circa aliqua dicta Doctoris sunt aliquæ difficultates. Prima in hoc quod dicit: *licèt mens sit eadem sibi, non tamen pro statu isto est proportionabilis sibi, in ratione obiecti intelligibilis*, hoc enim videtur repugnare, ponere animam perfectè præsentem intellectui, & non posse cognosci ab illo, cùm ad cognitionem nihil aliud requiratur, nisi præsentia obiecti, vel in se; vel in specie intelligibili: hoc enim facit perfectam memoriam, vt patet ex Doctore, infrà *dist. 2. par. 2. quæst. 3. & dist. 3. q. 7.* Si ergo anima est in se præsens intellectui proprio, poterit in eo causare speciem intelligibilem sui, & sic abstractiuè intelligi: sicut etiam essentia Angeli, vt præsens intellectui suo, potest saltem in eo partialiter causare speciem intelligibilem; vt patet ex Doctore *in 2. dist. 3. quæst. 11.* Si etiam in se præsens potest intuitiuè cognosci, cùm ibi tantùm requiratur præsentia obiecti in se; vt patet ex Doctore infrà *dist. 1. quæst. 2. dist. 8. quæst. 3.* Nec valet dicere, quòd non est præsens in ratione obiecti intelligibilis; quia quæro quid sit esse præsens in ratione obiecti intelligibilis? Si in cognitione abstractiua, sufficit species intelligibilis; si in intuitiua, sufficit præsentia in se: & si aliquid aliud requiratur, assignetur illud, secundùm enim Doctorem obiectum dicitur esse præsens in ratione obiecti intelligibilis, quando intellectus, & tale obiectum sic sunt sufficienter approximata, quòd nullum apparet impedimentum, quin actio sequatur. Nec oportet fugere ad sensibilia; quia intellectus in cognoscendo non dependet à sensibus. Et quamuis secundùm Doctorem infrà *dist. 3. quæst. 1.* prima motio sit à sensibilibus, non tamen sequitur quòd facta prima motione, quin possit se intelligere, propter perfectam præsentiam. 36. *Dubia.*

Ad istam instantiam dico breuiter, quòd & si anima sit intellectui proprio perfectè præsens (cùm sint idem realiter) non tamen est præsens in ratione obiecti intelligibilis actu (quod tunc est, quando potest mouere potentiam ad sui cognitionem; vel aliorum, virtualiter, vel essentialiter contentorum in eo, vt habet rationem obiecti intelligibilis) & nulla alia ratio assignari potest, nisi quia Deus ordinauit intellectum nostrum nihil pro statu isto posse naturaliter intelligere, nisi sensibilia in se, vel essentialiter, vel virtualiter inclusa in sensibilibus: vt patet ex Doctore infrà, *dist. 3. quæst. 3.* non tamen sibi repugnat, nec vt est in se, quia separata à corpore perfectè intelligit; nec vt in corpore absolutè; quia vt in corpore glorioso, perfectè intelligit se. Est ergo ex sola *Responsio.*

Quare anima non cognoscit se intuitiuè.

ordinatione diuina, quæ disposuit tantùm cooperari sensibilibus ad motionem intellectus; non autem insensibilibus.

37. *Dubium.* Secunda difficultas est circa hoc quod dicit, *per actus, quos experimur, concludimus potentiam respicere, tale ens pro obiecto.* Ex hoc infero, quòd tunc per talem actum concludimus naturaliter, vltimum finem esse conuenientem nobis. Patet, quia ex cognitione entis imperfecti, intellectus appetit naturaliter cognoscere perfectissimum; quia tantùm in illo perficitur. Secundò ex actibus arguitur, quòd intellectus habet naturale desiderium ad omne ens: ergo ad perfectissimum ens: ergo ex actibus potest scire perfectissimum ens esse obiectum conueniens sibi. Habet etiam naturalem inclinationem ad omnem cognitionem; vt patet infrà, *præsenti quæst.* & hoc cognoscit se habere talem inclinationem per actus suos ad perfectissimam cognitionem, quæ est de perfectissimo obiecto. Patet, quia quacunque aliâ positâ, & istâ non positâ, non quietatur: ergo si per actus nostros concludimus, tale obiectum esse conueniens potentiæ, concludimus etiam de infinito.

Responsio. Respondeo ad primum, concedendo quòd cognito ente imperfecto, habet desiderium ad cognoscendum perfectissimum: non tamen sequitur quòd sub ratione perfectissima; nisi priùs probetur, quòd talis cognitio possit conuenire homini; quod naturaliter probari non potest. Concesso etiam, quòd sit ei possibile, sic appetere cognoscere etiam intuitiuè illud, negatur tamen quòd propterea intellectus per actum suum possit naturaliter cognoscere, se habere tale desiderium, sub illa ratione, quâ inclinatur ad illud. Ad secundum dico, quòd illa propositio non intelligitur de quacunque cognitione, scilicet quòd inclinetur naturaliter ad cognitionem perfectissimam cuiuscunque entis: & posito quòd sic inclinetur, non tamen ad intuitiuam primi entis; nisi probetur illam esse possibilem homini. Posito etiam quòd sic inclinetur, non sequitur quòd intellectus per actum suum possit naturaliter cognoscere sic se inclinari. Hoc idem dico ad illam propositionem Doctoris, scilicet quòd intellectus naturaliter inclinatur ad omnem cognitionem, & quacunque naturaliter perficitur.

Intellectus habet inclinationem ad obiectum cognoscendum, sed non habet potẽtiam illud pertingendi.

38. *Apparens contradictio.* Tertia difficultas est in hoc, quod videtur concedere respondendo ad Auerroëm, quòd si intellectus haberet ens, inquantum ens, pro obiecto adæquato: quòd naturaliter posset in quodcunque ens: & sic naturaliter posset cognoscere vltimum finem: & in hoc videtur sibi contradicere: quia dicit expresè quòd *intellectus separatus non potest ex puris naturalibus distinctè cognoscere vltimum finem in se:* vt patet *quæst.* 14. *Quodl. & d.* 3. *q.* 9. 2. Et tamen concedit ipse, quòd *Ens inquantum ens, est obiectum adæquatum intellectus nostri*; & hoc ex natura intellectus: vt patet infrà *dist.* 3. *quæst.* 3. *& dist.* 1. & alibi: ergo ex puris naturalibus potest cognoscere Deum sub ratione Deitatis.

Solutio. Respondeo, quòd ista stant simul, quòd intellectus habeat ens, inquantum ens, pro obiecto adæquato; & quòd naturaliter non cognoscat quodlibet ens contentum; quia ad cognitionem obiecti non tantùm requiritur potentia, sed etiam requiritur præsentia obiecti, vel in se, vel in aliquo repræsentatiuo, vt patet infrà *dist.* 3. *quæst.* 6. Et etiam requiritur quòd tale obiectum concurrat actiuè ad cognitionem illam, vel aliquid supplens vicem obiecti: vt patet infrà *dist.* 3. *quæst.* 7. *& in Quodlib. quæst.* 14. *&* 15. Sed tamen ista conceditur: Potest cognoscere ens, inquantum ens, vt adæquatum obiectum intellectus: ergo potest cognoscere quodlibet contentum: sed in proposito negatur quòd intellectus separatus possit cognoscere ens, inquantum ens naturaliter, licèt habeat ens, inquantum ens, pro obiecto adæquato.

Si dicatur per dictum Doctoris in ista quæstione, quòd *Cui naturaliter nota est aliqua potentia, ei naturaliter notum est obiectum illius potentiæ.* Cùm ergo intellectus separatus naturaliter cognoscat seipsum, sub ratione propria, & distinctissima; ergo naturaliter notum erit ei ens, inquantum ens, cùm sit eius obiectum adæquatum. 39. *Alia contradictio.*

Solutio. Dico, quòd ista propositio debet sic intelligi: si alicui nota est aliqua potentia sub ratione distincta; & sub illa ratione, quâ respicit obiectum adæquatum; ei notum erit tale obiectum. Sed in proposito licèt intellectus separatus cognoscat se ipsum, sub ratione distinctissima, non tamen sub illa ratione, quâ respicit ens, inquantum ens, sub ratione adæquata. Et sic patet quomodo Doctor sibi non contradicit.

e *Quod autem additur*, &c. Actus primus, pro nunc, est principium operationis: actus secundus est operatio. Et in proposito, intellectus est sufficiens principium producendi cognitionem sui, nisi impediatur: modo pro statu isto impeditur exire in cognitionẽ sui, sub ratione propriã; quia, pro statu isto, natus est tãtùm moueri à sensibilibus, vt dixi *suprà*. Et est simile sicut de colore, qui est sufficiens principiũ mouendi potentiã visiuã: & moueret, nisi impediretur. Sic intellectus est sufficiẽs principium causandi cognitionem sui: & statim causaret, nisi impediretur. Impeditur autẽ pro statu isto, vt dixi: & sic patet expositio ista. 40.

Intellectus tantùm mouetur à sensibili.

f *Si obiiciatur contra ista: Homo in statu*, &c. Respondet Doctor quòd oporteret scire qualis fuerit cognitio ipsius: sed in præsenti loquitur de homine, pro statu naturæ lapsæ. Dico etiam, quòd posito, quòd Adam potuerit distinctè cognoscere naturam suam absolutè, non tamen sequitur quòd naturaliter potuerit illam cognoscere, sub illa ratione, qua ordinatur ad vltimum finem: quia etiam hoc fortè negaret Doctor, vt patet *in Quodlib. quæst.* 14. nisi fortè dicatur, quòd aliud est cognoscere naturaliter *A* esse vltimum finem; & aliud est ipsum *A* distinctè cognoscere in se: licèt ergo Angelus non possit naturaliter cognoscere vltimum finem distinctè, & in se; puta Deum sub ratione Deitatis, vt probat *in Quodlib. vbi suprà*: fortè tamen potest naturaliter cognoscere ipsum Deum, vt clarè visum, esse vltimum finem, & perfectissimam beatitudinem, natam conuenire creaturæ rationali: & fortè etiam hoc potuit cognoscere Adam naturaliter, licèt nec Angelus, nec Adam potuerint illum naturaliter in se cognoscere, & distinctè, nec intuitiuè, nec abstractiuè. 41.

g *Item contra responsionem ad rationem vltimam*, &c. Concedit Doctor quòd pro statu isto *non habetur cognitio, ita distincta de anima, vel potentia animæ*, &c. sed tantùm à posteriori arguimus potentiam respicere tale pro obiecto: quia experimur in nobis tales actus terminari ad tale, & tale obiectum: *sed de obiecto supernaturali neutram cognitionem possumus habere*, scilicet, nec per cognitionem potentiæ, nec per actum; quia non experimur in nobis, aliquam cognitionem terminari 42. *Quid sit obiectum potentia quomodo cognoscitur.*

minari ad obiectum supernaturale: *ideò deficit ibi vtraque via*, &c. scilicet per cognitionem naturæ in se, & per actus nostros.

Nota. Sed nota in responsione, in qua dicit, quòd *cognitio vltimi finis excedit facultatem naturalem naturæ, scilicet lapsæ*; quasi velit inferre, quòd non excedit facultatem naturæ institutæ, cuius tamen oppositum tenetur; quia nec Angelus ex puris naturalibus potest habere talem cognitionem, vt dixi. Dico, quòd Doctor non intendit inferre, quòd natura instituta hoc possit; sed quia in præsenti quæstione tantùm loquitur de natura lapsa, ideò non est præsentis speculationis de natura instituta: an possit ex puris naturalibus, &c. Et sic patet responsio.

h Ibi: *Ad argumentum contra secundam rationem patet, quia supponit quoddam negatum*, scilicet, quòd finis vltimus cognoscatur naturaliter, & similiter quòd cognoscatur ordinatum ad talem finem, sub propria ratione. *Ad confirmationem*, &c. Nota, quòd media, ex natura rei sunt illa, quibus absolu tè positis, ponitur finis: quibus non positis, impossibile est finem poni, vt patet de agente naturali, quod non potest immediatè inducere animam intellectiuam, nisi priùs transeat per omnia media, quia priùs acquiritur vegetatiua, & pòst sensitiua. Sed media ad placitum sunt illa, quæ si etiam non ponantur, finis absolutè posset acquiri. Patet, quòd non sic media ex natura rei requirantur, quia sicut Deus ordinauit dare beatitudinem per merita, ita potuisset dare sine aliquo merito, vt patet à Doctore in pluribus locis. Sunt ergo merita præcisè media ad placitum diuinæ voluntatis.

Medium ex natura rei quid sit, & medium ad placitum.

SCHOLIVM.

Adducit tertium argumentum contra sententiam Philosophorum positam num. 3. quia naturaliter non possumus habere notitiam proprietatum substantiarum separatarum, quarum cognitio est nobilissima: ergo alia scientia necessaria est. Antecedens probat auctoritate Aristot. & ratione, quia de Deo, vt trinus, non possumus habere scientiam à priori, & scientia ab effectu potiùs ducit nos in errorem, scilicet Deum non esse trinum. Obiicit contra hanc rationem, quæ solùm procedit de prima substantia separata, & soluit obiectionem, explicans optimè quomodo ex notitia terminorum, quos naturaliter cognoscimus, non sequatur, quòd eorum complexio sit nobis euidens.

Tertiò,[i] arguitur principaliter contra opinionem Philosophorum 6. *Metaphysicor.* Cognitio substantiarum separatarum est nobilissima, quia est circa nobilissimum genus: ergo cognitio eorum, quæ sunt propria eis, est maximè nobilis, & necessaria: nam illa propria eis, sunt nobiliora, & perfectiora cognoscibilia, quàm illa, in quibus conueniunt cum sensibilibus; sed illa propria non possumus cognoscere ex puris naturalibus. Probo, quia si in aliqua scientia naturaliter possibili, traderentur hæc propria, hoc esset in Metaphysica: sed ipsa non est possibilis naturaliter à nobis haberi de propriis passionibus istarum substantiarum separatarum; vt patet dupliciter, & primò sic: quia illa non includuntur virtualiter in primo subiecto Metaphysicæ, scilicet in ente. Hoc etiam est quod dicit Philosophus 1. *Metaphysicor.* quòd *oportet sapientem omnia cognoscere aliqualiter*, scilicet in vniuersali, & non in particulari. Et subdit; *qui enim nouit vniuersalia, nouit aliqualiter omnia subiecta.* Sapientem autem vocat Metaphysicum, sicut Metaphysicam probat ibi esse sapientiam.

14. *Tertium argumentũ principale.* Text.c.2.

Scientia dicitur nobilissima interdum à nobilitate obiecti, interdum à nobilitate modi considerandi. In procem.

Secundò[k] probo ratione; quia non cognoscuntur talia, cognitione *propter quid*, nisi cognoscantur propria subiecta, quæ subiecta includunt talia *propter quid*; sed propria subiecta eorum non sunt à nobis naturaliter cognoscibilia: ergo, &c. Nec[l] cognoscuntur illa propria eorum *demonstratione quia*; videlicet ex effectibus. Quod probatur; nam effectus, vel relinquunt intellectum dubium, quo ad ista, vel adducunt in errorem; quod apparet ex proprietatibus primæ substantiæ immaterialis in se. Proprietas enim naturæ eius est, quòd sit communicabilis tribus: sed effectus non ostendunt istam proprietatem, quia non sunt ab ipso, inquantum trinus.

Nec à priori, nec à posteriori Trinitas est à nobis cognoscibilis naturaliter.

Et si ab effectibus arguatur ad causam, magis ducunt in oppositum, & in errorem: quia in nullo effectu inuenitur vna natura numero, nisi in vno supposito. Proprietas etiã istius naturæ ad extrà, est causare contingenter: & ad oppositũ huius, magis deducunt effectus in errorẽ, sicut patet per opiniones Philosophorum ponentiũ primum necessariò causare.

Loquitur secundùm Philos. quia ex effectu oppositum colligit 1. d. 2. q. 2. & d. 8. q. vlt. & d. 39.

De proprietatibus etiam aliarum substantiarum patet hoc idem; quia effectus magis ducunt in sempiternitatem, & æternitatem, & necessitatem earum, quam in contingentiam, & nouitatem. Similiter videntur Philosophi ex motibus concludere, quòd numerus istarum substantiarum separatarum sit secundùm numerum motuum cœlestium. Similiter, quòd illæ substantiæ sunt naturaliter beatæ, & impeccabiles, sicut Philosophi posuerunt: quæ omnia absurdissima sunt.

12. Met. t. c. 42.

Contra istam[m] rationem arguo, & probo quòd quæcunque necessaria de substantiis separatis, cognoscuntur à nobis nunc per fidem, siue per communem reuelationem, possunt cognosci cognitione naturali.

15. Henricus in sum.

Et hoc sic: Quorumcumque necessariorum reuelatorum terminos naturaliter cognoscimus, & illa possumus naturaliter comprehendere; sed omnium necessariorum reuelatorum terminos naturaliter cognoscimus: ergo, &c. Probatio maioris; illa necessaria, aut sunt mediata, aut immediata. Si immediata: ergo cognoscuntur cognitis terminis 1. *Posteriorum*. Si mediata; ergo cùm possumus cognoscere extrema, possumus concipere medium inter ea, & tunc coniungendo illud medium cum vtroque extremo, aut habentur præmissæ mediatè, aut immediatè. Si immediatè, idem quod priùs. Si mediatè, procedemus concipiendo medium inter extrema, & coniungendo cum extremis, quousque veniamus ad immediata: igitur tandem veniemus ad necessaria immediata, quæ intelligemus ex terminis, ex quibus sequuntur omnia necessaria mediata: ergo ista mediata per immediata scire poterimus naturaliter. Probatio minoris principalis; quia habens fidem, & non habens fidem, contradicentes sibi inuicem, non contendunt de nominibus tantùm, sed de conceptibus: sicut cùm Philosophus, & Theologus contradicunt de ista, *Deus est trinus*; vbi non tantùm idem nomen, sed eundem conceptum vnus negat, & alius affirmat: ergo omnem conceptum simplicem, quem iste habet, & ille habet.

T.com.6.

16. *Responsio ad argumentum.*

Ad istud [n] respondeo, de substantiis separatis sunt aliquæ veritates immediatè. Accipio tunc aliquam veritatem talem primam, & immediatam, & sit *A*. in ista includuntur multæ veritates mediatæ, puta omnes, quæ particulariter enunciant communia ad prædicatum, de communibus ad subiectum; dicantur *B C*. Ista vera mediata non habent euidentiam, nisi ex illa immediata: ergo non sunt nata sciri, nisi ex ista immediata intellecta. Si igitur aliquis intellectus possit intelligere terminos *B C*, & componere eos ad inuicem, non autem posset intelligere terminos *A*, nec per consequens ipsum *A B*. Sed tunc erit intellectui suo propositio neutra. Ita est de nobis, quia conceptus quosdam communes habemus de substantiis immaterialibus, & materialibus, & istos possumus ad inuicem componere. Sed istæ complexiones non habent euidentiam, nisi ex veris immediatis, quæ sunt de illis quiditatibus sub ratione propria, & speciali, sub qua ratione non concipimus istas quiditates; & ideò nec scimus illas veritates generales de conceptibus generalibus.

Scimus complexionem terminorũ, ignoramus tamen euidentiam eorum.

Exemplum, si impossibile est alicui concipere triangulum sub propria ratione, potest tamen abstrahere rationem figuræ à quadrangulo, & eam concipere: impossibile est etiam sibi concipere primitatem, vt est propria passio trianguli, quia sic non concipitur, nisi vt abstrahitur à triangulo: tamen potest primitatem abstrahere ab aliis primitatibus, puta in numeris. Iste intellectus, licèt posset formare hanc complexionem, *aliqua figura est prima*, quia terminos eius potest apprehendere: tamen illa compositio formata erit sibi neutra, quia ista est mediata, inclusa in ista immediata, *triangulus est sic primus*; & hanc immediatam non potest intelligere, quia nec terminos eius: ideò mediatam non potest scire, quæ ex hac immediata tantùm habet euidentiam.

Aristot. 1. *Post. c.* 13. 35. & 36.

Per hoc [o], ad argumentum, nego maiorem. Ad probationem, dico, quòd illa necessaria sunt mediata. Et cùm dicis: igitur cùm possumus cognoscere extrema, possumus concipere medium inter extrema; nego consequentiam; quia medium inter extrema quandoque est essentialiter ordinatum, puta *quod quid est* alterius extremi, vel passio prior respectu posterioris passionis; & tale est medium ad concludendum vniuersaliter extremum de extremo.

Medium duplex, essentialiter ordinatum, & particulare contentum.

Concedo [p] igitur, quòd quicunque potest intelligere extrema, potest intelligere tale medium inter talia extrema; quia intellectus eius includitur in altero extremo, si est passio: vel est idem alteri, si est *quod quid est* alterius extremi: si autem medium sit particulare contentum sub altero extremo, & non essentialiter ordinatum inter extrema; tunc non oportet, quòd potens concipere extrema generalia, possit concipere medium particulare ad illa extrema generalia. Ita est hìc, nam ista quiditas sub ratione propria, & particulari habens passionem, aliquam sibi immediatè inhærentem, est medium inferius ad conceptum sibi communem, de quo dicitur illa passio in communi accepta: & ideò non est medium vniuersaliter inferens passionem de communi, sed tantùm particulariter. Hoc patet in exemplo illo, quia non oportet, quòd potens concipere figuram in communi, & primitatem in communi, possit concipere triangulum in particulari; quia triangulus est medium contentum sub figura; medium, inquam, ad concludendum primitatem particulariter de figura.

Hæc ratio tertia [q] potissimè concludit de prima substantia immateriali; quia eius tanquam obiecti beatifici, potissimùm est cognitio necessaria. Et tunc responsio ista ad obiectio

obiectionem contra ipsam, supponit quòd nunc naturaliter non concipimus Deum, nisi in conceptu generali, communi sibi & sensibilibus: quod inferiùs *dist.* 3. *quæst.* 1. exponetur. Si etiam negetur illud suppositum, adhuc oportet dicere, conceptum, qui potest fieri de Deo, virtute creaturæ, esse imperfectum: qui autem fieret virtute ipsius essentiæ, esse perfectum. Sicut ergo dictum est de conceptu generali, & speciali: ita dicatur secundùm aliam viam de imperfecto, & perfecto conceptu. *Quomodo Deus à nobis concipiatur pro statu isto?*

Contra autem conclusionem principalem posset sic argui: Pono quòd sit aliquis adultus non baptizatus, & quòd non habeat aliquem docentem, habeat tamen bonos motus, quales potest habere, conformes scilicet rationi rectæ naturali, & caueat ea, quæ naturalis ratio ostendit sibi esse mala; licèt Deus de communi lege talem visitaret, docendo per hominem, sicut Cornelium visitauit; pono tamen, quòd non doceatur ab aliquo, ille saluabitur. Similiter licèt postea doceatur, tamen priùs est iustus, & ita tunc dignus vitâ æternâ: quia per bona velle *præcedentia doctrinam, meretur gratiam, quâ est iustus. Non tamen habet Theologiam, etiam quantum ad prima credibilia: sed tantùm cognitionem naturalem: ergo nihil Theologiæ est simpliciter necessarium ad salutem.* ADDITIO. Vide inferiùs dist. 3. q. 3. Act. 10. Similem casum ponit D. Th. q. 14. de veri. a. 11. de puero educato in silуis.

Posset dici, quòd iste per bona velle *ex genere de congruo meretur iustificari ab originali, & Deus non subtrahit liberalitatis suæ munus ab eo, sed dat sibi primam gratiam sine sacramento, quia non est alligatus sacramentis. Et tunc gratia non datur sine habitu fidei Theologiæ, ita quòd habet habitum Theologiæ, licèt non posit exire in actum, sicut nec baptizatus, nisi instruatur. & licèt non sit contradictio. gratiam dari sine fide, (cùm sint habitus distincti, & in diuersis potentiis:) tamen sicut in baptismo ponitur simultas in infusione, ita in proposito potest poni simultas in casu isto. Non enim minùs gratiosus est Deus illi, quem propter meritum de congruo iustificat sine sacramento, quàm illi, quem sine omni merito proprio iustificat in susceptione sacramenti: sed posibile est Deo, de potentia absoluta, quemlibet saluare, & etiam facere, quòd mereatur gloriam sine fide infusa, si sine illa det gratiam, quâ habens benè vtatur quantum ad velle, quod potest habere secundùm naturalem cognitionem & fidem acquisitam: vel sine omni fide acquisita si doctor desit: sed de potentia ordinata non tenetur sine fidei habitu præcedente: quia sine illa non ponitur gratia infundi. Non tamen propter indigentiam quasi sine illa non sufficeret: sed propter liberalitatem diuinam, quæ totum reformat intus hominem. Minus etiam perfectè esset homo dispositus, quantum ad assensum quorundam verorum sine fide infusa. Et sicut in hoc, ita proportionabiliter de habitu Theologiæ, qui perfectus existens includit fidem infusam, & acquisitam articulorum, & aliorum reuelatorum à Deo in scriptura, ita quòd non est tantùm hîc infusa, nec acquisita tantùm, sed simul ambæ. Est igitur Theologia necessaria, loquendo de potentia ordinata, & loquendo de principali habitu, sine priori pertinente ad Theologiam, quæ est fides infusa: & hoc generaliter, quantum ad omnes, non sic autem quantum ad secundum habitum, quem includit, qui est fides acquisita: sed fortè de potentia ordinata est necessaria in adulto potente habere doctorem, & eum intelligere, & hoc, quantum ad aliquorum generalium fidem acquisitam.*

Elicita scilicet ex gratia actuali iuxta axioma, facíeti quod in se est, &c.

Deus de potentia absoluta potest quemlibet saluare.

Quomodo Theologia dicatur necessaria?

COMMENTARIVS.

1. i TErtiò principaliter, &c. Arguit Doctor contra opinionem Philosophorum, probando, quòd via naturali non possumus acquirere cognitionem vltimi finis, maximè necessariam agentibus propter illum finem.

Hîc aduerte, quòd Doctor non intendit probare per hanc rationem tertiam, quòd naturaliter non possumus cognoscere primam substantiam in se, & sub ratione propria, & sub proprietatibus sibi tantùm competentibus; quia etiam hoc negat de ipso Angelo, vt patet *q.* 14. *Quolib.* Hoc etiam patet per illud, quod dicit ibi: *Contra tres rationes simul*, &c. sed intendit probare, quòd via naturali non possumus concludere, quòd prima substantia sit vltimus finis noster, sub illis proprietatibus, quæ sibi tantùm conueniunt, cùm omnino ignoremus illas, vt puta quòd beatificat vt in tribus personis, vel quòd beatificat tantùm contingẽter. Si enim naturaliter concludimus hoc, etiam naturaliter possumus concludere, primam substantiam esse vnam in tribus; vel agere merè contingenter, licèt non possimus naturaliter illam cognoscere in se: & hoc est quod Doctor intendit in ista tertia ratione. Si enim Deus, vt in tribus tantùm beatificat, oportet priùs scire quòd prima substantia sit trina, & vna; licèt hoc in se non cognoscatur: & secundò, quòd vt sic, sit obiectum conueniens creaturæ rationali, vt huiusmodi. Et sic primò adducitur prima ratio ibi: *Cognitio substantiarum separatarum est nobilissima*, &c.

Vt ista ratio clariùs intelligatur, Præsuppono primò, quòd vltimus finis hominis est beatificatiuus, sub ratione nobilissima. Cognitio enim nobilissima debet esse de nobilissimo obiecto, sub ratione nobilissima. Patet, quia ponimus cognitionem substantiarum separatarum esse nobilissimam; quia circa nobilissimum genus, vt patet 6. Met. t. c. 2. *Honorabilissimam*, inquit, *scientiam oportet circa honorabilissimum genus esse.* Hæc ille. Ergo erit de prima substantia principaliter, sub ratione nobilissima, quod est ipsam cognoscere, non præcisè in conceptibus communibus nobis, & sensibilibus, sed proprietatibus, quæ tantùm ei conueniunt: & præcipuè ipsam cognoscere sub ratione propria, vt patebit infrà, *quæst.* 3. 2.

Secundò præsuppono, quòd voluntas hominis, si

si rectè vult beatificari, debet velle illum finem, sub illa ratione, quâ verè est beatificatiuus. Sed non potest ipsum velle sub tali ratione, nisi vt sic præcognoscatur, & præostendatur sibi ab intellectu; sed intellectus, pro statu isto, non potest cognoscere vltimum finem, sub ratione nobilissima: ergo ad hoc, vt voluntas possit agere propter illum, est ei necessaria cognitio talis finis. Et quòd non possit haberi via naturali, patet probatio in litera Doctoris duplici via. Prima, quia si propria substantię separatæ, via naturali possent cognosci, præcipuè talis cognitio tradita esset in Metaphysica; sed hoc non, vt claret ex litera Doctoris, quia huiusmodi propria non includuntur virtualiter in primo subiecto Metaphysicæ, vt patebit infrà, *quæst. præsenti*, tractat enim de omnibus in communi, non in particulari.

3. *Dubitatio.* Sed hîc occurrit dubium, quia Doctor vult quòd subiectum Metaphysicæ sit ens, inquantum ens; vt patebit infrà, *d. 3. q. 2. & in sua Metaphysica.* Tunc arguo sic: Perfectus Metaphysicus perfectè cognoscit subiectum Metaphysicæ; ergo perfectè cognoscit ens, inquantum ens. Probatur consequentia; quia per Doctorem vbi suprà, *Quod est subiectum adæquatum Metaphysicæ, est obiectum adæquatum intellectus.* Tunc vltrà, si naturaliter potest cognoscere ens, inquantum ens: ergo naturaliter potest cognoscere quodlibet contentum: vt suprà deduxi.

Responsio. Respondeo, quòd eo modo, quo quis est perfectus Metaphysicus, eo modo cognoscit subiectum Metaphysicæ; & cùm perfectus Metaphysicus versetur præcipuè in cognitione valde vniuersalium, ideò Metaphysicus cognoscit ens, inquantum ens, demonstrando de ipso passiones vniuersales, siue incomplexas, vt *vnum, bonum*, &c. siue disiunctas, vt *actus, vel potentia; finitum, vel infinitum; vnum, vel multa*, &c. Nam Metaphysicus maximè considerat ista vniuersalia, abstracta tamen à sensibilibus. Et quando dicitur quòd Metaphysicus cognoscit ens inquantum ens, concedo quòd cognoscit illud inquantum est subiectum Metaphysicæ: quia vt sic, ens, inquantum ens, dicit vnum conceptum realem communem omni enti, & indifferentem, & ex hoc non sequitur, quòd cognoscat quodlibet contentum. Et quando dicitur, quòd est adæquatum subiectum Metaphysicæ, est adæquatum obiectum intellectus, dico quòd hoc non est verum quo ad omnia, est enim verum quo ad hoc, quòd sicut subiectum Metaphysicæ est commune omni enti reali, & prædicatur in quid de illis, vel saltem est prædicatum vniuocum: sic & obiectum intellectus. Sed non est verum quantum ad hoc, quòd sicut quodlibet ens, inquantùm ens, est obiectum intellectus, quòd similiter quodlibet ens sit subiectum Metaphysicæ. Et ideò ly *inquantum* stat specificatiuè, quando dicimus ens, inquantum ens, est subiectum Metaphysicæ, quia tantùm specificat rationem formalem entis, id est, ens sumptum in sua ratione formali, & quiditatiua, non descendendo ad aliquod inferius, est subiectum Metaphysicæ; sed stat reduplicatiuè, quando dicimus ens, inquantum ens, est obiectum adæquatum intellectus: & sic ly *ens* non solùm accipitur in sua ratione formali; sed etiam accipitur pro quolibet ente contento, vt patet infrà, *d. 3.*

Ens dicit vnum conceptum realem.

Ens inquantùm ens, stare potest reduplicatiuè & specificatiuè.

4. *Secundò probo ratione*, &c. Nam nulla proprietas demonstratur de aliquo subiecto *propter quid*, nisi præcognoscatur de subiecto quid sit; vt patet 1. Post. Et definitio subiecti est medium demonstrandi *propter quid*; vt patet 2. *Post.* Et si subiectum non habet definitionem, tunc entitas subiecti est ratio demonstrandi proprietatem de illo; vt patebit ex Doctore *in quæst. de subiecto Theologiæ.* Sed in proposito, homo pro statu isto non potest cognoscere primam substantiam in se, vt patet. Tum, quia nec aliquam substantiam creatam, sub ratione propria; ergo multò minùs increatam. Tum, quia prima substantia est obiectum tantùm voluntarium: vt patet ex Doctore *in Quolib. q. 14. & alibi.* Tum quia quæ maximè sunt remota à sensibus nostris, sunt difficillima ad cognoscendum; vt patet *in proœmio Metaphys.* & sic patet ratio Doctoris, quomodo pro statu isto, homo non potest cognoscere aliquam proprietatem de substantiis separatis, & hoc *propter quid.*

Substantia prima est obiectum voluntarium.

I Deinde probat quòd nec etiam potest cognoscere *demonstratione quia*, scilicet, ab effectu ad causam; quia effectus magis ducunt in errorem: & litera satis clara est. Et quod dicit ibi, quòd *effectus non sunt ab ipso Deo, inquantùm trinus.* Hoc dicit propter vnitatem rationis formalis; quia ratio formalis producendi omnes effectus, in Deo est tantùm vna: ideò dicit Doctor *d. 4. q. 1.* quòd ista est vera: *Deus creat*, intelligendo subiectum pro hoc Deo existente in natura diuina; non intelligendo aliquod suppositum in illa natura, vel incommunicabile: quia incommunicabilitas non est ratio talium actuum. Cætera patent.

Effectus non sunt à Deo vt trinus est.

Circa aliqua dicta Doctoris dubitatur. Primò circa hoc, quod dicit, *Proprietas prima naturæ ad extra est causare contingenter:* & ad oppositum huius, *magis effectus ducunt in errorem.* Contra, videtur enim sibi contradicere; quia *q. 2. d. 2. huius*, probat per effectum, primum agere contingenter. Hoc idem *d. 8. q. vlt. & d. 39.* vbi dicit *d. 8.* quòd aliquæ illarum rationum non possunt solui à Philosophis: & præcipuè illa, quæ accipitur *d. 2. & 39. primi*, quæ procedit ab effectu. 5. *Dubium.*

Responsio. Dico primò, quòd illa ratio probat, primum agere contingenter, supponendo, quòd sit ordo essentialis inter causam primam, & secundam (quod fortè non est notum naturaliter, vt ipse dicit *in Theorem. Conclusione 16 Non potest*, inquit, *probari ordinem essentialem esse in efficientibus*, & aliam propositionem etiam ibi adducit: *Non potest*, inquit, *probari Deum coagere omni causæ secundæ aliqua actione propria sibi*) & ideò si negaretur ordo essentialis; per effectum contingenter productum non posset probari, primum agere contingenter.

Ordo essentialis non naturaliter est notus inter primam, & secundam causam.

Dico secundò, quòd si teneretur, quòd voluntas creata sit totalis causa sui actus, non concurrente prima causa, vt videtur tenere vna opinio recitata à Doctore *in 2. dist. 37.* tunc ratio Doctoris *dist. 2.* non probaret Deum agere contingenter. Supponit ergo in illa ratione, voluntatem creatam dependere à primo ente, tam in esse, & conseruari, quàm etiam in agendo; & quòd voluntas creata non sit totalis causa sui actus, per remotionem primæ causæ. Dico tertiò, quòd Doctor in præsenti quæstione non dicit absolutè, quòd effectus ducit in errorem, videlicet in necessitatem agendi in primo ente: sed hoc tantùm dicit secundùm opinionem Philosophorum.

Et si dicatur, Philosophi supponunt ordinem essentialem causarum: ergo per rationem Doctoris *dist. 2.* possumus cognoscere, primũ agere contingenter per effectum, & sic videtur posse concludi, quòd via naturali possumus cognoscere hanc proprietatem de primo ente. Respondeo, 6.

quòd

quòd si illa ratio Doctoris *d. 2.* concludit contra Philosophos, oportet concedere, quòd per effectum possumus cognoscere *demonstratione quia*, primum agere contingenter: & in hoc sibi non contradicit: quia in præsenti quæstione videtur tantùm loqui secundùm opinionem Philosophorum, & *in d. 2.* absolutè loquitur contra Philosophos: sicut etiam *d. 8. q. vlt.*

Scire naturaliter Deum agere contingenter, potest dupliciter intelligi.

Et cùm infertur quòd tunc talis proprietas posset sciri naturaliter: dico quòd hoc potest dupliciter intelligi. Vno modo de aliquo ente primò confusè cognito. Alio modo de primo ente, vt distinctè cognito. Primo modo conceditur: sed secundo modo negatur. Si iterum dicatur: quomodo isti effectus ducunt in necessitatem primi agẽtis, cùm isti effectus inferiores sint tãtùm possibiles? est enim implicatio, causam agere de necessitate, & causatum esse possibile. Dico quòd necessitas primi agentis non probatur per qualemcumque effectum: sed probatur per effectum necessarium, tenendo opinionem Auerrois, & Aristotelis, vt patebit infrà, *dist. 8. quæst. vlt.*

Vel potest dici, & meliùs, quòd secundùm viam Philosophorum, nõ potest esse nouitas in effectu, sine nouitate causæ: & sic à prima causa non potest immediatè produci effectus nouus: & si contingenter ageret, sequeretur quòd à prima causa posset esse effectus nouus, sed de hoc alibi.

7. Si iterum dicatur: Si per rationem naturalem absolutè loquendo, & non præcisè secundùm opinionem Philosophorum, potest cognosci ista proprietas de primo ente, quæ est contingenter agere ad extrà: ergo ista ratio destruitur, qua probatur quòd substantia separata non potest cognosci quantùm ad eius propria.

Dico primò quòd proprietas incomplexa non potest distinctè cognosci de prima substantia, & hoc naturaliter. Dico secundò, quòd posito quòd illa cognoscatur, adhuc ratio Doctoris stat: quia in tali ratione, non intendit absolutè de quacumque proprietate: sed de proprietate perfectissima, secundùm quam primum ens natum est esse obiectum beatificum, vel etiam secundùm quòd beatificatur; quia licèt personæ non sint rationes formales obiecti beatifici, tamen nunquam obiectum illud beatificat, nisi vt in tribus: & talis proprietas via naturali sciri non potest.

8. m *Contra istam rationem*, &c. Arguitur ab Henrico, quia in ista tertia ratione, Doctor probauit, quòd non possumus via naturali distinctè cognoscere aliquam proprietatem de prima substantia; puta quòd sit trina, & vna, & sic de aliis. Nunc specialiter arguit argumento Henric. contra istã, probando, quòd via naturali possumus cognoscere istam propositionem, *Deus est trinus, & vnus:* & sic de aliis veritatibus necessariis. Et ratio stat in hoc; quia si naturaliter possum cognoscere terminos alicuius propositionis necessariæ, possum naturaliter cognoscere illam propositionem; quia talis propositio si est immediata, cognoscitur cognitis terminis: vt patet *1. Posterior. text. comm. 6.* Si verò mediata, tunc cognoscendo terminos, possum cognoscere medium inter illos: & sic coniungere illud medium cum vtroque extremo: & sic habebo duas propositiones immediatas: & per illas cognoscitur mediata. Exemplum, hæc est mediata: *Homo est risibilis*; tum cognoscendo *hominem* distinctè, & *risibile*, distinctè, possum cognoscere medium inter *hominem*, & *risibile*: puta *animal rationale*; & coniungendo illud medium cum risibilitate, habeo istam immediatam: *Animal rationale est risibile*; & cum *homine* à parte prædicati, habeo aliam immediatam, scilicet, *Homo est animal rationale*; & sic statim sequitur ista mediata, *ergo homo est risibilis*. Sic in proposito tu dicis, quòd ista: *Deus est trinus, & vnus*, est tantùm reuelata, & nullo modo naturaliter nota; & ego probo quòd sit naturaliter nota. Et arguo sic: Termini istius propositionis sunt naturaliter noti: patet, quia fidelis, & infidelis non contradicunt de ista veritate (puta quòd fidelis dicit, quòd *Deus est trinus, & vnus:* & infidelis negat) nisi naturaliter cognoscant terminos; quia non disputant de nominibus tantùm: sed de conceptibus significatis per illa nomina, *Deus trinus, & vnus.* Et sic patet quomodo isti termini sunt naturaliter noti. Probatur modò consequentia, scilicet quòd ista propositio, *Deus est trinus, & vnus*, sit naturaliter nota; quia aut est immediata, & tunc cognosco cognitis terminis: aut est mediata, & tunc concipiendo terminos, possum concipere medium inter illos, & coniungere cum extremis, vt dixi *suprà.*

n *Ad istud, respondeo de substantiis separatis*, &c. 9.
Nota primò quòd Doctor in ista propositione, *Deus est trinus, & vnus*, non concedit, quòd termini sub ratione distincta cognoscantur naturaliter: puta quòd Deitas in se, & Trinitas in se: quia si quis cognosceret Deitatem in se distinctè naturaliter, statim posset cognoscere omnem proprietatem de illa naturaliter, vt patuit in tertia ratione: sed benè naturaliter possum cognoscere hunc conceptum, scilicet *Deum*, & similiter *trinum* sic in confuso: puta quòd aliquod ens est trinum, & vnum: fidelis affirmat hoc, & infidelis negat.

Declaratio textus Scoti aliquanto difficilioris.

Modò exponamus literam, quæ habet aliqualem difficultatem. Ibi, *Accipio tunc aliquam veritatem, talem primam, & immediatam*; puta si sit aliqua veritas immediata, & singularis, tunc omnes veritates, quæ particulariter enunciant communia ad prædicatum, de communibus ad subiectum, sunt mediatæ, & habent euidẽtiam ab illa immediata. Exemplum ponamus, quòd hæc sit immediata, scilicet, Franciscus est primò hoc sensibile. A *Frãcisco* possum abstrahere *hominem, animal*, & *substantiam*, quæ sunt communia ad *Franciscum.* Ab *hoc sensibili* possum abstrahere *sensibile in communi: viuens* & *corporeum:* quæ sunt communia ad hoc prędicatum, quod est *hoc sensibile.* Dico tunc quòd possum formare multas propositiones mediatas, quæ habebunt euidentiam ab illa immediatà: puta, *Aliqua substantia est sensibilis: Aliquod animal est sensibile: Aliquis homo est sensibilis.* Nam istæ propositiones mediatæ sunt particulares, & enunciant, siue prædicant communia ad prædicatum propositionis immediatæ, de communibus ad subiectum propositionis immediatæ, vt patet intuenti. Nam cùm dico, *Aliquod animal est sensibile:* ly *animal* est commune ad *Franciscum*: & *sensibile* est commune ad *hoc sensibile.*

Et nota, quòd dicit Doctor, quod huiusmodi propositiones mediatæ, sumptæ ab aliqua singulari immediata, enunciant particulariter, id est, tantùm sunt particulares: quia ab vna immediata singulari, non potest inferri vna mediata vniuersalis. Modò applicando ad propositum, supponamus quòd hæc sit immediata, *Deitas est trina, & vna*, & isti termini sunt nobis naturaliter ignoti, & per consequens & ipsa propositio. Ab ista immediata possunt accipi multæ mediatæ, modo præexposito, puta abstrahendo à Deitate substantiam, 10.

vel

vel ens, quæ sunt communia illi: & similiter ab hac Trinitate singulari, abstrahendo Trinitatem in communi: tunc possunt formari multæ propositiones mediatæ, vt hæc, *Aliquod ens est trinum, & vnum*; vel *Aliqua substantia est trina & vna*. Et quia immediata est nobis naturaliter ignota, sequitur quòd omnes mediatæ sint nobis naturaliter ignotæ, cùm notitia illarum dependeat à notitia propositionis mediatæ. Et sic litera clara est.

11. o *Per hoc ad argumentum, nego maiorem.* Scilicet, Quorumcunque necessariorum terminos naturaliter cognoscimus, & illa necessaria reuelata naturaliter cognoscimus. Et ad probationem dicit Doctor distinguendo de medio, quòd *medium* potest capi dupliciter. Nam est quoddam medium essentialiter ordinatum inter extrema, quod videlicet adæquatur illis extremis, & cum illis extremis conuertitur: & tale medium, vel est passio prior respectu passionis posterioris; vel est definitio subiecti, vel passionis demonstrabilis. Quomodocumque accipiatur tale medium, siue pro passione priori, siue pro definitione subiecti; siue pro definitione passionis demonstrabilis; sic est inter extrema essentialiter ordinatum, quòd cognitis illis extremis, scilicet subiecto, & passione demonstrabili de subiecto, statim cognoscitur illud. Et assignat rationem.

p *Concedo igitur*, &c. Et ratio est, quòd statim cognoscatur; *quia intellectus eius*, scilicet talis medij, *includitur in altero extremo, si est passio*; id est, si ponatur passio prior, pro medio demonstrandi passionem de subiecto; talis passio includitur in subiecto conuertibiliter. Vel si ponatur medium quod sit definitio, siue *quod quid est* alterius extremi; erit idem cum tali extremo. Nam si definitio subiecti, est medium in demonstratione potissima, est idem cum subiecto. Vel si ponatur definitio passionis demonstrabilis (vt ponunt quidam Albertistæ) similiter talis definitio erit idem cum passione, loquendo de definitione quiditatiua passionis.

Cognitis ergo extremis puta *homine, & risibilitate*; statim cognoscitur passio intermedia, si ponitur medium essentialiter ordinatum, per quod demonstratur risibilitas vniuersaliter de omni homine. Si verò medium sit definitio subiecti, vel definitio passionis; patet quòd cognitis illis extremis, scilicet subiecto, & passione demonstrabili, cognoscitur tale medium.

12. Aliud est medium non essentialiter ordinatum inter extrema vniuersalia, cuiusmodi est medium particulare sub illis extremis: tunc non sequitur quòd cognitis extremis; puta aliqua passione in communi, & aliquo subiecto in communi; cognoscatur tale medium, vt patet per exemplum Doctoris ibi positum. Sic in proposito, ista conclusio est nobis reuelata: *Deus est trinus est vnus*; non quòd distinctè cognoscam Deitatem, sub ratione Deitatis: quia talis cognitio de lege communi nulli reuelatur, quicquid sit ex speciali priuilegio. Hæc propositio est mediata, & dependet ab aliqua immediata, quam non cognoscimus, nec via naturali, nec per reuelationem (semper loquendo de lege communi) vt *infrà* exponam in quæst. de subiecto Theologiæ in illa quæstione. *An Theologia sit sciētia.* Et sensus huius propositionis mediatæ, scilicet *Deus est trinus, & vnus*, est iste; Aliquod ens (quod nominamus Deum) sit trinum & vnum. Non ergo sequitur, quòd cognito ente, & cognita vnitate, & Trinitate, cognoscam medium inter illa, quod est essentia diuina, vt hæc essentia. Et sic patet litera Doctoris.

q *Hac ratio tertia potissimè concludit*, &c. Ista tertia ratio est illa, quam suprà fecit, quòd substantiæ separatæ non possunt naturaliter cognosci à nobis, quantum ad earum proprietates. *Et tunc responsio ista*, &c. Id est, responsio, quam fecit contra rationem Hērici factam contra illam tertiam rationem, *supponit*, &c. id est, quando Doctor dixit quòd hæc propositio necessaria, *Deus est trinus, & vnus*, est nobis mediata, supponendo quòd cognoscamus ens dici de ipso Deo: & tunc dicimus, quòd Deus est aliquod ens, quod est trinum, & vnum. Si enim naturaliter possemus cognoscere Deum sub ratione Deitatis, tunc ista propositio, *Deus est trinus, & vnus*, esset naturaliter cognoscibilis: & cognitis illis extremis, statim cognosceretur medium inter illa: non sic quando cōcipimus Deum tantùm in conceptu communi; vt puta aliquod ens; quod nominamus Deum, vel quod prædicatur de Deo in quid, est trinum & vnum. Sequitur: *Si etiam negetur suppositum.* Videlicet quòd non tantùm Deus cognoscitur ex creatura, in conceptu communi; sed etiam quòd ex creatura possit cognosci in conceptu particulari. Sequitur: *Oportet dicere conceptum*, &c. Id est, etiam posito quòd cognoscatur in particulari ex creatura; tamen conceptus ille erit imperfectior conceptu habito de Deo, virtute voluntatis diuinæ: & sic patet litera Doctoris. 13.

In conceptu generali: & communi concipimus Deum.

Occurrit difficultas in hoc quòd dicit Doctor ibi: *Si autem negetur illud suppositum adhuc*, &c. Sicut ergo dictum est de conceptu generali, & speciali: ita dicatur secundùm aliam viam de imperfecto, & perfecto conceptu. Vt clariùs intelligantur instantiæ, declaro hanc literam per duo dicta. Primum ponendo ens esse commune Deo, & creaturæ: & est tale, *Aliquod ens est trinum, & vnum.* Veritas huius propositionis, cuius termini abstrahuntur à sensibilibus, dependet ab aliqua immediata singulari: puta ab ista, *Deitas est communicabilis tribus suppositis*: & contra hoc dictum non intendo instare. Secundum est secundùm opinionem Henrici, quòd veritas huius; *Aliquod ens est trinum & vnum*; includit conceptum entis, non vt commumem Deo, & creaturis; sed vt tantùm analogum: ita quòd talis conceptus entis tantùm dicitur de Deo, & causatur à creatura. Et secundùm Henricū cognitio huius propositionis dependet à creatura, & sic conceptus huius propositionis, inquantum causatur à creatura, est imperfectus: & si causaretur virtute essentiæ, esset perfectior: & sic euidentia talis conceptus imperfecti, debet accipi ab euidentia conceptus perfecti. Vult ergo dicere Doctor, quòd si iste conceptus, *Aliquod ens est trinum & vnum*, posset causari virtute creaturæ, tunc erit neuter, & non euidens, & fieret euidens per conceptum causatum virtute essentiæ diuinæ. 14.

Difficultas.

Declarat literam per duo dicta.

Contra hoc dictum multipliciter instatur, vt clariùs intelligatur illa litera. Primò, quia videtur sibi contradicere in illa quæstion. *An Theologia sit scientia*, vbi sic dicit: *Principium immediatum de linea, potest esse euidens intellectui moto à linea, & clarius euidens intellectui moto à verbo ad notitiam lineæ: tamen principium vno modo cognitum, non demonstrat se alio modo cognitum: sed vtroque modo est per se notum, licèt clariùs sic, vel sic.* Ex hoc infero, quòd quamuis conceptus huius, *Aliquod ens est trinum, & vnum*, sit imperfectior, vt causatur virtute creaturæ; & perfectior, 15.

perfectior, vt causatur virtute essentiæ: non tamen sequitur quòd habeat euidentiam à conceptu causato virtute essentiæ: sicut & de linea,&c.

Secundò videtur etiam sibi contradicere. Si enim iste conceptus potest haberi virtute creaturæ,quamuis imperfectior,sequitur quòd cognitio huius, *Aliquod ens est trinum, & vnum*, non sit supernaturalis:nec erit simpliciter necesse quòd habeatur talis cognitio supernaturalis virtute essentiæ. Nam hoc modo ipse Doctor arguit contra D.Thomam præsenti quæst. in hoc, quòd D. Thomas dicit,quòd hæc conclusio potest sciri, & medio naturali,& medio supernaturali. Et arguit Doctor quòd si potest haberi medio naturali,non erit simpliciter necessaria cognitio supernaturalis.

D.Thomas 1. p.q.1.art.1.

Responsio. Respondeo,Ad primam instantiam dico, quòd conceptus huius, *Aliquod ens est trinum, & vnum*, est tantùm euidens,loquendo de euidentia ex natura rei, & conceptu, qui habetur virtute Deitatis. Et dico quòd non est simile hîc, & de linea; quia in proposito sunt duæ propositiones, quarum vna est euidens,propter euidentiam alterius: ibi verò est tantùm vna propositio,quæ in alio,& alio lumine perfectiùs, & imperfectiùs videtur: sed ista, *Aliquod ens est trinum*,est vna mediata,quæ habet euidentiam à perfectiore notitia:puta huius immediatæ, *Deitas,vt deitas,est trina,& vna*; vel saltem illa,quæ est virtute essentiæ est euidentior, etiam loquendo de reuelata: & quia in hoc saltem voluntas reuelans supplet vicem obiecti supernaturalis.

16. Ad secundam dico quòd etsi ista propositio, *Aliquod ens est trinum*,possit haberi virtute creaturæ,quia termini illius concipiuntur virtute creaturæ;non tamen est euidens virtute creaturæ: sed ex natura rei est euidens à conceptu, qui habetur virtute essentiæ:nec per aliquod medium naturale potest euidenter demonstrari. Licèt ergo argumentum Doctoris concludat contra D.Thomam, qui posuit eandem conclusionem posse habere euidentiam ex medio naturali,& medio supernaturali: hîc autem ponitur tantùm habere euidentiam ex medio supernaturali:& sic patet quid dicendum.

17. *Alia difficultas.* Secundò occurrit difficultas in hoc,quòd dicit: *Omnium necessariorum reuelatorum terminos naturaliter cognoscimus:*quia accipio hanc, *Deus est trinus,& vnus*,quæro quomodo isti termini accipiuntur,aut pro vocibus tantùm;aut pro conceptibus;aut pro rebus significatis:non primò, quia tunc esset tantùm disputatio de vocibus:non secundo, quia aut illi conceptus accipiuntur pro rebus conceptis; aut pro actibus, quibus concipiuntur. Si primò, habetur propositum, quia tunc tales termini significant ipsas res:& sic naturaliter intelliguntur. Si secundò,contrà,quia nomina significant res;vt probat Doctor primo Peri-Hermenias. Quæro modò, quod est significatum huius termini *Deus*, aut est, Deitas ipsa, & sic poterit naturaliter cognosci;aut significat aliquod ens in confuso, quod nominamus,*Deum*; & tunc hoc prædicatum *Trinum in personis,& vnum in essentia*, non verificatur de tali subiecto. Patet, quia talis proprietas non conuenit enti, sic in confuso concepto: ergo si significata horum terminorum naturaliter cognoscimus, sequitur quòd cognoscimus illa distinctè:quia cognoscens aliquid sub illa ratione, quâ aliquid significat, cognoscit & ipsum significatum. Patet per Doctorem in simili. Cognoscens naturam sub illa ratione, quâ ordinatur ad vltimum finem, cognoscit & vltimum finem: sed isti termini naturaliter cognoscuntur sub illa ratione, quâ significant Deum distinctè: ergo,&c.

Respondeo primò, quòd significant Deum in confuso, id est, hoc nomen *Deus* significat mihi aliquod ens in confuso, quod nominamus *Deum:* & sic res illa in confuso significatur. Et cùm dicitur quòd hoc prædicatum *Trinus, & vnus*, &c. non verificatur de Deo confusè accepto; conceditur quòd non immediatè verificatur, vt sic propositio immediata: verificatur enim pro quanto verificatur priùs de Deo in se, & sub propria ratione. *Responsio.*

Dicó secundò, quòd significatum huius nominis *Deus*, est ipsa Deitas in se. Et cùm dicitur, quòd posset naturaliter cognosci; dico quòd non sequitur, quia plus contingit significare, quàm intelligitur;vt patet ex Doctore *in* 1.*dist*.22.Et sic ab aliquo potest imponi, quòd hoc nomen *Deus* significet Deitatem sub propria ratione;& tamen non cognoscat illud significatum. Et tunc negatur, quòd viator possit cognoscere hoc nomen *Deus* sub illa ratione,siue relatione, quâ distinctè significat Deitatem; quia tunc oporteret præconcipere Deitatem in se,& distinctè:quia non potest cognosci distinctè aliqua relatio, nisi præcognoscantur termini relationis,vt patet à Doctore *præsenti q.& q.penultima*,& alibi.

Tertiò dubitatur in hoc,quod dicit,quòd *Cognoscens extrema propositionis necessariæ,potest cognoscere medium essentialiter ordinatum inter illa.* Nam extrema propositionis mediatæ cognoscuntur pro statu isto; vt patet de *homine*, & *risibilitate*: & tamen non cognoscitur definitio essentialis, quæ ponitur medium essentialiter ordinatum inter illa extrema; quia pro statu isto ignoratur vltima differentia, & per consequens definitio essentialis. 18. *Alia difficultas.*

Secundò si tale medium pro statu isto potest cognosci, quæro à quo causatur cognitio distincta talis medij? Non à subiecto, quia tantùm cognoscitur confusè:nec apparet quòd statu isto, aliquid aliud causaret illam cognitionem medij, quia sola sensibilia mouent intellectum pro statu isto;& nulla differentia substantialis in se cognoscitur, cùm nulla moueat intellectum, vt patet à Doctore 1.*d*.3.*q*.3.

Respondeo, quòd conclusio Doctoris debet intelligi de medio, quale potest haberi pro statu isto; & concedo quòd non cognoscitur vltima differentia: tamen cognitis extremis illis, potest inuestigari definitio conuertibilis cum vtroque extremorum,& hoc per viam diuisionis, eo modo, quo docet Aristoteles 2. *Post.* Dico secundo quòd si extrema distinctè cognoscerentur, statim sciri posset medium essentialiter ordinatum inter illa,quod ponitur causa præcisa,& adæquata inhærentiæ passionis ad subiectum.Sed hoc non sequitur de medio particulari, quod ponitur medium inferius ad vtrumque extremum,vt *suprà* patuit; cùm non possit esse essentialiter ordinatum inter talia extrema communia: quia tunc conuerteretur cum vtroque extremorum, aliter non poneretur medium essentiale, & ad adæquatum inter illa. *Responsio.*

SCHOLIVM.

Adducit quartam rationem ex D. Thom. & quintam ex Henrico contra Philosophos, & vtramque reijcit vt inefficacem.

18. *D.Thom.1. p.q.1.art.1. Minor est tantùm credita.*

QVartò [r] principaliter arguitur sic; Ordinatum ad aliquem finem, ad quem est ex se indispositum, necesse est paulatim promoueri ad dispositionem respectu illius finis: sed homo ordinatur ad finem supernaturalem, ad quem ex se est indispositus: ergo indiget paulatim disponi, ad habendum illum finem; hoc autem fit per cognitionem aliquam supernaturalem; ergo, &c. Si instetur, quòd agens perfectum, potest statim remouere imperfectionem, & statim agere? Respondetur, quòd si posset de potentia absoluta, tamen perfectius est communicare homini aliquam actiuitatem, respectu suæ perfectionis consequendæ, quàm non communicare. Potest autem homo habere actiuitatem aliquam respectu suæ perfectionis finalis: ergo perfectius est quòd hoc sibi communicetur, quod non potest fieri sine aliqua cognitione imperfecta præcedente istam perfectam, ad quam ordinatur finaliter.

19. *Henric. in sum. sua. & Guil. Var. lib.1.q.2.*

Quintò [s], arguitur sic; Omne agens vtens instrumento in agendo non potest per illud instrumentum in aliquam actionem, quæ excedit naturam illius instrumenti; lumen autem intellectus agentis est instrumentum, quo anima nunc vtitur in intelligendo naturaliter; ergo non potest per illud lumen in aliquam actionem, quæ excedat illud: sed illud de se est limitatum ad cognitionem habitam per viam sensuum: ergo anima non potest in aliquam actionem, quæ non potest haberi per viam sensus. Sed multorum aliorum cognitio est necessaria pro statu isto: igitur, &c.

Inf. d. 3.q. 4. vbi de sincera veritate.

Hæc ratio [t] videtur concludere contra eum, qui fecit eam. Secundùm enim deductionem istam, lux increata non poterit vti intellectu agente vt instrumento ad cognitionem alicuius sinceræ veritatis: quia talis secundùm eum, non potest haberi via sensuum sine speciali illustratione: & ita sequitur, quòd in cognitione veritatis sinceræ lumen intellectus agentis nullo modo habeat aliquam actionem; quod videtur inconueniens, quia ista actio perfectior est * communi intellectione: & per consequens illud, quod perfectius est in anima, inquantum intellectiua, oportet concurrere aliquo modo ad istam actionem.

** al. omni.*

Reijcit D. Thom. & Henric.

Istæ duæ [u] rationes non videntur efficaces. Prima enim esset efficax, si esset probatum quòd homo ordinatur finaliter ad cognitionem supernaturalem: cuius probatio pertinet ad quæstiones de beatitudine. Et si cum hoc ostenderetur cognitionem naturalem non sufficienter disponere pro statu isto, ad cognitionem supernaturalem consequendam. Secunda ratio petit duo, scilicet aliquorum cognitionem esse necessariam, quæ non possunt cognosci per viam sensuum, & quòd lumen intellectus agentis, est ad talia cognoscibilia limitatum. Tres ergo primæ rationes probabiliores apparent.

COMMENTARIVS.

1. r *QVartò principaliter arguitur sic*, &c. Homini volenti efficaciter vltimam felicitatem, necessaria est aliqua cognitio supernaturalis. Quia ex quo creatura naturalis ordinatur ad vltimum finem, ad quem ex se. id est, ex natura propria, est indisposita; necesse est ipsam disponi ad habendum illum finem: sed talis dispositio fit per cognitionem supernaturalem.

Si instetur, quòd agens perfectum, &c. puta Deus, litera sequens clara est.

s *Quintò arguitur sic*, &c. Deinde Henricus arguit probando illud idem, quod D. Thomas, & ratio stat in isto dicto, quòd anima intellectiua, pro statu isto, non potest excedere actionem intellectus agentis, & intellectus agens de se est limitatus, ad cognitionem habitam per viam sensus; sed volenti vltimum finem, necessaria est cognitio aliquorum, quæ non cadunt sub sensum.

t *Hæc ratio videtur concludere*, &c. Hîc Doctor deducit Henricum ad hoc inconueniens, quòd si intellectus agens habet tantùm actionem circa ea, quæ cadunt sub sensu; ex hoc sequitur quòd nullam actionem poterit habere circa sinceram veritatem; quia talis veritas, secundùm eum, non potest haberi via sensuum ab intellectu agente, sine speciali illustratione Dei. Et sic lux increata non poterit vti intellectu agente; vt instrumento, ad cognitionem alicuius sinceræ veritatis: sed de hoc *infrà* patebit, *dist.* 3. *quæst.* 4. vbi est specialis quæstio: *An sincera veritas possit haberi via naturali.*

u *Istæ duæ rationes non videntur plurimùm efficaces.* Prima enim, videlicet facta à D. Thoma, supponit vnum, quòd adhuc non est probatum sufficienter: videlicet, quòd homo ordinatur finaliter ad cognitionem supernaturalem. Et etiam posito, quòd sic ordinaretur, oporteret ostendere, quòd cognitio naturalis non potest sufficienter disponere, pro statu isto, ad cognitionem supernaturalem consequendam. 2.

Secunda ratio, scilicet Henrici, *petit duo*, quæ indigent probatione; *scilicet*, quòd cognitio aliquorum, quæ non possunt cognosci per viam sensuum, sit necessaria. Secundò petit quòd lumen intellectus agentis, sit ad talia cognoscibilia sensibilia limitatum; sic quòd non possit habere actionem aliquam circa insensibilia.

x *Ad*

SCHOLIVM.

Explicat quomodo potentia in ordine ad formam quamcunque eſt naturalis, violenta, vel neutra, in ordine ad agens naturalis: de quo 2.d. 18. & 4.d 43.q.4. Ponit duos modos ſupernaturalitatis. Vnus eſt, formam fieri ab agente ſupernaturali, vt ſi Deus infunderet Geometriam. Alter, actum eſſe talem, vt ſolùm ab obiecto ſupernaturali, vel à ſupplente eius vicem cauſari poſſit. Quod eſt ſupernaturale primo modo, poteſt naturaliter haberi, vt in exemplo: ſecus eſt de ſupernaturali ſecundo modo. Hîc ponit Doctor formam intrinſecè, & ſuaptè natura ſupernaturalem, & non tantùm per reſpectũ ad agens. Et ſimile habet 2.d. 3. q.9. n.16. ſed quia à non intelligentibus reprehenditur, quòd negauerit dari vllam formam ſuâ naturâ ſupernaturalem, ſed tantùm per accidens, quia à Deo datur immediatè, vt viſus cæco; adduco alia eius loca, ad hoc improbandum 1.d. 17.q.2. §.Contra iſtam ſolutionem, *à n. 34. &* §.Ad ſolutionem, *n. 38. ponit habitum infuſum charitatis, & 3.d 23.*§.Aliter poteſt fidem infuſam, *& 3.d.26.* §.Ad q ſpem infuſam. *Et ſimile habet 4.d.49.q.11. quibus locis docet habitus infuſos concurrere effectiuè ad actus, ex quo colligitur actus eſſe eiuſdem ordinis cum ipſis. Item 2.d.3.q.9.n.7. docet gratiã, & gloriam merè eſſe ſupernaturales. Præterea, 3.d.23.*§.Aliter poteſt, *dicit actum fidei infuſæ, & acquiſitæ eſſe diuerſæ rationis: & quodl. 14. docet actum charitatis eſſentialiter differre ab amore naturali: ergo ſentit hos actus eſſe ſupernaturales: & quando ait habitum eſſe propriè ſupernaturalem, non actum 1. d.17.q.2. ad tertium pro opin. Mag. n 53. ideò hoc dicit, quia (inquit) forma illa charitatis, licèt ſit ſupernaturalis poſita in eſſe, naturaliter agit; & quia cauſa ſecũda concurrit ad actũ, non ad habitum, quia creatur, & ibidem docet actũ eſſe ſupernaturalem ratione formæ concurrentis ad ipſum. Conſtat ergo manifeſtè ſecundùm Scotũ habitus, & actus intrinſecè dari ſupernaturales. Quod ſi ſub hoc nomine ita non docuiſſet, ſufficeret docuiſſe habitus infuſos, & actus, quos noſtris viribus elicere nequimus. Et vtrumque docuit Scotus locis citatis, & aliàs ſæpè. Nec Patres, vel Concilia ampliùs petunt. Qui ergo reprehendunt Scotum in hoc, reprehendendi ſunt, quia rem non intelligunt. Adde, ſi negaremus actus ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturales, idem doceri à Caiet. 1.2.q.109. art.4. & 2.2.q 170. art.2. ad 3. vbi id videtur D.Thom. & tenent Palud. 3.d.23.q.3. fin.q.1. art.1. Soto 1. de nat. c.22. coroll.2. & lib.2. c.16. ad primum. Rada 1.p. contr.4. ad 1.*

AD quæſtionem [x] igitur reſpondeo, diſtinguendo primò, qualiter aliquid dicitur ſupernaturale. Potentia enim receptiua comparatur ad actum quẽ recipit: vel ad agens à quo recipit. Primo modo ipſa eſt potentia naturalis, vel violenta, vel neutra. Naturalis, ſi naturaliter inclinetur: violenta, ſi ſit contra inclinationem naturalem: neutra, ſi neque inclinatur ad iſtam formam, neque ad oppoſitam. In hac autem [y] comparatione nulla eſt ſupernaturalitas. 20.

Quomodo aliquid dicatur ſupernaturale, vel naturale?

Sed comparando receptiuum ad agens, à quo recipit formam, eſt naturalitas, quando receptiuum comparatur ad tale agens, quod natum eſt naturaliter imprimere talem formam in tali paſſo. Supernaturalitas autem, quando comparatur ad tale agens, quod non eſt naturaliter impreſſiuum illius formæ, in illo paſſo.

De hoc Scotus 2. d. 18. & 4. d. 43. q. 4. & 9. Met. q.4.

Ad propoſitum dico, quòd comparando intellectũ poſſibilem ad notitiam actualem in ſe, nulla eſt ſibi cognitio ſupernaturalis: quia intellectus poſſibilis quacunque cognitione naturaliter perficitur, & ad quãcunque naturaliter inclinatur. Sed ſecundo modo loquendo, ſic eſt ſupernaturalis, quæ generatur ab aliquo agente, quod nõ eſt natum mouere intellectum poſſibilem ad talem cognitionem naturaliter. Pro ſtatu autem [z] iſto ſecundùm Philoſophũ, intellectus poſſibilis natus eſt moueri ad cognitionem ab intellectu agente, & phantaſmate: igitur ſola illa cognitio naturalis eſt, quæ ab iſtis agentibus poteſt imprimi. Virtute autem [a] iſtorũ poteſt haberi omnis cognitio incõplexa, quæ ſecundùm legẽ communẽ habetur à viatore, ſicut patet in inſtantia contra tertiã rationem principalem: & ideò licèt Deus [b] poſſit per reuelationem ſpecialem, cognitionem alicuius incomplexi cauſare, ſicut in raptu: non tamen talis cognitio ſupernaturalis eſt neceſſaria de cõmuni lege. 21.

Intellectus poſſibilis ad duo cõparari poteſt. Quomodo Theologia ſit nobis naturalis; & ſupernaturalis? Sup. n. 15.

De complexis autem veritatibus ſecus eſt; quia ſicut oſtenſum eſt per tres rationes primas contra primam opinionẽ adductas, poſitâ totâ actione intellectus agentis, & phantaſmatum, multæ complexiones remanebunt ignotæ, & nobis neutræ, quarum cognitio eſt nobis neceſſaria. Iſtarum igitur notitiam eſt neceſſe nobis ſupernaturaliter tradi, quia nullus earum notitiam potuit naturaliter inuenire, & eam aliis docendo tradere: quia ſicut vni, ita cuilibet ex naturalibus erunt neutræ.

Vtrùm autem [c] poſt primam traditionem doctrinæ de talibus poſſit aliquis aſſentire naturaliter doctrinæ traditæ, de hoc *in 3. lib. diſt. 23.* Hæc autem prima traditio talis 22.

Quæſtio collateralis.

Quomodo reuelatio sacra Scriptura dicatur supernaturalis.

doctrinæ, dicitur reuelatio: quæ ideò est supernaturalis, quia est ab agente, quod non est naturaliter motiuum intellectus nostri pro statu isto.

Aliter etiam posset dici supernaturalis, [d] quia est ab agente supplente vicem obiecti supernaturalis. Nam obiectum natum causare notitiam huius, *Deus est trinus, & vnus*, vel similium, est essentia sub propria ratione cognita: ipsa autem sub tali ratione cognoscibilis est obiectum nobis supernaturale. Quodcunque igitur agens causat notitiam aliquarum veritatum, quæ per tale obiectum sic cognitum natæ sunt esse euidentes, illud agens in hoc supplet vicem illius obiecti. Quòd si ipsum agens causaret notitiam perfectam istarum veritatum, qualem ipsum obiectum in se cognitum causaret; tunc perfectè suppleret vicem obiecti: sed si agens non ita perfectam notitiam causat, sicut obiectum in se causaret, tunc imperfectè supplet vicem obiecti, pro quanto scilicet imperfecta notitia, quam facit, virtualiter continetur in illa perfecta, cuius obiectũ in se cognitum esset causa.

Ponit duplicem modum explicandi supernaturalitatem Theologiæ.

Ita in proposito: nam reuelans hanc, *Deus est trinus*, causat in mente aliqualem notitiam huius veritatis, licèt obscuram: quia causat de obiecto, non sub propria ratione cognito. Quod obiectum, si cognitum esset, natum esset causare notitiam perfectam, & claram veritatis illius.

Pro quanto [e] igitur hæc notitia obscura in illa clara includitur eminenter, sicut imperfectum in perfecto, pro tanto reuelans hanc obscuram, & causans supplet vicem obiecti illius claræ notitiæ causatiui, præcipuè cùm non possit notitiam alicuius veritatis causare, nisi vt supplens vicem alicuius obiecti. Nec veritatum talium [f] de illo obiecto notitiam causare posset, vt supplens vicem obiecti alicuius inferioris, naturaliter motiui intellectus nostri; quia nullum tale virtualiter includit aliquam notitiam istarum veritatum, etiam nec obscuram. Igitur oportet quòd in causando, etiam istam obscuram, aliqualiter suppleat vicem obiecti supernaturalis.

Hic admittit actũ intrinsecè supernaturalem, id est, talem, qui à solo obiecto supernaturali, vel à supplente illud, causari potest.

Differentia istorum duorum [g] modorum ponendi supernaturalitatem notitiæ reuelatæ patet, separando vnum ab alio. Puta, si agens supernaturale causaret notitiam obiecti naturalis, vt si infunderet Geometriam alicui, illa esset supernaturalis primo modo, & non secundo modo: si autem infunderet notitiam huius, *Deus est trinus*, vel similium, hæc supernaturalis esset vtroque modo: quia secundus infert primum, licèt non è conuerso. Vbi autem est primus tantùm, ibi non est necesse, quòd sit sic supernaturalis, quin naturaliter possit haberi: vbi verò est secundus modus, est necessitas, vt supernaturaliter habeatur: quia naturaliter haberi non potest.

COMMENTARIVS.

x *Ad quæstionem*, &c. Respondendo ad quæstionem primò præmittit aliqua. Deinde ostendit propositum, videlicet quòd sit homini, pro statu isto volenti beatificari; necessaria aliqua doctrina supernaturalis. Primò ergo præmittit distinctionem potentiæ naturalis, violentæ, & neutræ. Naturalis, si naturaliter inclinetur potentia. Violenta dicitur, si sit contra inclinationem naturalem; vt patet de graui extra centrum. Et neutra, si neque inclinatur ad istam formam, neque ad oppositam: sicut superficies non magis inclinatur ad albedinem, quàm ad nigredinem: imò nullam naturalem inclinationem habet ad huiusmodi accidentia. Materia verò prima, dicitur potentia neutra; & tamen inclinatur naturaliter ad omnes formas substantiales: de qua naturali inclinatione materiæ primæ, patebit *infrà d.1.q.1.* Et de naturali inclinatione absolutè, quæ opponitur violento, vide Doctorem *in 2.d.18.*

63. y *In hac autem comparatione*, &c. Dicit Doctor quòd comparando receptiuum ad perfectionem, ad quam est in potentia receptiua naturali; vel ad perfectionem, ad quam est in potentia neutrali; vel ad illud, ad quod nullam habet inclinationem naturalem; nulla est ibi supernaturalitas, cùm ex natura sua sit in potentia receptiua ad huiusmodi: & sic intellectus, vt cõparatur ad quamcunque cognitionem, ad quã est in potentia receptiuã, nulla est ibi supernaturalitas. Habet enim naturalem inclinationem ad omné cognitionem, cùm cognitio quantumcunque minima, sit perfectio intellectus, & qualitas absoluta; vt probat Doctor *in Quodl.q.14.* Sed supernaturalitas attenditur ex comparatione ad agens, ita quòd illa perfectio dicitur supernaturalis, quæ nullo modo potest causari ab agente naturali. Et agens naturale, pro nunc, est omne aliud à Deo: & per consequens omnis perfectio, quæ subest causalitati agentis naturalis, dicitur naturalis, vt ly *naturale* distinguitur contra *supernaturale*.

z *Pro statu autem isto.* Hîc dicit Doctor quòd intellectus possibilis est tãtùm natus moueri ab intellectu agente, & phãtasmate: & sic sola illa cognitio est naturalis, quæ ab istis agentibus imprimi potest. Et quomodo pro statu isto dicuntur phantasmata mouere intellectũ, patebit *infrà d.3.q.1.2. & 3.* vbi hoc diffusè declarabitur. Phantasmata enim tantùm mouent intellectũ possibilem, causando in eo partialiter tantùm speciem intelligibilem. Non enim mouent ad cognitioné alicuius obiecti, vt docet Doctor *1.d.3.q.7.& q.15.Quodlib.* Et quod dicit de intellectu agente, verũ est quòd ad causationem speciei intelligibilis, vnà cum Phantasmate concurrit, vt patet à Doctore *infrà d.3.q.6.& pen.* Et nullo modo concurrit intellectus possibilis: vt patet à Doctore *in q.15.Quodlib.* 64.

a *Vir*

65. a *Virtute autem istorum*, scilicet intellectus agentis, & phantasmatis. Ex hoc apparet quòd pro statu isto, nec via naturali, nec supernaturali, (loquendo de communi lege) habemus notitiam incomplexam, distinctam, de aliqua substantia; nec de substantiis separatis; nec de materia prima; nec de aliquo singulari, sub ratione singularitatis: quia virtute phantasmatis, habetur tantùm cognitio eorum, quæ essentialiter, vel virtualiter includuntur in sensibilibus, quorum tantùm habemus phantasmata. Modò nulla substantia mouet intellectum nostrum ad sui cognitionem; vt probat Doctor *dist. 3. quæst.* 3. Et vltrà, de substantia habemus tantùm conceptum, qui essentialiter continetur in aliquo sensibili: vt probat Doctor ibidem, & hoc idem de materia prima, nec de aliquo singulari, habemus conceptus distinctos, sub ratione singularitatis: vt ipse probat *in* 7. *Metaphys. sua, quæst.* 15. Tantùm ergo illa complexa, pro statu isto, cognoscuntur, quæ virtute phantasmatum, & intellectus agentis habentur: & sunt omnia sensibilia in se, & omnia essentialiter, & virtualiter contenta in eis.

b *Et ideò licèt Deus.* Dicit Doctor quòd quamuis ex speciali priuilegio, possit reuelari alicui simplex notitia, & distincta Deitatis, vt in raptu aliquo; non tamen hoc est secundùm communem legem: quia fides est propriè de complexis, nobis reuelatis, quorum termini possunt fieri nobis noti, virtute phantasmatum, & intellectus agentis, vt *infrà* patebit, *in quæst. de Subiecto Theologiæ.* In illa scilicet quæst. *An Theologia sit de omnibus.* Et quando reuelatur nobis hoc complexum, *Deus est trinus, & vnus*, non habemus notitiam simplicem Deitatis, & incomplexam, & distinctam; sed tantùm cognoscimus per reuelationem, quòd est aliquod ens, quod nominamus *Deum*, quod est *trinum, & vnum.*

66. c *Vtrum autem post primam traditionem.* Doctor *in* 3. *dist.* 23. docet quomodo aliquis naturaliter potest assentire articulis fidei reuelatis, *& in quæst.* 14. *Quodlib.* Et sic isti articuli fidei dicuntur supernaturaliter traditi, quia tantùm per reuelationem diuinæ voluntatis.

d *Aliter etiam potest dici supernaturalis.* Doctor declarat quomodo cognitio reuelatorum necessariorum potest aliter dici supernaturalis, ex hoc quòd supplet vicẽ obiecti supernaturalis. Nam essentia diuina, vt cognita, nata est facere, vel causare notitiã huius complexi, *Deus est trinus, & vnus*; quia (vt declarat Doctor, *in q. de subiecto Theologiæ*) notitia Theologica habens euidentiã ab obiecto, habet euidentiam ab illo primo noto: & sic si essentia diuina esset in se cognita ab aliquo intellectu; tunc, vt sic, causaret notitiam huius complexi, *Deus est trinus, & vnus*; saltem quantum est ex parte sua, comparando illam ad intellectum, quem potest suo modo mouere, qui est solus intellectus diuinus, vt declarat Doctor *in Quodl. q.* 14. Et fortè etiã diceretur quòd notitia essentiæ diuinæ, causata à voluntate diuina, non causaret immediatè notitiam alterius. Sed hoc reseruo declarandum *in q.* 15. *Quodlib.* Notitia ergo huius, *Deus est trinus, & vnus*, diceretur supernaturalis; quia esset solũ à voluntate diuina, quæ sola supplere potest vicem essentiæ diuinæ, nõ in ratione obiecti intelligibilis; quasi hæc propositio cognoscatur per voluntatem diuinam, vt primò cognitam; sed sic dicitur supplere, quia immediatè causat talem notitiam.

Deinde declarat Doctor quòd aliquando perfectè supplet, aliquando imperfectè. Perfectè cõtingit dupliciter. Vno modo abstractiuè, alio modo intuitiuè. Nam si causat distinctam cognitionẽ huius complexi: *Deus est trinus, & vnus*, loquendo de cognitione abstractiua, tũc perfectè supplet: quia entitas, vel cognitio distincta subiecti illius complexi, in quocũque intellectu causaret partialiter, saltem remotè notitiam huius complexi, *Deus est trinus, & vnus*; loquendo de intellectu, quem posset mouere. Vel si Deus esset præsens in aliqua specie intelligibili, ipsum distinctè repræsentante, in ratione obiecti intelligibilis; vt videtur ponere Doctor *in* 2. *d.* 3. *q.* 9. talis species esset partialiter causa notitiæ abstractiuæ distinctæ Deitatis, & fortè esset causa cognitionis huius complexi, *Deus est trinus, & vnus*; vel saltem Deus vt sic, distinctè cognitus, esset causa cognitionis talis complexi in illo intellectu: & sic voluntas diuina causando talem notitiam distinct m, vel speciẽ intelligibilem distinctè repræsentantẽ Deum, sub ratione Deitatis, in ratione obiecti intelligibilis, diceretur perfectè supplere vicẽ obiecti supernaturalis. Secundo modo dicitur perfectè supplere vicem obiecti supernaturalis, in cognitione intuitiua: quia essentia diuina, vt in se intuitiuè cognita, quantũ est ex parte sua, nata esset causare notitiam intuitiuam huius complexi: *Deus est trinus, & vnus.* Si ergo voluntas diuina immediatè causaret notitiam intuitiuã ipsius Deitatis; vel notitiam complexam intuitiuam huius, *Deus est trinus, & vnus*, diceretur perfectè supplere, imò perfectissimè, vicem obiecti supernaturalis. Tertiò, potest dici supplere imperfectè vicem obiecti supernaturalis; vt quando causat in aliquo cognitionem confusam huius complexi, *Deus est trinus, & vnus*; quia tunc talem notitiã causaret, qualem obiectum, si esset in se præsens, vel in specie intelligibili non causaret. Nam vt sic, tantùm natum esset causare notitiam abstractiuam sui, distinctam. Si verò esset in se præsens, natum esset causare notitiam intuitiuam distinctam.

67. *Voluntas diuina quot modis potest dici supplere vicem essentiæ.*

68. e *Pro quanto igitur*, &c. Supplet quidem imperfectè, semper intelligendo modo præexposito.

f *Nec veritatum talium*, &c. Dicit quòd voluntas diuina non posset supplere vicem obiecti inferioris, puta entis creati, respectu harum veritatum. Patet, quia in hoc dicitur supplere vicem obiecti perfectè, quando causat talem notitiam, qualem ipsum obiectum natum esset causare, si esset in se præsens, vel in specie intelligibili: vel dicitur supplere imperfectè, quando non causat notitiam ita distinctam qualem tale obiectum si esset in se præsens, vel in specie intelligibili, natum esset causare. Si ergo respectu harum veritatum, potest supplere vicem alicuius obiecti inferioris, sequeretur quòd tale obiectum inferius, siue creatum, si esset præsens alicui intellectui, in propria existentia, natum esset causare notitiam intuitiuam huius, *Deus est trinus, & vnus*; vel si esset præsens in specie intelligibili, distinctè repræsentante ipsum: tunc natum esset, vt cognitum, causare notitiam abstractiuam distinctam, omnium veritatum necessariarũ de Deo, quod est impossibile: quia si sic, tunc creatura virtualiter contineret ipsam Deitatem: vt patebit *infrà d.* 3. *q.* 1. *& d.* 8. *& q.* 14. *Quodl. & in* 2. *dist.* 3. *q* 10.

69. *Hæc notitia Deus est trinus, & vnus, potest dici duobus modis supernaturalis.*

g *Differentia istorum duorum*, &c. id est, hæc notitia, *Deus est trinus, & vnus*, potest dici dupliciter supernaturalis. Primò, quia tantùm est ab agente supernaturali. Secundò, quia est ab agente supplente vicem

vicem obiecti supernaturalis:& si ista duo possent separari, esset manifesta distinctio supernaturalitatis. Si enim notitia hæc tantùm esset à voluntate diuina, non supplente vicem obiecti supernaturalis, tunc diceretur supernaturalis tantùm primo modo. Et ideò Doctor ponit exemplum in alio: vt puta, voluntas diuina immediatè causat in aliquo intellectu notitiam huius: *Homo est risibilis*; tunc talis notitia diceretur supernaturalis primo modo, non autem secundo modo; quia tantùm suppleret vicem obiecti naturalis. Et nota quòd primus modus supernaturalitatis, non infert secundum modum supernaturalitatis; sed benè è contra. Primum patet, quia non sequitur, causat talem notitiam immediatè supernaturaliter; ergo supplet vicem obiecti supernaturalis: non sequitur, vt patet in exemplo de cognitione huius: *Homo est risibilis*. Secundum patet, quia benè sequitur, supplet vicem obiecti supernaturalis; ergo causat notitiam supernaturaliter, & sic patet litera.

70. *Dubium.* Dubitatur in hoc quod dicit, quòd *intellectus possibilis, quacunque cognitione naturaliter perficitur, & ad quamcumque naturaliter inclinatur.*

Contrà: quia si naturaliter inclinatur ad omnem; ergo non magis ad vnam, quàm ad aliam. Consequens est contra Philosophum in Proœmio Met. vbi arguit: *Omnes homines naturâ scire desiderant*; ergo maximam scientiam maximè desiderabunt. Probatur consequentia per Doctorem *in* 4. *d.*49. vbi vult quòd inclinatio naturalis sit semper necessariò, & summè; quia non est in potestate inclinantis naturaliter intensè, vel remissè inclinari, & per consequens sequitur quòd si intellectus ita intensè inclinatur ad vnam, & ad obiectum illius, sicut ad aliam; quòd ita perfectè quietatur in imperfecta, sicut in perfecta; quia in vtraque totus eius appetitus satiatur habito desiderato.

Responsio. Respondeo, & dico primò, proposito quòd de facto non magis inclinetur ad vnum, quàm ad aliud (quia secundùm totum conatum inclinatur ad omnia) adhuc diceretur magis inclinari ad perfectius, non accipiendo *magis*, id est, *intensius*; sed sic præsentibus duobus, quorum vnum sit perfectissimum, & aliud imperfectius, prius appeteret perfectissimum, & intensissimè: quamuis etiam appeteret aliud intensissimè. Dico etiam, quòd si talis inclinatio posset intendi respectu perfectissimi, esset in intensissima, & respectu minùs perfecti, esset minùs intensa.

71. Dico secundò, quòd non sequitur æquè intensè appetit vnum, sicut aliud: ergo æquè quietatur in vno sicut in alio; quia illud perfectè quietat, quod est perfectè quietatiuum: quietatio enim vera se tenet ex parte obiecti quietatiui. Quamuis ergo minùs perfectum bonum æquè intensè appetatur, sicut & perfectum bonum, cùm non sit in potestate appetẽtis magis, & minùs appetere; non tamen sequitur quòd ita in vno quietetur, sicut in alio: exemplum de appetitu sensitiuo, puta visiuo; ita enim intensè appetit videre visibile vt 4. sicut visibile vt 8. cùm non sit in potestate eius, respectu cuiuscumque visibilis magis, & minùs appetere: tamen tantùm perfectè quietatur in perfectissimo visibili, quia illud natum est perfectissimè quietare; sic in proposito. Ad consequentiam Philosophi, debet intelligi ex parte obiecti; quia si *A* vt quatuor est naturaliter appetibile: ergo *B* vt octo erit magis appetibile, licèt ex parte appetentis æquè intensè inclinetur ad vnum, sicut ad aliud; perfectius enim appetibile includit rationem maioris appetibilitatis, quàm minùs perfectum: ideò ex ratione sui est natum magis appeti.

Secundò principaliter dubitatur de isto, scilicet quòd *supernaturalitas accipitur quando receptiuum comparatur præcisè ad agens supernaturale.* Dubitatur, supponendo quòd Angelus potest docere hominem pro statu isto, etiam de articulis fidei, vt patet à Doctore *in* 2. *dist.*11. Et suppono quòd Angelus possit naturaliter cognoscere hanc, *Deus est trinus & vnus*, saltem habitâ specie intelligibili Deitatis (de qua Doctor *in* 2. *dist.*3. *quæst.*9.) sequitur quòd Angelus possit docere hominem hanc veritatem, & hoc naturaliter: ergo ista veritas, *Deus est trinus*, &c. non erit supernaturalis: quia ab agente naturali, scilicet Angelo docente. 72. *Aliud dubium.*

Si dicatur quòd etsi Angelus possit illam cognoscere naturaliter, præhabitâ specie intelligibili Deitatis; non tamen potest illam docere naturaliter: quia non potest causare in intellectu nostro pro statu isto, immediatè aliquam cognitionem alicuius merè intellectualis, vt patet à Doctore *in* 2. *dist.*11. *Solutio.*

Dico, quòd hoc parum valet; quia etsi hoc non possit; tamen non potest negari quin possit docere per aliqua signa: vt docet Doctor *vbi suprà*. *Obiectio.*

Secundò arguitur; quia non videtur quòd supernaturalitas præcisè sumatur in comparatione ad agens supernaturale; quia dicit Doctor *in quæst. præsenti*, quòd intellectus noster sit proportionatus supernaturaliter, & per aliud in ratione mouentis, & per aliud in ratione formæ: & sic videtur dicere assensum, quo intellectus formaliter assentit illi veritati, sit supernaturalis, & non per comparationem ad agens supernaturale. 73.

Respondeo ad primam instantiam primò, quòd Angelus ex puris naturalibus non potest cognoscere illam, vt patet à Doctore *q.*14. *Quodlibet.* *Responsio.*

Dico secundò quòd etiam posito, quòd possit naturaliter cognoscere; adhuc non sequitur quòd possit illam docere: quia aliud est causare certitudinem in intellectu viatoris, respectu alicuius merè intelligibilis; & aliud est proponere aliqua signa ordinatè. Primo modo non posset causare, licèt secundo modo. Si dicatur saltem potest causare certitudinem huius: *Aliquod ens est trinum, & vnum*, quod non est merè intelligibile.

Dico quòd etsi posset causare, vel docere hominem hanc propositionem, *Aliquod ens*, &c. non tamen potest causare euidentiam; quia euidentia illius dependet ab aliqua immediata merè intelligibili.

Dico tertiò quòd etiam posito, & non concesso, quòd Angelus posset causare certitudinem illius; non tamen sequitur quòd possit causare assensum respectu illius: tamen responsio secunda est melior.

Ad secundam instantiam dico, quòd nullam includit difficultatem: quia etsi talis assensus dicatur supernaturalis in ratione formæ; ista tamen supernaturalitas est tantùm in comparatione ad agens supernaturale; sed dicitur supernaturalis in ratione formæ, ex hoc, quòd est aliqua forma supernaturalis, quæ est quædã inclinatio informans intellectum: sicut etiam si aliqua cognitio esset supernaturaliter causata, diceretur supernaturalis, per comparationem ad agens supernaturale. 74.

SCHO

SCHOLIVM.

Confirmat pulchrè ex doctrina Aug. tres rationes adductas à n.6.contra Philosophos, ostendens Philosophos in via virtutum contra rectam rationem errasse, vt constat ex ipsorum politiis.

TRes rationes primæ, quibus innititur ista solutio, confirmantur per auctoritates. Primò, per auctoritatem Augustini de Ciuitate Dei, lib. 18 c. 41. *Philosophi* (inquit) *nescientes ad quem finem referenda ista essent, inter falsa, quæ locuti sunt, verum videre potuerunt.* Secunda ratio confirmatur per Augustinum 2. de Ciuitate, cap. 2. *Quid prodest nosse, quò eundum sit, si ignoratur via, quâ eundum sit?* In hoc enim errabant Philosophi, quia etsi aliqua de virtutibus vera tradiderunt: tamen falsa miscuerunt secundùm auctoritatem præcedentem Augustini, & patet ex eorum libris. Improbat enim Aristoteles politias dispositas à multis aliis 2. *Politicorum*; sed nec illa Aristotelis est irreprehensibilis 7. *Politic.* vbi docet Deos esse honorandos. *Decet* (inquit) *cultum exhibere diis.* Et ibidem, *Lex nullum orbatum tradit nutriri.* Et *in eodem lib. & c. 16.* dicit, *quòd oportet fieri aborsum in casu.* 23. *Prima ratio, n.6. contra Philos. cōfirmatur. Secunda itē n.8. de ignorantia mediorum ex eodem. cap.7. cap.16.*

Tertia ratio confirmatur per Augustinum 11. de Ciuit. c.3. *Quæ remota sunt à sensibus nostris, quoniam testimonio nostro scire non possumus, de his alios testes requirimus.* Et hoc confirmat totam solutionem principalem, quia enim complexiones illæ, de quibus argutum est, nobis ex se sunt neutræ, nullus potest suo testimonio credere de ipsis: sed oportet testimoniũ supernaturale requirere alicuius superioris totâ specie humanâ. Qualiter autem prima reuelatio, siue traditio talis doctrinæ fieri potuerit, & facta sit, est dubiũ, an scilicet locutione interiore, an exteriore, an cum aliquibus signis adhibitis sufficientibus ad causandum assensum. Ad propositum sufficit, quòd vtroque modo potuit supernaturaliter reuelari talis doctrina: sed neutro modo potuit ab homine sine errore, primò tradi. *Tertia ratio n.14. de ignorātia proprietatum primi entis cōfirmatur.*

Contra [h] istas tres rationes instatur simul, quòd seipsas destruant: quia quod ostenditur esse necessarium cognoscendum, hoc ostenditur esse verum: quia nihil scitur nisi verum: ergo quidquid istæ rationes ostendunt esse necessarium cognosci (puta quòd fruitio Dei in se est finis hominis. Quoad primam rationem, quòd via deueniendi ad ipsam, est per merita, quæ Deus acceptat vt digna tali præmio. Quoad secundam; quòd Deus est trinus, & contingenter causans, & huiusmodi. Quoad tertiam) totum illud ostenditur esse verum. Vel ergo illæ rationes non sunt nisi ex fide, vel ex ipsis concluditur oppositum eius, quod probant. 24. *1. Post. t. c. 5. & alibi. Instat cōtra tres rationes allatas cōtra Philosoph.*

Respondeo, [i] naturali ratione ostenditur, necessarium esse scire alteram partem determinatè huius contradictionis. *Fruitio est finis, fruitio non est finis.* Hoc est, quòd intellectus non sit merè dubius, vel neuter in hoc problemate, *an fruitio sit finis*; quia talis dubitatio, vel ignorantia impediret acquisitionem finis. Non autem ostenditur ratione naturali, quòd hæc pars sit necessariò cognoscenda. Et hoc modo rationes prædictæ, vt sunt naturales, concludunt de altera parte contradictionis, hac, vel illâ: non determinatè de hac, nisi ex creditis tantùm. *Rationes Scoti sunt suasiones tantùm.*

COMMENTARIVS.

85. h *COntra istas tres rationes instatur simul*, &c. Hìc Doctor per hanc rationem intendit probare quòd tres rationes priùs factæ, aut tantùm procedunt ex fide; aut si non procedunt ex fide, tunc ex ipsis concluditur oppositum eius, quod probant. Nam per primam probatur quòd cognitio vltimi finis sit necessaria. Per secundam probatur cognitio mediorum, ad vltimum finem esse necessaria. Et per tertiam probatur, quòd cognitio proprietatis Dei, puta quòd sit trinus, & vnus; sit necessaria: & quòd horum cognitio, scilicet vltimi finis, mediorum ad finem, & proprietatum Dei, via naturali haberi non possit.

86. Modò hìc Doctor probat quòd per has rationes concluditur, quod via naturali potest haberi cognitio prædictorum. Patet, quia quod ostenditur esse necessarium cognoscendum, hoc ostenditur esse verum: sed per has rationes ostenditur, cognitionem prædictorum esse necessariam; & si hoc ostenditur via naturali, sequitur quòd potest haberi. Et sic istæ tres rationes concludunt oppositum eius, quod probant: videlicet concludunt quòd naturalis talis cognitio potest haberi: & tamen dicit quòd per has tres rationes intendit probare, quòd huiusmodi cognitio non possit naturaliter haberi. Si enim demonstratur via naturali, quòd cognitio vltimi finis sit necessaria; sequitur quòd via naturali scitur, & cognoscitur talis finis: sicut si demōstratur naturaliter, hominem esse risibilem; naturaliter scitur, hominem esse risibilē. Similiter si naturaliter demonstratur, quòd cognitio mediorum ad finem, est necessaria, demonstrās naturaliter huiusmodi, cognoscit illa naturaliter: impossibile est enim demōstrare, quòd *A* est necessarium Francisco, nisi cognoscat ipsum *A*. Similiter dico de tertia ratione, quia si naturaliter demōstro, quòd homini est necessaria cognitio primæ substantiæ, quoad eius proprietates, necessariò cognosco illam primam substantiam quoad eius propria: aliter esset impossibile hoc demōstrare, quòd sit necessarium scire viatori. Cùm ergo istæ tres rationes procedant via naturali, statim

ſtatim deſtruunt ſeipſas. Patet, quia per illas demonſtro, quòd homo via naturali non poteſt cognoſcere vltimum finem, quoad primam; nec media ad finem vltimum, quoad ſecundam; nec proprietates primæ ſubſtantiæ, quoad tertiam; & tamen dum huiuſmodi demonſtro poſſe ſciri naturaliter, per illas demonſtrationes ſcio, & cognoſco illa neceſſaria, vt ſuprà dixi. Si verò procedunt ex fide, nihil concludunt contra Philoſophos, vt patet.

87. *Senſus literæ.* i *Reſpondeo, naturali ratione oſtenditur.* Senſus huius literæ eſt: Naturali ratione poteſt demonſtrari, quòd agenti propter fruitionem, tanquam finem vltimum acquirendum, *eſt neceſſarium ſcire alteram partem determinatè*, ſcilicet an fruitio ſit finis vltimus, vel non ſit finis vltimus. Si enim neſciret ipſam eſſe finem vltimum, non ageret propter finem vltimum. Et ſic neceſſarium eſt ad ſciendum an ſit finis, vel non, quòd in tali problemate non eſt merè dubius, nec neuter: ſcilicet, quòd non ſit ei neceſſarium ſcire determinatè, an ipſa fruitio, propter quam agit, ſit finis eius, vel non: & hoc modo tres rationes prædictæ ſunt naturales, vt patet diſcurrendo per illas. Sed vt concludunt alteram partem determinatè (puta quòd ipſa fruitio eſt finis) ſunt Theologicæ; & ſic debet intelligi iſta litera.

Dico ergo, quòd iſtæ tres rationes procedunt via naturali, & tamen non ſequitur, quòd via naturali cognoſcantur illa. De prima patet; quia per eam demonſtro, quòd agenti propter vltimum finem, eſt neceſſarium cognoſcere vltimum finem; non in ſe, ſed quòd cognoſcat, puta quòd fruitio Dei clare viſi, ſit vltimus finis; & tamen non cognoſcit illum in ſe; ſed quòd fruitio talis ſit vltimus finis hominis, non ſcitur via naturali: ſi enim agit efficaciter propter vltimum finem, puta propter *A*, oportet eum ſcire quòd *A* ſit vltimus finis, vel ne: quia ſi neſciret *A* eſſe vltimum finem, non ageret efficaciter propter illum; & ſic prima ratio non demonſtrat, quòd cognitio vltimi finis in ſe, ſit neceſſaria; ſed demonſtrat, quòd ſi agit propter *A*, tanquam propter finem, oportet ſcire indiſtinctè, an *A* ſit finis, vel ne: ita vt non ſit neuter, nec dubius. Similiter ſecunda ratio demonſtrat, quòd agentem propter finem, oportet ſcire media ad finem illum ordinata, non in ſe, ſed an *A* ſit medium, vel ne: puta an charitas ſit medium neceſſarium, vel ne. Non enim probat quòd ſit neceſſarium ſcire charitatem in ſe diſtinctè; ſed demonſtrat quòd oportet eum ſcire diſtinctè, an charitas ſit medium ordinatum ad finem talem, vel ne; ita quòd reſpectu talis medij non debet eſſe neuter, aut dubius: aliter efficaciter non ageret propter talem finem; ſed huiuſmodi medium non poteſt naturaliter ſciri. Hoc idem dico de tertia ratione: & ſic patet quomodo demonſtrant naturaliter contra Philoſophos. Quilibet enim Philoſophus concederet iſtam, Agenti propter finem eſt neceſſarium cognoſcere diſtinctè, an *A* ſit finis, vel ne, non quòd ſciat illum finem in ſe, & ſic dico de mediis.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta poſita à num. 3. pro ſententia Philoſophorum, explicando paſſim maximas, & axiomata Philoſophica. Ad primum, explicat quomodo intellectus agens eſt, quo eſt omnia facere. Item, non correſpondere actiuum naturale omni paſſiuo naturali. Tertiò, in eo dignificari naturam rationalem, quòd ſit ſuſceptiua perfectionis tam eminentis, vt nec ab ipſa, nec ab alia cauſa naturali effici poſſit.

25. *Ad argum. n.3. allata.* AD argumenta [k] pro opinione Ariſtotelis. Ad primum dico, quòd cognitio dependet ab anima cognoſcente, & obiecto cognito: quia ſecundùm Auguſtinum 9. de Trinitate, cap. vlt. *à cognoſcente, & cognito paritur notitia.* Licèt ergo anima habeat ſufficiens actiuum, & paſſiuum intra ſe, pro quanto actio reſpectu cognitionis conuenit animæ: non tamen habet intra ſe ſufficiens actiuum, pro quanto actio conuenit obiecto; quia ſic eſt vt tabula nuda, vt dicitur 3. *de Anima.* Eſt igitur intellectus *agens, quo eſt omnia facere*; verum eſt inquantum actio competit animæ reſpectu cognitionis: & non inquantùm obiectum eſt actiuum.

Text. c. 14. Scot. 1. d. 3. q. 7. & 8. & quodl. 15. agit de cauſa notitiæ.

Natura dupliciter ſumitur. Ad confirmationem [l] rationis, dico ad maiorem, quòd natura quandoque accipitur pro principio intrinſeco motus, vel quietis, provt deſcribitur 2. *Phyſicorum*; quandoque pro principio actiuo naturaliter, provt natura diſtinguitur contra artem, ſiue propoſitum propter oppoſitum modum principiandi. Primo modo non eſt vera maior, quia non correſpondet omni paſſiuo naturaliter principium actiuum, quòd ſic ſit natura; quia multa ſunt naturaliter receptiua alicuius perfectionis, cuius non habent principium intrinſecum actiuum. Secundo modo etiam propoſitio maior eſt falſa in quibuſdam, quando ſcilicet natura propter ſui excellentiam ordinatur naturaliter ad recipiendum perfectionem ita eminentem, quòd non poſſit ſubeſſe cauſalitati agentis naturalis, ſecundo modo dicti: & ita eſt in propoſito. Cùm [m] probatur maior; dico quòd potentia paſſiua non eſt fruſtra in natura: quia licèt per agens naturale non poſſit principaliter reduci ad actum: tamen poteſt per tale agens diſpoſitio ad ipſum induci, & poteſt per aliquod aliud agens in natura, id eſt, in tota coordinatione entium, puta (per agens ſupernaturale) completè reduci ad actum.

Text. c. 6. 2. Phyſ. & alibi. Vide Scot. 2. d. 18. Potentia ſi fruſtratur in aliquo indiuiduo, non tamẽ in ſpecie.

26. Si autem obiiciatur [n], quòd illud vilificat naturam, quòd ipſa non poſſit conſequi per

perfectionem suam ex naturalibus, cùm natura minùs deficiat in nobilioribus, ex 2. *Cœli, & Mundi.* Respondeo, si fœlicitas nostra consisteret in speculatione illa suprema, ad qualem possumus nunc naturaliter attingere, non diceret Philosophus naturam deficere in necessariis: nunc autem concedo illam posse naturaliter haberi: & vltra hoc, dico aliam eminentiorem posse naturaliter recipi; ergo in hoc magis dignificatur natura, quàm si suprema sibi possibilis, poneretur solùm esse ista naturalis. Nec etiam est mirum, quòd ad maiorem perfectionem sit capacitas passiua in aliqua natura, quàm eius causalitas actiua se extendat. *Text. c. 50. & 59.*

Illud autem ° quod additur de 2. *Cœli, & Mundi*, non est ad propositum; quia Philosophus loquitur *ibidem* de organis correspondentibus potentiæ motiuæ, si inesset stellis, quòd natura dedisset eis organa: & concedo vniuersaliter, quòd cui datur potentia, quæ nata est esse organica, ei datur à natura organum, (in non orbatis dico.) Sed in proposito dico, quòd data est potentia, sed non organica: non tamen sunt naturaliter data omnia alia, præter potentiam, concurrentia ad actum. A Philosopho igitur ibi haberi potest, quòd naturaliter ordinabile ad aliquem actum, vel obiectum naturaliter habet potentiam ad illud: & organum, si potentia est organica: sed non sic est de posterioribus requisitis ad actum.

Aliter tamen ᵖ posset dici ad maiorem, quòd ipsa est vera, loquendo de potentia passiua naturali, vt passiua comparatur ad actiuam: non autem, vt passiua comparatur ad actum receptum. Differentia membrorum patet in principio solutionis quæstionis: Minor verò est vera secundo modo, non primo. *Quia scilicet de facto tantũ intelligit, quæ relucent in phãtasmate.*

Posset autem tertio modo ᵠ faciliùs dici ad minorem, negando quòd licèt absolutè intellectus possibilis sit naturaliter receptiuus talis intellectionis: non tamen pro statu isto. Causa cuius dicetur inferiùs *dist.* 3. *quæst.* 1. 2. *&* 3.

COMMENTARIVS.

77. k AD *argumenta pro opinione Aristotelis*, &c. Nunc sunt argumenta pro opinione Philosophorum, soluenda.

Ad primum argument. respondet Doctor: ibi, *Ad argumenta pro opinione Aristotelis. Ad primum dico*, &c. Doctor concedit maiorem, scilicet quòd omni actiuo, &c. loquendo semper de actiuo totali, sed negat minorem, scilicet, quòd intellectus agens sit actiuus, vt comparatur ad omnia intelligibilia, intelligendo de actiuo totali. Nam ad cognitionem obiecti requiruntur duæ causæ partiales integrantes vnam totalem, vt subtiliter declarat Doctor infrà, *distinct.* 3. *quæst.* 7. *&* 9. & in *Quodlib. quæst.* 15. & sic quamuis intellectus agens possit esse partialis causa respectu cuiuscumque cognitionis, cognitio tamen haberi non potest nisi obiectum intelligibile concurrat, vt alia causa partialis: modò essentia diuina est obiectum merè voluntarium, vt probat Doctor *quæst.* 14. *Quodlib.* Et quòd hîc dicit de intellectu agente quòd competit sibi actio respectu cognitionis? An sibi hoc competat, vel intellectui possibili? vide in *quæst.* 15.

Ad cognitionẽ obiecti requiritur duæ causæ partiales.

l *Ad confirmationem rationis dico*, &c. Hîc Doctor dicit, quòd natura potest capi dupliciter. Primò, vt est principium motus, & quietis, sicut describitur 2. Physic. text. comm. 3. *Est*, inquit, *natura principium alicuius, & causa mouendi, & quiescendi in eo, in quo est principium, & per se, & non secundùm accidens*; hæc ibi. Secundò, vt distinguitur contra agens à proposito, quod est agens liberum, vt patet 2. Physic. Si primo modo accipiatur naturale principium intrinsecum passiuo, ista propositio est falsa, scilicet, quòd omni passiuo naturali, id est, quod inclinatur naturaliter ad aliquam perfectionem, correspondet principium naturale intrinsecum. Nam materia prima est passiuum naturale; quia inclinatur naturaliter ad omnem formam substantialem, & tamen in tali materia, non est principium naturale intrinsecum productiuum formæ substantialis, vt patet ex Doctore in 2. *distinct.* 18. Si etiam accipiatur *principium naturale*, vt distinguitur contra principium actiuum liberum, siue sit intrinsecum passiuo, siue sit extrinsecum, adhuc ista maior est falsa, scilicet quòd omni passiuo naturali, id est, naturaliter inclinato ad aliquam perfectionem, correspondeat aliquod principium naturale actiuum, accipiendo naturale actiuum pro actiuo creato. Nam anima intellectiua naturaliter inclinatur ad claram visionem Dei, & fruitionem eiusdem, & ad cognitionem abstractiuam distinctam Deitatis, & ad omnem habitum perficientem ipsam, cuiusmodi sunt habitus infusi, qui sunt valdè perfectiores acquisitis; & tamen nullum istorum potest causari ab agente naturali creato. Si verò intelligatur sic de principio actiuo naturali: puta quòd est ens in natura, concedit Doctor quòd omni principio naturali passiuo, respectu cuiuscumque perfectionis, ad quam inclinatur; correspondet aliquod actiuum in natura, id est, in tota coordinatione entium, & tale erit Deus.

Natura dupliciter capitur.

Sed in ista litera occurrunt duæ paruæ difficultates. Prima, quia Doctor hîc videtur exponere Aristotelem 2. *Physicor.* vbi dicit quòd *Natura est principium motus, & quietis*, quòd ipsa natura dicatur de principio actiuo intrinseco, & tamen in 2. *distinct.* 18. exponit dictum Aristotelis sic, quòd natura, quæ est principium motus, & quietis, dicitur de principio passiuo, quod scilicet habet naturalem inclinationem ad motum, & quietem, vt patet de graui, quod naturaliter inclinatur ad motum, & ad quietem respectu centri. 78.

Difficultas 1. Phys. cont. 3.

An natura dicatur de principio passiuo, vel actiuo.

Responsio.

Dico, quòd quamuis natura sic definita ab

Quomodo grauia habēt principiū intrinsecum sui motus, & quietis.

Aristotele dicatur in principio passiuo, non negat tamen, quin etiam possit dici de principio actiuo.

Dico vltrà, quòd hîc Doctor non intendit exponere Aristotelem; sed intendit tantùm loqui de principio actiuo naturali intrinseco, quodcumque sit illud, sicut dicimus, quòd grauia non tantùm dicuntur entia naturalia, quia habent naturalem inclinationem ad motum, & quietem; sed etiam quia habent principium intrinsecum sui motus, & quietis, vt grauitas ipsa, vt patet à Doctore in 2.distinct.2.in illa quæst. *An Angelus possit se mouere.* Accidit ergo in principio naturali passiuo habere in se principium sui motus, vt patet de medico sanante se.

79. Secunda difficultas est in hoc, quod dicit, quòd passiuo naturali respectu cuiuscumque perfectionis, ad quam naturaliter inclinatur, correspondet actiuum naturale, vt distinguitur contra agens à proposito, & sic ex responsione concedit, quòd tali passiuo, respectu perfectionis supernaturalis, correspondet principium supernaturale actiuum; & hoc est falsum, quia tale actiuum supernaturale non distinguitur contra agens à proposito. Imò est tantùm agens à proposito respectu eorum, quæ fiunt ad extrà, vt innuit Doctor in multis locis.

Dico primò, quòd Doctor non dicit sic absolutè, quòd cuicumque passiuo naturali correspondeat actiuum naturale, vt distinguitur contra agens à proposito; sed quòd sibi correspondet, saltem aliquod agens, quod dicitur ens naturale, id est, ens in natura, siue in tota coordinatione entium.

Quomodo passiuo naturali correspōdet actiuum naturale.

Posset etiam dici agens naturale, vt distinguitur contra agens à proposito, accipiendo *agens naturale* pro eo, quod supplet vicem agentis naturalis, & sic Deitas ipsa (si sibi non repugnaret agere ad extrà naturaliter) ageret in intellectu creato claram visionem sui, & fruitionem eiusdem. Et quia voluntas diuina supplet vicem huiusmodi agentis: hoc modo potest dici agens naturale, licèt merè liberè agat. Et quòd hoc non sit incongruum dicere, patet idem in simili à Doctore in 14.quæst. Quodl.& aliqualiter in 15.

80. m *Cùm probatur maior*, &c. Dicit Doctor quòd licèt potentia passiua animæ nostræ non possit completè reduci ad actum, nisi per agens supernaturale, puta ad beatitudinem, vel ad aliquod supernaturale, potest tamen disponi ad ipsum actum. Si Doctor intelligat, quòd ipsa anima, vel aliquod agens naturale, possit causare aliquam dispositionem ad claram visionem Dei, vel ad distinctam cognitionem abstractiuam Dei, vel ad quodcumque aliud supernaturale, sic quòd talis dispositio sit ex natura rei, non credo esse verum, nam Doctor sibi contradiceret. Dico ergo, quòd loquendo de dispositione, quæ est ex determinatione agentis supernaturalis, talis dispositio potest causari ab agente naturali, vt patet: quia Deus ordinauit attritionem esse dispositionem ad gratiam: talis attritio potest causari ab anima ex puris naturalibus, vt patet à Doctore *in* 4. *dist.* 14. *quæst.*1. Et quando Doctor loquitur, quòd dispositio ad actum supernaturalem, potest causari ab agente naturali: debet intelligi tantùm de dispositione, quæ est ex sola determinatione agentis supernaturalis, de qua dispositione patet à Doctore in 1. dist. 17. & in 4. distinct. 1. quæst.1. & quæst.4.& dist.14.& alibi sæpè.

Duplex dispositio.

n *Si autem obiiciatur, quod illud vilificat*, &c. 81.
Dicit Doctor quòd si felicitas nostra consisteret in speculatione illa suprema, quam posuit Aristoteles 10. *Ethicorum, cap.* 10. non diceret Theologus naturam deficere in necessariis; quia certum est, quòd illa potest haberi à nobis. Sed quia ponimus aliam eminentiorem posse naturaliter recipi: ergo in hoc magis dignificatur natura, quàm in oppositum, & sic satis patet ista litera.

Apparens cōtradictio.

Hîc quidam volunt reprehendere Doctorem dicentes sibiipsi contradicere, quia *in* 4.*d.*49. subtiliter probat, quòd homo ex puris naturalibus non potest attingere felicitatem, ad quam ordinatur. Et hîc dicit, quòd illa felicitas eminentior potest naturaliter recipi.

Solutio.

Dico, quòd in materia de beatitudine, loquitur de principio actiuo naturali, hîc verò loquitur de principio passiuo naturali. Cùm dicit naturaliter potest recipi, id est, est perfectio, ad quam ipsa anima est in potentia naturali receptiua.

o *Illud autem quod additur de* 2. *Cæli, text.* 81.
*com.*50. scilicet quòd natura minùs deficit in nobilioribus, secundùm aliam translationem. *Dicimus* (inquit) *quòd extra rationem est, vt natura ponat stellas motas, & non dedit eis instrumentum motus, natura autem nihil ponit ociosè sine causa, & impossibile est, vt natura esset ingeniata in animalibus, & dimisisset hac corpora habentia vitales dispositiones, & abstulisset eis eu, per qua possent moueri per se,* id est, *ab intrinseco, & remouit eas à rebus habentibus instrumentum motus.* hæc ibi. Et *text. comm.*59. secundùm aliam translationem: *Et iam declarauimus* (inquit) *quòd stella non mouentur omnino per se, & quòd natura nihil facit ociosum, & sine fine: rectè ergo fecit ea, qua non mouentur figura immobili omnino: stella autem non mouetur, quia nihil habet ex instrumentis motus.* Hæc ibi. Si ergo natura inferior animâ, potest naturaliter attingere perfectionem, ad quam ordinatur: multò magis anima, cùm sit perfectior, poterit attingere naturaliter ad omnem perfectionem, ad quam ordinatur.

Dicit Doctor quòd Philosophus loquitur ibi 82.
de organis correspondentibus potentiæ motiuæ. Nam si natura dedisset stellis potentiam motiuam respectu motus progressiui, etiam dedisset eis organa, per quæ stellæ possent moueri motu progressiuo. Si enim naturæ inferiori dedit potentiam motiuam, & organa necessaria ad motum progressiuum, multò magis dedisset stellis, si eis dedisset potentiam motiuam, cùm natura minùs deficiat in nobilioribus, secundùm Philosophum, *vbi suprà.* Et quod dicit *in non orbatis*: dico quòd licèt natura multis animalibus imperfectis dederit potentiam motiuam; tamen propter eorum imperfectionem non dedit organa. Sequitur; *Sed in proposito*: dico, *quòd data est homini potentia, sed non organica*: cùm intellectus non sit potentia organica; non tamen sunt naturaliter data omnia alia, præter potentiam concurrentem ad actum, id est, licèt anima habeat potentiam ad actum; non tamen habet omnia requisita ad illum: quia ad actum requiritur etiam obiectum, vt *suprà* dixi.

Quomodo natura non deficit in necessariis.

Intellectus nō est potentia organica.

p *Aliter tamen posset dici.* Sensus huius litteræ est, quòd sumendo potentiam passiuam, vt refertur correlatiuè ad actiuam, sic actiua est naturalis: sed quando comparatur ad actum rece- 83.

ptum

ptum à potentia actiua, tunc non refertur correlatiue: & per consequens non est necessarium sibi correspondere potentiam actiuam naturalem. Quia ergo ista potentia passiua dicitur naturalis respectu actus, quia ipsum recipit naturaliter; & non dicitur naturalis respectu agentis; ideò non sequitur, quòd si potentia passiua sit naturalis: quòd etiam actiua sibi correspondens sit naturalis.

Potentia passiua duplex.

q *Posset autem tertio modo facilius dici ad minorem.* Quando dicebatur, quòd intellectus possibilis est receptiuus omnis intellectionis. Dicit Doctor quòd licèt intellectus absolutè sumptus, sit naturaliter receptiuus intellectionis supernaturalis, non tamen pro statu isto; quia pro statu isto tantùm recipit cognitionem sensibilium, & contentorum in eis essentialiter, vel virtualiter, vt infrà patebit *dist.3.q.1.2.& 3.*

Nota tamen, quòd quando dicit Doctor, *pro statu isto non potest recipere*, &c. debet intelligi semper accipiendo statum istum, vt *status iste* accipitur pro stabili permanentia legibus diuinæ sapientiæ firmata: quibus legibus stabilitum est, quòd intellectus noster non intelligat pro statu isto, nisi illa quorum species relucent in phantasmate, & hoc siue propter pœnam originalis peccati, siue propter naturalem concordiam potentiarum animæ in operando, vt dicit Doctor *infrà distinctione 3. quæst.3.*

Terminatio intellectus nostri pro statu isto.

Si dicatur: Nónne Deus potest infundere homini existenti in isto mundo notitiam distinctam Deitatis?

Dico quòd sic. Sed tunc intellectus non diceretur recipere, vt in statu isto: quia, vt in statu isto recipit mediantibus phantasmatibus: & de hoc vide Doctorem in 2.dist.11. Et sic patet solutio ad primum argumentum.

SCHOLIVM.

Reiicit solutionem Diui Thomæ, ad secundum argumentum refutat etiam, quod ait, habitum non quà talis, sed quà forma distinctionem sumere à principio; quia forma est superius ad habitum, & non possunt aliqua distingui in superiori, & esse indistincta in ratione inferioris. Reiicit etiam suppositum Diui Thomæ, scilicet principia distinguere formas, vel habitus, aliter quàm in ratione effectiui. Respondet ergo ad argumentum, negando sufficienter tradi notitiam de omni scibili quoad omnia cognoscibilia, in scientiis acquisitis, vt ostensum est tertio argumento contra Phil. num. 14. *& per consequens necessariam esse notitiam altiorem.*

AD secundum [a] dicitur, quòd diuersa ratio scibilis diuersitatem scientiarum inducit: eandem enim conclusionem demonstrat Astrologus, & naturalis, puta quòd terra est rotunda. Sed Astrologus per medium Mathematicum, id est, à materia abstractum: naturalis autem per medium circa materiam consideratum. Vnde nihil prohibet de eisdem rebus, de quibus Philosophicæ scientiæ tractant, secundùm quòd sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundùm quòd cognoscuntur lumine diuinæ reuelationis. 27.

D.Thom.1. q.1. art.1. 1.Post.t.43 De eodẽ scibili plures esse possunt scientiæ.

Contra [b] hoc; si de cognoscibilibus in Theologia est possibilis tradi cognitio in aliis scientiis, licèt in alio lumine; ergo non est de eis necessaria cognitio Theologica. Consequentia patet in exemplo eius, quia per medium Physicum cognoscens terram esse rotundam, non indiget cognitione eius per medium Mathematicum, tanquam simpliciter necessarium. Dicta autem responsio ad secundum, exponitur sic; habitus, & est habitus, & est forma: inquantùm est habitus, habet distinctionem ab obiecto: inquantùm est forma, potest distingui à principio actiuo: respectu autem habitus scientifici principia sunt causæ effectiuæ. Licèt igitur, vbi est idem scibile, puta, quòd terra est rotunda, non sit distinctio per obiecta, tamen est ibi distinctio per principia, quibus Mathematicus; & Physicus hoc ostendunt: & ita est distinctio habituum, inquantum sunt formæ.

Contra [c] istud forma est communis ad habitum; quia omnis habitus est forma, & non è conuerso: impossibile est autem aliqua esse distincta in ratione superioris, & non esse distincta in ratione inferioris: ergo impossibile est aliqua esse distincta in ratione formæ, & tamen esse indistincta in ratione habituum. Hoc enim esset, ac si aliqua essent distincta in ratione animalis, & indistincta in ratione hominis. 28.

Reiicit D. Thom. dicẽtem, 1.2.q.1. art.3. habitus formaliter per obiecta distingui.

Præterea, [d] supponit quòd principia sunt distinctiua habitus conclusionis in alio genere causæ, quàm vt principia effectiua; quod falsum est: quia si aliquam rationem causæ distinctiuæ habent ad habitus istos, non habent nisi rationem causæ effectiuæ. Præterea, semper stat ratio; quia quantumcunque possent poni habitus cognoscitiui distincti, non tamen saluatur necessitas vnius habitus, quasi aliàs cognitio sit impossibilis, ponendo possibilitatem alterius habitus vndecunque distincti. Ideò ad argumentum respondeo, quòd in illis scientiis speculatiuis, etsi tractetur de omnibus speculabilibus: non tamen quantum ad omnia cognoscibilia de eis; quia non quantum ad propria eorum cognoscibilia, sicut patuit prius, in tertia ratione principali contra opinionem Philosophorum.

COMMENTARIVS.

1. a AD secundum respondet Doctor: ibi, *Ad secundum dicitur, quòd diuersa ratio*, &c. Hæc est responsio Sancti Thomæ, quæ stat in hoc quòd eadem conclusio potest sciri per aliud, & aliud medium, & diuersitas mediorum inducit diuersitatem notitiarum eiusdem conclusionis: vt patet in ista conclusione: *Terra est rotunda*, quæ ab Astrologo probatur per medium Mathematicum; puta sic arguendo: Omne illud à cuius centro ad circumferentiam eiusdem, omnes lineæ eductæ sunt æquales, est rotundum: sed à centro terræ ad circumferentiam eiusdem, omnes lineæ ducuntur æquales: ergo terra est rotunda. Physicus verò, siue naturalis probaret per medium circa materiam consideratum: vt sic arguendo: illud est rotundum, cuius partes mouentur circa centrum: sed partes terræ sunt huiusmodi; ergo, &c.

b *Contrà.* Hîc Doctor arguit contra Thomam primò, quia si cognoscibilia in Theologia possunt sciri medio Theologico, & medio naturali; sequitur quòd istorum non sit simpliciter necessaria notitia supernaturalis, quia naturalis est sufficiens, & patet litera.

Ibi: *Dicta autem responsio ad secundum exponitur sic.* Hæc responsio est ad aliud argumentum, scilicet quo probatur, quòd alius, & alius habitus specie distinctus, non potest esse eiusdem conclusionis, siue eiusdem obiecti: quia scientia specificatur ab obiecto: ergo scientiæ specie distinctæ erunt obiectorum specie distinctorum, & similiter conclusionum specie distinctarum. Respondet Thomas 1. 2. *quæst.* 54. *art.* 2. & Goffredus *Quodlib.* 14. quòd habitus scientiæ potest dupliciter considerari. Vno modo, vt est habitus: & sic habet distinctionen ab obiecto: & sic distincti habitus specie sunt distinctorum obiectorum specie. Alio modo, inquantùm est forma, & sic habet distinctionem à principiis, quæ sunt causæ effectiuæ habitus scientifici. Licèt ergo vbi est eadem conclusio, non sit distinctio habituum per obiecta: potest tamen esse distinctio habituum circa eandem conclusionem per diuersa principia: siue per diuersa media, quæ sunt causæ effectiuæ notitiæ.

2. c *Contra istud.* Doctor improbat hanc responsionem: & primò in hoc quod dicit, quòd licèt eiusdem conclusionis non sit alius, & alius habitus in ratione habitus: tamen eiusdem conclusionis potest esse alius, & alius habitus in ratione formæ: sic quòd habitus, vt habet rationem formæ potest esse alius, & alius: vt verò habet rationem habitus, erit tantùm vnus respectu vnius conclusionis: & Doctor probat hoc esse impossibile; quia est impossibile quòd aliqua distinguantur in superiori, & non distinguantur in inferiori: vt quòd homo, & asinus distinguantur in animali, siue in ratione animalis, & quòd non distinguantur in rationibus propriis. Cùm ergo omnis habitus sit forma, & non è contra, est impossibile quòd habitus dicatur distingui in forma, & non in ratione habitus. Et certè isti non possunt respondere ad istud argumentum, nisi aliter exponant responsionem Thomæ.

3. d *Præterea supponit*, quòd principia distinguant in alio genere, quàm in genere causæ efficientis. Hoc Thomas non supponit loco suprà allegato, sed hoc supponit in 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 3. vbi vult, quòd obiecta distinguant habitus in genere causæ formalis, vel finalis. Dicit enim, quòd obiectum est forma extrinseca ipsius habitus, & dat ei speciem. Et hoc improbat Doctor, vt patet in litera.

Et nota, quòd Doctor accipit principia pro obiectis non pro præmissis: aliter nihil concluderet contra Thomam, quia ponit alias, & alias præmissas respectu alterius, & alterius syllogismi, etiam secundùm Doctorem. Principia ergo distincta, siue media distincta, quibus distinguuntur scientiæ, accipiuntur pro alio, & alio obiecto, & Thomas vult, quòd huiusmodi obiecta distinguant formaliter, vt suprà dixi. Et Doctor hoc improbat subtiliter: quia si huiusmodi obiecta habent rationem aliquam distinguendi habitum, nullam aliam habere possunt, nisi effectiuam: quia scientia causatur ab obiecto, & ex hoc specificatur ab illo: & sic accipit distinctionem ab illo: & de hoc vide quæ dicit Doctor infrà, distinct. 3. quæst. 7. & vide quæ ibi exposui.

e *Ideò respondeo.* Dicit Doctor quòd licèt in illis scientiis speculatiuis tractetur de omnibus speculabilibus, saltem in communi, non tamen tractatur de omnibus, quoad multa alia: puta quo ad proprietates incomplexas primæ substantiæ.

Sed aliqui expositores Theologiæ dicunt quòd Thomas non intendit, quòd per medium reuelatum solùm sciantur ea, quæ in aliis scientiis humanitùs inuentis traduntur: imò multæ aliæ necessitates sunt, ad quas intellectus non potest aspicere, nisi supernaturaliter adiutus. Vult ergo dicere, quòd de eisdem rebus possunt esse diuersæ scientiæ, secundùm quòd eadem res potest considerari secundùm diuersa media. Et addunt, quòd etiam posito, quòd eadem res possit sciri per medium naturale, & Theologicum: tamen Theologia non superfluit, &c. 4.

Sed hæc responsio non soluit, quia non concluditur necessitas simpliciter alicuius supernaturalis: vt patet intuenti. *Solutio declarationis exponentis rationē S. Thomæ.*

Ad aliud de habitu, & forma, dicunt, quòd non intendit aliqua distingui in ratione superioris, puta formæ, & non distingui in ratione inferioris, puta habitus: sed intendit, quòd habitus possunt distingui secundùm modum distinctionis formarum, & secundùm modum distinctionis proprium habitibus.

Sed hæc responsio non euacuat rationem Doctoris. Primò, quia Thomas non intendit, vt isti exponunt, vt patet prima 2. quæst. 54. art. 2. vide ibi. Secundò: quia modus formæ in plus se habet, quàm modus habitus, vt patet: & sic ratio Doctoris adhuc stat. Et vltrà, non quærit Thomas de distinctione habituum, secundùm modum, sed secundùm rem, scilicet quomodo isti habitus distinguuntur, &c.

* * *

SCHOLIVM.

Reiectâ solutione Henrici, & Goffredi ad tertium soluit illud explicando quomodo in primis principiis non includuntur omnes conclusiones scibiles. Licèt enim termini talium principiorum sint communes, & naturaliter cognoscibiles, & distributi pro inferioribus, tamen distribuuntur tantùm respectu prædicati communis, & ideò virtute talium principiorum non sciuntur particulares proprietates de inferioribus, sed tantùm communes. Quod optimè explicat exemplo, atque adeò ad cognoscendas particulares proprietates Dei, & aliorum obiectorum non sufficiunt prima principia, & sic ponenda est specialis scientia respectu huiusmodi scibilium. Exponit duo axiomata Logica.

AD tertium [a] respondetur sic, quòd prima principia non possunt applicari ad conclusiones aliquas, nisi sensibiles: tum, quia termini eorum sunt abstracti à sensibilibus, & ita sapiunt naturam eorum: tum, quia intellectus agens, per quem debet fieri applicatio, limitatur ad sensibilia. 29. *Henric. in summ.*

Contrà; [b] certum est intellectui, quòd illa principia prima sunt vera, non tantùm in sensibilibus, sed in insensibilibus: non enim magis dubitatur, quòd contradictoria non sunt simul vera de eodem immateriali, quàm materiali: quare responsio nulla. Et quod [c] dicitur, quòd terminus primi principij est ens, quod diuiditur in decem genera, & illud non extendit se ad obiectum Theologicum; hoc nihil valet: quia non magis dubitamus, quòd contradictoria non sunt simul vera de Deo, quàm de altero, vt quòd *Deus est beatus, & non beatus.* *Præpositiuus part. 1. summ. Varr. lib. 1. q. 5.*

Alia datur responsio; [e] quòd ex maioribus solùm non sequuntur conclusiones, sed cum minoribus adiunctis: nunc autem minores non sunt naturaliter manifestæ, quæ debent illis adiungi. Contrà: minores [f] sumendæ sub primis principiis, prædicant de sumptis sub terminos subiectos primorum principiorum: sed notum est, terminos primorum principiorum dici de quolibet, quia sunt communissimi: ergo.

Ideò respondeo, [g] quòd secunda pars minoris est falsa; hæc scilicet, quòd in primis principiis includuntur virtualiter omnes conclusiones scibiles. Ad probationem [h] dico quòd sicut termini subiecti sunt communes, ita & termini prædicati: quando igitur termini subiecti sic distributi accipiuntur pro omnibus, non accipiuntur nisi respectu terminorum prædicatorum, qui sunt communissimi: & per consequens virtute talium principiorum, non sciuntur de inferioribus nisi prædicata communissima. 30.

Hoc patet ratione, quia medium non potest esse propter quid respectu passionis, nisi quæ includitur virtualiter in ratione illius medij: in ratione autem subiecti principij communissimi non includitur propter quid aliqua passio particularis, sed tantùm communissima: ergo illud subiectum non potest esse ratio cognoscendi aliquas passiones, nisi communissimas. Sed præter passiones communissimas sunt multæ aliæ passiones scibiles, ad quas non possunt rationes primorum principiorum esse media, quia non includunt illas: ergo sunt multæ veritates scibiles, quæ non includuntur in primis principiis *Ex principiis communissimis non cognoscitur omnes proprietates speciales de inferioribus.*

Hoc patet ex hoc exemplo, quia istud: *Omne totum est maius sua parte*, etsi includat istam, *Quaternarius est maior binario*, & alias similes de eodem prædicato: non tamen includit istas, scilicet, *Quaternarius est duplus ad binarium*, & *Ternarius se habet in proportione sesquialtera ad dualitatem.* Nam ad ista prædicata, oportet habere media specialia concludentia ipsa. *Exemplum de toto.*

Secunda ratio [i] Logica est; quia licèt contingat descendere sub subiecto vniuersalis affirmatiuæ, non tamen sub prædicato. Multa autem prædicata contenta sub prædicatis primorum principiorum sunt scibilia de inferioribus ad subiecta illorum: igitur illa prædicata per prima principia non sciuntur de illis subiectis.

Contra istud [k] obiicitur; de quolibet affirmatio, vel negatio est de necessitate vera; sequitur ergo de necessitate, *Hoc esse album, vel non album*, ita quòd licet ibi descendere sub prædicato, & sub subiecto. Respondeo, illud principium: *De quolibet affirmatio, vel negatio*, &c. valet istam, *De quolibet cuiuslibet contradictionis altera pars est vera, altera falsa.* Vbi duplex est distributio ex parte subiecti, scilicet *De quolibet*, & *cuiuslibet*: & sub vtroque distributo licet descendere; igitur de hoc, *Huius contradictionis altera pars est vera, altera falsa.* Sed sub prædicato stante confusè tantùm non licet descendere; quia non sequitur, *De quolibet cuiuslibet altera pars*, &c. ergo hæc pars: & ita in aliis principiis semper prædicatum vniuersalis affirmatiuæ stat confusè tantùm, siue sint ibi duæ distributiones in subiecto, siue vna. 31. *De quodlibet affirmatio, vel negatio est vera, explicatur. Sub prædicato stante confusè non descenditur.*

Et

Et in proposito exemplo adhuc patet propositum : quia de homine verum est, quòd sit risibilis. Nunquam tamen per hoc principium, *De quolibet*, &c. potest plus inferri; nisi, *ergo de homine risibile*, vel *non risibile*. Altera igitur pars prædicati disiuncti nunquam scietur de subiecto per hoc principium commune : sed requiritur aliquod principium speciale, tanquam medium determinatum, & ratio sciendi *risibile* de homine.

32. Ad argumenta [l] principalia. Ad primum, distinguo de obiecto naturali, quod potest accipi, vel pro eo, ad quod naturaliter, siue ex actione causarum naturaliter actiuarum, potest potentia attingere : vel pro illo, ad quod potentia naturaliter inclinatur, siue possit illud naturaliter attingere, siue non. Posset ergo maior negari, intelligendo *naturale* primo modo : quia obiectum primum est adæquatum potentiæ; & ideò abstractum ab omnibus illis, circa quæ potest potentia operari : non autem oportet, si intellectus possit naturaliter intelligere tale commune, quòd possit intelligere quodcunque contentum sub illo : quia intellectio alicuius contenti multò excellentior est intellectione confusâ talis communis. Et sic, concessâ minore in vtroque sensu, conclusio intenta non habetur, scilicet de naturaliter attingibili : quia sic maior fuit falsa.

Varr. lib. 1. q. 2.

Obiectũ naturale aliud inclinationis, aliud attingentiæ.

Contra hanc [m] responsionem arguo, quia destruit se ipsam. Primum enim obiectum est adæquatum potentiæ, hoc est, quòd nihil respicit potentia pro obiecto, nisi in quo est ratio illius primi : & in quocunque est ratio illius primi, illud respicit potentia pro obiecto : ergo impossibile est aliquid esse obiectum primum naturaliter, quin quodlibet contentum sub illo sit per se obiectum naturaliter. Da enim oppositum, & tunc non est adæquatum naturaliter, sed excedens : & aliquid eo inferius est adæquatum, & ita primum.

Ratio autem, quæ adducitur pro responsione, fallit secundùm fallaciam figuræ dictionis. Licèt enim ens, vt est quoddam intelligibile vno actu (sicut homo est intelligibilis vnâ intellectione) sit naturaliter attingibile (illa enim vnica intellectio entis vt vnius obiecti est naturalis) non tamen ens vt primum obiectum, id est, adæquatum, potest poni naturaliter attingibile, nisi quodlibet sub eo contentum sit naturaliter attingibile : quia est primum obiectum, vt includitur in omnibus per se obiectis. Commutatur igitur *hoc aliquid* in *quale quid*, cùm arguit; ens est naturaliter attingibile: ergo ens, vt primum obiectum, hoc est, adæquatum, est naturaliter attingibile; falsum est : quia antecedens est verum, vt *ens* est vnum intelligibile singulare, sicut *album* : sed consequens concludit de ente, vt includitur in omni intelligibili, non vt seorsum ab illis intellectum.

Fallacia figuræ dictionis.

33. Ad argumentum [n] igitur est alia responsio realis; quòd minor est falsa de obiecto naturali, id est, naturaliter attingibili : vera alio modo de obiecto, ad quod naturaliter inclinatur potentia : & ita debet intelligi auctoritas Auicennæ. Quid autem sit ponendum obiectum primum naturaliter attingibile, de hoc infrà *dist.* 3. Confirmatur [o] responsio per Anselmum *de lib. arb. c. 2. Nullam* (inquit) *vt puto, habemus potestatem, quæ sola sufficiat ad actum.* Potestatem autem vocat, quod nos communiter dicimus potentiam, sicut patet per exemplum eius de sensu visus. Non est igitur inconueniens potentiam esse naturaliter ordinatam ad obiectum, ad quod non potest naturaliter attingere: sicut quælibet ex se sola ordinatur ad actum, & tamen non potest ex se sola attingere.

Vide Scotũ 1. d. 3. q. 4.

Quæst. 3.

Non omne obiectũ etiã naturale semper attingibile naturaliter.

Ad secundum argumentum, nego consequentiam. Ad probationem, patet ex dictis in responsione ad confirmationem primi argumenti pro opinione Philosophi, quòd superiora ordinantur ad perfectionem maiorem passiuè recipiendam, quàm ipsa possint actiuè producere : & per consequens istorum perfectio non potest produci, nisi ab aliquo agente supernaturali : non sic est de perfectione inferiorum, quorum perfectio vltima potest subesse actioni agentium inferiorum.

Quare intellectus eget eleuatione ad aliqua sua obiecta, sensus non?

Et ideò natura non deficit in necessariis in potentiis superioribus : quia perfectiones, ad quas ordinantur, ex causis naturalibus non possunt habere : quia non possunt subesse alicui causalitati agentis naturalis. Quia verò perfectiones inferiorum entium tali causalitati subsunt, deficeret natura, si non daret vnde possent.

34. Ad tertium, dico [p] quòd veritati complexæ alicui firmiter tenendæ intellectus possibilis est improportionatus, hoc est, non est proportionaliter mobile respectu talium agentium, quæ ex phantasmatibus, & ex lumine naturali intellectus agentis, non possunt cognosci. Cùm autem arguis; igitur sit proportionatus per aliquid aliud, concedo: sed per aliud in ratione mouentis : quia per mouens supernaturale reuelans assentit illi

illi veritati: & per aliud in ratione formæ: quia per istum assensum factum in ipso, qui est quasi quædam inclinatio in intellectu ad illud obiectum, proportionans illud isti.

Cùm vltrà [r] de illo alio quæris, an sit naturale, vel supernaturale? dico quòd supernaturale, siue intelligas de agente, siue de forma. Cùm infers; ergo [s] intellectus est improportionatus ad illud, & per aliud proportionatur. Dico quòd ex se est in potentia obedientiali ad agens, & ita sufficienter proportionatur illi, ad hoc vt ab ipso moueatur. Similiter [t] si ex se est capax illius assensus causati à tali agente, etiam est naturaliter capax: non oportet ergo ipsum per aliud proportionari illi assensui in recipiendo. Statur [u] igitur in secundo, non in primo: quia veritas ista reuelata non est sufficienter inclinatiua intellectus ad assentiendum sibi: & ita est improportionale agens, & passum sibi improportionale. Sed agens supernaturale est sufficienter inclinatiuum intellectus ad istam veritatem, causando in ipso assensum, quo proportionatur huic veritati, ita quòd non oportet intellectum per aliud proportionari tali agenti, nec formæ ab ipso impressæ, sicut oportet ipsum proportionari tali obiecto per aliud duplici modo prædicto.

Quomodo proportionatur intellectus obiecto supernaturali?

Agens supernaturale concausat assensum simul cum intellectu, & hoc vult hîc.

Vide eum 3. d. 23. §. aliter potest.

COMMENTARIVS.

1. a AD tertium, &c. Et primò adducit responsiones quorundam: & secundò dat responsionem propriam. Prima responsio est Henrici *in Summa*, qui dicit, quòd prima principia tantùm possunt applicari ad conclusiones sensibiles. Tum, quia termini eorum sunt abstracti à sensibilibus: nam pro statu isto intellectus noster tantùm determinatur ad sensibilia, vel ad inclusa virtualiter, vel essentialiter in eis: vt etiam vult Scotus infrà *d.* 3. *q.* 3. Et sic Henricus diceret ad minorem, quòd naturaliter cognoscimus prima principia, scilicet illa, quorum termini abstracti sunt à sensibilibus.

b *Contra*, &c. Hîc arguit Doctor contra Henricum probando, quòd prima principia etiam verificantur de insensibilibus: & patet in litera, sed pro quo instanti dicantur contradictoria in Deo, an pro instanti æternitatis; vel temporis, vel naturæ, vel originis: vide quæ notaui *in* 2. *dist.* 2. de mensura Angelorum, & videbis multa bona, & ponderanda.

Dico tamen vnum, quòd si Henricus intelligat, quòd per prima principia via naturali tantùm possunt sciri conclusiones, sensibiles supple: quorum termini, vel sunt in se formaliter sensibiles: vel virtualiter, vel essentialiter continentur in sensibilibus, quòd Henricus benè dicit: nec in hoc Doctor reprehendit Henricum, quia & ipse Doctor expresè vult, quòd pro statu isto tantùm cognoscamus sensibilia: vel in se formaliter, vel quæ continentur virtualiter, vel essentialiter in sensibilibus. Si verò Henricus intelligat, quòd prima principia nullo modo possunt applicari insensibilibus, loquendo de intellectu nostro ex natura intellectus, hoc patet esse falsum, cùm intellectus noster ex natura intellectus, possit naturaliter cognoscere multa insensibilia, & immaterialia, vt subtiliter patet infrà à Doctore *distinct.* 3. *quæst.* 3. & ibi diffusè glossaui. Si etiam loquatur de intellectu nostro pro statu isto, quòd non possit applicare prima principia conclusionibus immaterialibus, quarum termini non habentur virtute sensibilium, id est, nisi termini illi præcisè habeantur virtute sensibilium, ita quòd si illi termini, puta huius conclusionis *Deus est trinus, & vnus*, cognoscerentur distinctè: per reuelationem tamen adiuti, adhuc conclusioni tali non possemus applicare primum principium: puta hoc, aut *Deus est trinus, & vnus*, aut non: quod dependet ab isto *De quolibet*, &c. tunc ratio Doctoris euidenter concludit contra Henricum, quia si Deus reuelaret mihi distinctè Deitatem, & proprietates ipsius, statim possem applicare aliquod primum principium. De lege tamen communi, vt suprà dixi, etiam loquendo de Theologia reuelata, prima principia tantùm possunt applicari conclusionibus, quarum termini habentur ex sensibilibus.

2. c *Et ideò aliter dicitur*, &c. Hæc est responsio Præpositiui *parte prima Summæ*, qui dicit, quòd primum principium tantùm potest applicari decem Generibus, vel contentis in eis: quia communitas principij, sumitur à communitate terminorum. Sed terminus primi principij, quod est *ens* (cùm dicimus de quolibet ente dicitur esse, vel non esse) quod tantùm diuiditur in decem Genera.

Præpositiuus parte prima Sum.

d *Hoc nihil valet*, &c. Hæc tamen responsio debet exponi sicut responsio Henrici. Certum est enim, quòd viâ naturali non possumus applicare huiusmodi contradictoria Deo, cùm non cognoscamus ipsum in se: benè sic possunt applicari dubitando de aliquo ente, an sit beatum, an non beatum, & isti termini abstrahuntur à sensibilibus.

e *Alia datur responsio*. Hæc est responsio Guillelmi Varronis *lib.* 1. *quæst.* 5. qui dicit, quòd ex maioribus solùm non sequuntur conclusiones, sed cum minoribus adiunctis. Sed minores non sunt naturaliter manifestæ, quæ debent illis maioribus adiungi. 3.

f Contra arguit Doctor. *Minores sumendæ sub primis principiis, prædicant de sumptis sub terminos subiectos primorum principiorum*, id est, quod subiicitur in maiori, prædicatur in minori: vt hæc, De quolibet ente verum est dicere, quòd est, vel non est. Sed omne animal est ens, ergo de quolibet animali verum est dicere, quòd est, vel non est. Et sic patet, quòd si primum principium sit notum naturaliter: quòd etiam minores, quæ subsumuntur, erunt notæ naturaliter, cùm notum sit, terminos primorum principiorum dici de quolibet, quia sunt communissimi.

g *Ideò respondeo*. Nunc Doctor dat responsionem propriam, concedendo maiorem absolutè, & 4.

& primam partem minoris: negando secundam partem minoris.

h *Ad probationem dico.* Responsio stat in hoc, quòd ex quo terminus prædicatus in primo principio est communissimus: ideò virtute primi principij, de quolibet subiecto, contento sub subiecto primi principij: verificantur prædicata communia dicta de subiecto primi principij, exempli gratia: *De quolibet ente dicitur esse, vel non esse.* Sed animal est ens: ergo de animali dicitur esse, vel non esse. Non enim virtute talis principij potest concludi aliqua proprietas] inferior prædicato primi principij: vt puta, quòd sit sensibile, vel viuens, & huiusmodi: & quòd tantùm prædicata communia, dicta de subiecto primi principij, possint verificari de quolibet contento sub subiecto primi principij, ostendit ratione: *quia medium non potest esse propter quid respectu passionis*, &c. Sicut patet de risibilitate, quæ demonstratur de homine per rationale, in quo virtualiter, & adæquatè includitur. Sed certum est, quòd in ratione subiecti principij communissimi, non includitur propter quid, aliqua passio particularis, sed tantùm communissima: sicut etiam in ratione animalis, non includitur risibilitas virtualiter: quia tunc per rationem animalis demonstraretur primò de animali: & deinde de omni inferiori ad animal, quod est impossibile. Sic in proposito, licèt in subiecto primi principij communissimi includantur passiones communissimæ, & conuertibiles cum ipso, non tamen includuntur passiones inferiorum: & sic patet quomodo secunda pars minoris est manifestè falsa.

5. i *Secunda ratio Logica est*, &c. Quare, videlicet per primum principium non possint demonstrari particularia prædicata de contentis sub subiecto primi principij: sed tantùm demonstrantur communissima prædicata. Hoc patet per rationem Logicam: quia sub prædicato vniuersalis affirmatiuæ, non contingit descendere ad aliqua inferiora: quia descensus esset manifestè falsus. Exemplum: *Omnis homo est animal:* non potest descendi sub animali, vt descendendo sic: & hæc sunt omnia animalia: ergo omnis homo est hoc animal: committitur enim fallacia consequentis, à positione consequentis ad positionem antecedentis. Quicquid alij dicant: quòd licèt sub prædicato stante confusè tantùm non liceat descendi copulatiuè, nec disiunctiuè, sed fortè disiunctim, vt sic descendendo: ergo omnis homo est hoc, vel hoc, vel hoc animal, & sic de singulis: quod certè non est intelligibile. Teneo enim ad mentem Doctoris *hîc, & infrà dist. 21.* quòd non liceat, descendere quouis modo. Si ergo sub prædicato primi principij non licet descendere, sequitur quòd per primum principium tantùm verificatur prædicatum communissimum de quolibet contento sub subiecto primi principij.

Exemplum.

6. k *Contra istud obijcitur*, &c. Hîc arguit probando, quòd sub prædicato primi principij contingat descendere: quia benè sequitur, de quolibet, &c. Respondet Doctor quòd ista propositio, *De quolibet affirmatio, vel negatio*, valet istam, &c. scilicet de quolibet, videlicet ente: & cuiuslibet, scilicet contradictionis, & sic sub vtroque licet descendere, quià ista est vera: De quolibet ente cuiuslibet contradictionis altera pars est vera, & altera est falsa: igitur de hoc ente cuiuslibet contradictionis altera pars est vera, altera est falsa. Licèt ergo descendatur sub subiecto dupliciter: non tamen potest descendi sub prædicato: quia semper stat confusè tantùm. Licèt ergo sequatur: ergo de hoc ente huius contradictionis altera pars est vera, & altera est falsa: non tamen sequitur: ergo ista pars est vera. Et sic patet responsio ad argumenta pro opinione Philosophorum.

l Ad primum argumentum factum in principio quæstionis respondet Doctor. Primò adducendo responsionem Guilelmi Varronis *lib. 1. q. 2.* qui distinguit maiorem: quando dicitur, quòd potentia habens aliquod commune pro obiecto naturali, naturaliter potest in quodlibet contentum sub illo. Dicit, quòd si intelligatur obiectum naturale illud, ad quod potentia naturaliter inclinatur: licèt ex causis naturalibus non possit attingere ad illud, talis potentia potest in quodlibet contentum, id est, habet naturalem inclinationem ad cognitionem cuiuscumque contenti: & in hoc non reprehenditur à Doctore, vel accipit obiectum naturale illud, quod potest attingi à potentia ex causis naturalibus: & sic negatur ista; quòd habens aliquod commune pro obiecto adæquato, potest ex puris causis naturalibus attingere, causando naturaliter cognitionem illius, quod possit naturaliter attingere ad quodlibet contentum; siue, quod ex puris naturalibus possit causare cognitionem cuiuscumque contenti sub ratione propria. Et assignat rationem; quia stat, quòd intellectus possit naturaliter causare cognitionem alicuius obiecti adæquati (vt puta entis, inquantùm ens, quod est adæquatum obiectum intellectus) & quod tamen non possit causare cognitionem cuiuscumque contenti. 7.

Et dicit, quòd concessa minore in vtroque sensu, scilicet ista; *Sed intellectus habet ens, inquantum ens pro obiecto naturali*, hanc concedit; quia & intellectus habet naturalem inclinationem ad ens, inquantùm ens; & ex puris naturalibus potest attingere ad cognitionem entis, inquantùm ens. Et in primo sensu concedit conclusionem, scilicet, quòd si intellectus naturaliter inclinatur ad ens, inquantùm ens; ergo naturaliter inclinatur ad quodcumque contentum sub ente. Sed in secundo sensu negat conclusionem sequi, scilicet, quòd si intellectus possit attingere ex puris naturalibus cognitionem entis, inquantùm ens; ergo ex puris naturalibus potest attingere ad cognitionem cuiuscumque contenti sub ente. Negatur ista consequentia; & ratio negationis patuit suprà. 8.

m Doctor contra decisionem huius Doctoris arguit, Ibi; *Contra hanc conclusionem arguo: quia destruit seipsam.* Et primò declarat quid sit obiectum adæquatum potentiæ. Dicimus enim illud esse adæquatum obiectum potentiæ visiuæ, quod prædicatur de omni perceptibili à potentia visiua; & nihil potest percipi à potentia visiua, in quo non sit ratio illius obiecti adæquati. Et quomodo hæc adæquatio debeat intelligi, & secundùm quam primitatem, vel communitatis, vel virtualitatis, prolixè exposui infrà *d. 3. q. 3.* vide ibi.

Quid sit obiectum adæquatum potentiæ.

Deinde, dicit quòd est *impossibile aliquid esse obiectum primum naturaliter*, alicuius potentiæ, *quin quodlibet contentum sub illo sit per se obiectum naturaliter:* quia si non, tunc non esset adæquatum

Nota. adæquatum naturaliter, sed excedens. Et nota benè hanc literam: quia importat multas difficultates, quas declaraui infrà, *dist.* 3. *quæst.*3. vide ibi.

9. *Ratio autem,*&c. *Fallit secundùm fallaciam figuræ dictionis,*commutando hoc aliquid in quale quid.

Cùm arguit,ens est naturaliter,&c.Non sequitur. Licèt enim ens in communi acceptum, dicatur vnum de numero intelligibilium, quia sic possum concipere ens in se, vnica intellectione: sicut etiam substantiam in communi. Non tamen sequitur, naturaliter possum cognoscere conceptum entis in communi, ergo naturaliter possum cognoscere ens, vt adæquatum obiectum intellectus.non sequitur: quia, vt est adæquatum obiectum intellectus, consideratur vt ratio eius per se includitur in quolibet intelligibili. Et ideò si naturaliter possum intelligere ens, inquantùm ens, sub illa ratione, quâ includitur in quolibet per se intelligibili: sequitur de facto, quòd naturaliter possum intelligere quodlibet intelligibile. Nec valet responsio Francisci in Prologo *q.*1. quòd possum intelligere quodlibet per se intelligibile sub ratione entis, & non sub ratione propria:quia si cognosco ens,inquantum ens esse obiectum adæquatum naturale: hoc est, inquantùm ratio entis continetur in quolibet per se intelligibili: certum est, quòd naturaliter non possum cognoscere ipsum,vt sic adæquatum:quin naturaliter possim cognoscere quodlibet contentum sub ratione propria.

10. n *Ad argumentum igitur est alia responsio realis.* Hîc Doctor dat responsionem propriam, negando minorem quod ens, inquantum ens sit adæquatum obiectum intellectus naturaliter attingibile à causis naturalibus. Vult enim Doctor quòd obiectum adæquatum intellectus nostri pro statu isto naturaliter attingibile, sit quiditas rei sensibilis: accipiendo sensibile, vel in se formaliter,vel inclusum essentialiter, vel virtualiter in sensibilibus,vt patet à Doctore *infrà,distinct.*3. *quæst.*4. Si verò loquamur de intellectu ex natura intellectus, adhuc oportet dicere, quòd ens, inquantùm ens, vt est commune enti limitato, & illimitato, non est adæquatum obiectum naturaliter attingibile,intellectus creati ex natura intellectus,vt patet à Doctore *q.*14.*Quolib.*Quid ergo erit obiectum adæquatum intellectus creati, ex natura intellectus? Dico, vt dicit Doctor vbi supra,quòd est ens limitatum. Deinde dicit,quòd ens, inquantùm ens: vt etiam est commune enti limitato, & illimitato est adæquatum obiectum intellectus, etiam pro statu isto. Obiectum dico naturale:intelligendo naturale, ad quod potentia naturaliter inclinatur.

Quid sit obiectum intellectus pro statu isto.

11. o *Confirmatur responsio,*&c. Arguit hîc à fortiori: si nulla potentia, maximè cognitiua, ex se sola non potest in actum respectu alicuius obiecti, non concurrente tali obiecto, vel aliquo supplente vicem, quid mirum, si in obiectum merè supernaturale non possit ex causis merè naturalibus? Est ergo argumentum à magis, ad minus negatiuè: quia magis videtur, quòd ex se sola possit causare actum cognitionis respectu albedinis (quia talis potentia est perfectior albedine: & ideò magis videtur continere illam virtualiter) quàm, quòd possit cognoscere obiectum merè supernaturale ex puris causis naturalibus: quia tunc sequeretur, quòd imperfectius posset virtualiter continere perfectius. vt infrà patebit *distinct.*3. *quæst.* 1. Sed non potest in actum respectu albedinis ex se sola, ergo nec in obiectum supernaturale ex causis merè naturalibus.

Sed occurrit hîc aliqua difficultas, &c. Quia si ad ens,inquantum ens, intellectus noster habet naturalem inclinationem, quæro, aut cognoscitur via naturali, aut supernaturali. Si via naturali, ergo naturaliter poterit concludi, quòd homo ordinatur ad perfectissimum ens, sub ratione perfectissima: & sic poterit cognoscere via naturali vltimum finem, sub ratione perfectissima. Probatur consequentia vltima, quia si cognosco *A*, sub illa ratione, qua ordinatur ad *B*, & hoc via naturali: naturaliter etiam possum cognoscere ipsum *B*, sub illa ratione,qua est terminus talis relationis, qua potentia ordinatur ad illud. 12. *Difficultas.*

Dico primò, quòd naturaliter non cognoscitur, quòd aliqua potentia creata habeat naturalem inclinationem ad ens, inquantùm ens, vt obiectum adæquatum: quia tunc non posset perfectissimè quietari, nisi in perfectissimo ente, vt suprà dixi: Oporteret enim probare, quòd intellectus creatus possit quietari in ente perfectissimo sub ratione perfectissima: quia appetitus naturalis non est ad impossibile, vt infrà patebit, *dist.*3.*q.*3.& *in* 4.*dist.*43. *Responsio.*

Dico secundò,quòd etiam posito, quòd sit notum naturaliter, quòd intellectus creatus habeat naturalem inclinationem ad ens, inquantùm ens, & per consequens ad perfectissimum contentum sub ente: non tamen sequitur, quòd possit attingere illud perfectissimum via naturali, vt patet. Et cùm dicitur, quòd cognoscens naturaliter *A*, sub illa ratione, qua ordinatur ad *B*, cognoscit etiam naturaliter ipsum *B*. Concedo, sed postea negatur, quòd via naturali cognoscatur, quòd intellectus creatus sit ordinatus ad vltimum finem, ita quòd cognoscatur sub illa ratione, qua ordinatur ad vltimum finem: quia talis relatio ordinis non potest cognosci, termino non præcognito: vt suprà dixi. Licèt ergo sit cognitum via naturali, quòd intellectus creatus habeat naturalem inclinationem ad primum ens: non tamen est notum via naturali, quòd sit ordinatum ad tale ens sub ratione vltimi quietatiui,ita quòd relatio illius ordinis naturaliter cognoscatur. 13.

Dico vltimatè, quòd, etsi via naturali notum sit intellectum creatum naturaliter inclinari ad quodcunque ens, & quòd non possit quietari, nisi in ente perfectissimo: non tamen est notum via naturali, quòd tale ens sit sic, vel sic quietatiuum: puta, vel vt est terminus visionis intuitiuè,vel fruitionis,& huiusmodi. Sed de ista materia *in* 4.*dist.*49.

p *Ad tertium dico*,&c. Quamuis litera sit satis clara, tamen ipsam aliqualiter declaro. Cùm dicit, quòd *veritati complexæ alicui firmiter tenendæ, intellectus possibilis est improportionatus*: puta huic veritati, *Deus est trinus, & vnus*, siue cognitioni huius veritatis.Sequitur, *Hoc est*,&c. id est, non est proportionaliter mobile ad ea, quæ ex phantasmatibus, & ex lumine intellectus agentis non possunt cognosci: solùm enim illa potest naturaliter cognoscere, quæ virtute phantasmatum, & virtute intellectus agentis cognosci possunt, vt suprà patuit, & magis patebit infrà *dist.* 3. *q.*1. & 3. Dicit ergo Doctor, 14.

Licèt intellectus possibilis sit potentia passiua proportionata, quia habet naturalem inclinationem ad cognitionem huius veritatis, *Deus est trinus, & vnus*; Non tamen est proportionata in ratione mobilis, respectu talium agentium, &c.

q *Cùm autem arguis, igitur sit proportionatus per aliquid aliud*, id est, si non est proportionatus huic cognitioni, *Deus est trinus, & vnus*, sit proportionatus per aliquid aliud: concedo quòd sit proportionatus per aliud, in ratione mouentis: *quia per mouens supernaturale reuelans*, supple hanc cognitionem, siue hanc veritatem, *assentit illi veritati. Et per aliud in ratione formæ*, id est, intellectus possibilis sit proportionatus tali veritati, in ratione formæ: quia per istum assensum, &c.

Reuelare aliquid est causare notitiam illius.

Nam primò intellectus possibilis recipit supernaturaliter hanc cognitionem, quâ cognoscit Deum esse trinum & vnum. Reuelare enim hanc veritatem alicui intellectui, est causare in illo notitiam illius veritatis, vt patebit à Doctore *in 2. distinct. 9.* Deinde supernaturaliter causatur assensus in intellectu, quo assentit huic veritati: & alius est actus, quo cognosco hanc veritatem: & alius, quo assentio illi veritati: licèt enim aliquis possit naturaliter habere cognitionem de ista propositione, *Deus est trinus, & vnus:* non potest tamen firmiter assentire illi vt simpliciter veræ. Nam tam infidelis, quàm fidelis cùm disputant de ista, vterque cognoscit illam, id est, cognoscit quid importatur per illam, sed fidelis assentit, infidelis verò non. Et loquitur hîc Doctor de primo simpliciter assensu: quia ego possum assentire illi, adhibendo fidem dictis Sanctorum, sed non factâ reuelatione alicui primò, nemo firmiter posset assentire. Dicit ergo Doctor quòd sit proportionatus illi veritati per aliud in ratione formæ: quia per istum assensum factum in ipso.

15. r *Cùm vltrà de illo alio quaris*, &c. Dico quòd supernaturale, id est, agens proportionans effectiuè intellectum tali veritati, in ratione mobilis, est supernaturale: quia sola voluntas diuina causans cognitionem, & assensum illius veritatis, & similiter assensus quo assentit illi veritati, est supernaturalis.

s *Cùm infers: ergo intellectus est improportionatus ad illud, & per aliud proportionatur*, id est, si agens proportionans effectiuè sit supernaturale: ergo intellectus erit improportionatus illi: & per consequens proportionatur per aliquid aliud, puta per aliud agens. Et tunc quæro de illo, vt priùs: & sic fiet processus in infinitum. Similiter si forma, siue assensus est supernaturalis, ergo intellectus possibilis erit sibi improportionatus: & tunc fiet proportionatus per aliquid aliud, & sic in infinitum. Dicit Doctor quòd intellectus possibilis ex se est in potentia obedientiali ad agens supernaturale: & ita sufficienter proportionatus illi ad hoc, vt ab ipso moueatur, id est, quæcunque potentia receptiua est in potentia obedientiali, ad primum agens, respectu cuiuscunque receptibilis in eo. Et quia intellectus possibilis est in potentia receptiua cuiuscunque cognitionis, & cuiuscunque assensus: ideò cùm sit in potentia obedientiali ad primum agens, poterit immediatè moueri ab illo respectu cuiuscunque cognitionis, & cuiuscunque assensus.

t *Similiter ex se est capax illius*, &c. Hoc dicit, quia intellectus possibilis, etsi sit in potentia obedientiali ad primum agens: non tamen est in potentia obedientiali respectu eorum, quorum non est capax: sed tantùm respectu eorum, quorum est capax. Et quia est capax talis assensus, & naturaliter capax (id est, habet naturalem inclinationem ad recipiendum illud:) ideò respectu talis assensus est merè in potentia obedientiali ad primum agens. Et sic non requiritur aliquid aliud medium proportionans intellectum possibilem tali agenti. 16.

Intellectus possibilis est in potentia obedientiali ad primum agens, respectu eorum tantùm, quorum est capax.

v *Statur igitur in secundo, non in primo. Quia veritas ista*, &c. Id est, veritas illa supernaturaliter causata, non potest sufficienter mouere intellectum possibilem, causando in eo assensum, quo formaliter assentiat illi veritati. *Sed agens supernaturale est sufficienter inclinatiuum intellectus ad istam veritatem*: quia solùm agens supernaturale potest immediatè causare assensum, quo intellectus formaliter proportionatur tali veritati: ita quòd non oportet intellectum per aliud proportionari tali agenti: cùm sit in perfecta potentia obedientiali ad illud. Nec oportet porportionari per aliud formæ, (id est, assensui) ab ipso impressæ, (vel impresso:) quia agens supernaturale est sufficiens ad immediatè causandum talem assensum. Sequitur: *sicut oportet ipsum*, supple intellectum possibilem, *proportionari tali obiecto*: puta huic veritati, Deus est trinus, & vnus: *per aliud, duplici modo prædicto*, id est, per aliud in ratione agentis: & per aliud in ratione formæ, vt suprà expositum. 17.

QVÆSTIO II.

Vtrùm cognitio [a] supernaturalis necessaria viatori, sit sufficienter tradita in sacra Scriptura.

Hieron. *epist. ad Pammachium.* Tertull. *de præscript. cap.* 30. 35. 36. August. *lib.* 1. *contra Maximinum initio.* Lirinen. *lib. aduersùs hær. paulo post initium.* Alens. 1. *part. quæst.* 1. *mem.* 4. Castro *contra hær. vers. sacra Scriptura.* Canus *de locis cap.* 1. *&* 2. Bannes 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 3. *dub.* 4. Bellarm. *lib.* 4. *de verbo Dei cap.* 4. *& lib.* 3. *cap.* 1. 2. 3. Medina *lib.* 7. *de recta in Deum fide*, Suar. *lib.* 1. *defensionis fidei, cap.* 10.

1. QVOD non; quia cognitio necessaria nunquam defuit generi humano: sed sacra Scriptura non erat in lege naturæ, quia Moyses primò scripsit Pentateuchum: nec tota erat in lege Mosaïca, sed tantùm vetus Testamentum: ergo, &c.

Item

Item, quicunque auctor scientiarum humanarum, quantò acutior intellectu, tantò plus vitat superfluitatem in tradendo; sed in sacra Scriptura videntur contineri superflua, vt cæremoniæ, & historiæ multæ, quarum cognitio non videtur necessaria ad salutem: ergo, &c. *Arg.* 2.

Item, multa sunt, de quibus non cognoscitur certitudinaliter ex sacra Scriptura, vtrùm sint peccata mortalia, vel non, quorum tamen cognitio est necessaria ad salutem, quia nesciens illud esse peccatum mortale, non sufficienter vitabit illud: ergo, &c. *Arg.* 3.

Contrà, Augustinus 11. *de Ciuitate*, *cap.* 3. loquens de scriptura Canonica ait: *Cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nosipsos nosse idonei sumus.* 2. *Ratio ad opp.*

In ista quæstione sunt hæreses innumeræ, damnantes sacram Scripturam, vel partem eius, sicut patet in libris Damasceni, & Augustini de hæresibus. Quidam verò hæretici nihil de Scriptura recipiunt, quidam non vetus Testamentum, vt Manichæi, sicut in libro Augustini *de vtilitate credendi* patet, dicentes vetus Testamentum esse à malo principio. Quidam verò tantùm Testamentum vetus accipiunt, vt Iudæi. Quidam autem aliquid vtriusque, vt Saraceni, quibus Mahometus immundus alias immunditias innumeras immiscuit. Quidam aliquid dictum in nouo Testamento, puta hæretici diuersi, qui diuersas sententias Scripturarum malè intellectas habentes pro fundamento alias neglexerunt: verbi gratiâ, ad Rom. 14. *Qui infirmus est, olus manducet.* Item Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ex hoc errarunt circa Sacramentum Pœnitentiæ quidam, dicendo illud posse dispensari à quocunque non Sacerdote: vel aliis huiusmodi auctoritatibus innitendo, malè intellectis. *Hæreses variæ circa Scripturã.*

SVPPLEMENTVM R. P. F. IOANNIS PONCII.

1. a QVAMVIS hanc quæstionem Lychetus explicare omiserit, quòd tota doctrina in ea tradita, & clarissimè proposita sit à Doctore, & nullam habeat controuersiam speculatiuam, omnibus Catholicis authoribus in ea conuenientibus, qui de his rebus egerunt; & si quid ex Patribus & Doctoribus maioris authoritatis gratiâ addendum fuerat, id per Scholiasten abundè factum sit, citatis locupletissimè eorum locis, ad quæ quis, cùm placeret, recurrere posset: tamen nè tam principalis, & prorsus vtilis quæstio, sola absque commento proponeretur, Superioribus visum erat expediens, vt ei, sicut & cæteris ab eodem Lycheto omissis, expositio aliqua adiungeretur.

2. *Connexio huius quæstionis cum præcedenti.* Huic ergo prouinciæ mihi ab iisdem impositæ, vt quantùm in me est satisfaciam, imprimis aduerto connexionem huius quæstionis cum præcedenti eam esse, quòd cùm in illa pluribus rationibus probasset Doctor, necessariam esse hominibus pro hoc statu doctrinam aliquam reuelatam, ad quam non possent viribus solius naturæ pertingere, nisi reuelaretur; quòd neque ex terminis nota esset, neque ex discursu colligi posset; nunc in hac quæstione ostendat doctrinam illam reuelatam, & propterea supernaturalem, sufficienter contineri in sacra Scriptura: intelligit autem per sacram Scripturam vetus & nouum Testamentum quoad omnes partes admissas ab Ecclesia catholica Romana. Quæ Scriptura dicitur sacra, non solùm quia de rebus sacris agit; sic enim omnia scripta, & omnes libri Theologici, cuiuscunque authoris Catholici possent dici Scriptura sacra: sed multò magis, quia Deo authore, & particulariter assistente confecta est. *Cur Scriptura dicatur sacra.*

Quia verò hæc quæstio, quâ quæritur vtrùm in sacra Scriptura doctrina reuelata & supernaturalis, homini necessaria, sit sufficienter tradita, supponit illam Scripturam, quam vocamus sacram, esse sacram, hoc est confectam mediante speciali assistentia Spiritus sancti; & quia huius cognitio magis necessaria est, quàm quod principaliter quæritur, quandoquidem tota Theologia speculatiua ab eo dependet, cuius præcipua fundamenta sunt, authoritates ab eadem scriptura depromptæ, quæ nullius ferè essent momenti, nisi illa scriptura esset sic sacra; propterea fusè probat illud suppositum, nimirùm scripturam, quæ à Catholicis dicitur sacra, & comprehendit nouum & vetus Testamentum, esse sacram. Hoc autem per octo vias & rationes valde vrgentes à Patribus depromptas, quibus posteriores Scholastici omnes ferè vtuntur, probato, resoluit quæstionem principalem breuiter. Vnde in duas partes totum, quod traditur in hac quæstione, diuiditur; ex quibus prima est, *An vetus & nouum Testamentum sit Scriptura sacra innixa authoritati diuinæ?* Secunda, *An in ea sufficienter tradatur doctrina reuelata & supernaturalis, pro hoc statu necessaria viatoribus de lege ordinaria?* *Diuisio quæstionis.*

SCHOLIVM.

Ponit octo vias conuincendi deuiantes à vera fide, quibus ostenditur, nostram fidem & Ecclesiam non posse esse, nisi à Deo. Prima via est prædictio prophetica, quia solus Deus potest infallibiliter futura prædicere, iuxta illud Isaiæ 42. Dicite quæ ventura sunt, & sciemus, quoniam dij estis vos. *& constat multa prædicta, in fide nostra euenisse. Id enim præcipuè intendebant Euangelistæ & Apostoli, ex Prophetarum prædictionibus de Messia, probare Christum esse Messiam. Vnde Matthæus, qui Hebraicè scripsit, ad Iudæos facit hunc Syllogismum: In quem conueniunt omnes conditiones prophetatæ de Messia, ille est Messias; Christus est talis: ergo. Minorem probat demonstrans 22. conditiones prædictas à Prophetis, Christo conuenire. Istæ sunt, Regia propagatio, Nasci ex virgine, Apparitio stellæ, Nazareni nomen, de quibus cap. 1. Præcursio Baptistæ, cap. 3. Angelica ministratio, cap. 4. In Galilæa prima conuersatio, ibidem. Legislatio, c. 5. 6. 7. Miracula, c. 8. 9. 10. 11. Humilis conuersatio, c. 12. Parabolica eruditio, cap. 13. Prouida Nutritio, cap. 14. Hypocrisis detestatio, cap. 15. 16. Duarum naturarum connexio, cap. 16. 17. Hierarchia ecclesiastica, cap. 18. 19. 20. Paupertas, cap. 21. Iudæorum excæcatio, cap. 22. 23. Futurorum Prædictio, 24. 25. Noui sacrificij institutio, c. 26. Amara & salutifera Passio, cap. 26. 27. Magnifica Resurrectio, & Gentium vocatio, cap. 28. ex quibus locis Prophetarum habentur hæ conditiones prædictæ de Messia, ostendit noster Aureolus, libello suo verè aureo, in Scripturam, agens de Matthæo. Hac via vtuntur Greg. & Augustinus citati à Doctore, & idem August. 17. ciuit. 15. & 13. contra Faust. 8. & de catechis. rud. 26. Iustinus Apol. 2. ad Antonin. Pium. Tertul. in Apol. cap. 20. Lactant. lib. 4. diuin. institut. cap. 9. Secunda via est concordia Scripturarum, quâ vtitur August. 18. ciuit. 41. & Gregor. in id Iob 25.* qui fecit concordiam in sublimibus suis. *Hac viâ Patres discernunt hæreticos, quia nunquam inter se concordant, & (vt ait Hilar. 7. de Trin.)* dum se inuicem vincunt, nihil sibi vincunt. Victoria enim eorum, Ecclesiæ est triumphus. *ita Iren. lib. 1. cap. 5. & 18. Chrys. opere imper. in Matth. hom. 20. August. lib. 3. contra Parmen. cap. 4. & lib. 11. de Bapt. cap. 6. Ambr. de fide cap. 4. Athan. oratione contra Arrian. ibi,* nec alibi nisi in falsitate, sibi inuicem consentiunt. *Vide Bosium de signis Eccles. lib. 3. cap. 5. Qualiter autem sectarij in præcipuis articulis fidei sibi contradicant, vide apud Apol. protestantis, tract. 2. cap. 3. sect. 3. subd. 3. & Caluinoturcismum lib. 2. cap. 2. & lib. 3. cap. 6. & 7.*

3. *Octo viæ contra infideles.*

CONtra omnes [a] istos in communi, octo sunt viæ eos rationabiliter conuincendi, quæ sunt, prænunciatio prophetica, Scripturarum concordia, auctoritas scribentium, diligentia recipientium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas singulorum errorum, Ecclesiæ stabilitas, miraculorum claritas.

Prima via sumitur à prænunciatione prophetica. Hom. 1. super Euang.

De primo [b] patet, quia solus Deus potest naturaliter, non ab alio, futura contingentia certitudinaliter præuidere; ergo solus ille, vel ab illo instructus, potest ea certitudinaliter prædicere. Talia autem multa prænunciata in Scriptura impleta sunt, vt patet consideranti libros Prophetales, ex quibus non est dubium, quin sequantur pauca, quæ restant secundùm Gregorium in homilia de Aduentu. Istam viam tangit August. 12. *de Ciuit. c. 10* vbi ait: *Vera se narasse præterita, ex his, quæ futura prænunciauit, cum tanta veritate implentur, ostendit.*

4. *Secunda via à concordia Scripturarum.*

De [c] secundo, scilicet Scripturarum concordia, sic. In non euidentibus ex terminis, nec ex principiis euidentiam habentibus, non consonant firmiter & infallibiliter multi diuersimodè dispositi, nisi à causa superiori ipsorum intellectus inclinentur ad assensum: sed scriptores sacri Canonis variè dispositi, & diuersis temporibus existentes, in talibus non euidentibus omnino consonabant. Hanc viam pertractat August. 18. de Ciui. c. 41. *Auctores nostri sanè pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod charum religione esse oporteret: nec tamen ita pauci, vt eorum non miranda sit consensio. Neque enim in multitudine Philosophorum, qui labore etiam literario monumenta suorum dogmatum reliquerunt, facile quis inuenerit, quòd inter cuncta, quæ sensere, conueniant.* Et hoc Augustinus probat in exemplis ibi. Maior etiam assumpta non tantùm probatur per exemplum de Philosophis, vt videtur probare Augustinus, sed etiam per rationem. Quia cùm intellectus, quantum ad assensum, sit natus moueri ab obiecto euidente in se, vel in alio, nihil aliud ab obiecto videtur talem assensum posse causare, nisi virtualiter includat euidentiam obiecti: nam si nihil tale moueat intellectum, remanebit sibi Theologia neutra. Nihil autem est tale de non euidentibus ex terminis, nisi intellectus superior nostro; nihil autem intelligens superius homine potest hominem effectiuè docere, nisi Deus.

Angelus docet nos secũdùm Scot. 2. d. 11. sed nõ per se effectiuè, vel nõ Theologica, vt hic.

Si autem dicatur hîc, quòd posteriores, licèt aliter dispositi quàm priores, & aliis temporibus existentes, tamen habuerunt doctrinas præcedentium in Scripturis, & acquieuerunt credendo, sicut discipuli doctrinæ magistrorum, & ita nihil scripserunt dissonum à prioribus, licèt Deus non doceret hos, & illos: contra hoc videtur August. obiicere vbi priùs, dicens de Philosophis, *Qui labore literario monumenta suorum dogmatum reliquerunt, &c.* quæ discipuli legentes, licèt in aliquibus essent assentientes prioribus, vt discipuli; aliqua tamen improbauerunt, vt patet ibidem de Aristippo, & Antisthene; qui licèt fuerint ambo Socratici, tamen in quibusdam sibi contradixerunt: & quandoque discipuli magistro, vt Aristot. Platoni.

Aristip. fœlicitatem in voluptate corporis, Antisthenes in virtute animi, posuit.

Quomodo igitur non contradixissent posteriores nostri prioribus, in aliquibus, si non habuissent doctorem communem, eorum intellectus inclinantem ad eadem non euidentia? Respondeo, quia non euidentia tradiderunt priores, ideò posteriores non potuerunt eos per rationes improbare; & noluerunt eis discredere, nisi possent rationem cogentem pro se habere, reuerentes eos, vt magistros veraces: sed Philosophi discipuli per rationem potuerunt magistros improbare: quia materia circa quam altercabantur, potuit habere rationes sumptas ex terminis. Exemplum, non ita contradicit discipulus Historiographus magistro Historiographo, sicut Philosophus Philosopho: quia Historiæ de præterito non possunt esse euidentes, vt auertant discipulum à magistro, sicut possunt esse Philosophicæ rationes.

Contra illud, saltem Ezechiel prophetans in Babylone, eo tempore, quo Ieremias in Iudæa prophetauit, cùm non solùm illa dicerent, quæ à Moyse quasi communi eorum magistro habuerunt, sed & alia multa: in illis potuissent discordare, aut dissentire, cùm non essent euidentia ex terminis, nisi habuissent aliquem communem doctorem supra intellectum humanum.

Reiicit rationem concordiæ, quæ sine reuelatione assignari possit.

COMMENTARIVS.

1\. *Octo viis omnes hæretici negãtes Scripturam impugnari possunt.*

a *Contrà omnes istos*, &c. Quantum ad primam difficultatem, insinuatis leuiter variis hæreticorum erroribus circa Scripturam, quam Catholici tenemus sacram, dicit omnes illos hæreticos octo viis, seu rationibus communibus, & generalibus, æqualiter contra omnes deseruientibus, impugnari rationabiliter posse; ita vt ipsi, si rationi locum velint dare (vt debent, si humano more, & non ferino procedant) fateri debeant illam Scripturam esse sacram. Non vult autem Doctor, dum statuit has octo vias plures dari non posse, etiã generales; neque enim proposito ipsius erat necessarium omnes assignare: sicut quando ipse, vel alius Doctor probat aliquam conclusionem quatuor, vel quinque rationibus, non debent per hoc intelligi velle, quòd aliæ rationes adferri non possunt, etiam æquè efficaces; sed sufficit illas, quas adducunt, esse bonas: quin & ipsemet duas alias his annectit. Porrò in his octo rationibus illud aduertendum est, nullam inniti authoritati Scripturæ; nam quamuis ex Scriptura posset contra eos, qui illam admitterent, adduci authoritas, ad conuincendos hæreticos, & sic argumentari soleamus contra modernos hæreticos, & etiam ex parte Scripturæ concessa, posset probari admittendam esse partem non concessam; tamen quia hîc voluit vti mediis generalibus conducentibus ad impugnationem omnium hæreticorum, & ex iis quidam, vt præmittit, negarunt totam Scripturam, contra quos nihil valeret ipsamet Scripturæ authoritas; inde datâ operâ abstinuit penitus ab authoritate Scripturæ. Quando autem adducit authoritates Patrum, non id facit, vt eorum authoritate tanquam hominum, quibus in scribendo specialiter assistebat Deus, persuaderet fidem, quo modo Theologi ad persuadendas veritates aliquas aliis Catholicis id credentibus, eorum authoritate vtuntur; quia hoc ipsum tam, aut potiùs magis incertum est, quàm ipsam Scripturam esse sacram, quod probandum sumit: sed vel vt significet Theologis, & Catholicis rationes, quas adducit, esse bonas, vtpote vsitatas ab illis Patribus, vel vt authoritate, quam deberent hæretici talibus viris propter doctrinam, & sanctitatem, qua fide humana constat eos eminuisse suo tempore, inclinarentur ad assentiendum: sic enim communiter, & benè, etiam Philosophorum Ethnicorum, quibus lux fidei non affulsit, authoritatibus vtimur tam nos, quàm ipsimet hæretici ad persuadendam, quam intendimus veritatem.

Sed non solùm.

Scriptura authoritas adduci non debet contra eam negantes.

Nec Patrum nisi vt hominum magnæ æstimationis humanæ.

2\. *Prima via conuincendi Infideles, & hæreticos. Scriptura cõtinens prædictiones propheticas est sacra.*

b *De primo patet*, &c. Prima via est prædictio prophetica. Vt intelligatur vis huius probationis, proponenda est hoc modo: Illa scriptura in qua plurima merè contingentia, & quæ propterea, vt non habuerunt causas aliquas antecedentes determinatas ad ea ponenda, ita nec ex terminis, nec ex discursu, siue à priori, siue à posteriori naturaliter cognosci poterant, longè antequam contingerent, prædicta sunt, est diuinitùs reuelata, & consequenter sacra. Sed tale est nouum, & vetus Testamentum: ergo est Scriptura sacra. Maior huius discursus patet, quia solus Deus, aut cui reuelauerit, potest talia contingentia præcognoscere, & absolutè prædicere (vt suppono iam ex iis, quæ tractari solent in materia de Angelis, vbi probatur nec ipsis Angelis hanc facultatem concedi, quibus tamen, quam hominibus sine dubio potiùs deberet competere) ergo non poterant illa prædici, nisi illo reuelante, & consequenter Scriptura continens istas prædictiones, est ab ipso reuelata. Minor autem non minùs patet, quia in veteri Testamento prædicta sunt clarissimè, quæ narrantur in nouo, vt Incarnatio, passio, mors, resurrectio, ascensio Christi. In nouo etiam eadem passio, mors, resurrectio, & plurimã alia simi-

liter prædicta sunt, antequam contigerunt.

3. *Scriptura est sacra quæ nomine Dei proponitur ipsomet particulariter assistente.* Alio etiam modo, & fortè efficaciori, potest hæc via vrgeri: Illa doctrina tota est sacra, & tradita mediante assistentia speciali Dei, quæ nomine ipsius proposita est ab iis authoribus, qui futura prædixerunt in eadem doctrina; sed talis doctrina Scripturæ: ergo, &c. Probatur Maior, quia non deceret Deum assistere specialiter illis ad prædictionem futurorum, qui proponerent aliqua falsa simul cum illa prædictione nomine ipsius: ergo non sic concurrit. Probatur antecedens, tum, quia si id fecisset, daret occasionem non credendi iis, qui proponerent aliqua nomine ipsius, & quibus ipse verè reuelaret illa; nam eo ipso, quo aliqua falsa nomine eius proponerent, meritò quis posset dubitare de quibuscunque rebus ab ipsis propositis: & in hoc fundatur quod dicit Augustinus contra Hieronymum, *Scriptura sacra non potest admittere vnum mendacium.* quòd si vnum mendacium reperiretur in Scriptura, tota authoritas eius corrueret. *Admisso enim*, inquit in epistola 8. quæ est ad Hieronymum, *in tantum authoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non, vt cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis authoris consilium officiúmque referatur*, &c. Tum etiam, quia illa falsa possent moraliter attribui Domino Deo; quia cùm posset ipse impedire, ne vlla falsa simul cum veris prædictionibus proponerent isti authores, & non solùm id non faceret, sed præterea per miraculosam assistentiam in prædicendis futuris aliquibus conciliaret illis fidem, tanquam habentibus particularem illam assistentiam eius, meritò possent imputari ipsi moraliter illa falsa; & qui per ea deciperetur, posset conqueri de Deo, & arguere ipsum istius deceptionis, vt patet. Hoc confirmabitur inferiùs, in octaua via.

4. Modò autem contra totum hunc discursum instari posset, non constare nobis esse tales prædictiones, quæ completæ sunt, nisi ex ipsa Scriptura, cuius authoritatem probamus: ergo petimus principium. Respondeo in primis esse euidens moraliter, quòd Scriptura illa, quæ vocatur vetus Testamentum, fuerit longè ante Christum & Euangelium nouum; sicut euidens est fuisse Romam, & Hierosolymam ante ista tempora: nec minùs certum est istas prædictiones, quas dicimus completas fuisse in nouo Testamento, contineri in illo Testamento veteri. Quòd verò sint completæ, vt dicitur in nouo Testamento, non probamus iam authoritate noui Testamenti, nec authoritate veteris præcisè; nisi quatenus constat nobis authoritas illa aliunde, ex aliis nimirum rationibus adducendis; & speciatim ex eo, quòd authores noui Testaméti scripserunt Christum passum, & mortuum, cum omnibus illis circumstantiis, quas referunt, circa illud ipsum tempus, & nemo ipsis in hoc contradixerit cum aliquo probabilitatis fundamento, nec tum, nec deinceps; quod sanè est euidens moraliter indicium, mortem illam sic accidisse: nam in re tam principali, & ex cuius veritate pendebat tota veritas doctrinæ nostræ, si falsa esset; aliquis sine dubio contradiceret adducta aliqua probabilitate; sicut contradixerunt in aliis, in quibus poterant habere aliquam vmbram, vel apparentiam. Hoc etiam postea magis confirmabitur. Itaque in forma respondeo, distinguendo antecedens; nisi ex Scriptura quomodocunque nego, nisi ex Scriptura, quatenus aliunde colligitur authoritas eius, quantum ad aliqua concedo, & nego consequentiam, quia ex Scriptura, quatenus non potest rationabiliter negari aliquid quod dicit, colligimus per discursum, authoritatem eius diuinam quoad omnia quæ dicit: hoc autem non est petere principium, vt patet.

c *De secundo*, &c. Secunda ratio probans authoritatem diuinam, & supernaturalem Scripturæ, desumitur ex consensu omnium partium eius, non tantùm quoad narrationem historicam, sed quoad præcepta morum, & viam perueniendi ad finem vltimum. Vis autem huius rationis consistit in hoc: Plures authores diuersarum ætatum, ac temporum, & diuersæ complexionis moraliter non solent conuenire in principiis, ac conclusionibus moralibus, quæ saltem non habent euidentiam ex terminis, nisi Deus specialiter assistat ipsis; sed authores Scripturæ sunt plures diuersarum ætatum, ac temporum longè distantium, vt omnes fateri debent, & non contradicunt sibi inuicem in præceptis, aut conclusionibus vllis moralibus spectantibus ad acquisitionem finis vltimi, vt legentibus, & intelligentibus patet: ergo moraliter certum esse debet, quod habuerunt assistentiam specialem Dei, & consequenter quòd doctrina ab ipsis tradita, & contenta in nouo, ac veteri Testaméto sit mixta speciali assistentiæ Dei, & propterea sacra. Maior primò probari potest inductione cum Augustino citato à Doctore, quia nunquam reperimus inter omnes Philosophos celebres, quorum opera, vel instituta ad nos vsque peruenerunt, sic conuenisse, quin non solùm in mediis ad finem aptis, sed etiam in ipso fine, vel aliqua conditione eius, inter se maximas dissensiones habuerint, vt legentibus eorum scripta & aliorum, qui de iis mentionem faciunt, facilè apparere potest. 5. *Secunda via ex concordia partium Scripturæ.*

6. *Vnde prouenit discordia in principiis moralibus.* Secundò, eadem Maior probatur à Scoto à priori, ostendendo vnde proueniat talis dissensio in iis, qui non diriguntur particulariter à Deo; quia conclusiones, & principia non habentia euidentiam ex terminis mediatè, aut immediatè non possunt mouere intellectum ad assensum, nisi vel probabiliter propter apparentiam quandam veritatis, quam habere videntur; vel propter authoritatem alicuius, vel aliquorum, qui illa proponerent, vt est euidens; quia si alio modo mouerent intellectum, haberent euidentiam ex terminis mediatè, vel immediatè contra suppositum: sed quæ mouent tantùm hoc modo, non solent æqualiter mouere plures authores diuersarum ætatum, & diuersæ dispositionis, immò nec eundem semper omni tempore, vt patet experientiâ. Hoc autem maximè confirmatur, quando isti plures non ita subordinantur sibi, vt Magistri, & discipuli, vt contingit in proposito: neque enim Ezechiel Propheta erat discipulus Ieremiæ, aut è contrà; nec Euangelistæ illorum, aut aliorum veteris Testamenti. Quòd si essent etiam sic subordinati, adhuc moraliter loquendo impossibile est quin dissentirent in præceptis morum, præsertim Authores noui Testamenti ab authoribus veteris; nam cùm dicant professionem veteris legis quoad legalia, & cæremonialia non valere, & ab eius obseruantia Iudæos, tenacissimos eius professores, abducere conati sint, omnino, si humano spiritu ducerentur, etiam moralia aliqua eius reprehenderent, & sic dissentirent

Contradictio in doctrina arguit eã non esse à Deo.

tirent in moralibus ab authoribus veteris Testamenti. Sed quidquid sit an hîc totius Scripturæ consensus sit sufficiens argumentum diuinæ authoritatis, id certum est dissensionem, & contradictionem in quacunque doctrina sufficientissimum indicium esse, quòd doctrina, in qua reperitur, non possit esse ex toto vera, nec consequenter pro authore, aut directore habere Deum: vnde saltem hoc habetur ex hac secunda via, nihil impedire, quo minùs quantum ad conformitatem in doctrina à Deo reuelata requisitam, tota Scriptura possit Deo tribui, vt authori, quod sufficit; nam hoc supposito cætera indicia, quibus id colligi possit, habentur.

7. *Quid non potest Angelus docere hominem?*

Solum hîc ad declarationem textus insinuandum restat, quid sibi vult Doctor dum in fine §. *De secundo* dicit: *Nihil autem intelligens superius homine, potest hominem effectiuè docere, nisi Deus.* Hoc enim videtur contra ipsum in 2.d. 11. num. 5. docentem Angelum posse docere hominem. Nec valet dicere quòd ibi velit quòd Angelus possit docere hominem, sed non effectiuè, se solo producendo in ipso phantasma, aut species vllas; hîc autem dicat quòd non possit docere effectiuè; hoc, inquam, non valet; quia vt bonus esset discursus Scoti hîc, debet nullo modo posse docere Angelus; quia si aliquo modo doceret, non esset recurrendum ad Deum necessariò. Itaque meliùs respondetur, hîc Scotum intelligere quòd non possit vllus Angelus docere ex se, quoad propositiones quarum veritas dependet à voluntate diuina, ex quibus multa sunt in Scriptura sacra; nam de huiusmodi principaliter agit. In secundo verò dicit Angelum posse docere alias propositiones.

Quomodo Angelus malus posset inducere consensum in doctrina?

Et si dicatur quòd sicut homo mendax: ita etiam Angelus malus, qui est pater mendaciorum, possit docere propositiones, quarum veritas à sola Dei voluntate dependet; non quidem per principia certa, sed vel per argumenta sophistica, vel conciliando sibi fidem, & decipiendo, hócque sufficere, si ita se gereret respectu omnium Scriptorum veteris, & noui Testamenti, vt omnes conuenirent, atque adeò consensum eorum non esse satis efficax medium probandi assistentiam specialem Dei.

Respondeo primò, hunc consensum solum, vt antea dixi, non debere esse per se sufficiens argumentum, sed quatenus coniungitur cum aliis: ex quibus facilè colligi potest, quòd non oriatur ex malo Angelo (ex bono autem si oriretur, nobis perinde esset, ac si fieret immediatè ab ipso Deo; quia bonus Angelus nec mentitur, nec decipit, & consequenter non doceret veritates dependentes à voluntate libera Dei, nisi Deo ipso reuelante) quia certum debet esse moraliter, Angelum malum non adhibiturum tantam diligentiam docendi ea, quæ in honorem Dei, & odium ac abominationem sui tendunt, quibúsque homines ab omni genere peccati ad omne genus virtutis pertrahuntur. 8.

Consensus doctrinæ tendentis in cultum Dei nequit prouenire à Diabolo.

Respondeo secundò, eam esse diuinam prouidentiam, & curam circa homines, vt non permittat diabolum tentare eos, supra id, quod possunt; neque consequenter docere falsa tali modo, quin possit deprehendi ab attendentibus eius astutias; & hinc oritur, quòd nunquam pertrahat plures diuersarum ætatum, & conditionum, in eosdem omnino errores sine aliqua dissensione, vt experientia constat in hæreticis & Philosophis, nimirum Deo ita prouidente; vt vel ex hoc ipso colligere quis posset non esse veram, quam inculcat doctrinam diabolus.

Ad huius confirmationem faceret in medium adducere varias Philosophorum omnis ætatis, ac hæreticorum de rebus moralibus (in quibus magis periculosè erratur) inter se dissentientium opiniones, inter quos ferè quot capita, tot erant sententiæ diuersæ: sed quia res trita est, ad nostrum Medinam lib. 2. de recta in Deum fide cap. 2. lectorem remittimus, & Bosium de signis Ecclesiæ lib. 3. cap. 5.

SCHOLIVM.

Tertia via conuincendi hæreticos, est auctoritas scriptorum Scripturæ: quia nec dubia scriberent, nec ob lucrum, (quia non hoc, sed persequutionem expectabant) mentirentur, de hac August. & Richard. citati à Doctore. Hac via meritò vtimur contra sectarios, comparando auctores conuersionis nationum Doctores Ecclesiæ, & sanctos nostros scriptores, Hæresiarchis, Peruersoribus, & Apostatis, qui sectas excogitarunt. Horror est audire immunditias, & scelera, quæ de Luthero, *&* Caluino, *primariis Doctoribus sectarum, ipsi sectarij scribunt. Vide Apolog. protestantis, tract. 2. c. 3. sect. 9. Bosium de sig. Eccles. lib. 12. cap. 1. & lib. 22. cap. 3. Bolsecum de vita Caluini.*

DE tertio *, scilicet auctoritate scribentium, sic. Aut libri Scripturæ sunt istorum auctorum, quorum esse dicuntur, aut non: si sic; cùm damnent mendacium, præcipuè in fide, & moribus, quomodo est verisimile eos fuisse mentitos, dicendo: *Hæc dicit Dominus*, si Dominus non fuisset locutus? Aut si dicas eos fuisse deceptos, non mentitos, vel propter lucrum mentiri voluisse. Primum improbatur ex dicto Pauli 2. Corinth. 12. *Scio hominem in Christo,* & subdit ibi, *Verba arcana audisse, quæ non licet homini loqui.* Quæ assertiones non videntur fuisse sine mendacio, si asserens non fuit certus; quia asserere dubium, vel est mendacium, vel non longè est à mendacio. Ex ista reuelatione Pauli, & multis aliis reuelationibus factis diuersis Sanctis concluditur, quòd intellectus eorum non potuerunt induci ad assentiendum, ita firmiter illis, quorum notitiam non potuerunt habere ex naturalibus, sicut assenserunt, nisi ab agente supernaturali. Secundum improbatur, scilicet quòd fuerunt propter lucrũ mentiti: quia pro illis, ad quę voluerũt homines inducere ad credendũ, tribulationes maximas sustinuerũt. 5.

Tertia via ab auctoritate scribẽtium.

Scriptores sacros, nec deceptos, nec mentitos fuisse dũ scriberent.

Si autem libri non sunt illorum, sed aliorum: hoc videtur inconueniens dicere: quia ita negabitur quicunque liber esse illius auctoris, cuius dicitur esse. Quare ergo soli isti falsò ascripti sunt auctoribus, quorum non erant? Præterea, aut illi, qui ascripserunt libros istos eis, fuerunt Christiani: aut non. Si non, non videtur, quòd voluerunt tales libros conscribere, & aliis ascribere, & ex hoc magnificare sectam, cuius contrarium tenuerunt. Si fuerunt Christiani, quomodo illi Christiani mendaciter tales eis ascripserunt, cùm lex eorum damnet mendacium, sicut priùs? Et propter idem, quomodo assererent Deum locutum esse multa, quæ ibi narrantur, & hoc personis, quibus libri intitulantur: si talia non acciderunt illis personis? Quomodo etiam libri isti fuissent ita authentici, & diuulgati esse talium auctorum, nisi fuissent eorum, & ipsi auctores eorum authentici fuissent.

De quo Richard. primo de Trinit. cap. 2. *Certè à summa sanctitatis viris, sunt nobis tradita.* De hoc etiam August. 11. *de Ciuit. Dei, cap.* 3. loquens de Christo, dicit sic. *Hic*, inquit, *priùs per Prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos, quantum satis esse iudicauit, locutus, scripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentissimæ auctoritatis*, &c.

Epist. 9. di. 9. cap. si. ad. Et August. *in epistola ad Hieronymum*, & habetur in canone dist. 9. *Si ad sacras Scripturas admissa fuerint, vel officiosa mendacia, quid eis remanebit auctoritatis?* Et idem ad eundem in eadem epistola: *Solis eis scripturarum libris*, &c.

COMMENTARIVS.

1\. *Tertia via ab auctoritate scribentiũ.*

a DE *tertio, scilicet authoritate scribentium*, &c. Hoc signum, licèt omissum videatur à Valentia, qui cæteris vtitur, magnam omnino vim habet, si benè percipiatur, quod vt fiat sic proponi potest: Illi authores, qui primò tradiderunt ea, quæ in Scriptura continentur, sunt tales, quibus rationabiliter quis credere debet: ergo cùm dicant doctrinam illam, quam proposuerunt, esse à Deo reuelatam, & inspiratam, credendum est illis, & iudicandum prudenter ita esse: consequentia est euidens. Probatur antecedens, quia aut illi authores sunt ij ipsi, quibus attribuitur prima Scripturæ propositio, vt Moyses, Prophetæ, Euangelistæ, aut sunt aliqui alij. Si primum dicatur, constat continua traditione, & ex omnibus, qui tractauerunt de illis, nemine prorsus repugnante, eos fuisse viros probos, nullâ malâ notâ affixos, aut suspectos, immò præcipua sanctitatis opinione suo tempore fulgentes, & tales demùm, quorum magna pars diuitias, honores, ac voluptates omnes huius vitæ contemnentes, tandem in defensionem veritatis à se propositæ mortem ipsam constantissimè subierunt: sed certè talibus non nisi imprudentissimè quis negaret fidem, præsertim cùm aliunde non constet id, quod dicunt, esse falsum: quid enim eos ad mentiendum impulisset? Non diuitiæ, honores, voluptates, aut alia huius vitæ bona, cùm ea omnia prorsus contempserint; & cùm præterea prædicatio talis doctrinæ ad hæc acquirenda non fuerit via idonea, vnde, vt dixi, non tantùm illa assecuti non sunt, sed potiùs morte, ludibriis, iniuriis omnis generis sunt affecti.

2\. *Non fuerunt decepti authores Scripturæ.*

Nec valet dicere eos fuisse potiùs deceptos, quàm mentitos; tum quia nulla est ratio vnde id colligatur, tum quia non est verisimile, aut Deum permissurum, vt tales homines in re pertinente ad vitam æternam deciperentur; aut eos omnes conuenturos in docenda doctrina tanto suo incommodo, & periculo, de qua non essent certi: tum quia vel deciperentur quantum ad historica, quæ narrant, vel quantum ad prædictiones, vel quantum ad moralia præcepta. Non quantum ad historica, quia narrauerunt ea, quæ ipsimet viderant pro maiori parte, vt constat de Euangelistis; nec quantum ad prædictiones, quia maiorem partem prædictionum factarum à Prophetis iam completam esse viderunt Euangelistæ: nec quantum ad moralia denique; quia omnia præcepta morum vtriusque Testamenti sunt conformia rectæ rationi, & tendentia in honorem & cultum Dei, ac retrahentia à malo.

Si dicatur authores Scripturæ non fuisse illos, quibus attribuitur. Contra est primò quòd id sine vllo fundamento dicitur, & eadem ratione posset quis negare opera Aristotelis, Ciceronis, Virgilij non esse ipsorum; quod sanè irrationabiliter fieret, quando non adesset aliqua probabilis dubitandi ratio, qualis sine dubio non habetur in proposito. Secundò, vt benè Scotus, illi alij authores, aut essent Christiani, aut non essent. Secundum dici non potest; quia non est credibile professores aliarum sectarum tam operosè laborasse, vt persuaderent fidem, & doctrinam Christi, suæ oppositam. Si autem primum dicatur, non est etiam credibile Christianos vllos contra suam professionem mentitos fuisse in re tam graui, præsertim sine vllo emolumento. Deinde quid posset mouere primos authores doctrinæ in Scriptura contentæ ad eam proponendam? non bona aliqua huius vitæ, quia, vt suprà dixi, prædicatio talis doctrinæ non erat ad talia bona acquirenda vllo modò idonea; nec sanè, nisi insani essent, excogitarent ipsimet tales fabulas de morte, crucifixione, paupertate, ignobilitate Christi Domini; insani autem si fuissent, non persuaderent aliis, quæ docebant, vt manifestum est. Adde deceptiones, fraudes, ac mendacia nunquam solere longo tempore progredi, quin detegantur, præsertim in huiusmodi rebus, & vbi sunt plures aduersarij potentes & docti, quales erant in initio propagationis huius doctrinæ, & longo pòst tempore. Confirmatur hæc via per sequentem. 3.

Authores Scripturæ profitebantur fidem eius.

Non sunt mentiti.

***

SCHOLIVM.

Quarta via contra hæreticos, est diligentia summa tam in veteri, quàm in noua Ecclesia, adhibita in examinandis libris Canonicis: de qua August. de vtilit. cred. 14. Lactant. lib. 5. diuin. instit. 13. Iustin. Apolog. 2. ad Anton. Hac via vtimur contra sectarios, quia nullum dogma in Ecclesia receptum, sine examine, quo falsa, & dubia reiecta sunt, & vera retenta. Vnde hæreses omnes insurgentes ab Ecclesia sunt damnatæ. Constat etiam, quibus auctoribus, quo loco, tempore, & quibus contradicentibus, inceperunt: at sectarij nihil horum ostendere possunt, de fide nostra, vllóve dogmate eius, dúmque ad hoc vrgentur, tot sunt eorum placita, quot capita. Vide Apolog. protestant. tract. 1. sect. 9. de hac via August. hîc citat. Hieron. dial. contra Lucifer. fin.

QVartum [a], scilicet recipientium diligentia, sic patet. Aut nulli credis de contingenti, quod non vidisti, & ita non credes mundum fuisse antè, nec locum esse in mundo, vbi non fueris, nec istum esse patrem tuum, & illam esse matrem tuam: & talis incredulitas destrueret omnem vitam politicam. Si igitur vis alicui credere de contingenti, quod tibi non est, nec fuit euidens maximè credendum est communitati, siue illis, quæ tota communitas approbat: & maximè quæ communitas famosa, & honesta cum maxima diligentia approbata recipit. Talis est Canon diuinæ Scripturæ: tanta enim apud Iudæos sollicitudo fuit de libris habendis in canone, & tanta apud Christianos de libris recipiendis tanquam authenticis, quòd de nulla alia scripura habenda pro authentica, tanta sollicitudo fuit inuenta: præcipuè cùm tam solemnes communitates, de scripturis istis curauerunt, tanquam de continentibus necessaria ad salutem.

6. Quarta via à diligentia recipientiũ. In contingentibus maximè credendum est communitati. Summâ examinatione libri Canonici, pro talibus recepti.

De hoc August. de Ciuit. Dei 18. cap. 38. *Quomodo scriptura Enoch, de qua Iudas in Epistola sua facit mentionem, non recipitur in Canone, & multa aliæ scripturæ, de quibus fit mentio in lib. Regum?* vbi innuit, quòd sola illa recepta sunt in Canone, quæ auctores non sicut homines, sed sicut Prophetæ diuina inspiratione scripserunt. & ibid. cap. 41. *Illi Israëlitæ, quibus tradita sunt eloquia Dei, nullo modo Pseudoprophetas cum veris Prophetis parilitate licentiæ confuderunt: sed concordes inter se, atque in nullo dissentientes, sacrarum litterarum veraces ab eis agnoscebantur, & tenebantur auctores.*

COMMENTARIVS.

1. *Quarta via à recipiẽtium diligentia.*

a QVartum, scilicet recipientium diligentia, &c. Hæc via ad duo potissimùm conducit, primò est principaliter ad probandam authoritatem Scripturæ propositæ ab authoribus, de quibus in præcedenti via. Secundò ad suadendum non fuisse adiuncta aliqua, aut mutata in eadem Scriptura, quod derogaret eius authoritati. Quantum ad primum, euidens esse debet, multitudinem primam Christianorum non admissuram fuisse vllo modo doctrinam tam in se, quoad illa quæ refert de Christo, peregrinam, quàm omnium gentium institutis aduersam, carni, ac sanguini repugnantem, & ex qua nullum temporale emolumentum, detrimenta verò innumera expectari poterant, nisi adhibita magna prorsus diligentia eius probandæ ac examinandæ. Rursus cùm constet in primis nostræ religionis exordiis varia prodiisse Euangelia Thomæ, Barnabæ, Thaddæi, Bartholomæi, Andreæ, aliorúmque Apostolorum, ac Sanctorum virorum nominibus, & varias actuum Apostolorum historias; certè credi non potest sola quatuor Euangelia, quę in nouo Testamento modò habentur, & Acta Apostolorum à Luca conscripta, aliis reiectis, tanquam diuinam authoritatem habentia, esse recepta, nisi magno præmisso examine, & re maturè considerata. Itaque de diligentia sufficienti adhibita non potest dubitari; ea autem supposita in primis habemus, quicunque demùm istius doctrinæ fuère primi Doctores, magnæ fuisse prorsus authoritatis, ac sanctitatis: nec enim aliàs, qui tam diligentes erant in doctrina, quàm profiterentur, examinanda, eam, quæ ab aliis prouenirет, admitterent. Deinde sequitur, si fidem vllis rebus, quæ nobis ipsis non constant, habere velimus (vt facere certè debemus; quia aliàs non credemus nos natos, aut educatos tali, vel tali loco, aut hæc ad hos bona, illa ad illos pertinere, & sic peruertendæ omnis reipublicæ viam aperiemus) credere debemus doctrinam eam diuinæ innixam esse authoritati, quam vt talem maiores nostri tanto, & tali adhibito examine accepêre.

Cur non recepta alia Euangelia quàm quatuor.

2. Confirmatur hoc efficaciter, quia ex iis, qui hanc Scripturam, & doctrinam in eo contentam acceperunt, vt diuinam, plures fuerunt, qui, cùm antea aliam religionem, & doctrinam professi sunt, & maximo ingenio doctrina imbuti fuerant (vt de Augustino, Iustino, & infinitis aliis manifestum est) ad nostram religionem transierunt. Sed certè est omnino incredibile id eos facturos, nisi euidenter, aut saltem longè magis probabiliter, quod sufficit ad propositum, constaret ipsis illam, aut fuisse receptam primò rationabiliter atque adeò præmissa debita circumspectione, aut postea fuisse sufficienter confirmatam.

Confirmatur secundò, quia saltem impossibile est quin tot annorum curriculo, quibus Christiana religio floret, deprehenderetur aliquando adhibitam non fuisse debitam in ea admittenda diligentiam & curam, præsertim cùm tot libri pro & contra scriberentur, tot haberentur disputationes, tot cogerentur Concilia, tot vterentur viis ad eam impugnandam Imperatores, Reges, Principes, Philosophi, diabolus ipse.

3. Quantum ad secundum de adhibita diligentia

Nulla mutatio erronea irrepsit in Scripturam. tia non permittendæ alicuius mutationis, saltem per additionem alicuius, quod non esset diuinæ authoritatis, aut omissione alicuius necessarij ex iisdem principiis constat; quia non est verisimile talem communitatem, qualis est Christiana, in re tam necessaria ad salutem, & conseruationem suæ professionis, fuisse negligentem; nec est vllum indicium, ex quo talis negligentia colligi posset: sine fundamento autem aliquo hoc in dubium vertere esset omnino irrationabile, præsertim cùm adhibuerint tantam diligentiam de tempore in tempus in reiiciendis quibuscumque nouitatibus concernentibus fidem: & sanè cùm semper ab initio nostræ religionis habuerit, & modò habeat plures aduersarios, qui diligentissimè laborant in ea impugnanda, si quæ foret talis mutatio in Scriptura, facilè eam obiicere possent, & ostendere quando contigit; vnde cùm id facere non possint, signum satis euidens moraliter est, tale quid non accidisse.

Varia translationes non derogat authoritati Scriptura. Nec refert varias esse translationes Scripturæ aliqualiter diuersas, & aliqua esse in nostra translatione, quæ non reperiuntur in textu Hebraïco, tum quia istæ variationes non sunt factæ in rebus necessariis; tum quia prout Scriptura habet varias explicationes, quarum quælibet est vera, ita potest habere varias translationes, quarumquælibet sit bona: tum quia potiùs dicendum est mutationem esse factam in libris Hebraïcis modò extantibus, quàm textui vulgato aliquid esse additum, quod non fuerat in antiquis codicibus, ex quibus facta erat translatio; tum quia si quid adderetur, id esset speciali assistentiæ Spiritus sancti adscribendum, quem non est credibile permissurum fuisse, vt aliqua talis additio fieret in libris tantæ authoritatis, receptis magis communiter à sua Ecclesia, nisi ipsomet tam concurrente, quàm concurrebat cum primis Scripturæ authoribus.

SCHOLIVM.

Quinta via est ex rationabilitate eorum quæ fides nostra docet: nihil enim docet contra rectam rationem, vel legem naturæ. Hac vtitur Tertul. in Apolog. contra Gentes, cap. 39. Iustinus in Apolog. 2. ad Antoninum, paulò post initium. Sexta via est ex irrationabilitate singulorum errorum, quod ostendit Doctor, discurrendo per Paganos, Saracenos, Iudæos, Manichæos. Hac vtendum est contra modernos sectarios, quia docent irrationabilia, contra lumen naturæ, vt Deum esse auctorem peccati, cum Caluino Inst. cap. 18. §. 3. & 4. & Luther. in assertion. VVittemb. impressis ann. 1520. art. 36. Idque tenentur dicere omnes negantes liberum arbitrium, quod illi negant. Item, non dari opera bona, sed omnia opera esse sordes, immunditias, peccata, Luther. in assert. art. 29. 30. 32. Caluin. 3. Instit. cap. 12. § 4. Item, renouant hæreses antiquas damnatas, negando liberum arbitrium, cum Simone Mago, & Manichæis, bona opera cum eisdem, & Eunomianis, traditiones cum Arianis, pœnitentiam, & confirmationem, cum Nouatianis, ex Cyprian. lib. 4. epist. 2. orationem pro defunctis, & ieiunia, cum Aërianis, ex August. hær. 53. venerationem Sanctorum, reliquiarum, & imaginum, cum Vigilantio, & Iconomachis, &c.

7. *Quinta via à rationabilitate contentorum.* DE quinto [a], scilicet rationabilitate contentorum, patet sic: Quid rationabilius, quàm Deum tanquam finem vltimum super omnia diligi, & proximum sicut seipsum? id est ad idem, ad quod se, secundùm Gregor. in quibus *duobus præceptis vniuersa lex pendet, & Prophetæ*, Matth. 22. Item, Matth. 7. *Omnia ergo quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Ex istis quasi ex principiis practicis, alia practica consequuntur in Scriptura tradita, honesta, & rationi consona, sicut de eorum rationabilitate patere potest singillatim cuilibet pertractanti de Præceptis, Consiliis, & Sacramentis: quia in omnibus videtur esse quasi quædam explicatio legis naturæ, quæ secundùm Apostolum ad Roman. 2. *scripta est in cordibus nostris.* Hoc de moribus. & de hoc August. de Ciuit. Dei, lib. 2. cap. 28. *Nihil turpe ac flagitiosum spectandum, imitandúmque proponitur, vbi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.*

Omnia quæ fides docet sunt rationabilia.

Sexta ratio ab irrationabilitate singulorum errorum. De credibilibus patet, quia nihil credimus de Deo quod aliquam imperfectionem importet; immò quidquid credimus verum esse, magis attestatur perfectioni diuinæ, quàm eius oppositum. Patet de Trinitate personarum, & incarnatione Verbi, & huiusmodi: nihil enim credimus incredibile, quia tunc incredibile esset mundum ea credere, sicut deducit August. *de Ciuit. Dei 22. cap. 5.* mundum tamen ea credere, non est incredibile, quia hoc videmus. De hac autem lege, & honestate Christianorum patet, per Augustinum de *Vtilitate credendi* lib. 6. cap. 8. *Vulgus marium, & fœminarum*, &c.

8. De sexto [b], scilicet de irrationabilitate singulorum errorum, patet sic: Quid Pagani pro idololatria sua adducent, colentes opera manuum suarum? in quibus nihil est numinis, sicut satis ostendunt Philosophi. Quid Saraceni vilissimi porci, Mahometi discipuli, pro suis scripturis allegabunt? expectantes pro beatitudine, quod porcis conuenit, scilicet gulam, & coïtum; quam promissionem despiciens Philosophus, qui fuit quasi illius sectæ, Auicenna 9. *Metaph. cap.* 7. alium finem quasi perfectiorem, & homini magis congruen

congruentem asserit, dicens: *Lex nostra quam dedit Mahometh, ostendit dispositionem felicitatis, & miseriæ, quæ sunt secundùm corpus, & est alia promissio, quæ apprehenditur intellectu.* Et sequitur ibi: *Sapientibus verò Theologis multo maior cupiditas fuit, ad consequendum hanc felicitatem, quàm corporum, quæ quamuis daretur eis, non tamen attenderunt eam, nec appretiati sunt eam comparatione felicitatis, quæ est coniunctio prima veritati.*

Quid Iudæi, qui nouum Testamentum damnant, quod in suo veteri promittitur (Ierem. 31.) vt ostendit Apostolus *ad Hebræos, c. 3. & 8.* Etiam quàm insipidæ sunt eorum cæremoniæ sine Christo? Christum etiam aduenisse, & ita nouum Testamentum ab eo principaliter promulgatum, sicut authenticum fore recipiendum, Prophetiæ eorum ostendunt. *Non auferetur,* (ait Iacob Gen. 49.) *sceptrum de Iuda, nec Dux de femore eius,* &c. Et similiter illud Danielis 9. *Cùm venerit Sanctus Sanctorum.*

Quid asini Manichæi fabulantur primum malum, cùm ipsi, etsi non primi, tamen valdè mali essent? Nónne vident omne ens, inquantum ens, bonum esse? Nónne etiam in nouo Testamento potuerunt videre, esse vetus authenticum, & approbatum?

Quid singuli alij hæretici, qui vnum verbum Scripturæ malè intellexerunt? secundùm Augustinum *lib. 83. quæstionum, quæst. 69. Non potest* (inquit) *error oriri palliatus nomine Christiano, nisi de Scripturis non intellectis.* (Et hoc ideò, quia præcedentia, & sequentia non contulerunt. Vnde ibidem infrà: *Solet circunstantia Scripturarum illuminare sententiam*) *nec etiam alia loca Scripturarum contulerunt. Vnde Hæreses ortæ sunt per se legendo, quæ conferendo repulsæ sunt: quia conferentes, diuersas sententias adduxerunt, quæ ex se inuicem mutuò videri poterant, quomodo & qualiter essent intelligendæ.* *Hæresis quæque ex Scriptura malè intellecta secundũ Aug. de quo benè Tertull. de præscr. c. 38. 39. Vincent. Liri. c. 35.*

Contra istos est illud verbum Augustini contra Epistolam Fundamenti. *Non crederem*, inquit, *Euangelio, nisi quia Ecclesiæ Catholicæ credo* Igitur irrationabile est, aliquid Canonis recipere, & aliquid non, cùm Ecclesia Catholica, cui credendo, Canonem recipio, recipiat totum æqualiter. Item, doctrinæ Philosophorum aliquid continent irrationabile, provt de Politiis diuersis, ordinatis à diuersis Philosophis probat Aristoteles 2. *Polit.* sed & sua in quibusdam est irrationabilis, sicut patuit ex solutione quæstionis præcedentis. *Num. 23.*

COMMENTARIVS.

1. *5. via ex rationabilitate Doctrinæ.*

a DE *quinto, scilicet rationabilitate*, &c. Hoc argumentum est etiam valdè vrgens, tum quatenus tollit penitus rationem dubitandi, quæ posset oriri circa authoritatem diuinam Scripturæ, si quæ contineret morum præcepta rationi, quæ regula est humanorum actuum, dissona; tum, etiam quia non est possibile, quòd diabolus sit author, aut consequenter mali aliqui homines doctrinæ nihil mali, sed omnia bona continentis: & consequenter non potest esse dubium, quin à Deo ipso proueniat. Confirmatur hoc, quia omnis doctrina totalis, quam quæuis alia hominum Congregatio præter Christianam profitetur, aliqua continet absurda, & rationi naturali contraria, ac propterea Deo sine dubio ingrata: ergo si hæc doctrina nihil tale contineat, signum est Deum in ea proponenda, & inspiranda specialem curam habuisse; vnde enim hæc sola erroribus practicis immunis esset, nisi ex Dei assistentia speciali? Quòd autem contenta in Scriptura, de qua agimus, sint conformia rationi, patet quantùm ad moralia, quia omnia præcepta, consilia, & Sacramenta eius tendunt ad dilectionem Dei, ac proximi; nec aliqua ad hæc ordinantur, quæ vllam apparentiam inordinationis habent. Quantùm etiam ad cætera, quæ proponuntur credenda idem etiam non minùs constat: omnia enim illa tendunt ad honorem, & gloriam Dei, & declarant perfectiones, & virtutes ipsius. Quòd si aliqua mysteria continerentur in Scriptura, quæ irrationabilia fuissent, profectò melior, & doctior, ac sanctior mundi pars illa non amplecteretur, sicut non amplectitur errores aliarum sectarum, quoniam irrationabiles sunt.

2. *6. via ex irrationabilitate Doctrinæ oppositæ.*

b *De sexto, scilicet de irrationabilitate*, &c. Ex irrationabilitate omnium aliarum sectarum tam quoad multa absurda, quæ profitentur, quàm quoad defectum motiuorum sufficientium ad eas persuadendas, magnum argumentum desumi potest ad id quod intendimus: nam euidens moraliter est aliquam esse doctrinã, seu professionem, in qua traditur cultus verus Dei, & modus ad ipsum perueniendi; cur enim conderet Deus homines propter se, eósque ordinaret ad cœlestem beatitudinem, nisi iis, qua ratione ad ipsam perueniretur, ostenderet: sed non minùs euidens est, quòd ille cultus, & modus potiùs in doctrina, seu professione rationabiliori, quã in iis, quæ minùs sunt rationabiles, reperiatur: ergo cùm omnes sectæ præter Christianam professionem sint irrationabiles, sequitur Christianam professionem, & doctrinam esse illam, in qua verus Dei cultus proponitur, & modus ad ipsum perueniendi. Quòd autem cæteræ sectæ sint minùs rationabiles, quàm Christiana professio, vel ex hoc ipso patet primò, quòd aliàs maior, melior, & doctior pars mundi ipsam non profiteretur, postpositis præsertim carnis, & mundi delitiis, ac voluptatibus. *Probatur 1. irrationabilitas aliarũ sectarum.*

3. *Replica.*

Dices, ante aduentum Christi maior, & doctior pars mundi profitebatur idololatriam, quæ minùs sine dubio rationabilis erat, quàm cultus veri Dei, quem profitebantur Iudæi; ergo ex eo quòd maior, & doctior pars mundi sequatur aliquã doctrinam, non colligitur eam esse rationabiliorem. Respondeo, quidquid sit de antecedẽti, de quo mihi certius videtur, nunquam doctiores Philosophos opinatos fuisse idola esse colenda, aut dari plu- *Responsio.*

ſes Deos, quamuis operibus accommodarent ſe nonnunquam tempori. Sed quidquid ſit de hoc, diſtinguo conſequens; ex eo præcisè, tranſeat, ex eo quòd ſequatur eam, quando vtraque doctrina, ſeu profeſſio proponitur ſufficienter, & quando ad eam ſectandam deſerunt eam, quam antea coluerunt, nec ex hoc illis emolumenta aliqua particularia diuitiarum, honorum, voluptatum accederent, & quando non apparet euidenter lumine naturali falſitas eius, ſicut apparet falſitas pluralitatis Deorum, quos admittebant idololatræ, nego conſequentiam. Ex hoc ergo maximè confirmatur rationabilitas profeſſionis Chriſtianæ, & irrationabilitas aliarum omnium ſectarum, quòd aliis relictis nulla ſpe honorum, diuitiarum, aut voluptatum, maior & doctior pars orbis eam ſequeretur; quod certè non eſt veriſimile, nec credibile illam eſſe facturam, niſi eſſet longè rationabilior doctrina Chriſtiana, quàm vlla alia doctrina, quam aliæ hominum Congregationes profitebantur.

Quomodo ex conuenientia plurium virorum doctorum, & bonorum colligitur rationabilitas doctrinæ.

4. Confirmatur hoc, quia licèt doctiſſimi homines, & etiam honeſtiſſimæ inclinationis, perſeuerarent in errore, etiam abſurdo ſatis, quem à parentibus, & maioribus acciperent, & præſertim quando, niſi in eo perſiſterent, probabiliter timerent offendere ſuos amicos, aut ſuperiores, aut priuari aliquibus bonis, quibus aliâs gaudere poſſent. Et licèt etiam ob ſimiles rationes maior pars Doctorum orbis eundem errorem profiterentur; nec id pro fragilitate humana mirari quis deberet, ex qua oritur, vt bonum honeſtum poſtponatur bono vtili; ac delectabili à pleriſque mortalium: tamen quod religionem antiquam à maioribus acceptam contra inclinationem naturæ, & conſuetudinis, ſine violentia, aut ſpe alicuius boni vtilis, aut delectabilis quis mutaret in aliam, minorem concedens voluptatibus indulgendi licentiam, id prorſus videtur tam ex ſe abſurdum, vt impoſſibile ſit maiorem partem virorum doctorum, ac potentum in illud conuenire, niſi moraliter conuincerentur efficacibus rationibus, ac motiuis.

Maior pars Doctorum virorum poſſet conuenire in doctrina commoda.

Non in incommoda.

Secundò irrationabilitas doctrinæ, quam profitentur aliæ ſectæ, patet; quia nõ ſolùm deficiunt ipſis motiua ſufficientia ad eam perſuadendam ſed etiam adſunt motiua omnia, quæ prudenter requiri poſſunt, vt iudicetur falſa, & erronea; vt patet applicando oppoſita ſigna his, quæ modò proponimus, omnibus ſectis in particulari: omnis autem illa doctrina, vt irrationabilis reiicienda eſt, quæ cùm proponenda ſit communitati nomine Dei tanquam ab ipſo profecta, non habet vias vllas, quibus in hoc ipſo fidem ſibi conciliare poſſit. Et ſanè quamuis à parte rei, doctrina, quam quis proponeret, eſſet reuera à Deo inſpirata, & proponenti id conſtaret euidentiſſimè; tamen id irrationabiliter crederetur ab aliis, niſi aliunde conſtare poſſet, quòd ita eſſet: & hinc dicit Scriptura Eccleſiaſt. 19. *Qui citò credit*, hoc eſt, qui ſtatim paratus eſt, ad quæcunque audierit credenda, ſine motiuis ſufficientibus ad conciliandam fidem narranti, *leuis eſt corde*, & conſequenter irrationabiliter procedit. Quòd ſi hoc ita non eſſet, quotidie oriri poſſent noua Religionum monſtra, & quiſque poſſet quaſcumque ſibi occurrentes chimæras tanquam à Deo reuelatas, proponere; nec alij malè facerent credendo: & ſic etiam nullius momenti eſſet illud, 1. Ioan. 4. *Nolite credere omni ſpiritui; ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*; quæ abſurdiſſima prorſus ſunt.

Probatur 2. irrationabilitas prædicta.

Cæteræ ſectæ non habent motiua ſufficientia, & conſequẽter ſunt irrationabiles.

Non eſt citò credendum.

5. Confirmatur hoc ſpecialiter contra modernos hæreticos, qui authoritatem ſuæ doctrinæ fundant in ſpiritu ſuo, priuato, ſeu in dictamine interno, quod dicunt à Spiritu ſancto ſibi communicari ad diſcernendas veritates ad ſalutem neceſſarias: illa doctrina tanquam irrationabilis reiicienda eſt, quæ non poteſt perſuaderi, niſi iiſdem viis, quas æquè commodè adhibere poſſunt profeſſores falſæ doctrinæ ad eam perſuadendam, vt ex ſe manifeſtum eſt: ſed doctrina innixa ſolummodo ſpiritui priuato eſt talis, ergo vt irrationabilis eſt reiicienda à quauis communitate. Probatur minor, quia quicunque hæretici, & profeſſores erroneæ doctrinæ, poſſunt æquè dicere ſuam doctrinam eſſe inſpiratam ſibi à Spiritu ſancto, & ita dictatam internè, vt ipſi de ea dubitare non poſſint: ergo æquè poſſunt probare ſuam doctrinam, ac hi quos impugnamus, ſi ſufficiat reccurrere ad ſpiritum priuatum.

Priuatus ſpiritus Caluiniſticus reiicitur 1.

Confirmatur ſecundò contra eoſdem, quia quandoquidem certum ſit ſpiritum priuatum eorum omnium, qui contradicunt ſibi (quemadmodum ex aduerſariis plurimi inter ſe diſſentiunt grauiſſimè, vt omnes fatentur, cùm tamen vnuſquiſque innitatur ſpiritui priuato, & in eum refundat veritatem ſuæ doctrinæ) & quorum aliqui conſequenter neceſſariò errant, non poſſe eſſe à Spiritu ſancto, ſed alicuius ex illis ſpiritum debere procedere à diabolo, qui tranſformat ſe in Angelum lucis; vel ex aliquibus aliis naturalibus principiis; vt quis prudenter exiſtimet ſuum, vel alterius ſpiritum eſſe bonum, oportet adeſſe aliqua motiua, quæ id perſuadeant; vt manifeſtum eſt, & qui ſine talibus moueretur, omnino irrationabiliter procederet; & doctrina, quæ vt id faceret ſuaderet, irrationabilis cenſenda eſt, vtpotè lumini naturali omnino contraria: ergo non ſufficit ſpiritus priuatus, & conſequenter doctrina hæreticorum illi ſoli innixa eſt irrationabilis, & nullo modo à Deo inſpirata. Deinde quis dubitet contra omnem rationem eſſe, quòd Deus hunc ſpiritum bonum priuatum Luthero, Caluino, & aliis hæreſum noſtræ ætatis profeſſoribus, quorum infamis vita, & mores, non rationi tantùm, ſed toti Scripturæ oppoſiti, omnibus conſtant, communicauerit; non verò ſanctiſſimis viris noſtræ religionis profeſſoribus, Auguſtino, Hieronymo, Bernardo, Franciſco, Dominico, quos ipſimet aduerſarij, vt plurimum, fatentur, aut Sanctos, aut bonæ ſaltem, & immaculatæ vitæ, ac conuerſationis fuiſſe.

Reiicitur 2. idem ſpiritus.

Irrationabile eſt exiſtimare ſpiritum bonũ communicari hominibus malæ vitæ, & non bonis.

6. Patet tertiò eadem doctrinæ aliarum ſectarum irrationabilitas, diſcurrendo de ſingulis in particulari; ſed quia id longiorem, & non neceſſarium requireret diſcurſum; nec modò cum aliis controuerſia eſſe circa hoc poſſet, quam cum hæreticis huius ætatis, aut Mahumetanis, qui in aliarum ſectarum, præter ſuas, irrationabilitate conueniunt: ſufficit oſtendere, quòd hæ duæ ſectæ contineant irrationabilem doctrinam. Et in primis id certum eſt de Mahumetanis, tum ex eo quòd vltimam felicitatem poſt hanc vitam conſequendam ſtatuant in voluptatibus corporeis: quod cùm videretur; abſurdum Auicennæ Philoſopho eiuſdem ſectæ, aliam ipſemet ſtatuit, quam tamen à Mahumete non acceperat, vt patet

Probatur 3. irrationabilitas aliarũ ſectarum.

Mahumeticæ ſectæ abſurditas.

ex

ex loco citato à Doctore; tum ex pluralitate vxorum, quam concedunt; tum ex eo quòd prohibeant vllum examen, aut disquisitionem suæ doctrinæ, & omnem etiam literaturam. De hæreticis etiam id non minùs manifestè apparet, qui ieiunia, eleemosynas, vigilias, & alia bona opera vbique in Scriptura veteri, & noua, quam ipsimet profitentur, laudata, & inculcata, parui faciunt, ac contemnunt. Deinde quid absurdius cogitari potest, quàm contemnere traditionem Apostolicam à maioribus de manu ad manum acceptam, sine qua nec ipsam Scripturam, aut quoad partem, aut quoad totam cognoscere possemus; & expositiones sanctorum Patrum, & Conciliorum reiicere in rebus merè dependentibus à voluntate diuina nobis non aliter manifestata.

Absurditas doctrinæ modernorum hæreticorum.

Quòd si irrationabile videretur, si quis parentibus, ac amicis dicentibus se baptizatum fuisse non crederet, & propterea vellet de nouo baptizari, cùm tamen non habeat tot motiua credendi eorum authoritati, quot habet ad credendum Ecclesiæ; profectò multò magis id sentiendum est de eo, qui recederet ab authoritate tot Patrum, & hominum doctissimorum, qui nostram sustinuere doctrinam, & quos nemo dicit fuisse malæ fidei, aut conuersationis. Adde illum ipsum recursum ad spiritum priuatum de quo suprà n. 22. tanquam ad controuersiarum fidei iudicem omnino irrationabilem esse; cùm nemo possit alteri ostendere suum spiritum esse bonum potiùs, quàm malum. Omitto varia alia capita, ex quibus hæc irrationabilitas conuinci possit, de quibus Controuertistas consulere licet.

SCHOLIVM.

Septima via, ex stabilitate Ecclesiæ, quia eius doctrina semper est eadem, & ipsa nunquam deficit, non obstantibus quibuscunque persecutionibus, & perpetuam habet Episcoporum ab ipso Petro successionem. Hoc tertium de successione pro Ecclesiæ stabilitate vrgent Aug. c 4. contra Ep. Fund & Ep. 165. Iren. lib. 3. c. 3. Optat. contra Parmen. c. 2. Cypr. lib. 1. Ep. 6. & lib. 4. Ep. 9. Tertul. de præscript. c. 32. 36. Vincen. Lirin. c. 33. Tria hæc desunt sectariis. Non solùm inter se, sed singuli sibi contradicunt. De Luthero docet Cocleus, libro inscripto, Lutherus Septiceps. Caluini Antilogias 24 refert Coccius, ipsius verbis. Quòd deficiant sectæ, constat ex omnibus, quæ hactenus ortæ sunt, & per Dei gratiam constabit de iis, quæ modò extant. De defectu successionis, & missionis, res est patens, quia nemini succedentes à se ipsis orti, sunt sectarij.

DE septimo, [a] scilicet de Ecclesiæ stabilitate, patet quoad caput, per illud August. de vtilitate credendi quasi in fine (c. 17.) *Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructúmque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiæ condere gremio, quæ, vsque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum frustra hæreticis circumlatrantibus: & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit?* & parum pòst: *Quid est aliud, quod tam ingratũ potest esse opinioni atque auxilio diuino, quàm tanto labore prædictæ auctoritati velle resistere?* Vnde Gamaliel Act. 5. *Si est ex hominibus consiliũ hoc, aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, nõ poteritis dissoluere illud, ne fortè & Deo repugnare videamini.* & Luc. 22. ait Dominus Petro: *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Firmitas enim Ecclesiæ in membris, patet per illud August. de vtilit. credendi, c. 17. *Imperitum etiam vulgus marium fœminarúmque in tam multis diuersisque gentibus & credit, & prædicat.* Similem sententiam dicit contra Ep. Fundamenti. *Quis enim tantam multitudinem ad peccata pronam, ad legem contrariam carni, & sanguini seruandam induceret, nisi Deus?* Et confirmatur, quia secta Iudæorum non manet in vigore, sicut contra eos obiicit Aug. in primo sermone de Aduentu: *Vos inquam conuenio, ô Iudæi.* Si obiicitur de permanentia sectæ Mahometi: Respondeo, illa incepit plus quàm sexcentis annis post legem Christi, & in breui, Deo cooperante finietur, quæ multum debilitata est anno Christi 1300. & eius cultores multi mortui, & plurimi sunt fugati, & Prophetia dicitur esse apud eos, quòd citò finienda est secta illa.

9. *Septima via à stabilitate Ecclesiæ. Successio Episcoporum in Sede Apostolica. Consiliũ, & opus hominis instabilia, Dei verò indissolubilia.*

Nulla hæresis stabilis.

COMMENTARIVS.

1. *7. via ex stabilitate Ecclesiæ.*

a DE septimo; *scilicet, Ecclesiæ stabilitate*, &c. Ex hac via ad propositum formari debet argumentum hoc modo: Illa doctrina, & Scriptura est diuina, & à Deo specialiter reuelata, & confirmata, quæ vt talis recipitur ab Ecclesia, & congregatione illa hominum, quæ semper ab initio institutionis suæ mansit stabilis in eiusdem fidei, ac doctrinæ professione per plurimos annos, non obstantibus variis persecutionibus, & hoc sine emolumento aliquo carnis, ac sanguinis; sed talis est Scriptura de qua loquimur: ergo, &c. Probatur maior. Quia Deus nõ solet concurrere ad conseruationem vllius sectæ, tam longo tempore, quàm durauit nostra fides, seu religio, nisi illius quæ profitetur veritatem, & quæ sibi placet, vt patet experientia; & præsertim vbi datur via disputandi pro, & contrà principia fidei, & magno studio veritas eius indagatur, vt sit

Replica. Responsio. in nostra Religione. Quòd si dicas sectam Mahuticam multis annis durarè. Respondeo eam non durare tot annis, quot nostra, incepit enim plusquam sexcentis annis post Christum; nam Mahoma ipse natus an. 569. incepit communicare suam doctrinam ann. 606. aut 609. vt ostendit Iacobus Bleda in sua historia de Mauris Hispaniæ. Deinde professores eius interdicuntur omni examine, nec habent inter se vllos viros doctos, nec alios audire permittuntur: & præterea habent magnam libertatem indulgendi voluptatibus, cùm liceat ipsis habere tot vxores quot sustentare possunt. Vnde non est mirum quòd perseuerarent semper in eodem errore, cùm nulla sit ipsis relicta humanitùs via ad discernendam veritatem.

Quando incepit Mahometana religio.

2. Hoc modo si proponatur argumentum ex hac via, vniuersaliter conducit ad probandam Scripturæ, & Ecclesiæ authoritatem contra omnes hæreticos, & infideles, ac cuiuscunque sectæ professores. Sed posset formari particularius contra hæreticos argumentũ, qui fatentur quidem Scripturam esse diuinam, non tamen secundùm quòd exponitur ab Ecclesia Catholica Romana, quam putant non esse veram, ac legitimam. Contra hos, inquam, ex hac via stabilitatis Ecclesiæ potest argumentari hoc modo: Scriptura est sacra, & diuinæ authoritatis in eo sensu quo intelligitur à verâ Ecclesiâ, illáque quæ in eadem Scriptura fundata dicitur, & cui promittitur stabilitas, & conseruatio perpetua; sed is est sensus, quo nos vtimur: ergo, &c. Probatur minor; quia nostra Ecclesia est illa, quæ est instituta in Scriptura, & cui promissa est stabilitas, & perpetua conseruatio: ergo sensus, quo vtimur, est sensus veræ Ecclesiæ, & consequenter Scriptura in eo sensu est diuinæ authoritatis. Probatur antecedens: quia illa sola Ecclesia est censenda instituta in Scriptura, & ea cui in eadem Scriptura promittitur perpetua conseruatio, quæ per continuam successionem Episcoporum propagata est ab Apostolis, & Petro ad hæc vsque tempora; sed talis est Romana sola, & nulla alia: ergo, &c. Probatur minor: quia non Ecclesia vlla infidelium, aut Iudæorum, cùm de earum institutione nulla prorsus fiat mentio in Scriptura, vt patet.

Ecclesia Romana est illa quæ in Scriptura dicitur fundari.

Non etiam Ecclesia vlla hæreticorum, siue eorum, qui præcesserunt, & quorum errores iam explosi sunt, cùm iam desierint, siue eorum, quorum hæreses modò vigent in Germania, Gallia, Anglia; quia certum est primos authores, seu suscitatores horum errorum, vt Lutherum, ac Caluinum, non fuisse institutos in successores Apostolorum in auctoritate Episcopali, aut aliqua alia, quæ sufficeret, vt essent capita, aut præsides, aut superiores Ecclesiæ; cùm non possit assignari, quis iis authoritatem dederit: vnde nec alij eorum successores, aut ab ipsis instituti, possunt vlla ratione dici Apostolorum successores: at in nostra Ecclesia, qui capita censentur, vt manifestum est ex omnibus historiis, successerunt vnus alteri ordinato modo, vt aliarum rerum publicarum capita sibi inuicem succedere solent; nec potest vnus aliquis assignari, qui primus inceperit, & non deriuauit authoritatem suam ab iis, qui poterant eam communicare, eo modo quo in prædecessores deriuata est: ergo nostra sola Ecclesia est illa, quæ in Scriptura instituta dicitur, & conseruanda in finem sæculi. Ex hoc autem loco obiter insinuauerim, quàm absurdè dicatur Scotum obiisse ante annum millesimum trecentesimum, cùm hîc meminerit ipse victoriæ contra Mahometanos, quâ multùm debilitati sint eodem anno 1300. obtentæ. Sed quantùm ad hoc, & alia historica, quæ ex hac huius anni mentione dubium facessere possint, lectorem remitto ad vitam Scoti his operibus præfixam, in qua illa accuratiùs, quàm in aliis eiusdem vitis discutiuntur.

Ecclesia Hæreticorum non est illa, quæ fundatur in Scriptura.

Vbi sunt successores Apostolorum.

SCHOLIVM.

Octaua via ex miraculis. Hac vtuntur Augustinus hîc citatus, & lib. de vtilit. credendi, c. 16. Chrysost. hom. 3. in 2. ad Cor. Richard. Vict. 1. Trinit. 2. Nazianz. in Cyprian. Greg. Turon. de gloria Mart. lib. 6. c. 22 & per totum, vide Iren. lib. 2. c. 36. & Aug. 13. contra Faust. 5. vide Apol. protest. tract. 2. c. 3. sect. 7. vbi adducit Patres allegantes miracula in confirmationem omnium ferè quæstionum, quæ inter nos, & Hæreticos controuertuntur. Hac viâ vtimur contra sectarios, quia extra Ecclesiam nulla miracula fiunt: quia Deus non confirmat falsam doctrinam: frustra tentauit Simon Magus resuscitare mortuum, ex Egesippo 3. de excidio Hierosl. c. 2. & Manichæus sanare filium Regis Persarum, ex Epiph. Hær. 66. frustra tentauit Lutherus eiicere de quadam sua discipula diabolum, à quo ferè necatus est; teste Staphilo Apol. 2. qui interfuit, & Cocleo in actis ad an. 1523. & Genebr. ad an. 1536. Caluinus tentauit resuscitare mortuum fictum, & fecit mortuum verum, Bolsecus c. 13. vita eius, Surius ad an. 1538. de quo verificatur illud Tertul. de præscript. c. 30. dicentis hæreticos imitari Apostolos in peruersum. Illi, *inquit,* de mortuis viuos faciebant: isti de viuis mortuos faciunt. *Sed in Ecclesia Catholica per omnes ætates facta sunt miracula, in cõfirmationem veritatum fidei, de quo Bellarm. lib. 4. de notis Eccl. c. 14. nec vlla gens conuersa est sine miraculis, vt constat ex annalibus Ecclesiasticis, & politicis omnium nationũ, & ipsi Centuriatores. c. 13. cuiuslibet centuriæ, referunt talia, ex auctoribus cuiuslibet temporis. Nec obstat, si dicas cum Caluino præfatione in instit. miracula esse partim conficta, partim diabolica: quia sic Pharisæi dixerunt de Christo, in Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Præterea diabolicum, & blasphemum est, id asserere de iis, quæ Sancti scribunt de Sanctis, vt Nyssenus de Thaumaturgo, Athanasius, & Hieron. de Antonio, Seuerus de Martino, Gregorius de Benedicto, Bernardus de Malachia, Bonauentura de Francisco, & alij multi Sancti, qui aliorum Sanctorum vitas scripserunt, quibus integra fides adhibenda est, vel omni historiæ omnis fides penitus abneganda, quod nullus sanæ mentis admittet.*

De

DE octauo, * scilicet de miraculorum claritate, sic patet. Non potest esse testis falsus Deus: sed Deus inuocatus à prædicante Scripturam, vt ostenderet doctrinam eius esse veram, fecit aliquod opus sibi proprium, vtpotè miracula, ac per hoc testificatus est illud esse verum, quod iste prædicauit. Confirmatur hoc per Richard. 1. *de Trinitate*, c. 2. vbi suprà: *Domine, si est error, à te decepti sumus: nam tantis signis confirmata sunt, quæ non nisi per te fieri possent.* 10. *Octaua à miraculorum claritate?*

Quòd si dicatur miracula non fuisse facta, aut etiam quòd ipsa non testantur veritatem, quia Antichristus faciet miracula: Contra primum dici potest illa sententia Augustini *de Ciuit.* lib. 22. cap. 5. *Si ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis vnum grande miraculum sufficit, quòd iam terrarum orbis sine vllis miraculis credidit.*

De miraculis, & eorũ efficacia, vide August. hîc citatum, & cap. 8. & 10. ciu. 18. Greg. Nyss. in vita Thaumat. Basil. de Spiritu sancto 29. Athan. & Hier. in vita Antonij.

Nota valdè illud capitulum, quia si quicquid quod credimus, dicatur incredibile esse, non minùs est incredibile; *homines*, inquit, *ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos, rem tam incredibilem, tam efficaciter, mundo, & in illo etiam doctis persuadere potuisse, vt mundus illud credat, sicut iam credidisse videtur: nisi per illos aliqua miracula fierent, per quæ mundus ad credendum induceretur.* Vnde subdit: *Qui propterea exiguo numero ignobilium, infimorum, imperitorum hominum credidit: quia in tam contemptibilibus testibus, multo mirabilius diuinitas seipsâ persuasit.* Quid enim incredibilius, quàm vt ad legem contrariam carni, & sanguini Doctores pauci, & rudes, & pauperes possent plurimos potentes, ac sapientes conuertere? Quod specialiter patet de multis sapientibus, primò fidei rebellibus, postea conuersis, vt de Paulo priùs persecutore, postea Gentium Doctore: & de Augustino priùs per Manichæos seducto, postea Doctore Catholico: de Dionysio priùs Philosopho, postea Pauli discipulo; & de Cypriano priùs Mago, postea christianissimo Episcopo, & de innumeris aliis conuersis.

Contra idem, secundò dici potest illud August. de Ciuitate Dei, lib. 10. cap. 18. *An dicet aliquis ista falsa esse miracula, nec fuisse facta, sed mendaciter scripta? Quisquis hoc dicit, si de his rebus negat omnino vllis literis esse credendum, potest etiam dicere nec Deos vllos curare mortalia*, &c. & ibidem de eodem: *Si libris magicis (siue quod honestius putant) Theurgicis credunt, quid causæ est cur illis literis nolunt credere ista facta esse?* Contra idem tertiò, quia quædam facta, non nisi à nimis proteruientibus negari possunt, vt sunt miracula facta à Syluestro coram Constantino, tam in curatione lepræ eius, quàm in disputatione eius contra Iudæos: quæ facta tanquam celeberrima mundum non latuerunt. 11.

Miracula esse signa infallibilia veræ fidei, & Syluestri esse notissima.

Contra secundum dici potest, quòd si quis inuocatus in testem, signum consuetum testificationis permittat adduci, & præsens non contradicat, talis taciturnitas non stat cum veritate perfecta; miraculum autem est tale signum Dei, vt testis: igitur si permittat miracula fieri à Dæmonibus, non contradicens, enuncians scilicet illa non esse testimonia sua, non videtur esse perfectè verax, quod est impossibile. Et per hoc dicitur ad illud de Antichristo, quòd prædixit illa miracula facienda, non esse testimonia veritatis, sicut patet *Matth.* 24. & 2. *ad Thessal.* 2.

Item, contra idem est differentia miraculorum, quæ fiunt à Deo, & quæ fiunt à diabolo. De qua differentia tractat Augustinus de vtilitate credendi, prope finem. *Miraculum*, inquit, *voco quicquid arduum, aut insolitum supra spem, vel facultatem mirantis apparet, quædam solùm faciunt admirationem, quædam magnam gratiam beneuolentiámque conciliant: qualia fuerunt Christi miracula*, vt pertractat ibi diffusè.

In quibusdã miraculis nõ potest esse deceptio.

Item, contra vtrumque potest dici, quòd sunt aliqua miracula facta in lege Christiana, in quibus non potest esse deceptio, quin sint facta: nec quin sint testimonia veritatis, quia à Deo facta; scilicet raptus Pauli, & reuelatio contingentium futurorum. Primum patet, quia impossibile est aliquem decipi credendo circa se videre essentiam Dei: ergo impossibile fuit Paulum se credere illam videre, nisi eam videret. Sed hoc asserit de se 2. *ad Corinth* cap. 12. secundùm expositionem Sanctorum: illud igitur fuit verè factum, & non tantùm apparenter. Probatio primi antecedentis, quia nullus potest decipi circa aliquod principium primum credendo se intelligere illud, cùm non intelligat tale principium: quia tunc non constaret ex terminis apprehensis, quòd esset principium, & quòd non: ergo multò magis non potest decipi circa Deum visum. Consequentia ista patet, quia plus distat visio Dei ab intellectione cuiuslibet subiecti, (etiam quantùm ad perceptionem intellectus iudicantis) quàm distet intellectio principij complexi, ab intellectione cuiuscunque non principij. Item, qualiter intellectus crederet se quietari, si non quietaretur, nónne poterit cognoscere inclinationem suam ad verum, quod non videt? Si crederet se videre Deum, crederet se quietari in Deo, si non videt, 12.

non quietatur. *Stultius* (ait Augustinus) *nihil dici potest, quàm quòd falsâ opinione anima sit beata*, 11. de Ciu. c. 4. Secundum scilicet, quòd à solo Deo fieri potuit, est manifestum: quia nulla creatura potest animam beatificare, nec simpliciter, nec ad tempus.

Prædictio futurorum miraculum infallib.

Secundum patet ex multis Prophetis, in vtroque Testamento. Vnde contra falsa miracula Antichristi posset sibi obiici, saltem de istis duobus, hoc modo: Si tu es Deus, fac me videre essentiam diuinam nudè, & post visionem memoriam certam habere visionis, & certitudinem, quòd illa fuit visio essentiæ diuinæ, & tunc credam tibi. Item, si tu es Deus, dic mihi, quid faciam, vel quid cogitabo, vel appetam pro tali hora. Et huiusmodi viæ efficaciam ex miraculis innuit Saluator Ioan. 5. *Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me, si mihi non vultis credere, operibus saltem credite.*

COMMENTARIVS.

1. *8. via ex miraculis.*

a *DE octauo, scilicet, de miraculorum claritate*, &c. Hæc via est maximè efficax, & ordinaria ad persuadendam doctrinam aliquam nouam; vnde adhibita est in conuersione prima cuiuscunque nationis, ac regni, vt patet ex omnibus historiis. Fundatur autem potissimùm in his duobus principiis. Primò, quòd Deus non concurrat ad facienda miracula in confirmationem alicuius doctrinæ, quæ vera non est, quia aliàs ipse deciperet, & sequentes falsam doctrinam sic confirmatam essent excusabiles, cùm ipsi regerentur per dictamen rectæ rationis, quæ sine dubio dictat sequendam esse illam doctrinam, quam Deus ipse approbat, & suadet; nullam autem potiùs approbare dicendus est, quàm eam in cuius confirmationem opera aliqua excedentia vim, & potestatẽ naturæ exercet. Secundum principium est, quòd talia miracula facta sint in confirmationem doctrinæ contentæ in Scriptura, & quam profitentur Romani Catholici.

Non cõfirmat Deus falsa miracula.

Primum ex his principiis est ita verum, vt communiter doceatur, nec de potentia absoluta posse Deum confirmare miraculis falsam doctrinam, sicut nec mentiri: & hinc deducitur maior certitudo fidei supra omnes scientias naturales; quia scilicet innititur authoritati Dei, quàm magis repugnat fallere, aut falli, quàm principia vlla naturalium doctrinarum esse falsa. De quo Scholastici videantur in materia de fide.

2. Secundum principium constat ex omnibus Ecclesiasticis historiis, quibus qui non vellet assentiri impudentissimus esset censendus; & eadem ratione omnibus omnino libris, & omni humanæ authoritati fidem adhibere non posset; nec haberetur vlla certitudo de patre, matre, cognatis, amicis, quibus absurdis, qui locum sua incredulitate daret, ab omni humana societate esset ablegandus.

Miracula sunt facta in confirmationẽ professionis Christianæ.

Sed & illud etiam quod Doctor ex sancto Augustino adducit contra eos, qui negarent hæc miracula facta esse, maximam vim habet, nimirùm, quòd hoc ipsum grande miraculum esset, totum orbem, aut maximam meliorémque, & doctiorem partem eius fuisse conuersam absque miraculis ad doctrinam amplectendam, contrariam non solùm maiorum institutis, sed carni prorsus, & sanguini, ídque per viros simplices, ignobiles, paucos, & si sæcularem litteraturam spectes, omnino indoctos. Itaque, dum negantur alia miracula, conceditur hoc, quod non minus, quàm illa, stupendum est: vnde aliquod miraculum in confirmationem nostræ doctrinæ, & consequenter Scripturæ factum fuisse non potest, nec à proteruo negari. Videatur ipse textus, qui satis clarus est: in quo illud aduertendũ, quòd Scotus dicat S. Cyprianum priùs magum, postea factum Christianissimum Episcopum, qua de re est controuersia historica, aliquibus dicentibus illum Cyprianum, qui cum Iustina Virgine passus legitur, & de quo solo, quòd fuerit magus, cõstat; fuisse Carthaginensem Episcopum, coincideréque cum illo celebri, cuius eruditissima habemus opera; aliis asserentibus illum magum non fuisse Carthaginensem, sed benè Antiochenum Antistitem; aliis denique existimantibus illum nullo modo fuisse Episcopum. Scotus aliquam ex primis duabus sententiis supposuit; quam, incertum est; nam omnis Episcopus poterat dici Christianissimus, vt Scotus vocauit illum magum. Prima sententia minus habet probabilitatis; tum, quia in Breuiario Romano, sicut & in Martyrologiis antiquis omnibus, tanquam diuersi Sancti, proponuntur diuersis diebus, licèt eodem Septembri mense Cyprianus Episcopus Carthaginensis, & Cyprianus magus; tum, quia in pluribus, quas diuersi authores veteres, & inter eos aliqui Patres scripsère vitas Cypriani Carthaginensis, operibus eius præfixis, nulla prorsus fit mentio, quòd fuit magus; tum ob plures alias rationes, quas videre licet apud Pamelium in initio eorundem Cypriani operum. Vide etiam Notas Baronij ad Martyrol. Rom. 14. Septemb.

S. Cyprianus magus an Episcopus Carthaginensis.

Quòd si obiiciatur huic rationi ex miraculis deductæ, etiam dæmonem plura facere posse ex iis, quæ pro miraculis à nobis ipsis referuntur, & Antichristum facturum plurima signa ad confirmationem suæ doctrinæ, & consequenter ex miraculis non posse colligi veram doctrinam. Doctor triplicem dat responsionem. §. *Contra secundum*, & seq. Primò, negando dæmonem in confirmationem doctrinæ falsæ facere miracula vlla, siue illa quæ excedunt capacitatẽm ipsius, vt sunt prædictiones futurorum contingentiũ, aut reuelationes secretorum cordium, ac resuscitationes mortuorum, siue etiam alia, quæ non videntur excedere capacitatem ipsius, vt sunt repentinæ sanationes infirmitatum, vulnerũ, ac cicatricum, & similia. Negando, inquam, ipsum facere vlla ex his miraculis, quin Deus sufficienter significet illis miraculis fidem non esse adhibendam: vnde de facto prædixit Antichristum facturum plurima signa, queis tamen non debere credi asseruit, quod sufficit, vt non habeatur ipsis fides. Cùm etiã magi, & sapientes Pharaonis in patrandis signis cum Moyse contenderẽt, vt habetur in Exodo, tandem victi dedere manus, ipso superante, & proinde clarè constare potuit potiùs Moysi, quàm ipsorũ signis credendum fuisse. In sæcularibus quoque gentium historiis plurima leguntur portenta, quæ videri possunt apud nostrum Medinam, qui eruditè, ac

3. *Obiectio contra octauam viam.*

Diabolus non facit miracula sufficienter ad confirmandum errorem.

ac grauiter hæc omnia ſigna pertractat; ſed non legitur tamen ea facta in doctrinæ vllius falſæ confirmationẽ. Quòd ſi in hoc genere Deus non ligaret diabolo manus, cùm auidiſſimus ſit noſtræ perditionis, & ſciat nihil plus authoritatis conciliare dogmatibus vllis, quàm extraordinaria aliqua ſigna, & prodigia, quis dubitet quin plurima eſſet patraturus in confirmationem hæreſum? hoc autem cùm non faciat, ſatis patet, quàm verum ſit illud Apoſtoli 1. Corinth. 10. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tribulari ſupra id quod poteſtis.* Sic autem tribularemur, ſi in confirmationem hæreſum ſigna, & portenta fierent ea ratione, vt non poſſet colligi ex circunſtantiis antecedentibus, ac concomitantibus quòd iis non eſſet credendum.

4 *Examinanda ſunt miracula.* Itaque non ſufficiunt quæcunque ſigna facta in confirmationẽ doctrinæ ad eam confirmandam, ſed examinandæ ſunt circunſtantiæ, & ſpecialiter videndum eſt, vtrùm doctrina ſic confirmata, aut ex ſe tendat in malum, aut contraria ſit doctrinæ, aliis æquiualentibus, aut maioribus ſignis confirmatæ; quòd ſi alterum horum contingat, vel hoc ipſo Deus ſufficienter declarat iis ſignis non eſſe credendum: ſin neutrũ ex his accedat, nec aliquod aliud indicium falſitatis, omnino ſunt ſufficientia ſigna veræ doctrinæ, & mouere poſſunt prudenter ad fidem; nec qui iis duceretur, leuis eſſet corde, vt dicitur eſſe qui citò credit, Eccl. 19. In propoſito autem noſtro illa, quam profitemur doctrina, confirmata eſt ſignis, & miraculis multis, nec in ſe continet aliquid mali, nec contraria eſt vlli doctrinæ æquiualentibus ſignis confirmatæ; nec aliunde ex vllo capite conſtat, quòd his ſignis non ſit credendum, vt patet: ergo ſigna illa ſufficiunt ad eius confirmationem. Quæcunque verò alia doctrina, quæ aſſeri poteſt vllis ſignis confirmata, in aliqua ex his conditionibus deficit, vt diſcurrendo per omnes eſt manifeſtum, & ſpeciatim doctrina Antichriſti, quæ maximè omniũ confirmabitur ſignis, deficiet in conditione conformitatis ad doctrinã Chriſti, quæ æquiualentibus ad minus ſignis comprobata eſt, & in difformitate ad rectam rationẽ, quia ſuadebit inhoneſta & turpia.

Reſponſio 2. ad obiectionem. Reſpondet ſecundò non fieri talia miracula à dæmone, aut Antichriſto, qualia ſunt illa, quæ facta ſunt in confirmationẽ noſtræ doctrinæ, & differentiam conſtituit ex Auguſt. in hoc quòd miracula illa, quæ facit dæmõ, & tendunt in malum, admirationẽ tantùm pariant, non affectũ bonum, & honeſtum, nec beneuolentiam, ac gratiã conciliant, vt faciunt miracula Dei, & ſuorũ ſeruorum; quæ ſanè differentia non dubito, quin experientia conſtare poſſet probantibus vtraque ſigna. *Differentia inter miracula facta à Deo, & diabolo.*

5. Reſpondet tertiò, aliqua eſſe miracula, quæ facta ſunt in confirmationem noſtræ doctrinæ, quæ excedunt capacitatem diaboli, & totius naturæ, & propterea refundi debent in Deum tanquã in authorem: vnde ſequitur ſaltẽ ex his miraculis noſtram doctrinam eſſe veram, quamuis non poſſet ſequi ex aliis miraculis. Huiuſmodi verò miraculorum duo proponit genera, vnum conſiſtens in præuiſione futurorum contingentium, quæ ſine dubio fieri non poteſt certò, & determinatè, niſi Deo reuelante: alterum conſiſtit in raptu Pauli 2. Cor. 12. in quo, vt ſupponit hîc Doctor, vidit eſſentiam diuinam; cuius viſionis poſtea etiam meminit. Euidens autem eſt, nec diabolum, nec vllam creaturam poſſe cõmmunicare talem viſionẽ eſſentiæ diuinæ: vnde Deus ipſe neceſſariò dicẽdus eſt cauſa quæ principaliter communicauit ipſam. *Quæ miracula nequit diabolus patrare? Reſponſio 3. Paulus vidit eſſentiam diuinam.*

Contra hoc ſecundum miraculum duo obiici poſſunt: primò quòd Paulus mentiretur: ſecũdò quòd poſſet decipi iudicando ſe vidiſſe diuinam eſſentiam, cùm eam non viderit. Sed facilè reſpondetur, ad primum quidem quòd ſic negaretur fides vlli homini, nulli enim potiùs, quàm Paulo, credendum eſſet, cùm non habuerit vllam occaſionem confingendi talem viſionem ad confirmationem iſtius doctrinæ nouæ, ex qua inſinuanda nullum poſſet expectare commodum, ſed potiùs plurimas perſecutiones, & difficultates.

Ad ſecundum reſpondetur primò, quòd non eſt vnde colligatur ipſum deceptum fuiſſe: nam ſine dubio Deus poſſet ipſi communicare talem viſionem. Secundò, quia non eſt veriſimile vllum creatum obiectum potuiſſe ipſi proponi, quod ita ſatiaret, & perficeret ipſius potentiam, & in ſe appareret tantæ excellentiæ, vt putaret ipſum eſſe Deum; neque enim aſſignari poteſt, quódnam eſſet obiectum creatum, quod id præſtare poſſet. Supponit hîc Doctor Paulum vidiſſe clarè diuinam eſſentiam, de quo tamen inter Theologos controuertitur; ſed controuerſia hæc ad ſuum locum referenda eſt.

Quomodo poſſit occurri miracula cõfingenti? Ex his proponit optimã viam redarguendi Antichriſtũ, & quemcunque aliũ pſeudo-prophetam, qui vteretur ſignis, de quibus dubitaretur, vtrùm à Deo fierent ad confirmationem iſtius doctrinæ, quæ proponeretur amplectenda. Nam optimè poſſet quis ab iis petere, vt facerent aliquod ex his duobus ſignis, quæ certum eſt, non poſſe fieri niſi à Deo: nimirùm aut vt reuelarent aliquod futurum contingens, vt quid ſit ipſemet, cui ſignum proponitur, facturus, vel cogitaturus poſt vnam, vel alteram horam, aut diem; aut vt oſtenderent eſſentiam diuinam, ſicut oſtenſa eſt Paulo: quod ſi neutrum ex his facere velint, aut poſſint, meritò quis negaret fidem doctrinæ illorum ob alia illa ſigna, de quibus incertum eſſet, an à Deo, vel à diabolo fierent; ſi tamen potiùs non eſſet certum, quòd eſſent ex diabolo.

SCHOLIVM.

Addit duas alias vias ad octo adductas. Prima eſt à teſtimonio extraneorum, qui fidem noſtram, & profeſſores eius laudarunt, vel prædixerunt: & adducit Ioſephum, & Sibyllas. Quo argumento vtitur Aug. 18. Ciuit. 4. & Tert. lib. ad Scapulam, & Chryſoſt. oratione 3. contra Iudæos, quàm inhumaniter Ethnici Imperatores Catholicos tractabant, & amabant, vide apud Euſebium lib. 8. c. 1. & 9. c. 9. Secunda via, quòd Deus non deeſt quærentibus eum, iuxta id Luc. 11. Omnis qui petit accipit, *& iterum:* Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? *ergo non denegauit Deus veram fidem, ſine qua impoſſibile eſt ipſi placere, Aug. Amb. Hieron. Thaumat. Baſil. Bened. Franc. cæteriſque Sanctis, qui toto corde quæſierunt eum, & ob amorem*

 eius

eius omnia arbitrati sunt vt stercora. Ista dua via deseruiunt contra sectarios, quia ab extraneis testimonia habent, sed non bona, nec sanctos homines Deum toto corde quarentes, mundíque contemptores, falsa religio generat, quia arbor mala non potest fructus bonos facere. Vide Apol.protestan. tract.2.c.3 sect 9. vbi latè agit de vita, & moribus Sectariorum, ex ipsorum testimoniis. Tangit Doctor aliam viam ab affectione, & mutatione animi eorum, qui nostram fidem amplectuntur, de qua Lact.lib.3.diu.inst.c.26. Iustin.apol.2. ad Anton. constat enim de ipsorum pœnitentia, & qualiter subitò de malitia ad bonam vitam mutantur: è contra, experientiâ teste, qui eam deserunt, vitiis, & voluptatibus student, vt constat in omnibus Apostatis. Tangit etiam vltimam viam à constantia Martyrum, quâ vtuntur Iustin.apol.1. ad Senatum Romanum. Lact.lib.5.c.13.14. Constat autem sanctissimos Martyres passos esse pro doctrina, quam Sectarij impugnant, ídque deplorant Centuriat. præfat. centur.2. Hæ 12. viæ quas Doctor succinctè tradit, conuincunt omnia, quæ credimus esse euidenter credibilia: de quo 2.2.q.1.art.4.

13. *Sufficientia Scripturæ ab his, qui foris.*

NOno [a] quoque loco potest adduci testimonium eorum, qui foris sunt. Iosephus *in lib.18. cap.9. Antiquitatum* pulcherrimum testimonium ponit de Christo, vbi inter alia de Iesu ait: *Christus hîc erat.* vbi eius veram doctrinam, & resurrectionem ex mortuis confitetur. Item, de Prophetia Sibyllæ nota illud de Ciuit. 18. cap. 23. *Iesus Christus Dei Filius Saluator.* Item, contra Epistolam Fundamenti, nota quomodo singuli Hæretici de Catholicis inquisiti, non ad suos mittunt, sed ad veros Catholicos, quasi etiam illi soli ab omnibus etiam Hæreticis Catholici nominentur.

A constãtia Martyrum fulcitur fides, ita Iust. apol. ad Sen. Rom. Lact. lib.5. diuin. inst. 13.14.

Decimo, & vltimo potest adduci, quòd Deus non deest quærentibus toto corde salutem: multi autem diligentissimè inquirentes salutem ad hanc sectam conuersi sunt: & quanto feruentiores facti sunt in inquirendo, tanto in hac secta amplius confirmati subitóque in ea pœnitentes de malitia ad bonam vitam mutati sunt, tormenta quoque pro ea plures in magna exultatione spiritus perpessi sunt; quæ non videntur probabilia, nisi Deus hanc sectam sacræ Scripturæ innitentem irrefragabiliter approbaret, & ordinaret ad salutem.

COMMENTARIVS.

1. *Aliæ duæ viæ.*

Ab authoritate extraneorum colligitur veritas doctrinæ Christianæ. Potiùs Romanis Catholicis quàm aliis veritas reuelanda erat.

a NOno quoque loco, &c. Licèt ab initio non statuerit proponere nisi octo iam præmissas vias, & rationes conuincendi doctrinam, quam profitentur Romani Catholici; tamen hîc adiungit alias duas: prima est ab extraneorum authoritate, vt Iosephi, & Sibyllarum, quibus tanto magis credendum est, quòd nulla esset ratio, ob quam in prædicanda, aut laudanda Christianorum professione mentirentur, aut deciperent. Secunda est ex congruentia morali, magni prorsus momenti. Nam sanè dubitandum non est quin Deus communicauerit aliquibus viam illam, per quam ad ipsum perueniri posset; sed potiùs credendum est sine comparatione quòd id fecerit Christianis, nostris maioribus, quàm aliarum sectarum quarumcunque Professoribus, non solùm ob præmissas rationes; sed quia ex Christianis plurimi sanctissimè vixerunt, & summo conatu, & industria adhibitis orationibus, ieiuniis, vigiliis, procurauerunt scire veritatem; & qua ratione maximè possent placere ipsi; & ex iis plurimi cùm id fecissent, antequam nostram Religionem professi sunt, ad eam profitendam sunt perducti, nulla adhibita vi, nullísque propositis motiuis, præter diuina: qui verò in ea educati sunt, semper eò magis, & magis in ea confirmabantur, quò magis in vitæ perfectione progrediebantur: sed adhibentibus huiusmodi diligentiam verisimilius est Deum veriorem doctrinam reuelasse, siue ad eam perducendo, siue in ea confirmando, quàm aliis, qui media similia indagandæ veritatis non adhibuere, vt manifestum est: ergo.

2. Confirmat Scotus hanc viã, tum ex subitanea, & inexpectata à mala vita ad bonam mutatione, quæ in iis, qui ad nostram religionem ab aliena transierant, communiter apparuit; cùm è contra qui ex nostra Religione ad aliam quamcunque transeunt, vel in ipso initio statim illicitis se dedant voluptatibus, violantes, si Sacerdotes sint, aut Monachi, quæ vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ Deo præstiterunt; nec vllũ ferè exemplũ adduci possit vllius, qui à nostra apostatauit, nisi ob motiua aliqua humana, eáque parũ honesta, vel augendarum diuitiarum, aut honorum, vel voluptatibus carnalibus indulgẽdi, vel certè vindicãdi se de suis superioribus, aut amicis, aut similia: tum etiam ex admirabili constantia, quam omnis generis viri, & fœminæ in nostra doctrina profitenda, nihil facientes vlla suppliciorũ genera, monstrauerunt; quæ sanè constantia non nisi à Deo prouenisse credibile est: Deus autem sine dubio non inspiraret eam ad erroris professionem tuendã. Et quamuis de aliquibus Hæreticis legatur, quòd pertinaci constantia, etiam ad mortem vsque, in suis erroribus perseuerauerint; tamen & id rarissimè contingit, & quandoquidem aliunde constat doctrinam, quam defendebãt, fuisse erroneam, potiùs diabolo quàm Deo adscribenda est illa eorum constantia, seu potiùs pertinacia. Ex nullo autem capite constat nostrã doctrinam esse malã; vnde virtus illa ad eam profitendã concessa à Deo potiùs, quã diabolo profecta dici debet.

Hæreticorum in tuenda sua doctrina pertinacia diabolo tribuẽda.

His præmissis ad declarationem maiorem harum octo, vel decem potiùs viarũ, quibus authoritas nostræ scripturæ, ac fidei astrui potest, examinãda restat illa quæstio, quæ in tractatu de fide communiter proponi solet, an mysteria nostræ fidei, seu doctrina, quam fide diuina profitemur, sit 3.

An mysteria fidei sint euidenter credibilia?

ſit euidenter credibilis; ſeu quod in re idem eſt, an habeátur aliquæ notæ, ſeu ſigna euidentia, ex quibus colligi poſſit euidenter, quòd noſtra doctrina ſit illa ſupernaturalis diuinitùs inſpirata, quæ modum, & viam perueniendi ad beatitudinem docet.

Aliud, aliquid eſſe euidenter credibile.

Vt autem reſoluatur hæc difficultas, aduertendum eſt, aliud eſſe, myſteria fidei, ſeu illa quæ fide diuina credimus, eſſe euidentia; aliud verò credibilitatem eorum eſſe euidentem; ſicut aliud eſt, quòd ſit euidens alicui materiam primam poſſe exiſtere abſque omni forma, & aliud eſſe euidens alicui, quòd id ſit probabile. Vt myſteria fidei eſſent euidentia, deberet veritas eorum, vel ex terminis apparere, ſicut apparet veritas primorum principiorum, vel deberent habere aliqua principia euidentia ex terminis, ex quibus ſequeretur neceſſariò veritas eorum. Vt autem eſſent euidenter credibilia, ſufficit quòd eſſent euidentia motiua, quibus prudenter quis duceretur ad credendum illis. Vnde aliqua propoſitio falſa poſſet eſſe euidenter credibilis: ſi enim duo, vel tres, honeſti viri conuenirent in aſſerenda aliqua falſa propoſitione; vt quòd aliquis eſſet mortuus, qui reuerâ non eſſet mortuus; modò nulla ſubeſſet ratio dubitandi, eſſet euidenter credibile ei, cui ipſi id atteſtarentur, quòd talis eſſet mortuus, cùm tamen id eſſet falſum. Hinc autem ſequitur, licèt ſufficeret alicui euidentia credibilitatis alicuius propoſitionis, vt prudenter credat, & abſque peccato, & leuitate; non tamen quamcunque talem euidentiam ſufficere, vt certiùs aſſentiatur iſti veritati ſic propoſitæ, quàm vllis aliis veritatibus naturalibus; nec etiam ita, vt prudenter poſſet, aut deberet ſe exponere morti ad defenſionem talis veritatis: vnde cùm certiùs ſupponamur aſſentiri myſteriis fidei, quàm propoſitionibus vllis naturaliter cognitis, & pro defenſione cuiuſlibet myſterij, ex illis debeamus mortem, ſi neceſſe eſſet, oppetere, conſtat non ſufficere nobis probare, quod myſteria fidei ſint euidenter credibilia quomodocunque; ſed oſtendendum eſſe, ea aliquam ſpecialem, & eminentem euidentiam habere, aut in ſe, aut in ſua credibilitate.

Non ſufficit euidẽtia credibilitatis, vt quis exponat ſe morti pro aliqua doctrina.

4.

Concluſio 1. Myſteria fidei ſunt euidẽter credibilia.

Concluſio prima: Myſteria noſtræ fidei ſunt euidenter credibilia. Hæc eſt communis omnium Theologorum 2.2. quæſt. 1. & in tractatibus particularibus de fide, contra Capreolum 3. diſt. 31. & 32. Probatur breuiter, quia euidens eſt plures viros fide dignos aſſeruiſſe illa myſteria eſſe reuelata à Deo, & eo particulariter aſſiſtente maioribus noſtris propoſita, nec aliqua rationabilis dubitandi ratio occurrit: ergo ſunt euidenter credibilia. Probatur conſequentia ex dictis; quia ſufficit ad euidentiam credibilitatis euidentia talis teſtificationis, cùm nulla occurrat talis dubitandi ratio. Probatur antecedens; quia opera eorũ modò extant, ex quibus hoc conſtat; quæ opera tam nobis euidens eſt, eſſe opera eorum, quàm noſipſos natos tali, vel tali loco, talibus, vel talibus parentibus, aut Conſtantinopolim eſſe, vel Indias, aut alia, quæ non vidimus loca.

Obiectio.

Obiicies primò, hæc ſequitur: *Incarnatio eſt euidẽter falſa; ergo eſt euidenter incredibilis*; ergo & hæc: *Incarnatio eſt euidenter credibilis*: ergo eſt euidenter vera; ſed Incarnatio non eſt euidẽter vera, ſicut nec vlla myſteria fidei: ergo nec euidenter credibilis: vt nos aſſerimus in concluſione. Probatur conſequẽtia prima: quia ex oppoſito conſequentis benè ſequitur oppoſitum antecedentis: ſic enim ſequitur, ſi quod eſt homo ſit animal; aut quod eſt riſibile, ſit rationale; illud quod non eſt rationale, ſeu quod eſt irrationale, non eſſe riſibile, ſed irriſibile, & quod non eſt animal, ſed inſenſitiuum, non eſſe hominem.

5.

Reſponſio. Quomodo ex oppoſito conſequentis ſequitur oppoſitum antecedentis.

Reſpondeo (quidquid ſit de ſubſumpto, de quo poſtea) negando conſequentiã, & ad probationem dico illud oppoſitum conſequentis, ex quo ſequitur oppoſitum antecedentis, eſſe propoſitionem oppoſitam iſti propoſitioni, quæ eſt conſequens ad aliam propoſitionem: verbi gratiâ, in hac argumentatione, *Petrus eſt homo*; *ergo Petrus eſt animal:* propoſitio conſequens eſt hæc: *Petrus eſt animal*; & oppoſitum eius directũ eſt hæc: *Petrus non eſt animal:* oppoſitum autem eius indirectũ eſt quæcunque propoſitio, ad quã ſequitur, quòd Petrus non ſit animal; vt Petrus eſt accidẽs, Petrus eſt ſubſtantia ſpiritualis; ad huiuſmodi autẽ propoſitiones, ſiue directè, ſiue indirectè oppoſitas, ſequitur oppoſitum antecedentis, tam directum, vt hæc quòd non ſit homo, quàm indirectũ, vt hæc quòd non ſit riſibile, quòd non ſit conſtans anima rationali, aut corpore. In argumentatione autem propoſita: *Incarnatio eſt euidentea falſa: ergo eſt euidenter incredibilis*. Oppoſitum propoſitionis conſequẽtis, nimirũ huius; *Incarnatio eſt euidenter incredibilis:* non eſt illa, quæ ſupponitur eſſe in obiectione, nimirùm; *Incarnatio eſt euidenter credibilis:* quia neque ex falſitate huius ſequitur iſtius alterius veritas; neque ex alterius falſitate ſequitur veritas huius; ſimul enim poſſunt eſſe falſæ: nam neque eſt euidenter credibile mihi, quòd Turca ſit mortuus, neque euidenter incredibile.

Itaque propoſitio oppoſita illi propoſitioni, *Incarnatio eſt euidenter incredibilis*, eſt hæc, *Incarnatio non eſt euidenter incredibilis*. Ex hac autem propoſitione, & ex quacunque alia, ex qua hæc infertur, benè ſequitur oppoſitum antecedentis iſtius propoſitionis: *Incarnatio eſt euidenter falſa:* ex qua ſequitur illa propoſitio conſequens. Sed illa propoſitio oppoſita non eſt hæc, quæ ſupponitur in obiectione, nimirum, *Incarnatio eſt euidenter vera:* ſed hæc, *Incarnatio non eſt euidenter falſa*.

Vno verbo, ex nullo oppoſito conſequentis ſequitur vllum oppoſitum antecedentis, niſi oppoſitum immediatum antecedentis, quod ſcilicet ſimul cum ipſo falſum eſſe non poteſt: vnde cùm hæ propoſitiones ſimul falſæ eſſe poſſint, *Incarnatio eſt euidenter falſa:* Incarnatio eſt euidenter vera, licèt vtraque ſimul veræ eſſe non poſſint; ex oppoſito conſequentis ad vnam propoſitionem ex illis, non ſequitur altera, vt patet.

6.

Concluſio 7. Doctrina hæretica poteſt aliquibus in caſu eſſe euidenter credibilis.

Concluſio ſecunda: Doctrina Hæreticorum poteſt eſſe euidenter credibilis iis, qui ignorant motiua credibilitatis noſtræ doctrinæ, & motiua incredibilitatis illius; nullo verò modo poteſt eſſe euidenter credibilis cognoſcentibus illa: nec propterea ſimpliciter dicenda eſt credibilis, ſed incredibilis. Hæc in terminis eſt nullius, quod ſciam: ſed conformis eſt communibus principiis.

Probatur.

Probatur verò prima pars, quia plures homines, alioquin fide digni, poſſunt eam proponere, ſiue ex malitia, ſiue ex ignorãtia: ſed in tali caſu eſſet euidenter credibilis iis, quibus non occurrerent motiua credibilitatis noſtræ doctrinæ, aut incredibilitatis illius: nam euidẽtia authoritatis fide dignorum, vbi non occurrit ratio dubitandi ſufficiens, facit rem euidenter credibilem, ſiue in ſe ſit falſa, ſiue non.

Cõfirmatur 1.

Confirmatur, quia tunc res eſt euidenter credibilis, quando eſt euidens ratio, ob quam quis poſſet prudenter moueri ad credendũ; ſiue res ſit vera, ſiue nõ: ſed authoritas pluriũ fide dignorum eſt

est talis ratio, quando saltem non adest ratio in oppositum, aut æquiualens, aut maioris momenti: & talis authoritas potest esse euidens respectu doctrinæ hæreticæ, vt patet. ergo, &c.

Cõfirmatur 2. Falsitas doctrinæ nõ impedit credibilitatem eius.

Confirmatur secundò, quia si quid impediret, quo minùs esset euidenter credibilis, maximè falsitas doctrinæ, aut motiua, quæ possent facilè haberi ad cognoscendam incredibilitatem eius; sed hæc non sufficiunt: ergo, &c. Probatur minor: quia quando Parochus, siue ex errore, siue ex malitia proponit doctrinam falsam, parochianus simplex, cui non occurrit ratio dubitandi, non solùm prudenter credit, sed etiam tenetur credere, quamuis doctrina sit falsa, & possit per recursum ad alios viros doctos facilè cognosci falsitas eius: ergo neutra ex illis rationibus impedit credibilitatem doctrinæ hæreticæ respectu eorum, quibus non occurrit ratio dubitandi. Probatur consequentia: quia de quocunque potest haberi prudenter fides, de eodem potest haberi ratio euidens inducens ad credendum, & consequenter euidentia credibilitatis; nihil enim impedire potest quo minùs possit.

Aliquando quis tenetur credere falsum.

Replica.

Dices, hinc sequeretur plurimos hæreticos posse excusari à peccato hæresis, tale enim peccatum non committitur credendo, quod est euidenter credibile, aut quod prudenter credi potest. Respondeo ex suppositione quòd habeant ignorantiam inuincibilem mysteriorum nostræ fidei, aut motiuorum credibilitatis eorum, cõcedendo sequelam, ex suppositione autem quòd non habeant, necne, non est huius loci; sed verisimile est saltem aliquos eam habere, rudiores nimirùm, & magis remotos à conuersatione cum Catholicis. Si autem de horum salute quæratur. Respondeo, si non peccauerint actualiter alio peccato, quàm infidelitatis, eos saluandos, quia in Baptismate receperunt gratiam, per quam liberati sunt à peccato originali: si autem peccauerint, nisi habuerint perfectam contritionem condemnabuntur.

Verisimile est aliquos hæreticos habere ignorantiam inuincibilem mysteriorũ fidei veræ.

7.

Probatur secunda pars conclusionis. Motiua credibilitatis fidei veræ faciunt fidẽ oppositam incredibilem.

Secunda pars conclusionis patet: quia motiua credibilitatis nostræ fidei sicut euidenter concludunt illius incredibilitatem, ita non minùs conuincunt incredibilitatem, & falsitatem oppositæ; sed doctrina hæreticorum est directè opposita nostræ fidei, vt patet: ergo ij, quibus patent illa motiua, non possunt habere pro credibili doctrinam hæreticorum. Et eadem est ratio de iis, qui haberent motiua euidentia incredibilitatis istius doctrinæ. Dices: possunt motiua probabilitatis duarum sententiarum oppositarum esse simul euidentia alicui, ita vt possit pro libito assentire, cui voluerit ex istis, vt patet in omnibus conclusionibus, quæ problematicè sustinentur pro quacunque parte: ergo similiter possunt esse euidentia motiua credibilitatis doctrinarum oppositarum; & consequenter non sequitur ex eo quòd nostra doctrina sit alicui euidenter credibilis per aliqua motiua, quòd per eadem altera reddatur incredibilis.

Replica.

Responsio.

Respondeo admissa prima consequentia, distinguendo secundam consequentiam: nisi illa motiua inferant ex ratione sua particulari incredibilitatem, concedo; si sic, nego secundam consequentiam.

8.

Quando possunt propositiones opposita simul esse credibiles.

Itaque quemadmodum possunt esse aliqua motiua, quæ faciant aliquam sententiam non probabilem; licèt oppositam non faciant, nec probabilem quidem; vt hoc principium, Deus potest separare aliqua, quæ semper antè erant coniuncta, facit improbabilem sententiam, quæ diceret, quòd materia prima non potest esse absque forma, ex eo quòd nunquam fuerit sine forma; non tamen sufficit ad faciendam sententiam probabilem, quæ assereret eam posse produci absque forma. Et quemadmodum sunt alia motiua, quæ licèt vnam probabilem faciant, non tamen faciunt alteram improbabilem, aut non probabilem: vt hoc principium: quæcunque absoluta distincta realiter, quorum vnũ non includitur in altero, & est prior illo, possunt separari; realiter facit probabilem sententiam asserentem materiam primam posse existere sine forma omni; licèt non faciat alteram improbabilem. Ita similiter possunt esse aliqua motiua, quæ facerent vnum incredibile, seu non credibile, quamuis oppositum non facerent credibile; vt si cognosceretur quòd aliquæ personæ, quæ aliàs essent habitæ veraces, non essent tales, sed mendaces; & præterea cognosceretur, quòd aliquod emolumentum particulare possent habere ad mentiendum hîc, & nunc, hoc esset motiuum sufficiens ad non habendum pro credibili illud quod dicerent; nec tamen esset sufficiens ad faciendum oppositum credibile. Possunt etiam esse aliqua motiua sufficientia ad faciendum vnum quid credibile, & oppositum incredibile; vt si personæ fide dignæ dicerent aliquem esse mortuum, quem alij dicerent non esse mortuum, qui tamẽ non essent fide digni; id sufficeret, vt haberetur pro credibili illum esse mortuum, & pro incredibili eum non esse mortuum. Sic autem contingit in proposito, quia personæ, quæ attestantur nostram fidem esse bonam, sunt fide dignæ, vtpotè qui erant magnæ doctrinæ, illibatæque vitæ, nec vllam mentiendi habuerunt occasionem: illi verò qui primò docere cœperunt oppositam doctrinam, non erant tantæ doctrinæ, & erant pessimæ vitæ, habuerúntque prætereà occasionem mentiendi, vt patet: motiua nostræ religionis non solùm faciunt illam credibilem, sed alteram oppositam, quam profitentur hæretici incredibilem. Confirmabitur hæc pars per dicenda in sequentibus.

Probatur tertia pars, quia vt simpliciter dicatur aliqua propositio credibilis, non sufficit quòd sit talis ex hypothesi ignorantiæ alicuius personæ, vel personarum particularium; sed requiritur, quòd sit talis respectu omnium; aut ita saltem, vt à multis non cognoscatur oppositum; sed doctrina hæreticorum non est credibilis, nisi ex hypothesi talis ignorantiæ, quandoquidem à pluribus agnoscatur eius incredibilitas: ergo non est simpliciter dicenda credibilis. Confirmatur: quia non potest dici simpliciter credibilis, & incredibilis simul: sed est dicenda simpliciter incredibilis: ergo non est dicenda simpliciter credibilis. Probatur minor: quia illud prædicatum potiùs dicendum est simpliciter de aliquo, quod cognoscitur competere ipsi ab iis, quibus magis est credendũ, quàm ab iis, quibus minùs. Sed potiùs est credendum authoribus testificantibus doctrinam hæreticorum esse incredibilem; quàm iis, qui docent oppositum, præsertim cùm ij ipsi, qui oppositum docent, id non docerent, saltem ex animo, si illorum priorum motiua cognoscerent: ergo cùm authores nostræ doctrinæ dicant doctrinam hæreticorum esse incredibilem, incredibilitas potiùs prædicanda est simpliciter de illa, quàm credibilitas, quàm soli authores minùs

9.

Probatur tertia pars conclusionis. Doctrina hæreticorum est simpliciter incredibilis.

nùs digni fide existimant competere ipsi.

10. *Conclusio 3. Via præmissa cognita euidenter facerēt nostram doctrinam euidēter veram.* Conclusio tertia. Motiua præmissa ex Doctore si cognoscerentur euidenter, facerent mysteria nostræ fidei non solùm euidenter credibilia; sed, quod multò maius est, euidenter vera, & oppositam quamcunque doctrinam euidenter falsam. Hæc expresè apud nullum Doctorem, quod sciam, habetur, licèt meo iudicio sequatur ex principiis communibus, atque adeò in re communis censeri debeat.

Hæc conclusio quamuis in terminis sit nullius quòd sciam, est tamen conformis principiis eorum, qui tenent, quòd cognitio discursiua veritatis alicuius propositionis orta, & deducta cognitione euidente reuelationis diuinæ de illa propositione, & ex alia cognitione euidente, quâ cognosceretur, quòd Deus non posset reuelare falsúm, sit euidens cognitio istius veritatis, quam sententiam expresè sustinet Bannes 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 1. *conc.* 2. Valentia *ibid. disp.* 1. *q.* 5. *puncto* 1. Conink *disp.* 9. *de fide, dub.* 8. & plures alij recentiores. qui consequenter hanc conclusionem tenere debent, nam prorsus est eadem ratio tenendi illam sententiam, & hanc conclusionem: nam ideò tenent illam sententiam; quia illa cognitio deducitur ex duabus præmissis euidentibus, nempè ex eo quòd attestatio diuina esset euidens, & ex eo quòd esset euidens Deum nó posse attestari, quod falsum est: sed nostra hæc conclusio deduceretur ex duabus propositionibus euidentibus, in casu quo prædicta motiua essent euidentia physicè, nam vnum ex illis motiuis est, quòd Deus confirmauit mysteria nostræ fidei miraculo, & quòd Deus non possit confirmare miraculo doctrinam falsam: ergo tam esset euidens Physicè veritas mysteriorum nostræ fidei ex suppositione euidentiæ Physicæ prædictorum motiuorum, quàm esset euidens physicè veritas propositionis deductæ ex euidentia attestationis alicuius propositionis, & euidentia veracitatis diuinæ. Vnde probatur conclusio, quæ solùm potest negari ab iis, qui negant prædictam doctrinam, vt sunt aliqui recentiores, quibus fauet Caiet. 2. 2. *q.* 5. *art.* 1. Probatur, inquam, conclusio: primò, quia sufficit ad hoc, vt aliqua doctrina sit euidenter vera, quòd vel pateat ex terminis, vel deducatur per necessariam consequentiam ex præmissis euidenter cognitis, & dispositis benè in modo, & figura; vel quòd cognoscatur euidenter quòd aliqua euidenter cognita non possint esse vera, quin ipsa sit vera: sed qui cognosceret euidenter motiua præmissa, non solùm omnia, sed vnum ex illis: verbi gratiâ operatum fuisse miraculum in confirmationem eius, posset inferre ex præmissis euidentibus veritatem nostræ fidei, & posset cognoscere, quòd aliqua sibi euidentia non possent esse vera, quin nostra doctrina esset vera, & consequenter opposita quæcunque falsa: ergo esset ipsi euidens, quòd nostra doctrina esset vera. *Ex vero miraculo facto euidenter in confirmatiōnē doctrina posset doctrina colligi esse euidenter vera.* Probatur maior: quia aliàs posset quis negare esse euidentem vllam conclusionem cognitam per discursum. Probatur etiam minor: quia cui esset euidens, quòd miraculum esset factum in confirmationem nostræ fidei, posset inde, & ex hoc alio principio, noto euidenter secundùm omnes lumine naturæ, nimirum quòd Deus non possit confirmare miraculo doctrinam falsam, sicut nec mentiri, nec reuelare quod falsum est, inferre quòd nostra doctrina esset vera mediante hoc discursu: Deus non potest confirmare doctrinam falsam miraculo; sed sic confirmat hanc doctrinam: ergo est vera. Vel sic: omnis doctrina à Deo confirmata miraculosè est vera; quia non potest confirmare sic doctrinam falsam; sed hanc sic confirmat: ergo hæc est vera.

Confirmatur primò: quia secundùm Thomistas communiter habita euidentia attestationis diuinæ res attestata est necessariò euidens; vnde qui ex illis putant fidem, & scientiam esse incompatibilia, negant cum tali euidentia posse compati fidem; sed cui essent motiua euidentia nostræ fidei, haberent euidentiam diuinæ attestationis: nam illa ipsa motiua sunt attestationes eius, & præsertim operatio miraculi in confirmationem nostræ fidei: ergo secundùm illam sententiam mysteria nostræ fidei sunt euidenter vera euidenter cognoscentibus illa motiua. 11. *Cōfirmatur* 1. Confirmatur secundò: propterea sunt euidenter credibilia; quia credibilitas ipsorum deducitur ex præmissis euidentibus: ergo cùm veritas eorum in casu nostro deducatur ex præmissis euidentibus, erunt euidenter vera. *Cōfirmatur* 2. Confirmatur tertiò: quia assensus conclusionis deductæ ex illis principiis benè dispositis non esset assensus fidei, cùm esset discursiuus, nec opinionis, aut erroneus, cùm deduceretur ex principiis certis: ergo esset assensus euidens; quia non datur vllus assensus non euidens de facto, nisi assensus fidei, vel opinionis, vel erroneus. *Cōfirmatur* 3.

12. *Obiicies. Respondeo.* Obiicies: sequeretur quòd cognoscentes euidenter ista motiua non possent credere mysteriis fidei vllis. Respondeo, negando sequelam: quia non quæcunque euidentia rei excludit fidem de illa, sed euidentia rei in se, orta ex principiis intrinsecis eius; vt etiam modò suppono ex principiis eorum, qui tenent quòd cum euidentia rei in attestante possit stare fides; vt Caietanus 2. 2. *quæst.* 5. Lorca *disput.* 16. *num.* 4. Vasquez 1. *part. disputat.* 15. Confirmatur responsio hæc, quia quamuis non posset habere fidem, quando cognosceret actu ista motiua, & videret sequi necessariò ad illa mysterium creditum; tamen posset propter ista motiua credere non reflectendo ad necess. riam sequelam istius mysterij ad illa: si enim propter testimonium hominum, cum quo non habet res ex natura rei connexionem, credimus illam rem, cur non possemus propter testimonium Dei credere rem aliquam, quamuis non videremus necessariam connexionem rei istius cum illo testimonio: vt enim ait Christus ipse 1. Ioann. 5. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est.*

Quomodo cū euidentia in attestāte possit stare fides. Et per hoc patet quomodo cum euidentia attestationis diuinæ facilè possit stare fides, quia non esset necessarium, vt positâ istâ euidentiâ quis aduerteret ad necessariam sequelam veritatis re reuelatæ ad illam attestationem, neque etiam vt actu formet discursum, mediante quo euide ter concluderetur euidentia veritatis rei attestatæ. Si autem non fieret iste discursus, non appareret euidenter illa veritas: ergo optimè, & facilè posset haberi fides de illa. Confirmatur hoc: quia quando homo fide dignus reuelat aliquid, non necessariò consideramus, quòd illa reuelatio habeat, aut non habeat necessariam connexionem cum obiecto reuelato, aut eius veritate: ergo similiter quando Deus clarè reuelaret, aut confirmaret aliquid miraculo, non necessariò aduerteremus quòd illa reuelatio absolutè, & simpliciter haberet necessariam

ſariam connexionem cum re reuelata. Et conſequenter nullo modo excludi deberet fides, quamuis daremus, quòd eſſet incompatibilis cum cognitione euidenti diſcurſiua de veritate iſtius reuelatæ. Et hinc patet non intendi per concluſionem quòd de facto illa motiua euidenter nota facerent actu myſteria fidei euidenter vera; ſed quòd poſſent illa ſic facere.

Aliud rē eſſe euidentem; aliud eam eſſe euidenter verum.

Pro maiori autem intellectione, & claritate concluſionis, aduerte non eſſe idem myſteria fidei eſſe euidentia, & eſſe euidenter vera; vt eſſent euidentia, deberet intellectus, vel cognoſcere euidenter connexionem extremorum cuiuſlibet myſterij fidei, aut in ſe ipſa immediatè eam intuendo, aut in cauſa intrinſeca eius, aut in effectu ſuo proprio, & hoc nullo modo aſſeritur in concluſione, nec poteſt eſſe verum cùm motiua credibilitatis prædicta, nec reuelatio vlla Dei ſit cauſa, vel effectus iſtius connexionis, nec etiam propoſitio euidens ipſius. Vt aliquid autem ſit euidenter verum, ſufficit quòd intellectus videat principia aliqua eſſe vera, quæ vera eſſe non poſſint quin iſta res, quæ dicitur euidenter vera, ſit vera, & quod clarè videat per diſcurſum deductum ex principiis certis, & euidentibus illam connexionem dari inter veritatem iſtorum principiorum, & iſtius rei. Hoc eſt ergo quod aſſerimus in concluſione, & neſcio quomodo negari poſſit niſi reducendo rem ad quæſtionem de nomine.

13. *Myſteria fidei noſtræ ſunt euidēter vera, euidentia tamen nō Phyſica, ſed morali. Probatur prima pars.*

Quarta concluſio: Myſteria fidei de facto non ſunt euidenter vera reſpectu viatorum, ſiue doctiorum, ſiue indoctiorum euidentiâ phyſicâ, benè tamen euidentia morali reſpectu doctiorum, & omnium eorum, qui attentè conſiderarent prædicta motiua. Hæc quoad primam partem eſt communis; & patet, quia nec illa motiua, nec vlla alia, ex quibus neceſſariò ſequerentur myſteria fidei, ſunt euidenter nobis cognita: non enim cognoſcimus euidenter fuiſſe facta miracula in confirmationem fidei, nec eam durare longo tempore, & acceptam fuiſſe cum magna diligentia à viris probis, & doctis ſine ſpe emolumenti, &c. Hæc enim omnia conſtant tantùm, aut per traditionem, aut per libros, vt patet; & conſequenter non conſtant euidenter euidentia Phyſica.

Probatur ſecunda pars.

Secunda pars eſt valdè conformis Lorcæ 2. 2. diſputatione 16. in 3. expreſsè aſſerenti motiua credibilitatis noſtræ fidei inducere euidentiam atteſtantis; hoc eſt, concludere euidenter, quòd Deus reuelauit myſteria noſtræ fidei. Eſt etiam conformis communi ſententiæ aſſerenti myſteria noſtræ fidei eſſe euidenter credibilia: nam eatenus ſunt talia, quatenus prædicta motiua ſunt euidenter nota: ſed quàm ſunt nota euidenter illa motiua, tam ſunt euidenter vera iſta myſteria, quia ſequuntur neceſſariò ad illa motiua. Atqui prædicta motiua ſunt nota euidenter euidentia morali; ergo myſteria fidei ſunt euidenter vera tali euidentia. Probatur aſſumptum: primò, contra quoſcunque Catholicos, qui negare vellent hanc partem, quia aliàs myſteria fidei non eſſent euidenter credibilia credibilitate deſumpta ex illis motiuis. Et dico credibilitate tali, quia fateor libenter cum omnibus benè aliquam doctrinam poſſe eſſe credibilem, quæ ſit falſa; atque adeò credibilitatem omnem non ſufficere ad inferendam veritatem: ſed credibilitas deſumpta ex motiuis, quæ conſtat non eſſe poſſe vera, quin ſit vera doctrina ſic credibilis, optimè infert veritatem doctrinæ iſtius.

Probatur ſecundò contra omnes, quia eſſe aliquid moraliter euidens, nihil aliud eſt quàm eſſe tale, vt intellectus, cui proponitur ſufficienter, ſecundùm quod dicitur ſic euidens, non poſſit rationabiliter dubitare de veritate eius, quamuis phyſicam euidentiam non habeat; ſed determinari debeat ad aſſenſum, ſaltem quoad ſpecificationem (quidquid ſit de exercitio) ſed ſic ſe habent iſta motiua: nemo enim dubitare poteſt quin per paucos ſimplices homines conuerſa fuerit maior, & doctior pars totius mundi ad fidem Chriſti, cùm omnes prorſus in hoc conſentiant tàm hæretici, quàm Catholici; & conſequenter quin talis conuerſio fuit miraculoſa; & à Deo proueniens, non à diabolo: patet enim hunc non procuraturum fuiſſe per miracula (quamuis poſſet facere miracula) conuerſionem ad fidem, & profeſſionem ſibi ipſi contrariam. Et in hoc fundatur diſcurſus Chriſti ad Phariſæos, Lucæ 11. qui aſſeruerunt ipſum in Beelzebub Principe dæmoniorum eieciſſe dæmonia: quibus reſpondit, quòd *Omne regnum in ſe ipſo diuiſum deſolabitur.* Per hoc enim innuit, quandoquidem regnum diaboli eſſet deſolandum, ſi ad confirmationem doctrinæ ſibi, & firmitati regni ſui contrariæ, eiicerentur miraculosè dæmonia; nec vllo modo eſſet veriſimile quòd diabolus deſtructionem ſui regni procuraret; innuit, inquam, non poſſe dici, quòd ipſemet in nomine eius eieciſſet dæmonium, cùm id fecerit in confirmationem doctrinæ diabolo, & operibus eius contrariæ.

14. Probatur 2. pars ſecunda.

Diabolus non perſuaderet, fidem noſtram ex ſe.

Rurſus non poteſt negari quin maior, & ſanctior pars orbis exiſtimet myſteria noſtræ fidei eſſe illa ipſa, ad quæ credenda induxerunt iſti pauci homines tam miraculosè. Nec poteſt dubitari quin Epiſcopi, & prælati noſtri ſucceſſiuè de tempore in tempus deriuârunt ſuam authoritatem ab Apoſtolis, & paucis iſtis hominibus, cùm omnes hiſtoriæ hoc teſtentur; nec hæretici, quantumuis diligenter laborent eneruare fundamenta noſtræ religionis, aliquid contrà obiicere poſſunt vllius momenti, vt patet ex eorum ſcriptis. Nec poteſt dubitari, an in doctrina, ac myſteriis huiuſmodi credendis conueniat hæc melior, & maior pars orbis ob motiua temporalia: certum eſt enim quòd non, cùm ad quæcunque talia multò aptior ſit profeſſio hæreticorum, quæ magis indulget carni, & ſanguini, & minùs remouet quæcumque vitia, vt etiam patet: ergo non poteſt rationabiliter negari quin hæc myſteria ſint eadem, quæ docuerunt Apoſtoli. 15.

Probatur ſecundò eadem pars concluſionis: 16.
Non poteſt vllus doctus, conſiderans myſteria noſtræ fidei, dubitare, quin ſint in ſe bona, & ordinata ad honorem, ac cultum diuinum, fugam vitiorum, ac acquiſitionem virtutum in maiori perfectione, quàm vlla alia religio modò in mundo exiſtens prætendit, aut docet; nec poteſt etiam dubitare, quin ex profeſſoribus noſtræ fidei plures ſunt, qui poſtpoſitis omnibus aliis curis nihil magis quærunt, quàm ſeruire Deo, & ad hoc multas orationes, vigilias, ieiunia, mortificationéſque aliàs

aliàs propter Deum adhibent, quàm ex professoribus vllius alterius religionis, cùm nostra religio integras congregationes habeat Religiosorum, ac Monacharum ad hoc specialiter institutas, quales non habent aliæ vllæ sectæ. Sed non potest quis moraliter dubitare, quin mysteria illa, quæ sic se habent, & quæ à talibus creduntur tanta firmitate, vt malint mortem obire, quàm ea negare, sint vera mysteria; quia non potest dubitari, quin Deus potiùs talibus, quàm aliis vllis reuelauerit vera mysteria: ergo non potest dubitari rationabiliter à doctis, hæc considerantibus, quin mysteria nostræ fidei sint vera, & consequenter sint euidenter vera euidentia morali.

17. Confirmatur; quia non potest dubitari quin Deus reuelauerit aliquibus hominibus mysteria necessaria ad salutem; sed nec potest dubitari, quin ex omnibus mysteriis hæc, quæ sunt in se maximè tendentia ad honorem ipsius, & quæ creduntur à potiore parte mundi, iisque qui maximè student ipsi placere, sint illa: contra enim omnem rationem esset, quòd tales vellet deserere in re tam necessaria, & aliis adesse, quibus minus deberet ea communicare.

Probatur 3. Probatur tertiò: omnes habent pro moraliter euidenti quòd fuerit olim Iulius Cæsar, quòd sit modo Constantinopolis, quòd simus nati talibus, vel talibus parentibus, in tali, vel tali loco, quòd hæc bona ad hos, illa ad illos spectent; & insanus iudicaretur, qui illa negaret, aut proteruus, ac temerarius: sed magis euidens moraliter est mysteria nostræ fidei esse certa; ergo sunt euidenter certa euidentia morali. Probatur Minor: quia magis est euidens quòd Deus meliori communitati, eique, quæ magis ducitur motiuis supernaturalibus, & magis studet ex instituto suo & professione ipsi placere, & mandata, ac consilia eius exequi cum dispendio, & iactura vitæ, ac consolationis suæ, communicet sua mysteria, & illam doctrinam, quæ requiritur ad salutem, ac necessaria est, quàm sunt euidentia vlla principia quibus nituntur prædictæ veritates, vt patet: ergo si illæ veritates sunt euidentes moraliter, veritas mysteriorum nostræ fidei est magis euidens moraliter.

18. Confirmatur: non potest magis euidens esse quòd Iulius Cæsar fuerit, Constantinopolis sit, nos simus nati tali matre, tali loco, & similia, quæ habentur communiter pro euidentibus moralibus, quàm opera illa quæ communiter ab omnibus etiam hæreticis, tribuuntur Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Chrysostomo, Nazianzeno, & aliis Patribus esse opera ipsorum, & habita fuisse multa Concilia vniuersalia, in quibus conuenerunt ex pluribus partibus mundi doctissimi, ac sanctissimi viri: sed est euidens, quòd in his operibus, ac Conciliis habeatur mentio, & approbatio multorum mysteriorum nostræ fidei, quæ negantur ab aliis omnibus sectis; & reprobatio aliquorum mysteriorum quæ affirmantur ab aliis sectis, & approbantur à nobis: ergo est euidens moraliter quòd doctrina nostra sit verior doctrina, quàm vlla alia modò tradita, & consequenter quòd sit vera simpliciter: quia est moraliter clarum quòd Deus non reliquerit mundum absque vera doctrina, & sufficienti, ac necessaria ad salutem. Probatur consequentia: quia euidens est illam doctrinam esse veriorem, quæ est conformior doctrinæ veræ: sed euidens est moraliter doctrinam in qua conueniunt omnes isti Patres, & Concilia, esse veram; quia euidens est illos fuisse bonos, & ingeniosos, & studuisse veritati cognoscendæ, & Deum potiùs ipsis, quàm aliis reuelasse veritatem.

Obiicies: si mysteria nostræ fidei essent euidenter credibilia, ac vera etiam euidentiâ morali, sequeretur hæreticos, quibus proponerentur prædicta motiua, quibus redduntur vera, vel assensuros, vel saltem non dissensuros; sed hoc est contra experientiam: ergo, &c. 19. *Obiectio 1.*

Respondeo, distinguendo sequelam maioris: hæreticos bonæ indolis, & benè dispositos quoad voluntatem, hoc est desiderantes syncerè cognitionem veritatis, & non alligatos peccatis, & imperfectionibus, à quibus per professionem nostræ fidei timerent se retrahendos, concedo; nec id est contra experientiam, sed potiùs cum experientia; videmus enim multos tales ad nostram fidem conuerti; & non constat vllos tales bonæ indolis non conuerti, quando benè proponuntur prædicta motiua: hæreticos malæ indolis, aut prauæ quoad voluntatem affectos, nego sequelam; quia si sint obtusi ingenij, non percipiunt vim prædictorum motiuorum: & si sint pertinaces, aut prauarum cupiditatum immersi cœno, aut alligati vinculis concupiscentiæ, semper auertent intellectum à debita consideratione prædictorum motiuorum. *Responsio.* *Hæretici benè dispositi conuerterentur propositis benè prædictis motiuis.*

Respondeo secundò, negando sequelam; quia quæ sunt euidentia moraliter, & ineuidentia Physicè, non habent talem vim determinatiuam intellectus, quin simpliciter possit dissentire, licèt habeant talem vim, vt non possit, nisi imprudenter, & irrationabiliter dissentiri. *Euidentia moralis non determinat necessariò intellectum.*

Obiicies secundò. Non requireretur, nec quidem in conuertendis de nouo ad fidem, pius credulitatis affectus, nec vllus alius voluntatis; sed hoc est falsum, vt communiter Theologi docent ex Conciliis, ac Patribus: ergo falsa est conclusio. Probatur sequela Maioris, quia conuertendo ad fidem possunt proponi euidenter prædicta motiua: sed si sint euidenter inferentia, seu concludentia veritatem mysteriorum fidei, in casu quo sic proponerentur, determinarent intellectum ad assensum fidei, & consequenter non requireretur ad assentiendum istis veritatibus vllus actus voluntatis, aut pius eius affectus: ergo conuertendo ad fidem secundùm nostram doctrinam, non erit necessarius pius affectus, aut vllus actus voluntatis. 20. *Obiectio 2.*

Vis huius obiectionis, præsertim quantum ad fundamentum Minoris, & necessitatem affectus credulitatis ex parte voluntatis, intelligitur meliùs ex dicendis *in dist. 25. Tertij quæst. 2.* ex quibus etiam patebit solutio. Sed modò breuiter respondeo primò, negando sequelam Maioris; quia illa pia dispositio voluntatis, & affectus credulitatis, posset requiri, vt quis aut ipse sibi proponat, aut ab aliis proponi permittat prædicta motiua sufficienter, vtque ea examinet, consideret, & attendat, quamuis proposita propositione, & attentione ac consideratione requisita determinaretur intellectus ad assentiendum mysteriis fidei. Vnde dixi in responsione prima ad obiectionem præcedentem, prædicta motiua non flexura ad fidem hæreticos malè affectos in voluntate, vt pertinaces, & deditos voluptatibus. Iuxta hanc ergo doctrinam distinguo Maiorem probationis *Responsio 1.*

prædictæ sequelæ: possunt proponi, & considerari sufficienter sine pio affectu voluntatis, nego Maiorem; cum illo, concedo Maiorem, & etiam Minorem, & nego consequentiam; quia licèt non requireretur ille affectus ad assentiendum mysteriis fidei, quando proponerentur prædictæ motiua sufficienter, requireretur tamen, vt sic proponerentur.

Respondeo secundò, negando eandem sequelam Maioris, ob aliam rationem, quia quandoquidem illa motiua non sint euidentia nobis Physicè, sed moraliter tantùm, & vt dixi in responsione secunda ad obiectionem præcedentem, quæ sic sunt euidentia, non determinant ita intellectum, quin possit simpliciter dissentire, præsertim imperio voluntatis ad hoc impellente; & nisi sit assuefactus ad essentiendum, optimè potest requiri actus volontatis in prima conuersione ad assentiendum mysteriis fidei, deductis ex illis motiuis. Iuxta hanc autem doctrinam distinguo Minorem probationis: si sint euidenter concludentia euidentia Physica, transeat; euidentia morali, nego Minorem.

21. Dices: ergo saltem si essent prædicta motiua euidentia Physicè, quandoquidem, vt dictum est in tertia conclusione, tum concluderent euidenter euidentia physica conclusionem, non requireretur pius credulitatis affectus. Respondeo si id concederetur, id non futurum absurdum; quia iste affectus posset dici requiri, vbi deesset talis euidentia Physica. Respondeo secundò, negando sequelam; quia posset requiri pius credulitatis affectus ad assentiendum rebus euidentibus per motiua extrinseca solummodo.

Respondeo tertiò affectum pię credulitatis posse requiri, vt haberetur actus fidei bonus moraliter, & meritorius, quamuis non requireretur, vt haberetur actus fidei quoad substantiam.

Respondeo tertiò ad obiectionem principalem distinguendo sequelam Maioris: ad assentiendum assensu discursiuo, ad quem determinarent illa motiua euidenter proposita, concedo sequelam; nec id esset contra Concilia, aut Patres, ad assentiendum assensu fidei, nego sequelam. Itaque sicut cum euidentia in attestante posset stare actus fidei, & assensus euidens discursiuus de eodem obiecto: ita posset non obstante determinatione ad assensum euidentem requiri actus voluntatis ad actum fidei eliciendum circa idem obiectum.

22. *Obiectio secunda.* Obiicies tertiò, si mysteria fidei essent euidenter vera cognoscentibus prædicta motiua, sequeretur quòd non possent ea credere; quia fides, & cognitio euidens non potest haberi de eodem subiecto simul, secundùm communiorem Scoti, & D. Thomæ sententiam: ergo non sunt euidenter vera, etiam euidentia morali. *Responsio.* Respondeo, quemadmodum in sententia Doctoris nostri, & suorum communiter, (quam etiam tenet Caietanus 2.2. *quæst.* 1. *art.* 5. Lorca *ibidem disput.* 16.*m.* 3. cum euidentia physica attestationis diuinæ) licèt, vt suprà dixi, ad illam euidentiam sequeretur euidentia Physica rei attestatæ, potest stare fides: ita à fortiori eam posse stare cum euidentia morali istius attestationis, non obstante quòd ad illam euidentiam sequatur euidentia moralis rei attestatæ. Vnde nego sequelam, & ad probationem dico cognitionem euidentem rei, quæ non habet euidentiam ex terminis ipsius rei, aut ex principiis intrinsecis eius, posse stare cum fide, nec hoc esse contra principia, aut Scoti, vt certum esse debet, cùm teneat, vt dixi, stare fidem cum euidentia rei in attestante; aut D. Thomæ, si credendum sit Caietano, & Lorcæ *suprà.* Sed de hoc fusiùs agendum est in ipsomet tractatu de fide, aut de scientia.

Qua cognitio euidēs potest stare cum fide & qua non.

Euidentia mysteriorum fidei non necessariò prærequiritur ad credendum illis.

Hîc autem aduertendum est, licèt reuera mysteria fidei sint euidenter vera, illam tamen euidentem eorum veritatem non prærequiri ad fidem necessariò, siue respectu eorum, qui educati inter Catholicos, nunquam habuerunt rationem dubitandi de illis mysteriis, cùm certum sit multò maximam partem talium, nec concipere posse præ obtusitate ingenij vim istorum motiuorum, quibus redduntur euidenter vera, nec de facto ea audiisse, siue respectu eorum etiam, qui inter hæreticos educati sunt, & de nouo conuertuntur ad nostram fidem: nam experientia constat multos etiam tales, & præsertim indoctiores sine illa euidentia, Deo particulariter inspirante, & mouente eorum corda, amplecti, & credere dicta mysteria. Vnde fit vt omnes non habeant obligationem addiscendi ista motiua, iisve studendi: eatenus enim haberent illam obligationem, quatenus sine iis non possent credere mysteria fidei. Cum quo tamen stat quòd Maiores, hoc est, Episcopi, Parochi, Doctores, Concionatores teneantur scire prædicta, aut alia motiua, quibus possint ostendere euidentiam moralem mysteriorum fidei, non quidem ex obligatione communi orta ex Baptismo, aut ex professione Christianæ fidei; sed ex statu particulari, quem liberè assumunt, aut retinent, ad quem statum spectat posse defendere credibilitatem, & veritatem mysteriorum fidei ab hæreticis, & eos, qui ex Catholicis nutare, aut dubitare inciperent circa veram fidem, in ea confirmare. Sed de hac obligatione agendum erit cum Doctore *in* 3.*dist.*25.*quæst.*1.

Aduertendum præterea, illam euidentiam non requiri, vt quis deberet exponere se morti in defensionem eorundem mysteriorum, vt patet tum à posteriori, quia certum est, quòd omnes adulti Catholici teneantur exponere se morti pro defensione eorum, cùm tamen, vt dixi, omnes non habeant illam; tum à priori, quia præceptum superioris probabiliter notificatum inferiori potest ipsum obligare ad obseruantiam; quamuis non sit euidenter ipsi propositum: ergo quamuis mysteria fidei non sint euidenter proposita, nec etiam consequenter præceptum Dei de morte oppetenda pro confessione fidei; adhuc possunt obligari homines ad illam confessionem. Confirmatur, quia qui opinatur tantùm aliquid esse necessarium ad salutem, tenetur illud applicare, & morti etiam se exponere, si necesse sit, ad illud applicandum, quamuis non sit ipsi euidens, quòd id ita se habeat: ergo similiter dicendum est de eo, qui aliquid credit esse necessarium ad salutem, quamuis non sit ipsi euidens moraliter, quòd id sit de fide. Confirmatur secundò, quia etiam iudicium erroneum posset sic quem obligare: ergo multò magis iudicium fidei sine euidentia. 23. *Illa euidentia non requiritur, vt quis se exponat morti pro fide.*

Aduertendum tertiò, quamuis quis sciret euidenter aliqua mysteria fidei esse euidenter reuelata

lata à Deo, non propterea ipsum teneri ad exponendam vitam pro eorum veritate, quia ista euidentia non habet vim sic obligandi; neque enim debemus exponere nostram vitam ad defendendum quòd omne totum sit maius sua parte, quod tamen est nobis euidentissimum.

Itaque is solùm tenetur exponere vitam pro veritate mysterij crediti, qui cognoscit illud mysterium esse tale, vt ab eo cognoscendo dependeret aliorum salus, & videret probabiliter futurum, vt nisi ipse mortem oppeteret ad eius defensionem, alij ab eo credendo deficerent, & paterentur propterea iacturam salutis; aut qui cognosceret, siue per fidem, siue per opinionem, aut scientiam, quod Deus obligauerit ad exponendam pro defensione mysteriorum fidei. Sed de hoc etiam fusiùs fortè agam in prædicta distinctione 25. Tertij, quam sine commento relictam à Lycheto exponere debebo.

SCHOLIVM.

Concludit Scripturam sacram esse necessariam; quod probant auctoritates adductæ quæst. 1. num. 2. & tres rationes ibi adductæ num. 6. 7. & 14. Docet etiam esse sufficientem, quia docet nostrum finem in particulari, eiusque circumstantias, ac media ad consequendum eum. Non negat traditiones, quia has Scriptura docet 2. ad Thess. 2. Tenete traditiones, *& Ioan. 16. & vlt. vide Doctorem 1. d. 11. vbi ait multa teneri de fide, quæ non habentur expressa in Scriptura.*

HAbito [a] igitur contra hæreticos, quòd doctrina Canonis est vera, videndum est secundò, an sit necessaria, & sufficiens viatori ad consequendum finem suum. 14.

Dico igitur quòd ista tradit, quid sit finis hominis in particulari, quia visio, & fruitio Dei: & hoc quantum ad circunstantias eius appetibiles; puta quòd ipsa habetur post resurrectionem ab homine immortali, & in corpore, & in anima simul sine fine. Ipsa etiam determinat quæ sunt necessaria ad finem, & quòd illa sufficiant: quia decem mandata Matth. *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*, de quibus habetur in *Exod.* Horum etiam explicatio, & quantum ad credenda, & quantum ad speranda, & quantum ad operanda explicatur ex diuersis locis Scripturæ. Proprietates quoque substantiarum immaterialium in ea traduntur, quantum possibile est, & vtile viatori nosse. Ista ergo conferendo ad tres rationes quibus innititur solutio quæstionis præcedentis, patet, quòd sacra Scriptura sufficienter continet doctrinam necessariam viatori. Exod. 20. 23.

Ad primum [b] argumentum principale; ad minorem respondeo, quòd lex naturæ paucioribus fuit contenta, quæ memorialiter ad filios per patres deuenerunt. Illi etiam homines magis erant præditi in naturalibus; & ideò modica doctrina inspirata potuit eis sufficere. Vel aliter ad illud, & ad aliud de lege Moysi, potest dici, quòd ordinatus processus Scripturæ ostendit eius doctorem secundùm Augustin. 83. *quæstionum, quæst. 53.* 15.

In lege naturæ, quare modica doctrina inspirata fuit.

Pædagogũ, id est legem per famulũ suum, & magisteriũ, id est, Euãgelium per vnicum suum.

Ad secundum [c] dico, quòd dulciùs capitur, quod latet sub aliqua sententia literali, quàm si esset expresè dictum: & ideò ad deuotionem conferunt illa, quæ expressa sunt in nouo Testamento sub figura velata fuisse in veteri. Hoc quoad cæremonias. Sed quoad historias, in quibus exempla sunt legis declaratiua, similiter ex toto processu Scripturæ patet ordinata Dei gubernatio respectu hominis, & totius creaturæ.

Ad tertiũ.

Ad tertium, Origenes in homilia de Arca Noë, dicit: *Nulla scientia omnia scienda explicauit, sed illa, ex quibus possunt alia sufficienter elici.* Vnde multæ veritates necessariæ non exprimuntur in Scriptura, etsi ibi virtualiter contineantur sicut conclusiones in principiis, circa quarum inuestigationem vtilis fuit labor expositorum, & Doctorum.

Faciẽs quod dubitat esse mortale peccat mortaliter.

Et si obiicias, multa in actibus humanis sunt dubia, vtrùm sint peccata mortalia, etiam suppositis omnibus doctrinis Doctorum, & expositorum; Respondeo, non est dubia via salutis simpliciter, quia à talibus tanquam à periculosis debet homo sibi cauere, & custodire se, ne homo, dum se exponit periculo, incidat in peccatum. Quòd si noluerit quærere salutem, sed non curando exponat se periculo, vbi fortè de genere actus non est peccatum mortale: tamen peccabit mortaliter se tali periculo exponendo.

COMMENTARIVS.

1. *Doctrina supernaturalis sufficienter traditur in Scriptura.*

a HAbito igitur contra hæreticos, &c. Hîc breuiter resoluit secundam partem principalem huius quæstionis, docens sufficientiam doctrinæ sacræ in Scriptura, quam profitetur Ecclesia nostra Catholica, traditæ. Sic ergo discurrit: illa doctrina, quæ proponit ea, propter quæ sola cognoscenda necessaria est reuelatio supernaturalis viatori, est sufficiens ipsi: sed doctrina tradita in Scriptura sacra est talis: ergo est sufficiens. Probatur Minor, in qua sola potest esse dubium: Doctrina supernaturalis, seu reuelata supernaturaliter est necessaria, ex dictis in quæstione præcedenti, ad cognitionem finis vltimi in particulari distinctè, seu determinatè, & mediorum,

Ad quid requiritur doctrina reuelata.

diorum, quibus ad ipsum acceditur, & receditur ab ipso, ac conditionum, seu circumstantiarum, quibus consecutio eius redditur appetibilior; sed doctrina tradita in Scriptura hæc omnia luculentissime proponit, saltem quatenus exponitur ab Ecclesiæ Conciliis, & Patribus, ac Doctoribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ: ergo est sufficiens homini viatori.

Replica.

Dices; multa habentur per traditionem Apostolicam, quæ sunt necessariò credenda, nec habentur in Scriptura: ergo doctrina necessaria ad salutem non sufficienter traditur in Scriptura. Hæretici horum temporum facilè expedirent se, negando antecedens; existimant enim Traditionem, seu, quod idem est, Verbum Dei non scriptum, non esse admittendum, omniáque sufficientia ad salutem consequenter haberi in ipsa Scriptura. Sed falluntur, vt solent, Hæretici,

Responsio Hæreticorũ.

vt fusè ostendunt Controuersistæ, & speciatim Bellarminus de Verbo Dei non scripto, & modò breuiter ex hoc ipso constat, quòd absque traditione non possit constare nobis, quænam esset ipsa Scriptura vera, aut quis esset sensus plurium locorum Scripturæ, in quibus fit mentio de sacramentis, & aliis mediis necessariis, & vtilibus

Probatur admittendam traditionem.

ad salutem, ergo necessariò admittenda est traditio. Confirmatur, quia ex pluribus Euangeliis, quæ olim circumferebantur, non posset sciri, quænam essent vera, & admittenda, aut quæ falsa ex ipsamet Scriptura, cùm nullibi dicat Euangelium, verbi gratia, Matthæi esse verum, & Euangelium Thomæ esse falsum, ergo ad hoc sciendum requiritur traditio.

Confirmatur secundò, quia ipsimet hæretici negant plurimas partes Scripturæ, & fatentur alias, sed absque recursu ad traditionem non possunt dare vllam probabilem rationem: ergo ipsimet debent admittere traditionem. Sed de hoc fusiùs suo loco. Modò aliter

Traditionem approbat Scriptura.

Respondeo distinguendo Antecedens pro secunda parte, non habentur in Scriptura; expresſè, seu explicitè concedo, implicitè nego: nam ex Scriptura habemus Ecclesiam non posse errare in proponendis mysteriis fidei; vnde eo ipso, quo proponit Ecclesia credenda illa, quæ habentur per traditionem, ex Scriptura colligitur mediatè quòd illa sint credenda. Adde Scripturam approbare expresſè traditionem, vt patet ex locis citatis à Scholiaste & aliis, de quibus videndi sunt Controuersistæ; vnde quæ habentur per traditionem continentur in Scriptura.

Obscura propositio potest esse sufficiẽs.

Dices secundò, multa proponuntur in Scriptura satis obscurè, & inde ortæ sunt variæ hæreses, quæ non essent, si clariori modo proponerentur: ergo mysteria fidei non sunt sufficienter proposita in Scriptura. Respondeo negando consequentiam; quia obscura propositio non tollit sufficientem propositionem; præsertim cùm habentur Doctores & Magistri, à quibus sine errandi periculo possit vera interpretatio, quoties est necessaria. Deinde ea, quæ non necessariò explicitè credenda, non sunt obscurè proposita ex suppositione traditionis, in ordine saltem ad viros doctos, & versatos in Scriptura, à quibus alij imperitiores facilè instrui

2. possunt.

b *Ad primum argumentum principale*, &c. Resoluta quæstione quoad duas partes eius, respondet iam ad argumenta principalia posita in initio quæstionis, quæ hîc etiam pro maiori legentium commoditate proponam. Itaque primum est: Doctrina necessaria viatori ad salutem nunquam defuit pro vllo statu; sed Scriptura sacra non fuit in lege naturæ ante Moysen, qui scripsit Pentateuchon, nec tota Scriptura fuit ante Christum, sed vetus tantùm Testamentum: ergo Scriptura non est necessaria. Respondet Doctor insinuando distinctionem ad Minorem; quæ sic in forma dari potest: non fuit quantum ad omnia quæ continentur in lege Moysi, aut Euangelica, nec quantum ad vllam partem eius in scriptis concedo: non fuit quantum ad pauca aliqua in quibus comprehendebatur fides Dei, vnius saltem, & remedium legis naturæ, nego Minorem; & similiter distinguo consequentiam: ergo Scriptura quoad omnia quæ continet, non est necessaria simpliciter, ita vt sine aliquibus ex illis quæ continet, non possit quis cognoscere, & peruenire ad finem vltimum; concedo consequentiam; non est necessaria ad melius esse, & vtilis quoad omnia quæ continet, nego consequentiam.

Quomodo tota Scriptura est necessaria.

Cur plura iam reuelata quàm antiquitus.

Et si quæratur cur plura sint reuelata in tempore legis Mosaicæ, quàm in lege naturæ? Doctor insinuat responsionem; quia scilicet in tempore legis naturæ habuerunt homines vim naturalem perfectiorem, & minùs erant inclinati ad malum, quantum ad appetitum, paucioribúsque erroribus practicis infecti quantum ad intellectum; vnde paucioribus subsidiis indigebant communiter loquendo, quàm in aliis statibus sequentibus: vnde Augustinus in loco citato à Doctore: *Quisquis*, inquit, *duorum Testamentorum* (veteris scilicet, & noui) *dispensationes pro temporum congruentia generis humani diligenter ætatibus distributas intuetur, satis quantum existimo intelliget quid propriè priori ætati generis humani, quid posteriori conueniat*, &c. Vnde vel ex hoc ipso, vt aduertit Scotus, cognosci potest authorem Scripturæ esse Deum, qui cuilibet ætati conuenientem exhibet doctrinam. 3.

Alio modo posset etiam responderi, distinguendo Maiorem: Doctrina simpliciter necessaria nunquam defuit, concedo, doctrina necessaria ad melius esse, nego maiorem: & concessa minori, distinguo consequentiam, non est necessaria simpliciter, concedo consequentiam; non est necessaria ad meliùs esse, id est, valde vtilis, & proficua, nego consequentiam. Itaque Doctor non asserit, nec supponit in hac, vel præcedenti quæstione, quòd Scriptura sacra tota sit simpliciter necessaria ad salutem: sed in præcedenti quæstione asserit, & probat necessitatem simpliciter alicuius doctrinæ supernaturaliter reuelatæ, siue illa tradatur in scriptis, siue non; & in hac quæstione concludit doctrinam illam simpliciter necessariam, esse sufficienter traditam in Scriptura: cum quo optimè stare potest quòd nec ipsa Scriptura formalis quoad totum, aut partem, nec etiam tota doctrina in eo contenta, sit simpliciter necessaria, quamuis vtraque tam Scriptura formalis, quàm tota doctrina in ea contenta, necessaria sit ad melius esse, & vtilis ac conducens ad reducendum hominem ad suum finem. 4.

Scriptura formalis non est necessaria simpliciter.

Doctrina aliqua potest esse necessaria pro vno statu, quæ nõ sit necessaria pro altero.

Præterea etiam aliqua doctrina posset esse simpliciter necessaria pro aliquo statu, quæ non esset sic necessaria pro omni statu; vt pro hoc statu doctrina de Baptismo est necessaria, quæ non erat necessaria pro lege veteri naturæ, aut Moysis.

sis. Vnde tertiò respondéri potest, vel negando maiorem, vel eam distinguendo aliter: Doctrina simpliciter necessaria pro omni statu, transeat; pro aliquo determinato statu, nego maiorem: & similiter distinguendo consequens: ergo Scriptura quoad doctrinam non habitam in lege veteri nõ est necessaria simpliciter pro omni statu; concedo consequentiam; pro lege gratiæ, nego consequentiam. Quærenti autem cur doctrina de Baptismo, sit pro hoc statu necessaria, non verò pro lege antiqua? Respondendum est, quia ipsemet Baptismus est iam necessarius ex ordinatione particulari Dei id volentis; & quidem congruè, quia pro diuersitate statuum, & legum, diuersa erant assumenda Sacramenta.

5. c Secundum argumentum principale est: in qualibet scientia sufficienter tradita vitantur superflua; sed multa superflua traduntur in sacra Scriptura, vt cæremonialia, & plures historiæ, quæ non sunt necessaria ad salutem: ergo doctrina necessaria ad salutem non est sufficienter tradita in Scriptura sacra.

Nihil in Scriptura superfluum.

Respondetur negando Minorem: quamuis enim cognitio cæremonialium, & plurium historiarum, ac etiam documentorum, & instructionum contentarum in sacra Scriptura non sit simpliciter necessaria ad salutem, tamen non est dubium quin sit necessaria ad melius esse, hoc est, vtilis, ac conducens: nam quantum ad cæremonialia, quia significant mysticè multa fidei nostræ mysteria, quando consideramus illa mysteria, vt contenta sub illis cæremonialibus, *Dulcius*, inquit Scotus, *capimus illa*, quàm secundùm se nudè, & expresè proposita; vnde cognitio istarum cæremoniarum iuuat ad hanc deuotionem. Illa autem dulcedo oritur fortè ex consideratione aliqua bonitatis, & sapientiæ diuinæ occultantis illa mysteria tam admirabiliter sub istis signis & figuris. Similiter etiam historiæ omnes contentæ in Scriptura conducunt ad exemplum, vel declarationem legis, vel significationem ordinatissimi regiminis diuinæ prouidentiæ respectu creaturarum. Denique instructiones omnes, quæ habentur in Scriptura, licèt plurima ex illis haberi possent beneficio naturæ, tamen maiorem vim trahendi homines habent ex authoritate diuina, quam accipiunt ex eo, quòd sint in Scriptura diuinitùs inspirata, quàm aliàs haberent; vnde vtile fuit, vt in ea proponerentur.

6. d Tertium argumentum principale est: Non scimus certò ex Scriptura omnia quæ sunt peccata mortalia; sed cognitio omnium peccatorum mortalium est necessaria ad salutem; quia propter defectum eius potest contingere vt aliquis peccet mortaliter, & sic decidat à salute, à qua aliàs non decideret: ergo doctrina necessaria ad salutem non est sufficienter tradita in sacra Scriptura..

Scitu necessaria non debent expresè tradi.

Respondet Doctor iuxta Origenem, omnia scitu necessaria ad salutem, non debere expresè contineri in Scriptura; quia nulla scientia tradit expresè omnia pertinentia ad illam scientiam; sed sufficit quòd vel expresè, & formaliter, vel implicitè, & virtualiter illa contineat: sic autem omnia necessariò cognoscenda ad acquisitionem salutis continentur in Scriptura: vnde ad eruenda, & inuestiganda illa quæ implicitè tantùm continentur in Scriptura, necessaria, & vtilis valde est industria, & cura Doctorum, & expositorum Scripturæ. Iuxta hoc autem in forma responderi potest, distinguendo Maiorem: Non scimus certò, & explicitè ex Scriptura omnia peccata mortalia, concedo maiorem; non scimus illa certò explicitè, vel implicitè, nego Maiorem; & concessa Minori, negatur consequentia.

Sed adhuc instat Doctor contra hoc: si sufficienter traderetur explicitè, aut implicitè in sacra Scriptura, cognitio peccatorum mortalium omnium, saltem nunc post tot expositiones Doctorum & Patrum, cognosceremus illa omnia certò: sed hoc est falsum, vt patet ex diuersitate sententiarum oppositarum, quarum aliquæ negant esse peccata mortalia, quæ ab aliis talia esse asseruntur: verbi gratiâ, quidam dicunt esse peccatum sequi opinionem probabilem, aut improbabiliorem minùs tutam; quidam negant: ergo cognitio peccatorum non traditur, neque explicitè, neque implicitè, sufficienter in Scriptura, saltem in ordine ad nostram ætatem, in qua adhuc manent illa dubia. 7.

Non constant ex Scriptura omnia quæ sunt, vel non sunt peccata mortalia.

Nec tamen deest cognitio necessaria ad salutem.

Respondet, concedendo totam replicam; sed negando tamen esse incertam viam salutis, & consequenter negando propterea sequi quòd non habeamus doctrinam salutis acquirendæ sufficienter traditam in Scriptura: quia in Scriptura habemus, esse vitandum salutis periculum, iuxta illud Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Ex hoc autem principio sufficienter instruimur in casu quocunque, quo dubitaremus de aliquo an esset peccatum, nécne, sequi tutiorem partem. Deinde in Scriptura monemur petere, & audire monita, & consilia seniorum, ac prudentum: ex hoc autem in similibus casibus dubiis faciemus quod tales consulunt, & certum est id faciendo nos non peccaturos; quia euidens est nos non posse peccare sequendo consilium Scripturæ. Quòd si in huiusmodi dubiis, nec sequi velimus tutiorem partem, aut consilium prudentum, & rectorum nostrorum; sed non obstante dubio, faciamus quod magis nobis arridet, meritò nobis imputabitur tanquam peccatum mortale quod agimus, quamuis à parte rei fortè non esset peccatum: neque illud peccatum attribuendum est defectui doctrinæ sufficientis, quia licèt non habeamus doctrinam sufficientem ad cognoscendum an determinatè illa actio sit peccatum, nec ne à parte rei; tamen habemus doctrinam sufficientem ad cognoscendum quomodo vitaremus peccatum in tali casu, & etiam quod agere contra talem cognitionem, & cum tali dubio sit peccatum mortale.

Iuxta hoc, respondendum est ad argumentum ipsum principale, distinguendo maiorem; non scimus certò ex Scriptura omnia peccata mortalia à parte rei secundùm se considerata, concedo maiorem; non scimus certò omnia peccata mortalia quatenus à nobis procedunt, nego maiorem, loquendo de certitudine morali, & sufficienti ad directionem hominis; nam scimus omnem actionem, vt à nobis prouenientem esse eatenus peccatum mortale, quatenus procedit contra rectam rationem: & si habeamus rationem concludentem quòd aliquid sit prohibitum nobis à parte rei, tum scimus certò quòd illud facere esset nobis peccatum: si autem non sciamus illud esse prohibitum à parte rei, sed opinemur, ita esse, hoc ipsum sufficit, 8.

Cognoscere sufficienter possumus omnem actionē quæ nobis est peccaminosa.

ſufficit, vt illud vitemus; recta enim ratio dictat non eſſe faciendum quod opinamur eſſe malum, præſertim, niſi etiam opinemur probabiliter quòd non eſſet peccatum.

9. *Licèt ſequi minùs probabilem ſententiam aliquando, non ſemper.*

Quòd ſi etiam æquè probabilis nobis ſit vtraque pars, quòd ſit ſcilicet peccatum, & quòd non ſit peccatum; aut etiã magis probabile eſſet quòd eſſet peccatum, modò probabile tamen ſit, quòd non eſſet peccatum, recta ratio ſuadet poſſe nos illud facere, ſi voluerimus abſque peccato, niſi in determinatis aliquibus materiis; vt verbi gratiâ, in materia Sacramentorum: vnde ſententia communis Doctorum eſt, licere quandoque ſequi non ſolùm probabilem, ſed minùs probabilem opinionem; vt traditur in materia de actibus humanis, aut de peccatis. Si verò dubius quis ſit, an ſit peccatum, nec habeat opinionem probabilem, quòd ſit peccatum, nec ne; tunc recta ratio dictat eſſe examinandum, & ſi fecerit abſque examine, committit peccatum: & hoc eſt quod vult Scotus, dum dicit à dubiis eſſe abſtinendum, & peccaturum mortaliter qui ad ea facienda ſe exponit abſque cura examinandi veritatem. At ſi facto diligenti examine, aut per ſe, ſi ſit vir doctus, aut per alios, ſi non eſt, adhuc non poteſt cognoſci an ſit peccatum, nec ne, exiſtimo poſſe quem abſque peccato quod voluerit facere; quia videtur quòd recta ratio non prohibeat aliquid quod facto diligenti examine non cognoſcitur, vel probabiliter eſſe prohibitum. Sed de his particulariùs, & fuſiùs ſuo loco dicendum eſt, modò ſufficit ea tanquam conformiora communibus principiis, ac praxi ſupponere.

Quando cum dubio poſſet quis operari abſque peccato.

10. *Aliquando magis expedit obſcurè proponere doctrinam.*

Adde ad propoſitum principale, ſufficientem propoſitionem alicuius doctrinæ principaliter ordinatæ ad mores non eſſe præciſè deſumendam ex eo quod clariùs proponat, quod in omnibus caſibus conueniat fieri; ſed ex eo quod magis expediat communitati, cui proponitur, eam tali, vel tali modo proponi: vnde quandoquidem Deus ſit author principalis Scripturæ, deſiderétque omnes homines ſaluos fieri, ſciátque quid ipſis magis conueniat, colligendum eſt quòd magis conueniens ſit generi humano, Scripturam proponi, vt de facto propoſita eſt, quàm ſi clariùs omnia proponerentur, atque adeò eam ſufficienter continere iuxta regulas diuinæ prouidentiæ, quæ ad noſtram ſalutem conducunt.

Poſſet vlteriùs obiici, quòd ipſa Scriptura ſit valde difficilis, & obſcura, non ſolùm quoad ea quæ implicitè tantùm continet, ſed etiam quoad ea quæ explicitè continet, ergo non continet ſufficienter myſteria neceſſaria ad ſalutem. Antecedens quamuis negetur ab hæreticis, Luthero *in præfatione aſſertionis articulorum à Leone Papa damnatorum*, & Brentio *in prolegomenis contra Petrum à Soto*, aliiſque aſſerentibus Scripturam facilem eſſe humilibus, ac fidelibus, præſertim illis, qui ſciunt phraſes linguæ Hebraicæ, & Græcæ; admitti tamen debet cum Catholicis omnibus, & patet tum ex ipſa Scriptura 2. *Petr. vlt.* vbi Petrus fatetur quædam difficilia eſſe in Epiſtolis Pauli. Tum ex Patribus Irenæo *lib. 2. cap. 47. Orig. 7. contra Celſum*, Ambroſ. *epiſt.* 44. Hieronymo *in epiſtola ad Algaſiam*, Auguſt. 2. *Doct. Chriſt.* Gregorio *homilia 6. in Ezechielem.* Tum experientia tot controuerſiarum de vero Scripturæ ſenſu, & tot interpretationum diuerſarum eius, quæ omni tempore fuerunt, & adhuc ſunt; tum denique eorundem hæreticorum conſenſione, Lutheri quidem *lib. 1. contra Zuinglium, & OEcolampadium*, Brentij verò *in confeſſione VVirtembergica, cap. de ſacra Scriptura.*

Itaque conceſſo antecedenti, nego conſequentiam, quia, vt antè dixi, ſufficientia propoſitionis myſteriorum fidei non debet præciſè deſumi ex claritate modi quo proponuntur, nec inſufficientia ex obſcuritate, ſed potiùs ex vtilitate, & emolumento modi, quo proponuntur, ſiue clari, ſiue obſcuri, non reſpectu vnius, aut alterius, ſed reſpectu communitatis, debet deſumi ſufficientia & congruitas propoſitionis. Vtilitas autem congruentiæ, ob quam Scriptura quoad multa ſit obſcurè propoſita, colligitur ob rationes iſtius obſcuræ propoſitionis, quas aſſignant Sancti Patres, quarum aliquas hîc breuiter proponere viſum eſt. 11.

Primam rationem aſſignat S. Irenæus *lib. 2. cap. 47.* vt ſemper Deus doceat, & homo diſcat. *Quid mali eſt*, inquit, *ſi & eorum, quæ in Scriptura requiruntur, quædam quidem abſoluamus, ſecundùm gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, & non ſolùm in hoc ſæculo, ſed & in futuro, vt ſemper quidem Deus doceat, homo autem ſemper diſcat, quæ ſunt à Deo.*

Secundam, & tertiam rationem adfert Auguſt. 2. de Doct. Chriſtiana ad edomandam ſuperbiam, & tollendum faſtidium. *Ita*, inquit, *quædam dicta* (in Scriptura ſcilicet ſacra) *denſiſſimam caliginem obducunt.* Quod totum prouiſum diuinitus eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata plerumque viluerunt.

Quartam, & quintam adfert Gregorius *homil. 6. in Ezechielem*, vt ſcilicet habeamus quo vitemus otium, & ne vileſcat Scriptura. *Magna*, inquit, *vtilitatis eſt ipſa obſcuritas eloquiorum Dei, quia exercet ſenſum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non poteſt otioſus. Habet quoque adhuc maius aliud, quia ſi Scriptura ſacra intelligentia in cunctis eſſet aperta, vileſceret, quæ in quibuſdam locis obſcurioribus, tanto maiori dulcedine inuenta reficit, quanto maiori labore fatigat animam quæſita.*

Obiectiones hæreticorum ad probandam Scripturæ ſacræ facilitatem nullius ſunt momenti, & ſufficienter ſoluuntur à Bellarmino *lib. 3. de verbo Dei ſcripto cap. 2.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Vtrùm Theologia [a] *ſit de Deo tanquam de ſubiecto primo?*

Alenſ.1.*part.quæſt.*1.*mem.*3.D.Thom.1.*part.quæſt.*1.*art.*7. D.Bona.*hîc quæſt.*1. Richard.*quæſt.*6. Durand. *quæſt.*5. Occam *quæſt.*3. Gabr. *quæſt.*9. Canus 12. *de locis cap.*2. Vaſq.1. *part. diſt.*10. Vide Scotum 2. *Met.quæſt.*1.& 2.*& de primo princ.cap.*4.*con.*8.*in Theorem.§.Non ſimpliciter perfectius, &* 1.*Phyſic.quæſt.* 1.Baccon.*quæſt.*2.*Proc.*

SCHOLIVM.

Arguit duabus viis Deum non eſſe ſubiectum Theologiæ, & vtraque continet tres rationes claras.

QVòd non, arguitur duabus viis. Prima [b], eſt oſtendere iſtam negatiuam in ſe;quæ probatur primò per auctoritatem Boëtij 1.de Trin *Forma*,inquit, *ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt.* 1.

Item, ſecundò, materia non coïncidit cum aliis cauſis, neque in idem numero,neque in idem ſpecie; *ex ſecundo Phyſicorum:*Deus autem eſt finis huius ſcientiæ & efficiens:non igitur materia. *Text.com.* 43.

Item, tertiò, *ex primo Poſteriorum*, ſubiectum ſcientiæ habet partes, principia, & paſſiones: Deus autem non habet partes integrales, cùm ſit ſimplex: neque partes ſubiectiuas, cùm ſit ſingulare ex ſe: neque habet principia, cùm ſit primum principium: neque paſſiones,quia paſſio ineſt ſubiecto, ita quòd eſt extra eius eſſentiam:nihil autem ſic ineſt Deo. *Scot.*2. *Phyſ.q.*7.

Secunda via eſt oſtendere, quòd aliud eſt hîc ſubiectum: non ergo iſtud. Antecedens probatur multipliciter. Primò per Auguſtinum *de doctrina Chriſtiana* 1.lib.cap.1. *omnis doctrina vel rerum eſt,vel ſignorum:*igitur res,vel ſigna ſunt ſubiectum.

Item, ſecundò, Scriptura habet quatuor ſenſus, ſcilicet Anagogicum, Tropologicum, Allegoricum & Literalem: ſed cuilibet ſenſui correſpondet aliquod ſubiectum primum,ſicut alij ſcientiæ habenti vnum ſenſum correſpondet ſubiectum ſecundùm illum ſenſum;igitur hîc ſunt quatuor ſubiecta. *Quatuor ſenſus Scripturæ.*

Item, tertiò [c] quòd homo ſit ſubiectum, probatur auctoritate Commentatoris 1. *Ethic. in Prologo*, quia ſecundùm eum, ſcientia Moralis eſt de homine quo ad animam: Medicinalis eſt de homine, quoad corpus. Ex hoc ergo accipitur iſta propoſitio, quòd omnis ſcientia Practica habet pro ſubiecto primo, illud cui acquiritur finis practicæ, & non ipſum finem: finis autem iſtius ſcientiæ acquiritur homini, & non Deo: ergo, &c. 2. *Euſtathtij, quem Doct. ſæpe allegat, in moralibus.*

Item [d] aliter, (& quaſi in idem redit;) finis ſcientiæ eſt per actum ſuum attingere obiectum primum, inducendo in ipſum formam principaliter intentam à ſcientia,puta in ſpeculatiua inducere in illud eſſe cognitum, quia cognitio ibi intenditur; & in practica inducere formam, ad quam ordinatur eius praxis; finis autem hîc intentus eſt bonitas moralis, quæ non intenditur induci in Deo, ſed in homine: igitur homo eſt obiectum primum eius.

Contrà, Auguſt.8.de Ciuitate Dei cap.1.*Theologia eſt ſermo,vel ratio de Deo.*

COMMENTARIVS.

1. a CIRCA tertiam quæſtionem quæruntur tria. Primum, *an Theologia ſit de Deo tanquam de ſubiecto*, ſupple adæquato, de quo demonſtrentur veritates Theologicæ. Secundum, *an ſit de Deo ſub aliqua ratione ſpeciali*, puta an ſit de Deo tanquam Glorificatore, vel Gubernatore,& huiuſmodi. Tertium, *an ſcientia Theologica ſit de omnibus ex attributione ipſorum ad primum ſubiectum.*

Quantum ad primam quæſtionem arguitur in contrarium duabus viis.

b Primæ viæ prima ratio ſtat in hoc, quia *forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt*; ſed Deus eſt forma ſimpliciſſima,vt patebit infrà *d.*8.ergo.

Secundò arguitur, quia ſubiectum ſcientiæ eſt efficiens ſcientiam; & ex alia parte, ſi ponitur ſubiectum, habet rationem materiæ, quia rationem receptiui proprietatis demonſtrabilis; ſed idem numero non poteſt eſſe materia & efficiens, vt patet per Philoſophum 2. *Phyſ.text. comm.*70. vbi vult quòd multoties forma & efficiens & finis coincidant in idem; ſed materia cum nullo iſtorum coincidit: ergo.

Tertiò principaliter arguitur, quia *ſubiectum ſcientiæ habet partes,principia & paſſiones*,vt patet 1. Poſter.text.comm.43. *Vna*,inquit, *ſcientia eſt, quæ eſt vnius generis,quæcunque ex primis ſcilicet principiis componitur, & partes aut paſſiones horum ſunt per ſe:* Hæc ille. Sed Deus non habet partes nec integrales,

grales, nec subiectiuas, vt patet, nec principia, quia non definitur, immò est simpliciter primum principium, (vt infrà patebit *dist.2.part.1.quæst.1.*) nec passiones, cùm tales sint extra essentiam subiecti, in Deo autem nihil est extra suam essentiam.

Argumenta primum & secundum secundæ viæ clara sunt.

c Tertiò, ex authoritate Commentatoris, scilicet Eustathij, super 1.*Ethic.* talis ratio conficitur: *Scientia practica habet pro subiecto primo illud cui acquiritur finis scientiæ practicæ.* Cùm ergo finis scientiæ Moralis, qui est felicitas naturalis, acquiritur homini quo ad animam, ipsa anima erit subiectum scientiæ moralis; & similiter finis Medicinæ, qui est *sanitas*, acquiritur homini quo ad corpus, ipse homo quo ad corpus erit subiectum Medicinæ. Sic dico in proposito cùm Theologia sit scientia practica, (vt patebit infrà quæstione vltima Prologi, & *dist.*38.) & finis illius, qui est clara visio Dei & eiusdem fruitio, acquiratur homini quo ad animam, sequitur quòd homo quo ad animam, erit subiectum Theologiæ.

d *Item aliter*, &c. *Quia cognitio ibi intenditur.* Habitus enim scientificus inclinat principaliter ad cognitionem obiecti, vt per ipsam attingatur obiectum, quod tunc attingitur, cùm habet esse cognitum. Et finis scientiæ practicæ est inducere formam ad quam ordinatur eius praxis, quæ est bonitas moralis, quæ in Theologia principaliter intenditur, vt inducatur in homine quoad animã.

QVÆSTIO I. LATERALIS.

Vtrùm Theologia sit de Deo sub aliqua ratione speciali?

Hic recenset Scotus aliorum opiniones. Prima ponit Deum esse subiectum sub ratione Restauratoris. Secunda Christum sub ratione incarnationis, & capitis. Tertia sub ratione finis.

1. *Opin. Hugo. Vide Scotum 1. Phys. q.3. Opinio Cassiod.*

QVÒD sic [a] arguitur; Hugo de Sacramentis in principio vult, quòd opera restaurationis, sint hîc subiectum: ergo si Deus est hîc subiectum, hoc erit sub speciali ratione, scilicet inquantum restaurator.

Item, Cassiodorus super Psalmistam vult, quòd Christus caput cum membris est hîc subiectum; igitur specialiter vt incarnatus, & caput Ecclesiæ erit hîc subiectum.

Item, Deus [b] absolutè est subiectum Metaphysicæ: igitur si hîc est subiectum, hoc erit sub aliqua ratione speciali. Consequentia probatur; quia non sub eadem ratione omnino, hîc & ibi est subiectum. Antecedens probatur per Philosophum 6. Metaphys. *Text.c.2.* *Honorabilissimam scientiam oportet esse circa nobilissimum genus:* illa, secundùm ipsum, est huiusmodi. Hoc etiam confirmatur, quia ibi vocat Metaphysicam Theologiam.

Item, Commentator [c] *primo Physicorum commento vltimo* dicit, quòd Auicenna multum peccauit, ponendo Metaphysicam probare primam causam esse, cùm genus substantiarum separatarum sit ibi subiectum, & nulla scientia probat suum subiectum esse. Ratio autem non valeret, nisi intelligeret, quòd ipsa esset ibi primum subiectum; ergo, &c.

Item, ista [d] scientia est honorabilissima: ergo est de honorabilissimo subiecto sub ratione honorabilissima. Huiusmodi autem ratio est ratio finis & boni. De fine autem probatur per Auicennam 6.*Metaph.* dicentem: *Si scientia esset de omnibus causis, illa, quæ esset de fine, esset nobilissima.* Ex hoc concluditur de bono, quia secundùm Philos. 2. *Metaph.* qui ponit infinitatem in finibus, destruit naturam boni, quia destruit naturam finis: ex hoc ergo accipitur quòd ratio boni est ratio finis. *Cap.vlt. Text.c.8.*

Contrà, cognitio contracta præsupponit cognitionem absolutam: & absoluta est certior, ex 1.*Metaphys.* si ergo ista est de Deo sub aliqua ratione speciali, alia est prior & certior de Deo absolutè: talis non ponitur: ergo, &c. *In Prolog. Idem 1. Post. text. 39.*

COMMENTARIVS.

1. a PRIMÒ arguitur quòd Theologia non sit de Deo sub ratione absoluta Deitatis, sed sub aliqua alia ratione speciali: & patet per Hugonem, qui vult quòd Deus sit subiectum vt Restaurator: & per Cassiodorum, qui vult, &c.

b Secundò arguitur probando quòd Deus non sit subiectum sub ratione absoluta Dei, siue Deitatis, sed sub aliqua alia ratione speciali, quia est subiectum Metaphysicæ sub ratione absoluta Dei: ergo si Deus ponitur subiectum Theologiæ, erit subiectum sub aliqua alia ratione speciali.

c Tertiò arguitur autoritate Commentatoris, qui vult quòd genus substantiarum sit subiectum Metaphysicæ. Vnde ipse reprehendit Auicennam ponentem Metaphysicam probare primam esse, quia nulla scientia probat suum subiectum, sed supponit, vbi dicit sic, 1. Physicor. *Sed notandum est quòd istud genus entium,* scilicet esse separatum à materia, *non declaratur nisi in hac scientia naturali. Et qui dicit quòd prima Philosophia*, scilicet Metaphysica, *nititur declarare entia separabilia esse, peccat. Hæc enim entia sunt subiecta*

subiecta primæ Philosophiæ, & declaratum est in Posterioribus Analyticis, quòd impossibile est aliquam scientiam declarare subiectum esse, aut quia manifestum per se, aut quia declaratum in alia scientia. Vnde Auicenna peccauit maximè, cùm dixit quòd primus Philosophus demonstrat primum principium esse, & processit in hoc suo libro de scientia diuina per viam quam existimauit esse necessariam & essentialem in illa scientia, & peccauit peccato manifesto. Hæc ille.

d Vltimò arguitur, probando quòd Deus sub ratione finis sit subiectum, quia ratio finis est nobilissima, vt patet per Auicennam, &c. Ex hoc concluditur quòd sit subiectum sub ratione boni, quia ratio boni est ratio finis. Vnde Philosophus 2. Metaph. cap. 8. vult quòd *qui ponit infinitatem in finibus, destruat naturam boni*, &c. Vnde secundùm aliam translationem, *Illi*, inquit, *qui faciunt causas infinitas, auferunt naturam boni, & non percipiunt.* Et ibi Commentator: *Et facientes causas finales esse infinitas, destruunt finem, & qui destruunt finem, destruũt omne bonum, & nihil percipiunt. Nihil enim dicitur esse bonum nisi per causas finales.* Hæc ille.

QVÆSTIO II. LATERALIS.

Vtrùm ista scientia sit de omnibus ex attributione ipsorum ad primum eius subiectum?

SCHOLIVM.

Tria continet hæc litera. Primò, explicat Theologiam in se, & in nobis. Secundò, describit in quo consistat ratio primi obiecti alicuius scientiæ, scilicet, quòd contineat virtualiter omnes veritates illius habitus, & probat dupliciter. Primò, quia obiectum continet propositiones immediatas, & in istis continentur conclusiones. Secundò, est causa adæquata respectu habitus. Obijcit dupliciter contra has rationes, in fauorem D. Thom. qui primo Post. lect. 41. oppositum tenet de subiecto, de quo Caiet. 1. *part. quæst. 1. art. 7. & soluit obiectiones. Tertiò, diuidit Theologiam in necessariam, & contingentem. Illa concernit omnia Dei ad intrà. Hæc omnia ipsius ad extrà.*

QVOD sic; 4. Metaph. *Eadem est scientia de aliquo, & de attributis ad ipsum* 4.
(& exemplificat ibi de *sano*) sed omnia alia attribuuntur essentialiter ad *Text. 2.*
subiectum primum huius: ergo, &c. Contrà, August. 14. de Trinit. cap. 1. *Scot. 1.*
Neque huic scientiæ tribuendum est, &c. *Phys. q. 1.*
Circa solutionem istarum quæstionum, sic procedo. Primò, distinguo de Theologia in se, & de Theologia in nobis. Secundò, assignabo rationem primi subiecti. Tertiò, distinguam de Theologia quantum ad partes eius.

De primo dico [a], quòd cognitio quælibet in se, est illa, quæ nata est haberi de obiecto *2. Met.*
eius, secundùm quòd natum est manifestare se intellectui proportionato. Cognitio au- *text. 4.*
tem eadem in nobis, est illa, quæ nata est haberi in intellectu nostro de obiecto illo intellecto. Theologia ergo in se talis est cognitio, qualem natum est facere obiectum Theologicum in intellectu sibi proportionato. Theologia verò in nobis, talis est cognitio, qualem intellectus noster natus est habere de illo obiecto. Exemplum, si aliquis intellectus non possit intelligere Geometricalia, posset autem aliqui credere de Geometricalibus, Geometria esset sibi fides, non scientia: esset tamen in se scientia, quia obiectum Geometriæ natum est facere de se scientiam in intellectu proportionato. *Quid sit Theologia in se, & in nobis? Hoc idem sentit Arist. 1. Post. text. 44.*

De secundo dico [b], quòd ratio primi subiecti est continere in se primò virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius est. Quod probo, primò sic; quia obiectum primum continet propositiones immediatas: quia subiectum istarum continet prædicatum & ita euidentiam totius propositionis. Propositiones autem immediatæ continent conclusiones: ergo subiectum propositionum immediatarum, continet omnes veritates illius habitus. *Quid sit de ratione subiecti?*

Probo idem secundò; quia *primitas* hîc accipitur *ex primo Posteriorum* ex definitione *Text. c. 14.*
Vniuersalis, secundùm quòd dicit adæquationem; obiectum autem se habet ad habi- *& 15.*
tum, sicut causa ad effectum: non est enim causa adæquata, nisi contineat primò virtualiter totum effectum: ergo, &c. Expono quod dixi (*primò virtualiter*) quia sicut illud est primum ens, quod non dependet ab alio, sed alia ab illo: ita ergo primò continere, est, ab aliis non dependere in continendo, sed alia ab ipso, hoc est, quòd per impossibile circumscripto omni alio, manente intellectu eius, adhuc contineret, & nihil aliud continet, nisi per rationem eius.

Contra istud arguit [c] dupliciter, primò sic. Sicut se habet obiectum primum potentiæ 5.
ad potentiam, ita obiectum primum habitus se habet ad habitum: sed obiectum primum

mum potentiæ est aliquod commune ad omnia per se obiecta illius potentiæ: ergo primum obiectum habitus est aliquid commune ad omnia per se obiecta eius, & non aliquid virtualiter continens alia.

Item, secundò; quia in scientiis assignatur communiter pro subiecto primo, aliquid quod est commune ad omnia illa, quæ considerantur in illa scientia: sicut in Geometria *linea*, in Arithmetica *numerus*, in Metaphysica *ens*.

Hæc maxima Scoti habetur ab eodem in 1. d.3. q.3. & in 2.d.9.& in 3. d. 13. & in 4.dist. 18. Vide hic Lenchet. contra Gregor. & Occam.

Ad primum respondeo [d] quòd proportio obiecti ad potentiam est proportio motiui ad mobile, vel actiui ad passiuum. Proportio subiecti ad habitum est sicut proportio causæ ad effectum: quandocunque autem aliquod agens agit in aliquod passum, potest quodlibet agens eiusdem rationis in quodlibet passum eiusdem rationis agere: ergo prima extrema proportionis actiui ad passiuum sunt communia ad omnia per se extrema illius proportionis. Nam inter illa communissima, est adæquatio, quia in quocunque est ratio vnius, illud respicit quodlibet, in quo est ratio alterius: sed prima extrema proportionis causæ ad effectum non sunt communissima, quia inter illa non est adæquatio. Non enim sequitur, si commune potest causare habitum, quòd speciale possit, & è conuerso. Non enim quodlibet contentum sub illo communi respicit habitum illum, vt effectum eius: sed tantùm aliquod primum obiectum contentiuum, quod virtualiter continet omnia, ad quæ habitus se extendit.

Ad secundum dico, quòd multorum habituum specie differentium potest esse aliquod obiectum commune, sicut ab obiectis eorum potest abstrahi obiectum commune. Et hoc modo in scientiis assignatur obiectum commune, à quo non est habitus vnus secundùm speciem, sed tantùm secundùm genus.

Veritates Theologicæ quædam necessariæ vt ad intrà, quædam contingentes, vt ad extrà.

Duæ sunt partes integrales Theologiæ.

6. De tertio dico, quòd Theologia essentialiter non tantùm continet necessaria, sed etiam contingentia. Quod patet, quia omnes veritates de Deo, siue vt trino, siue de aliqua persona diuina, vt comparatur ad intrà, sunt necessariæ; vt quòd *Deus est trinus*, & quòd *Filius dicitur generari à Patre*, & huiusmodi. Illa verò, in quibus comparatur ad extra, sunt contingentes, vt quòd *Deus erat*, & quòd *Filius est incarnatus*, & huiusmodi. Omnes autem veritates de Deo vt trinus, siue de persona determinata, sunt Theologicæ. Similiter veritates contingentes, quia ad nullam cognitionem naturalem spectant: ita quòd primæ partes integrales Theologiæ sunt duæ, scilicet veritates necessariæ, & veritates contingentes.

COMMENTARIVS.

1\.

Cognitio intuitiua, & abstractiua quid sit.

a De primo dico. Hìc Doctor primò declarat quid sit aliqua cognitio in se: & est illa, &c. Et sententia literæ est, quòd cognitio in se est illa, quam facit obiectum de se, & hoc dupliciter. Nam quando obiectum est in se præsens, secundùm propriam existentiam, cognitio, quæ est ab intellectu, & tali obiecto sic præsente, dicitur cognitio intuitiua in se: quia talis est, qualem obiectum, sic præsens, natum est facere de se. Quando verò obiectum non est in se præsens, sed relucet in aliqua specie intelligibili, causata ab intellectu agente, & phantasmate illius obiecti, vt infrà patebit *dist.* 3. *quæst.*6. cognitio causata à tali obiecto, vel à specie intelligibili supplente vicem talis obiecti, dicitur cognitio abstractiua in se. Quia talis est, qualem tale obiectum, sic præsens, natum est de se facere. Si verò obiectum non est præsens, nec primo, nec secundo modo, sed tantùm habeo cognitionem de illo, ex aliqua reuelatione; talis cognitio dicitur cognitio in nobis: quia est talis, qualis nata est haberi de tali obiecto, nullo modo præsente, nec primo, nec secundo modo, nec contento eminenter, vel virtualiter in alio repræsentatiuo. Quod dico propter essentiam diuinam, quæ non tantùm est ratio causandi cognitionem cuiuscunque obiecti, vt patebit infrà, *quæst.pen.prologi*, sed etiam est ratio repræsentandi perfectissimè omnia entia in ratione obiecti: vt patebit infrà *dist.*2. & *dist.*39. & sic intellectus beati cognoscens huiusmodi obiecta in essentia diuina, talis cognitio dicitur in se: quia talis est, qualis nata est fieri ab obiecto, vel ab aliquo virtualiter continente ipsum: de quo infrà *d.*3. & *dist.*8. *& in* 2. *d.*3.

Quomodo essentia diuina sit ratio causandi cognitionem, & repræsentãdi.

Cognitio Theologica intuitiua.

Secundò Doctor declarat quid sit scientia Theologica in se, & quid in nobis. Nam *cognitio Theologica in se*, &c. Hìc dico duo. Primò, quòd cognitio Theologica, quæ est de obiecto Theologico, aut est intuitiua, & sic dicitur cognitio intuitiua in se, quando est ab obiecto Theologico in se perfectè præsente: vel ab aliquo perfectè supplente vicem talis obiecti. Quod dico propter voluntatem diuinam, quæ immediatè (saltem partialiter) & vt causa principalis causat cognitionem intuitiuam obiecti Theologici. Et tunc perfectè supplet vicem talis obiecti, quãdo causat cognitionem vt terminatam ad tale obiectum in se perfectè præsens. Secundò dico, quòd quando tale obiectum est præsens intellectui creato per speciem intelligibilem, repræsentantem ipsum in ratione obiecti cognoscibilis (quæ à solo Deo, vt à causa totali potest immediatè causari, de qua patet à Doctore *in* 2. *d.*3. *quæst.*10.) cognitio causata ab intellectu creato, & à tali specie intelligibili, vt à duabus causis partialibus, integrantibus vnam totalem: de quibus à Doctore vbi suprà dicitur cognitio abstractiua in se talis obiecti Theologici: quia talis est, qualem natum est facere obiectum Theologicum, vt sic præsens in specie intelligibili. 2.

Cognitio intuitiua Theologica in se.

Et nota, quòd differentia est inter cognitionem intui- 3.

intuitiuam in ſe obiecti Theologici, vt comparatur ad intellectum creatum, & vt comparatur ad intellectum diuinum. Nam cognitio primo modo, non cauſatur immediatè ab illo obiecto: puta à Deitate, quia, vt ſic, cauſaret de neceſſitate: cuius oppoſitum patet à Doctore in pluribus locis: ſed à voluntate diuina ſupplente perfectè vicem, &c. vt dixi ſuprà. Cognitio verò ſecundo modo eſt immediatè ab eſſentia diuina, vt eſſentia (ſaltē partialiter) vt patet à Doctore infrà *quaſt. pen. diſt. 2. diſt. 39. & alibi.* Secundò differunt, quia cognitio primo modo, nullo modo eſt comprehenſiua talis obiecti, cùm ſit finita, & obiectum infinitum: ſecundo verò modo eſt verè comprehenſiua, cùm ſit æquè infinita ſicut & obiectum. De qua comprehenſione vide Doctorem *in quolib. q.* 14. Et multæ aliæ differentiæ poſſunt aſſignari.

Cognitio Theologica in nobis. Cognitio verò Theologica in nobis eſt illa, quam intellectus noſter natus eſt habere de obiecto Theologico, nullo prædictorum modorum præſente, ſcilicet nec in ſe, nec in ſpecie intelligibili: ſed tantùm eſt per reuelationem. Et ſic patet iſta diſtinctio de Theologia in ſe, & in nobis.

4. b *De ſecundo dico, quòd ratio primi ſubiecti,* &c. Hìc Doctor intendit declarare rationem primi ſubiecti ſcientiæ, dicens, quòd ratio eius eſt continere in ſe primò virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius eſt. Pro maiori intelligentia præmitto aliqua. Primò, quòd veritates in ſcientia ſunt in duplici genere: quædam ſunt notæ ex terminis, vt omnes propoſitiones per ſe notæ; & quædam ſunt notæ præcisè propter propoſitiones per ſe notas. Primæ dicuntur contineri in ſubiecto, non præcisè virtualiter, ſed quia ſubiectum continet eſſentialiter, & formaliter definitionem: ideò hæc eſt vna immediata: *Omnis homo eſt animal rationale:* & quia definitio eſt cauſa immediata, & adæquata reſpectu paſſionis demonſtrandæ, hæc erit mediata, *Animal rationale eſt riſibile.* Et ſic, vt ſubiectum comparatur ad definitionem, continet hanc mediatam formaliter, & eſſentialiter: vt verò comparatur ad paſſionem, continet illam virtualiter: quia ratio formalis ſubiecti eſt cauſa immediata, & præciſa illius: & vt ſic, poteſt etiam dici virtualiter continere iſtam: *Animal rationale eſt riſibile.* Secundæ ſunt concluſiones demonſtratæ, quæ virtualiter, & immediatè continentur à præmiſſis per ſe notis: quia ex illis immediatè inferuntur: remotè verò virtualiter continentur in ſubiecto demonſtrationis.

5. Secundò præmitto, quòd *veritas* in ſcientia non accipitur pro notitia propoſitionis, nec pro ipſa propoſitione: ſed præcisè pro habitudine prædicati ad ſubiectum, ſiue pro conformitate prædicati ad ſubiectum, vt infrà patebit *diſtin.* 3. *quaſt.* 4. & ſi talis habitudo eſt euidens ex terminis erit veritas per ſe nota: ſi verò eſt tantùm euidens per alias propoſitiones per ſe euidentes, erit veritas nota ex alio, cuiuſmodi eſt veritas omnis concluſionis demonſtratæ. Dicitur ergo ſubiectum virtualiter continere huiuſmodi veritates: quia includit eſſentialiter cauſam præciſam, & adæquatam paſſionis demonſtrabilis: & ſic quaſi remotè continet virtualiter habitudinem euidentem huius: *Animal rationale eſt riſibile:* imò ſubiectum propriè virtualiter continet, & non rationale: quia rationale propriè eſt ratio formalis continendi: & ideò ſe habet vt *quo*, ſubiectum verò vt *quod*: & quia euidentia illius immediatę continet immediatè euidentiam concluſionis, ſequitur quòd ſubiectum remotè continet virtualiter euidentiam, ſiue euidentem habitudinem prædicati ad ſubiectum ipſius concluſionis. Et ſic patet quomodo ſubiectum virtualiter continet omnem veritatem illius habitus cuius eſt.

Tertiò præmitto, quòd cùm dicimus, quòd veritates ſcientificæ demonſtrantur de ſubiecto ſcientiæ; non intelligitur quòd demonſtretur ipſa concluſio: quia illa non prædicatur de ſubiecto: nec præcisè intelligitur quòd demonſtretur paſſio de ſubiecto, ſed demonſtratur propriè inhærentia, ſiue habitudo paſſionis ad ſubiectum: non quòd talis habitudo, ſiue inhærentia in ſe demonſtretur de ſubiecto, ſed demonſtratur quòd paſſio dicit neceſſariam habitudinem, ſiue inhærentiam ad ſubiectum propter definitionem ſubiecti: quæ eſt præcisè cauſa talis habitudinis neceſſariæ, ita quòd poſito omni alio, & ſola definitione ſubiecti circunſcripta, nulla eſſet habitudo neceſſaria paſſionis ad ſubiectum: ſed poſita illa, & omni alio circumſcripto, quod non eſt de formali ratione illius eſſet præciſa cauſa talis habitudinis neceſſariæ.

Quartò præmitto, quòd habitus ſcientiæ poteſt dupliciter intelligi. Vno modo pro notitia 6.
concluſionis demonſtratæ. Alio modo pro illa habitudine neceſſaria paſſionis ad ſubiectum. Secundo modo ſubiectum eſt præciſa, & adæquata cauſa illius habitus, ſiue habitudinis neceſſariæ, quâ remotâ, eſſet impoſſibilis talis habitudo neceſſaria, niſi dicatur, quòd intellectus diuinus ſit cauſa: quia omnes termini ſunt præcisè, ſuo modo, producti ab actu intellectus diuini: vt infrà patebit *diſt.* 3. *quaſt.* 4. & *diſt.* 36. 43. & ſic quaſi remotè continet illam conformitatem, & habitudinem. Si tamen ſubiectum eſſet circumſcriptum, talis habitudo nullo modo poſſet haberi, & ſtante ratione ſubiecti, & omni alio remoto, ſtatim poſſet haberi. De habitu verò primo modo, ſcilicet de notitia concluſionis, certum eſt, quòd illa poſſit cauſari à voluntate diuina: ſic tamen intelligendo, quòd non poſſet illam immediatè cauſare in aliquo intellectu, vt ſibi euidentem propter aliud, niſi ſaltem priùs natura cauſaret in illo intellectu notitiam propoſitionis immediatæ, propter quam eſt euidens illi intellectui. Aliud eſt enim cauſare notitiam concluſionis abſolutè; & aliud eſt ipſam cauſare, vt euidentem. Euidentia enim notitiæ eſt ſimpliciter propter euidentiam principiorum. Licèt ergo poſſet illam abſolutè cauſare ſine principiis: non tamen poſſet illam cauſare, vt euidentem ſine eis. Et ideò poſitâ voluntate diuinâ, & circumſcriptâ omni ratione principiorum, & notitiâ eorum, non poſſet cauſari in intellectu noſtro notitia euidens, vt euidens à ſola voluntate diuina: ſed per impoſſibile ipſâ circunſcriptâ, & poſitâ ſola ratione principiorum, & notitiâ eorum, immediatè notitia concluſionis, vt euidens poſſet cauſari: loquendo ſemper de euidentia propter aliud, & de euidentia per diſcurſum ſyllogiſticum, quæ eſt præcisè à tali ſubiecto, & talibus principiis. Quod dico propter intellectum diuinum, qui cognoſcit hanc euidentiſſimè, ſcilicet *homo eſt riſibilis:* ſed nullo modo eſt cauſata, nec eſt ſibi euidens per diſcurſum ſyllogiſticum, vt infrà patet quæſt. pen. quæ eſt, *An Theologia ſit ſcientia:* ſit enim immediatè ſibi euidens ab eſſentia diuina: non enim eſt ſibi euidens

euidens propter euidentiam alicuius principij: quæ omnia benè nota. Ex his ergo patet quomodo subiectum dicitur continere prædicatum, scilicet passionem: & per consequens propositionem immediatam, quæ constat ex definitione, & passione: & per illam mediatam. Similiter patet quomodo dicitur primò, id est, adæquatè continere, vt effectum adæquatum, vt causa adæquata, & huiusmodi, & quo ad notitiam conclusionis euidentem: & quo ad habitudinem necessariam.

7. c *Contra istud arguitur dupliciter.* Hîc Doctor adducit duas instantias, quibus intendit probare, quòd subiectum scientiæ non contineat virtualiter omnes veritates. Prima stat in hoc: quia commune non continet virtualiter veritates inferiorum. Patet, quia continere virtualiter dicit perfectionem in continente: & si continet æquiuocè, dicit simpliciter maiorem perfectionem contento: sed subiectum scientiæ, puta Physicæ, est commune ad omnia contenta in illa scientia. Probatur per simile: sicut se habet obiectum potentiæ ad potentiam, sic se habet obiectum scientiæ ad scientiam: sed obiectum potentiæ est commune ad omnia per se perceptibilia à tali potentia, ergo & subiectum scientiæ erit commune ad omnia considerata in tali scientia.

Secundò arguitur: quia in scientiis assignatur communiter pro subiecto primo aliquod commune, & per consequens tale commune non poterit virtualiter continere passiones inferiorum, sicut nec ipsa inferiora.

d *Respondeo quòd proportio obiecti ad potentiam,* &c. Si enim obiectum comparatur ad actum, est ibi proportio causæ ad effectum: vt verò producit, saltem partialiter actum illum in potentia, est tunc proportio motiui ad mobile. Dicitur enim obiectum mouere potentiam, pro quanto producit aliquid in potentia: & potentia dicitur moueri ab obiecto, pro quanto aliquid recipit ab illo: & quando aliquod agens agit in aliquid passum, quodlibet eiusdem rationis potest agere in tale passum: & similiter quando aliquod passum potest pati ab aliquo, quodlibet eiusdem rationis potest pati ab illo, & etiam pati à quolibet eiusdem rationis cum illo. Exemplum si aliquod visibile potest agere in aliquam potentiam visiuam, quodlibet visibile eiusdem rationis potest similiter agere: & similiter si aliqua potentia nata est pati ab aliquo visibili, quælibet eiusdem rationis nata est pati ab illo visibili, & à quolibet eiusdem rationis cum illo visibili: & sic sequitur quòd prima extrema proportionis actiui ad passiuum, sunt communia ad omnia per se extrema illius proportionis, & hæc propositio prolixiùs est exposita *in 1. dist. 9.* vbi adduxit multas instantias pro maiori declaratione proportionis. vide ibi.

8. In proposito, obiectum ad habitum præcisè se habet vt causa ad effectum, ideò non sequitur quòd si causa communis potest causare aliquem effectum; quòd etiam causa particularis possit illum causare. Et accipit habitum non tantùm pro notitia conclusionis demonstratæ: sed etiam pro illa habitudine necessaria passionis ad subiectum. Non enim sequitur quòd si homo in communi, mediante sua differentia specifica, potest adæquatè causare passionem, & inhærentiam illius ad subiectum, quòd Ioannes possit illam causare: nec similiter sequitur quòd si homo potest causare euidentem notitiam illius conclusionis, quòd Ioannes possit. Patet vt suprà, quia circumscripto omni alio ab homine, stante ratione formali illius hominis, potest causare euidentiam huius, *homo est risibilis*: & posito omni alio, & ipso circumscripto non potest euidenter sciri, vt suprà exposui. Et ideò non valet, inferiora possunt causare notitiam superiorum, ergo habitum scientificum: non sequitur, quia licèt possint causare notitiam incomplexam superiorum, non tamen possunt immediatè causare notitiam complexam, nec euidentem ex terminis, nec euidentem ex præmissis. Patet de euidentibus ex terminis, quia talis euidentia dependet præcisè à rationibus terminorum, vt infrà patet *dist. 2. quæst. 2.* & *dist. 3. quæst. 4.* Licèt ergo notitia terminorum propositionis, immediatè possit causari ab aliquo inferiori, tamen non potest immediatè causari, vt euidens, cùm talis euidentia sit ab illis terminis, qui habent necessariam habitudinem ad inuicem. Hoc idem dico de euidentia conclusionis, positis enim terminis propositionis per se notæ præsentibus alicui intellectui, & circumscripto omni alio, includerent euidentem habitudinem, & euidentem notitiam illius propositionis: sed posito omni alio, & ipsis circumscriptis, non esset intellectui creato propositio euidens. Et similiter dicendum est de euidentia conclusionis. Et ex his patet quomodo Doctor tantùm loquitur de subiecto scientiæ respectu passionum: quas vt causa præcisa, & adæquata continet: & sic commune non continet passiones inferiorum, nec primò, nec per se: nec inferiora continent passiones superiorum primò, licèt contineant per se.

Ad secundum patet: quia subiectum, quod virtualiter continet, &c. comparatur tantùm ad passiones conuertibiles cum illo, quas adæquatè continet. Et licèt ponatur aliquod subiectum commune, puta in Physica, abstractum à pluribus subiectis, illud tamen non ponitur continere passiones subiectorum inferiorum: sed præcisè passiones conuertibiles cum illo. Vnde quot species continentur sub illo, tot scientiæ specificæ possunt haberi: quia quælibet virtualiter continet proprias passiones verè demonstrabiles per definitionem illarum specierum. Sicut ergo ab istis subiectis particularibus, habentibus vnitatem specificam, potest abstrahi vnum subiectum commune, communitate genericâ: ita ab illis scientiis specificis potest abstrahi vna scientia communis, communitate generis: & sic patet ista litera, quam benè pondera. 9.

Et quia multi arguunt contra positionem Doctoris vt clariùs intelligatur, pono aliquas conclusiones Doctoris. Quarum prima est,

Subiectum scientiæ, virtualiter continet prædicatum: Quod est, supple, passio demonstrabilis.

Secunda secundùm aliquos ad mentem Scoti.

Notitia subiecti continet notitiam prædicati, siue passionis: & per consequens continet etiam notitiam propositionis immediatè: & notitia propositionis immediatè continet notitiam conclusionis.

Tertia conclusio:

Deus sub ratione Deitatis est subiectum Theologiæ necessariorum, tam Theologiæ in se, quàm in intellectu beato. Et hoc subiectum (vt primò notum) continet virtualiter veritates Theologicas necessarias. Ad præsens hæ conclusiones sufficiant. Et vide Scotum *in quæst. 3.* Prologi.

Contra

10. *Gregor. de Arim. contra Doct. de continentia virtuali.*

Contra tamen primam conclusionem arguunt multi, & maximè Gregorius de Arimino *in prologo, quæst.* 4. vbi vult, quòd si subiectum continet virtualiter passionem, quòd, secundùm dicta Scoti, sit causa effectiua illius passionis, & per consequens ipsa passio sit alia res à subiecto. Et quòd sic intelligat Scotus, scilicet quòd virtualiter continere, puta *A*, est effectiuè causare illud, dicit Gregorius sic: Item, Scotus manu propria postquam exposuerat quid est primò continere virtualiter, magis hoc ipsum declarans addidit in margine. *Idem*, inquit, *est* A, *vt habitualiter cognitum, continere*, B, *quod est speciem* A *in memoria posse gignere speciem* B, *in intelligentia.* Patet ergo, quòd loquitur in hac materia de continentia virtuali causæ effectiuæ, & sic passio erit simpliciter alia res à subiecto, quod est impossibile, scilicet, quòd subiectum virtualiter contineat huiusmodi passionem realiter distinctam. Et probat.

11. *Expositio.*

Sed antequam respondeam argumentis istius, expono primò, quid intelligat Scotus. Dico primò, quòd si loquamur de propria passione, quæ est talis aptitudo fundata in tali natura, puta risibilitas in homine, quòd illa realiter non distinguitur ab ipsa natura. Et de tali Doctor propriè loquitur. Et cùm dicit Gregorius quòd Doctor dicit in illa quæstione quòd subiectum virtualiter continet huiusmodi passionem. Hoc expresè non dicit, quia dicit Scotus quòd subiectum virtualiter continet prædicatum: quod referri debet, secundùm aliquos Parisienses, quod virtualiter continet notitiam prædicati simplicem, & etiam virtualiter continet notitiam definitionis simplicem, scilicet ex hoc, quod continet essentialiter definitionem, quæ est ratio formalis causandi notitiam distinctam subiecti, quæ notitia distincta est de subiecto secundùm omnes partes essentiales illius: ac per consequens continet virtualiter notitiam propositionis immediatè constitutam ex definitione, & proprietate, ideo Doctor parum infrà addit: *Obiectum autem siue subiectum*, quod idem est, *se habet ad habitum, sicut causa ad effectum.* Et etiam patet hoc ex litera Doctoris in margine, quam adducis: quia species intelligibilis obiecti in memoria causat speciem intelligibilem passionis in intelligentia, siue in ipso intellectu: ergo loquitur Doctor quòd subiectum continet notitiam prædicati virtualiter.

Solutio argumentorum Gregor. contra Scot.

Si modò vis inferre, quòd virtualiter contineat ipsum prædicatum effectiuè, hoc expresè non habetur ibi. Posito tamen quòd Scotus hoc dicat, quòd subiectum continet virtualiter, & effectiuè propriam passionem: Dico primò, quòd hoc verum est de illo subiecto, quod respicit passionem realiter distinctam ab ipso, sed huiusmodi aptitudines non distinguuntur realiter à naturis earum, quæ tamen sunt propriæ passiones. Et quòd sic Doctor intelligat, patet in illa quæstione, vbi expresè dicit, quòd *si proprietates diuinæ*, vtputa bonitas, vel sapientia, *realiter differrent ab essentia, ipsa essentia realiter esset causa earum: ergo sicut differunt ratione, ita essentia de sua ratione habet rationem incausati. Illæ autem proprietates, licèt per identitatem cum essentia sint incausatæ, non tamen secundùm suam rationem formalem primò includunt incausationem sui.* Hæc ille. Et sic patet, quòd quando Scotus loquitur de causa propriè effectiua passionis: loquitur quando illa passio realiter distinguitur ab illo subiecto: cuiusmodi sunt multæ qualitates absolutè, quas Doctor in multis locis nominat proprietates: vt caliditas in tanto gradu est proprietas ignis, causata immediatè à substantia ignis, & realiter distincta: vt patet à Scoto si benè recolo, *in* 4. *distinct.* 12. Et huiusmodi passiones non sunt propriè demonstrabiles de subiecto, sed benè illæ aptitudines, quæ sunt idem realiter cum illo.

Si tamen Gregorius vult quòd omnino Doctor dicat, quòd subiectum continet virtualiter effectiuè ipsam passionem: potest concedi, quòd eo modo, quo passio potest habere esse à subiecto: eo modo causatur ab illo. Sed quia realiter non potest distingui à subiecto: ideò non potest causari ab illo realiter. Quia verò ipsa distinguitur formaliter à subiecto, subiectum habet simpliciter rationem incausati, secundùm suam rationem formalem, & quiditatiuam, & passio habet rationem causati secundùm suam rationem formalem, sed non secundùm suam entitatem realem, cùm sit eadem res realiter cum subiecto. Et hæc est intentio Doctoris, vt patet suprà, vbi dixi de proprietatibus diuinis. 12. *Quomodo subiectum sit causa effectiua passionis, vide Scotum, in* 4. *d.* 2. *q.* 3. *&* 9. *Metaph. quæst.* 14.

Si dicatur, quòd causa effectiua producit aliud, inquantum aliud. Dico primò, quòd illud intelligitur de causa factiua, quæ producit aliud in materiam extrinsecam, non de causa actiua, cuiusmodi est subiectum: quia producit passionem in subiecto. & hæc expositio patet à Doctore in secundo, *dist.* 25. Secundò dico, quòd producere aliud, inquantum aliud, aut reduplicat aliam, & aliam rationem, & sic concedo. Si verò reduplicat aliam & aliam rem, negatur vniuersaliter. Primo modo sensus est, quòd causa producit effectum à se formaliter distinctum: ita quòd ista alietas accipiatur præcisè secundùm rationem formalem: sic quòd alia sit formalitas in subiecto, & alia in passione. Secundo modo sensus est, quòd causa producat aliam rem realiter distinctam. Isto modo negatur vniuersaliter secundùm aliquos: vt patet in primo, *d.* 3. *q.* 7. & si semper producit aliud, hoc non erit vniuersaliter, nisi vbi agens, & patiens, sunt distincta subiecto. Hæc expositio patet à Scoto. Dico tertiò, quòd duplex est causa effectiua: quędam est physicalis, quæ agit per motum, vel mutationem, & talis producit effectum realiter distinctum: quædam est Metaphysicalis, quæ abstrahit à motu, & mutatione: & talis non est necesse quòd habeat effectum realiter distinctum, cuius non esse aliquando præcesserit. Quartò dico, vt aliqui volunt intelligere, quòd subiectum dicitur causa effectiua passionis: accipiendo effectiuam pro pullulatiua. Et illud quod pullulat ab alio: non esse realiter distingui ab illo, vt dicunt ipsi. Hoc idem diceret Scotus quia ipse vult in secundo, *dist.* 16. quòd potentiæ animæ pullulant ab ipsa anima, & tamen sunt idem realiter cum ipsa. 13. *Causa effectiua est duplex. Quomodo potentiæ animæ pullulent ab anima.*

Ex his patet quomodo Gregorius in hac parte non habet mentem Doctoris, & sic argumenta eius non sunt ad propositum. Posito tamen (licèt non ad mentem Scoti) quòd ipsa passio sit alia res à subiecto, & effectiuè causata ab illo: argumenta eius contra hanc positionem nihil concludunt. Arguit enim primò sic: accipiendo lineam rectam, quæ est diuisibilis in duo media, illa diuisibilitas est propria passio lineæ rectæ. Tunc sic: vel est aliqua passio actu existens in ipsa linea, quà 14. *Primum argumentum. Gregorij.*

quâ ipsa linea formaliter est diuisibilis, quæ dicitur diuisibilitas, ita quòd habeat illam diuisibilitatem actu: vel quòd tantùm habeat potentiâ. Non primò, quia tunc Deus posset facere lineam sine diuisibilitate. Non secundò, quia quando linea diuideretur, causaret diuisionem in seipsa, quod est absurdum.

Responsio. Diuisibilitas lineæ est negatio vnionis partium. Certè hæc ratio nullius est vigoris. Primò, quia ipsa diuisibilitas non est aliqua res positiua, sed est tantùm negatio vnionis partium. Patet enim quòd quando linea actu diuiditur quòd nihil nouum aduenit. Posito etiam, quòd sit alia res, dico, quòd est alia res respectiua tantùm. Cùm dicis, ergo Deus potest facere lineam sine ipsa. Negatur consequentia: quia non posset facere aliquod subiectum actu existere, sine relatione, quæ necessitate naturæ consurgit. Sicut non potest facere duo alba sine similitudine: & tamen similitudo est realiter distincta ab illis. Sic dico, quòd stante aliqua linea recta, de necessitate consurgit ista aptitudo ad diuidi. Secundum etiam non sequitur: Si linea est diuisibilis in potentia, ergo causat diuisionem actu in se. Non enim sequitur quòd si aliqua natura causat de necessitate naturæ in se aliquam aptitudinem ad aliquem actum, quòd etiam in se causet actum: hoc enim non est vniuersaliter verum. Nam materia prima causat in se istam aptitudinem, quod est esse informabile à forma, ergo actu informat seipsam. Et similiter natura intellectualis causat in se, in eodem instanti, quo est, aptitudinem ad beatificari, ergo causat in se actum beatificum. Sic in proposito, linea causat in se hanc possibilitatem, quâ posset diuidi, ergo in se causat actualem diuisionem.

15. *Secundũ argumentum.* Secundò arguit ad idem, aut talis diuisio recipitur in linea antequam sit diuisa, aut pòst, aut simul. Dico, quòd ipsa diuisibilitas, quæ est passio lineæ, est primò passio quantitatis continuæ, ita quòd quantitas continua est primò, & per se diuisibilis. Et datâ quacunque quantitate, illa est per se diuisibilis, & non primò. Detur ergo quantitas, *B*. Dico quòd esse diuisibile competit illi per se. Cùm quæritur tunc: Diuisio actualis aut est in ipsa linea ante diuisionem, aut post; aut simul?

Responsio. Respondeo quòd hoc, est nihil dicere: quia talis separatio partis à parte nihil est in se, ideò non oportet quærere in quo recipitur. *Responsio.* Dico secundò, quòd esse diuisum ab alio dicit quendam respectum: ita quòd sunt duo respectus fundati in duabus partibus: ita quòd vnus fundatur in parte *A*, & terminantur ad partem, *B*. & ècontra, & sic ratio nihil concludit.

Tertium argumentum. Item arguit, quia esse annihilabile est passio communis omni creaturæ; ergo si passio est alia res à subiecto, potest Deus facere creaturam absque eo quòd sit annihilabilis.

Responsio. Dico, quòd quando Doctor loquitur de passione, quæ est alia res à subiecto, loquitur de illa, quæ est res, cuiusmodi est visibilitas, annihilabilitas enim nihil est, quia talis relatio terminatur ad nihil. Et huiusmodi relatio, quæ terminatur ad nihil, est nihil, vt patet à Doctore *in 2.d.vlt.& d.*7. Dico secundò, quòd si accipiatur pro aptitudine ad annihilari, non sequitur quòd si talis aptitudo sit realiter distincta, quòd possit facere ipsam rem sine aptitudine tali; quia etsi posset facere absolutum sine alio absoluto, à quo realiter distinguitur, non sequitur quòd possit ipsum facere sine omni respectu, à quo realiter distinguitur, vt suprà patuit.

Item arguit sic: Nulla creatura continet primò aliquam rem virtualiter, ergo nec subiectum passionem. Antecedens patet, quia causa secunda non potest producere aliquam rem, quin & illa causetur etiam à Deo, saltem partialiter. *Quartũ argumentum.*

16. *Responsio.* Dico, quòd hoc nihil est. Non enim Scotus diceret quòd sic continet primò, quòd prima causa non concurrat: sed eo modo quo aliqua causa secunda potest continere aliquid, non excludendo causas superiores. Sic similiter subiectum continet passionem.

Obiectio. Si hîc dicatur: si subiectum continet passionem effectiuè, ergo Deus posset facere passionem sine subiecto, quia potest supplere causalitatem cuiuscunque causæ secundæ, hoc esset fortius argumentum, quàm argumentum Gregorij.

Responsio. Subiectum respectu passionis habet duplicem rationem. Dico, quòd subiectum respectu passionis habet duplicem rationem. Vnam, quòd est causa effectiua illius, nisi impediatur, & præueniatur à prima causa. Aliam, quia est de necessitate receptiuum passionis: & passio habet necessariam habitudinem ad subiectum, tanquam ad receptiuum; sicut & posito quòd album possit causare similitudinem, licèt Deus posset supplere hanc causalitatem: tamen similitudo non posset causari, nisi reciperetur in albo: cùm habeat necessariam habitudinem ad illud, & hoc patet simpliciter à Doctore *in* 4.*d.*11. Et sic patet ex his, quòd etiam posito quòd ipsa passio sit alia res à subiecto (non tamen ad mẽtem Scoti, nec secundùm veritatem) tamen argumenta istius minimè concludunt, essent enim alia argumenta multò efficaciora.

17. *Vltimum.* Vltimò arguit Gregorius, quia sphæricitas est passio, de cœlo & astris demonstrabilis 2.*Cæli.text. c.*22.*&* 48. & tamẽ cœlum non est causa effectiua suę sphæricitatis cùm illa sit æterna, & res æternæ secundùm Aristot. non habent causam agentem.

Responsio. Respondetur primò, quòd subiectum non est propriè causa, vt dixi suprà. Secundò, quòd etiam si ponatur propria causa, non sequitur quòd æternum non habeat propriam causam effectiuam, vt patet à Scoto *in 2.d.*1.*q.*3. & *in* 1. *dist.*8. *quæst.vlt.* etiam ad mentem Aristotelis. Verum est, quòd causa effectiua est in duplici genere. Quædam est, quæ producit aliud per motum, vel per mutationem: & talis non est alicuius æterni: quia *esse* talis producti, de necessitate præcessit *non esse* illius duratione, vt patet à Scoto in secundo. Alia est, quæ producit aliud, non per motum, vel per mutationem: & tale productum potest esse æternum, vt singulariter probat Scotus *in* 1. *d.*8.*q.vlt.* & *in* 2.*d.*1.*q.*3. & alibi. *Causa effectiua est in duplici genere.*

18. Secundò principaliter arguit Alphonsus Toletanus *in prolog. q.6.* probando, quòd subiectum non continet virtualiter prædicatum, siue propriam passionem, sic: quia quandoque prædicatum est perfectius subiecto, sicut patet quando demonstratur, quòd forma substantialis potest informare materiam: & imperfectius non continet virtualiter perfectius. Hæc ille. Sed iudicio meo in hac parte non habet mentem Doctoris, mens enim Scoti est, quòd propria passio demonstrabilis de subiecto contineatur virtualiter in illo: & sic patet quòd propria passio non est forma ipsius materiæ. Et cùm dicit, quòd demonstratur formam substantialem posse informare materiam. Dico, quòd hæc est propria passio materiæ, quòd sit informabilis mediatè, vel immediatè,

In eodem potest esse formarum pluralitas.

forma substantiali. Et dico *mediatè* propter pluralitatem formarum, quæ possunt esse in eodem: vt patet à Scoto *in* 4.*d.* 12. Ista aptitudo, quod est esse informabile, est propria passio materiæ, & demonstrabilis de ipsa, & non forma substantialis, vt patet intuenti. Sicut etiam dicimus quòd esse beatificabile obiecto beatifico, est passio creaturæ rationalis, ergo obiectum beatificum est passio illius: non valet. Similiter esse beatificabile beatitudine formali, est passio ipsius: ergo beatitudo illa, puta fruitio, est passio propriè sumpta, demonstrabilis de subiecto: patet hoc esse falsum, quia quando demonstratur passio de subiecto, demonstratur necessitas inhærentiæ vnius ad aliud: cùm demonstratio propriè sumpta, & à priori, fit de necessariis, saltem de complexis: patet à Scoto in prologo. Sic est in proposito de materia. Hoc idem dico de forma. Nam forma substantialis est apta nata informare materiam: & hæc est passio demonstrabilis de illa, ergo materia est passio ipsius formæ: patet esse falsum, & sic nihil contra Doctorem. Multi etiam alij contra primam conclusionem arguunt: vt Guilelmus Ocham in prologo, *q.*6. & multi alij posteriores: quorum argumenta ex dictis suprà facillimè soluuntur: quia parum, vel minimè discrepant ab argumentis Gregorij & Alphonsi.

19. Contra secundam conclusionem arguit Gregorius, vbi suprà, probando, quòd notitia subiecti non contineat virtualiter notitiam passionis: & sic deinceps, vt dixi in conclusione suprà. Et primò arguit sic: Omnis notitia primò continens virtualiter aliam notitiam, continet primò virtualiter omnem aliam notitiam, sine qua causaliter illa haberi non potest: sed notitia subiecti non sic continet notitiam passionis: patet de multis, quia esse informabile est passio materiæ; esse beatificabile passio rationalis creaturæ; esse risibile passio hominis: & sic de aliis. Istæ sunt passiones connotatiuæ, quia connotant res distinctas à subiecto, vt esse informabile connotat formam distinctam à materia; esse beatificabile connotat beatitudinem, vt rem distinctam à rationali creatura; esse risibile connotat actum ridendi: & sic de aliis. Constat autem quòd notitia materiæ non continet notitiam formæ primò virtualiter: cuius tamen notitia causaliter præexigitur ad notitiam illius passionis. Similiter, nec notitia creaturæ rationalis primò virtualiter continet notitiam beatitudinis: nec notitia hominis actum ridendi. Et hæc omnia probantur, quia nulla notitia vnius rei continet primò virtualiter notitiam alterius: quia aut intuitiua continet intuitiuam: & hoc non, quia per notitiam intuitiuam vnius rei non potest haberi intuitiua alterius rei. Tum, quia multò magis huiusmodi notitiâ potest causari ab ipsamet re, cuius est intuitiua, & per consequens non primò virtualiter continetur à notitia intuitiua alterius. Aut notitia abstractiua vnius continet notitiam intuitiuam alterius: & hoc non, vt patet. Tum, quia abstractiua non potest esse prima, nec per consequens primò continere. Tum, quia multò minùs per abstractiuam vnius rei potest haberi intuitiua alterius, quàm per intuitiuam: & secundum non est possibile, vt probatum est, ergo. Aut intuitiua vnius continet abstractiuam alterius: & hoc non, quia vel abstractiuam communem confusam: & hoc non, quia talis etiam ab alio poterit

Primum argumentum.

causari; vel propriam, & distinctam: & hoc non, quia nulla talis potest haberi, nisi præhabitâ intuitiuâ eiusdem rei. Aut quartò abstractiua vnius continet abstractiuam alterius: & hoc non, propter causas iam dictas, hoc est eorum Achilles contra Scotum.

Respondetur. Sed antequam respondeam, expono conclusionem Doctoris. Conclusio enim nostra secunda potest triplicem habere sensum. Primum, quòd notitia habitualis vnius, continet notitiam habitualem alterius. Et hic sensus est verus, & hoc patet à Scoto vbi suprà. Et per illud quod scripsit in margine manu propria, sic expono conclusionem istam. 20.

Expositio conclusionis Scoti triplicem potest habere sensum.

Subiectum enim propriæ passionis, ex quo continet essentialiter definitionem, potest causare speciem intelligibilem sui, repræsentantem se, & omnia superiora: vel potest causare aliam, & aliam speciem respectu alterius, & alterius superioris: vt satis patet à Doctore *in* 1.*dist.* 3. *quæst.* 1. Similiter dico, quòd respectu propriæ passionis, habet vnam & eandem speciem intelligibilem, repræsentantem ipsam sub ratione obiecti intelligibilis: vel aliam & aliam, causatas tamen ab ipso.

Secundò suppono, quòd notitia habitualis nihil aliud est quàm obiectum in se, vel in specie intelligibili perfectè præsens intellectui: ita quòd obiectum in se perfectè præsens intellectui, & in sua existentia, dicitur notum habitualiter: quia statim intellectus cum illo obiecto, vt duæ causæ partiales, possunt causare cognitionem intuitiuam: & quando illud obiectum in se præsens continet plura alia virtualiter, & perfectè, illa alia contenta per præsentiam obiecti dicuntur nota habitualiter: quia ipsum obiectum partialiter potest causare notitiam intuitiuam illorum, si nata sint cognosci intuitiuè. Similiter, quando obiectum non est præsens in se intellectui, sed in specie intelligibili repræsentante ipsum, dicitur notum habitualiter notitiâ abstractiuâ. Et similiter contenta in illo essentialiter, vel virtualiter perfectè, sunt nota habitualiter notitiâ abstractiuâ, quia talis species vnà cum intellectu, potest causare notitiam abstractiuam, tam obiecti, quàm contentorum essentialiter, vel virtualiter (si tamen illa contenta non habeant proprias species intelligibiles) quia propria species intelligibilis vnà cum intellectu, nata est causare notitiam illius cuius est, vt satis patet à Scoto *in* 1.*d.*3.*q.*6. *& pen. ac.* 17.*d.* 1. Et tamen possumus dicere, quòd notitia habitualis obiecti continet virtualiter notitiam habitualem contentorum: quod est, quando species intelligibilis contentorum dependet ab huiusmodi notitia.

Notitia habitualis quid sit.

Nota tamen, quòd si sumus in statu isto, quòd notitia habitualis contentorum potest dupliciter intelligi; vel propinquâ, vel remotâ. Propinquâ, si species intelligibilis obiecti causat partialiter cum intellectu agente species intelligibiles contentorum virtualiter, vel essentialiter in tali obiecto: & hoc non habeo pro inconuenienti, quòd vna species intelligibilis partialiter possit causare aliam, vt satis patet à Scoto *in* 2. *dist.*9. Remotâ, vt phantasma obiecti vnà cum intellectu agente, potest causare speciem intelligibilem contentorum: tamen priùs causat speciem intelligibilem ipsius obiecti, vt patet à Scoto *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 1. *&* 2. quia causa naturalis producit effectum nobiliorem, quem potest producere. 21.

Notitia habitualis dupliciter intelligitur.

Vna species intelligibilis potest aliam causare.

Obiectum habet duplicem notitiam habitualem.

Sic etiam obiectum habet duplicem notitiam habitualem. Remotam, quando habet esse in phantasia per aliquod phantasma; & propinquam, quando habet esse in intellectu per speciem intelligibilem, ipsum repræsentantem. Hoc patet à Scoto *in 1. dist. 3. quæst. 6.* Et sic sequitur quòd notitia habitualis obiecti continet notitiam habitualem essentialiter contentorum, & etiam virtualiter. Sequitur etiam, quòd si virtualiter continet notitiam illorum habitualem, quòd etiam virtualiter contineat notitiam illorum actualem. Si ergo continet virtualiter notitiam definitionis, & virtualiter notitiam passionis, sequitur, quòd virtualiter continet notitiam propositionis immediatæ, cùm illa dependeat à notitia terminorum, vt ista: *Animal rationale est risibile.* Hæc autem notitia principij continet notitiam conclusionis: & sic sequitur à primo ad vltimum, quòd notitia habitualis obiecti non contineat virtualiter notitiam sui actualem, sed etiam notitiam terminorum: & propositionum, & conclusionum, quæ pertinent ad demonstrationem, per quam demonstrantur passiones de ipso subiecto.

Alius sensus est, quòd notitia actualis subiecti contineat primò virtualiter notitiam actualem passionis, & sic deinceps, vt exposui.

22. Deinde suppono quòd obiectum virtualiter continere notitiam alterius habitualem, vel actualem, potest dupliciter intelligi. Vno modo vt causa totalis: & hoc non, quia nec etiam continet notitiam sui habitualem abstractiuam, nec actualem, quia ad habitualem de necessitate concurrit intellectus agens, vt causa principalis, vt patet à Scoto *in 1. dist. 3. quæst. 6. & quæst. pen.* in secundo *dist. 3. quæst. vlt.* Nec etiam ad actualem abstractiuam concurrit, vt causa totalis: quia concurrit intellectus agens, vel possibilis, vel vterque simul. De intellectu in communi patet à Scoto *in prologo q. 1. d. 3. q. 7. pen. & vlt. primi, in 2. d. 3. q. 10. & 11. & dist. 9.* De vtroque intellectu patet *in Quodl. q. 15.* Si ergo obiectum non continet cognitionem sui habitualem, vt causa totalis (cùm etiam ad huiusmodi cognitionem habitualem possit concurrere Angelus cum phantasmate, & intellectu agente: vt patet à Scoto *in 2. d. 11.*) nec etiam sui actualem, multò minùs continebit cognitionem habitualem, vel actualem aliorum contentorum virtualiter, vel essentialiter, vt causa totalis.

Alius sensus est, quòd obiectum sic continet cognitionem sui habitualem, vel actualem, vt causa partialis, & contentorum in ea virtualiter, quòd ipsa causa partiali non concurrente primò, notitia talis obiecti, nec contentorum virtualiter, & perfectè in illo posset causari, vel haberi ab aliquo intellectu creato: vt satis probaui *in 2. d. 3. q. 10.* glossando ibi Doctorem. Nõ debemus ergo sic intelligere, quòd continens virtualiter notitiam alterius quòd sic contineat, vt causa totalis, vt nulla alia concurrat: sed sic continet partialiter, quòd eius causalitas partialis à nullo possit suppleri, nisi fortè à Deo. Addo etiam, quòd quando est aliqua passio connotatiua, quæ dicit relationem, cuiusmodi est risibilitas, beatificabilitas, informabilitas, tristabilitas, & huiusmodi, non potest haberi nisi præcognoscantur fundamentum, & terminus. Ideò dicit Doctor *in q. 1. prolog.* quòd via naturali non possumus cognoscere relationem ad Deum, sub ratione Deitatis, nisi præcognoscamus ipsam Deitatem. Non vult ergo Doctor quòd obiectum sic contineat virtualiter notitiam alterius, quòd nihil aliud concurrat ab illo: sed sic habet determinatam causalitatem respectu illius, & primò, quòd à nullo potest suppleri, nisi fortè à Deo.

Solutio obiectionis. Gregor. contra Scotum.

Ex his declaratis, intelligendo scilicet quòd notitia habitualis obiecti continet virtualiter notitiam actualem, vel habitualem propriæ passionis, patet quòd totum argumentum Gregorij totaliter ruit, & sequentia: quando dicit, aut cognitio intuitiua continet intuitiuam, &c. Non sunt ad propositum. Patet etiam quando dicit quòd materia non potest causare cognitionẽ formæ, quòd nõ intelligit mentem Doctoris, vt suprà exposui: quia non negamus quòd non possit haberi perfecta cognitio informabilitatis, nisi concurrat ipsa forma: sed benè dicimus quòd ipsa materia sic cõcurrit partialiter ad cognitionem illius proprietatis, quòd à nullo talis causalitas suppleri potest. 23.

Si instaretur (licèt ipse non dicat) ergo forma continet virtualiter partialiter cognitionem illius proprietatis. Conceditur. Ergo sic potest demonstrari illa informabilitas de forma, sicut de materia, & sic de aliis. Negatur consequentia: quia tunc sequeretur, quòd magis posset demonstrari de intellectu cùm principaliùs concurrat. Dico ergo, quòd ad subiectum demonstrationis duo requiruntur. Primò quòd ratio formalis ipsius subiecti, sit ratio continẽdi virtualiter proprietatem. Secundò quòd sit ratio proxima, & formalis recipiendi illam in subiecto, de quo demonstratur. Licèt ergo ratio formalis ipsius formæ, sit ratio cõtinendi virtualiter, partialiter cognitionem illius proprietatis, non tamen illa proprietas potest demonstrari de forma, cùm in forma non sit aliqua ratio proxima recipiendi ipsam in ipsa forma. Et sic patet quòd hoc argumentum quod est Achilles eorum, ac multorum aliorum præcedentium & sequentium: nihil contra Doctorem concludit.

Ad subiectũ demonstrationis requiruntur duo.

Si verò teneatur secundus sensus, scilicet quòd notitia actualis obiecti possit continere virtualiter notitiam alterius actualem. Dico (licèt fortè non ad mentem Scoti, quia verba illius hoc expressè non asserunt) quòd non habet pro inconuenienti, quòd notitia actualis obiecti sub ratione propria & perfectissima contineat virtualiter notitiam proprietatis, &c. ita quòd illa notitia actualis vna cum intellectu potest causare notitiam passionis: loquendo de causalitate competẽte sibi: licèt alia aliqua causalitas concurrat: sicut ad cognitionem huius proprietatis, quæ est informabilitas, concurrit forma, vel notitia ipsius formæ. Et cùm dicis, Aut intuitiua potest causare intuitiuam proprietatis. Dico quòd sic, quia notitia intuitiua subiecti potest causare intuitiuam passionis, sustinendo secundùm mentem Doctoris, & veritatem quòd ipsa passio est eadem res cum subiecto. Et cùm dicis quòd cognitio intuitiua non potest causare aliam intuitiuam, habes hoc probare.

Cùm verò addis quòd illa intuitiua potest haberi ab obiecto intuitiuè cognito. Dico quòd si 24.
accipis obiectum intuitiuè cognitum ipsam passionem seorsum sumptam, hoc non potest dari, cùm sit eadem res, & existentia cum subiecto. Et obiectum inquantum existens, ac præsens propria existentia, vt sic, causat cognitionem intuitiuam: vt patet à Scoto *in 1. dist. 1. & d. 3. in 2. dist. 3. & 9. in 4. dist. 10. & 49. & in quodl. quæst. 13. & alibi.*

Si

Si dicatur hîc (licèt non ipse dicat) sicut notitia intuitiua subiecti potest causare intuitiuam passionis, & passio dicit eandem rem cum subiecto, ergo intuitiua passionis potest causare intuitiuam subiecti. Negatur consequentia, quia licèt sint eadem res, tamen subiectum propriè continet passionem per identitatem, & non ècontra. Sicut essentia diuina, & paternitas per eos etiam, sunt eadem res simpliciter, tamen dicimus, quòd ipsa essentia diuina continet paternitatem,& non ècontra. Sic in proposito. Hoc subtiliter patet à Doctore in primo, in secundo, & in quodlibeto in multis locis.

Dico etiam, quòd posito, quòd passio sit distincta realiter (loquendo de passionibus connotatiuis, quæ includunt relationem; vt beatificabilitas, informabilitas, & huiusmodi) quòd notitia subiecti intuitiua potest causare partialiter, vt suprà exposui, notitiam intuitiuam huiusmodi passionis. Et cùm dicis quòd intuitiua illius passionis, puta informabilitatis potest haberi ab ipsa. Negatur, quia relatio non potest causare cognitionem intuitiuam sui: vt patet à Scoto, in pluribus locis.

Relatio non potest causare cognitionem sui intuitiuã.

Si etiam dicatur (quòd tamen ipse non fortè cogitat) quòd subiectum sicut potest causare cognitionem intuitiuam sui, ita & proprietatis: & sic notitia intuitiua subiecti non causabit notitiam intuitiuam passionis. Dico, quòd hoc non est inconueniens. Possum etiam dicere, quòd immediatè non potest causare, nisi priùs causet intuitiuam sui: vt etiam patet in simili, à Doctore *in d.9.* secundi.

Tertiò possum dicere quòd subiectum non potest causare notitiam intuitiuam passionis nisi mediante intuitiuâ sui. Si loquamur de notitia abstractiua, eodem modo possum dicere, quòd notitia abstractiua subiecti potest partialiter causare abstractiuam passionis. Et hoc non improbat ipse Gregorius, nec improbare posset: & eædem difficultates possent fieri de notitia abstractiua, sicut de intuitiua factæ sunt, & applica ad propositum.

Cùm etiam dicit, quòd intuitiua non potest causare abstractiuam. Hoc credo manifestè falsum: quia aliqua cognitio intuitiua potest partialiter causare intuitiuam sui, & etiam abstractiuam. Sicut etiam essentia Angeli potest partialiter causare in intellectu ipsius cognitionem sui intuitiuam, & abstractiuam: vt patet à Scoto *in 2. dist.* 3. Quod etiam dicit, quòd cognitio abstractiua non potest causare intuitiuam. Verum est, quòd abstractiua alicuius obiecti non potest causare intuitiuam eiusdem obiecti: sed benè potest causare intuitiuam sui ipsius, cùm habeat propriam existentiam in intellectu. Idem dico, quòd intuitiua alicuius obiecti fortè non potest causare abstractiuam illius, sed benè respectu sui ipsius, potest causare abstractiuam & intuitiuam, vt dixi suprà, in simili per Scotum de essentia Angeli. Et sic patet solutio istius argumenti, quod tamen videbatur insolubile.

25. Secundò principaliter arguit probando, quòd notitia subiecti non contineat virtualiter passionis notitiam: & dat duo exempla, quia posse causare calorem in corpore illuminabili, & calefactibili est passio corporis radiosi. Secundum, esse purgatiuum choleræ est passio reubarbari. Et addit, quòd quælibet harum est immediata, scilicet, omne radiosum est calefactiuum, & omne reubarbarum est purgatiuum choleræ, & tamen notitia corporis radiosi non continet primò notitiam passionis, quia non continet primò notitiam calorum. Similiter notitia reubarbari non continet primò notitiam choleræ, ergo nec passionem illius. Respondetur (licèt sit responsum suprà.) Eodem enim modo potest responderi, vel loquendo de notitia habituali obiecti; vel etiam de notitia actuali ipsius: & eodem modo dicatur sicut ad primum argumentum. Posset tamen addi, quòd si passio subiecti est quid absolutum: vt puta purgatiuum choleræ, notitia ipsius passionis non dependet à notitia choleræ, vel à cholera: patet in simili. Est aliqua albedo verè causata à causa effectiua, ergo non potest cognosci in se: vel ipsa albedo non potest causare cognitionem sui absolutam in aliquo intellectu, nisi concurrat causa illius albedinis? Non sequitur. Potest enim absolutè causare partialiter notitiam sui, aliter sequeretur, quòd nullum ens creatum posset causare cognitionem sui, nisi simul, vel priùs causaretur cognitio cuiuscunque causæ: & sic oportet simul, vel priùs cognoscere Deum in se, &c. Sic dico in proposito. Et hoc est, quia notitia albedinis, non dependet essentialiter à notitia suæ causæ.

Dico etiam quòd licèt cognitio choleræ prærequiratur ad cognitionem passionis reubarbari, ergo tunc sequitur, quòd notitia reubarbari non continet virtualiter notitiam passionis: nisi etiam contineat virtualiter notitiam choleræ: patet hoc esse falsum, quia ista possunt esse duo ordinati effectus: puta notitia choleræ, & notitia passionis reubarbari, à diuersis tamen causis. Et sic patet quòd notitia subiecti si continet notitiam passionis reubarbari, ex hoc non sequitur, quòd virtualiter contineat notitiam choleræ, sed solùm sequitur quòd non præhabitâ notitiâ choleræ, non potest immediatè habere notitiam passionis reubarbari perfectam: & patet in exemplo pro statu isto: quia intellectus agens non potest immediatè causare speciem intelligibilem alicuius obiecti, quam tamen habet in virtute sua cũ phantasmate: vt patet à Doctore in 1. *d.* 3. *q. pen.* & *in* 3. *d.* 8. ergo continet etiam virtualiter speciem sensibilem exteriorem illius obiecti? Non sequitur: quia species sensibilis tantum præexigitur, vt effectus prior, qui est alterius causæ, ad effectum posteriorem, qui est alterius causæ. Similiter species intelligibilis, puta albedinis, continet virtualiter notitiam illius vnà cum intellectu agente, vel possibili, quæ tamen non potest haberi, nisi præhabeatur actus phantasiæ, quia oportet intelligentem phantasmata speculari 3. *de Anima.* ergo sequitur, quòd species intelligibilis, vel quòd notitia obiecti, quæ non potest haberi sine actu phantasiæ, quòd contineat virtualiter notitiam illam phantasticam. Hæc etiam responsio potest applicari ad primum argumentũ. 26. *Context.*

Et quod dicit iste Doctor quòd istæ propositiones sunt immediatæ, scilicet omne radiosum est calefactiuum: & omne reubarbarum est purgatiuum choleræ, habet probare. Aut enim sunt notæ per se ex notitia distincta terminorum, aut confusa: sed nec sic, nec sic, ergo. Nam si distinctè cognoscatur reubarbarum sub ratione propria, definitio reubarbari erit immediata causa ipsius passionis reubarbari, & sic per definitionem reubarbari poterit demonstrari purgatiuum 27.

cholerę esse passionem reubarbari. Hoc idem dico de corpore radioso: nec etiam sunt per se notæ, terminis confusè conceptis: quia apprehensis terminis immediatè intellectus non assentit huic: nisi velis dicere, quòd propositio immediata sit duplex, scilicet quædam est immediata per experientiam, & quo ad sensum:

Duplex est propositio immediata, vel per se nota.

& hoc modo istæ possunt dici immediatæ. Et similiter hæc erit immediata: *ignis est calefactiuus:* quia notum est per experientiam, quòd semper ignis calefacit apposito calefactibili: sed non sequitur modò, sunt notæ per sensum, vel per experientiam, & immediatè: ergo sunt simpliciter,& absolutè immediatè: negatur ista consequentia: quia quo ad sensum aliquod prædicatum est immediatum de aliquo subiecto, quod simpliciter tamen inhæret illi subiecto per rationem formalem illius subiecti, vel per aliquid aliud.

Tertiò principaliter arguit sic: quia si notitia subiecti continet virtualiter notitiam passionis, sequitur, quòd notitia Solis continet virtualiter notitiam huius passionis Solis, quod est esse calefactiuum, quod videtur falsum: quia notitia calefactiui dependet à notitia caloris. Addit etiam multa alia, quę idem concludunt, & omnia argumenta facta contra conclusionem potuissent fieri vnico argumento: & per dicta superiùs patet responsio ad illa argumenta, & similia.

28. Contra eandem conclusionem arguunt Ocham in prolo. & Alfonsus Toletanus in prolo. quæ argumenta eodem modo soluuntur, sicut & argumenta Gregorij, licèt aliqua pauca verba addant, quæ tamen non requirunt specialem solutionem: sicut quòd Luna sit eclipsabilis. Nam notitia Lunæ non continet virtualiter notitiam passionis: quæ est esse eclipsabile: quia etiam contineret virtualiter notitiam terræ: quia Luna eclipsatur per interpositionem terræ inter Solem, & Lunam: & sic patet quomodo eodem modo soluitur hoc argumentum. Deinde ipse Gregorius arguit contra particulas secundæ conclusionis. Et primò probat, quòd notitia passionis, & notitia subiecti non sint, vel non contineant virtualiter notitiam propositionis immediatæ. Et dat exemplum de multis propositionibus, quæ sumuntur per viam sensus, vt ista, omne reubarbarum purgat choleram, & constat quòd quis potest habere notitiam incomplexam, distinctá de reubarbaro,& de cholera: etiam,& de eo, quòd est purgare, qui tamen non cognosceret, quòd omne reubarbarum est purgatiuum cholerę. Et licèt nouerit quòd hoc singulare reubarbarum est purgatiuum choleræ, & illud, & illud: & sic de pluribus. Ad habendam tamen notitiam vniuersalem, quòd omne reubarbarum,&c. necessariò requiritur quædam alia notitia vniuersalis non causata ab illis singularibus, qualis est secundùm aliquos, si aliquod absolutum, vel proprietas consequens absolutum competit alicui indiuiduo: cuilibet indiuiduo eiusdem rationis potest aliquod simile competere.

29. *Responsio.* Respondeo, & dico primò, quòd cùm ipse dicit quòd hæc, *Omne reubarbarum est purgatiuum cholera*, est immediata, hoc habet probare, quia purgatiuum choleræ est demonstrabile de reubarbaro, per rationes formales reubarbari. Et quòd dicit, quòd non omnis propositio immediata est per se nota; si intendit de immediatione

Propositio immediata dupliciter.

causæ, negatur ista: quia hæc, quia *Animal rationale est risibile*, est immediata immediatione causæ. Cùm autem rationale sit immediata causa risibilitatis: hæc erit (scilicet *Animal rationale est risibile)* per se nota. Si verò intelligat immediatione subiecti, cuiusmodi est ista, *omnis homo est risibilis:* quia homo est immediatum subiectum risibilitatis: talis est verè demonstrabilis per rationem subiecti: non habet, nec est per se nota. Et si intelligat, quòd hæc, *omne reubarbarum*,&c. est immediata immediatione causæ, hoc habet probare. Et supposito quòd sit immediata immediatione causæ: habet probare, quòd non sit per se nota. Nam apud Scotum *d.2.q.2.* primi, esset per se nota. Supposito etiam quòd sit immediata immediatione causæ, tunc dico quòd notitia talis tantùm dependet à notitia terminorum. Et cùm dicit, quòd præsupponit aliam notitiam alterius propositionis. Dico, quòd notitia propositionis vniuersalis præsupponit notitiam terminorum in vniuersali: quæ tamen sumitur ex multis particularibus, & notis per experientiam. Nam via sensus primò cognoscimus hoc singulare quod est, *hoc reubarbarum esse purgatiuum cholera: & hoc, & hoc:* & sic de aliis: & tandem concludimus simile de omnibus: & habitâ notitiâ in vniuersali, quòd omne reubarbarum,&c. quæ est sumpta per multa experimenta: tunc intellectus si habet illam propositionem immediatam cognitis terminis illius, statim cognoscit illam: quia notitia propositionis immediatæ immediatione causæ tantùm, dependet à notitia terminorum. Non sequitur, ergo notitia subiecti, & prædicati non continet notitiam propositionis immediatæ. Negatur consequentia, vt suprà patuit. Si verò hæc, *omne reubarbarum*,&c. est immediata immediatione subiecti: patet quòd non cognoscitur cognitis terminis, sed est demonstrabilis per alias propositiones immediatas: & hic est processus quem facit Aristoteles primo Metaph. in primo Physicor. in secundo Poster. Nam priùs procedimus per viam sensus à multis particularibus ad vniuersale, & deinde procedimus à priori, à causa ad effectum, licèt tamen hoc totum argumentum vnico verbo solui posset, quia quando Doctor dicit quòd notitia subiecti continet notitiam prædicati, per consequens notitiam propositionis immediatæ, loquitur de notitia habituali subiecti: vt dictum est suprà. Si etiam loquatur de actuali, patet quòd nihil concludit ex superiùs habitis.

Deinde ipse Gregorius arguit contra vnum, 30.
quod Doctor non dicit. Probat enim Gregorius quòd vnum principium nō continet aliud eiusdē demonstrationis, sic: Notitia vnius principij non continet notitiam alterius principij in eadem demonstratione. Sed hoc Doctor non dicit: sed solùm dicit, quòd subiectum continet prædicatum: & sic continet propositionem immediatam, & immediata continet conclusionem, non autem dicit, quòd vna immediata contineat aliam. Vult enim Doctor quòd propositio immediata sit per se nota, cuiusmodi sunt duæ præmissæ in demonstratione potissima: & omnis propositio per se nota, est nota ex notitia terminorum.

Deinde Gregorius arguit quo ad illam particulam, quòd notitia subiecti non continet primò virtualiter propositiones immediatas: ergo nec conclusionem. Patet consequentia, quia propositiones immediatæ continent virtualiter conclusionem, etiam secundùm Scotum: igitur, vel ipsæ præmissæ

præmissæ continent primò virtualiter conclusionem: & si sic, igitur subiectum non continet primò: cùm secundùm Scotum, standum sit in tali ordine cognoscendi ad vnum primum; vel non continent primò, & tunc deducitur eorum continentia in aliud: aut igitur in aliud à subiecto, & habetur propositum, scilicet, quòd subiectum non primò continet, vel reducitur in subiectum: & tunc sequitur, quòd subiectum continet primò propositiones immediatas, quod non est verum. Tum quia subiectum principij non continet primò passionem, vt patet ex prima conclusione. Nec notitia subiecti notitiam passionis, vt patet ex secunda: igitur nec notitiam principij, cùm notitia principij non possit sine notitia subiecti, & prędicati haberi, & multa alia verba dicit.

Respondetur breuiter, quòd notitia subiecti habitualis, vel etiam actualis, tenendo secundam viam, continet primò, & virtualiter notitiam propositionum immediatarum, & vltimò continet notitiam conclusionum. Et sic concedo, quòd continentia propositionis immediatæ reducitur ad subiectum, quod primò continet. Et quod dicit, quòd subiectum principij non primò continet passionem, nec notitia subiecti notitiam passionis. Hæc omnia sunt manifestè falsa: vt suprà patuit.

31. *Vltimum argumentum.* Deinde sic arguit: Si quodlibet subiectum continet primò virtualiter omnem veritatem scientiæ, igitur, vel continet primò notitiam cuiuslibet causæ, vel effectûs, per quam conclusio demonstratur: vel nulla scientia haberetur per causam, vel effectum. *Responsio.* Dico, quòd virtualiter continet notitiam passionis, tanquam effectum: & notitiam propositionum immediatarum, tanquam causam: & illæ notitiæ, notitiam conclusionis. Et quod dicit ipse, quòd nec res creata continet primò virtualiter primam notitiam alterius rei, puta notitiam incomplexam, vnde nec notitia causæ continet primò notitiam effectûs, nec è contra. Alioquin ad omnia cognoscenda producibilia à Sole, sufficeret notitia incomplexa Solis, quod est falsum. Hoc idem argumentum facit Gul. Ocham in prologo, ac alij multi.

Dico, quòd habet probare hoc, quòd notitia causæ non contineat virtualiter notitiam alicuius effectûs: maximè, quando talis causa est sic præcisa, & adæquata, quòd est impossibile ipsum effectum fieri ab alio, non concurrente tali causa, saltem in ratione subiecti: & vltrà quando talis effectus est sic conuertibilis cum causa, quòd est impossibile ipsum effectum alteri inhærere, quàm suæ causæ, sicut est in proposito. Passio enim subiecti demonstrabilis de illo, sic necessariò dependet à subiecto, quòd est impossibile ipsam esse sine subiecto, vt suprà dixi: & adæquatè conuertitur cum illo: & de necessitate inhæret illi, & fluit à principiis illius subiecti: & maximè, quia nos tenemus, quòd ipsa sit idem realiter cum subiecto. Et posito etiam quòd distingueretur realiter, vt dixi suprà, adhuc sic conuertibiliter inhæreret subiecto, quòd est impossibile ipsam esse sine subiecto, & non inhærere illi: & sic patet, quòd inconueniens adductum de Sole nullius est vigoris: quia effectus productus à Sole extra, nec inhæret sibi, nec conuertitur cum illo: nec sic præcisè, & adæquatè est à Sole, quin possit fieri saltem à causa prima, non concurrente Sole, nec in ratione causæ, neque in ratione subiecti, nec est idem realiter cum ipso Sole. Si verò diceretur, quòd posse sic, vel sic producere est passio Solis. Admittatur, & tunc dico, quòd notitia Solis distincta virtualiter contineret notitiam illius passionis: & multa alia Greg. dicit contra istam conclusionem, quæ breuitatis causâ transeo: cùm ex superiùs habitis facillimè solui possint.

SCHOLIVM.

Deum esse subiectum primum Theologiæ in se, quoad veritates necessarias, probatur primò; quia continet virtualiter omnes veritates illius, & nihil aliud continet eas. Secundò, hæc scientia tradit de iis, quæ soli Deo sunt naturaliter nota, sed solus Deus est huiusmodi. Tertiò, in nulla scientia traditur ita distincta notitia de Deo, sicut in ista; ergo est de Deo, vel datur alia superior scientia de ipso. Addit quatuor persuasiones ad idem.

EX dictis [a] patet responsio ad primam quæstionem. Et primò loquendo de Theologia in se quantum ad veritates necessarias ipsius, dico quòd primum subiectum Theologiæ in se, non potest esse, nisi Deus, quod probo per tres rationes. Prima accipitur ex ratione primi obiecti, & arguo sic: Primum obiectum continet virtualiter omnes veritates illius habitus, cuius est primum obiectum: sed nihil continet virtualiter omnes veritates Theologicas, nisi Deus: ergo, &c. Probatio minoris; nihil aliud continet eas, vt causa, siue vt illud ad quod habeant attributionem, nisi Deus, quia Deus nulli attribuitur: nec aliquid continet eas, vt effectus *demonstratione quia*. Nam nullus effectus demonstrat Deum trinum, quæ est potissima veritas Theologica, & similia. 7. *Prima ratio. Vide infrà d. 3. q. 1. & d. 7. q. 1. Deus est obiectũ Theologia in se.*

Secundò sic [b] Theologia est de his, quæ sunt soli intellectui diuino naturaliter cognita: ergo est de aliquo soli Deo naturaliter noto: sed solus Deus est sibi soli naturaliter notus: ergo, &c. Probatio primi, scilicet antecedentis: Si ista scientia est de aliquibus alicui alij intellectui naturaliter notis, ergo præter ista aliqua alia sunt cognoscibilia naturaliter soli intellectui diuino: quia infinitus est, & ideò plurium cognoscitiuus quàm intellectus finitus: igitur adhuc alia scientia est superior, quàm ista, quæ erit de naturaliter notis intellectui creato. Probatio minoris; quia omnis essentia creata alicui intellectui creato potest esse naturaliter nota. *Secunda ratio, non est contra 2. d. 3. q. 9. quia species distinctè Deum repræsentans nõ esset Angelo naturalis.*

Tertiò sic [c], in nulla scientia traditur ita distincta cognitio de aliquo alio, quod non *Tertia ratio.*

est subiectum eius primum, sicut traditur in illa, quæ esset de illo, vt de subiecto eius primo: quia in nulla scientia traditur ita distincta cognitio de non per se subiecto, sicut de per se eius subiecto; tunc enim non esset ratio, quare illud subiectum esset magis subiectum eius, quàm aliud: igitur si Deus non sic hîc subiectum, tunc non traditur ita distincta cognitio de Deo, sicut traderetur de eo in aliqua alia, in qua posset esse subiectum. Sed potest esse subiectum in alia scientia; igitur illa potest esse prior istâ.

8. *Quatuor persuasiones ex creditis.* *Sapientia de increatis, scientia de creatis.* *Theologia in primo est de increatis, in secundo de creatis, in tertio de vtrisque, in quarto, de signis.* *De vtraque portione agit 2.d. 24. & 3.d. 15.* *De obiecto fidei 3.d. 23.*

Præter autem [d] istas tres rationes, sunt aliquæ persuasiones. Prima talis est: Theologia secundùm August. 13. *de Trinit. cap.* 19. pro aliqua parte sui, est sapientia; pro aliqua parte sui, est scientia: si autem esset tantùm de aliquo non æterno formaliter, de illo esset formaliter scientia, & non sapientia aliquo modo: quia nec ex primo subiecto, nec ex attributione, quia æterna non attribuuntur temporalibus.

Secunda persuasio, quia superior portio rationis habet aliquam perfectionem propriam sibi correspondentem: ista autem (si est de subiecto non æterno, vt de primo subiecto, cùm æternum non attribuatur ad non æternum) sequitur, quòd nullo modo est de æternis: & ita nullo modo perficit portionem superiorem rationis, & ita esset aliquis habitus intellectus omnino nobilior isto, perficiens istam portionem, quod est inconueniens.

Tertia persuasio [e] est; quia secundùm beatum Augustinum 14. *de Trinit. cap.* 1. *&* 4. ista scientia est de illis quibus fides gignitur, defenditur, & roboratur: ergo est de illo eodem subiecto, quod est primum subiectum fidei; sed fides est de veritate prima: ergo. Quarta persuasio est, quia nobilissima scientia est circa nobilissimum genus: *ex 6. Metaphysicæ, & primo de Anima:* hæc autem conceditur nobilissima: ergo oportet quòd sit de Deo, vt de subiecto.

Text. 1. Text. 2.

COMMENTARIVS.

1. a EX *dictis patet responsio ad primam quæst.* Hîc Doctor ponit vnam conclusionem, videlicet quòd Theologiæ in se respectu necessariorum, solus Deus est subiectum. Et primò probat per definitionem subiecti: Continens virtualiter omnes veritates Theologicas, & necessarias est subiectum Theologiæ in se, respectu necessariorum: sed Deus est huiusmodi, ergo. Maior patet per definitionem subiecti positam in secundo articulo. Probatio minoris: quia nihil aliud à Deo continet illas veritates, nec vt causa, nec vt illud, ad quid habeant attributionem. Primum patet: quia nihil aliud à Deo potest causare notitiam veritatis Theologicæ necessariæ, vt puta istius, *Deus est trinus, & vnus:* quia si virtualiter contineret talem veritatem, siue notitiam, etiam virtualiter contineret entitatem, de qua est talis notitia: vt patet à Doctore infrà *d.* 3. *quæst.* 1. & *d.* 8. *quæst.* 1. & *in* 2. *d.* 3. *quæst.* 9. Quia continens virtualiter notitiam alicuius, virtualiter etiam continet entitatem illius. Et vide ibi bonam glossam. Patet ergo quòd nihil aliud à Deo virtualiter continet notitiam veritatis necessariæ Theologicæ. Secundum probat Doctor in litera, scilicet quòd nec continet per attributionem: & patet. Nam si veritas huius propositionis, *Deus est trinus, & vnus*, haberet attributionem ad aliquid aliud à Deo, sequeretur, quòd etiam ipse Deus verè attribueretur alteri, quod est falsum.

Continens virtualiter notitiam continet entitatem.

Nec alind contineat eas, vt effectus demonstratione quia. Quia aliquis posset dicere, quòd per notitiam alicuius effectûs possumus deuenire in cognitionem veritatis Theologicæ necessariæ. Sed hoc excludit, dicens quòd nullus effectus demonstrat Deum trinum. Et hoc diffusè declaratum est suprà, *quæst.* 1.

2. *Difficultas* 1. Sed in ista litera oriuntur duæ difficultates. Prima circa hoc quod dicit, quòd nihil aliud, vt causa continet veritatem necessariam Theologicam. Contrà: quia ipse vult in secundo *dist.* 3. *quæst.* 9. quòd Angelus habens speciem intelligibilem Deitatis, potest causare notitiam ipsius Deitatis. Et vltrà, potens cognoscere Deitatem distinctè, potest cognoscere veritates necessarias de Deo, vt patet ab ipso, *hîc & quæst.* 1. *& infrà d.* 2. ergo.

Dico, quòd Doctor negat quòd aliquid aliud à Deo via naturali possit cognoscere Deitatem sub ratione Deitatis. Et quando dicis, quòd habens speciem, &c. Dico quòd talis species est supernaturaliter causata, vt patet à Doctore *in* 2. *d.* 3. *quæst.* 9. Sed hæc responsio non videtur euacuare difficultatem: quia licèt talis species supernaturaliter causata sit: tamen ipsa naturaliter agit, vt patet à Doctore in simili, in pluribus locis: & sic intellectus Angeli cum specie, quæ est aliud à Deo, videtur virtualiter continere veritatem Theologicam necessariam: & sic vt causa. Dico, quòd voluntas diuina causando talem speciem, supplet vicem obiecti Theologici: quia nisi talis species causaretur, esset impossibile intellectum Angeli naturaliter cognoscere Deum distinctè. *Responsio.*

Secunda difficultas est in hoc quod dicit, quòd effectus non demonstrat. Nam per effectum deuenimus in cognitionem plurium veritatum necessariorum de Deo: patet, quia per effectum demonstramus primam causam esse: & ipsam esse necesse esse: & esse summum ens: & esse simpliciter independentem: & omnes istæ veritates sunt necessariæ. 3. *Difficultas* 2.

Ad hoc dico, quòd veritates necessariæ, quæ sunt de Deo, non possunt sciri per aliquem effectum: ex quo enim per effectum non possumus cognoscere Deum distinctè, sequitur, quòd nec etiam prædicatum, competens ei necessariò, potest cognosci. Et cùm dicitur de prima causa, &c. Dico, quòd benè demonstratione *quia*, & per effectum possumus cognoscere, quòd aliquod ens *Responsio.* *Per nullum effectum possumus distinctè Deum cognoscere.*

ens est summum: vel, quòd aliquod ens est prima causa: vel quòd aliquod ens est necesse esse, vel independens: sed quid sit illud ens in se, naturaliter non potest cognosci.

b Secunda ratio est ibi: *Secundò sic.* Hæc ratio est satis euidens: sed est ponderanda. Hæc ratio concludit Theologo, qui habet concedere, quòd multa in Theologia considerantur, quæ nullo modo possunt esse intellectui creato naturaliter nota: vt ly *naturaliter* distinguitur contra *supernaturaliter*: quia prima substantia à nullo intellectu creato potest cognosci distinctè, quo ad eius proprietates incomplexas: vt probat Doctor in quodlibet. *quæst.* 14. *art.* 2. & patebit etiam infrà *d.* 3. *quæst.* 1. Et si ista Theologica fiant intellectui creato nota, hoc erit tantùm per reuelationem. Concludit etiam ex hoc: quia obiectum Theologicum respectu intellectus diuini naturaliter est motiuum illius: & est impossibile ipsum mouere naturaliter intellectum creatum: sed si mouet, tantùm voluntariè mouet: vt patet à Doctore *in Quodlib. quæst.* 14. & ideò Theologia in se, & in intellectu diuino, est de aliquibus, quæ soli intellectui diuino sunt naturaliter nota: & si aliqua soli illi intellectui sunt naturaliter nota, erit subiectum illius scientiæ, cùm sit perfectissimum consideratum in tali scientia; & sic erit de Deo, vt de subiecto. Dicit ergo sic: Primò, quòd Theologia, supple in se, est de his rebus, quæ soli Deo sunt naturaliter notæ: patet ista, quia ex quo cognitio Theologica est suprema cognitio, & supernaturalis, respectu omnis intellectûs creati, sequitur, quòd erit de aliquo obiecto intellectui creato non naturaliter noto; ergo erit de obiecto soli intellectui increato naturaliter noto. Et probatio in litera clara est. Addit Doctor: *Sed solus Deus est sibi naturaliter notus*: vt satis patet *in quæst.* 1. *& in dist.* 39. *& in Quodlib. quæst.* 14. Tertia ratio est ibi.

Obiectum Theologiæ est obiectum motiuum intellectus diuini.

Quæ sit Theologia in se.

c *Tertiò sic:* & deducit ista ratio ad hoc inconueniens: scilicet quòd si Deus nō esset subiectum Theologiæ in se, esset subiectum in alia scientia: patet, quia solus Deus est sibi naturaliter notus: & multæ proprietates de solo Deo verificantur. Et sic ista scientia esset semper Theologia in se, quod est falsum. Quòd autem esset superior, patet, quia subiectum quod est Deus, est simpliciter nobilius. 4.

Si dicatur, quòd quamuis non sit subiectum Theologiæ in se, tamen notitia de Deo traditur in Theologia in se. Contra hoc arguit Doctor, quia cognitio subiecti in aliqua scientia est magis distincta, quàm cognitio alterius considerati in illa scientia, quod non est primò subiectum illius. Hoc patet, quia ex quo subiectum, vel notitia subiecti, virtualiter continet notitiam cuiuscunque considerati in illa scientia: sequitur, quòd cognitio subiecti erit distinctior: & sic patet litera.

d *Præter autem istas tres rationes.* Deinde Doctor probat intentum principale per quasdam persuasiones. Et prima satis clara est. Et quod dicit, quòd Theologia pro aliqua parte sui est sapientia; verum est, vt cognitio Theologica est de æternis: & pro aliqua parte sui est scientia: & hoc verum est, vt est cognitio temporalium: etiam, vt habent attributionem ad æterna.

Quomodo Theologia pro aliqua parte sui est sapientia, & scientia.

Secunda persuasio. Quod dicit de portione superiori, &c. Nam perfectio portionis superioris in intellectu est cognitio æternorum: quia intellectus dicitur portio superior, strictè loquendo, inquantum respicit æterna. De hoc vide diffusè in Doctore *in* 2. *dist.* 24. *& in* 3. *dist.* 15. & litera patet.

Portio superior.

e *Tertia persuasio est hæc.* Persuasio ex hoc tenet, quia fides habet Deum sub ratione Deitatis pro obiecto: vt probat Doctor *in* 3. *dist.* 22. cætera patent.

Fides habet Deum sub ratione Deitatis pro obiecto.

SCHOLIVM.

Quoad secundam quæst. num. 3. *impugnat sententiam asserentem Deum, quà ens infinitum, vel necesse esse, vel quid simile, esse subiectum Theologiæ: quia sequeretur, quòd naturaliter sciremus omnia Theologica. Secundò, nihil esset soli Deo naturaliter notum. Refutat etiam aliam sententiam tenentem Deum sub ratione attributali, esse subiectum, tribus rationibus. Item, aliis tribus reiicit asserentes Deum esse obiectum Theologiæ, per respectum ad extrà, vt reparatoris, vel gubernatoris. Concludit Deum non sub ratione vniuersali, attributali, vel respectiuâ, sed, quà hæc essentia, esse obiectum Theologiæ.*

EX his [a] dictis respondeo ad secundam quæstionem. Ad intellectum cuius pono exemplum. Homo intelligitur, vt animal rationale, vt substantia, vt mansuetum natura, vt nobilissimum animalium. In primo intellectu intelligitur secundùm rationem quiditatiuam propriam; in secundo in communi; in tertio per accidens, id est, in propria passione: in quarto in respectu ad aliud. Sed perfectissima notitia de homine non potest esse in respectu ad aliud, quia ista præsupponit notitiam absoluti: nec de homine sub ratione passionis, quia notitia passionis præsupponit notitiam subiecti: nec de homine in vniuersali, quia illa est confusa: ergo nobilissima cognitio de homine est secundùm rationem quiditatiuam. Ita etiam posset poni aliqua scientia de Deo sub ratione respectus ad extrà, vt aliqui ponunt sub ratione *reparatoris*, vel *gubernatoris*, vel *capitis Ecclesiæ*. Vel posset poni de Deo sub aliqua ratione attributali, quæ est, quasi passio, sicut aliqui ponunt de Deo hanc scientiam esse sub ratione boni. Vel posset poni de Deo sub ratione communi, & vniuersali, vt *entis*, vel *entis infiniti*, vel *necesse esse*, vel alicuius talis. 9.

a Ægid. Rom. quodlib. 3. q. 2. Var. lib. 1. in prolog. q. 6.

Henr. in summa.

Contra istas omnes positiones arguitur: & primò arguitur contra istam de ratione communi. Nullus conceptus communis de Deo continet virtualiter omnes veritates propriè 10.

Impugnatio rationis Henr.

propriè Theologicas, pertinentes ad pluralitatem personarum. Nam si sic; cùm illi conceptus communes naturaliter concipiantur à nobis; ergo propositiones immediatæ de illis conceptibus possent à nobis naturaliter concipi, vel intelligi: & per illas propositiones immediatas, possemus scire conclusiones, & ita totam Theologiam naturaliter acquirere. Secundò [b], quia ex quo conceptus communes, non sunt soli Deo naturaliter noti; ergo nec veritates inclusæ in illis communibus conceptibus, de quibus est Theologia: ergo si esset de Deo sub ratione tali communi, non esset soli Deo naturaliter nota; cuius oppositum ostensum est in prima quæstione.

Impugnatio rationis Varronis. Text.c.4. & inde.

Contra [c] aliam positionem de ratione attributali, posset argui per easdem rationes. Sed adhuc arguo [d] per alias speciales. Primò, quia cognitio eius *quod quid est*, est perfectissima, vt dicit Philosophus 7. *Metaph.* ergo cognitio illius essentiæ est perfectior cognitio, quàm cognitio proprietatis attributalis, quæ se habet quasi passio huius naturæ, secundùm Damascenum *lib.* 1.*cap.*5.

Secundò [e] quia si illæ proprietates realiter differrent ab essentia, essentia esset realiter causa ipsarum: ergo sicut differunt ratione, ita essentia de sua ratione habet rationem incausati. Illæ autem, licèt per identitatem cum essentia sint incausatæ, non tamen secundùm suam rationem formalem primò includunt incausationem sui.

Respondet tacitè obiectioni Hēr. de quo 1.*d.* 8.*q.pen.* & *quodlib.*1.

Tertiò [f], quia illud secundùm suam propriam rationem videtur esse actualius in se, cui magis repugnat communicabilitas ad plura *ad extrà*; sed essentiæ repugnat communicabilitas ad plura *ad extrà*, & nulli proprietati attributali, nisi quatenus est illius essentiæ, vel idem illi essentiæ, inquantum infinitæ. Si verò dicatur [g], quòd quælibet proprietas est infinita, & ideò incommunicabilis propter infinitatem; Contrà, infinitas ista est in eis propter identitatem earum cùm essentia, sicut ex radice, & fundamento omnis perfectionis intrinsecæ.

II.

Deum sub respectu ad extrà, non esse obiectū Theologiæ.

Contra viam etiam [h] de respectibus ad extrà, potest argui, sicut contra alias duas vias. Sed facio [i] rationes speciales. Primò, quia respectus ad extrà est respectus rationis: sed scientia non considerans subiectum suum sub ratione reali, non est realis, sicut nec Logica est realis, licèt consideret de rebus, vt eis attribuuntur intentiones secundæ: ergo Theologia non esset realis. Secundò, quia absolutum, & respectiuum non faciunt aliquem vnum conceptum per se: ergo conceptus aggregans illa duo in se, est conceptus vnus per accidens. Nulla autem scientia prima est de conceptu vno per accidens: quia talis præsupponit scientiam de vtraque parte. Et ideò si scientia subalternata sit de aliquo vno per accidens, præsupponit duas tractantes de partibus illius totius, separatam. Si igitur Theologia esset de tali vno per accidens, posset esse alia prior ea, quæ esset de conceptu vno per se.

Tertiò, nullus respectus [k] ad extrà videtur Deo necessariò conuenire: ergo nihil Theologicum necessariò conueniret Deo, vt est subiectum Theologiæ. Probatio consequentiæ, quod conuenit alicui sub ratione non sibi necessariò inhærentis, non conuenit illi necessariò: sed respectus ad extrà est huiusmodi: ergo, &c. & ita nulla veritas Theologica necessaria esset. Et hæc conclusio probatur per primam, & secundam rationes positas ad primam quæstionem, scilicet de ratione primi obiecti, & de notis soli Deo naturaliter.

Concedo [l] igitur quartum membrum, scilicet quòd Theologia est de Deo sub ratione, quâ est hæc essentia: sicut perfectissima scientia esset de homine, si esset secundùm quòd homo, non autem sub aliqua ratione vniuersali, vel accidentali.

COMMENTARIVS.

I.

Differentia inter subiectum, & rationem formalem subiecti.

[a] EX *his dictis respondeo ad secundam quæstionem.* Litera clara est vsque ibi: *Contra istas omnes positiones.* Antequam declaremus improbationes Doctoris declaro vnum, quòd scilicet aliud est loqui de subiecto alicuius scientiæ; & aliud de ratione formali illius subiecti. Dicitur enim subiectum scientiæ, de quo proprietas aliqua demonstratur, vel de quo est demonstrabilis: ratio verò formalis subiecti dicitur illa, quæ constituit aliquid in esse subiecti, sicut si quæratur, homo est subiectum in aliqua scientia: vt puta in illa, quâ scitur hominem esse risibilem: sed quid est illud, quod constituit ipsum in esse tali? Dico, quòd est quiditas hominis, puta animal rationale: & breuiter, Definitio est ratio formalis constituendi aliquid in esse subiecti scientiæ: si illud habet diffinitionem quid rei: licèt aliqui exponētes Doctorem dicant quòd definitio rei non est ratio formalis subiectiua: sed hoc non videtur ad mentem Doctoris, vt patebit infrà in responsione ad argumenta. Si verò subiectum non habet definitionem, sicut Deus, qui est subiectum Theologiæ: & ens inquantum ens subiectum Metaphysicæ, tunc ratio formalis explicatur sub nomine abstracti: puta Deus sub ratione Deitatis; & ens sub ratione entitatis, vel sub aliqua alia ratione: quæ non est definitio, nec quiditas illius: sicut aliqui dicunt, quòd

Explicatur Deus sub ratione Deitatis, licèt non habeat definitionem.

quòd Deus sub ratione bonitatis est subiectum Theologiæ: sed quicquid sit, pro nunc sufficiat, quòd oportet ponere Deum subiectum Theologiæ sub aliqua ratione formali subiectiua.

2. Vnde aliqui dicunt, quòd Deus sub ratione entis in communi, vel sub ratione entis infiniti, vel sub ratione entis necessarij, est subiectum Theologiæ, ita quòd vel entitas in communi est ratio formalis subiectiua; vel entitas infinita; vel entitas necessaria.

Contra quam positionem arguit Doctor, & prima ratio stat in hoc: Ratio formalis subiecti est ratio continendi virtualiter omnes veritates in illa scientia: patet ista, & diffusè exposita est in secundo articulo: sed entitas in communi, vel entitas necessaria, non est ratio formalis continendi omnes veritates Theologicas, ergo Deus sub tali ratione non est subiectum Theologiæ. Probatur minor per oppositum, quia si est ratio continendi veritates Theologicas, ergo naturaliter quis potest cognoscere veritates Theologicas, quod est falsum. Probatur consequentia, quia cognoscens naturaliter rationem formalem alicuius subiecti, quæ communiter est medium in demonstratione potissima, vt patet in secundo Poster. potest cognoscere passionem demonstrabilem de subiecto, cuius est talis ratio formalis. *Exemplum.* Exemplum, quia si quis cognosceret animal rationale, cognosceret etiam risibilitatem: & sic haberet hanc propositionem immediatam, *animal rationale est risibile*, quâ cognitâ posset statim cognoscere propositiones mediatas contentas virtualiter in illa. Sic in proposito cùm entitas in communi, siue entitas necessaria possit viâ naturali demonstrari, saltem arguendo ab effectu: vt patet per Philosophos, qui demonstrant esse aliquod summum ens, vel aliquod ens necesse esse (non dico de ente infinito, quia multi dubitant an Philosophi hoc demonstrauerint: vt patebit infrà *d.2.*) ergo cognoscens illam naturaliter, poterit naturaliter cognoscere proprietates, quæ insunt subiecto Theologiæ, per illam rationem formalem: & sic coniungendo proprietatem cum ratione formali, habebit illam propositionem immediatam, & per se notam: & ex immediata sequuntur mediatæ, quæ virtualiter continentur in illa. Et sic tota Theologia potest sciri viâ naturali: quod est falsum.

3. b *Secundò, quia ex quo conceptus communes non sunt soli Deo naturaliter noti.* Patet, quia etiam cognoscuntur naturaliter à creatura, etiam loquendo de conceptibus complexis (quorum termini incomplexi abstrahuntur à creaturis) qui appropriantur primo enti, vt ens necessarium, & huiusmodi, sed Theologia in se est de veritatibus soli Deo naturaliter notis, cùm sit simpliciter suprema, & tales veritates non includuntur virtualiter in huiusmodi conceptibus creaturæ naturaliter notis: quia tunc & veritates illæ possent naturaliter cognosci, quod est falsum. ergo,

Quòd Deus sub ratione bonitatis, vel alterius attributi non sit subiectum Theologiæ in se.

c *Contra aliam positionem.* Fuit alia opinio quòd Deus sub ratione bonitatis, vel sub ratione alterius attributi est subiectum Theologiæ. Contra quam opinionem potest argui per rationes superiùs factas. Tum, quia bonitas summa via naturali potest cognosci: & sic formetur argumentum vt priùs. Tum, quia non est soli Deo naturaliter nota.

d *Sed adhuc arguo.* Nunc arguit per rationes speciales. Et prima stat in hoc: quia ex quo cognitio de subiecto est distinctior, & perfectior in aliqua scientia, quàm cognitio alicuius, quod non est subiectum in illa scientia, vt patuit suprà, ergo tale subiectum non potest poni, nisi sub ratione formali perfectissima quam potest habere: patet, quia cognitio perfectissima, & distinctissima subiecti est ex ratione formali, & quiditatiua illius: sed cognitio illius sub aliqua ratione attributali non est perfectissima, vt patet suprà.

Subiectum est causa passionis effectiua, id est, pullulatiua, siue emanatiua, vel fluitiua.

e Secunda ratio, ibi: *Secundò, quia si illæ proprietates.* Primò declaro literam, & pòst formabo rationem. Primò dicit quòd si illæ proprietates (puta bonitas, vel sapientia) realiter differrent ab essentia, essent verè causatæ ab essentia. Ex hoc dicto aliqui volunt quòd propria passio sit realiter distincta à subiecto, cuius oppositum tenet Doctor. Et probant ex dicto Doctoris infrà *in ista quæstione*, vbi dicit, quòd subiectum non tantùm se habet vt receptiuum passionis: sed etiam est causa effectiua eiusdem. Sed quid sit de intentione Doctoris diffusè exposui in secundo articulo. Secundò dicit, quòd ex quo differunt ratione ab essentia, saltem secundùm rationem dicuntur causari: & hoc tenet per illam propositionem Doctoris *in Quodlib.* qualis est ordo inter aliqua, vbi realiter distinguuntur, talis est, vbi tantùm ratione distinguuntur. Et quod dicit, quòd istæ proprietates solâ ratione distinguuntur ab essentia, non dicit secundùm intentionem propriam, quia etiam distinguuntur plusquam ratione: vt patebit infrà *dist.* 8. *quæst. pen.*

His declaratis, formo sic rationem: Nihil, quod habet rationem causati, vel quasi causati ab aliquo subiecto potest esse ratio formalis illius: patet, quia ratio formalis subiecti propriè, vel est prior subiecto, vel saltem est simul, & vltrà est medium demonstrandi causatum, vel quasi causatum à subiecto, vel à ratione formali illius subiecti: sed istæ proprietates saltem secundùm rationem sunt causatæ ab essentia, ergo non possunt esse ratio formalis subiecti Theologiæ (qui est Deus.) 4.

Deitas est magis in actu, quàm proprietas.

f Tertia ratio est ibi: *Tertiò, quia illud secundùm propriam rationem.* Hîc præsupponitur, quòd ex quo subiectum est magis ens, & actualius, quàm proprietas, vt patet, ratio formalis illius subiecti, per quam est tale ens in actu, erit magis ens, & magis in actu, quàm aliqua proprietas: illud ergo erit magis ratio formalis subiecti quod est magis in actu: sed essentia diuina, vel Deitas est magis in actu, quàm proprietas attributalis: patet, quia essentia diuina est omnino incommunicabilis ad extra: immò repugnat sibi, non sic repugnat proprietati attributali: & si sibi repugnat, ex hoc est, quia est idem realiter essentiæ diuinæ.

g *Si verò dicatur,* &c. vt clariùs patebit infrà *dist.8.quæst.pe.& in quodlib.quæst.1.*

Sed hîc oritur aliqualis difficultas, quia quæro an rationi formali bonitatis existentis in Deo pugnet communicabilitas ad extrà. Si sic, est ita actualis sicut essentia diuina; si non, tunc arguo sic, & accipio bonitatem. Bonitas diuina formaliter distinguitur ab essentia diuina: vt patet à Doctore ex intentione infrà, *d.8.quæst.pe.* ergo infinitas est gradus intrinsecus illius bonitatis, cùm sit formaliter infinita, vt patet à Doctore vbi suprà, & infinitas est gradus intrinsecus: vt patet ab ipso in quodlib. *quæst.5.* immò infinitas bonitatis 5. *Difficultas.*

Bonitas diuina formaliter distinguitur ab essentia diuina.

tatis eodem modo distinguitur ab essentia sicut & bonitas, vt potest probari ex dictis Doctoris infrà *dist.* 8. ergo bonitati cùm sit formaliter infinita, repugnat communicari ad extrà. Ad hoc dico quòd responsio Doctoris stat in suo robore: & hoc est propter identitatem realem. Sicut enim bonitas secundùm suam entitatem pullulat ab essentia diuina: ita & infinitas ipsius: vt patet à Doctore in pluribus locis: & si non esset idem realiter cum illa, non posset pullulare, vt infinita: alioquin essent plura infinita realiter distincta in actu, quod est impossibile: vt patet à Doctore infrà *d. 2. p. 1. quæst. vlt. & d.* 8. & alibi.

Responsio.

Quomodo bonitas diuina non esset infinita.

h *Contra viam etiam de respectibus.* Opinio aliquorum fuit, quòd Deus sub ratione glorificatoris, vel gubernatoris, quæ dicunt respectum ad extrà, sit subiectum Theologiæ. Contra quam arguit Doctor tribus mediis, ibi:

6. i *Sed facio rationes speciales.* Hìc Doctor intendit probare, quòd Deus sub aliquo respectu ad extra non potest esse subiectum Theologiæ, primò, quia scientia realis est de obiecto reali: sed respectus ad extra est tantùm ens rationis: vt patet à Doctore in 1. *dist.* 30. & alibi sæpè. Hìc nota quòd si subiectum scientiæ in se sit ens reale, à fortiori ratio formalis subiecti erit ens reale: patet, quia propter talem rationem habet quòd sit subiectum, vt suprà patuit. Nota etiam quòd quælibet scientia in se formaliter est entitas realis: patet in nobis, quia ponitur habitus in prædicamento Qualitatis, & omnis cognitio in se est formaliter ens absolutum, tam in nobis, quàm in Deo, vt patet à Doctore *in Quodlib. quæst.* 14. Aliqua tamen dicitur realis denominatione extrinseca, quia scilicet est de obiecto reali, vt Physica, & Metaphysica: aliqua verò dicitur præcisè rationalis, quia est de ente rationis, vt Logica, quæ per se est de secundis intentionibus, in se tamen est realis. Nota etiam, quòd est impossibile nobilissimam scientiam esse de obiecto sub ratione ignobilissima, cuiusmodi est relatio rationis, ergo Theologia erit de Deo sub ratione verè reali, ergo nullo modo sub ratione, puta glorificatoris, vt quidam dicunt.

Nota de subiecto scientiæ, & scientia.

7. Secundò arguit, & ratio stat in hoc: quia scientia per se, tam denominatione extrinsecâ, quàm intrinsecâ, est de obiecto per se: patet, tum quia effectus per se, est à causa per se: scientia est effectus sui obiecti primi, vt suprà patuit, ergo. Tum quia aliæ scientiæ dicuntur per se, quia respiciunt obiectum per se: ideò subalterna denominatione extrinseca dicitur per accidens: quia respicit obiectum sub ratione accidentali: cùm ergo Theologia sit scientia per se, & perfectissima, à fortiori habebit obiectum per se: sed absolutum, & respectiuum faciunt tantùm vnum per accidens, quia aggregatum ex rebus diuersorum generum. Patet etiam, quia si ex eis esset vnũ per se: sequeretur, quòd constitutum non esset, nec ens absolutum, nec ens respectiuum per se. Patet, quia constitutum dependet in esse à partibus constituentibus: si enim esset absolutum, ergo respectus esset de essentia absoluti: si etiam esset respectiuum, ergo absolutum esset de essentia respectiui, & sic non esset, nec absolutum, nec respectiuum, ergo Theologia in se non est de Deo sub ratione alicuius respectus. Et præterea Theologia in se est tantùm vna scientia, vt ab omnibus conceditur, ergo est tantùm de vno subiecto, & sub vna ratione considerato. Patet consequentia, sed si esset de ente per accidens, non esset vnum subiectum, nec vna scientia, quia scientia, quæ est de ente per accidens, vt subalterna supponit duas scientias tractantibus de partibus illius totius separatim: vt si de homine albo esset scientia, tunc illa scientia præsupponeret vnam, quæ esset de homine: & aliam quæ esset de albedine: sic in proposito.

Quare ex absoluto, & respectiuo non sit vnum per se.

Scientia subalterna supponit duas scientias.

k *Tertiò nullus respectus ad extrà*, &c. Ratio stat in hoc: Illud, quod est ratio demonstrandi aliquid de aliquo necessariò: ita quòd *A* dicatur necessariò cõuenire *B*, propter rationem *C*, ipsum *C* necessariò conuenit ipsi *A*, quia quod conuenit *A* contingenter, non potest esse ratio, quòd aliquid conueniat ipsi *A* necessariò, quia tunc esset maior necessitas in effectu, quàm in causa. Sed multæ proprietates demonstrantur inesse Deo de necessitate, vt patet: ergo ratio formalis demonstrandi magis necessariò conueniet ipsi Deo. Cùm ergo ratio formalis subiecti sit medium in demonstratione potissima, sequitur, quòd nullus respectus ad extrà poterit esse formalis ratio subiecti Theologiæ in se, de quo multæ veritates necessariæ demonstrantur: immò si per talem respectum ad extrà demonstrarentur huiusmodi veritates, tales veritates nullo modo essent necessariæ, sed contingentes. 8.

l *Concedo igitur quartum membrum.* Et sit pro conclusione Doctoris, quòd subiectũ Theologiæ in se respectu necessariorum est Deus sub ratione Deitatis: siue sub ratione, qua hæc essentia: vel sub ratione, qua hæc Deitas, quæ idem important, quia sicut subiectum scientiæ (loquendo semper de subiecto habente vnitatem specificam) est perfectissimum consideratum in illa scientia: ita & ratio formalis talis subiecti debet esse perfectissima, &c.

Opin. Doctor. de subiecto Theologia in se, &c.

Gregorius de Arimino peritissimus, sustinendo opinionem Ægidij de Roma, quæ est quòd Deus sub ratione respectus ad extra, puta sub ratione glorificatoris est subiectum in Theologia. Respondet *in prologo q.* 4. ad obiectiones quas Doctor facit contra opinionem Ægi. Et omnes responsiones stant in vno dicto: videlicet, quòd cùm dico sub ratione glorificatoris, nihil re, vel ratione intelligitur addi ipsi Deo, quod sit contractiuum ipsius Dei: quod sit subiectum Theologiæ, sed per rationem specialem intendit ipsammet rationem veritatis: quia secundùm omnem veritatem de ipsa scibilem, nam non sic obiicitur alicui intellectui creato: sed intendit ipsam Deitatem restrictam in ratione obiecti ad determinatum gradum veritatum, quæ de ipsa sciri possunt. Et si Deus non absolutè sumptus, sed sub ista ratione contractus dicitur subiectum. Per illa enim aduerbia *absolutè*, & *contractè* non datur intelligi talis specialis ratio addita. hæc ille. Et sic patet solutio ad argumenta Doctoris. 9.

Gregor. de Arim. nititur rationes Doctor soluere in prolog. q. 4.

Sed ista expositio non videtur sufficere. Tum, quia multæ veritates necessariæ demonstrantur de Deo, & non sub ratione glorificatoris: vt quòd pater generat: vel quòd Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio. Non enim istæ veritates demonstrantur de Deo, vt contracto in ratione glorificatoris. 10.

Responsio ad rationes Greg.

Et cùm dicit, quòd non consideratur vt subiectum Theologiæ sub illa ratione, qua omnes veritates sunt scibiles de Deo: quia intellectus creatus sub illa ratione non potest ipsum cognoscere.

ſcere. Sed ſemper ſaluâ reuerentiâ tanti viri, hoc haberet probare, quòd intellectus beati non poſſit ſic eum cognoſcere. Credo enim, quòd poſſit ipſum cognoſcere ſub omni ratione, quâ omnis veritas eſt ſcibilis de eo, vt habet aliunde probari: nec ſequitur, quòd ex hoc comprehẽderet Deum: quia ad actum comprehẽſiuum requiritur aliud, quàm cognoſcere ipſum, ſecundùm omnem modum cognoſcendi: vt diffusè declarabo infrà *d.* 1. & Deo duce *in quæſt.* 14. *Quodlib.* Verum eſt tamen, quòd rationes Doctoris contra Ægidium concludunt, ſi ratio glorificatoris dicat reſpectum additum, aliter non: ſed an neceſſariò dicat reſpectum, diffusè habet pertractari infrà *diſt.*30.

Item, reſpondet ad rationes, quas facit Doctor, probando quòd Deus ſub ratione Deitatis ſit ſubiectum. Et reſponſio ſua ſtat in hoc, quòd non eſt de ratione ſubiecti continere virtualiter: & per conſequens ratio formalis ſubiecti non eſt ratio continendi virtualiter. Sed hæc materia de continentia virtuali diffusè eſt pertractata in exponendo articulum ſecundum. Et addit, quòd etiam poſito, quòd de ratione ſubiecti ſit continere virtualiter. Dicit, quòd hoc verum, loquendo de ſubiecto ſcientiæ propriè dictæ: ſed Theologia non eſt ſcientia, &c. Sed iudicio meo hæc reſponſio non euacuat: quia ſi Theologia ſit ſapientia, prout eſt de æternis: tamen habet omnes conditiones ſcientiæ, vt comparatur ad intellectum creatum: cùm ſit notitia certa, & euidens: & de obiecto neceſſariò, & cauſata per diſcurſum ſyllogiſticum, vt patebit infrà *quæſt. penultima.*

SCHOLIVM.

Theologiam noſtram habere pro obiecto primo noto ens infinitum, *quia iſte eſt conceptus perfectiſsimus, quem poſſumus habere de eo quod eſt obiectum Theologiæ in ſe, tamen non continet virtualiter habitum Theologiæ, nec vt nobis notum, continet eum, quia tamen noſtra Theologia de neceſſariis, eſt de iiſdem de quibus eſt Theologia in ſe, dicitur habere id ipſum pro ſubiecto, ſed ſecluſa euidentia, quantum ad nos.*

AD primam quæſtionem [a] de Theologia noſtra dico, quòd quando habitus eſt in aliquo intellectu habens euidentiam ex obiecto, tunc primum obiectum illius habitus, vt eſt illius, non tantùm continet virtualiter illum habitum, ſed vt notum illi intellectui, continet ipſum habitum; ita quòd notitia obiecti in illo intellectu continet euidentiam habitus, vt in illo intellectu: quia intellectus cognoſcens tale obiectum, poteſt elicere omnem concluſionem huius habitus. In habitu verò non habente euidentiam ex obiecto, ſed cauſatam aliunde quàm ab obiecto noto; non oportet dare primum obiectum eius habens duas dictas conditiones, immò neutram oportet dare; quia perinde eſt habitui, vt in hoc, ac ſi eſſet de contingentibus, quæ neutro modo habent obiectum primum. Tali ergo habitui non euidenti ex obiecto datur ſubiectum primum, de quo primo noto, id eſt, perfectiſſimo primò, id eſt, immediatè, cognoſcuntur primæ veritates habitus illius. Theologia autem noſtra eſt habitus non habens euidentiam ex obiecto, etiam illa, quæ eſt in nobis de Theologicis neceſſariis, non magis vt in nobis habet euidentiam ex obiecto cognito, quàm illa, quæ eſt de contingentibus: ergo Theologiæ noſtræ, vt noſtra eſt, non oportet dari obiectum primum, niſi primum notum, de quo noto immediatè cognoſcantur primæ veritates. Illud primum notum eſt ens infinitum, quia iſte eſt conceptus perfectiſſimus, quem poſſumus habere de illo, quod eſt in ſe primum ſubiectum. Quod tamen neutram prædictarum conditionum habet: quia non continet habitum noſtrum virtualiter in ſe, nec multò magis, vt nobis notum, continet ipſum habitum; tamen quia Theologia noſtra de neceſſariis eſt de eiſdem, de quibus eſt Theologia in ſe, ideò ſibi aſſignatur ſubiectum primum, quoad hoc, quod eſt veritates continere in ſe: & hoc idem eſt ſubiectum Theologiæ noſtræ, quod eſt primum ſubiectum Theologiæ in ſe, ſed quia illud non eſt nobis euidens, ideò non continet iſtas, vt nobis notum, immò non eſt nobis notum. 12.

Duæ ſunt conditiones primi obiecti, prima, eſt virtualis continentia; altera eſt euidentia obiecti.

Theologiæ noſtræ obiectum.

Si arguis: ergo non eſt primum obiectum noſtri habitus; Reſpondeo, verum eſt, non eſt primum ſubiectum dans euidentiam: ſed ſubiectum primum continens omnes veritates, natum dare euidentiam, ſi ipſum cognoſceretur. Et hæc dicta ſunt ad duas quæſtiones de Theologia neceſſariorum.

De quo 1. d.3.q.1.

COMMENTARIVS.

1. *Conditiones veræ ſcientiæ.*

a AD *primam quæſtionem de Theologia noſtra.* Pro intelligentia huius literæ, nota primò, quòd obiectum habitus virtualiter continet illum habitum: vt diffusè expoſui in ſecundo articulo.

Secundò nota, quòd quando dicit Doctor, quòd obiectum habitus exiſtentis in nobis, & habentis euidentiam ex tali obiecto, tale obiectum non tantùm abſolutè continet illum habitum virtualiter, ſed etiam vt primò notum intellectui virtualiter continet. Et hoc poteſt habere duplicem ſenſum in hoc, quod dicit, quòd continet, vt primò notum. Nam dupliciter ex notitia obiecti, ſcilicet habitualis, & actualis: & intelligo, pro nunc, notitiam habitualem, principium productiuum talis notitiæ. Exemplum, homo

Notitia obiecti habitualis, & actualis.

mo est præsens intellectui per speciem intelligibilem, tunc dicitur habitualiter notus: quia sicut habens habitum acquisitum ex frequentatis actibus, faciliter potest exire in actum; sic habens speciem intelligibilem obiecti, statim potest causare cognitionem illius: quia illa species intelligibilis, & intellectus, sunt duæ causæ partiales, integrantes vnam totalem, respectu cognitionis abstractiuæ: vt patet ex dictis Doctoris *in 1. dist. 3. quæst. 8. & dist. 17.* & *in 2. dist. 3. quæst. vlt.* & expresse in Quodlib. *quæst. 13. art. 2.* Et tale obiectum, vel præsens in se, vel in specie intelligibili, dicitur pertinere ad memoriam, quæ nihil aliud est, nisi intellectus habens obiectum præsens: vt patet ex Doctore *in 1. dist. 2. 3. 6. 7. & alibi.* Et talis memoria apud Doctorem multoties vocatur scientia, vel notitia habitualis: vt patet *d. 2. 3. 6. 27. primi, & alibi.* Notitia verò actualis obiecti est cognitio actualis illius.

Memoria fæcunda quid sit.

Quando ergo Doctor dicit, quòd habitus (puta notitia actualis conclusionis, quâ scitur hominem esse risibilem) est in aliquo intellectu, habens euidentia ab obiecto: ita quòd non habet illam notitiam ex aliqua reuelatione, vel credulitate: tunc notitia talis obiecti virtualiter continet notitiam conclusionis: sic intelligendo, quòd notitia habitualis obiecti, puta species intelligibilis hominis, existens in intellectu Francisci, quæ dicitur notitia habitualis, virtualiter continet notitiam huius conclusionis, quòd *homo est risibilis*, vt suprà exposui in articulo secundo. Vel si loquatur de notitia actuali obiecti, tunc oportet dicere quòd notitia actualis illius obiecti virtualiter continet notitiam cuiuscunque conclusionis. Quando ergo obiectum non est præsens intellectui, habenti habitum, nec in se, nec in specie intelligibili, virtualiter continet habitum: quia quantum est ex se, si esset præsens intellectui, produceret, saltem vt causa partialis, illum habitum. Cùm verò est præsens intellectui, tunc respectu habitus potest habere hanc duplicem primitatem, scilicet vt primum virtualiter contentiuum, & vt etiam primò notum.

2. Secundò principaliter Doctor hoc applicat ad propositum de habitu Theologiæ in nobis. Et dicit primò, quòd quamuis Deus sub ratione Deitatis virtualiter contineat omnes veritates Theologicas necessarias: quia quantum est ex se si esset perfectè præsens alicui intellectui, vel, vt causa totalis; vel, vt partialis, posset causare in intellectu illo veritates necessarias de ipso.

Secundò dicit, quòd Deus sub ratione Deitatis non est notus intellectui nostro pro statu isto, & per consequens cognoscens hanc veritatem necessariam: *Deus est trinus, & vnus*, non est sibi euidens ex obiecto, cùm non cognoscat illud distinctè: sed tantùm, vel est sibi reuelata, vel credita alicui docenti, &c.

Tertiò dicit, quòd Theologia nostra respectu necessariorum, cùm non sit euidens ex obiecto, non habet aliquod obiectum virtualiter continens talem habitum illa duplici primitate, quæ requiritur ad habitum habentem euidentiam ex obiecto.

Quartò dicit, quòd si loquamur de primo obiecto habitus Theologici in nobis, non vt habente hanc duplicem primitatem, sed de primo obiecto, id est, de primo noto, vel perfectissimo noto: dicit, quòd est ens infinitum, de quo tanquam de perfectissimo noto nobis, demonstramus veritates Theologicas necessarias, non quòd aliquo modo virtualiter contineat eas; nec sit in se absolutè, nec vt primò noto: quia solus Deus sub ratione Deitatis sic continet, & sic patet litera Doctoris.

Sed circa dicta istius Doctoris occurrunt aliquæ difficultates. Et primò contra hoc, quod dicit, quòd Deus sub ratione infiniti est subiectum Theologiæ nostræ: accipiendo ipsum subiectum, non vt continens virtualiter, &c. sed vt primò notum nobis. 3.

Difficultas.

Contra hoc arguit Ioan. Anglicus *in prolog. q. 3.* & arguit sic: Aut naturaliter cognoscimus conceptum infinitum de Deo; aut supernaturaliter: non primo modo, quia vt sic non est subiectum in Theologia nostra, sed Theologiæ Philosophorum. Si secundo modo, ergo ita benè potest cognosci Deus sub ratione Deitatis, sicut conceptus entis infiniti: & sic Deus sub ratione Deitatis erit magis subiectum Theologiæ nostræ, quàm sub ratione entis infiniti.

Ioan. Anglic. Baccon. cõtra Doctorem arguit in prolog. q. 1.

Secundò arguit contra illud quod dicit Doct. quòd ens infinitum est primum notum nobis de Deo: aut enim intelligitur de primo noto secundùm *quid nominis*: aut secundùm *quid rei*. Si primum, cùm in Theologia nostra præsupponatur *quid nominis* Dei, sequitur quòd Deus sub ratione Deitatis erit subiectum in Theologia nostra. Si secundo modo, hoc est falsum: quia definitio infiniti in perfectione non est capibilis ab intellectu nostro: & hoc est contra naturam subiecti: quia cognitio *quid nominis* solùm præsupponitur.

Tertiò arguit sic: Illud est priùs notum nobis, de quo formatur quæstio, quàm illud, quod quæritur: sed de Deo quærimus in Theologia, vtrùm sit infinitus in perfectione, & vigore: sed conceptus infiniti non est primus conceptus, sicut conceptus Dei. Patet maior, quia in omni propositione priùs concipimus subiectum, quàm prædicatum, quod de illo prædicamus: sed illud de quo quærimus est subiectum; quod quæritur est prædicatum, vt cùm quæritur, vtrùm Deus sit infinitus, hæc ille.

Pro responsione ad ista argumenta præmitto duo. Primum, quòd quando Doctor dicit, quòd ens infinitum, siue aliquod ens sub ratione infinitatis, est subiectum Theologiæ: hoc dicit propter conceptum infinitatis: quia conceptus perfectior, qui possit haberi pro statu isto (loquendo semper de lege communi, quia certum est quòd Deus posset causare cognitionem Deitatis distinctam abstractiuam: vt patet *in secundo dist. 3. quæst. 9.*) est conceptus infinitatis: vt patet ab ipso *in primo dist. 3. quæst. 1.* Secundum, quòd eo modo aliquid ponitur ratio subiecti, illud est perfectius inter omnia, quæ considerantur in tali scientia, vt patet. Nam sicut subiectum, vt verè continet virtualiter considerata in tali scientia, in se est perfectius ipsis consideratis, vt patet à Doctore *præsenti quæst.* sic illud, quod ponitur subiectum, vel ratio subiecti in aliqua scientia, non habente euidentiam ex tali subiecto, ponitur perfectius inter omnia considerata ab intellectu, habente huiusmodi scientiam: & patet, quia eo modo, quo ponitur ratio subiecti, eo modo per illam demonstrantur proprietates de subiecto, cuius est talis ratio. Sicut ergo ratio formalis continendi virtualiter veritates, est medium demonstrandi proprietates de subiecto in scientiâ, habente 4.

Declaratio opin. Greg.

Deus posset causare cognitionem distinctam Deitatis.

habente euidentiam ex tali subiecto, vel ratione formali, sicut patet de ratione subiecti Theologiæ in se: sic in scientia non habente euidentiam ex subiecto, sicut est Theologia in nobis, ratio formalis subiecti talis scientiæ, etsi non sit vera ratio continendi virtualiter veritates in tali scientia Theologica consideratas; tamen erit nobis ratio demonstrandi huiusmodi veritates: quia nobis nihil est notius, & perfectius, per quod possint demonstrari, quàm ratio talis subiecti: ideò ipsa est ratio demonstrandi, &c. Ex hoc infero, cùm ratio entis infiniti sit perfectior conceptus consideratus in Theologia nostra non habente euidentiam ex subiecto, vt patuit suprà à Doctore, sequitur, quòd erit ratio demonstrandi veritates necessarias Theologicas, quamuis non contineat eas primò virtualiter: & illud, quod sic est ratio demonstrandi, est ratio formalis subiecti: sequitur, quòd infinitas intensiua erit ratio formalis subiecti Theologiæ in nobis. Nihil enim est nobis notius, per quod possimus concludere de aliquo ente, quòd sit trinum, & vnum, sicut est infinitas intensiua talis entis: si tamen illud ens posset distinctè in se cognosci, entitas illa notior esset in demonstratione.

5. His præmissis, respondeo ad argumenta Magistri Io. Anglici. Ad primum potest dari vtrunque membrum, videlicet quòd naturaliter concludimus infinitatem de aliquo ente. Et cùm dicit: Illud est subiectum scientiæ Philosophorum. Cum supportatione, hoc indiget probatione, quia subiectum in Metaphysica est ens inquantum ens: nisi accipiat subiectũ pro nobiliori consideratio in tali scientia: & sic ens infinitum est nobilissimum consideratum in scientia Philosophorum. Et cùm infertur, ergo non est subiectum Theologiæ nostræ, negatur consequentia. Et cùm dicit, quòd Theologia nostra est scientia supernaturalis, concedo. Ergo, & cognitio subiecti Theologiæ nostræ est supernaturalis. Negatur consequentia, quia Theologia nostra non est de terminis incomplexis: sed de propositionibus: vt patuit suprà *quæst.* 1.

Ad 1. argum. Io. Anglici Bacconis.

Si arguatur sic per argumentum Doctoris factum contra opinionem primam de ratione formali subiecti, qui sic arguit in sententia: Cognoscens naturaliter rationem formalem alicuius subiecti, per illam naturaliter potest scire omnes veritates in tali scientia: ergo si via naturali possumus cognoscere rationem formalem subiecti Theologiæ nostræ, sequitur, quòd possumus cognoscere naturaliter veritates consideratas in Theologia nostra, quod est falsum. Dico, quòd hoc verum esset, si tale subiectum contineret virtualiter huiusmodi veritates: & vt sic esset notum nobis: vt patet à Doctore, vbi suprà, & potest elici ex dictis ipsius *in quæst. 1. prologi, & dist. 3. quæst. 1. primi.* Sed in proposito ratio formalis subiecti Theologiæ nostræ, vt nostræ, non est ratio continendi virtualiter veritates Theologicas, vt dixi.

6. Si dicatur: Si per rationem infinitatis demonstro Deum esse trinum, & vnum; vel aliquod ens esse trinum, & vnum: quare Philosophi, qui perfectiùs hoc cognouerunt, non potuerunt demonstrare huiusmodi infinitatem? Dico, quòd nec etiam nos absolutè possumus demonstrare talem veritatem per rationem infinitatis: sed habita reuelatione huius, quòd *Deus est trinus, & vnus*: si volumus alicui fideli hoc persuadere, nihil notius est nobis ad hoc persuadendum, quàm infinitas intensiua talis entis: ita quòd demonstratio Trinitatis per rationem infiniti tantùm valeret credenti articulis fidei: sed puro Philosopho nihil valeret, sed diceret quòd omnino repugnaret tali naturæ esse formaliter in tribus suppositis.

Si etiam detur secundum membrum, videlicet, quòd cognitio entis infiniti sit supernaturalis, adhuc non sequitur, quod dicit, quòd ita benè posset cognosci Deus sub ratione Deitatis: & sic esse subiectum Theologiæ nostræ. Dico, quòd si aliquis intellectus haberet cognitionem distinctam supernaturalem ipsius Deitatis, quòd Theologia in tali intellectu haberet Deum sub ratione Deitatis pro subiecto: vt patet à Doctore respondendo ad secundam quæst. Sed quia de communi lege non traditur cognitio supernaturalis distincta ipsius Deitatis: & per consequens non erit ratio formalis subiecti Theologiæ nostræ: & quia perfectissimus conceptus, quem possumus habere de aliquo ente via naturali; siue etiam via supernaturali, loquendo semper de communi lege, est conceptus entis infiniti: ideò magis per huiusmodi infinitatem cognitam demonstramus veritates Theologicas, quàm per rationem Deitatis in se, cùm illa sit nobis ignota. Concludimus enim multa de Deo, per rationem infinitatis. Quia si quæratur, quare est trinus, & vnus? Quia infinitus. Quare est necesse esse? Quia infinitus. Quare omnipotens? siue loquendo de omnipotentia mediatè, siue immediatè, de qua Doct. 7. *quæst. Quodlib.* Quia infinitus, & non quia Deus.

Conceptus infiniti est perfectior quē possumus habere pro statu via de quouis ente.

Si dicatur, An ens infinitum, siue entitas infinita, distinctè cognoscatur, an confusè? non distinctè: vt patet: si confusè, ergo non erit ratio demonstrandi: vel si sic, sequitur, quòd ita benè Deus confusè cognitus erit ratio demonstrandi veritates Theologicas in Theologia nostra. Dico, quòd loquendo de entitate formaliter infinita in particulari, quòd non potest distinctè cognosci via naturali: nec etiam via supernaturali de communi lege: quia sic cognosceretur Deitas distinctè, quia sola Deitas est entitas formaliter infinita. Si verò in communi, puta, quòd sit aliquod ens infinitum: sic potest cognosci confusè tantùm. Et cùm dicitur, ergo Deus ita confusè cognitus potest esse subiectum. Dico, quòd non sequitur, quia cognitio entis infiniti videtur terminari ad perfectiorem conceptum: (& hoc quo ad nos:) quàm cognitio confusa ipsius Dei, & ideò ens infinitum erit magis subiectum in Theologia nostra, quàm Deus sub ratione Deitatis: & sic patet responsio ad primum argumentum. 7.

Ad secundum argumentum, cùm dicit de primò noto de Deo, aut illud ens infinitum est primò notum secundùm *quid nominis*: aut secundùm *quid rei.* Dico, quòd secundùm *quid nominis.* Et cùm infertur, quòd ita Deus est ita notus nobis: vel saltem, ita potest esse. Dico primò, quòd cùm Deus non habeat definitionem, nisi secundùm *quid nominis*; non sequitur, quòd de communi lege ita possit esse notus nobis, sicut ens infinitum. Sed posito, quòd ita possit esse notus nobis: non tamen sequitur quòd sit ratio formalis subiecti Theologiæ nostræ: quia per ens infinitum perfectior conceptus innotescit nobis, quàm per ipsum Deum, sic notum secundùm *quid nominis.* Et

Ad secundum argum.

Et quia conceptus perfectior in Theologia nostra est nobis ratio euidentior demonstrandi veritates Theologicas in Theologia nostra (vt suprà diffusè exposui,) ideò conceptus entis infiniti erit magis ratio formalis subiecti Theologiæ nostræ, quàm conceptus ipsius Dei indistinctè cogniti. Et sic patet responsio ad argumenta istius Doctoris, quam responsionem benè nota.

Ad tertium argum. Ad tertium, cùm dicit, quòd illud est priùs notum, de quo quæritur, quàm illud quod quæritur: cùm ergo ens infinitum in Theologia nostra quæritur de Deo, quia quærimus, an Deus sit ens infinitum; ergo Deus de quo quæritur, erit priùs notum in Theologia nostra.

Respondeo, quòd aliud est loqui de subiecto scientiæ; & aliud de ratione formali illius. Et sic concedo quòd Deus est primò notum in Theologia nostra: & sic concedo quòd est subiectum. Sed quærendo de ratione formali ipsius subiecti. Dico quòd est entitas infinita. Non quæritur ergo in Theologia nostra ens infinitum de Deo, vt aliquid demonstrabile de ipso, cùm non sit demonstrabile in Theologia nostra: sed si quæritur, quæritur vt ratio formalis illius, vel vt ratio perfectissima ipsius Dei. Sicut etiam quærimus, an homo sit animal rationale, non quærimus, vt aliquid verè demonstrabile *propter quid* de ipso homine. Secundò dico, quòd etiam in Theologia nostra nó propriè quęrimus, An Deus sit ens infinitum; sed magis quærimus, An illud ens, quod nominamus *Deum*, quod tamen est nobis ignotum in particulari, sit infinitum: & non quæritur infinitas, vt demonstrabilis *propter quid* de ipso: sed magis quæritur, an alicui entitati, quam nominamus *Deum*, conuenit infinitas intensiua: & sic patet responsio.

SCHOLIVM.

Hæc litera continet aliquot dicta. Primum, veritates contingentes sunt ordinatæ, sicut & necessariæ, de quo Doct. 3. dist. 1. quæst. 4. art. 2. Volitio enim medij supponit volitionem finis. Secundum, Subiectum Theologiæ contingentium, id est, de quo immediatè dicitur prædicatum primæ veritatis contingentis, quæ est immediata, vt, voluntas vult. *Tertium, huiusmodi est id, quod est intuibile coniungi cum tali prædicato, quia veritas contingens non cognoscitur per species, sed per intuitionem extremorum, de quo 1. dist. 3. quæst. 4. vbi de sinceris veritatibus. Quartum, idem est subiectum Theologiæ necessariorum, & contingentium in Deo, & beatis, quia Deus per intuitionem potest cognosci, vniri immediatè prædicato primæ contingentis, cuiusmodi est,* voluntas vult. *Quintum, eâdem ratione idem est obiectum Theologiæ nostræ necessariorum, & contingentium.*

13. *In veritatibus contingentibus nõ datur subiectum virtualiter cõtentiuum.* NVnc autem [a] videndum est de veritatibus contingentibus Theologicis, quid sit primum subiectum Theologiæ. Et quoad istas dico, quòd nullum subiectum virtualiter continet veritates, nisi necessarias de ipso: quia ad contingentes de ipso æqualiter se habet ex se, & ad oppositas. Tamen contingentium est ordo, quia aliqua est prima vera contingens, & ita subiectum primum multarum veritatum contingentium, potest poni illud, de quo primò, id est immediatè, dicitur prædicatum primæ contingentis, quæ est quasi primum principium in ordine contingentium, vel prædicata plurium primarum contingentium, si plures sunt primæ.

Quid sit primũ subiectũ Theologiæ contingentis? Dicitur autem [b] primum subiectum primæ veritatis contingentis, quòd visum vt tale, natum est primò videri coniungi cum prædicato illo, quia primum notum in contingentibus, non est nisi per intuitionem extremorum: ergo primum intuibile, cui insit primum prædicatum primæ veritatis contingentis, est primum subiectum omnium veritatum contingentium ordinatarum.

Ex his [c] ad propositum dico, quòd essentia diuina est primum subiectum Theologiæ contingentis, & hoc modo sumpta, quo prædictum est ipsam esse subiectum primum Theologiæ necessariæ: & hoc tam huius Theologiæ contingentis in se, quàm vt est in intellectu diuino, & beatorum. Totius igitur [d] Theologiæ in se, & Dei & beatorum, primum subiectum est essentia diuina vt *hæc*; cuius visio à beatis, est sicut in Metaphysica cognitio entis. Et ideò beata visio non est Theologia, sed est quasi perfecta incomplexa apprehensio subiecti, præcedens naturaliter scientiam Theologiæ. Subiectum verò [e] Theologiæ nostræ contingentis videtur idem subiectum primum, quod & necessariæ, & hoc modo suprà exposito: quia non vt continens virtualiter in se habitum, etiamsi intuitiuè videretur: sed vt cognoscibile à nobis proximum illi, cui intuitiuè noto, natum esset prædicatum primæ contingentis euidenter inesse.

Non est contra 1. d. 5. q. 2. ibi, non est in Deo pars, nec quasi pars, loquitur ibi de parte componente, vel natura diuisibilis, hîc non.

Contrà [f] videtur quòd Verbum sit subiectum adæquatum Theologiæ contingentium, tam illius contingentis in se, quàm vt est in intellectu diuino: quia est primum subiectum omnium articulorum reparationis nostræ.

Respondeo [g], aliquod contingens potest primò dici de Verbo, & aliquod de Spiritu sancto, & aliquod de Deo trino, vt creare: erunt igitur personæ quasi partes subiecti, sicut etiam aliqua necessaria sunt primò vera de diuersis personis.

COMMEN

COMMENTARIVS.

1. *Contingentes veritates non continentur in aliquo subiecto.*

a NVnc autem videndum est. Hîc Doctor tractat de subiecto Theologiæ respectu veritatum contingentium, & litera satis clara est. Et primò dicit, quòd veritates contingentes non continentur virtualiter in aliquo subiecto: quia continentia virtualis subiecti, de qua in proposito loquimur, habet necessariam habitudinem ad virtualiter contentum. Nam subiectum virtualiter continens demonstrabile de ipso in duplici habitudine se habet ad illud, videlicet in habitudine receptiui, & in habitudine efficientis de necessitate: vt patebit à Doctore infrà. Sed prædicatum, quod potest contingenter inesse subiecto, non de necessitate producitur ad aliud subiectum. Secundò dicit, quòd inter propositiones contingentes est ordo, ita quòd vna erit prima, loquendo semper de contingentibus, ad eandem materiam pertinentibus: vt hæc erit prima contingens: *Deus vult Franciscum saluum fore*, ex qua sequuntur multæ aliæ contingentes: videlicet, *ergo vult ipsum esse in gratia*; & similiter, *ergo vult ipsum mereri*. Similiter in alia materia, hæc erit prima contingens: *Verbum est incarnatum*, ergo natum, verberatum, passum, & huiusmodi.

Vide Franciscum de Mayronis di. 2. q. 6. huius primi.

b Tertiò dicit ibi: *Dicitur autem primum subiectum primæ veritatis contingentis.* Exemplum: Si quis intuitiuè videret Deum in ordine ad hæc prædicata: puta *velle prædestinare Franciscum; velle dare gratiam: velle mereri; velle ipsum actu glorificare*; statim est sibi notum, quòd *velle ipsum prædestinare*, esset immediatius ipsi Deo, quàm prædicata sequentia, quia alia prædicata præsupponunt hoc prædicatum: & ideò in ista materia, hæc esset prima contingens: *Deus vult Franciscum prædestinare.* Nam ordinatè volens, priùs vult finem alicui, quàm velit media ad finem, & sic priùs vult homini beatitudinem, quàm media ad consequutionem ipsius: vt patet ex Doctore *in isto primo dist. 41. & in 2. d. 7. quæst. 3. & 2. dist. 20. quæst. 2.* & alibi. Et nota quòd dicit Doctor *intuitiuè*, quia propositio contingens semper est respectu prædicati contingenter existentis. Nam quæcunque abstrahunt ab existentia, non sunt propriè contingentia: & ideò si intellectus meus nunc abstractiuè cognosceret parietem, & albedinem, nesciret tamen an paries sit albus, nisi actu videret vnionem albedinis ad subiectum: quod non potest esse sine intuitiua cognitione.

Quæcunque abstrahunt ab existentia non sunt propriè contingentia.

2. c Quartò dicit ibi: *Ex his ad propositum*, scilicet, quòd diuina essentia est primum subiectum Theologiæ contingentium: quia omnes conclusiones contingentes demonstrabiles resoluuntur in aliquas propositiones contingentes primas, & prædicata earum primò insunt Deitati. Quomodo autem demonstrentur patet, quia sicut à fine sumuntur principia practica, & conclusiones, & multa alia, quæ sequuntur, vt patebit *in quæst. de praxi:* sic per hoc, quòd videmus Deum velle finem vltimum, puta Ioanni, statim concludimus ipsum velle tale, & tale medium ad illum finem acquirendum; non quòd necessariò concludamus hoc, quia tunc si Deus vellet mihi beatitudinem, sequeretur, quòd necessariò vellet mihi dare gratiam, & necessariò vellet me mereri, quod est falsum: patet, quia posset absolutè me beatificare sine gratia, & sine merito: vt patet à Doctore *in 1. dist. 17. & in 2. dist. 5. quæst. 2.*

Deus potest me beatificare absque merito.

Posito ergo quòd voluntas diuina velit dare beatitudinem, mediante gratia, & merito, concludimus ex fine illo necessitatem gratiæ, & meriti: *necessitatem* dico consequentię, non consequentis. Et cùm dicit parum infrà, quòd eo modo est subiectum Theologiæ contingentium, quo est subiectum necessariorum; hoc non debet intelligi quantum ad cōtinentiam virtualem: quia tantùm respectu necessariorum est sic subiectum, & non contingentium: sed quantum ad hoc est simile, quòd sicut de Deo, per rationem Deitatis demonstrantur veritates necessariæ: ita de Deo per rationem Deitatis demonstrantur veritates contingentes. Et addit parum infrà, quòd hoc est verum de Theologia contingentium in intellectu Dei, & Beatorum, qui vident ipsam Deitatem intuitiuè; & per consequens per rationem Deitatis demonstrant omnes veritates, tam contingentes, quàm necessarias.

d *Totius Theologiæ*, &c. Hîc dicit Doctor quòd visio essentiæ diuinæ est sicut cognitio Metaphysica entis, id est, sicut cognitio entis in Metaphysica terminatur ad ens tanquam ad terminum incomplexum, sic visio Deitatis terminatur ad Deitatem, vt ad terminum incomplexum. Et addit, quòd beata visio non est Theologia, quia scientia Theologica tantùm respicit complexa, licèt talis visio sit supernaturalis, & pertineat ad cognitionem Theologicam incomplexorum in Theologia: non tamen dicitur scientia Theologica, quæ vt sic est respectu incomplexorum. 3.

Visio essentiæ diuinæ est sicut cognitiō Metaphysica entis.

e *Subiectum verò Theologiæ nostræ.* Dicit Doctor quòd sicut Deus sub ratione entis finiti est subiectum Theologiæ nostræ respectu necessariorum, quia vt tantùm primò notum, & non vt virtualiter continens, sicut diffusè suprà exposuimus; sic sub ratione entis infiniti est subiectum Theologiæ contingentium. Nam veritates contingentes in Theologia magis persuaderi possunt nobis per rationem entis infiniti, quàm per rationem Deitatis abstractiuè, & confusè cognitæ: sicut suprà exposuimus de veritatibus necessariis.

f *Contrà.* Hîc arguit Doctor, probando quòd Deus sub ratione Deitatis non sit subiectum Theologiæ contingentium: immò magis Verbum, quia illud ponitur subiectum contingentium, de quo primò verificantur veritates contingentes: sed de Verbo omnes articuli reparationis nostræ immediatè verificantur: patet de omnibus articulis pertinentibus ad redemptionem: ergo. Et quod dicit de veritatibus tam in se, quàm in intellectu diuino; exemplum, veritas huius, *Verbum est mortuum*, hoc cognitum ab intellectu diuino dicitur veritas in intellectu diuino: quia intellectus diuinus ab æterno cognouit hoc contingens, scilicet quòd Verbum est mortuum: veritas verò huius in se est, quando realiter verificatur de Verbo, puta quando mors infuit in Cruce.

g *Respondeo. Aliquod contingens potest dici primò de Verbo, & aliquod de Spiritu sancto, & aliquod de Deo trino.* Exemplum primi: *Verbum est incarnatum.* Exemplum secundi, *Spiritus sanctus apparuit in specie columbæ, & missus fuit Apostolis in linguis igneis.* Exemplum tertij: *Deus creauit mundum. Deus prædestinat. Deus glorificat.* Patet etiam de

Solutio apparentis contradictionis de quasi parte. Patre, quia vox Patris audita, &c. Et sic tres personæ possunt dici quasi partes subiecti, & dicit *quasi*, quia ibi non est propriè pars, cùm tale dicat imperfectionem; sed Deus ponitur subiectum, quia communis tribus personis. Aduerte tamen cùm dicit hic *quasi pars*, non contradicit sibi in hoc quòd dicit infrà *d. 5. quæst. 2.* quòd in Deo non est pars, nec quasi pars, cùm dicant imperfectionem; quia ibi loquitur de parte componente, siue quasi componente: & sic persona non est composita, nec quasi composita: hîc autem tantùm loquitur de parte subiectiua. Si dicatur, quòd etiam illa dicit imperfectionem. Dico, quòd si esset pars, vel quasi pars naturæ diuisibilis, vel quasi diuisibilis, esset ibi imperfectio: sed ponitur ibi quasi pars naturæ tantùm communicabilis: & nullo modo nec verè, nec quasi diuisibilis.

SCHOLIVM.

Relicit D. Bonau. dicentem Christum esse obiectum Theologiæ. Primò, quia nulla veritas necessaria, vel contingens cognosceretur de Patre, Spiritu sancto, vel Deo trino. Secundò, sequeretur, quòd Christus, quà homo, esset prior Patre, & Spiritu sancto. Tertiò, Christus non habet vllam prioritatem, ratione cuius Pater, & Spiritus sanctus possent ad eum attribui. Quartò, duæ rationes positæ num. 11. & prima, & tertia ratio, positæ num. 7. sunt contra eandem sententiam. Quintò, ad idem sunt quatuor persuasiones positæ num. 8.

14. *D. Bonau. in prologo 2. q. 1.* EX prædictis [a] apparet improbatio illius opinionis, quæ ponit Christum esse primum subiectum, quia tunc veritates necessariæ de Patre & Spiritu sancto, non essent Theologicæ, puta, *Pater generat, Spiritus sanctus procedit*, nec veritates contingentes de eis, puta, *Pater creat per filium, Spiritus sanctus temporaliter missus est visibiliter, & inuisibiliter*, nec veritates necessariæ de Deo trino, vt quòd est *omnipotens, immensus*: nec contingentes, vt *Deus creat, gubernat mundum, remittit peccata, punit, præmiat.* Et huiusmodi consequentiæ omnes probantur, quia ad nullam scientiam per se pertinet aliqua veritas, nisi sit de subiecto primo, vel de eius parte subiectiua, vel integrali, vel essentiali, vel de aliquo essentialiter ad subiectum attributo Sed patet quòd Pater, vel Spiritus sanctus, vel Trinitas non est Christus, nec pars aliqua aliquo dictorum modorum, nec attributum ad Christum essentialiter. *Quæ veritates per se spectant ad scientiam aliquam? vide Scot. q. 3. vniuersal.* Tum quia [b] Christus cùm dicat duas naturas, & hoc inquantum est subiectum, secundùm ponentes illud, sequitur, quòd vt habens naturam creatam, erit essentialiter prior Patre, vel Spiritu sancto, vel Trinitate: quia essentialis attributio non est nisi ad essentialiter prius: tum quia Christus secundùm diuinitatem, etiam non habet aliquam talem prioritatem, secundùm quam posset Pater, vel Trinitas ad Christum attribui.

Num. 11. Contra istam [c] etiam opinionem sunt duæ rationes vltimæ positæ suprà in solutione *Num. 12.* secundæ quæstionis contra opinionem de respectu *ad extrà.* Contra idem est prima ratio posita ad solutionem primæ quæstionis, quia veritates necessariæ de Patre, & de Spiritu sancto, & de Trinitate, impossibile est contineri virtualiter primò in Christo: quia si Verbum incarnatum non fuisset, illæ veritates necessariæ, nihil minùs fuissent. Tertia etiam ibidem valet ad hoc, quia non esset tradenda hîc aliqua notitia de Deo, nisi vt includitur in Christo, hoc est, vt de Verbo tantùm: & ita non esset distinctissima notitia de Deo, quæ tradi posset: igitur esset alia prior requirenda.

15. *Contra D. Bonau. qui voluit vnitatem suppositi in Christo esse rationem formalem subiecti.* Ad hoc etiam faciunt aliquæ persuasiones ibi positæ, quia ista vnitas, quæ est Christi, vt est suppositum vnum in duabus naturis, non est vnitas æterna: istam autem oportet ponere formalem vnitatem primi subiecti: ergo primum subiectum, vt primum, non est aliquid æternum. Illa etiam persuasio de fide videtur concludere. Non enim est creditum, vel verum Theologicum, *hunc hominem esse crucifixum*, non implicando Verbum in subiecto, quia *hunc hominem* in cruce potuerunt Iudæi naturaliter videre. Sed creditum est, & verum Theologicum, *Verbum esse hominem de Virgine natum: Verbum esse hominem crucifixum: Verbum esse hominem resurgentem*, & sic de aliis articulis pertinentibus ad humanitatem. Pertinentes autem ad diuinitatem, patet quòd non conueniunt primò Christo, vt Christus est, sed aliqui aliis personis, aliqui Trinitati: ergo obiectum adæquatum Theologiæ non est Christus, sed aliquid quasi commune Verbo, de quo primò traduntur articuli pertinentes ad reparationem; & Patri, & Spiritui sancto, scilicet de quibus sunt aliquæ Theologicæ veritates.

Exemplo declaratur. Videtur [d] igitur dicendum, quòd sicut si in Medicina corpus humanum sit primum subiectum, de quo consideratur ibi passio, vt sanitas, & infirmitas, si species corporis humani essent corpus sic mixtum, & sic, puta corpus sanguineum, & corpus phlegmaticum, &c. hoc totum, *corpus sanguineum sanum*, non esset primum subiectum; tum quia nimis particulare, tum, quia includit passionem considerandam de subiecto, quæ

quæ non potest esse ratio subiecti: quia subiectum vt subiectum, est prius natura passione, & ita passio esset prior seipsa.

Et breuiter *, quidquid diceretur de aliqua medicina tradita, scilicet, quòd esset de tali particulari, vt de ente per accidens, saltem impossibile esset primam scientiam de corpore hominis esse de corpore hominis sanguineo sano, imò, si qua esset de ipso, alia posset esse prior, siue de corpore hominis in communi: quia ipsum in communi habet aliquas passiones cognoscibiles de ipso, per rationem communem, vt est prior inferioribus: siue de corpore sanguineo: cuius ratio est naturaliter prior corpore sanguineo sano: & ista ratio prior continet virtualiter aliquas passiones de corpore hominis sanguineo sano, quia & eius ratio præcedit corpus sanguinem sanum.

Ita in proposito, Christus dicit *Verbum hominem*, secundùm Damascenum *lib.3.* ante igitur notitiam quæ esset de Christo, vt de primo subiecto, nata esset alia esse prior de Verbo, si qua sibi insit per rationem, quà verbum: & ante istam, alia de Deo quantùm ad illa quæ insunt per rationem Dei, vt est communis tribus personis. Si igitur Theologiam tenemus secundùm se esse primam notitiam, ipsa non erit primò de Christo: & si æquè est de veritatibus communibus & propriis tribus personis, ipsa non erit de aliqua persona, vt de subiecto adæquato, sed de Deo, vt est communis tribus personis. Et tunc saluabitur, quòd omnis veritas Theologica, vel est de primo subiecto, puta, quæ inest Deo per rationem Dei; vel quasi de parte subiectiua primi subiecti, puta, quæ est propria alicui personæ; aut de aliquo quod attribuitur ad subiectum primum; vel quasi parte subiecti, vtputa de creatura quantùm ad respectum, quem habet ad Deum vt Deus, & de natura assumpta, quantùm ad respectum, quem habet ad Verbum sustentificans.

Cap.2.& 6.

Quomodo omnis veritas Theologica est de Deo?

COMMENTARIVS.

I. *Opinio D. Bona. in prologo primi libri.q.1.*

a *Ex prædictis apparet improbatio illius opinionis*, scilicet in prologo, *quæst.*1. quæ ponit exemplum esse primum subiectum. Et hoc probat, quia ad nullam scientiam per se pertinet aliqua veritas, nisi sit de subiecto primo; vel de parte eius subiectiua; vel integrali: vel essentiali; vel de aliquo ad subiectum essentialiter attributo. Exemplum in Physica, vbi multæ veritates demonstrantur de subiecto primo, puta mobilitas de corpore mobili, & aliæ passiones, quæ conuertuntur cum corpore naturali. Et multæ demonstrantur de materia, & forma, quæ sunt partes essentiales corporis naturalis, puta, quòd materia est subiectum generationis, vel quòd materia est perfectibilis primò à forma substantiali: similiter de forma, puta quòd det *esse* materiæ, puta *esse* formale; vel quòd sit principium rerum naturalium; vel quod sit terminus formalis generationis. Aliquæ etiam demonstrantur de partibus integralibus: puta, quòd pars integralis corporis Physici est ita indiuisibilis, sicut & totum corpus: & est ita composita ex materia & forma, sicut totum compositum, & quòd includat quantitatem & huiusmodi. De partibus etiam subiectiuis patet, quia multæ veritates demonstrantur de elementis, & mistis, &c. De his etiam, quæ habent essentialem attributionem ad corpus naturale, quæ tamen non sunt nec partes essentiales, nec integrales, nec subiectiuæ illius; multæ veritates demonstrantur, vt patet de motu, transmutatione, & de multis aliis.

2. *Vide Gabriel. Bibl.9.q.prologi.*

Sed in proposito: si Christus esset subiectum Theologiæ, illa de quibus demonstrantur multæ veritates Theologicæ, vel essent partes subiectiuæ; vel essentiales; vel integrales Christi; vel haberent ordinem essentialem attributionis ad Christum. Sed de Patre demonstratur quòd generat Filium: & de Spiritu sancto quòd procedit à Patre, & Filio. De Patre etiam demonstratur ista contingens, scilicet quòd creat per Filium: & de Spiritu sancto quòd temporaliter missus est, & tamen nec Pater, nec Spiritus sanctus sunt partes Christi: nec subiectiuæ, nec integrales; nec essentiales, vt patet: nec habent essentialiter attributionem ad ipsum, quia tunc dependerent ab ipso, quod est impossibile. Et vltrà sequeretur, quòd æternum haberet essentialem attributionem ad temporale: patet, quia Christus, vt Christus includit naturam diuinam & humanam: & sic Christus, est Christus tantùm ex tempore, & sic temporale esset prius essentialiter æterno, quia quod habet essentialiter attributionem ad aliud, est essentialiter posterius illo. Et aduerte, quòd Christus non solùm non potest poni, vt subiectum specificum, continens virtualiter omnes veritates: quia patet hoc esse simpliciter impossibile: sed nec etiam potest poni vt subiectum, quasi habens vnitatem genericam, de quo dixi suprà, quia tale subiectum sic se habet, quòd omnia contenta in tali scientia, de quibus immediatè demonstrantur aliquæ veritates, vel sunt partes subiectiuæ, vel essentiales, &c. vt suprà, & sic Doctor probat de vtroque subiecto.

b *Tum quia Christus secundùm diuinitatem non habet aliquam talem prioritatem, secundùm quam posset Pater, vel Trinitas ad Christum attribui.* Patet, quia vbi est talis prioritas, & posterioritas, ibi est ordo essentialis: qualis non est in diuinis ad intrà, quia dependens essentialiter est imperfectius, &c.

c *Contra etiam istam opinionem sunt duæ rationes vltimæ*, de respectibus ad extrà, quia Verbum esse incarnatum dicit tantùm respectum rationis: vt patebit *in 3.distinct.1.quæst.1.* & sic Theologia, quæ esset de Verbo, sub tali respectu non esset realis: nec similiter esset vna per se scientia: nec etiam posset demonstrari aliqua veritas necessaria: quia talis respectus inest tantùm contingenter: hæc omnia sunt exposita suprà. Aliæ rationes sequentes sunt per se claræ in litera.

3. d *Videtur igitur dicendum*, quòd si totius medicinæ ponatur corpus humanum vt subiectum, de quo demonstrantur passiones primò, puta sanitas, tunc corpus inferius, puta corpus sanabile, sanguineum, vel cholericum, non poterit poni pro subiecto primò, & adæquato: patet, quia sanitas in communi, nata est priùs sciri de corpore sanabili in communi. Si enim hoc totum, *Corpus sanguineum sanum*, ponatur subiectum adæquatum in medicina, tunc particulare esset subiectum magis adæquatum, quàm commune corpus. Tum etiam, quia tale includit aliquam passionem demonstrandam de corpore: quæ non potest esse ratio subiecti. Patet, quia sicut subiectum est prius naturâ passione, ita ratio formalis subiecti erit prior natura: si ergo passio poneretur ratio formalis subiecti: tunc idem esset prius seipso: patet, quia ratio formalis subiecti est prior passione demonstrabili: & per consequens si passio poneretur ratio formalis, esset prior seipsa.

4. e *Et breuiter quicquid diceretur de aliqua medicina tradita, scilicet quòd esset de tali particulari, & de ente per accidens*, púta de corpore sanguineo sano, *saltem esset impossibile primam scientiam de corpore hominis, esse primò de corpore hominis sanguineo.* Patet, quia ratio corporis hominis in communi, est simpliciter prior ratione hominis sanguinei; & ideò esset aliqua scientia prima de corpore hominis in communi, quàm de corpore hominis sanguineo, sicut patet. Hoc idem dico de prima scientia Theologica, quòd erit primò & adæquatè de aliquo alio, quàm de Christo. Priùs enim natum est sciri aliquid de Verbo absolutè, quàm de Verbo, vt incarnato: quia ab æterno, & ante omnem comparationem ad extrà, scitur Verbum gigni à Patre: quia productio ad intrà est necessariò prior omni productione ad extrà, tam simpliciter, quàm secundùm quid: vt probat Doctor *in 1.d.1. quæst.2.* Similiter erit aliqua scientia simpliciter prior de Patre, & de Spiritu sancto, & de ipso Deo trino, & vno, quàm sit de ipsis sub aliquo respectu ad extrà, & per consequens cùm Christus dicat duas naturas, ita quòd Verbum dicit respectum passionis ex tempore ad naturam assumptam; de ipso non poterit esse simpliciter prima scientia, vt patet: erit ergo Theologia de Deo, vt de primo, & adæquato subiecto: vt ipse Deus est communis tribus personis, & tunc saluabitur quòd omnis veritas Theologica, vel est de primo subiecto, puta quæ inest Deo per rationem Dei, vt ista veritas, siue proprietas, quòd *est infinitæ bonitatis*; vel quòd *est communicabilis tribus*: & breuiter omnis proprietas dicens perfectionem simpliciter, vel quasi de parte subiectiua primi subiecti, vt generare Patri; generari Filio; spirare Patri, & Filio; spirari Spiritui sancto, & multæ aliæ, quæ insunt ratione personarum. Vel erit de aliquo, quod attribuitur ad subiectum primum, puta de creatura, quæ attribuitur Deo, quantùm ad respectum, quem habet ad Deum, vt Deus est: quia dependentia creaturæ terminatur ad Deum, vt Deus est, & de multis aliis. Vel per attributionem ad quasi partem subiectiuam, vt patet de natura assumpta quantùm ad respectum, quem habet ad Verbum, terminans illum respectum, vt patebit in 3.d.1.q.1.& q.19.quodlib.

Conclusio de subiecto Theologia. Vide D. Thomam 1. p.q.1. art.7. tenentem opinionem Scoti.

SCHOLIVM.

Ponit opinionem Linconiensis, Christum esse subiectum, secundùm triplicem vnitatem, quarum prima est ad alias duas personas. Secunda ad naturam assumptam. Tertia, ad membra. Pro hac adducit, & soluit clarè tria argumenta.

Quotupliciter Christus dicatur esse vnus? de quo 3.d.13.

1. Aliter [a] tamen ponitur, Christum esse subiectum primum secundùm Linconiensem in Hexaëmeron, & hoc vt Christus est vnum triplici vnitate: quarum prima est ad Patrem & ad Spiritum sanctum; Secunda, Verbi ad naturam assumptam; Tertia, Christi capitis ad membra. Et pro ista [b] opinione de Christo videtur esse Prima ratio positâ ad primam quæstionem & penultima: quia septem articulos fidei pertinentes ad humanitatem, non continet Deus vt subiectum, quia per naturam diuinitatis non conueniunt Deo. Illud autem subiectum primò continet passionem, per cuius formam passio sibi inest; Christus autem & istos continet, quia secundùm humanitatem sibi insunt: & præter hoc Christus continet realiter alios pertinentes ad Deitatem, quia secundùm diuinitatem illa dicuntur inesse sibi.

Item, subiecta partium doctrinæ debent contineri sub subiecto totius, vel vt partes subiectiuæ, vel vt quasi integrales: non autem continentur sub Deo sic subiecta partium sacræ Scripturæ. Quod probatur per glossas multas in principiis librorum, assignantes causas materiales aliquas, quæ non sunt aliquid Dei. Vnde super Oseam dicit glossa, quòd materia libri Oseæ est, *Decem tribus.* Præterea, in aliquo libro Scripturæ nihil proprium de Deo narratur: quia nullum factum ibi narratur, vbi requiratur ex parte Dei aliquid, nisi influentia tantùm generalis: ergo talis liber non est de Deo.

Ad primum dico, quòd veritates enunciatæ contingenter de Christo in nullo subiecto continentur virtualiter, sicut subiectum dicitur continere passionem: quia tunc inessent necessariò; tamen habent aliquod subiectum, de quo immediatè enunciantur & primò: illud est Verbum. Nam veritates Theologicæ de Incarnatione, Passione, Natiuitate, &c. sunt istæ: *Verbum est factum homo, Verbum est homo natus, Verbum est homo passus*, &c.

Cùm dicis; passio inhæret secundùm naturam humanitatis; Respondeo, humanitas

non

non est ratio primi subiecti, ad quod stet resolutio: sed est quasi passio prior, medians inter primum subiectum istarum veritatum, quod est *verbum*, & alias posteriores passiones, vt *natus*, &c. Patet enim quòd humanitas non potest esse ratio subiecti respectu passionis primæ, quæ est *esse incarnatum*: quia illud dicitur de verbo, non præintellectâ humanitate in ipso, vt in subiecto.

Ad secundum dico, quòd sufficit scientiæ, subiectorum partialium attributio ad primum subiectum; qualis attributio ad Deum, potest saluari cuiuscunque materiæ assignatæ per glossas adductas. Aliter tamen potest dici, quòd materia cuiuslibet libri est Deus, de quo ibi narratur, quomodo genus humanum gubernauerit; sed gens, vel persona gubernata, est materia remota: & ita intelligendæ sunt glossæ tales. *Subiecta partialia debent habere attributionem ad primum subiectum.*

Per hoc patet ad tertium, quia licèt esset aliquis liber nullum Dei miraculum continens, tamen quilibet continet prouidentiam, & gubernationem Dei circa hominem in communi; vel determinatam gentem, vel personam, in tantum, quòd si eandem historiam de Pharaône scribat Moyses in Exodo, & aliquis Ægyptius in Chronicis Ægyptiorum; subiectum Historiæ Moysi est Deus, de quo traditur ibi gubernatio hominum, misericorditer liberando Iudæos oppressos, iustè puniendo Ægyptios oppressores: sapienter ordinando formam liberandi congruam, ad hoc vt populus liberatus legem gratanter acciperet, potenter tot sibi propria signa faciendo. Subiectum verò historiæ Historiographi esset Regnum, vel Rex, vel populus Ægyptiacus, cuius actiones & casus circa ipsos contingentes ipse intendit scribere; ita quod incidens est sibi, quid Deus fecerat: sed principale quid genus sua fecerit, vel passa sit. Principale autem est Moysi, quid Deus egerit, vel permiserit: sed quasi incidens est sibi circa quam materiam hoc contigerit. 2. *Quomodo Deus est obiectum librorum Bibliæ?*

Et dato quòd alicubi nullum miraculum enarretur: tamen quid Deus permiserit assistendo secundùm communem influentiam, & non impediendo, hoc principaliter intenditur in libro illo, inquantum est pars Scripturæ: & qualiter illud conuenienter ordinatum sit ad bonum aliorum, si fuit ordinabile, vel iustè punitum, si fuit malum. Hoc frequenter additur in libro eodem, vel alio, aut si permissum fuit, nec hoc punitum, non tacet Scriptura alibi de illo in generali, quòd alibi punietur.

COMMENTARIVS.

1. *Opinio Linconiensis.*

a *Aliter tamen ponitur Christum esse subiectum primum.* Hîc Doctor recitat opinionem Linconiẽsis in Hexaëmeron, quę ponit Christum esse subiectum Theologiæ sub triplici respectu, siue vnitate. Prima ad Patrem, &c. Et pro ista opinione, *videtur esse prima ratio ad primam quæstionem*, quæ est de continentia virtuali: & sic Christus, quantùm ad humanitatem, continet septem articulos: & quantùm ad naturam diuinam realiter continet alios pertinentes ad diuinitatem. Secundò arguitur, quia partes integrales, vel subiectiuæ Theologiæ non continentur sub Deo: patet per Glossam super Oseam, dicentem quòd materia libri Oseæ sunt *decem tribus*, quæ non sunt aliquid Dei. Tertiò, quia in aliquo libro Scripturæ nihil de Deo narratur, ergo.

Veritates contingentes in nullo subiecto virtualiter continentur.

Respondeo primò, quòd veritates contingentes in nullo subiecto virtualiter continentur, vt suprà patuit: habent tamen aliquod subiectum de quo immediatè enunciantur. Et primò illud est Verbum, loquendo de veritatibus pertinentibus ad humanitatem.

2.

b *Nam veritates Theologicæ de incarnatione, &c, Illud dicitur de verbo non præintellecta humanitate in ipso, vt in subiecto:* patet quia, etsi in eodem instanti assumpserit totum, & partes simul: vt patet *in tertio d.* 2. tamen sicut partes intelliguntur esse in toto, sic etiam quasi prius quodammodò intelligitur assumere partes quàm totum: vt patet *in tertio, vbi suprà*, & quia caro est prior humanitate, ideò quasi prius, Verbum dicitur esse incarnatum, quàm habere humanitatem, licèt simul omnia assumpserit: vt patet *in tertio vbi suprà.* Sicut etiam dicimus, quòd Ioannes primus intelligitur esse ens, deinde substantia: & sic descendendo, sic in proposito.

Vel aliter, secundùm aliquos, posset dici, licèt fortè non ita ad sensum literæ: potest ergo etiam sic intelligi quantùm ad vnionem: quia priùs intelligitur vnionem terminari ad Verbum, quàm humanitas intelligatur ibi. Vnio enim illa causatur immediatè à Deo, & fundatur in humanitate, & terminatur ad Verbum. Si ergo Verbum dicatur incarnatum, quia terminat talem vnionem, tunc erit priùs incarnatum quàm intelligatur humanitatem prædicari de illo. Priùs enim intelligitur vnio albedinis ad subiectum, quàm intelligatur albedinem prædicari de subiecto, nec diceremus subiectum terminare vnionem albedinis, ratione ipsius albedinis: cùm priùs intelligatur vnionem illam terminari, quàm intelligamus albedinem esse in subiecto vt in subiecto, id est, quàm priùs denominet subiectum. Sic dico in proposito, quòd Verbum priùs intelligitur terminare vnionem naturæ humanæ, quàm vnione dicatur simpliciter incarnatum: & quàm intelligatur humanitas in illo, vt in subiecto, id est, vt denominans suo modo subiectum. Non enim est ibi vt accidens in subiecto, cùm nõ informet Verbum; nec aliquo modo perficiat, vt patet ex Doctore *in* 3. *d.* 1. *q.* 1. sed dicitur prædicari de Verbo denominatiuè, vt *prædicatio denominatiua*, distinguitur contra *quiditatiuam*, non vt distinguitur contra *substantialem*, quâ dicimus vnam substantiam prædicari de alia, licèt vna non sit de essentia alterius. Vide Scotum *in* 3. *dist.* 7. *q.* 1. *Homo prædicatur de Deo denominatiuè.*

SCHO

SCHOLIVM.

Soluit argumenta primæ quæstionis posita num. 1. & 2. pro vtraque via, explicando varia Axiomata Philosophica.

1. *Scot. 4. d. 11. q. 5. ad 2.* *Quomodo subiectum scientiæ dicatur materia?*

AD primum [a] argumentum primæ quæstionis. Ad Boëtium dico, quòd loquitur ibi de subiecto accidentis, & non de subiecto considerationis. Ad aliud de secundo Physicor. dico, quòd intelligit de materia *ex qua*, non *in qua*, vel *circa quam*. Vel meliùs, quòd subiectum scientiæ, secundùm veritatem non pertinet ad genus causæ materialis, sed ad genus causæ efficientis: dicitur tamen subiectum Scientiæ, *materia*, per quandam similitudinem ad factionem, vbi simul concurrunt ratio obiecti *circa quod*, & ratio materiæ susceptiuæ, quia factio est actus transiens extrà, non sic est de actu proprio scientiæ. Tamen intelligitur transire, quia non terminatur in se, sed ad aliud, circa quod est, licèt non recipiatur in illo, circa quod est, sed manet in sciente. Et propter hanc proprietatem materiæ, scilicet *esse circa quod*, subiectum dicitur *materia* respectu scientiæ, & actus eius.

Personæ sunt quasi partes subiectiuæ.

Ad illud [b] de *primo Posterior.* Dico quòd subiectum cuiuslibet scientiæ naturaliter inuentæ, est aliquod vniuersale; ideò subiectum talis scientiæ, oportet quòd habeat partes subiectiuas: istius autem scientiæ subiectum est *essentia hæc*, vt singularis, quia imperfectionis est in natura creata vniuersali, quòd in multis singularibus diuidatur: ista igitur imperfectione ablatâ, remanet quòd ista essentia est scibilis sine diuisibilitate eius in partes subiectiuas. Tamen posset dici, quòd personæ diuinæ sunt quasi partes subiectiuæ ipsius essentiæ diuinæ, sed essentia in eis non numeratur.

Var. lib. 1. d. 2. art. 1. & 2. *Quomodo dicatur passio esse extra essentiã subiecti?*

Quod autem [c] additur de passionibus, dicunt aliqui, quòd attributa sunt quasi passiones huius essentiæ. Sed hoc non valet, quia consideratio attributorum naturaliter à nobis intelligibilium, est consideratio Metaphysica, nisi sint aliqua attributa per se tantùm conuenientia huic essentiæ, vt *hæc*, & non vt à nobis nunc naturaliter intelligitur confusè. Quod autem accipitur, quòd passio est extra essentiam subiecti; hæc est vera, vbi passio est realiter causata à subiecto. Sed in diuinis illud quod habet rationem passionis, non est causatum, quia per identitatem transit in essentiam. Tamen quantùm ad scibilitatem, scitur per essentiæ rationem, ac si esset realiter distincta ab essentia.

Causa scibilitatis non est causa entitatis.

Quod tertiò [d] dicitur de principio subiecti; dico quòd non oportet principia scibilis esse principia in se, ipsius subiecti: quia entis inquantum ens (quod ponitur subiectum Metaphysicæ) nulla sunt principia: quia tunc essent cuiuslibet entis, sed oportet cuiuslibet subiecti esse principia, per quæ demonstrentur eius passiones de eo, ex quibus principiis, tanquam ex mediis demonstrationis, formantur principia complexa, sicut propositiones per se notæ. Hoc modo cuiuslibet subiecti possunt esse principia quantumcunque imprincipiati respectu suarum passionum.

2. *Responsio ad arg. secundæ viæ.*

Ad alia [e] secundæ viæ. Ad primum dico, quòd illa auctoritas exprimit materiam huius scientiæ in communi: non subiectum primum formale. Ad aliud dico, quòd quicunque sensus in vna parte Scripturæ non est literalis, in alia parte est literalis: & ideo licèt aliqua pars Scripturæ habeat diuersos sensus, tamen tota Scriptura habet omnes sensus istos pro sensu literali.

Quare homo non possit esse subiectum huius scientiæ.

Ad tertium [f] dico, quòd argumentum est ad oppositum, dupliciter. Primò, quia homo ponitur subiectum Moralis scientiæ, vel Medicinæ, pro eo quòd continet virtualiter omnes veritates illius scientiæ: nam corpus humanum continet virtualiter rationem sanitatis: ideò enim sanitas hominis est talis, quia corpus humanum est sic complexionatum. Similiter anima hominis continet virtualiter rationem felicitatis naturalis, sicut patet ex *primo Ethico.* vbi ex ratione animæ concluditur ratio felicitatis naturalis hominis. Non sic homo continet rationem finis huius scientiæ: quia finis supernaturalis, vel obiectum eius, non includitur in ratione hominis: & ideò non potest esse subiectum huius scientiæ primum.

De hoc 2. d. 6. q. 2. vbi de vtroque amore.

Secundò [g] sic; Homo est finis vltimus istarum scientiarum, ad quem tam sanitas, quàm felicitas naturalis ordinatur. Probatio, quia omnis amor concupiscentiæ præsupponit amorem amicitiæ: sanitas autem, vel fœlicitas amatur amore concupiscentiæ, ideo illud, quod amatur amore amicitiæ, est vlterior finis, quàm aliquod illorum; sed istud est corpus, ex vna parte, & anima ex alia: igitur, si homo secundùm corpus, vel animam, est subiectum huius scientiæ, sequitur, quòd finis est subiectum huis scientiæ.

Ad

Ad Quartum dico,quòd prima propositio est falsa : quia nihil aliud est finis scientiæ, quàm attingere per actum proprium obiectum illius scientiæ, non quòd inducat aliquam formam per actum suum in obiectum : quia scientia non est aliqua scientia factiua.

COMMENTARIVS.

1. *Responsio ad argumenta principalia.* a NVnc respondendũ est ad argumẽta principalia primæ quæstionis de subiecto Theologiæ. Ad primum. Respondet Doctor quòd auctoritas Boëtij est vera de subiecto accidentis, siue inhæsionis:tale enim subiectum non est simplex. Si dicatur,quòd anima est subiectum etiam accidentium spiritualium, & tamen est forma simplex. Dico, quòd summè simplex nec est in se compositum,nec alteri componibile,sicut ex subiecto & accidente fit vnum compositum per accidens:licèt fortè posset etiam aliter exponi, sed hoc sufficit pro nunc. Certum est autem, quòd subiectum considerationis potest esse etiam summè simplex, quia tale nihil includit pertinens ad compositionem.

Ad secundum respondet Doctor quòd Philosophus intelligit de materia ex qua fit res naturalis, vt patet ibi : cùm dicit in principio illius text. *Quoniam autem causæ quatuor sunt de omnibus Physico cognoscere*, &c. Et sic verum est, quòd materia talis nullo modo est efficiens, nec finis, nec forma : sed non loquitur de materia *in qua*, quæ scilicet est receptiua accidentis: quia talis est vltimatè substantia, cum accidens non recipiatur immediatè in materia, vt aliàs patebit : & multoties subiectum accidentis erit causa efficiens accidentis, vt patet de substantia ignis, quæ est immediata causa caloris sui, vt patebit à Doctore *in* 4.*d.*12.Materia etiam circa quam est aliqua scientia,potest esse causa efficiens alicuius,puta passionis demonstrabilis de illa.

Quomodo materia, & efficiens coincidunt.

Nota tamen quòd dicit de subiecto scientiæ. Hîc Doctor vult expresè, quòd subiectum scientiæ dicatur subiectum in ratione causæ efficientis, id est, quòd subiectum scientiæ est causa effectiua, saltem partialis notitiæ conclusionis demonstrabilis, sustinendo quòd entitas subiecti sit causa effectiua scientiæ. Vel si dicatur (vt suprà exposui) quòd notitia subiecti est causa effectiua notitiæ conclusionis demonstrabilis, remota tamen : quia notitia principiorum est immediatè causa. Et sic hac via de notitia subiecti magis saluatur subiectum Logicæ : quia certum est, quòd Syllogismus, qui ponitur subiectum Logicæ à Doctore,vt patet in Vniuersalibus, non continet virtualiter notitiam conclusionis demonstrabilis : patet, quia ens rationis. non potest esse causa effectiua, nec totalis, nec partialis alicuius scientiæ, quæ est qualitas absoluta : vt diffusè patet à Doctore *q.*13.*quodl.& d.*14.

Syllogismus est subiectum adæquationis logicæ.

2. Si tamen diceretur, quòd notitia Syllogismi continet remotè virtualiter notitiam conclusionis demonstrabilis in Logica, vt notitiam huius: quòd *Syllogismus habet tres terminos.* Sed tunc esset quæstio de notitia subiecti Logicæ, sed quia non est præsentis speculationis, aliàs diceretur. Dicit tamen Doctor quòd per quandam similitudinem potest dici materia:& litera satis clara est. *Dicitur enim subiectum scientiæ materia propter quandam similitudinem ad factionem, quia factio est actus transiens extrà*,id est,quòd terminatur ad aliquod productum,quod non recipitur in ipso faciente : sed recipitur in materia extrà, vt patet de faciente domum : vbi forma domus est in materia extrà: sed *non est sic de actu proprio scientiæ :* quia actus est actualis notitia conclusionis scitæ, *dicitur tamen transire*,&c.Si dicatur : Nonne factio est subiectiuè in faciente, & terminatur ad materiam extrà, Dico quòd factio respectus dicitur propriè terminari ad materiam extrà, quia per ipsam acquiritur aliquid in materia extra, vt patet de forma domus.Productio verò respectus,quæ terminatur ad actum intelligendi productum, dicitur actio immanens:quia intellectio producta recipitur in ipso producente:quia tamen talis intellectio terminatur ad obiectum, tunc tale obiectum potest dici materia circa quam.

Subiectum scientia vnde dicatur.

b *Ad illud de primo Posterior.* Ad tertiam respondet Doctor quòd Philosophus loquitur de subiecto scientiæ naturaliter inuentæ, quia tale propriè habet partes subiectiuas. Est enim scientia,secundùm ipsum, de vniuersalibus primò, & per se, licèt de singularibus sit per se, & non primò. Habet etiam principia, supple intrinseca, cùm tale sit verè definibile;& passiones primò, & per se de ipso demonstrabiles. Et hoc modo, quantùm ad duas primas conditiones, non ponitur Deus subiectum (vt patet) quia etsi Deus sit communicabilis pluribus personis, non tamen est diuisibilis in illis: quia tunc ibi essent tres naturæ diuinæ:nec propriè definibilis:vt patebit infrà *d.*8.*q.*2.*& in quodl.q.*1. Posset tamen dici,quòd personæ diuinæ sunt quasi partes subiectiuæ, & hoc intellige vt suprà exposui. 3.

c *Quod autem additur de passionibus*, quòd ibi nõ sit passio,*dicunt aliqui*,scilicet Guillelmus Varro lib. 1. d. 2. art. 1. & 2. *quòd attributa sunt quasi passiones*, &c. *est consideratio Metaphysica*, & non Theologica. Nam quod dicimus,illud,quod nominamus *Deum*, est summè sapiens, summè bonum, & huiusmodi; potest à vero Metaphysico sciri : & sic talia attributa dicuntur proprietates demonstrabiles de Deitate à Metaphysico.Et addit, *nisi sint aliqua attributa*, &c. Fortè sunt multæ proprietates,quæ tantùm sunt natæ cognosci per rationem Deitatis distinctè cognitæ,vt *hæc Deitas:* & tales proprietates possunt dici quasi passiones demonstrabiles, quæ tamen proprietates non cognoscuntur de Deitate, vt confusè cognita : vt puta,vt cognoscitur inquantum ens, vel inquantum est aliquod ens summum,& huiusmodi : sed inquantum est hæc essentia.

Quod autem accipitur : quòd passio est extra essentiam subiecti,&c.Hîc multi volũt intelligere,quòd mens Doctoris fuerit, quòd in creaturis passio est realiter causata à subiecto : & ex hoc quòd sit realiter distincta à subiecto : cuius oppositum expresè tenet Doctor quòd non sit realiter distincta à subiecto. Aliqui tamen faciunt magnam differentiam inter distinctionem essentialem,& realem : concedentes quòd licèt passio distinguatur realiter à subiecto,non tamen essentialiter : & sic intelligendo,subiectum non potest separari à passione.Sed quicquid sit, in secundo articulo exposui quomodo subiectum est causa passionis, vide ibi. Multi tamen Parisini accipiunt notitiam passionis 4.

Passio est extra essentiam subiecti non realiter, sed formaliter.

sionis pro passione: supple, quòd notitia passionis est realiter causata à subiecto, & sic realiter distincta: ipsa tamen passio est realiter causata.

Sed postea esset difficultas, quia dicit Doctor quòd illud, quod habet rationem passionis in diuinis, non est realiter causatum, quod non potest intelligi de notitia illius, quia in intellectu beato talis notitia est realiter causata: nisi dicatur quòd in intellectu diuino non est realiter causata: sic exponendo, quòd notitia illius, vt habet rationem passionis in diuinis, respectu intellectus diuini non est realiter causata: quia est simpliciter idem, quod essentia diuina realiter & essentialiter: vt patet ex Doctore infrà, *d.*1.

d *Quod tertiò dicitur.* Nota hanc responsionem, quia dicit Doctor quòd non est necesse subiectum habere principia intrinseca, per quæ demonstrentur passiones de ipso: sicut de homine demonstratur risibilitas per definitionem ipsius, quæ est principium intrinsecum ipsius hominis: sed sufficit, quòd tale subiectum sit principium suo modo effectiuum passionis demonstrabilis: & sic ex ratione talis subiecti (licèt nullo modo ex parte rei distincta à subiecto) possum demonstrare passiones de ipso, vt patet de ente respectu suarum passionum.

5. e *Ad alia secunda via. Ad primum dico*, &c. Respondet Doctor ad Augustinum quòd loquitur de materia remota scientiæ: sicut dicimus, quòd Physica ex quo est scientia realis, quòd erit de rebus: sed postea specificatur de quibus rebus, & tandem erit de rebus naturalibus: & sic erit de aliquo primo, cui omnes res naturales habent attributionem. Sic in proposito Theologia cùm sit scientia realis, erit vel de rebus significatis; vel de ipsis signis significantibus res: sed pòst quæritur de quibus rebus erit de diuinis: & per consequens de aliquo primo, cui omnia in tali scientia considerata habent attributionem aliquo modo, & tale primum erit Deus.

Exemplum de multiplici sensu Scripturæ sacræ reducibili ad vnum.

Ad secundum dicit, quòd licèt aliqua pars Scripturæ habeat quatuor sensus: tamen tota Scriptura habet omnes sensus istos pro literali: quia quicunque sensus in vna parte Scripturæ non est literalis, in alia parte erit literalis: quia sensus moralis in vna parte Scripturæ erit ille sensus ad literam in alia parte: sicut cùm dicitur *Lucæ* 15. *Abijt in regionem longinquam*, moraliter, id est, recessit per peccatum à gratia Dei, siue à salute animæ: hic sensus moralis erit literalis in alio loco Scripturæ, puta in isto: *Longè à peccatoribus salus*, & sic de aliis.

6. f *Ad tertium dico*, &c. Doctoris responsio stat in hoc, quòd ideò hoc est subiectum scientiæ moralis, quia virtualiter continet quo ad animam omnes veritates in illa contentas: nam per rationem animæ concluditur talis finis moralis scientiæ conuenire homini, puta felicitas naturalis: & habita cognitione finis, per animam concluduntur omnia media ad illum finem: cuiusmodi sunt virtutes morales, quæ ordinantur ad felicitatem naturalem, vt ad finem, & sic per rationem formalem animæ, concludimus & finem sic natum conuenire homini, & omnia ad illum finem ordinata. Et hoc magis patebit in quæstione de praxi. Cùm ergo per rationem formalem animæ non possit concludi, vltimum finem Theologiæ conuenire homini, quia tunc via naturali cognosceretur vltimus finis hominis, cuius oppositum probatum est *quæst.*1. *prologi*; sequitur, quòd homo non erit subiectum Theologiæ. Imò si poneretur subiectum, contineret virtualiter vltimum finem Theologiæ, non tantùm quo ad cognitionem illius, sed etiam quo ad entitatem, vt infra patebit, *dist.*3. *quæst.*1. & *dist.*8. *quæst.*2.

Homo non potest esse subiectum Theologiæ.

g *Secundò sic: Homo est finis*, &c. Hîc intendit probare, quòd magis Deus sit subiectum Theologiæ, quia finis vltimus patet à simili: quia homo vt finis vltimus scientiæ moralis, ponitur subiectum eius, quo ad animam: patet, quia amor concupiscentiæ præsupponit amorem amicitiæ, vt finem, ad quem ordinatur: vt magis patebit *in* 2. *distinct.*6. *quæst.*2. cùm ergo felicitas naturalis ametur amore concupiscentię, patet quia propter hominem amatum amore amicitiæ, sequitur, quòd homo sic amatus erit vltimus finis moralis scientiæ, & sic subiectum eius: cùm ergo Deus sit simpliciter vltimus finis Theologiæ, cùm sit tantùm amabilis propter se: imò repugnat formaliter esse amabile propter aliud, vt probat Doctor *in* 4. *distinct.*49. & omnia in Theologia considerata sint tantùm propter ipsum diligibilia, sequitur ex ista ratione, quòd erit magis subiectum Theologiæ.

Quid sit finis propriè scientiæ.

Ad aliud, patet: quia illa propositio est falsa, scilicet, quòd finis scientiæ est inducere formam, &c. Finis enim propriæ scientiæ, est tantùm attingere obiectum illius scientiæ per actum suum, quod nihil aliud est, nisi actum scientiæ terminari ad tale obiectum, &c.

7. ***Difficultas.***

Solùm oritur vna difficultas, in hoc quod dicit in responsione, quòd anima hominis virtualiter continet rationem felicitatis naturalis: quia sic, cùm talis felicitas consistat in speculatione primæ substantiæ separatæ: vt vult Aristoteles 10. *Ethic.* Sequitur, quòd virtualiter continebit talem speculationem, & sic sequitur vltrà, quòd virtualiter continebit entitatem primæ substantiæ separatæ: & consequentia vltima patet ex Doctore *in primo dist.*3. *& in* 2. *d.*3. in materia de cognitione Angelorum, & subtiliter hoc probat *in quodl. q.*14. Sed hoc est impossibile, quòd virtualiter contineat huiusmodi entitatem, vt ipse probat in locis præallegatis.

Respondeo, quòd eo modo, quo virtualiter anima intellectiua continet cognitionem substantiæ separatæ: eo modo continet entitatem illius substantiæ: sed tantùm virtualiter, vel essentialiter continet cognitionem substantiæ separatæ, quantùm ad conceptus communes sibi, & nobis: & sic virtualiter, vel essentialiter continet huiusmodi conceptus. De prima enim substantia (vt *in d.*3. declarabitur: & partim declaratum est suprà *q.*1.) non cognoscuntur aliquæ proprietates de ipsa, sed tantùm cognoscitur, quòd est aliquod ens infinitum, aliqua causa prima, & huiusmodi.

Animam virtualiter continere felicitatem naturalem potest dupliciter intelligi.

Secundò dico, quòd animam virtualiter continere felicitatem naturalem, potest dupliciter intelligi. Primò, quòd per rationem animæ potest concludi, quòd talis felicitas: puta speculatio substantiæ separatæ, nata est inesse animæ intellectiuæ, vt vltima felicitas naturalis ipsius. Secundò, quòd virtute naturali possit peruenire ad huiusmodi felicitatem: & vterque sensus est verus.

SCHO

SCHOLIVM.

Ad argumenta posita num. 3. pro illis tribus sententiis tenentibus Deum sub aliqua ratione speciali, esse obiectum Theologiæ.

AD primum [a] argumentum secundæ quæstionis, quando arguitur per Hugonem, & Cassiodorum, dicitur; quòd loquuntur hîc, non de formali subiecto, sed de materia proxima, de qua diffusiùs tractatur in Scriptura propter ordinem immediatiorem, quem habet ad finem. 20.

Ad secundum [b] dico, quòd Metaphysica non est de Deo tanquam de primo subiecto. Quod probatur; quia præter scientias speciales oportet esse aliquam communem, in qua probentur in communi omnia, quæ sunt communia illis specialibus: igitur præter scientias speciales oportet esse aliam communem de ente, in qua tradatur cognitio passionum de ente, quæ supponitur in aliis scientiis specialibus. Si igitur aliqua est naturaliter de Deo; præter istam, est alia de ente naturaliter scita inquantùm ens.

Metaphysica non est de Deo tanquã de primo subiecto.

Cùm verò probatur, quòd est scientia de Deo per Philosophum 6. *Metaphysic. text. comment.* 2. Dico, quòd ratio eius sic concludit: *Nobilissima scientia est circa nobilissimum genus*; vel vt primum obiectum, vel vt consideratum in illa scientia perfectissimo modo, quo potest considerari in aliqua scientia naturaliter acquisita. Deus verò, etsi non est subiectum primum in Metaphysica, est tamen consideratum in illa scientia nobilissimo modo, quo potest in aliqua scientia considerari naturaliter acquisita.

Quomodo nobilissima sciẽtia circa nobilissimũ genus?

Quia passiones entis conuertibiles cognoscuntur in summo de aliquo ente, & passionum entis disiunctarum, nobilius diuidens eidem competere in summo, est cognitio nobilissima naturaliter possibilis de Deo: hæc autem est cognitio Metaphysica; quia cuius est considerare passionem in communi de subiecto in communi vniuersaliter, eiusdem est cognoscere eandem passonem in summo, de eodem subiecto particulariter. ADDITIO.

Ad Commentatorem [c] 1. *Phys.* dico quòd Auicenna, cui contradixit, benè dixit, & Commentator malè. Quod probatur primò, quia si aliquas substantias separatas esse, esset suppositum in scientia Metaphysicæ, & conclusum in naturali scientia; ergo scientia naturalis esset simpliciter prior tota Metaphysica: quia Philosophia naturalis ostenderet de subiecto Metaphysicæ *si est*, quod supponitur toti cognitioni scientiæ Metaphysicæ. 21.

Secundò, [d] quia per omnem conditionem effectus potest demonstrari de causa, *quia est*, quam impossibile est inesse effectui, nisi causa sit: sed multæ passiones considerantur in Metaphysica, quas impossibile est inesse, nisi ab aliqua causa prima talium entium: ergo ex illis passionibus Metaphysicis potest demonstrari aliquam primam causam istorum entium esse. Minor probatur, quia multitudo entium, dependentia, & compositio, & huiusmodi, quæ sunt passiones Metaphysicæ, ostendunt aliquod esse actu simplex independens, & necesse esse. Multò etiam perfectiùs ostenditur primam causam esse ex passionibus causatorum consideratis in Metaphysica, quàm ex passionibus naturalibus, vbi ostenditur primum mouens esse. Perfectior enim cognitio, & immediatior est de primo ente, cognoscere ipsum vt primum ens, vel vt necesse esse, quàm cognoscere ipsum, vt primum mouens.

Perfectiùs cognoscitur primũ ens, per rationes Met. quam per Physic.

Ad aliud, dico [e] quòd ratio finis non est ratio nobilissima cognitionis: sed illud, quod est finis; sicut ratio fundamentalis illius respectus: deitas autem est ratio fundamentalis respectu finis, vt finis ad creaturas: igitur Deus est primum obiectum. Quod concedo, & ita argumentum est in oppositum. Cùm autem ostenditur de bonitate *ex* 2. *Metaphysic.* dico, quòd si per aliquam appropriationem bonitas sit fundamentum finis, tamen diuinitas est radicale, & primum fundamentum ipsius. Benè autem sequitur, si non est finis vltimus, quòd non est bonum: quia si nullum est perfectum bonum, nullum est bonum: nullum autem bonum est simpliciter perfectum, quod ordinatur ad aliud: quia quod est tale, habet bonitatem diminutam; si ergo quodlibet ordinatur ad aliud, nihil est bonum. Non oportet autem bonitatem esse propriam rationem finis, sed essentia magis erit propria, & fundamentalis ratio. Et per hæc patet ad dictum Auicennæ 6. *Metaphysic.* quod non debet intelligi de fine, sed de ratione fundamentali ipsius finis.

Essentia diuina est ratio finis, non bonitas.

COMMENTARIVS.

1. a *AD primum argumentum secundæ quæstionis*, &c. Respondet ad argumenta alterius quæstionis, in qua quærebatur: *Vtrùm Theologia sit de Deo sub aliqua ratione speciali.*

Ad primum, quòd isti loquuntur tantùm non de ratione formali, sed de materia proxima: materia enim proxima subiecto Theologiæ (specialiter loquendo de Theologia contingentium, quæ respiciunt restaurationem) est Christus, vt restaurator: & vt caput Ecclesiæ.

An Deus sit subiectum? b Ad secundum respondet primò, negando antecedens. Ad probationem dicit, quòd Philosophus non intendit ibi, quòd Deus sit adæquatum subiectum Metaphysicæ, sed ens inquantùm ens: tamen Deus est nobilissimum consideratum in Metaphysica, & nobiliori modo consideratur in Metaphysica, quàm in alia scientia naturaliter inuenta: licèt ibi consideretur præcisè in conceptibus communibus, vt suprà patuit *in quæstione* 1. *Prologi.*

Dicit secundò, quòd oportet esse aliquam communissimam, in qua demonstrentur passiones communes omni enti: & talis est Metaphysic, quæ considerat principaliter de ente, & passionibus entis. Habet enim subiectum commune omnibus subiectis aliarum scientiarum, & passiones communissimas conuertibiles cum subiecto, de quibus infrà dist. 39.

c Ad tertium respondet sustinendo Auicennam, & ex hoc improbando positionem Commentatoris. Dicebat enim Auerroës, quòd substantiæ separatæ sunt subiectum Metaphysicæ. Ratio, quia nulla scientia probat suum subiectum esse, sed supponit esse probatum in alia scientia: modò substãtiæ separatæ probantur esse in scientia naturali: vt patet 8. *Physic.* ergo Metaphysicus non demonstrat illas esse, sed supponit illas. Et contra hoc arguit Doctor, quia tunc sequeretur, quòd scientia naturalis esset simpliciter prior tota Metaphysica: patet, quia ipsa ostenderet de subiecto Metaphysicæ *si est.* Hoc autem est valdè inconueniens; quia tunc Physica esset prior prioritate perfectionis; patet, quia cognitio subiecti in aliq a scientia sub ratione propria est perfectissima, vt patuit suprà: ergo Physicus, qui probat subiectum Metaphysicæ esse, esset nobilior Metaphysico. Et vltrà sequeretur quòd Physica esset etiam simpliciter prior tota Metaphysica: quod est inconueniens: (etiam loquendo de prioritate durationis) licèt enim quo ad nos Physica sit prior, tamen simpliciter, & absolutè, Metaphysica est simpliciter prior, cùm sit simpliciter de rebus æternis, &c.

2. *Quomodo Metaphysicus demonstrat primam substantiam.* d *Secundò, quia per omnem conditionem*, &c. Hìc Doctor intendit probare quòd etiam Metaphysicus demonstrat primam substantiam separatam esse, arguendo ab effectu. Et ratio clara est in litera, *quia per omnem conditionem*, &c. Sed in Metaphysica considerantur multæ proprietates effectuum, quæ non possunt inesse effectibus, nisi causa sit: vt patet, quia effectus dependet: & ideò arguimus, quòd est aliquod independens, &c, vt patet in litera, & sic consideratur prima causa à Metaphysico, vt circumscribitur à motu, & mutatione: quia consideratur inquantùm est producens, & inquantùm transmutans. Et quòd aliquid possit intelligi tantùm producere, vt productio abstrahit à motu, & mutatione, patebit infrà ex Doctore *distinct.* 2. *& 5. primi.* Et sic per rationem effectibilis potest *demonstratione quia* demonstrari primum effectiuum esse: vt subtiliter demonstrat Doctor *in isto* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. & tamen effectibile, inquantùm effectibile, abstrahit à motu, & mutatione: patet, quia secunda Intelligentia secundùm Auicennam est verè producta à prima, & tamen nec per motum: nec per mutationem. Hoc idem secundùm Aristotelem vt diffusè Doctor exponit *in isto 1.d.8.q.vlt. & quæst.7. Quodl.*

Si dicatur, quòd non possumus cognoscere aliquid effectibile, vt abstrahit à motu, & mutatione, quia omnis nostra cognitio, &c. Et breuiter, omne medium sumptum à Metaphysica videtur habere euidentiam ab aliquo naturali sensibili: & sic primam substantiam esse, non potest demonstrari, nisi per medium Physicum. 3. Dico, quòd licèt cognitio abstractiua terminorum dependeat aliquo modo (saltem occasionaliter) à cognitione sensitiua eorundem: tamen habita cognitione abstractiua terminorum, possunt formari multæ propositiones necessariæ: vt abstrahunt ab omnibus conditionibus materialibus. Licèt enim intellectus pro statu isto non cognoscat rationem totius, & partis: nisi præsupposita cognitione sensitiua totius, & partis: tamen habita cognitione abstractiua totius, & partis, potest formare hanc propositionem: *Omne totum maius est sua parte:* etiam nullo sensibili existente. Et de hoc vide diffusè Doctorem *in primo distinctione* 3. *quæstione* 4. de sinceris veritatibus: & aliqualiter in Quodlibeto. Primam etiam substantiam esse, potest multipliciter probari à Metaphysico, vt habet diffusè videri à Doctore *in primo distinct.* 2. *quæst.* 1. vbi probat primum effectiuum esse, & primum in eminentia, & vltimum finitiuum: etiam circumscribendo naturalia sensibilia: vide ibi. Ex his patet quomodo Metaphysicus per medium abstractum à materia sensibili probat primam substantiam esse. Non dico tamen quòd tale medium sit abstractum secundùm *esse*; quia omne effectibile generabile, & corruptibile apud Philosophum dependet à materia: sed per medium abstractum, secundùm considerationem, eo modo, quo Doctor arguit *in primo distinct.* 2. *quæst.* 1. *Primam substantiam esse potest multipliciter probari à Metaphysico.*

4. e *Ad aliud*, &c. Respondet Doctor quòd *finis* potest accipi pro illo respectu, quo formaliter aliquid dicitur finis; vel pro fundamento. *Finis formaliter, vel fundamẽtaliter.* Secundo modo, Deus sub ratione Deitatis dicitur finis: & sic scientia de illo est nobilissima. Ad illud de bonitate, dicitur, quòd *bonitas* potest dupliciter accipi, vel pro bonitate formaliter, quæ in Deo ponitur attributum; *Bonitas potest dupliciter accipi.* vel pro bonitate essentiali, & quiditatiua, quæ ponitur radix, & origo bonitatis attributalis. Secundo modo est perfectior, & per consequens habet magis rationem finis. De hoc patebit infrà distinct. 1. quæst. 2. distinct. 8. quæst. penult. & specialiter in Quodl. 1. quæst. 1.

***

SCHO

SCHOLIVM.

Quoad tertiam quæstionem positam num. 4. ponit sententiam Henrici, Theologiam non esse de omnibus scibilibus. Quam refutat primò, quia vilesceret intellectus Dei, si ab alio, quam à sua essentia moueretur. Secundò, si à duobus obiectis virtute propriâ vtriusque moueretur, obiectum primum esset aliquid commune eis. Tertiò, essentia sua est obiectum primum, non prædicatione; ergo virtuali continentiâ. Concludit ergo Theologiam Dei esse de omni scibili, quia nihil cognoscit, nisi virtute suæ essentiæ, vt primi obiecti, & sic omnis cognitio eius est Theologica: habent tamen Beati cognitiones non Theologicas, quia ipsorum intellectus immutantur ab aliis obiectis, præter essentiam diuinam.

AD tertiam [a] quæstionem, videtur probabiliter posse dici, quòd Theologia non est de omnibus scibilibus: quia quiditates distinctæ ab essentia diuina, vt est hæc essentia singularis, continent primò multas veritates de se. Quod probatur, quia per impossibile, circumscripto omni alio, si illæ quiditates essent increatæ, adhuc continerent tales veritates, sicut patet de linea, & de numero, quantùm ad propositiones immediatas de eis. Et secundùm hoc posset poni, quòd in intellectu diuino essent habitus distincti scientiales secundùm rationem; vtpotè Theologia esset, quam causaret essentia diuina vt *hæc* in intellectu eius: Geometria autem in intellectu eius esset, quæ virtute lineæ esset in intellectu eius: & sic de Arithmetica virtute numeri, & sic de aliis. 22. *Henricus quodl. 3. q. 9.*

Contra illud [b] arguitur tripliciter. Primò, quia vilesceret intellectus diuinus, pro eo quòd pateretur ab aliquo alio ab essentia sua. Nam in illo instanti naturæ, in quo intelligit lineam, adhuc esset quasi in potentia ad veritates cognoscendas existentes in linea, & virtute illius quiditatis cognosceret eas: ergo linea quasi effectiuè imprimeret cognitionem istarum veritatum in intellectu diuino: & ita linea esset motiua intellectus diuini. *Contra Henricum.*

Secundò [c] sic; Omnis potentia actuabilis à diuersis obiectis per se, virtute propriâ eorum, primum obiectum est aliquod commune eis: sed si linea virtute sui causaret veritatem in intellectu diuino, pari ratione & aliæ res causabunt veritatem in intellectu eius: & ita primum obiectum intellectus diuini esset commune eis, & non essentia diuina singularis. Nec obstat, quòd obiecta alia attribuuntur ad essentiam suam. Ita enim alia entia attribuuntur ad substantiam, & tamen obiectum intellectus nostri est *ens*.

Tertiò, quia [d] si essentia sua est primum obiectum, patet quòd non communitate prædicationis: ergo est primum secundùm virtutem. Non autem esset primum obiectum virtualiter, si quodlibet aliud virtute propriâ immutaret intellectum eius. *De hoc 2. d. 1. q. 2.*

Ideò dico [e] aliter, quòd diuina Theologia est de omnibus cognoscibilibus, quia obiectum primum Theologiæ suæ facit omnia alia actu cognita in intellectu suo, ita quòd in primo signo naturæ est essentia sua primò cognita in intellectu suo, & in secundo signo naturæ quiditates virtualiter continentes veritates proprias: in tertio autem signo, sunt istæ veritates virtualiter contentæ in illis quiditatibus sibi notæ: & non est ordo secundi ad tertium secundùm causalitatem, quasi illæ quiditates causent aliquid in intellectu eius: sed est tantùm ordo effectuum essentialiter ordinatorum respectu eiusdem causæ; puta quòd essentia sua quasi priùs naturâ causat illas quiditates sibi notas, quàm veritates de eis fiant notæ. Exemplum; si Sol illuminaret aliquam partem propinquam sibi, & alia pars remotior non esset illuminabilis, nisi à Sole propter eius opacitatem, Sol illuminaret partem aliam remotam, non autem pars illuminata primò esset causa illuminationis secundæ, esset tamen ordo inter partem propinquam, & remotam, sicut ordo effectuum eiusdem causæ: & tamen non esset ordo causæ ad effectum, quia pars illuminata nihil agit in partem opacam remotam. 23. *Essentia producit creaturas in esse cognito remotè actus intellectus proximè, vt habet Scot. 1. d. 3. q. 4. & d. 36. & quodl. 14.* *Veritates contingentes dicuntur contenta virtualiter in quiditatibus ratione extremorũ incomplexorũ.*

Ita in proposito, hæc essentia Dei in intellectu suo facit alias quiditates actu notas, & quasi posteriùs naturaliter facit veritates illas in istis contentas, notas intellectui illi: tamen illæ quiditates finitæ nullam virtutem habent respectu intellectus diuini immutandi: quia intellectus diuinus non est natus perfici ab illis quiditatibus, quia ille est infinitus, & illæ quiditates finitæ, & infinitum à finito nullo modo perficitur; ita quòd si in tertio instanti naturæ diuina natura non moueret ad vlteriorem notitiam veritatum, nunquam intellectus intelligeret eas: quia à nullo alio motiuo illam notitiam posset habere. *Cognitio Dei perfecta: cognitio autem creaturæ imperfectionẽ potest habere admixtam.*

Sic ergo [f] Deus de omnibus cognoscibilibus solùm habet cognitionem Theologicam: quia tantùm virtute primi obiecti Theologici actuantis intellectum eius, ita quòd Theologia Dei non tantùm de omnibus, sed est etiam omnis cognitio possibilis haberi à Deo

à Deo de eis, & absolutè ipsa est de quocunque omnis cognitio non includens aliquam imperfectionem ex se: quia ipsa sola de quocunque cognoscibili non includit limitationem: quælibet autem alia, quia est à causa limitata, includit necessariò limitationem.

Sed de intellectibus [g] creatis Beatorum aliter est, quia intellectus eorum nati sunt immutari à quiditatibus creatis ad cognitionem veritatum inclusarum in eis: & ideò præter istam veritatem Theologicam, quam habent de illis quiditatibus, vt ostensis in essentia Dei, possunt habere naturalem cognitionem de eis ex propria motione earum. Theologia igitur Beatorum de quibuscunque creatis non est omnis cognitio possibilis de ipsis tali intellectui.

COMMENTARIVS.

1. a AD *tertiam quæstionem*, in qua quærebatur: *An Theologia sit de omnibus scibilibus*. Iste titulus quæstionis sic intelligitur: Ex quo subiectum Theologiæ est Deus, sub ratione Deitatis, loquendo de Theologia in se, & illa dicuntur pertinere ad scientiam Theologicam, quæ virtute subiecti Theologici ostendi possunt, vel cognosci, vt infrà patet ex Doctore, an modò sit de omnibus scibilibus quæritur. Hoc declarato, dicitur ab Henrico *Quodlib.3.quæst.9.* quòd non est de omnibus scibilibus, quia quiditates relucentes in essentia diuina, mouent intellectum diuinum, virtute propria, ad notitiam veritatum, in ipsis virtualiter contentarum, ita quòd essentia diuina non mouet intellectum diuinum ad notitiam illarum quiditatum, nec ad notitiam veritatum inclusarum.

Improbatio Henrici.

b *Contra illud.* Hic Doctor improbat hanc opinionem, quantùm ad hoc, scilicet, quòd huiusmodi quiditates possint mouere intellectum diuinum: quia si sic, intellectus diuinus vilesceret, quia tunc pateretur ab aliquo alio ab essentia sua: quia illæ quiditates effectiuè causarent notitiam veritatum inclusarum, & sic ab illis reciperet aliquam perfectionem, quod est impossibile: quia talis notitia causata, esset verè realiter distincta ab intellectu diuino, & per consequens verè reciperetur ab illo, & multa alia inconuenientia sequerentur.

2. *Quod sit obiectũ adæquatum intellectus diuini.*

c *Secundò sic.* In ista ratione Doctor supponit vnum, scilicet quòd obiectum adæquatum intellectus diuini est essentia diuina singularissima, & non aliquod commune, loquendo semper de obiecto motiuo; & hoc est communiter ab omnibus concessum. Sed si intellectus diuinus esset actuabilis à diuersis obiectis, siue perfectibilis ab illis, tunc aliquod commune esset obiectum illius. Hoc patet de omnibus aliis potentiis: quia enim potentia visiua nata est moueri à pluribus coloribus, ideò ponitur aliquod commune pro obiecto adæquato. Et quod dicit: *nec obstat, quòd obiecta alia attribuuntur ad essentiam suam*: & ita dicitur primum obiectum propter talem attributionem. Doctor instat contrà: quia tunc sequeretur quòd substantia esset primum obiectum intellectus nostri, quia omnia alia accidentia attribuuntur substantiæ, vt patet 5. *Metaphysic.* & tamen substantia non ponitur primum obiectum intellectus: vt infrà patebit *distinct.* 3. *quæst.* 3. Et ratio est, quia alia accidentia habent propriam rationem mouendi intellectum ad sui cognitionem. Sic erit in proposito, quòd si alia obiecta possunt mouere intellectum diuinum, causando partialiter in illo cognitionem sui, ab omnibus illis poterit abstrahi aliquod commune, quod erit primum obiectum intellectus diuini: sed de hoc diffusè pertractabitur in isto primo distinct.3.

d *Tertiò, quia si essentia diuina*, &c. Patet, quia non prædicatur de omnibus per se intelligibilibus ab intellectu diuino: ergo erit primum primitate virtutis, videlicet, quia virtualiter continet notitiam omnium per se intelligibilium ab intellectu suo, aliter non diceretur primum virtute. Si ergo alia obiecta possunt causare notitiam sui in intellectu diuino, & per consequens mouere ipsum, causando ibi talem notitiam, ipsa non erit adæquatum obiectum, in ratione motiui, respectu intellectus diuini: hoc autem est falsum communiter apud omnes. *Essentia quomodo erit primũ obiectum.*

e *Ideò dico aliter.* In ista litera sunt notandæ multæ propositiones. Prima est: *Diuina Theologia est de omnibus cognoscibilibus: quia obiectum primum Theologiæ Dei facit omnia alia actu cognita in intellectu suo*, quòd essentia diuina producit omnia obiecta secundaria in *esse* cognitio respectu intellectus diuini: & intellectus diuinus habet cognitionem omniũ à sola essentia diuina. 3. *Opinio Doct.*

Sed circa hanc propositionem occurrunt aliquæ difficultates ex dictis Doctoris. Primò, quia ipse vult expressè *in 1. dist. 3. quæst.4. respondendo ad quæstionem*, quòd omnia obiecta secundaria, siue omnes veritates sinceræ sunt ab actu intellectus diuini. Hoc idem *in 36. dist. 2. 43. & in 2. dist.1.q.1.& in Quodlib.q.14.* Si sic, tunc ista obiecta sunt nota intellectui diuino, non per essentiam, sed per actum intellectus sui: & sic videtur sequi, quòd veritates istæ non sunt notæ per rationem obiecti Theologici. *Difficultas.*

Respondeo primò, quòd etsi huiusmodi entia sunt producta in *esse* cognito ab actu intellectus diuini, tanquam à causa, quodammodò immediata: tamen ab essentia diuina, vt à causa remota, suo modo dicuntur esse producta in tali *esse* cognito, vt expressè patet à Doctore in isto 1.*dist.* 3.*q.*4. vbi vult, quòd sinceræ veritates reluceant in essentia diuina, vt in causa remota, & hoc ideò est, quia essentia diuina est ratio formalis producendi cognitionem sui in intellectu suo: & tunc ipse intellectus, & essentia mediante tali actu, sunt ratio formalis producendi omnia alia in *esse* cognito. *Responsio.* *Essentia diuina, & obiecta secũdaria, eadẽ cognitione cognoscuntur.*

Secundò dico, quòd, etsi talia obiecta tantùm habeant *esse* per actum intellectus diuini, qui producit illa in *esse* cognoscibili: essentia tamen diuina facit illa actu cognita in intellectu diuino. Dico etiam, quòd quãdo Doctor dicit, quòd producuntur per actum intellectus diuini: non semper accipit *actum* pro actuali intelligentia, siue actu intelligendi, sed pro actu, quo producuntur in tali *esse*: qui actus pertinet magis ad genus actionis: & ideò differunt *actus intellectus*, 4.

&

& *actus intelligendi*, quia omnis actus intelligendi est actus intellectus, non è contra: patet, quia actus, quo elicitur actus intelligendi, dicitur actus intellectus, & tamen non dicitur intellectio, vt patet.

Nota. Nota tamen, quòd cùm dico, quòd essentia diuina facit obiecta secundaria actu cognita in intellectu diuino, non est intelligendum, quòd causet aliam cognitionem à cognitione prima, quâ intellectus diuinus cognoscit essentiam, cùm in re tantùm sit ibi vna cognitio, vt infrà patebit *in isto 1. dist. 2. q. 1. & dist. 39.* Sed facit illam cognitionem primam terminari ad obiecta secundaria, ita quòd secundùm aliam, & aliam terminationem ad alia, & alia obiecta dicitur diuersificari: in re tamen, tantùm est vna cognitio simplicissima: & hoc diffusè patebit infrà *dist. 39.*

5. *Alia difficultas.* Secunda difficultas, est de cognitione contingentium. Nam si virtute essentiæ diuinæ contingentia cognoscuntur ab intellectu diuino, tunc videtur expresse, quòd Doctor sibi contradicat in multis. *Responsio.* Primò, quia expressè vult, quòd essentia diuina non contineat virtualiter veritates contingentium, vt patuit suprà, & tamen si notitia talium veritatum, virtute essentiæ, fieret in intellectu diuino, tales veritates virtualiter continerentur in essentia diuina: quia continens virtualiter notitiam alicuius, etiam virtualiter continet entitatem illius: vt patet expressè à Doctore *in isto 1. dist. 3. & dist. 8. in 2. dist. 3. quæst. 9. in Quodl. quæst. 14.*

Item alia. Secundò, sibi contradiceret, quia expressè vult, quòd essentia diuina de necessitate naturæ moueat intellectum diuinum respectu cognitionis ab ipsa causatæ: & sic si essentia diuina moueret intellectum diuinum respectu veritatis contingentis, sequeretur quòd intellectus diuinus necessariò intelligeret hanc partem contradictionis fore veram, & ita posset errare, vel oppositum non posset euenire: & tunc non esset contingens, sed necessarium illud, quod ponitur esse contingens, hæc sunt verba formalia Doctoris *quæst. 14. Quodlib.*

An essentia diuina moueat intellectū diuinum. Respondeo, quòd essentia diuina, vt essentia, non mouet intellectum diuinum respectu veritatis contingentis: quia tunc sequerentur in conuenientia supradicta: sed quia essentia diuina mouet intellectum diuinum ad notitiam terminorum huius veritatis contingentis, & postea voluntas diuina determinat de omnibus contingentibus: tunc præsupposita determinatione diuinæ voluntatis respectu contingentium, essentia diuina facit illa contingentia actu cognita in intellectu diuino: siue facit notitiam intellectus diuini actu terminari ad contingentia. Ex hoc patet expressè à Doctore *in isto 1. d. 39.* & sic intelligẽdo Doctorem, patet quòd sibi non contradicit. Esset tamen aliqualis difficultas in ista responsione: sed breuitatis causa ipsam differo vsq; ad 39. d. primi.

6. Expono tamen aliqualiter hanc literam. Cùm dicit, *quòd essentia diuina in primo signo naturæ est essentia sua primò cognita in intellectu suo:* & ratio est, quia obiectum naturale perfectè præsens potentiæ de necessitate producit priùs sui notitiā, tanquam quasi effectum perfectissimum: esset enim impossibile ipsam priùs esse rationem producendi notitiam aliorum. *Essentia diuina est ratio cognoscendi personas, & relationes.* Et in isto signo naturæ (licèt possint etiam plura signa intelligi, vt exposui *in 2. d. 1. q. 1.*) essentia diuina est simpliciter ratio cognoscendi omnia alia intrinseca: puta personas, & relationes, & omnia alia, quæ sunt ibi ex natura rei. Sequitur: *& in secundo signo naturæ, quiditates virtualiter continentes veritates proprias*, siue proprietates cognoscuntur per rationem essentiæ diuinæ. Aduerte tamen, quòd essentia diuina est causa immediata talis cognitionis, & non notitia: non enim intellectus cognoscit quiditates illas, per notitiam essentiæ diuinæ, vt per rationem formalem illius: sed sola essentia est ratio formalis, quasi causandi talem cognitionem: licèt tamen priùs sit ratio causandi cognitionem sui. Sequitur: *In tertio autem signo*, &c. Sic intelligendo, quòd ipsa essentia est præcisa ratio cognoscendi huiusmodi proprietates sub ratione sua absoluta, & non in quantum cognita: quia, vt dixi suprà, illa cognitio non est ratio formalis cognoscendi: nec similiter cognitio illarum quiditatum est ratio formalis cognoscendi illas proprietates, sed præcisè essentia, vt hæc essentia: intellige tamen, quòd essentia tantùm concurrit partialiter, vt infrà patebit *dist. 2. part. 2. quæst. 3.*

Si quæratur an poterit ipsa essentia priùs causare cognitionem proprietatum, quàm quiditatum. 7. Dico, quòd non, quia est causa merè naturalis: & ideò priùs natura est ratio formalis producendi notitiam quiditatum, cùm sint perfectiores, &c. Ibi, *Quia intellectus diuinus non est natus perfici ab illis quiditatibus:* id est, non est natus recipere aliquam perfectionem ab aliquo, cuiusmodi est cognitio: *quia ille intellectus est infinitus, & illæ quiditates finitæ, & infinitum à finito nullo modo perficitur.* *Infinitū à finito nullo modo perficitur.* Hoc debet sanè intelligi, quia si, per impossibile, daretur vna quiditas infinita, essentialiter distincta à tali intellectu, non sequeretur ipsum posse perfici à tali quiditate: quia tunc non esset formaliter infinitus: quia potentia receptiua repugnat infinito intensiuè, cùm illa essentialiter includat imperfectionem: debet ergo intelligi, quòd non potest suo modo perfici, nisi ab obiecto formaliter infinito: quod sit idem sibi realiter: cuiusmodi est essentia diuina: ita quòd si essentia diuina in tertio signo non moueret ad cognitionem talium proprietatum: nunquam intellectus intelligeret eas.

f Sic ergo, *Deus, &c. Quia tantùm virtute primi obiecti Theologici actuantis intellectum eius:* non quòd sit receptiuus alicuius perfectionis: quia omnis perfectio in tali intellectu, est simpliciter eadem sibi: modò inter recipiens, & receptum est realis distinctio: dicitur tamen perfici, quia vltima perfectio intellectus diuini est in actu secundo, quo coniungitur optimo, siue essentiæ diuinæ, vt infrà patebit dist. 2. part. 2. quæst. 3.

g *Sed de intellectibus creatis Beatorum aliter est.* Et hæc propositio includit duas partes. Prima, quòd potest cognoscere quiditates creatas, & veritates in illis contentas, ex motione propria aliarum quiditatum: & talis cognitio est cognitio in genere proprio. *Quomodo intellectus Beati à quiditatibus possit moueri.* Quomodo autem intellectus Beati possit moueri ab huiusmodi quiditatibus, habet diffusè videri *in 2. distinct. 3. quæst. vlt. & in 4. dist. 45.*

Secunda pars est, quòd intellectus Beati potest habere cognitionem Theologicam de veritatibus inclusis in ipsis quiditatibus, vt ostensis in essentia diuina.

Sed circa hanc partem occurrit difficultas. 8. *Difficultas.* Quia quæro, aut huiusmodi veritates fiunt notæ intellectui Beato creato, virtute essentiæ diuinæ: aut virtute voluntatis diuinæ: non primò: quia

quia essentia diuina (vt essentia) non potest mouere aliquem intellectum creatum: vt subtiliter patet à Scoto *in quæst.* 14. & 15. *Quodlib.* Non secundò, quia tunc non fierent notæ virtute obiecti Theologici, quod est sola essentia diuina. Dico, quòd fiunt notæ per voluntatem diuinam. Et cùm dicitur, quòd non essent veritates Theologicæ: quia non notæ virtute obiecti Theologici. Dico, quòd sufficit, quod fiant notæ virtute alicuius, quod est simpliciter idem obiecto theologico; vel virtute alicuius, perfecte supplentis vicem obiecti Theologici: cuiusmodi est voluntas diuina: & hoc patet à Doctore *in Quodlib.q.* 14. & præsertim *in q.* 15. & sic patet ad difficultatem, & quomodo Doctor sibi non contradicat.

Solutio.

SCHOLIVM.

Hæc litera continet aliquot dicta. Primum, Theologia in se est de omni scibili, quia obiectum Theologicum aptum est repræsentare omnia. Secundum, Theologia Beatorum est de tot, quot voluntas Dei vult de facto, potéstque esse de omnibus scibilibus; de quo 3. distinctione 14. quæstione 2. Tertium, nostra Theologia est de his, quæ continentur in Scriptura, & eliciuntur ex ea. Quartum, Theologia nostra non potest esse de omnibus scibilibus, sicut Theologia Beatorum. Quintum, nostra potest esse de omni scibili secundùm respectum ad diuinam essentiam, vt hæc. *Sextum, Theologia est omnis cognitio in Deo, in intellectu creato, non.*

24\. *Tres concl. Prima est de Theologia in se. Secunda de Theologia Beatorum. Vide in 3. dist.14.q.2. Tertia de Theologia nostra.*

SEd [a] dubium est, an sit de omnibus, licèt aliqua alia sit de quibusdam cognoscibilibus. Hîc distinguendum est de Theologia in se, & vt est habitus perficiens intellectum creatum beatum. Primo modo, est de omnibus scibilibus, quia omnia alia nata sunt sciri virtute primi obiecti Theologici. Secundo modo dico, quòd possibile est eam esse de quocunque; imò & de omnibus scibilibus, quia scibilia non sunt infinita. De facto autem non habet limitationem, nisi ex voluntate Dei ostendentis aliquid in essentia sua: & ideò actualiter Theologia eorum, est de tot, quot voluntariè Deus ostendit eis, in essentia sua.

De Theologia [b] autem nostra dico, quòd ipsa non est actualiter omnium scibilium pro statu isto: quia sicut Theologia Beatorum habet terminum, ita & nostra ex voluntate Dei reuelantis. Terminus autem præfixus à voluntate diuina, quantùm ad reuelationem generalem, est eorum, quæ sunt in sacra Scriptura: quia sicut habetur in Apoc. vlt. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Igitur Theologia nostra de facto, non est nisi de his, quæ continentur in Scriptura, & de his, quæ possunt elici ex ipsis.

25\. *An Theologia nostra, & Beatorū possit esse de omnibus.*

De possibilitate [c] Theologiæ nostræ dico, quòd non potest esse de omnibus: tum, propter defectum intellectus nostri, non potentis in speciali concipere multas quiditates (reuelatio autem secundùm communem legem, non est nisi de his, quorum termini naturaliter possunt concipi à nobis.) Tum propter [d] defectum Theologiæ nostræ; quia non potest esse cum cognitione euidenti de eisdem cognoscibilibus secundùm aliquos: & per consequens de naturaliter nobis cognitis non potest stare Theologia nostra reuelata. Tamen [e] omnis Theologia, siue nostra, siue Beatorum, siue Dei, est de omnibus entibus, quantùm ad aliqua de eis cognoscibilia, scilicet quantùm ad respectus, quos habent ad essentiam diuinam, vt est hæc essentia. Quia respectus non potest cognosci sine cognitione amborum extremorum: & ita respectus, qui est ad hanc essentiam, vt hæc, non potest cognosci sine cognitione huius essentiæ, vt hæc.

Sic ergo [f] (vt verè dicatur) Theologia est de omnibus, & est omnis cognitio non includens imperfectionem. Et ideò in intellectu Dei, qui non potest habere aliquam cognitionem imperfectam, est omnis cognitio: non tamen est omnis cognitio simpliciter respectu intellectus creati: quia præter eam, potest haberi alia cognitio de aliqua quiditate speciali, mouente intellectum creatum. Ipsa etiam sola est cognitio de omnibus, quantùm ad aliqua cognoscibilia, scilicet quantùm ad respectum eorum ad hanc essentiam, vt *hæc:* si tamen essentia vt *hæc*, terminet respectum creaturæ, & non sub ratione alicuius attributi naturaliter à nobis intelligibilis.

Non cognoscitur respectus nō cognito termino ad quem est.

Et ista [g] est fortè ratio vna, quare non possumus scire de intellectu creato, quòd ordinatur ad hunc finem, vt *hunc:* quia non possumus cognoscere respectum fundatum in natura intellectuali ad istam essentiam, tanquam ad finem proprium: quia nec extremum ad quod est respectus; ideò nec ratione imaginis respectu illius naturæ in se, sicut Sancti loquuntur de imagine.

Ad primum argumentum, dico quòd concludit de Theologia, non in se, sed prout traditur in sacra Scriptura, & de hac loquitur Augustinus.

COM

COMMENTARIVS.

1\. a SEd dubium est. Hîc Doctor quærit, posito, quòd aliqua alia scientia puta Metaphysica, vel Physica sit de quibusdam cognoscibilibus, ita quòd talia cognoscibilia possint ostendi in tali per rationem subiecti illius; vel per rationem propriam talium cognoscibilium: An stante hoc, Theologia sit de omnibus? Distinguit Doctor de Theologia in se, & Theologia in intellectu Beati. Primo modo est de omnibus: quia omnia entia, virtute obiecti Theologici possunt cognosci, modo tamen præexposito, ita quòd essentia diuina est ratio cognoscendi omnia cognoscibilia, quantùm est ex parte sua: & de facto est ratio cognoscendi omnia intellectui diuino, licèt respectu intellectus creati non possit esse ratio cognoscendi omnia; cùm nullum intellectum creatum possit mouere: & posito quòd possit mouere, adhuc oporteret ostendere, an sit capax omnium intelligibilium simpliciter, nec est inconueniens quòd idem sciatur in alio, & alio lumine, vt patebit in quæst. immediatè sequenti. Secundo modo dicit, quòd potest esse de omnibus scibilibus, quia scibilia non sunt infinita.

Theologia duobus modis sumi potest.

2\. Sed hîc occurrit difficultas. Quia Doctor *in isto 1. dist. 2. q. 1.* vult expresse, quòd intelligibilia sunt actu infinita in intellectu diuino, & ab intellectu creato successiuè cognosci possunt.

Item, *in 3. d. 14. q. 2.* dicit quòd anima Christi potest videre infinita in essentia diuina; ergo, &c. Paucis respondeo secundùm aliquos, exponentes hîc Doctorem, quòd non loquitur hîc de obiectis infinitis in numero, quia illa sunt infinita, sed de obiectis infinitis in entitate, accipiendo infinitum extra genus, provt virtualiter, vel eminenter continet omnem entitatem, & plura talia infinita non possunt cognosci ab intellectu creato, licèt ab intellectu diuino possint cognosci. Sed loquendo de infinito in genere, quod non continet omnem entitatem: puta si daretur linea infinita, vel numerus infinitus: certum est, quòd non continerent eminenter entitatem hominis, vel Angeli, &c. & plura talia infinita possunt intelligi ab intellectu creato: sed de hoc differatur vsque ad 39. dist. 1.

Plura infinita possunt intelligi ab intellectu finito.

Posset etiam dici, & fortè magis ad intentionem Doctoris, quòd etsi intellectui diuino sint actu infinita intelligibilia: quia essentia diuina omnia intelligibilia actu facit intelligibilia, ita quòd non vnum post aliud: & sic intellectus diuinus respicit illa, vt actu infinita intelligibilia: sed intellectui creato non sunt actu omnia intelligibilia, quia tunc infinita essent actu intelligibilia intellectui creato, quod repugnat ei: sed actu sunt finita intelligibilia: licèt potentia possint esse infinita intelligibilia numero.

3\. b *De Theologia autem nostra.* Hîc Doctor duo dicit de Theologia nostra: vnum quid sit de facto, aliud quid de possibili. De primo dicit, quòd Theologia nostra de facto non est actualiter omnium scibilium: sed sicut Theologia Beatorum de facto habet terminum ex voluntate Dei reuelantis, ita & nostra: & terminus præfixus à voluntate diuina, quantùm ad reuelationem generalem est eorum, quæ sunt in sacra Scriptura: licèt ex speciali priuilegio possit esse plurium intelligibilium.

An Theologia nostra de facto sit actualiter omnium scibilium, & quomodo Theologia Beatorum, & Viatorum sit de omnibus.

c *De possibilitate Theologiæ nostræ*, &c. Dicit Doctor quòd Theologia nostra non potest esse simpliciter de omnibus cognoscibilibus: & hoc loquendo de communi lege. Nam Deus si vellet, posset causare cognitionem distinctam cuiuscunque cognoscibilis, sed hoc non facit. Quòd autem secundùm communem legem non possit esse de omnibus, probat dupliciter. Primò, quia Theologia nostra tantùm est de complexis reuelatis, (vt suprà exposui) & est tantùm de illis complexis, quorum termini sunt nobis naturaliter noti: vt puta, quòd Deus est trinus, & vnus: non enim habetur cognitio Deitatis, sub ratione Deitatis via naturali: nec Trinitatis, sub ratione Trinitatis, vt Theologi loquuntur: sed habetur notia de istis terminis in confuso, & vt accipiuntur à sensibilibus: vt puta sic dicendo: aliquod ens, quod nominamus *Deum*, est trinum, & vnum, &c.

Fides & euidens cognitio nō sunt respectu eiusdem.

d Secundò probat, ibi: *Tum propter defectum Theologiæ nostræ.* Nam Theologia nostra est tantùm de reuelatis, & dicitur fides: multa autem cognoscimus pro statu isto non per reuelationem, sed ex euidentia rei: modò fides, siue reuelatio, & cognitio euidens non possunt simul esse respectu eiusdem ob ecti, secundùm aliquos. Cùm dicit ibi *secundùm aliquos*, loquitur secundùm opinionem propriam, vt patebit in 3. dist. 24. contra sanctum Thomam.

Sed hîc occurrit difficultas. Quia notitia Theologica nostra inest nobis per rationem obiecti Theologici: aliter non diceretur notitia Theologica: sed, vt suprà patuit, obiectum Theologiæ nostræ est Deus sub ratione infinitatis: & tale non continet virtualiter, &c. vt suprà exposui. Tum etiam, quia pro statu isto non possumus habere notitiam distinctam obiecti Theologici: ergo nec per virtutem illius habetur notitia Theologica nostra. 4.

Difficultas.

Respondetur, licèt pateat solutio ex supradictis in quæst. de subiecto Theologiæ, pro nunc tamen dico, quòd sufficit, quòd Theologia nostra insit nobis per aliquid, imperfectè supplens vicem obiecti Theologici, vt exposui in q. 1. Prol.

Responsio.

e *Tamen omnis Theologia*, &c. Hîc dicit Doctor quòd Theologia tam Beatorum, quàm nostra, potest esse de omnibus cognoscibilibus quantùm ad aliquos respectus: vt quia includunt respectum terminatum ad Deum, sub ratione Deitatis: & talis respectus non potest cognosci, nisi Deo præcognito: vt suprà exposui in quæst. 1. & diffuse pertractat Doctor *in Quodl. quæst.* 14. & sic cognitio omnium scibilium, quantùm ad illos respectus, dicitur cognitio Theologica.

f *Sic ergo, vt verè dicatur, Theologia est de omnibus: & est omnis cognitio non includens imperfectionem: & ideò in intellectu Dei est omnis cognitio*, vt suprà patuit: qui non potest habere aliquam cognitionem imperfectam, puta confusam, vel abstractiuam, vel successiuam, vel quouis modo limitatam. Non est autem omnis cognitio in intellectu creato: quia potest cognoscere lapidem, etiam per motionem propriam: & ideò non præcisè virtute essentiæ diuinæ. Est etiam cognitio omnium quantùm ad respectus: puta creationis, qui terminatur ad essentiam diuinam, vt *hæc*: si tamen essentia, vt *hæc* terminet respectum creaturæ, & nō sub ratione alicuius attributi, nobis naturaliter noti: licèt hîc dubiè loquatur. Alibi tamen tenet, quòd terminetur ad essentiam, vt hæc, vt patet *in 2. d. 1.* 5.

& in Quodl. q.8. & alibi: & hîc etiam tenet idem, vt patet per verba sequentia cùm dicit.

g *Et ista est fortè vna ratio*,&c. *Quia nec extremum, ad quod est respectus*, scilicet essentiam, vt hæc. Sequitur, *ideò nec ratione imaginis*, &c. Patet, quia cognoscens imaginem sub illo respectu, quo refertur ad Trinitatem, necessariò cognoscit illum respectum, quem distinctè non potest cognoscere, nisi præcognita distinctè Trinitate: vt patet à Doctore *in Quodl. q.14. art.3.* nec etiam cófusè, nisi præcognita Trinitate, saltem confusè, quod tantùm fit per reuelationem, vt suprà patuit *præsenti, quæst. & quæst. 1.*

6. *Primum dubium.* Hîc tamen occurrunt aliqua dubia. Primum, quia si Theologia nostra est de omnibus scibilibus, quãtùm ad respectus supradictos, quæro, aut intelligit, quòd est de omnibus de facto: & tunc sequitur quòd est de omnibus respectibus creaturæ ad Deum de facto. Aut loquitur de possibili, & tunc quæro, aut talis cognitio Theologica est de omnibus illis respectibus, vt distinctè conceptis; aut confusè cóceptis. Si primo modo, tunc Deus, sub ratione Deitatis, poterit distinctè cognosci à nobis: patet, quia respectus non potest distinctè cognosci, nisi & terminus distinctè concipiatur, vt patet à Doctore *q.14. Quodlib.* & si Deus potest à nobis distinctè cognosci sub ratione Deitatis, tunc distinctè possunt cognosci à nobis veritates Theologicæ, virtualiter inclusæ in Deo. Sed hoc non est de cómuni lege, vt suprà patuit: & sic contradiceret sibi parùm suprà, quia dixit quòd de possibili, & communi lege, est tantùm de his complexis, quorum termini naturaliter à nobis concipiuntur. Et hoc idem *in q.1. Prol. & in 3. d.23. & in Quodl. q.14.* Si secundo modo, tũc sicut talis respectus confusè concipitur: ita & terminus respectus.

Dico primò, quòd de facto est de omnibus, loquendo de respectibus confusè conceptis: quia in Theologia nostra cognoscimus, quòd omnes creaturæ dependent a Deo: ita quòd talis respectus est relatio creaturæ ad creatorem. Dico secundò, quòd potest esse de omnibus, etiam distinctè conceptis: sed non de communi lege, sed magis ex speciali priuilegio. Dico tertiò, quòd potest esse de omnibus, ita quòd notitia talium respectuum cófusa, dicitur Theologica, & sicut illi respectus confusè concipiuntur, ita & terminus respectus: quia concipitur aliquod ens, quod nominamus *Deum*, terminare respectum creaturæ ad ipsum, & posito quòd ipsa creatura cognoscatur in se perfectè, adhuc non sequitur, quòd relatio creaturæ ad ipsum Deum cognoscatur: quia cognitio talis non tantùm dependet à fundamento, sed etiam à termino: ideò cognoscitur tantùm per reuelationem: quia cognitio talis habetur virtute primi obiecti Theologici, vel virtute alicuius supplentis vicem talis obiecti, de quo suprà diximus. 7. *Responsio.*

Secundum dubium est, est, quia videtur quòd cognitio talis respectus non sit præcisè Theologica. Probatur, quia non habetur præcisè virtute obiecti theologici, vel virtute alicuius supplentis; probatur, quia cognitio respectus non tantùm dependet à termino, sed etiam à fundamento: vt patet à Doctore hîc. *Secundũ dubium.*

Respondeo, quòd dicitur cognitio Theologica, quantùm ad hoc, quòd dependet à Deo sub ratione Deitatis: licèt etiam dependeat à fundamento: vt tamen ab illo dependet non dicitur Theologica, & sic patet litera huius quæstionis. *Responsio.*

QVÆSTIO IV. ET V. LATERALIS.

Vtrùm Theologia in se sit scientia, & vtrùm sit scientia subalternans, vel subalternata.

Alensis 1. *part. quæst. 1. m. 1.* Diuus Thomas *prima Summa, quæst. 1 art. 2.* Richardus *primo Sent. q. 2. Prologi.* Durandus *primo Sentent. quæst. 7. Prologi.* Franciscus de May. *q. 14. Prologi.* Aureol. *in Prol. pag. 53.* Scot. 1. *Physic. quæst. 1. ad 1.*

26. *Quatuor sunt conditiones scientiæ strictè sumptæ. 1. Post. c. 2.*

IVXTA hoc quæro, [a] Vtrùm Theologia in se sit scientia: & vtrùm ad aliquam scientiam habeat habitudinem aliquam subalternantis, vel subalternatæ? Ad primum dico, quòd quatuor includit scientia strictè sumpta, scilicet, quòd sit cognitio certa, hoc est, absque deceptione, & dubitatione, de cognito necessario, causata à causa euidente intellectui, applicata ad cognitum per discursum syllogisticum. Hæc apparent ex definitione *Scire* primo Posteriorum. Vltimum, scilicet, causatio scientiæ per discursum à causa ad scitum, includit imperfectionem ex parte scientiæ, scilicet quòd sit effectus æquiuocus: & etiam potentialitatem ex parte intellectus recipientis: ergo Theologia in se non est scientia, quantùm ad vltimam conditionem scientiæ, sed quantùm ad alias tres conditiones est scientia in se, & in intellectu diuino.

COMMENTARIVS.

1. a IVXTA *hoc quæro, Vtrùm Theologia in se sit scientia?* Dicit Doctor quòd quantùm ad istam conditionem, quòd sit per discursum syllogisticum, Theologia in se non est scientia, propter duplicem imperfectionem. Tum, quia scientia causata per discursum syllogisticum est effectus æquiuocus, & per consequens includit imperfectionem: patet, quia ex quo causa æquiuoca est essentialiter perfectior effectu, vt patet à Doctore *dist. 12. 4.* sequitur, quòd effectus erit essentialiter imperfectior; *Scientia per discursum habita dicit imperfectionem.*

sed

sed scientia Theologica nō includit imperfectionē: patet de Theologia in intellectu diuino. Quòd autem scientia causata per discursum, sit effectus æquiuocus, patet, quia causatur à notitia præmissarū, & à forma syllogistica: sed notitia præmissarum distinguitur specie à notitia cōclusionis: patet, tum, quia talis notitia præmissarum vocatur ab Arist. 1. Post. *intellectus*, quia tantùm præsupponit cognitionem terminorum. Tum etiam, quia notitia præmissarum dicitur *notitia propter se*: quia intellectus assentit præmissis propter se: notitia verò conclusionis scitæ per discursum syllogisticum dicitur *scientia*, & est propter aliud: quia intellectus assentit conclusioni propter præmissas. Secundò, dicit imperfectionem ex parte intellectus: quia scientia verè causata, cùm sit accidens, recipitur in intellectu, cuius est, & sic intellectus est in potentia receptiua ad illā, & hoc est imperfectionis. Sed Theologia in se, siue in intellectu diuino, nullo modo est causata: quia tunc distingueretur essentialiter ab essentia, & intellectu diuino: nec etiam intellectus diuinus est in potētia receptiua ad illam: cùm talis scientia sit simpliciter idem quod intellectus diuinus: vt subtiliter probat Doctor *in hoc 1. d. 2. q. 1*. Dicitur tamē scientia, quo ad tres alias conditiones, quia est cognitio certa, de obiecto necessario, causata à causa euidente intellectui: quia notitia proprietatum in diuinis dependet suo modo ab essentia diuina, vt à causa, siue quasi causa, vt suprà patuit.

Theologia in se nullo modo est causata.

SCHOLIVM.

Beatum habere scientiam discursiuam de veritatibus inclusis in obiecto viso in essentia diuina, sicut haberet de eodem obiecto, lumine naturali viso.

VTrùm autem [a] scientia sit quantum ad quartam conditionem in intellectu Beatorum, dubium est. Et videtur quòd non, per Augustinum decimoquinto de Trinitate, cap. 16. *Fortasse* (inquit) *non erunt ibi volubiles nostræ cogitationes ab aliis in alia euntes, atque redeuntes; sed scientiam nostram vnico intuitu videbimus*: ergo intellectus Beatorum non discurret: & ita non habent scientiam, quantùm ad istam quartam conditionem. 27. *Dubium 1.*

Sed oppositum videtur; quia quiditas subiecti in quocunque lumine videtur, continet virtualiter veritates, quas potest facere notas intellectui passiuo à tali obiecto. Si igitur quiditas lineæ visa in lumine naturali, potest notas facere veritates in se inclusas intellectui nostro, pari ratione, & vt visa in essentia diuina: sed omnis veritas causata in intellectu nostro per aliquid priùs naturaliter notum, causatur per discursum: quia discursus non requirit successionem temporis, nec ordinem ipsius, sed ordinem naturæ, scilicet quòd principium discursus sit naturaliter priùs notum, & vt sic sit causatiuum alterius extremi discursus.

Discursus nō petit successionē temporis.

Hoc potest concedi, videlicet quòd Beatus verè potest habere scientiam Theologicam, quantùm ad omnes conditiones scientiæ, quia omnes conditiones scientiæ verè concurrunt in cognitione Beatorum. Auctoritas Augustini non cogit, quia loquitur dubitatiuè, & cum *fortè*, nec illud intendit asserere, sed quòd verbum nostrum non sit æquale verbo Dei, quantumcunque verbum nostrum sit perfectum. Similiter potest exponi auctoritas Augustini de visione beata, quæ respicit tantùm essentialia in Deo.

Ad August. auctoritatē.

COMMENTARIVS.

1. a VTrùm *autem scientia sit quantum*, &c. Videtur hìc Doctor ad hoc declinare, quòd in intellectu Beatorum Theologia possit dici scientia, etiam quantùm ad illam quartam conditionem: quia potest acquiri per causam applicatam scito per discursum, sic quòd intellectus Beati videns in essentia diuina, puta quiditatem hominis, ex quo talis quiditas, vt visa in essentia diuina, virtualiter continet veritates, &c. & per consequens talis veritas conclusionis, siue notitia conclusionis potest verè causari à notitia præmissarum. Nam sicut intellectus distinctè cognoscens hominem, potest statim formare præmissas, & applicare illas conclusioni, ita videns ipsum hominem in essentia diuina, potest idem facere, vt patet in litera Doctoris.

2. Secundò dicit Doctor quòd discursus (qui formaliter est illatio consequentis ex antecedente, & fundamentaliter, est duæ præmissæ, formatæ in debito modo, & figura: & terminatiuè ipsa conclusio) non requirit successionem temporis, sed naturæ tantùm, id est, non est necesse, vt priùs tempore sciantur præmissæ, & posteriùs tempore conclusio: vel quòd priùs tempore sciatur vna præmissa, & posteriùs tempore alia præmissa: quia talis successio tantùm est in intellectu imperfecto, cuiusmodi est intellectus noster coniunctus. Sed sufficit ad verum discursum successio naturæ, ita quòd notitia præmissarum, siue euidentia priùs natura habeatur, quàm notitia, vel euidentia conclusionis. Et vltrà in discursu syllogistico, per quem acquiritur vera scientia, requiritur, quòd præmissæ sint magis notæ, vel euidentiores: & conclusio sit nota per notitiam præmissarum, siue per euidentiam præmissarū: & sic patet quomodo Beatus potest scire hominem esse risibilem, videndo quiditatem hominis in lumine essentiæ diuinæ: & sic discurrere applicando causam per discursum syllogisticum ad ipsum scitum.

Discursus nō requirit successionē temporis: sed natura tantùm.

In Deo nō est habitualis cognitio, sed tātum actualis, vide D. Thomam contra Gentiles lib. 1. c. 56.

Et cùm dicitur ab Aug. 15. de Trin. c. 16. vel 41. scilicet quòd *scientiam nostram*, vel obiectū scientiæ, *vnico intuitu videbimus*: dico, quòd Aug. loquitur dubiè, cùm dicit *fortassis*, &c. nec illud intendit asserere: sed quòd verbum nostrum (id est, cognitio 3.

De ratione discursus tria sunt, vide Maurit. q. 19. vniuersalii. tio distincta essentiæ, & contentorum in ea virtualiter, vel identicè) non sit æquale Verbo Dei, id est, notitiæ genitæ, quæ propriissimè dicitur Verbum Dei, quæ notitia perfectissimè exprimit memoriam fœcundam, vt infrà patebit *dist.* 17. & sic non negatur talis discursus à beato intellectu, cui vna proprietas potest esse euidens ex euidentia quiditatis, &c.

Quomodo discursus est in intellectu diuino. Et ex his patet quomodo in intellectu diuino non sit propriè discursus: videlicet qui sit à magis noto ad minus notum, quia hoc dicit imperfectionem: potest tamen ibi esse discursus syllogisticus, sic quòd priùs naturâ aliquid cognoscatur, & posterius naturâ aliud: patet, quia intellectus Patris priùs naturâ cognoscit essentiam diuinam, & omnem perfectionem intrinsecam, & posterius naturâ quiditates: vel quòd priùs naturâ cognoscit quiditatem hominis, & posterius naturâ veritates inclusas in quiditate hominis: non tamen ibi est discursus, ita quòd procedatur à magis noto ad minùs notum: & quòd notitia vnius sit à causa notitiæ alterius, cùm hæc omnia includant imperfectionem.

4. *Tres difficultates.* Sed hîc occurrunt aliquæ difficultates ex dictis Doctoris. Prima, quia Doctor vult *in quæst. de subiecto Theologiæ*, quòd Deus sub ratione Deitatis, sit subiectum Theologiæ Dei, & ibi vult, quòd Theologia Dei sit euidens ex subiecto: ita quòd subiectum, vt primò notum, continet veritates necessarias Theologicas: ergo videtur, quòd intellectus diuinus verè discurrat à magis noto ad minùs notum.

2. Difficultas. Præterea, in illa q. *An Deus sit subiectum Theologiæ sub aliqua ratione speciali*, dicit quòd cognitio subiecti est perfectissima in scientia cuius est subiectum: & *in q. immediatè præcedente*, vult quòd cognitio subiecti in aliqua scientia sit simpliciter distinctior cognitione cuiuscunque alterius considerati in tali scientia; & per consequens talis scientia erit notior, & sic poterit discurrere à magis noto ad minùs notum. Nec valet dicere, quòd non est ibi successio secundùm prius & posterius naturâ, quia oppositum probatum est suprà, ex dictis Doctoris.

Secunda responsio. Dico, quòd ad verum discursum, in quo proceditur à magis noto ad minùs notum, requiritur, secundùm aliquos, quòd notitia conclusionis sit verè causata à notitia præmissarum: tota autem cognitio Theologica in intellectu diuino, est tantùm vna intellectio eadem sibi, vt patet *in isto* 1. *dist.* 2. licèt posset diuersificari secundùm alium, & alium respectum ad aliud, & aliud obiectum: vt patet à Doctore *in* 1. *dist.* 39. & sic eadem notitia non potest dici magis, & minùs nota.

Dico secundò, quòd, etsi in Theologia in se possint formari præmissæ, & ex his educi conclusio, ita quòd notitia præmissarum sit euidentior notitia conclusionis, hoc tantùm erit verum, vt comparatur intellectui creato, qui potest habere aliam, & aliam notitiam respectu præmissarum, & conclusionis: tamen hoc non est verum in intellectu diuino, qui tantùm potest habere vnam notitiam omnium. 5. *Secunda.*

Dico tertiò, quòd etiã posito, quòd intellectus beatus creatus vna simplici cognitione possit cognoscere præmissas, & conclusionem, & similiter intellectus diuinus: tamen intellectus creatus poterit discurrere à magis noto ad minùs notum: ita quòd eadẽ notitia, vt terminatur ad præmissas erit euidentior se ipsa, vt terminatur ad conclusionẽ: quia euidentia conclusionis est ab euidentia præmissarum, & priùs naturâ talis notitia potest terminari ad præmissas, & posteriùs naturâ ad conclusionem. Licèt ergo realiter non dicatur magis, vel minùs euidens: secundùm tamen diuersas terminationes potest dici magis, vel minùs euidens. Ex hoc enim quòd terminatur ad propositionem per se notam, dicitur propter se euidens: vt verò terminatur ad conclusionem natam fieri euidentem ab alio, dicitur propter aliud euidens. *Tertia.* *Intellectus creatus vnico actu præcognoscit omnia.*

6. Et quòd intellectus beatus creatus possit vnico actu simplici cognoscere omnia in essentia diuina, patet à Doct. *in* 3. *d.* 14. *q.* 2. *& in Quodl. q.* 15. Intellectus verò diuinus etsi vnico, & simplicissimo actu cognoscat omnia, & præmissas, & conclusiones, & quodammodò priùs naturâ præmissas, & posteriùs conclusiones: non tamen poterit dici magis, vel minùs euidens, nec in se realiter, nec propter aliam, & aliam terminationẽ: quia omne quod sonat imperfectionem excludendum est ab intellectu diuino. Nam essentia diuina immediatè mouet intellectum diuinum ad cognitionem omnium, ita perfectè ad cognitionem vnius, sicut alterius: ita quòd cognitio vnius non dicitur euidens propter cognitionem alterius. *Intellectus diuinus in intelligendo differt à creato.* *Quomodo essentia diuina moueat intellectum diuinum.*

Dico vltrà, quòd intellectus diuinus cognoscit omnia; vt in essentia diuina clarè visa: & non vnum per aliud, vt dicit Doctor *q.* 15. *Quodlib.* Essent etiam aliæ difficultates, quas breuitatis causa pertranseo, & fortè aliàs declarabuntur.

SCHOLIVM.

Explicat benè quomodo contingentia, vt pertinent ad Theologiam, nata sunt habere notitiam certam, & euidentem, quia possunt sic videri in obiecto Theologico, tamen cognitio de eis non est scientia, vt accipitur à Philosopho, quia sic accepta, petit necessitatem in obiecto: magis assimilatur habitui principiorum.

28. *Dubium secundum.* SEd aliud dubium [a] est in ista quæstione; quia sicut ad Theologiam pertinent necessaria, sic & contingentia. Quod patet de Theologia nostra, quia omnes articuli de incarnatione sunt de contingentibus. In Theologia etiam Beatorum patet, quia omnia cognoscibilia de Deo in respectu ad creaturas extrà, sunt de contingentibus; de contingentibus autem non videtur posse esse scientia, ex definitione scientiæ: ergo non videtur quòd Theologia, vt extendit se ad omnia ista contenta, posset habere rationem scientiæ, siue cum discursu, siue non. *Et ex 7. Met. text. com. 53.*

Hic dico, quòd in scientia perfectionis est quòd sit euidens, & certa. Quòd autem sit de necessario obiecto, hæc est conditio obiecti, non cognitionis; quia quantumcunque scientia sit de necessario, ipsa in se potest esse contingens, & per obliuionem deleri.

Si

Si igitur aliqua alia cognitio est certa,& euidens,& quantùm est de se perpetua, ipsa videtur in se formaliter perfectior, quàm scientia, quæ requirit necessitatem obiecti. Sed contingentia, vt pertinent ad Theologiam, nata sunt habere cognitionem certam, & euidentem, & quantum est ex parte sui, euidentiam perpetuam. Hoc patet, quia omnia contingentia Theologica sunt nata videri in primo obiecto Theologico, & in eodem nata est videri coniunctio istarum veritatum contingentium.

Contingētia vt pertinent ad Theolog. nata sunt habere perfectiorē cognitionem quàm scientia de necessariis acquisita.

Visio autem [b] extremorum veritatis contingentis,& vnionis eorum, necessariò causat euidentem certitudinem de tali veritate euidente. Quantùm est etiam ex parte obiecti Theologici ostendentis talia vera, nata sunt videri in tali obiecto perpetuo, quantùm ex se est: igitur contingentia, vt pertinent ad Theologiam, nata sunt habere perfectiorem cognitionem,quàm scientia de necessariis acquisita.

Sed nunquid [c] eorum cognitio est scientia? Dico quòd secundùm illam rationem scientiæ positam *in 1. Posteriorum*, quæ requirit necessitatem obiecti, non potest de eis esse scientia: quia cognoscere contingens vt necessarium, non est cognoscere contingens,tamen secundùm quòd accipit Philosophus scientiam *6.Ethic.*vt diuiditur contra opinionem,& suspicionem,benè potest esse scientia: quia est habitus, quo determinatè verum dicimus.

Cap. 3. & inde.

Theologia secundùm se est sapiētia, vel scientia, vt opponitur opinioni, & suspicioni, de cōtingentibus assimilatur intellectui principiorū.

Magis tamen propriè potest dici, quòd Theologia secundùm se est sapientia:quia de necessariis contentis in ea ipsa habet euidentiam, & necessitatem, & certitudinem, & obiectum altissimum, & perfectissimum. Quantum autem ad contingentia habet euidentiam manifestam de contingentibus in obiecto Theologico vt in se visis,& non habet euidentiam mendicatam ab aliis prioribus. Vnde notitia contingentium(vt habetur in ea) magis assimilatur intellectui principiorum,quàm scientiæ conclusionum.

COMMENTARIVS.

1. a **S***Ed aliud dubium est.* An cognitio contingentium dicatur scientia Theologica,cùm Theologia tam nostra,quàm Beatorum, consideret etiam contingentia, vt suprà patuit, videtur quòd non,cùm non sit de obiecto necessario, vt patet.Dicit Doctor duo:primum,quòd perfectionis est in scientia, quòd sit euidens, & certa: sed quòd sit de obiecto necessario,hæc non est conditio scientiæ:patet,quia aliquando corrumpitur in nobis:sed est conditio obiecti,quod respicit, siue ad quod terminatur illa: ergo cognitio, quæ est certa,& euidēs,&,quæ quantū est de se,perpetua, in se est formaliter perfectior illa,quæ est de obiecto necessario, quæ tamen ex se non est perpetua,qualis est scientia nostra:obiectiuè tamen illa, quæ est de obiecto verè necessario, erit perfectior:modò contingentia,vt pertinent ad Theologiam,nata sunt habere cognitionem certam,& euidentē,& quantùm est ex parte sui euidentiam perpetuam: hoc patet, quia omnia contingentia Theologica nata sunt videri in primo obiecto Theologico, non tamen ex natura rei: quia nec contingentia in se continentur in tali obiecto, cùm sint tantùm à determinatione diuinæ voluntatis,vt infrà patebit *d.*39.Sed positis contingentibus ex determinatione voluntatis diuinæ,tunc videntur ab intellectu diuino per essentiā, id est, quòd essentia diuina est ratio formalis causandi euidentem notitiam talium contingentium in intellectu suo,vt patebit infrà *d.*39. Videntur etiam ab intellectu beato in essentia diuina,sed virtute voluntatis diuinæ,in hoc supplentis vicem essentiæ diuinæ,vt dixi suprà,& hæc est certissima cognitio:quia non tantùm videntur contingentia illa,sed etiam videtur causa talium contingentium, scilicet determinatio voluntatis diuinæ:propter quam determinationem dicuntur habere, suo modo,euidentiam, licèt notitia illorum sit ab essentia diuina:vt talis cognitio comparatur ad intellectum diuinum: & à voluntate diuina supplente vicem essentiæ diuinæ, vt comparatur intellectui creato perfectè supplente, vt comparatur ad intellectum beatum, & imperfectè supplente, vt comparatur ad intellectum viatoris: quia tantùm per reuelationem obscuram, & hoc de communi lege.

Essentia diuina quomodo sit ratio formalis causandi.

b *Visio autem extremorum veritatis contingentis*, &c. Id est, essentia diuina in intellectu suo primò causat notitiam terminorum; secundò voluntas determinat velle vnire illos terminos in re: puta, quòd Antichristus erit existens: tertiò, essentia diuina causat visionem huius vnionis determinatē à voluntate diuina, ad quam visionem claram statim sequitur certitudo illius contingentis: & sic intellectus diuinus scit ab æterno certitudinaliter Antichristum fore: vt magis patebit infrà *distinct.* 39. Hoc idem dico de intellectu beato: quia voluntas diuina supplendo perfectè vicem essentiæ diuinæ, causat notitiam terminorum huius contingentis,*Verbum est incarnatum:* secundò causat visionem vnionis naturæ humanæ ad Verbum, quâ habitâ, sequitur certitudo huius contingentis. Hoc idem erit in intellectu viatoris, excepto, quòd de communi lege termini contingentis reuelatæ accipiuntur, siue cognoscuntur virtute intellectus agentis, & phantasmatis,vt suprà patuit;& pòst voluntas diuina causat notitiam vnionis terminorum (obscurè tamen) & pòst causat assensum, vt patuit *in prima quæst.*& sic in nobis habetur certitudo de hoc reuelato, nisi priùs causetur in nobis assensus: quia notitia talis vnionis non est mihi euidens ex natura rei: & sic patet de perpetuitate, quia nata est esse perpetua: imò est in intellectu diuino ratione essentiæ:& in intellectu beato virtute voluntatis diuinæ supplentis perfectè vicem essentiæ, & in intellectu nostro supplente imperfectè, &c. 2.

In viatore quomodo causatur notitia contingentiū.

c *Sed nunquid eorum cognitio est scientia*, &c. Patet responsio in litera. Et quod dicit circa vltimum 3.

timum de notitia contingentium diffusè declaraui suprà. Et quando dicit in vltimo, quòd notitia contingentium in ea magis assimilatur intellectui principiorum, hoc dicit, quia euidentia de contingentibus non est causata à prioribus, siue præmissis in syllogismo: & ideò notitia talis magis assimilatur intellectui, qui est notitia præmissarum, quàm scientiæ; quæ est notitia conclusionum demonstratarum per notitiam præmissarum.

SCHOLIVM.

Theologiam nostram nulli scientiæ subalternari, nullámque scientiam sibi subalternare. Prima pars patet, quia si alicui, maximè Metaphysicæ; sed hoc non: quia nulla passio Theologica demonstrari potest per rationem entis. Secunda pars patet, quia nulla scientia accipit sua principia ab ea. In obiectione explicat optimè, quomodo cognitio lineæ in genere proprio, licèt sit imperfectior, & minùs clara, quàm cognitio eiusdem in verbo, non tamen resoluatur in hanc, nec subalternetur ei.

29. *Subiectum Theologiæ aliquo modo continetur sub subiecto Metaph.*

AD secundam [a] quæstionem dico, quòd hæc scientia nulli subalternatur. Quia licèt subiectum eius possit aliquo modo contineri sub subiecto Metaphysicæ, nulla tamen principia accipit à Metaphysica: quia nulla passio Theologica demonstrabilis est in ea per principia entis, vel per rationem sumptam ex ratione entis. Nec ipsa aliam sibi subalternat: quia nulla alia scientia accipit principia ab ipsa. Nam quælibet alia in genere cognitionis naturalis, habet resolutionem suam vltimò ad aliqua principia immediata naturaliter nota.

Contrà: [b] Resolutio non stat in cognoscibilibus, nisi ad perfectissimum cognoscibile: nec de eodem, nisi ad seipsum vt perfectissimè cognitum: linea autem perfectiùs cognoscitur in Verbo, quàm per motionem sui ipsius: ergo resolutio conclusionum de linea non stat ad quiditatem lineæ, vel ad principia de ipsa, nisi vt videntur in Verbo; illa autem habetur per Verbum visum: ergo resolutio vltima quarumcunque conclusionum, & principiorum stat ad visionem Verbi: igitur ista subalternat alias notitias, quibus omnibus dat euidentiam.

Eadem propositio potest esse per se nota terminis distinctè & confusè conceptis, 1. dist. 2. q. 2.

Ad hoc [c] respondeo; quòd etsi Metaphysicus cognoscens distinctè quiditatem lineæ, vel totius, perfectiùs cognosceret aliquod principium immediatum de linea, vel de toto, quàm Geometer, tantùm confusè cognoscens lineam, vel totum: tamen Geometræ est illa propositio immediata per se nota: nec probatur per istam Metaphysici, sed ex conceptu confuso terminorum fit complexio euidenter vera. Sed tamen Metaphysicus eandem per se notam perfectiùs cognoscit: & hoc magis esset euidens, si tantùm per diuersa motiua, vel media cognosceretur linea à diuersis, & æquè distinctè ex parte obiecti, licèt non æquè clarè.

Ita in proposito, principium immediatum de linea potest esse euidens intellectui moto à linea, & clariùs euidens intellectui moto à Verbo ad notitiam lineæ, sicut linea clariùs videtur: tamen principium vno modo cognitum, non demonstrat se alio modo notum, sed vtroque modo est per se notum, licèt clariùs sic, vel sic: subalternatio autem requirit, quòd notitia principiorum scientiæ superioris, sit causa notitiæ principiorum inferioris scientiæ. Hoc de Theologia in se.

COMMENTARIVS.

1. *Ad scientiam subalternatā tria requiruntur.*

a AD *secundam quæstionem dico.* Hîc Doctor intendit probare duo. Primum, quòd Theologia in se non sit scientia subalternata, nec subalternans: & hoc patet per conditiones scientiæ subalternatæ. Nam scientia subalternata capit subiectum sub subiecto scientiæ subalternantis: ita quòd oportet, quòd sit minùs commune, & quòd addat tali subiecto differentiam accidentalem; & quòd accipiat principia sua à scientia subalternante, vel saltem aliquam præmissarum: sicut dicimus, quòd Perspectiua scientia subalternatur Geometriæ: quia subiectum Geometriæ est linea: subiectum verò Perspectiuæ non erit linea in communi: sed linea determinata per differentiam accidentalem, scilicet linea visualis: & Perspectiuus ad probandum conclusiones in Perspectiua scientia accipit principia à Geometria, id est, præmissas; vel saltem vnam accipit, ita quòd conclusio demonstrata in Geometria erit vna præmissa ad demonstrandum conclusionem in Perspectiua: vel plures conclusiones demonstratæ in Geometria erunt præmissæ ad demonstrandum conclusionem in Perspectiua, ita quòd notitia talium præmissarum in Perspectiua erit causa notitiæ conclusionis in Perspectiua, & notitia huiusmodi præmissarum erit causata à notitia præmissarum in Geometria. Et ex his sequitur, quòd præmissæ in scientia subalternata non sunt per se notæ; quia non sola cognitione terminorum: sed sunt notæ à præmissis in scientia subalternante: ideò habens scientiam subalternatam non dicitur propriè demonstrare *propter quid*, vt patet primo Posteriorum; quia non procedit ex præmissis per se notis.

His

2. *Theologia in se non est subalternata.* His præsuppositis, patet quòd Theologia in se non est alicui scientiæ subalternata. Et hoc probat Doctor, quia si alicui esset subalternata, maximè subalternaretur Metaphysicæ, cuius subiectum est communissimum, & prædicatur de subiecto Theologiæ in se in quid. Licèt ergo habeat primam conditionem, scilicet *habere subiectum sub subiecto*, tamen duæ aliæ conditiones deficiunt, patet de differentia accidentali, quia non ponimus Deum sub aliqua ratione accidentali subiectum Theologiæ in se, sed sub propria ratione, & quiditatiua, scilicet Deum sub ratione Deitatis, vt patuit suprà. Tertia etiam conditio sibi deficit, quia non potest demonstrari aliqua proprietas Theologiæ in se de subiecto Theologico per principia Metaphysicalia, quia si sic, illa proprietas posset sciri naturaliter, & sic de illa non esset cognitio Theologica, sed naturalis. Dicit etiam Doctor quòd Theologia in se nullam aliam scientiam sibi subalternat, quia nulla alia scientia accipit principia ab ipsa, patet, quia omnis scientia naturaliter habita resoluitur ad aliqua principia immediata naturaliter nota. *Theologia in se non subalternans.*

3. b *Contra, resolutio*, &c. Doctor in ista ratione intendit probare, quòd Theologia in se potest sibi subalternare alias scientias, supponendo vnum, quòd cognitio quiditatis in Verbo, est cognitio Theologica, vt suprà patuit, quia talis cognitio non potest haberi, nisi virtute primi obiecti Theologici, vel virtute alicuius supplentis vicem talis obiecti, hoc stante, probat intentum. Et ratio stat in hoc. Quia ex quo notitia conclusionis resoluitur in notitiam præmissarum, & notitia præmissarum in notitiam terminorum, ita quòd sicut notitia terminorum est causa notitiæ præmissarum, ita notitia præmissarum est causa notitiæ conclusionis: & sic vna notitia dependet ab alia, sicut notitia conclusionis, quæ est imperfecta, & minùs euidens dependet à notitia præmissarum, perfectiori, & euidentiori. Sicut ergo notitia, puta hominis in Verbo, est notior notitia hominis, vt in lumine naturali: sic notitia huius propositionis, *animal rationabile est risibile*, vt in Verbo, est euidentior se ipsa vt in lumine naturali cognita. Hoc idem dico de ista conclusione, *homo est risibilis*, & sic poterit demonstrari hominem esse risibilem per animal rationale, vt principium Theologicum, & sic scientia de ista conclusione, *homo est risibilis*, videtur subalternari notitiæ Theologicæ, qua cognoscitur animal rationale esse risibile, vel poterit subalternari notitiæ eiusdem conclusionis, vt visæ in Verbo.

c Doctor respondet ibi: *Ad hoc respondeo, quòd etsi Metaphysicus*, &c. Et nota hîc singularem responsionem. Eadem enim propositio potest esse per se nota terminis distinctè conceptis, & etiam confusè conceptis, vt patebit infrà *in isto 1.d.2.q.2.& d.3.q.4.* Nam Geometer habet hãc propositionem per se notam, *linea est longitudo sine latitudine*, terminis confusè conceptis, quia non cognoscit distinctè ad quod prædicamentum, vel ad quam speciem prædicamenti pertineat; & an sit ens absolutum, vel respectiuum; hæc enim magis spectant ad Metaphysicum, ideò Metaphysicus habebit istam per se notam, ex conceptu distincto terminorum, quia distinctè sciet ad quod genus, & ad quam speciem pertineat, & an absolutum, an respectiuum. Geometer ergo habebit hanc propositionem per se notam, linea, &c. ex solo conceptu confuso terminorum, nec probatur per istam Metaphysici, hoc est, per notitiam habitam ex conceptu distincto terminorum. Licèt ergo vna sit perfectior alia, non tamen imperfectior probatur per perfectiorem; & dat Doctor clarum exemplum, quòd si eadem conclusio, puta *homo est risibilis* possit probari per diuersa media à diuersis, ita quòd vnus procedat per præmissas per se notas terminis confusè conceptis; & alius procedat per præmissas per se notas terminis distinctè conceptis; & quòd talis conclusio ita distinctè sciatur ab vno sicut ab alio, licèt tamen non clarius esset exemplum valdè ad propositum. Sic in proposito, quamuis via naturali probet hominem esse risibilem, distinctè cognoscendo illam conclusionẽ, & similiter eandem conclusionem cognoscat in Verbo distinctè, clariùs tamen in Verbo, quàm in lumine naturali, non tamẽ notitia, quę habetur in Verbo erit causa notitiæ, quæ habetur de ista conclusione in genere proprio, nec vna notitia scitur per aliam. 4. *Nota.* *Clarum exemplum Doctoris.*

SCHOLIVM.

Theologiam nostram non subalternari Theologiæ Beatorum, contra D.Thom. Primò, quia D. Thom. ait scientiam & fidem non stare simul de eodem. Secundò, scientia de Deo est tantùm vna. Tertiò, nostra nullo modo est effectus Theologiæ Beatorum. Quartò, nostra est de eodem obiecto cum Theologia Beatorum. Quintò, non possumus habere Theologiam Beatorum, nec illi nostram. De tribus conditionibus scientiæ subalternatæ, vide Aristot. 1. Post. text. 69. & ibi expositores.

SEd quid [a] de Theologia nostra? Esſetne subalternata si talis notitia daretur alicui, vel si est data? Ad hoc dicunt quidam, quòd est subalternata: subalternatur enim scientiæ Dei, & Beatorum. 30. *D.Thom. 1. p.q.art.2.& 2. 2. q. 1. art.4.*

Contra [b] hoc arguitur sic: Isti alibi ponunt, quòd scientia non potest stare cum fide: sed nunc dicunt, quòd quæ est subalternata stat cum fide, ergo stat secundùm eos, & non stat, igitur contradicunt sibi. Præterea [c] scientia de Deo non potest esse, nisi vna, igitur nulla est subalternata. Præterea [d] scientia secundùm rationem causæ, non dependet nisi ab obiecto, vel subiecto, vel lumine, sed respectu intellectus viatoris, visio Beatorum nullam habet rationem causæ: ergo, &c. *Quia obiectũ est vnũ & idem formaliter.*

Præterea [e], scientia subalternans & subalternata non sunt primò de eisdem veritatibus, vel prædicatis scitis. Hoc patet, quia vbi subalternata incipit, ibi subalternans desinit: sed hæc potest esse de eisdem, de quibus est scientia Beatorum: ergo, &c. *Hæc clarius in report.q. 2.prol & in 3.dist.24.*

Præterea, habens ſcientiam ſubalternatiuam, poteſt habere ſcientiam ſubalternantem, & è conuerſo, ſed in propoſito eſt impoſſibile vtrumque, ergo, &c. Maior patet quoad vtrumque: primò, quia habens principia de concluſione, poteſt ſcire concluſionem. Similiter, patet ſecundum, quia principia ſubalternantis ſunt vniuerſaliora, & ſic ordine cognitionis intellectualis priùs nota, quia ibi ſecundùm quòd huius, non proceditur à magis notis, ſed à ſenſu. Minor etiam patet quoad vtrumque membrum, quia ſicut viator non poteſt clarè videre, ſic beatus non poteſt habere fidem.

COMMENTARIVS.

1. *Opi. D. Thom.*

a SEcundum principale eſt ibi: *Sed quid de Theologia noſtra?* Hîc Doctor recitat opinionem S. Thomæ, qui dicit, quòd Theologia noſtra eſt ſcientia propriè dicta, & ſubalternatur Theologiæ Dei, & beatorum. Patet *in prima parte, q. 2. art. 2.* Et modus ponendi S. Thomæ poteſt reduci ad tria puncta, ſicut reducit Alfonſus Tol. *in prolog. quæſt. 2. art. 3.* videlicet quòd ſcientiæ etiam propriè dictæ ſunt in duplici ordine. Quædam procedunt ex principiis in eiſdem euidenter notis, ſine recurſu ad aliquam ſcientiam ſuperiorem, ſicut Geometria, & vniuerſaliter omnis ſcientia ſubalternans. Quædam verò procedunt ex principiis notis euidenter, non tamen in eis, ſed in ſcientia ſuperiori, ſicut ſcientiæ ſubalternatæ, & ex hoc elicitur Primus punctus, quòd de ratione ſcientiæ propriè dictæ non eſt habere principia in eadem euidenter nota. Secundus punctus eſt, quòd habitus Theologicus reuelatus poſſibilis viatori, de lege communi non procedit ex principiis primo modo notis, quia articuli fidei, qui ponuntur principia dicti habitus, non ſunt nobis in via euidenter noti, ſed tantùm crediti. Tertius punctus eſt, quòd habitus Theologiæ reuelatæ, procedit ex principiis notis, ſecundo modo euidenter, quia articuli fidei, qui nobis in via ſunt crediti tantùm, in ſcientia verò Dei, & beatorum ſunt euidenter noti. Ex iſtis elicitur, quòd habitus Theologiæ reuelatæ in nobis ſit ſcientia propriè dicta, ſubalternata ſcientiæ Dei, & beatorum.

Quid ſit de ratione ſcientiæ propriè dictæ.

2. *Doct. arguit contra D. Thom.*

b Contra quam opinionem arguit Doctor multis mediis. Primò ibi: *Contra hoc arguitur ſic.* Et reducit ipſum ad contradictionem, quia alibi dicit, quòd ſcientia, & fides non ſtant ſimul de eodem obiecto, id eſt, quòd aliquis verè ſciat, puta hanc concluſionem, *Deus eſt trinus, & vnus,* & quòd ſimul habeat fidem de eadem concluſione. Cùm ergo Theologia noſtra ſit reuelata, & tota ſtet cùm fide, vel eſt fides: & ex alia parte dicat quòd Theologia noſtra eſt ſcientia propriè dicta, ergo ſtat cum fide, & non cum fide, quia Theologia noſtra ſtat cum fide, cùm ſit de articulis reuelatis, & non ſtat cum fide cùm ſit ſcientia propriè dicta, quæ ſecundùm eos non ſtat cum fide.

Nota quòd Capreolus in 3. diſt. 25. habet quòd fides non eſt de ſcitis, iſta eſt ſententia D. Thomæ 2. 2. q. 1. a. 2.

c Secunda ratio eſt ibi: *Præterea ſcientia de Deo.* Certum eſt apud omnes, quòd ſcientia ſubalternans, & ſcientia ſubalternata ſunt duæ ſcientiæ, quia alterius, & alterius ſubiecti, ſaltem obiectiuè diſtincti. Tum, quia ex aliis, & aliis principiis procedunt. Tum, quia ſubalternans demonſtrat ſimpliciter *propter quid*, ſubalternata verò non. Sed Theologia in quocumque intellectu eſt tantùm vna ſcientia. Tum, quia vnius ſubiecti ſub eadem ratione formali, &c. ergo non poteſt eſſe ſubalternata Theologiæ beatorum, quia tunc eſſent duæ ſcientiæ diſtinctæ, & ſic eſſent diſtinctorum ſubiectorum.

d Tertiò arguit ibi: *Præterea ſcientia ſecundùm rationem cauſæ.* Hîc Doctor ſupponit vnum, ſcilicet quòd ſcientia ſubalternata dependet à ſcientia ſubalternante, ſaltem quantùm ad hoc, quòd cognitio principiorum ſubalternatæ, ſit cauſata à notitia principiorum ſubalternantis, vel ſaltem ab obiecto illius ſcientiæ, vel à principiis. Sed certum eſt, quòd notitia Theologica nobis reuelata, puta notitia huius, *Deus eſt trinus, & vnus,* non eſt aliquo modo cauſata à notitia beatorum, quæ eſt clara viſio huius, *Deus eſt trinus, & vnus,* vt patet, ergo non ſubalternatur ei. Et cùm dicit Doctor: Nulla ſcientia dependet ab aliquo vt à proximo, niſi ab obiecto ſuo de quo eſt, & intellectu, ſcilicet à quo, & in quo eſt, & lumine, id eſt, à forma ſyllogiſtica, & præmiſſis, vt quidam Scotiſtæ exponunt de illo lumine. Et debet addi de proximo, quia talis ſcientia dependet à voluntate diuina, vt à cauſa remota. Sed certum eſt, quòd notitia Theologica noſtra non dependet à viſione beatorum, vt cauſa effectiua, nec vt ab obiecto, nec vt à lumine: quia talis viſio non eſt forma ſyllogiſtica, vel præmiſſæ. 3.

Theologia noſtra non dependet à Theologia beatorũ vt à cauſa effectiua.

e Quarta ratio eſt ibi: *Præterea ſcientia ſubalternans.* Hæc ratio patet ex ſupradictis, quia vbi ſubalternans definit, ibi ſubalternata incipit, id eſt, quòd concluſio demonſtrata in ſubalternante, eſt præmiſſa in ſubalternata (vt dixi ſuprà) & per conſequens ſubalternans, & ſubalternata non ſunt primò de eiſdem prædicatis. Non enim ſubalternata demonſtrat proprietatem demonſtratam in ſubalternante, vt patet, quia concluſio in ſubalternante eſt præmiſſa in ſubalternata, ſed Theologia Dei, beatorum, & noſtra, eſt præciſè de eiſdem prædicatis (licèt noſtra ſit de eiſdem per reuelationem, illa verò beatorum per demonſtrationem, & fortè etiam per diſcurſum, ſed illa quæ eſt Dei, licèt ſit de eiſdem ſimpliciter prædicatis, non tamen per demonſtrationem, vt ſuprà patuit) modò ſi noſtra eſſet ſubalternata, non poſſet eſſe primò de eiſdem prædicatis, ſiue proprietatibus. 4.

f Quinta ratio eſt ibi, *Habens ſcientiam ſubalternantem*, &c. Et ratio ſtat in hoc, quòd habens ſcientiam ſubalternatam, poteſt habere ſubalternantem, reſoluendo præmiſſas ſubalternatæ in præmiſſas ſubalternantis, quia principia ſubalternantis ſunt vniuerſaliora, & ſic ordine cognitionis intellectualis priùs nota, quia ibi, vt huiuſmodi non proceditur à magis notis à ſenſu, & è conuerſo, habens ſubalternantem, poteſt habere ſubalternatam, accipiendo concluſionem ſubalternantis, & probando per eam concluſiones ſubalternatæ, ſed Deus, & beatus non poteſt habere noſtram Theologiam, quia nos ſolùm obſcurè, & fide credimus, & Deus & beati clarè vident, modò fides repugnat viſioni, neque è conuerſo viator poteſt habere viſionem de communi lege, ergo Theologia Dei, & beatorum non ſubalternat ſibi Theologiam noſtram. 5.

Deus & beatus non poteſt habere Theologiam noſtram.

Nouus

6. *Thom. Caiet. de Vio.* Nouus expositor S.Thomæ respondet ad rationes Scoti contra Thomam de subalternatione Theologiæ. Ad illud de vnitate Theologiæ dicit primò, quòd scientia Deo adæquata non potest esse nisi vna, inadæquata verò potest multiplicari, & talis est Theologia. Secundò dicitur, & meliùs, vt ipse dicit (quamuis in idem redeat) quòd antecedens est falsum, quoniam ad vnitatem scientiæ requiritur vnitas rationis formalis obiecti, vt res, & vnitas rationis formalis obiecti, vt obiectum: quamuis ergo Deitas sit ratio formalis obiecti vt res, respectu vtriusque Theologiæ, alia tamen, & alia est ratio formalis eiusdem obiecti, vt obiectum est in vtraque Theologia, quoniam Deus, vt clarè visus obiicitur beatis. Deus autem, vt reuelatus abstrahendo à claritate, & obumbratione, obiicitur Theologiæ nostræ absolutè sumptæ.

Ad secundum dicit quòd Theologia nostra, & beatorum, non sunt de iisdem veritatibus, prout manifestè patet de veritatibus articulorum fidei, de quibus est Theologia beatorum, non nostra. Et per hoc patet responsio ad formam argumenti, quòd subiectum Theologiæ nostræ addit ad subiectum Theologiæ beatorum, quia addit esse reuelatum, quia Deus, vt reuelatus, est subiectum Theologiæ nostræ. Potest etiam dici, quòd non est necesse, subiectum scientiæ subalternatæ addere aliquid subiecto scientiæ subalternantis, sed quòd scientia subalternata capiat subiectum, sub subiecto scientiæ subalternantis. hæc ille.

7. *Cōtra Thom. Caiet.* Sed hæc responsio non satisfacit. Cùm dicitur quòd subiectum Theologiæ beatorum est Deus, vt clarè visus, quia hæc est ratio formalis obiecti, vt obiecti, id est, vt obiicitur, hoc enim nihil est. Tum, quia obiectum actu obiici, dicit tantùm relationem rationis, & tunc aliquid sub ratione entis rationis esset subiectum scientiæ realis, vt realis, cuius oppositum probatum est suprà. *Actu obijci est relatio tantù rationis.* Tum, quia nihil ponitur subiectum alicuius scientiæ, nisi sub illa ratione, quâ præcedit illam scientiam: sed Deus, vt clarè visus non præcedit visionem intellectus beati, patet, quia visione illa dicitur visus. Tum, quia quæro, quomodo ponitur subiectum Theologiæ Dei. Si sub ratione Deitatis absolutè, cui tamen accidit actu videri, eodem modo debet poni respectu Theologiæ beatorum. Si verò, vt clarè visus: ergo sub ratione alicuius posterioris Deitate, & sic sub ratione alicuius, quasi accidentaliter erit subiectum Theologiæ Dei, quod est falsum. Tum etiam, quia non esset assignare aliquod subiectum Theologiæ beatorum sub aliqua per se ratione, sed tantùm accidentali, & sic scientia beatorum diceretur per accidens. Tum etiam, quia ex quo communiter ponitur subiectum scientiæ subalternatæ addere differentiam accidentalem subiecto scientiæ subalternantis, quæro, an subiectum scientiæ subalternantis ponatur subiectum sub aliqua ratione accidentali? Si sic, ergo non differret à subiecto scientiæ subalternatæ, quod est falsum, quia præsupponitur subiecto subalternatæ. Si verò addat differentiam per se, id est, quòd subiectum scientiæ subalternantis est subiectum, sub aliqua per se ratione formali, sequitur quòd cùm Deus, vt clarè visus dicat tantùm rationem formalem per accidens, non erit subiectum Theologiæ beatorum, & per consequens Theologia beatorum non erit subalternans respectu Theologiæ nostræ. Multæ aliæ rationes possent assignari, tamen breuitatis causâ illas omitto. Tum etiam, quia ista positio non tantùm est improbata à Scoto, sed etiam à multis aliis, vt ab Alfon. Tolet. & ab aliis quàm plurimis.

Ad aliam responsionem, vbi dicit, quòd Theologia nostra non est de eisdem veritatibus, de quibus Theologia beatorum. Quæro de Theologia nostra est de ista veritate *Deus est trinus, & vnus?* & similiter Theologia beatorum (idem enim est obiectum respectu vtriusque) aut enim Theologia nostra est de illa, vt reuelata, & Theologia beatorum vt clarè visa? Sed hoc nihil est, 8. quia si Theologia beatorum est de ista veritate, vt clarè visa, tunc sic, aut scientia Theologica beatorum terminatur ad istam, *Deus est trinus, & vnus* in se absolutè, & sic habetur propositum quòd non sub ratione, quâ clarè visa. Aut terminatur ad ipsam, vt clarè visam, ergo beatus priùs videt illam, & pòst alia visione videt illam, & sic secunda visio erit tantùm actus reflexus. Probatur, quia nulla cognitio terminatur ad obiectum, vt cognitum, nisi priùs sit cognitum, sic in proposito, ergo illa prima visio huius, *Deus est trinus, & vnus*, non erit Theologica, quod nullus diceret. Tum etiam, quia omnis Theologica, quæ dicit conformitatem prædicati ad subiectum, præcedit perfectionem illius, ergo ista, vt visa, siue vt clarè percepta, non diceretur simpliciter veritas in Theologia respectu intellectus beati. Sed de hoc magis patebit *in* 3. *d.* 23. Et quod dicit, quòd subiectum scientiæ subalternatæ non addit, &c. hoc est manifestè falsum, & contra communem viam, tam Philosophorum, quàm Theologorum, nec oportet in hoc insistere, quia est pertractandum in primo Poster.

Alias autem rationes Doctor magis euidentes non soluit. Et multæ solutiones huius noui expositoris accipiuntur à Capreolo, vt patet intuenti opera Capreoli.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm [a] Theologia sit practica?

Alens. 1. *p. q.* 21. *m.* 1. *art.* 4. *&* 3. *p. q.* 14. *m.* 2. D. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 4. D. Bonau. *hic q.* 3. Richard. *q.* 4. Duran. *q.* 6. Henr. *sum. art.* 8. *q.* 1. Goffr. *quodl.* 10. *q.* 11. Occam *hic q.* 12. Maior. *q.* 6. Greg. *q.* 4. 5. Canus *l.* 12. *c.* 2. Vasq. 1. *p. d.* 8. *&* 9. *Vide* Scot. 2. *Met. q.* 2. *&* 2. *Phys. in expos. text.* 28. Mayron. 1. *sent. dist.* 48. *q.* 2. Baccon. *q.* 4. *prol.*

QVOD non, arguitur, Ioan. 20. *Hæc autem scripta sunt, vt credatis*: sed credere est speculatiuum, quia ei succedit visio; ergo, &c. 1.

Præterea practica ponitur esse circa contingens, 3. *de Anima, &* 1. *Ethic. in proœmio*: sed obiectum huius scientiæ non est contingens, sed necessarium; ergo, &c. T. c. 46. & 51. idem 6. Ethic.

Item Boëtius *de Trinitate*, assignat tres partes speculatiuæ; quarum vna est Theologia secundùm eum, & quòd loquatur de ista, videtur, quia subdit ibi, de subiecto illius, quòd subiectum eius est prima substantia, de qua dicit, *quòd substantia Dei, materia caret.*

Item, omni practicâ aliqua speculatiua est nobilior, nulla autem est nobilior ista: ergo, &c. Probatio primæ; tum, quia speculatiua est sui gratiâ, practica verò gratiâ vsus: tum, quia speculatiua est certior, *primo Metaphysicæ*. Item, hæc inuenta est omnibus necessariis existentibus, propter fugam ignorantiæ. Quod apparet, quia sollicitudo circa necessaria impedit ab inquisitione huius doctrinæ: ergo ipsa est speculatiua. Sic enim arguit Philosophus 1. *Metaphysica*, quòd Metaphysica est speculatiua.

1. proœm. *In proœm.*

Contrà, ad Roman. 13. *Finis legis est dilectio*. Item, Matth. 22. *In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ*. Item, August. de laude charitatis: *Ille tenet quidquid latet, & quidquid patet in diuinis sermonibus, qui charitatem seruat in moribus.* Hæ autem auctoritates probant, quòd ista scientia non est præcisè propter *speculari*, speculatiua autem vltra *speculari* nihil requirit, secundùm Auicennam 1. *Metaph.*

Cap. 1.

2. Secundò, quæro [b] vtrùm ex ordine ad praxim, vt ad finem, dicatur per se scientia practica? Arguitur quòd sic *tertio de Anima*, dicit Philosophus: *Intellectus extensione fit practicus, & differt à speculatiuo, fine.* Item, primo Metaphysicæ. *Practica est minùs nobilis, quàm speculatiua, quia est gratiâ vsus.* Hoc argumentum non teneret, nisi vsus esset per se finis illius habitus. Item, secundo Metaphys. *Finis speculatiuæ veritas, practicæ autem opus.*

T. com. 49. *In proœm.* T. com. 3.

Contra 6. *Metaph.* distinguit Philosophus practicas à speculatiuis penes obiecta, & non penes fines; sicut patet ibi. Distinguit enim scientiam tam actiuam, quàm factiuam à speculatiua, penes obiectum. Item, 6. *Ethi.* distinguit ratiocinatiuum à scientifico penes obiectum necessarium, & contingens, & *tertio de Anima*, assignat obiectum practicæ bonum; non quodcumque, sed agibile, & contingens: ergo scientia est practica per se ex obiecto, non igitur ex praxi, vt à fine.

T. com. 1. Cap. 2. T. com. 51.

COMMENTARIVS.

a Circa quartam quæstionem Doctor quærit duo. Primò, *An Theologia sit scientia practica?* Secundò, *à quo scientia dicatur practica?* Argumenta primæ quæstionis satis clara sunt. Item secundæ, tamen pro maiore declaratione argumenta secundæ adduco.

b Primò arguit, probando quòd scientia practica non dicatur practica ab abiecto, quia 3. *de Anima*, intellectus practicus fine differt à speculatiuo. Cùm ergo quæ sunt principia distinguendi, sint principia essendi, sequitur quòd finis erit principium essendi practicum, & non subiectum.

Secundò arguit, quia *practica est minùs nobilis quàm speculatiua, quia practica est gratia vsus.* Hæc ratio non teneret, nisi vsus esset per se finis illius habitus, quia scientia ab eo habet suam nobilitatem, à quo habet suam denominationem vltimam; sed denominatur practica, quia gratia vsus; ergo gratiâ vsus erit per se finis illius habitus, & non obiectum. Patet, quia non dicitur per se practica gratiâ obiecti, vt patet per Philosophum.

Tertiò arguit, authoritate Philosophi. *Finis speculatiuæ veritas, finis practicæ opus:* ergo dicitur practica ab opere siue à praxi vt à fine, ergo non ab obiecto praxis.

SCHOLIVM.

Definit praxim esse actum alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posteriorem intellectione, natum elici conformiter rationi rectæ, loquendo de praxi recta. Explicat & probat tres conditiones praxeos contentas in hac definitione Prima est, esse alterius potentiæ ab intellectu; quia, cùm praxis sit actus liber, ex 6. Ethic. 5. solus actus voluntatis est propriè, & per se praxis, actus tamen aliarum potentiarum per accidens praxes sunt, quatenus subsunt voluntati, quia per se sunt actus naturales, non liberi. Secunda, esse posteriorem intellectione. Tertia elicibilem conformiter rationi rectæ, loquendo de praxi recta.

3. *Quid praxis? Cognitio practica qualiter, & à quo extēsibilis? Descriptio praxis strictè. Prima conditio praxis.*

Ad istas [a] quæstiones soluendas accipio vnum generale, quod ab omnibus conceditur; quòd habitus practicus aliquo modo extenditur ad praxim. In speciali igitur primò videndum est, quid sit praxis, ad quam dicitur cognitio practica extendi. Secundò, qualiter cognitio practica extendatur ad ipsam praxim. Tertiò, à quo cognitio habet talem extensionem.

Dico [b] igitur primò, quòd *praxis* ad quam cognitio practica extenditur, *est actus alterius potentiæ quàm intellectus, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectæ, ad hoc vt sit actus rectus.* Prima conditio apparet, quia stando præcisè

præcisè in actibus intellectus, nulla est praxis, quia nulla est extensio intellectus, quia non extra se extendit, nisi vt actus eius respicit actum alterius potentiæ. Et si dicas, vnum actum intellectus extendi ad alium directum per illum, non propter hoc secundus est praxis, vt modò loquimur, nec primus est cognitio practica; quia tunc Logica esset practica, quia dirigit in actibus discurrendi. *Logica est speculatiua.*

Secunda conditio [c] patet; quia actus non habentes ordinem ad intellectum, cuiusmodi sunt actus vegetatiui, aut actus naturaliter præcedentes intellectionem, vt actus sensitiui, non dicuntur praxes, nec dicitur ad eos extendi notitia practica, vt sunt priores intellectione. Similiter actus appetitus potentiæ sensitiuæ, quatenus præcedunt actum intellectus, non sunt praxes: hoc enim modo communes sunt nobis & brutis. Nec respectu istorum actuum est cognitio practica, nisi vt aliquo modo est moderatiua istorum actuum: & isti actus sequuntur intellectionem moderatiuam, vt sunt per ipsum moderati. *Secunda cōditio.* *Actus potētia appetitiua non sunt praxes.*

Ex his [d] duabus conditionibus sequitur corollarium, quòd praxis, qua extenditur habitus practicus, non est nisi actus voluntatis elicitus, vel imperatus. Quod patet, nam nullus alius actus ab actu voluntatis elicito, vel imperato, est essentialiter posterior intellectione: quia [e] quicunque alius detur, aliquis eiusdem rationis cum illo, posset esse prior, sicut patet discurrendo per omnes actus aliarum potentiarum. Hoc patet secundò sic; quia praxis est actus, qui est in potestate cognoscentis. Quod probatur ex 6. Ethi. *quia artifex eget virtute*, id est, arte, ad rectè agendum: non autem indiget virtute respectu illius, quod non est in potestate sua: ergo artifex in potestate sua habet factionem, & multò magis prudens habet in potestate sua actionem, quâ est formaliter virtuosus. Ex hoc vltrà, si omnis praxis est in potestate cognoscentis, & nihil est in potestate eius, nisi actus voluntatis elicitus, vel imperatus, sequitur propositum, vt priùs. 4. *Cuius potētia sit praxis?* Cap. 5.

Contra [f] istam conclusionem videtur sequi, quòd tunc aliqua intellectio erit praxis: quia aliqua intellectio potest esse actus imperatus voluntatis, sicut actus alterius potentiæ imperatur ab ipsa, & tunc vltrà; ergo prima conditio est falsa, scilicet quòd praxis est operatio alterius potentiæ ab intellectu. *Contra iam resoluta arguit.*

Respondeo [g], licèt speculatio sit quædam operatio, & ita praxis, sic extendo nomen: tamen vt *praxis* dicitur sola operatio, ad quam intellectus potest extendi, nulla intellectio est praxis. & hoc modo accipitur, quando ad praxim cognitio practica dicitur extendi.

Cùm igitur dicitur [h], *intellectio est imperata à voluntate, ergo est praxis*; non sequitur, sed sequitur; *ergo est praxis*, vel *practica*, ipsa enim nata est denominari quasi accidentaliter à praxi, ad quam extensibilis est, non autem est terminus talis extensionis. Tamen è conuerso [i] benè conceditur, quòd omnis praxis est actus elicitus voluntatis, vel imperatus. Vnde ex ista secunda conditione, inferre oppositum primæ, est facere fallaciam consequentis, ponendo consequens.

Tertia conditio [k] probatur ex dicto Philosophi *6. Eth.* quòd electio recta necessariò requirit rationem rectam. Quod non tantùm verum est de electione strictè sumpta, sed pari ratione de qualibet volitione recta, quia ipsa requirit rationem rectam, cui conformiter eliciatur: omnis autem praxis, vel est volitio, vel sequens volitionem, ex corollario præcedente: ergo omnis praxis (ad hoc, vt sit recta) nata est conformiter elici rationi rectæ. Item ex dicto August. 15. *de Trin. cap.* 7. Intellectus intelligit sibi & aliis: ergo sicut potest iudicare de actu suo, ita potest iudicare de actibus aliarum potentiarum: ergo de actu naturaliter posteriore actu suo, potest iudicare priùs naturaliter, antequam actus ille eliciatur, & per consequens si rectè iudicet, oportet illum actum conformiter elici, si debeat esse rectus. 5. *Tertia conditio praxis.* Cap. 3. Idem 14. Trin. c. 8.

Ex duabus [l] conditionibus vltimis praxis, sequitur quòd actus imperatus à voluntate non est primò praxis, sed quasi per accidens: quia nec primò est posterior intellectione, nec primò natus elici conformiter rationi rectæ. Oportet igitur aliquem alium actum esse primò praxim: iste non est nisi volitio, quia per istam habet actus imperatus dictas conditiones: ergo prima ratio praxis saluatur in actu elicito voluntatis. *Actus elicitus voluntatis est primò praxis.*

Tunc vltrà [m], quandocunque aliquid est primò tale coniunctum cum alio posteriore, si potest separari ab illo, adhuc esset tale: si igitur actus voluntatis potest separari ab actu alterius potentiæ separatus ab illo posteriori, ille est praxis: separatur autem circa quodcunque obiectum, circa quod potest esse actus voluntatis, circa quod non potest esse actus inferioris potentiæ, cuiusmodi sunt omnia immaterialia; ergo circa omne tale est actus voluntatis, & iste solus est praxis. *Regula Scoti.*

T. c. 50. & inde.

Secundò [a], hoc idem probatur ex intentione Philosophi 3. *de Anima*, vbi inquirens principium motiuum, postquam conclusit duo esse motiua, videlicet appetitum, & rationem, subdit: *Intellectus non mouet sine appetitu, voluntas autem appetitus est.* Et [o] consequenter ostendit, quòd appetitus duo quandoque sunt sibi contrarij. Ideò est ponere quasi vnum mouens specie: quia duobus appetitibus communis est ratio speciei intermediæ, videlicet ratio appetitus. Vult ergo expressè, quòd sicut appetitus sensitiuus habet rationem principij motiui, cum sensu, & phantasia: ita voluntas habet rationem principij motiui cum intellectu & ratione: igitur sicut actus appetitus sensitiui sine quocunque transitu ad extra est vera praxis, quando sequitur actum intellectus: ita & actus voluntatis, qui ponitur æquè principium motiuum, est verè praxis: quia semper sequitur actum intellectus: & hoc, etiam si sit solus sine actu imperato, immò cum actu in appetitu sensitiuo, opposito illi, quem imperaret: quia ipsa vt habens appetitum sensitiuum quandoque contrarium, est principium motiuum, & operatiuum, cuius operatio sit praxis.

Voluntas quomodo habet rationẽ principij?

COMMENTARIVS.

1\. *Operatio bona vel mala praxis dicitur.*

a *AD istas quæstiones soluendas*, &c. Hîc præmittitur quòd *praxis* idem est, quòd *operatio*: & propriè loquendo, illa operatio, quæ ex se benè, vel malè fieri potest, dicitur praxis, quia talis operatio requirit scientiam directiuam. Et nota, quòd quædam est scientia practica factiua, & est illa, quæ dirigit ad opus, quod recipitur in materia extrà, vt ars domificatiua, & huiusmodi: & quia tale opus potest benè, vel malè fieri, ideò indiget in intellectu scientia directiua. Alia dicitur practica actiua, quæ dirigit in opus non receptũ in materia extrinseca, sed receptum in ipso operante: vt scientia, quæ dirigit ad actus, qui benè, vel malè moraliter possunt fieri: & ideò tales actus dicuntur *praxes*: quia ad hoc quòd benè fiant requirũt scientiam directiuam in intellectu. Et sic scientia practica, tam factiua, quàm actiua, est semper directiua alterius potentiæ ad agendum: speculatiua verò scientia stat in sola consideratione, non dirigendo aliquam aliam potentiam ad rectè, vel non rectè agendum: sicut est scientia Physicalis, & Metaphysicalis, & huiusmodi, quæ solùm stat in cõsideratione consideratorum in tali scientia. Et sic patet, quod dicit Doctor hîc, quòd *habitus practicus aliquo modo extenditur ad praxim*: quæ extensio nihil aliud est, nisi dirigere operationem, ad quam extenditur: vel est dirigere potentiam operatiuam ad rectè, vel non rectè agendum: & tunc dicitur rectè agere, cùm elicit actum conformiter rationi rectæ: & dicitur non rectè agere, cùm elicit difformiter. Hoc præmisso, sequitur declarare primò quid sit praxis.

Scientia practica factiua. Practica actiua.

Speculatiua.

2\. *Definitio praxis.*

b *Dico igitur primò.* Hîc Doctor ponit definitionem praxis, ad quam extenditur cognitio practica: & dicit, quòd *praxis est actus*, &c. Et singulæ particulæ huius definitionis exponuntur à Doctore. Prima conditio est, quòd *praxis est actus alterius potentiæ, quàm intellectus*. Ad quod intelligendum, accipio dictum Aristotelis *tertio de Anima t. com. 49.* videlicet, quòd *intellectus extensione sit practicus*: intellectus enim acceptus secundùm suam entitatem, non dicitur extendi, vt patet; sed si extenditur, hoc tantùm est denominatiuè: eo quòd in se recipit aliquam intellectionem, quæ est verè directiua in actum alterius potentiæ. Nam per cognitionem practicam, siue directiuam in praxim, receptam in intellectu, dicitur denominatiuè practicus: & quando recipit cognitionem, quæ nullo modo est directiua in actus alterius potentiæ, dicitur speculatiuus denominatiuè à tali cognitione speculatiua. Sequitur ergo, quòd quando intellectus stat præcisè in actibus suis, siue syllogizando, siue diuidendo, siue discurrendo, & huiusmodi; nunquam dicitur practicus denominatiuè, cùm dicatur practicus extensione. *Extendere* enim est *extra se tendere*: oportet ergo, quòd dicatur practicus ex hoc, quòd recipit aliquem actum dirigentem potentiam extra intellectum in operationem: & ex hoc dicitur extensione practicus: & hoc patet, quia tantùm stat in actibus cognoscendi, qui verè non sunt directiui alterius potentiæ in operationem, semper dicitur speculatiuus. Et ex hoc apparet, quòd quamuis intellectus per vnum actum intelligendi dicatur extendi ad alium actum, vt puta per notitiam præmissarum dicitur extendi ad notitiam conclusionis, tamen non dicitur practicus: aliter Logica diceretur scientia practica, quod communiter non tenetur: etsi aliqui oppositum teneant. Et quòd Logica non sit scientia practica, vide illam quæstionem quam facit Ant. And. in primo Metaphysicæ, & etiam Doctor.

Intellectus practicus.

Intellectus speculatiuus.

Logica non est scientia practica.

c *Secunda conditio*, &c. Secunda conditio praxis est, quòd *talis actus*, siue operatio, qui dicitur praxis, *est naturaliter posterior intellectione.* Pro declatione huius literæ nota primò, quòd ex quo praxis dicitur operatio bona, vel mala: & ideò semper indiget cognitione directiua, & directiuum naturaliter est prius directo; sequitur quòd omnes illi actus, qui naturaliter sunt priores cognitione directiua, siue qui nullo modo ex natura sua possunt dirigi, cùm nec benè, vel malè fieri possunt, tales actus non dicuntur praxes: & huiusmodi sunt omnes actus, quia non possunt subesse imperio voluntatis: cuiusmodi sunt actus vegetatiuæ, & virtutis digestiuæ, & nutritiuæ, & huiusmodi. 3.

Nota secundò, quòd sunt multi actus potentiæ sensitiuæ, qui quantùm est ex parte sua, sunt naturaliter priores intellectione: cùm omnis cognitio (pro statu isto) intellectiua præsupponat cognitionem sensitiuam: vt sunt actus potentiæ visiuæ, gustatiuæ, tactiuæ, auditiuæ, & olfactiuæ: quia tamen isti actus, vel saltem multi, possunt benè, vel malè fieri, etiam moraliter, quia possunt subesse imperio voluntatis; vt ergo eliciuntur à potentia sensitiua ex imperio voluntatis, conformiter se habentis cognitioni practicæ, & vt sic eliciti possunt dici praxes: vt verò sunt priores cognitione practica,

Actus qui nõ subsunt volũtatis imperio non dicuntur praxes.

Actus potentiarum sensitiuarum possunt dici praxes licèt sint priores praxi.

practica, nullo modo dicuntur praxes. Exemplum: pono quòd aliquis primò videat pauperem ante omnem actum elicitum voluntatis, vel intellectus, ista visio nullo modo est praxis: quia vt præcedit actum voluntatis, & intellectus, non potest, nec benè, nec malè moraliter fieri, vt patet à Doctore *in 2. d. 42. & in 3. d. 33.* postea intellectus cognoscit illum pauperem, vt valdè indigentem, cui subueniendum est ex pietate: talis cognitio dirigit voluntatem, vt velit subuenire pauperi: illud *velle* conformiter elicitum tali cognitioni, dicitur primò praxis, vt infrà patebit. Et si talis voluntas, sic directa imperat potentiæ visiuæ, vt velit ipsum videre oculo pio, talis visio sic imperata, dicetur praxis. Et sic patet, quòd, vt dicitur praxis, est posterior intellectione directiua.

4. d *Ex his duabus conditionibus*, &c. Hîc Doctor infert vnum corollarium, scilicet quòd *omnis praxis*, de qua suprà, *est actus voluntatis elicitus, vel imperatus.* Ratio, quia praxis est essentialiter posterior ipsa intellectione practica: sed solus actus elicitus voluntatis, vel imperatus est essentialiter posterior. De actu elicito patet, quia voluntas non potest elicere actum, nisi circa obiectum præcognitum, nec similiter potest imperare potentiæ visiuæ, vt videat pauperem, nisi pauper præcognoscatur ab intellectu: & sic patet propositum.

Actus elicitus vel imperatus voluntatis est praxis.

Et nota, quòd propriè *actus elicitus voluntatis*, est actus immediatè procedens à voluntate, & receptus in ea. *Actus* verò propriè *imperatus voluntatis*, est actus alterius potentiæ, elicitus à tali potentia ex imperio voluntatis: vt visio imperata dicitur actus imperatus.

Actus elicitus.

Actus imperatus.

e *Quicunque alius detur*, &c. Hîc remouet vnam instantiam contra hoc, quod dixit, scilicet quòd solus actus voluntatis elicitus, vel imperatus est essentialiter posterior intellectione: quia aliquis actus potentiæ visiuæ, potest esse posterior intellectione: & tamen non erit, neque elicitus, neque imperatus à voluntate. Exemplum: si aliquis priùs cognouerit albedinem, & pòst per horam, potentia visiua videat illam, nullo imperio voluntatis præcedente, talis visio albedinis erit posterior intellectione eiusdem. Dico, quòd ex ratione visionis non est, quòd sit posterior essentialiter: quia si visio, (vt visio) esset essentialiter posterior intellectione: puta visio albedinis, quælibet visio eiusdem rationis esset essentialiter posterior, quod est falsum. Nam aliqua visio albedinis est necessariò prior intellectione albedinis, quia pro statu isto intellectus non potest habere scientiam de albedine, nisi priùs videatur à potentia visiua: & sic patet ad instantiam. Solus ergo actus voluntatis elicitus, vel imperatus est essentialiter posterior intellectione: quia nullus talis potest dari, nisi sit essentialiter posterior intellectione.

Non omnis actus potentiæ sensitiuæ prior est intellectione.

5. *Hoc patet secundò sic.* Hæc est secunda ratio, quâ probat Doctor quòd praxis est actus voluntatis elicitus, vel imperatus. Probat *ex 6. Ethi.* &c. *Non autem indiget virtute respectu illius, quod non est in potestate sua*, id est, nisi enim artifex habeat in potestate sua opus: nullo modo indiget arte, vt rectè agat illud opus. Si enim opus de necessitate sit, ad quid indiget arte, siue scientia practica, directiua in tale opus? ex hoc enim quòd potest benè, vel malè fieri (quod non contingeret, nisi opus esset in potestate agentis) ideò indiget aliqua arte, siue scientia practica directiua in opus. Et si artifex habet in potestate sua factionem, siue opus, quantò magis prudens habet in potestate sua operationem virtuosam, quâ est formaliter virtuosus? Prudentia enim est virtus vniuersalis in intellectu, quæ dirigit voluntatem ad actum virtuosum: quia actus nunquam posset dici bonus, vel malus moraliter, nisi esset in potestate voluntatis: nec similiter aliqua operatio sensitiua posset dici bona, vel mala moraliter, nisi esset in potestate voluntatis. Et ideò, vt voluntas rectè agat, eliciendo actum in se, vel imperando actum alterius potentiæ, indiget prudentia, siue scientia practica actiua. Et sic patet, quòd praxis est actus elicitus, vel imperatus à voluntate.

Actus voluntatis imperatus essentialiter posterior intellectione.

Prudentia est virtus vniuersalis in intellectu.

Operari non dicitur bona vel mala moraliter nisi libera.

f *Contra istam conclusionem.* Hîc arguit Doctor reducendo vnum dictum contra aliud: quia ex quo praxis est actus elicitus, vel imperatus voluntatis, ergo actus intellectus potest esse imperatus à voluntate, & per consequens erit praxis: & hoc dictum contradicit dicto superiori, videlicet, quòd praxis est alterius potentiæ, quàm intellectus: ergo. 6.

g *Respondeo.* Nota in ista responsione duo. Primum ibi: *Licèt speculatio*, &c. Dicit Doctor quòd licèt aliqua speculatio sit imperata à voluntate (vt quando voluntas imperat intellectui, vt speculetur de ente, vel de passionibus entis) non tamen est praxis, provt Doctor loquitur de praxi, quæ est terminus alicuius cognitionis practicæ, siue directiuæ, cùm talis speculatio, vt sic, non possit dici, nec bona, nec mala moraliter, quia nec circa obiectum propriè operabile.

h Secundùm *Cùm dicitur intellectio est imperata à voluntate, ergo est praxis.* Dicit Doctor quòd intellectio imperata à voluntate dicitur praxis, vel practica: quia *nata est denominari*, &c. *non tamen est terminus talis extensionis:* nullus enim actus intelligendi est praxis, cùm non sit actus alterius potentiæ, licèt possit dici practicus, quia denominatur à *praxi*: putà pro quanto actus elicitus voluntatis, siue praxis extenditur ad ipsum actum imperatum, dicetur practicus; vel fortè non debet intelligi de omni cognitione imperata: quia non omnis est extensibilis ad praxim. Sed de cognitione imperata, quæ nata est extendi ad praxim: vt quando voluntas imperat intellectui, vt quærat media ad aliquem finem; tunc cognitio medij, ordinati ad finem intentum à voluntate, quæ ab ipsa est imperata, ex quo nata est dirigere voluntatem in praxim, puta in electionem talis medij; talis cognitio sic imperata potest dici denominatiuè practica, & non praxis, cùm non sit terminus extensionis practicæ.

An intellectio imperata à voluntate sit praxis.

Quæ cognitio dicatur practica.

i *Tamen è conuerso benè conceditur*, &c. Sed ex ista propositione inferre, *ergo omnis actus elicitus, vel imperatus à voluntate est praxis*, committitur fallacia consequentis, à positione consequentis, siue magis communis: ad positionem antecedentis, siue minùs communis. Nam actus elicitus, vel imperatus à voluntate in plus se habet, quàm praxis. 7.

Hîc tamen oritur vna difficultas. Quia omnis operatio bona, vel mala, moraliter videtur praxis: sed multæ intellectiones imperatæ à voluntate possunt esse bonæ, vel malæ moraliter, vt clarè patet à Doctore *in 2. dist. 42.* & in multis aliis

Difficultas.

locis potest elici, vt *in 6. & 17. & 27. primi. vt in dist. 6. 7. secundi, & in 3. & 4.* Dico, quòd, etsi multæ cognitiones imperatæ, sint bonæ moraliter, quia tamen illæ cognitiones imperatæ, si sunt de fine, vel de his, quæ sunt ad finem, sunt verè directiuæ in praxim, quæ propriè est actus alterius potentiæ, quàm intellectus, magis dicuntur practicæ, quàm praxes.

Responsio.

8. k *Tertia conditio*, &c. Tertia conditio praxis est quòd *actus, qui dicitur praxis, eliciatur, vel imperetur à voluntate, conformiter rationi recta*, id est, cognitioni practicæ, quæ tunc dicitur recta, quando non tantùm dirigit in actum: sed & dirigit de omni circunstantia faciente pro rectitudine actus: & probat per dictum Aristotelis 6. Ethi. cap. 3. *Quòd electio recta necessariò requirit rationem rectam: quòd non tantùm verùm est de electione, strictè sumpta*, quæ propriè est respectu mediorum ad finem: *sed pari ratione de qualibet volitione recta*, siue sit respectu mediorum ad finem, siue respectu ipsius finis, vt infrà patebit contra Henricum. *Omnis autem praxis, vel est volitio*, siue actus elicitus à voluntate, *vel sequens volitionem*, id est, actum imperatum: & sic patet, quòd omnis praxis debet elici conformiter rationi, siue cognitioni rectæ.

Item ex dicto Augustini, *Intellectus intelligit sibi, & alijs.* id est, quòd sicut intellectus potest iudicare de actibus suis: ita, & de actibus alterius potentiæ, scilicet quomodo sint eliciendi ad hoc, vt dicantur recti, vel morales: & sic de actu voluntatis, naturaliter posteriore ipsa intellectione, potest iudicare antequam eliciatur: puta cognoscendo actum voluntatis, sic, vel sic esse eliciendum: quia cognitio practica non tantùm iudicat de actu, vt absolutè à voluntate eliciendo, sed iudicat etiam de omni circunstantia, requisita ad actum moralem: & per consequens si rectè iudicet, id est, si talis notitia rectè dirigit, oportet illum actum voluntatis conformiter elici tali cognitioni rectæ, ad hoc vt dicatur formaliter rectus. Et ex hoc patet quòd à Doctore tantùm definitur praxis recta: quia omnis operatio, quæ elicitur à voluntate, vel imperatur, vt conformiter rationi rectæ, dicitur recta, vt patet à Doctore in isto primo distinct. 17. in 2. dist. 7. 40. 41. in 3. dist. 33. 34. & 36. in d. 14. in quodlib. q. 18. & alibi sæpè.

Praxis recta tantum definitur à Doctore.

9. l *Ex duabus conditionibus vltimis.* Dicit Doctor quòd ex quo praxis est essentialiter posterior intellectione. Et secundò, quòd ad hoc, vt dicatur recta, oportet quòd sit elicita conformiter rationi rectæ: sequitur quòd actus elicitus à voluntate erit primò praxis, quia ille solus est simpliciter posterior essentialiter intellectione: actus verò aliarum potentiarum, si dicantur posteriores intellectione, hoc est in quantum imperantur à voluntate, sequente cognitionem: & similiter solus actus voluntatis elicitus est simpliciter primò conformis rationi rectæ: actus verò aliarum potentiarum non possunt dici conformes rationi rectæ: nisi in quantum sunt imperati à voluntate, primò sequente rationem rectam, vt patet hîc à Doctore & in multis aliis locis.

Primo praxis est actus à volütate elicitus.

m *Tunc vltrà.* Hîc Doctor ex præcedentibus intendit inferre, quòd si actus elicitus voluntatis, conformiter rationi rectæ separetur ab actu imperato voluntatis, adhuc erit verè praxis, & probat hoc duplici ratione. Et hoc probat contra eos, qui dicunt quòd actus voluntatis elicitus non est praxis, nisi in ordine ad actum imperatum in aliis potentiis, vt diffusè patebit infrà.

Et prima probatio est ibi: *Quandocunque aliquid est primò tale*, &c. Ista propositio est manifesta: & dicit quòd talis actus elicitus voluntatis, vt conformis rationi rectæ, potest esse sine actu imperato in alia potentia, puta sensitiua: vt patet de obiectis immaterialibus, circa quæ voluntas potest habere actum rectum, sine quacunque operatione exteriori: patet, quia huiusmodi obiecta non sunt obiecta, circa quæ potentiæ sensitiuæ operari possint. Non negat tamen Doctor, quin etiam actus voluntatis possit rationi rectæ conformiter elici à voluntate, etiam circa sensibilia, sine actu alterius potentiæ sensitiuæ, siue interioris, siue exterioris. 10.

Secunda ratio est, ibi: *Secundò hoc idem probatur.* Et ratio stat in hoc principaliter, quòd sicut potentia sensitiua verè potest concupiscere aliquid, vt gustatiua cibum, & tamen actu non comedit: & tamen ille actus concupiscendi, vt sequitur cognitionem directiuam potest dici praxis: ergo à fortiori potentia volitiua potest velle puta comedere, absque hoc, quòd sequatur comestio in potentia gustatiua, & sic tale velle erit verè praxis. 11.

Probat modò Doctor quòd talis voluntas habet rationem principij motiui cum intellectu & ratione, & per consequens talis actus productus à voluntate cum ratione, erit verè praxis. Exponitur ergo litera sic in principio, ibi: *Tertiò de Anima, vbi Aristoteles inquirens principium motiuum*, &c. Dicit ibi, quòd duo sunt motiua, videlicet appetitus & ratio: & hoc sic intelligendum est, quòd ratio, siue cognitio practica potest dici causa partialis volitionis, & appetitus rationalis alia causa sustinendo illam opinionem quam ponit Doctor *in 25. d. 2.* quòd cognitio obiecti sit partialis causa actus voluntatis. Si verò voluntas est totalis causa sui actus, tunc potest dici, quòd ratio, siue cognitio practica est causa talis actus, non effectiua, sed causa sine qua non: quia est impossibile voluntatem habere actum, circa aliquod obiectum, non præcognitum. Et quòd sic possit poni, vt causa sine qua non, vide Doctorem *in secundo vbi suprà.* 12.

Potest etiam dici, quòd ratio est principium motiuum, respectu actus voluntatis: non quòd effectiuè, siue partialiter, siue totaliter causet illum: sed quia talis ratio, siue cognitio est directiua voluntatis in talem actum: quia talis actus non esset rectus, nisi esset elicitus à voluntate, conformiter tali cognitioni, rectè dirigenti ipsam voluntatem in actum. Hoc illud idem posset dici de appetitu sensitiuo, sequente cognitionem sensitiuam: quia appetitus sensitiuus est causa sui actus, puta concupiscendi, vt patet à Doctore *in 1. d. 17.* Non curo modò disputare, an sit causa partialis, vel totalis. Et sic cognitio sensitiua potest dici principium motiuum, respectu talis actus concupiscendi aliquo istorum trium modorum, qui suprà patent. 13.

Appetitus sensitiuus est causa sui actus.

n *Intellectus non mouet sine appetitu*, &c. Hîc accipitur intellectus pro intellectione. Et tunc sensus est: quòd sustinendo intellectionem esse causam partialem actus voluntatis, & voluntatem esse aliam causam partialem, non potest causare 14.

sare actum voluntatis sine voluntate. Vel sensus est, quòd intellectio non potest dici directiua potentiæ sensitiuæ in aliquem actum, nisi voluntas sequens talem cognitionem moueat potentiam sensitiuam ad actum imperando illi, &c. Alij sensus possent dari, sed quia non multum faciunt ad propositum nostrum, ideò omitto illos.

15. *Duo appetitus sunt quãdoque contrarij.*

o *Et consequenter ostendit*, &c. Quod dicit, quòd duo appetitus sunt quandoque contrarij, patet de appetitu rationali, & sensitiuo, nam sensitiuus, puta gustatiuus actu concupiscit potum, & voluntas actu elicit actum contrarium, & sic isti duo appetitus dicuntur contrarij in appetendo. Et hîc Doctor loquitur tantùm de appetitu rationali, qui sequitur cognitionem intellectiuam, & de appetitu sensitiuo, qui sequitur cognitionem sensitiuam, quia isti multoties sunt contrarij in suis operationibus circa vnum, & idem obiectum. De appetitu verò naturali voluntatis, & naturali in potentia sensitiua non est præsentis speculationis. Et quod addit, quòd appetitus prædicatur de appetitu rationali, & sensitiuo secundùm rationem speciei intermediæ. *In homine sũt duo motiua, scilicet ratio & appetitus.* Hoc dicit, quia sufficiebat Aristoteli dicere tantùm, quòd in homine sunt duo motiua, videlicet ratio, & appetitus, qui appetitus postea distinguitur in appetitum rationalem, & sensitiuum.

16. p *Vult ergo expresiè*, &c. Et hæc litera ex supradictis satis clara est. Literæ sequentis sensus talis est: Sicut ergo potentia sensitiua potest concupiscere aliquid sine actu exteriori: (sicut potentia gustatiua concupiscit cibum; & tamen non prosequitur illum,) & illa concupiscentia est verè praxis: si ipsam præcedit cognitio directiua. Sic & volitio sine actu imperato exterioris potentiæ erit verè praxis, si sit elicita conformiter rationi rectæ, & sic patet primus articulus.

17. *Ioan. Anglic. Bacchon. in prolog. q 4.*

Multi tamen contra definitionem praxis, datam à Doctore subtiliter arguunt: præcipuè Ioan. Anglicus Bacchon. *in prologo q. 4.* qui videtur tenere, quòd praxis est sola operatio intellectus, & nullo modo voluntatis. Ideò ad argumenta Doctoris respondet. Ad primum dicit, quòd hic textus non habetur ab Aristotele, videlicet quòd intellectus extensione fit practicus. Secundò dicit, quòd etiam hoc posito, talis extensio non debet intelligi circa aliam potentiam, sed circa obiectum. Nam si intellectus tendit in obiectum, in ratione simpliciter scibilis, dicitur speculatiuus Si verò in ratione operabilis, dicitur practicus; & talis cognitio, quæ sic tendit in tale obiectum, dicitur praxis.

Ad aliud, quando Doctor dicit, quòd prima praxis est operatio, quæ est in potestate nostra, dicit quòd dictare de operabili quid conueniens, & quid disconueniens, maximè est in potestate intellectus: & sic talis cognitio dictatiua dicitur praxis. Et si dicatur, quòd voluntas est primum principium artificialium, & operabilium, vt patet de Anima 6. Meta. & 6. Ethi. & sic prima praxis in voluntate. *Quomodo voluntas faciat ad praxim.* Dicit quòd voluntas facit ad praxim antecedenter, ita quòd disponit intellectum ad praxim, imperando cognitionem, quæ est vera praxis. Facit etiam consequenter, quia voluntas prosequitur quod est dictatum ab intellectu, siue à cognitione, & sic debet intelligi Aristoteles: tamen neuter actus voluntatis, scilicet antecedens, & consequens, est quiditatiuè praxis: sed actualis dictatio intellectus est quiditatiuè praxis, & hoc probat per Aristotelem, quid dicit 6. Ethi. cap. 3. *Quod est in mente affirmatio, & negatio, hoc in appetitu est prosecutio, & fuga.* Aristoteles enim ibi distinguit affirmationem, & negationem in intellectu practico, contra prosecutionem imperatam à voluntate, sed talis actualis dictatio est quiditatiuè praxis.

Secundò probat, quia Philosophus *6. Ethic.* determinat, quòd intellectus practicus est, qui affirmat aliquid, & negat: finaliter com. 21. concludit: *Sunt vtique quibus verum animam affirmando, & negando: quinque sunt secundùm numerum: ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus.* Sed ista epilogatio non valeret, nisi in intellectu præcisè concluderet praxim, quia isti quinque habitus sunt intellectuales.

Tertiò arguit idem per definitionem *praxis* primo Ethi. com. 1. quæ talis est: *Praxis, quod consueuerunt transferre in actum, est secundùm electionem hominis energeia, id est, operatio.* Et vult Commentator quòd *praxis*, & *energeia*, communiter acceptæ, sunt idem, sed *praxis* specialiter addit supra *energeiam*, quòd est operatio secundùm electionem; *electio verò* (vt ait Commentator) *est de duobus propositis iudicium hominis hoc præ altero præponens*, & subditur in comm. *Sequitur autem post electionem motus, & impetus ad actum.* Et sic patet, quòd electio præcedit motionem voluntatis, & talis electio dicitur verè praxis. Et multa alia dicit, quæ quodammodo in idem incidunt, ideò omitto.

Respondeo, & dico primò, quòd solutiones datæ contra rationes Doctoris non concludunt. 18. *Responsio ad dicta Bach. contra Doctorem.* Quod dicit, quòd hîc textus non reperitur in Aristotele, &c. Dico quòd communiter à Doctoribus sic allegatur. Dicit enim sic textus vt patet text. comm. 49. *Et intellectus operatiuus, & est cogitans in re, differt à speculatiuo in perfectione*, scilicet fine, secundùm alium textum: *Omne enim desiderium est desiderium ad aliquid. Desiderium enim non est principium intellectus speculatiui: sed ille alius est principium intellectus, & cogitatio apud actionem. Desiderium enim mouet, & ideò cogitatio mouet, quia est desideratiua eiusdem.* Ibi Commentator, *Intellectus operatiuus differt à speculatiuo perfectione, & fine.* *Intellectus operatiuus differt à speculatiui.* *Finis enim speculatiui est scire tantùm, operatiui autem operari. Et quia omne desiderium est ad aliquid, ideò desiderium non est principium mouens intellectum operatiuum, sed illud desideratum mouet intellectum, & tunc desiderabit intellectus; & cùm desiderauerit, tunc mouebitur homo, scilicet à virtute desideratiua, quæ est intellectus, aut imaginatio*, &c. Ex his apparet expresiè, quòd intellectus non dicitur propriè operatiuus, siue practicus, nisi extendatur ad praxim. Ex hoc enim eliciunt exponentes Philosophum, istam propositionem, scilicet, *intellectus extensione fit practicus.*

Et quod addit, quòd talis extensio debet intelligi circa obiectum, &c. Hoc patet non esse verum in exponendo suprà textum Aristotelis. 19. *A notitia practica nõ à praxi dicitur intellectus practicus.* Præsertim, sicut intellectus dicitur speculatiuus denominatiuè à cognitione speculatiua, tendente in obiectum solum speculabile, sic debet denominari practicus à notitia practica dirigente voluntatem circa obiectum operabile. Non enim dicitur intellectus practicus denominatiuè à praxi, sed à notitia practica, quæ notitia non dicitur

notitia,

notitia, nisi in quantum dirigit aliquam potentiam in veram praxim; & non videtur primò dirigere aliam potentiam, nisi voluntatem, &c. Si vult dicere, quòd talis notitia practica, dicitur practica ex hoc, quòd dirigit intellectum in veram praxim: ita quòd cognitio sequens notitiam practicam dicatur praxis. Et hoc non, quia ita benè prima cognitio tendit in obiectum operabile, sicut & secunda, & sic non est maior ratio, quòd vna dicatur praxis, quàm alia circa obiectum operabile.

20. Præterea apud Aristotelem, & etiam apud communiter omnes electio recta est vera praxis, & tamen ipsa est actus voluntatis, quia primò actus voluntatis dicitur rectus, quia confessè, id est, conformiter se habet rationi rectæ, vt patet 6. Ethic. Nec possumus dicere, quòd electio sit actus intellectus, quia tunc talis electio esset elicita ab intellectu, vt conformis rationi, siue cognitioni. Et sic quæreretur de illa ratione, siue cognitione, an sit praxis, vel ne? Si sic, ergo præsupponit aliam rationem, cui conformetur, & sic in infinitum. Si non, statim contradicit sibi, qui vult, quòd ratio, siue cognitio, tendens in obiectum operabile, dicatur praxis. Et quod dicit, quòd electio est tantùm actus intellectus, negatur communiter ab omnibus. Et dictum Commentatoris, scilicet *electio est de duobus propositis, iudicium hominis hoc pre altero preponens.* debet sic exponi, scilicet quòd electio est actus voluntatis conformiter elicitus iudicio recto, ita quòd hîc non est prædicatio formalis, scilicet, *electio est iudicium hominis.*

Electio nõ est actus intellectus.

Ioan. Ang. Bacchon. cõtradicit sibi.

21. Et quòd dicit, quòd post electionem sequitur motus, & impetus ad actum, verum dicit, sed non eo modo, quo ipse exponit, quia hîc *appetitus* accipitur pro appetitu prosecutiuo, id est, quòd facta electione secundùm iudicium rectum, supple, cùm voluntas actu elicito efficaciter eligit, puta velle ambulare, statim sequitur prosecutio, imperando appetitui sensitiuo, &c.

22. Et similiter secunda solutio non concludit, quia tantùm innititur primæ solutioni, quam dedit. Malè etiam exponit illam auctoritatem, scilicet quòd *voluntas est primum principium artificialium, & operabilium.* Quia certum est, quòd nunquam contingit operari circa aliqua, nisi voluntas primò actu elicito velit sic, vel sic operari, & quando efficaciter vult, tunc imperat potentiis sensitiuis. Et propriè tales actus dicuntur in potestate voluntatis, & non actus dictatiuus operandi in intellectu. Patet enim quòd nullus actus intellectus, vt præcedit actum voluntatis, est in potestate ipsius, cùm intellectus sit potentia merè naturalis, & agens de necessitate naturæ. Si dicatur, quòd ideò tales actus sunt in potestate intellectus, vt sunt imperati à voluntate, & sic dicuntur praxes, sequitur quòd actus voluntatis elicitus, quo imperat, erit magis praxis, quia ille est magis in potestate operantis, vt patet.

Qui actus dicuntur in potestate volũtatis & qui non.

23. Ad Aliam auctoritatem de 6. Ethi. scilicet de affirmatione, & negatione in intellectu, & prosecutione, & fuga in voluntate. Concedo, quòd ibi Aristoteles accipit affirmationem in intellectu practico, quæ negatio, vel affirmatio est cognitio dictatiua, puta cognitio, quâ intellectus cognoscit, quòd bonum est amandum, talis cognitio dicitur affirmatiua, quia dictat bonum esse amandum. Et ideò talis cognitio dicitur practica, quia dirigit voluntatem, vt prosequatur bonum ipsum diligendo. Similiter cognitio, quâ intellectus cognoscit malum non esse amandum, dicitur cognitio dictatiua negatiua: & est cognitio verè practica, quia dictat voluntati fugam, siue nolitionem mali. Et talis nolitio conformis tali cognitioni, est verè praxis, ad quam nolitionem efficacem in voluntate, vel volitionem, sequitur imperium voluntatis in potentiis sensitiuis, quantum ad fugam, vel prosecutionem.

Volitio, seu nolitio cõformis cognitioni dictatiuæ intellectus dicitur praxis.

Et ad aliam auctoritatem, quòd intellectus practicus est, qui affirmat, &c. & quòd omnes isti habitus sint in intellectu, conceditur totum. 24. Et quòd talis affirmatio, vel negatio est verè in intellectu, siue talis cognitio affirmatiua, vel negatiua, & concedo quòd ab illa denominatur practicus: sed postea nego quòd talis cognitio dicatur vera praxis, sed tantùm dicitur practica, vt suprà exposui. Et ex his, quæ dixi, possunt multa similia solui.

Secundò principaliter. Contra descriptionem *praxis*, datam à Doctore, arguit Alfonsus Tol. in prolog. q. 6. 25. Et primò, quòd hæc descriptio non est conuertibilis cum descripto, patet, quia est aliqua operatio voluntatis elicita conformiter rationi rectæ, &c. quæ tamen non est praxis, vt patet de dilectione vltimi finis, & quòd talis dilectio non sit praxis, probat: quia omnis praxis, vel est electio, vel secundùm electionem, electio verò non est respectu finis. Secundò arguit ex dictis Doctoris, quia omnis operatio, ad quam inclinat virtus appetitiua, est verè praxis, hoc patet à Doctore *in quæst. de scientia practica*, sed aliqua virtus appetitiua inclinat ad virtuosè studendum, & speculandum, puta amor habitualis, qui est virtus appetitiua, & tamen operatio intellectus secundùm Doctorem non potest dici praxis, vt patuit suprà.

Alfons. Tol. in prolog. q. 9. argumento 1.

Secũdùm argumentum.

26. Ad secundum argumentum, patet responsio ex supradictis. Concedo enim quòd omnis operatio, ad quam inclinat virtus appetitiua, sit praxis, loquendo de operatione, quæ non est actus intellectus. Dico secundò, quòd virtus appetitiua propriè inclinat ad actum elicitum voluntatis. Oporteret etiam probare, quòd virtus moralis inclinet ad actum studij, vt sic, quia ille actus absolutè non diceretur formaliter formalis: quicquid sit, responsio prima magis videtur ad propositum.

27. Ad primum dico, quòd dilectio finis potest esse praxis, vt patebit à Doctore *in præsenti quæst.* Et cùm dicit, quòd electio non est respectu finis; negatur hoc. Et sensus illius auctoritatis de electione patebit infrà à Doctore. Multi etiam alij vt Gulielm. Ocham, & Gregor. de Arimino arguunt contra eandem definitionem *praxis*. Sed quia eorum argumenta parum differunt à rationibus aliorum supradictis, & ex declaratis suprà, facillimè solui possunt. Ideò pro nunc sufficiant quæ dixi.

Gulielm. Ocham & Gregor. de Arim.

SCHO

SCHOLIVM.

Explicat quomodo cognitio practica extenditur ad praxim per duplicem respectum aptitudinalem prioritatis, & conformitatis, & vtrumque probat ex Philos.6. Ethic. Docet etiam practicum, & speculatiuum non esse essentiales differentias habitus scientiæ, quia practicum dicit duos prædictos respectus, speculatiuum eorum priuationem, & nec respectus, nec priuatio eius possunt esse de essentia absoluti, cuiusmodi est scientia, fundamenta tamen illorum respectuum, & priuationis eorum essentialiter differunt.

EX hoc [a] articulo patet secundus. Nam illa extensio consistit in duplici relatione aptitudinali, scilicet conformitatis & prioritatis naturalis. De prioritate patet per illud, quod iam adductum est in primo articulo de *6. Ethic.* De conformitate autem habetur ibidem, vbi dicit, quòd veritas considerationis practicæ, est confessè se habens appetitui recto. 6. *n.4.c.3.*

Dixi *aptitudinali*, quia neutra relatio requiritur actualis. Quòd autem praxis actualiter sequatur considerationem, quæ conformis sit ipsi considerationi, hoc omnino est accidentale ipsi considerationi, & contingens. Si igitur ab actuali extensione diceretur practica, nulla esset necessariò practica, sed eadem quandoque practica, & quandoque speculatiua, quod nihil est: ergo sufficit duplex aptitudinalis extensio, siue aptitudo ad extensionem.

Hoc declaratur, quia communiter conceditur cognitionem practicam extendi ad praxim, vt directiuam ad directum, siue vt regulatiuam ad regulatum. Cognitionem [b] autem esse priorem naturaliter praxi, & conformem, non est esse conformatam praxi quasi priori; sed esse conformatiuam praxis, quasi posterioris: siue esse cui praxis sit conformanda, quod est cognitionem dirigere & regulare praxim. Vtrùm autem sic dirigere, vel conformare sibi praxim sit aliqua efficientia in cognitione, respectu praxis, de hoc 25. *dist. secundi libri.*

Ex isto secundo patet, quòd practicum & speculatiuum non sunt differentiæ essentiales scientiæ, vel notitiæ in communi, quæ est quoddam absolutum, quia practicum dicit duplicem respectum notitiæ aptitudinalem, ad praxim vt ad terminum, speculatiuum autem, priuat illum respectum duplicem: nec respectus, nec priuatio eius, est de essentia absoluti, sed est quasi diuisio generis per proprias passiones specierum, sicut si diuidatur numerus per par & impar, vel linea per rectum & curuum, alicui autem notitiæ conuenit practicum per se secundo modo, ex causa intrinseca prædicati in subiecto, alicui speculatiuum. 7. *Practicũ & speculatiuũ nõ sunt differentiæ essentiales.*

Confirmatur ista ratio. Quia aliqua practica magis conuenit conuenientiâ essentiali cum scientia aliqua speculatiua, quàm vna speculatiua cum alia, sicut magis conuenit speculatiua Medicina cum practica Medicina, quàm Musica cum Geometria. Contrà; diuisio vel distinctio notitiarum ab obiectis est essentialis. Respondeo, verum est, prima distinctio, quæ est secundùm essentialem differentiam, est essentialis, & ab obiectis, vt à causis extrinsecis, sed ab eisdem potest esse aliqua distinctio posterior non essentialis. ADDITIO.

COMMENTARIVS.

1. a EX *hoc articulo patet secundus.* Secundus articulus est, quia dictum est suprà quòd scientia practica dicitur extensione practica. Quæritur modò in isto articulo qualiter dicatur extendi ad praxim. Hîc dicit Doctor duo. Primò, quòd scientia practica dicitur practica ab extensione aptitudinali, quia videlicet est apta nata extendi ad praxim; siue quia est apta nata dirigere voluntatem in praxim. Et dicit, quòd talis extensio, siue directio aptitudinalis includit duplicem habitudinem, siue relationem ad ipsam praxim, videlicet prioritatis, & conformitatis. Prima habitudo patet, quia notitia practica secundùm *esse* est prior ipsa praxi, vt suprà patuit. Secunda patet, quia notitia practica est verè relatiua praxis, siue voluntatis, in praxim, ad notitiam ergo practicam requiritur ista duplex habitudo.

Scientia practica duplicẽ habet habitudinem aptitudinalem.

De conformitate autem, &c. Quod dicit parum infrà. *Veritas considerationis practicæ est confessè se habens appetitui recto*: ly *confessè*, siue *conformiter* debet accipi sic: Appetitus rectus, siue praxis recta elicita à voluntate ad hoc, vt sic recta confessè, id est, conformiter se debet habere considerationi practicæ.

Exponο tamen hanc litteram. Cùm dicit, quòd *neutra relatio requiritur actualis*, id est, quòd actu sit prior, & quòd actu sit dirigens, quia tunc notitia non esset practica, nisi actu dirigeret in praxim, & sic quando actu non dirigeret, non esset practica. *Expositio literæ.*

2. Nota, quòd aliud est loqui de habitu practico, & actu: actus enim practicus dum est, semper actu dirigit, nisi ponatur impedimentum ex parte potentiæ dirigibilis, quia dirigere conuenit ei necessariò. Non debemus ergo imaginari, quòd eadem notitia practica actualis quandoque dirigat, quandoque non, cùm semper, dum continuatur semper dirigat. Habitus vero dicitur actu dirigere, non ex se, quia habitus in

Differentia inter habitũ practicum & actum.

in se non dirigit potentiam; sed dicitur dirigere in quantum vel inclinat intellectum ad actus similes, ex quibus generatur, vel in quantum causat quantum partialiter huiusmodi actus directiuos. Quando habet ergo actum, actu non dirigit. Si ergo habitus practicus præcisè diceretur practicus, quia actu extenditur, siue actu dirigit, sequeretur quòd idem habitus esset quandoque practicus, & quandoque non, sufficit ergo duplex relatio aptitudinalis.

b *Cognitionem autem esse priorem praxi naturaliter, & conformem*, id est, conformatiuam, seu regulatiuam praxis, *non est* ipsam *esse conformatam praxi, quasi priori*, id est, quòd practica cognitio non dicitur practica ex hoc, quòd actu conformetur praxi, quasi priori regulæ, quasi dicatur dirigi ab ipsa praxi, *sed est* ipsam cognitionem practicam *esse conformatiuam praxis, quasi posterioris*, id est, quòd cognitio verè practica est propriè regula, & forma directiua, & regulatiua praxis, & sic praxis dicitur simpliciter regulari à tali cognitione, pro quanto praxis conformiter elicitur tali cognitioni practicæ, id est, quia voluntas eo modo elicit praxim, sicut cognitio practica dictat esse eliciendum. *Vtrùm autem sic dirigere* voluntatem *in praxim dicat aliquam efficientiam, respectu praxis*, id est, an cognitio practica sit causa effectiua partialis, vel totalis ipsius praxis, de hoc erit sermo *in 2. d. 25.* à quo causetur actus voluntatis, vide ibi.

Quæ sit cognitio verè practica.

Ex isto secundo patet, &c. Hîc dicit Doctor quòd practicum, & speculatiuum non sunt differentiæ essentiales scientiæ, vel notitiæ in communi, quæ est quoddam absolutum, vt probat Doctor *quæst. 13. quolib.* Et assignat rationem, quia *practicum* formaliter dicit illam duplicem relationem, de qua suprà. Relatio autem non potest esse differentia essentialis, constitutiua alicuius absoluti, quia tale constitutum esset absolutum, & respectiuum essentialiter. Et *speculatiuum* dicit negationem illius duplicis habitudinis, siue relationis. Negatio verò non potest esse constitutiua alicuius entis absoluti. Scientia tamen practica constituitur in esse practico per differentiam essentialem, per quam conuenit sibi illa relatio, & specificè constituitur in esse tali, per differentiam essentialem, per quam conuenit sibi illa duplex negatio. 3.

Relatio non potest esse differentia essentialis constitutiua alicuius absoluti.

SCHOLIVM.

Sententia Goffredi tria dicit. Primum, habitus & actus dici practicos ex obiecto. Secundum, hos distingui essentialiter ex obiecto. Tertium, intellectum dici practicum, non ex obiecto, sed ex fine volito. Impugnat hanc. Primò, ex duobus locis Philos. & responsiones ad hac refellit. Secundò, si intellectus dicitur practicus secundùm Goffr. à conditione accidentali habitus, quando scilicet voluntas ordinat actum eius ad aliud, ergo erit talis, quando actus essentialiter est practicus.

8. *Goffr. quodl. 10. q. 11.* Circa [a] tertium articulum sunt opiniones. Vna est talis, quòd ab alio dicitur intellectus practicus, & ab alio habitus, vel actus. Hoc ostenditur, quia verùm operabile & non operabile sunt obiecta specialia formaliter diuersa, ideò per se distinguunt illa, quæ per se respiciunt ipsa, puta habitus, & actus, qui dicuntur practici, quia circa operabile: sed intellectus non dicitur practicus, nisi sit operatiuus, qualis non est, nisi illud quod apprehendit, ordinet ad opus, quod non fit, nisi motus ex appetitu finis; ita quòd practicus intellectus includit in suo actu (non formaliter, vt aliquid de essentia actus, sed connotando) ordinem necessariò ad desiderium finis explicitè, & eorum, quæ sunt ad finem implicitè.

Differentia inter intellectum speculatiuum, & practicũ. Quapropter [b] cùm speculabile ordinari ad opus accidat speculabili, licèt non accidat ei ordinabile esse, differentia inter intellectum speculatiuum & practicum, inde prouenien s, erit accidentalis, & per respectum ad aliquid extra intellectum, licèt differentia habituum, & actuum sit formalis secundùm differentiam formalem obiecti operabilis, & non operabilis. Vnde *in tertio de Anima* dicitur, quòd *intellectus speculatiuus & practicus differunt fine*, & ex 6. Ethic. *Bonum intellectus practici est verum confessè se habens appetitui recto.* Exemplum; intellectus speculatiuus apprehendit sanitatem, vt bonum conueniens; appetitus verò appetit illam, & sequitur aliquo modo consilium intellectus practici, quòd sanitas est acquirenda. Stante itaque desiderio finis, intellectus practicus ex hoc principio: *Illud, per quod melius potest acquiri, est procurandum*, procedit discurrendo, & terminatur discursus in vltima conclusione consilij, & totus ille discursus, sicut sumit principium ex apprehensione finis desiderati, qui est primum obiectum intellectus practici: ita est, vt ista inuenta, ad finem operetur, & ideo voluntatem finis præsupponit, & ad electionem sequentem consilium ordinatur.

Text. 43. Cap. 3.

Intellectus practicus quomodo procedat?

9. Contra hanc opinionem, quæ, vt breuiter dicam, in hoc consistit, quòd distinctionem intellectus practici & speculatiui ponit penes finem, qui accidit obiecto: sed habitus speculatiui & practici differunt penes obiectorum specialium differentiam formalem. Arguitur; quia de habitibus dicitur secundo Met. *Finis speculatiuæ est veritas, practicæ autem opus.* Similiter, tunc habitus practicus erit in intellectu speculatiuo, nec intellectus [c] illo habitu dicetur practicus; quod videtur inconueniens, quia omni habitu denominatur habens secundùm naturam habitus.

Respondet

Respondet ad primum [d]; quòd scientiæ practicæ finis est opus in potentia & aptitudine, inquantum eius obiectum est operabile per se: sed obiectum operabile consideratur secundùm illum habitum in vniuersali; quæ consideratio non sufficit ad hoc vt subiiciatur operationi in actu & in particulari. Et quia actus est melior potentia in bonis, ideò requiritur talis consideratio particularis, & in actu: ista autem est per alium habitum à scientia practica, & iste habitus alius solùm est in intellectu practico.

Ad secundum [e], dicitur quòd denominatiuè potest dici practicus, non simpliciter, sed secundùm *quid*, scilicet intelligendo denominationem fieri ab habitu.

Contrà, igitur habitus & actus practicus possunt esse in intellectu speculatiuo: quia habitus vel actus ex natura sua practicus, potest esse in intellectu sine tali relatione ad actum voluntatis, qualem ponit. Consequens concederet: sed alium habitum poneret posse haberi in intellectu practico ex actibus, non tantùm practicis, sed ex actibus intellectus practici generatum. *Impugnatio responsionũ Gotfredi Duplex in intellectu habitus.*

Contrà [f], Habitus practicus generatus ex actibus practicis, sufficeret ad ea, ad quæ ille habitus generatus ex actibus intellectus practici, dirigeret: quia voluntas imperans considerationi propter talem finem, non dat aliam rationem considerationi in dirigendo, nec per consequens habitui generato ex considerationibus. Item tunc [g], multa accidentia eiusdem speciei essent in eodem. Non enim propter ordinem voluntatis, & non ordinem potest poni distinctio specifica actus huius, & illius; similiter nec habitus.

Item tertiò [h], contra opinionem in se, subiectum magis denominatur à per se conditione sui accidentis & essentiali, quàm à conditione eiusdem accidentali: ergo si intellectus potest dici practicus ex conditione accidentali sui habitus, puta ex ordine voluntatis ordinantis actum eius ad aliud, multò magis potest dici practicus ex ordine essentiali actus, quo actus dicitur esse essentialiter practicus. Ideò ab eodem videtur intellectus dici practicus, à quo habitus & actus, licèt non ita accidentaliter dicatur illud de habitu & actu, sicut de intellectu, respectu cuius est accidens per accidens.

COMMENTARIVS.

1. * num. 2. a *Circa tertium articulum.* In isto articulo Doctor respondet ad secundum quæsitum quod erat: ***An scientia practica diceretur practica per se, ex ordine ad praxim, vt ad finem?*** Et sensus tituli quæstionis est, videlicet, A quo scientia habet vt dicatur practica. An à fine, an ab obiecto? an ab aliquo alio? & non quæritur hîc de principio formali, à quo formaliter dicatur practica: quia certum est quòd scientia practica formaliter, & intrinsecè dicitur practica ab extensione aptitudinali, de qua suprà. Sed quæritur hîc, à quo scientia habet ipsam extensionem aptitudinalem: siue quid est illud, quod dat scientiæ, vt sit extensiua ad praxim? an praxis? an obiectum? an aliquid aliud? Et tandem Doctor concludit, quòd scientia practica, à quo habet entitatem effectiuè, ab eodem etiam habet talem extensionem. Sed quia ab obiecto operabili habet entitatem, ita ab illo habet, quod est esse practicum, & sic secundùm Doctorem dicitur practica ab obiecto, circa quod est.

2. *Opinio Gotfredi de fontibus.* Sed antequam probet opinionem suam, prius recitat opiniones varias in ista positione, quarum prima est Gotfredi de fontibus. Et quia positio istius Doctoris est satis difficilis, ideò expono illam, vt faciliùs intelligatur. ***Vna est talis, quòd ab alio dicitur intellectus practicus, & ab alio habitus, vel actus.***

Ad quod intelligendum suppono primò secundùm istum, quòd intellectus, vt nudus omni cognitione, non dicitur neque practicus, neque speculatiuus, quia est sicut tabula rasa, &c. Secundò suppono, quòd intellectus consideret sanitatem, vt bonum conueniens, & consideret ens inquantum ens, vel Physicalia, vt huiusmodi; vel Mathematicalia, vt huiusmodi. Prima consideratio dicetur practica, quia circa operabile. Nam sanitas est verum operabile, quia nata acquiri in nobis. Secunda consideratio dicetur speculatiua: quia circa tantùm speculabile, & nullo modo operabile. Nam physicalia, & Mathematicalia, vt huiusmodi, non ordinantur ad opus, id est, quòd consideratio eorum non dirigit voluntatem, vt talia acquirat sibi: nam talis consideratio est sola speculatio illorum. Operabile ergo, vt huiusmodi, & speculabile, vt huiusmodi, distinguunt per se actum practicum, & actum speculatiuum, & ex consequenti habitum practicum, & speculatiuum, qui causantur ex illis actibus. Habitus ergo practicus, & actus dicuntur per se practici ab obiecto operabili. Et habitus speculatiuus, & actus dicuntur speculatiui ab obiecto nullo modo operabili: sed ab obiecto omnino speculabili.

Tertiò suppono, quòd intellectus practicus dicitur ab alio practicus, quàm ab illo habitu, vel actu practico. Nam primò intellectus considerat sanitatem, vt bonum conueniens. Secundò, voluntas appetit illam explicitè: & media ordinata ad illam implicitè. Tertiò, imperat intellectui, vt discurrat per media, ordinata ad acquisitionem sanitatis, quousque ostendat sibi medium conueniens ad sanitatem acquirendam, & sic intellectus tandem inuenit quòd diæta est medium conueniens: talis cognitio, quæ dictat voluntati, vt eligat diætam, si vult acquirere sanitatem, dicitur practica accidentaliter, 3.

quia ordinat sanitatem ad opus, & accidit sibi sic ordinari: & à tali cognitione, & similiter à cognitione sanitatis, vt actu ordinatur ad opus, dicitur, vel denominatur intellectus practicus. Et hoc est quod dicit, quòd intellectus practicus includit in suo actu, non essentialiter, sed tantùm connotando ordinem ad desiderium finis explicitè, & eorum, quæ sunt ad finem implicitè, id est, quòd cognitio practica accidentaliter, quæ est cognitio diætæ, ordinat ad sanitatem, vel includit sanitatem, vt suprà, connotando scilicet quòd voluntas velit explicitè sanitatem, & media implicitè, &c.

4. b *Quapropter cum speculabile ordinari ad opus*, &c. Dicit, quòd intellectus practicus non dicitur practicus à consideratione sanitatis in se: & non ordinatè ad opus, imò, vt sic, dicitur intellectus speculatiuus. Accidit enim sanitati actu non ordinari ad opus: & talis consideratio, quæ est ad sanitatem, cùm non ordinatur ad opus, dicitur accidentaliter speculatiua, & ab illa dicitur accidentaliter intellectus speculatiuus. Sed consideratio respectu sanitatis, vt actu ordinatæ ad opus (modo priùs exposito) est practica accidentaliter: quia denominatur ab illo, quod accidit sanitati in se, scilicet ordinari ad opus, & tali consideratione dicitur intellectus practicus. Sed habitus, & actus practici, & speculatiui per se distinguuntur penes obiecta formalia per se, quia practicus dicitur ab operabili per se, vt à sanitate, speculatiuus dicitur à speculabili per se, vt ab ente.

c *Nec intellectus illo habitu diceretur practicus*, &c. Dicit enim Doctor quòd videtur inconueniens, quòd aliquis habitus, qui est per se practicus, subiectetur in intellectu, & tamen intellectus ab illo non denominetur practicus, sicut quòd albedo sit in homine, & quòd per illam non dicatur albus.

5. d *Respondet ad primum*, &c. Exemplum: obiectum, à quo denominatur scientia practica, & similiter actus illius scientiæ est operabile per se, vt sanitas in se. Finis illius scientiæ est opus in potentia, quia sanitas est apta poni in opus & ordinari: quòd autem actu ordinetur accidit ei: & consideratio illius obiecti operabilis, vt huiusmodi, & consideratio illius tantùm in vniuersali: & talis consideratio non sufficit ad hoc, vt sanitas acquiratur, patet vt suprà, ideò requiritur consideratio particularis, & in actu, quæ est consideratio diætæ, vt suprà. Ista consideratio est per alium habitum à scientia practica, nam est per habitum acquisitum ex actibus practicis accidentaliter, vt dixi suprà. Et ista cognitio, & habitus denominant ipsum intellectum practicum, id est, quòd per huiusmodi denominatur practicus, & hoc tantùm accidentaliter, modo præexposito.

e *Ad secundum dicitur, quòd denominatiuè*, &c. Doctor iste dicit, quòd ille habitus, qui est per se practicus, denominat habitualiter ipsum intellectum, in quo est, non simpliciter, sed tantùm secundùm *quid*, id est, quòd per illum habitum non dicitur intellectus simpliciter practicus, nec per actum practicum per se dicitur intellectus actualiter practicus, sed tantùm secundùm *quid*: sed dicitur simpliciter practicus habitualiter, ab habitu practico accidentaliter. Similiter dicitur simpliciter practicus, & actualiter ab actu practico accidentaliter, vt dixi suprà.

Expono tamen hanc literam de verbo ad verbum. Cùm dicit primò, *quòd ab alio dicitur intellectus practicus, & ab alio habitus, vel actus practicus*, id est, intellectus non dicitur practicus propriè ab habitu, vel actu per se practico, qui habitus, vel actus, per se practicus, dicitur per se practicus ab obiecto per se practico: & à tali intellectus non dicitur practicus, sed ab alio, scilicet habitu, vel actu, puta ab actu accidentaliter practico, vt infrà patebit. Sequitur: *quia verum operabile, & non operabile*, id est, obiectum per se operabile, siue aptum natum attingi per opus, vt sanitas: & obiectum per se non operabile, id est, obiectum nullo modo ordinabile ad opus, siue nullo modo attingibile, siue acquisibile per opus, vt obiecta per se speculabilia, vt cœlum, siue astra, & huiusmodi; talia obiecta *sunt obiecta specialia formaliter diuersa*, id est, quòd obiectum ordinabile ad opus, & obiectum nullo modo ordinabile ad opus sunt formaliter, & essentialiter distincta per proprias rationes formales, & specificas, constituentes in tali esse obiectali, scilicet operabili, & speculabili. 6.

Expositio positionis Gotfredi.

Obiectum ordinabile ad opus & obiectum nullo modo ordinabile ad opus, sunt formaliter, & essentialiter distincta.

Sequitur: *Ideò per se distinguunt illa, quæ per se respiciunt ipsa*, id est, quòd habitus practicus habet ab obiecto per se operabili, quòd dicatur per se practicus: & per consequens habet ab ipso effectiuè, scilicet quòd distinguatur per se ab habitu speculatiuo: & similiter habitus speculatiuus, sicut habet effectiuè ab obiecto speculabili: quòd sit talis, ita effectiuè habet ab ipso, vt per se distinguatur ab habitu practico. Dicit ergo, quòd illa obiecta, scilicet *ens verum operabile, & ens verum non operabile*, per se distinguunt, scilicet effectiuè illa, id est, habitus, & actus practicos, & speculatiuos, quæ, scilicet habitus & actus per se respiciunt ipsa, scilicet obiecta, & respiciuntur, id est, vel ordinantur, vel causantur ab ipsis obiectis.

Sequitur: *sed intellectus non dicitur practicus*, &c. Id est, quòd intellectus non dicitur practicus ab illo habitu per se practico, qui per se respicit operabile per se, quia per talem habitum, vel actum non dicitur intellectus operatiuus: tunc enim dicitur operatiuus, quando obiectum, quod actu apprehendit, puta sanitatem, ordinat ad opus, id est, quòd quando habet cognitionem actu directiuam ad opus, puta ad media ad sanitatem; tunc per illam dicitur operatiuus. Sequitur: *quod non fit nisi motus ex appetitu finis*, id est, quòd nunquam habetur cognitio medij, ordinati ad finem, puta ad sanitatem, nisi priùs voluntas petierit ipsam sanitatem: quia stante tali appetitu imperat intellectui vt quærat media ad illam acquirendam, quibus inuentis, cognitio talium mediorum dicitur verè practica, & per illam intellectus dicitur verè practicus, & verè operatiuus, quia habet cognitionem, actu dirigentem ad opus. 7.

Sequitur: *ita quòd practicus intellectus includit in suo actu*, scilicet verè practico (qui est cognitio mediorum ad finem) *non formaliter, vt aliquid de essentia actus, sed connotando, ordinem necessariò ad desiderium finis explicitè, & eorum, quæ sunt ad finem implicitè*, id est, quòd actus, quo intellectus dicitur practicus, necessariò connotat ordinem ad desiderium finis, id est, quòd voluntas priùs vult finem explicitè: & postea, quæ sunt ad finem implicitè, priùs enim vult sanitatem explicitè, & pòst media implicitè, & ideò imperat

Quomodo intellectus dicatur practicus.

imperat intellectui, vt inueniat media explicitè ordinata ad ſanitatem: & ſic talis ordo voluntatis ad finem explicitè, & mediorum implicitè includitur in actu verè practico, ſiue neceſſariò præexigitur, & talis ordo non eſt de eſſentia actus, quia ordo talis ad deſiderium finis, &c. eſt in voluntate appetente, & actus practicus in intellectu, ſed tantùm præexigitur: Niſi enim priùs voluntas vellet ſanitatem explicitè, & media implicitè, non haberetur cognitio medij explicitè, quæ dicitur actus verè practicus.

8. Sequitur: *Quapropter cum ſpeculabile ordinari ad opus accidat ſpeculabili*, &c. Hîc non accipit *ſpeculabile* ſimpliciter, quod nullo modo ordinabile eſt ad opus, ſed accipit ſpeculabile ſecundùm quid, ſcilicet pro omni eo, quod actu non ordinatur ad opus: licèt tamen ſit ordinabile: ſic ſanitas in ſe conſiderata dicitur ſpeculabilis, & accidit ſibi, quòd actu ordinetur ad opus: quod tunc contingit, quando voluntas priùs vult ipſam explicitè, & media implicitè, & habita cognitione medij neceſſarij: tunc talis cognitio eſt ordinatiua ſanitatis ad opus, id eſt, dirigit voluntatem ad volendum efficaciter medium, per quod acquiritur ſanitas: & ſic ordinari actu accidit ſanitati, ordinabile verò non accidit, ſicut actu ridere accidit homini, licèt riſibile non accidat.

Speculabile accipitur dupliciter.

Sequitur: *differentia inter intellectum practicum, & ſpeculatiuum*, &c. Id eſt, quòd cognitio ſanitatis, vt actu ordinatur ad opus, eſt accidentalis, quia reſpicit ſanitatem, non abſolutè, ſed ſub iſto reſpectu accidentali: quod eſt actu ordinari ad opus, & dicitur practica accidentalis: & cognitio ſanitatis, vt actu non ordinatur ad opus, eſt accidentalis: quia reſpicit ſanitatem ſub illo reſpectu, quod eſt actu non ordinari ad opus, ſicut conſideratio hominis ſub iſto reſpectu, quod eſt actu ridere, vel ſub iſto reſpectu quod eſt actu non ridere, eſt conſideratio accidentalis. Dicit ergo, quòd differentia inter cognitionem, qua cognoſcitur, puta ſanitas, vt actu ordinatur ad opus, & cognitionem, qua cognoſcitur ipſa ſanitas, vt actu non ordinatur ad opus, eſt tantùm accidentalis, & prima dicitur practica accidentalis, & ſecunda dicitur ſpeculatiua accidentalis, à prima dicitur intellectus propriè, & ſimpliciter practicus, à ſecunda verò dicitur ſpeculatiuus tantùm ſecundùm quid, quia per reſpectum ad aliquid extra intellectum, ſcilicet per reſpectum ad ordinem ad deſiderium finis explicitè, & eorum quæ ſunt ad finem implicitè: & ſic dicitur cognitio practica accidentalis, vel non, includendo talem ordinem, quia tunc eſt conſiderare ſanitatem, vt actu non ordinatur ad opus.

Videre accidit homini ſed non riſibile. Differentia inter intellectum practicum, & ſpeculatiuū.

9. Sequitur: *licèt differentia actuum*, &c. Id eſt, differentia habitus per ſe practici, & habitus per ſe ſpeculatiui, differentia ſcilicet eſſentialis, ſiue formalis, accipitur effectiuè, ſcilicet ab obiecto per ſe operabili, & ab obiecto per ſe ſpeculabili, vt ſuprà patuit, & loquitur hîc de ſpeculatiuo ſimpliciter, qui reſpicit obiectum nullo modo ordinabile ad opus.

Sequitur: *vnde in tertio de Anima, text. comment.* 49. dicitur quòd *intellectus ſpeculatiuus, & practicus differunt fine:* quæ auctoritas poteſt intelligi de fine remoto: & ſic accipitur habitus practicus per ſe, & ſpeculatiuus per ſe, & ſimpliciter, qui differunt fine remoto, ſcilicet obiectis, quia finis remotus habitus per ſe practici eſt verum operabile, & finis ſpeculatiui verum nullo modo operabile. Poteſt etiam intelligi de fine proximo, & ſic habitus accidentaliter practicus reſpicit verum operabile, vt actu ordinatur ad opus, modo præexpoſito, & habitus accidentaliter ſpeculatiuus reſpicit verum operabile, vt actu non ordinatur ad opus, vt ſuprà dixi.

Tripliciter poteſt intelligi auctoritas Philoſophi quòd ſpeculatiuum & practicū differunt fine.

Vel poteſt tertiò exponi: quòd habitus verè practicus, à quo intellectus ſimpliciter denominatur practicus, reſpicit verum operabile: puta ſanitatem, nō tantùm vt bonum conueniens naturæ, ſed vt tale bonum actu ordinatur ad opus: quòd tunc eſt quando ſtante deſiderio ſanitatis explicitè, & mediorum ad ſanitatem implicitè, dictat voluntati de medio neceſſario ad ſanitatem: & ſic connotat ordinem, de quo ſuprà. Et habitus ſpeculatiuus non per accidens, de quo ſuprà: neć ſimpliciter ſpeculatiuus, quia talis reſpicit obiectum nullo modo operabile: ſed ſpeculatiuus, ſecundùm quid, licèt non per accidens, qui reſpicit puta ſanitatem, vt ſimpliciter bonum conueniens naturæ. Speculatiuus verò ſecundùm quid, & per accidens reſpicit ſanitatem, vt actu non ordinatur ad opus: actu enim non ordinari accidit ſanitati, vt ſuprà dixi. Habitus ergo propriè, & ſimpliciter practicus, ſed non per ſe practicus, ſed tantùm accidentaliter practicus differt fine ab habitu, ſecundùm quid ſpeculatiuo, licèt non per accidens: quia finis practici ſimpliciter eſt ſanitas, vt actu ordinatur ad opus; & finis ſpeculatiui ſecundùm quid eſt ſanitas, vt bonum conueniens naturæ. 10.

Sequitur: & 6. *Ethic. cap.* 3. *Bonum intellectus practici eſt verum, confeſsè ſe habens appetitui recto:* quæ ſic debet intelligi: finis intellectus practici (accipit enim ibi *bonum* pro fine) eſt verum, ſiue ens verum operabile confeſsè, id eſt, conformiter ſe habens appetitui recto, id eſt, quòd talis finis, puta ſanitas eſt regulatiua, ſiue conformatiua appetitus recti, id eſt, quòd voluntas non poteſt rectè velle, nec rectè imperare potentiis aliis: niſi in eliciendo actum conformetur primo fini, vt regulatiuo remoto, & conſiderationi finis, vt regulatiuo minùs remoto; & conſiderationi mediorum ad finem, vt regulatiuo proximo: quæ conſideratio mediorum dicitur ſimpliciter practica: & ex multis talibus conſiderationibus cauſatur habitus ſimpliciter practicus. Primum tamen conformatiuum, ſiue regulatiuum appetitus recti, eſt finis operabilis, vel conſideratio illius finis (quæ dicitur practica per ſe, & ex multis talibus cauſatur habitus per ſe practicus, vt ſuprà dixi, quaſi in principio) quia à fine operabili ſumuntur principia per ſe practica, & concluſiones per ſe practicæ: & etiam ab ipſo fine concluduntur omnia media ad finem ordinata: & cognitio mediorum dicitur ſimpliciter practica, vt ſuprà dixi. Bonum verò, ſiue finis intellectus ſpeculatiui ſimpliciter, erit verum, nullo modo operabile: nec per conſequens conformatiuum, ſiue regulatiuum alicuius appetitus, ſed erit præcisè in ſpeculatione talis finis, &c. 11.

Bonum intellectus practici eſt verum.

Bonum intellectus ſpeculatiui erit verum.

Sequitur. Exemplum: *intellectus ſpeculatiuus ſecundùm quid tantum apprehendit ſanitatem, vt bonum conueniens*, id eſt, quòd apprehenſio ſanitatis, vt boni conuenientis, eſt ſpeculatiua 12.

ſecundùm quid: & ab illa apprehenſione intellectus dicitur ſpeculatiuus ſecundùm quid; & appetitus, ſcilicet voluntas, appetit illam, vt bonum ſibi conueniens, & ſequitur aliquomodo conſilium intellectus practici, quòd ſanitas eſt acquirenda, id eſt, quòd conſideratio ſanitatis, vt boni conuenientis dictat voluntati, vt velit illam. Et nota, quòd conſilium intellectus practici (quod nihil aliud eſt, niſi conſideratio practica ſimpliciter) non eſt dictare abſolutè de ſanitate: quia de fine non eſt conſilium, ſed eſt dictare de mediis ad ſanitatem: conſilium ergo intellectus practici eſt cognitio mediorum ad finem, quæ dictat voluntati, vt ſi vult ſanitatem efficaciter, quòd eligat talia media. Et ab iſta conſideratione dicitur intellectus ſimpliciter practicus.

Quid ſit conſilium intellectus practici.

13. Sequitur: *ſtante ergo deſiderio finis: intellectus practicus, ex hoc principio, ſcilicet*, Illud, per quod melius poteſt acquiri, eſt procurandum: *procedit diſcurrendo; & terminatur diſcurſus in vltima concluſione conſilij.* iſta enim ſunt per ordinem. Primò eſt apprehenſio ſanitatis, vt boni conuenientis: & talis apprehenſio dicitur ſpeculatiua, ſecundùm quid. Secundò voluntas appetit ſanitatem diſtinctè, & media confusè tantùm: quia intellectus oſtendit primò, quòd ſanitas eſt bonum acquiſibile per media. Tertiò intellectus habet propoſitionem quieſcentem in ipſo, quòd illud medium eſt procurandum, ſiue efficaciter volendum, per quod meliùs poteſt acquiri ſanitas. Et licèt talis cognitio ſit practica, quia tamen non eſt immediatè ordinatiua ad opus, non dicitur ſimpliciter practica: nec ab illa dicitur intellectus ſimpliciter practicus. Quartò voluntas imperat intellectui, vt diſcurrat per omnia media, & oſtendat ſibi medium conuenientius. Quintò intellectus ſic diſcurrit, & tandem inuento medio in fine diſcurſus, tunc conſulit voluntati, vt eligat tale medium, & illud conſilium nihil aliud eſt, niſi cognitio illius medij, quæ eſt regulatiua, ſiue dictatiua voluntati, vt eligat medium tale ſi vult ſanitatem: & talis cognitio, cùm ſit immediatè ordinatiua ad opus, dicitur ſimpliciter practica, & ab iſta dicitur intellectus ſimpliciter practicus, vt ſuprà dixi: & nunquam iſte nominat intellectum practicum, niſi per huiuſmodi cognitionem. Et licèt quandoque videatur nominare intellectum practicum ante hanc cognitionem, non tamen nominat ipſum actualiter practicum, niſi habitâ iſtâ: licèt ſit practicus ante iſtam tantùm in potentia, & quandoque remota, vt cùm tantùm conſiderat finem, & quandoque proxima, vt cùm diſcurrit per media.

14. Sequitur: *Et totus ille diſcurſus*, qui ſcilicet eſt per media: *ſicut ſumunt principium ex apprehenſione finis deſiderati, qui eſt primum obiectum intellectus practici:* patet, quia cognita ſanitate, vt bono conueniente, voluntas vult illam, & imperat intellectui, vt inueniat media: tunc intellectus à tali fine, ſic deſiderato, ſumit principium diſcurſus: & vnum principium erit, ſcilicet illud, per quod ſanitas meliùs poteſt acquiri, eſt efficaciter eligendum: ſtante hoc principio, diſcurrit per omnia media, & ipſo inuento, concludit: ſed per hoc medium meliùs poteſt ſanitas acquiri; ergo hoc medium eſt eligendum.

Et hoc eſt quod ſequitur: *ita vt iſta inuenta*, ſcilicet media, *ad finem operetur*, id eſt, quòd intellectus practicus inuentis mediis dictat voluntati, vt eligat illa media, quibus finis acquiritur, & tale dictare eſt ad finem operari: quia eſt ordinare media debita ad finem, & ideò voluntatem finis præſupponit, ſcilicet ipſe intellectus practicus: & ad electionem ſequentem conſilium ordinatur, id eſt, quòd intellectus practicus, ſiue cognitio ſimpliciter practica, quæ pro tanto dicitur conſilium, pro quanto dictat de electione mediorum ipſi voluntati, quæ electio propriè ſequitur conſilium.

Quid ſit dictare.

Contra hanc opinionem. Hîc Doctor contra duo arguit. Primò contra illud, quòd habitus per ſe practicus, & per ſe ſpeculatiuus, dicuntur tales per ſe ab obiectis. Contra hoc arguit Doctor, quia ſecundo Metaphyſ. text. comm. 2. finis ſpeculatiuæ, eſt veritas, practicæ autem opus: ergo dicuntur tales à fine, non autem ab obiectis. & hæc inſtantia eſt tantùm ad hominem: quia Doctor vult, quòd habitus dicatur per ſe practicus ab obiecto, & non à fine in ratione finis, ſed à fine in ratione obiecti, vt infrà patebit: & habet ipſam ſoluere, ſcilicet quòd finis eſt duplex, ſcilicet remotus, qui eſt obiectum; & proximus, qui eſt opus, ſiue praxis, quæ elicitur circa obiectum: & de hoc infrà.

Scotus arguit contra hanc opinionem.

Tamen pro quanto auctoritas eſt contra opinionem Gotfredi. Reſpondet ipſe Gotfredus diſtinguendo, quòd duplex eſt opus, ſcilicet in potentia, & in actu: & vult dicere, quòd cognitio per ſe practica, ſiue habitus per ſe practicus reſpicit obiectum: puta ſanitatem, vt eſt obiectum ſimpliciter operabile, id eſt, vt eſt aptum acquiri per opus, & à tali obiecto dicitur per ſe practicus: & hoc modo opus in potentia, ſiue obiectum illud, vt operabile, eſt finis habitus practici. Cognitio verò, quæ reſpicit opus in actu, id eſt, quæ reſpicit obiectum, puta ſanitatem, vt actu ordinatur ad opus (quod tunc fit, quando talis cognitio eſt reſpectu medij, vt ſuprà dixi) à tali cognitione dicitur intellectus ſimpliciter practicus: quia per talem cognitionem dicitur operatiuus, modo præexpoſito. Prima enim conſideratio, quæ reſpicit tantùm ſanitatem, vt præcisè ordinabilem ad opus non ſufficit, ad hoc, vt obiectum ſubiiciatur operationi in actu, & in particulari: patet, quia talis cognitio nullo modo dictat de mediis, per quæ obiectum actu acquiritur, ſiue per quæ finis deſideratus à voluntate actu acquiritur: quia ergo actus melior eſt potentia in bonis (melius eſt enim ſimpliciter eſſe actu iuſtum, quàm potentia) ideò requiritur talis conſideratio particularis & in actu, id eſt, quæ dictet de medio particulari, per quod in actu acquiratur finis, qui erat acquiſibilis in potentia. Dicitur enim conſideratio actualis, & particularis, ex hoc ſolo, quia dictat de medio particulari, &c. 15.

Finis eſt duplex
Duplex eſt opus.

Et licèt conſideratio finis in ſe ſit particularis, non tamen dictat de medio particulari, per quod actu acquiritur finis, ideò ponit conſiderationem medij eſſe ſimpliciter practicam, & habitum cauſatum ex huiuſmodi conſiderationibus eſſe ſimpliciter practicum, & à tali dici intellectum ſimpliciter practicum. Et ſic ponit duplicem habitum practicum, ſcilicet per ſe practicum, qui reſpicit operabile, vt aptum ordinari ad opus, & à tali dicitur intellectus 16.

Duplex eſt habitus practicus.

ſecundùm

secundùm quid practicus: & practicum per accidens, qui respicit obiectum, vt actu ordinatur ad opus, vt suprà exposui, & sic ipsum ponit penes finem, qui accidit obiecto, id est, quòd ponit eum circa opus in actu, quod accidit obiecto: accidit enim obiecto sic actu ordinari ad opus, & talis habitus dicitur simpliciter practicus, & ab ipso intellectus simpliciter dicitur practicus. Et hoc est secundum principale, scilicet de habitu simpliciter practico, & de habitu per accidens speculatiuo, qui respicit finem, qui accidit obiecto, id est, qui respicit obiectum sub illo respectu, quod est actu non ordinari ad opus, vt suprà dixi.

17. *Similiter tunc habitus practicus.* Hîc Doctor arguit contra aliud, quia Gotfredus dixit, quòd intellectus non dicitur practicus ab habitu per se practico, arguit contrà, deducendo ad duplex inconueniens. Primum, quòd tunc esset habitus practicus in intellectu speculatiuo, & ratio stat in hoc, quia omnis habitus existens in intellectu, denominat intellectum, vt patet: sed habitus per se practicus est in intellectu, aut ergo talis intellectus denominatur à tali habitu speculatiuus, aut practicus. Si secundo, habetur intentum. Si primo, ergo ab habitu per se practico denominaretur speculatiuus, quod est inconueniens. Secundum, quia sequeretur quòd habens talem formam non denominaretur à tali forma: & sic habens in se formaliter habitum practicum non denominaretur formaliter practicus, quod est inconueniens.

Ad secundum dicitur. Respondet Gotfredus quòd intellectus dicitur denominatiuè practicus à tali habitu, non simpliciter, sed tantùm secundùm quid practicus.

Contra. Doctor arguit contra hanc rationem, deducendo ad inconueniens: quia tunc sequeretur, quòd actus per se practicus esset in intellectu speculatiuo, id est, quòd denominaret intellectum speculatiuum simpliciter, patet, quia intellectus à tali habitu, cùm sit vera qualitas simpliciter denominatur: aut ergo simpliciter denominatur practicus, aut simpliciter speculatiuus, si primo, habetur intentum. Si secundo, sequitur inconueniens, quòd ab habitu per se practico dicatur simpliciter speculatiuus: & quòd sequatur, patet, quia si denominatur simpliciter, & per se, denominatur secundùm quid practicus: ergo ab illo denominatur simpliciter speculatiuus: modò actus, vel habitus per se practicus potest esse in intellectu, sine tali relatione ad actum voluntatis, id est, quòd potest esse consideratio per se sanitatis in intellectu absque hoc, quòd voluntas velit illam explicitè, & media ad illam implicitè. Sed iste Gotfredus consequens concederet, scilicet quòd talis habitus per se practicus posset esse in intellectu, absque tali relatione ad voluntatem, sed alium habitum poneret posse haberi in intellectu practico ex actibus, non tamen practicis, sed ex actibus intellectus practici generatum. Habitus generatus ex actibus practicis est habitus per se practicus, qui respicit obiectum per se operabile: & illi actus generantes ipsum dicuntur per se practici, quia respiciunt obiectum per se operabile, & tales actus non dicuntur actus intellectus practici: quia non sunt nati denominare simpliciter intellectum practicum, actus verò intellectus practici, id est, qui nati sunt simpliciter denominare intellectum practicum, sunt illi, qui respiciunt obiectum, vt actu ordinatur ad opus (vt suprà exposui,) & habitus generatus ex talibus actibus denominat simpliciter intellectum practicum.

Differentia inter actum practicum & actum intellectus practici.

f *Contrà, habitus practicus.* Hîc Doctor intendit probare, quòd habitus per se practicus est sufficiens ad denominandum simpliciter intellectum practicum, quia sufficit ad ea, ad quæ ille habitus generatus ex actibus intellectus practici: patet, quia cognita sanitate, vt bono conuenienti naturæ, potest intellectus à tali fine accipere omnia ordinata ad talem finem (si tamen virtualiter includantur in tali fine, vt infrà patebit) absque hoc, quòd voluntas eliciat aliquem actum, & posito quòd etiam eliciat, tamen ex hoc non dat considerationi aliquam rationem, qua dicatur talis consideratio: patet, quia illam etiam haberet nullo actu voluntatis priùs elicito, & quantum ad hoc discordat Doctor à Gotfredo. 18.

g *Tunc multa accidentia eiusdem speciei essent in eodem*, &c. Sed hoc argumentum est tantùm ad hominem, qui simpliciter negat duo accidentia, solo numero differentia, posse esse in in eodem: sed hoc non esset inconueniens apud Scotum, vt patet in 5. Metaph. suæ. Aduerte tamen, quòd si Gotfredus sic accipit, quòd intellectus non dicitur simpliciter, & propriissimè practicus, nisi per habitum, vel actum propriissimè practicum, quod fit per singularia dictamina, & finis, & eorum quæ sunt ad finem simpliciter dictando, vel de prosecutione, vel fuga, non deuiat à Scoto, vt patet infrà. Nam talis cognitio sic in particulari dictatiua, est propriissimè, & completissimè practica. Et vltrà, si poneret intellectum per se denominari practicum ab habitu, per se practico: licèt tamen non ita completè, diceretur practicus à tali habitu: qui est tantùm respectu sanitatis, vt operabilis: sed completè diceretur practicus ab habitu, vt suprà dicto. Et sic intelligendo denominationem illam, quam vocat secundùm quid, dici secundùm quid, quia non ita completè facit intellectum practicum, sicut alij habitus. Duo prima argumenta Scoti, scilicet de 2. Metaphys. & de denominatione habitus practici non essent contra eum. Sed quia ipse Gotfredus vult, quòd talis habitus propriissimè practicus habeat hoc per respectum ad voluntatem, &c. Et quia voluntas nihil tribuit cognitioni, nec facit ipsam esse magis, vel minùs practicam, ideò secundum argumentum est contra eum, scilicet quòd ille habitus generatus ex actibus per se practicis sufficeret ad ea, &c. Non vult Scotus quòd huiusmodi habitus in se sufficeret: sed quòd habita cognitione sanitatis per se ordinabilis ad opus, potest sine actu voluntatis tandem deuenire in verissimam cognitionem practicam, dictando prosequi, vel fugere, & de mediis ordinatis. 19.

Quomodo Gotfredus potest concordari cum Scoto.

Opinio Gotfredi.

h *Subiectum denominatur à per se conditione, sui accidentis, essentiali: quam*, &c. Exemplum, magis homo dicitur albus ex ratione per se albedinis, quàm ex ratione accidentaliter, competente albedini. Supposito, quòd esse per se actum practicum competit actui, ex ratione formali actus: quia, vt talis actus est per se ab obiecto per se operabili, tunc sicut tale obiectum causat talem entitatem actus, ex consequenti dicitur causare proprietatem illius actus, quod est esse practicum. Esse enim practicum formaliter est à ratione 20.

ratione formali actus, licèt effectiuè sit ab obiecto. Esse ergo practicum per se conuenit actui, siue habitui per se secundo modo, & consequitur essentia actus, vel habitus. Esse verò practicum, ex hoc, quòd talis actus includit ordinem ad voluntatem, finem explicitè appetentem, & media ad finem implicitè, accidit actui: quia tantùm conuenit ei per respectum ad voluntatem, sic appetentem, & non ex ratione formali ipsius actus, ideò intellectus magis debet denominari simpliciter practicus ab habitu per se practico, quod est contra eum, quantùm ad hoc: quòd non vult intellectum dici per se practicum à tali habitu; sed tantùm secundùm quid, non tamen concluderet: accipiendo practicum magis, & minus completè. Et sic patet.

SCHOLIVM.

Sententia Henrici, habitum & actum esse practicos ex fine. Primò, quia intellectus extensione, scilicet ad opus, fit practicus. Secundò, Medicina diuiditur in practicam, & speculatiuam. Tertiò, actus est practicus, quia bonus, vel malus, & hoc habet ex circumstantiis, quarum primaria, est finis. Hanc refutat, probans habitum dici practicum ex obiecto, quia haberet illam extensionem, etiamsi finis nullo modo esset amatus. Secundò, si finis, vt habitus consideretur, est effectus habitus: ergo non distinguit eum: si vt cognitus distinguit: ergo vt obiectum. Tertiò, moralis scientia non esset practica, & hanc rationem prosequitur, refutando varias solutiones Henrici.

10. *Henric. quodlib. 8. q. 1.* *3. de Anima, text. 49.*

ALiter dicitur [a], quòd illud, à quo habitus & actus dicuntur practici, est finis & extensio cognitionis practicæ ad praxim, quæ est extensio ad finem. Pro hac opinione sunt auctoritates positæ priùs. Arguitur etiam per rationes sic: Primò, quia aut habitus dicitur practicus ab obiecto, aut à fine. Quòd non ab obiecto, probo; quia intellectus extensione fit practicus; quod non est verum, nisi de eodem intellectu priùs speculatiuo, & postea practico, extenso ad opus: igitur circa idem obiectum potest esse consideratio practica, & speculatiua.

Secundò sic; quia Medicina diuiditur in speculatiuam & practicam: & tamen ipsa est de aliquo eodem subiecto, vt de sanitate, vel de corpore sanabili. Item, actus dicitur practicus, quia bonus, vel malus moraliter: bonitas & malitia moris competunt actui ex circunstantiis: inter circunstantias autem prima, & præcipua est circunstantia finis.

Habitus nō dicitur practicus per extēsionem actualem ad praxim.

Contra [b] istam positionem, quæro an habitus, & actus dicantur practici propter extensionem actualem ad opus, vel tantùm propter extensionem aptitudinalem; non propter actualem, vt habetur *in 2. art.* & ipsi concedunt: quia tunc faber non actu operans non haberet cognitionem practicam: ergo propter extensionem aptitudinalem; sed aptitudo non conuenit vni naturæ, quæ repugnat alteri, nisi propter aliquod absolutum in tali natura (quia enim hæc natura est talis, ideò sibi conuenit talis aptitudo:) igitur præsupponit in ista consideratione aliquam conditionem intrinsecam, per quam sibi conueniat aptitudo talis. *Scientiam dici practicam ab obiecto.* Ista conditio considerationis in se est ab aliqua causa eius priore: causæ autem eius priores sunt intellectus & obiectum: ergo sibi conuenit ab aliquo obiecto, vel intellectu: non ab intellectu, quia tunc omnis consideratio esset practica, cùm omnes sint in intellectu, & omnium sit vnus intellectus.

11. *Cap. vlt.*

Si dicatur [c], quòd etiam finis est causa prior, immò prima inter omnes, secundùm Auicennam 6. *Metaph.* & ita ab ipso potest esse conditio talis naturæ, vt ei conueniat talis aptitudo; Contrà, finis non est causa, nisi inquantùm amatus & desideratus mouet efficiens ad efficiendum: sed aptitudo dicta conuenit considerationi, siue sit finis amatus, siue non: potest enim in intellectu esse talis cognitio, qualitercunque voluntas se habeat, imò etiam si voluntas non esset coniuncta intellectui: & ita à fine, tanquam à finali causa, non conuenit aptitudo ista cognitioni: nihil enim inest ab aliqua causa, quod inest, illâ causâ non causante.

Si dicas [d], finis aptus natus est amari antequam aptitudo ista insit cognitioni. Contrà; hoc non saluat propositum: quia effectus nihil habet ab aliquo causante, quia illud natum esset causare, nisi actu causet: ergo cognitio non habet aptitudinem, siue naturam istam, quam consequitur talis aptitudo à fine aptitudinaliter causante, nisi actu causet. Non autem causat actu, vt causa finalis, nisi vt actu amatus, & desideratus moueat efficiens ad agendum.

Finis tripliciter cōsideratur.

Præterea [e], aut finis vt elicitus, & habitus extrà, facit habitum esse practicum; aut finis consideratus, aut intentus. Non vt elicitus, & habitus extrà, quia sic est posterior habitu, & effectus aliquo modo: effectus autem non distinguit causam. Si vt cognitus, sic

sic habet rationem obiecti, ergo obiectum distinguit. Si autem vt intentus, hoc iam est improbatum, quia naturaliter antequam intendatur est cognitio talis.

Præterea [f] si scientiam esse practicam, & ordinari ad praxim, vt ad finem, conuertantur; ergo moralis scientia non est practica. Consequens est contra Philosophum 1. *Ethic.* & 10. Consequentia arguitur; quia finis eius est felicitas, quæ secundùm ipsum 10. *Ethic.* consistit in speculatione, non in praxi. *Cap. 3. Cap. 11. Cap. 8.*

Si dicatur [g], quòd felicitas est finis remotus, sed finis propinquus est praxis, scilicet dirigere in actum virtutis propter felicitatem. Contrà, ad *dirigere* non ordinatur necessariò, nisi aptitudinaliter: necessariò autem est practica: ergo hoc erit (secundùm dictam responsionem,) quia aptitudinaliter ordinatur ad *dirigere*, hoc est idem, quod *directiuum esse:* igitur est practica, quia directiua; sed esse directiuam, & esse practicam idem sunt, ex secundo articulo. Ex dicta igitur responsione sequitur, quòd ipsa est practica, quia est practica, hoc nihil est. Item *dirigere* est actus [h] intellectus, quia eius est habitus, scilicet prudentia, à quo est iste actus elicitus: nullus autem actus intellectus est praxis, *ex primò articulo.*

Ideò dicitur aliter [i], quòd finis scientiæ moralis, sicut & prudentiæ, est actus virtutis moralis, ad quem ordinatur: & ille actus est praxis. 12. *Henric. in sum.*

Contrà: non omnis cognitionis practicæ finis est praxis; aliqua enim est intellectio practica respectu praxis potentiæ inferioris, puta appetitus sensitiui, vel motiuæ potentiæ, nullus autem actus potentiæ inferioris est finis actus intellectus: quia nihil ignobilius est per se finis ignobilioris: actus intelligendi est nobilior, & perfectior quocunque actu cuiuscunque potentiæ inferioris sensitiuæ.

Dicitur, quòd [k] licèt intellectio sit nobilior in *esse* naturæ, quàm operatio potentiæ inferioris, non tamen in genere moris: quia melius moraliter est fortiter agere, quàm cogitare fortiter agere.

Contra hoc dupliciter. Primò, quia falsum supponitur. Nam actus potentiæ inferioris non est bonus moraliter, nisi quia conformatur rationi rectæ, vt regulæ suæ: ergo rectitudo rationis est causa bonitatis talis in actu isto, & non è conuerso: sed actum rationis esse sic regulam, est ipsum esse bonum moraliter, sicut intellectio potest esse bona moraliter. Confirmatur, quia prudentia est simpliciter nobilior virtute morali, vt est in appetitu sensitiuo: igitur & actus eius, est melior actu illius vt illius: igitur iste, vt practicus (sicut potest intellectio esse practica) est melior illo, vt practico siue bono moraliter. *Ad hominem. De hoc 1. d. 40. & 42. & 3. d. 33. Vide 1. Ethic. c. 10.*

Ex hoc patet [l], quòd probatio de *cogitare fortiter agere*, non valet; quando enim quæritur excellentia vnius ad alterum, non debet comparari optimum ad infimum, sed optimum ad optimum, vel simpliciter ad simpliciter. Sicut ergo est accipere optimum ibi, puta *fortiter agere*, ita est accipere in intellectu dictare secundùm prudentiam fortiter agere. Hoc secundum est melius etiam moraliter: quia vt regula habet bonitatem formalem moralem, quæ est rectitudo propria, aliud est tantùm bonum materialiter, quia ex se non est bonum moraliter circumscribendo ordinem ad regulam istam, & ad voluntatem imperantem. *Regula Aristot. 3. Top. c. 4. Melius est dictare secundũ prudentiam fortiter agere, quam fortiter agere.*

Secundò [m], responsio illa non videtur ad propositum. Quæritur enim vnde intellectio sit practica, non iam supponendo eam esse practicam, potissimè, cùm nec supponatur de ipsa prima circunstantia, quæ est finis, sed inquiratur: igitur cùm quæritur de intellectione practica, & prima circunstantia, à qua foret practica, ipsa tantùm accipitur, vt est illud, quod est in *esse* naturæ: igitur sic distinguere de ipsa secundùm bonitatem moris, & naturæ nihil aliud est, quàm præsupponere, quod quæritur, & distinguere aliquid, prout consideratur præcisè sub altero membro distinctionis. *Distinctio Henrici nõ est ad propositum.*

Ideò [n] corrigitur ista opinio ab aliis, & dicitur, quòd habitus dicitur practicus à fine qui est consideratio practica: proprius enim finis cuiuscunque habitus est actus eius. Sed contra illud [o], si consideratio illa, quæ est finis habitus, est practica, ergo ipsa habet causam, ex qua dicatur practica: aut ergo finem illius considerationis, & hoc iam improbatum est, aut obiectum, & tunc sequitur, quòd ipsum obiectum est prior causa, à qua tam habitus dicitur practicus, quàm consideratio ipsa: & tunc habetur propositum, quòd ab obiecto tam habitus (licèt mediatè) quàm actus dicitur practicus. *Ioan. Rediton in prolog. q. 6. art. 1. sequitur hanc correctionem.*

COMMENTARIVS.

1\. a *Aliter dicitur.* Hæc est opinio Henrici quodlib.8. quæst. prima, qui dicit, quòd habitus practicus, siue actus practicus: dicitur practicus; ex hoc quòd est extensibilis ad praxim, vt ad finem, quia praxis est vltimus finis, id est, est illud vltimum, ad quod dirigit notitia practica: & probat hanc opinionem tribus mediis, qui postea soluentur loco suo.

Scot. improbat Henr. b *Contra istam positionem.* Hîc Doctor probat, quòd notitia practica non habeat à praxi quòd sit practica. Et primò, probat sic, quia suprà probatum est, quòd notitia dicitur practica propter extensionem aptitudinalem. Aptitudo enim, quæ conuenit alicui naturæ, & repugnat alteri, conuenit sibi per aliquod absolutum, sibi intrinsecum, si talis natura est absoluta, cuiusmodi est notitia, vt patet à Doctore *quæst.* 13. *Quodl.* Si verò non est absoluta, conuenit sibi per aliquod intrinsecum: patet discurrendo per aptitudines, quæ conueniunt vni, & repugnant alteri. Illud autem intrinsecum communiter est ipsa entitas naturæ, vel aliquid pertinens ad essentiam ipsius. Sed certum est, quòd ex quo talis notitia habet aptitudinem extendendi ad praxim, est verè causata, cùm sit qualitas absoluta: vt patet à Doctore suprà; ergo & conditio per quam sibi conuenit talis aptitudo, erit causata ab eisdem causis, à quibus & notitia. Sed notitia est causata ab intellectu, & ab obiecto, vt probat Doctor infrà, *dist.* 3. *quæst.* 7. *&* 15. *Quodlib.* ergo & aptitudo talis inerit sibi effectiuè ab intellectu, vel ab obiecto: non ab intellectu, quia tunc omnis consideratio esset practica, cùm omnes sint in intellectu, & omnium sit vnus intellectus; ergo erit effectiuè ab obiecto: sic notitia practica denominatur practica (denominatione tamen extrinseca) ab obiecto, à quo dependet in *esse*, & *conseruari*; ergo non à praxi; cùm praxis sit posterior tali notitia practica.

2\. *Difficultas.* Sed hîc oritur vna parua difficultas, quia ex quo notitia practica est effectiuè ab intellectu, immò intellectus est principalis causa, vt comparatur ad obiectum imperfectius, vt patet à Doctore infrà, *dist.* 3. *quæst. pen. & alibi sæpe*: ergo talis notitia dicitur practica ab intellectu.

Responsio. Ad quam respondeo, quòd etsi entitas notitiæ, & quantùm ad substantiam ipsius, & quantùm ad intensionem, sit principaliter ab intellectu: tamen quantùm ad specificationem, puta, quòd dicatur talis, vel quòd distinguatur specie ab alia, habet principaliter ab obiecto. Vnde Doctor dicit infrà, *d.* 3. *quæst.* 7. quòd omnis scientia specificatur ab obiecto: & sic patet ad difficultatem. Et de huiusmodi specificatione vide singularem glossam, quam feci super q. 10. d. 3. 2.

Sciẽtia quãuis sit principaliter ab intellectu, specificatur tamẽ ab obiecto.

c *Si dicatur, quòd etiam finis est causa prior, immò prima inter omnes*, &c. *vt ei conueniat talis aptitudo:* & sic à praxi, vt à fine notitiæ practicæ, poterit esse talis aptitudo; vel ab aliquo alio fine, accipiendo *finem* pro causa finali, quæ inter omnes causas est simpliciter prima in causando: ergo talis conditio non erit præcisè ab obiecto.

Contra, Finis non est causa, &c. Hîc Doctor arguit, quòd notitia practica non sit practica à fine, siue à causa finali: quod ideò dico, quia infrà vult, quòd omnia principia practica sumantur à fine, & per consequens notitia practica dicatur practica à fine, vt patebit: & verum est, quòd dicitur practica à fine, vt habet rationem obiecti; non autem à fine, qui est causa finalis, quorum differentia infrà patebit. Et argumentum Doctoris est satis clarum: quia certum est, quòd causa finalis non mouet efficiens, nisi inquantum amata, & desiderata, siue modò talis finis ametur, siue non ametur: adhuc talis notitia erit practica: ergo ab aliquo alio, quod erit obiectum, circa quod erit talis notitia.

Sed insurgit aliqualis difficultas. Quia certum est, quòd obiectum est per se causa cognitionis, saltem partialis, vt patet à Doctore infrà, *dist.* 3. *quæst.* 7. Et per se causa agit propter finem (vt patet 3. *Physic.*) ergo est impossibile, quòd talis notitia sit effectiuè ab obiecto, nisi causa finalis moueat obiectum, vt amata, & desiderata ad producendum huiusmodi cognitionem: ergo talis notitia dependet à fine: hoc idem dico de intellectu. Nec obstat de voluntate, si esset separata ab intellectu, &c. quia intellectus non posset agere per se, nisi propter finem. 3. *Difficultas.*

Respondeo primò, quòd etsi obiectum non possit agere, nisi propter finem, inquantum amatum, & desideratum: posito tamen quòd talis finis actu non ametur, adhuc obiectum ageret ex necessitate naturæ talem, vel talem notitiam: cùm ipsa in essendo non dependeat à fine, vt à causa finali: quia vt sic habet esse tantùm secundùm quid: & non mouet, nisi tantùm metaphoricè, & nullo modo realiter, vt patebit infrà, *dist.* 1. *quæst.* 4.

Finis vt causa finalis non mouet, nisi metaphoricè.

Dico secundò, quòd etiam posito quòd non possit agere, nisi propter finem, tamen talis notitia secundùm rem nihil accipit à fine, vt à causa finali: patet, quia finis, qui est causa finalis, tantùm mouet efficiens, non causando aliquid in ipso efficiente: quia finem mouere efficiens nihil aliud est, nisi efficiens amare finem, propter quem finem amatum producit talem, vel talem effectum: vt patet à Doctore infrà, *dist.* 2. *quæst.* 1. Nec finis, & efficiens dicuntur causæ essentialiter ordinatæ: quia finis non est causa efficientis, & sic non potest argui, quòd quicquid est causa causæ, est causa causati: quia hoc valet in eodem genere causarum essentialiter ordinatarum.

Finem mouere efficiens, est efficiens finem amare.

Dico tertiò, secundùm aliquos, hîc exponentes Doctorem, quòd hîc loquitur de praxi, vt de fine, quia talis notitia non dependet à praxi vt à causa finali, nisi vt amato, & desiderato. Siue modò voluntas amet, siue non amet, adhuc talis notitia erit practica ab obiecto. Tum etiam, quia praxis est posterior notitia practica: & sic posset applicari litera sequens, scilicet, *Si dicas*, &c.

Vel potest dici quartò, quòd Doctor loquitur de supposito, producente notitiam practicam, & non de intellectu simpliciter, cùm actiones sint suppositorum: quia si tale suppositum, siue actu voluntatis amet finem, siue non amet, adhuc vnà cum obiecto potest producere notitiam practicam. Et sic potest applicari litera sequens de fine aptitudinali, secundùm quamlibet responsionem. Credo tamen, quòd duæ primæ responsiones sint efficaciores.

d *Si dicas, finis est aptus natus amari, antequam aptitudo ista insit cognitioni*, id est, posito, quòd finis, vt actu amatus sit posterior notitia practica, & per consequens, vt sic, non sit causa talis aptitudinis in notitia practica: tamen 4.

finis,

finis, vt est aptus amari, erit prior, & vt sic erit causa talis aptitudinis. Contrà, quia nihil dicitur causare, inquantum præcisè est aptum natum causare: non enim dicitur calor actu calefacere ex hoc solo, quòd est aptus natus calefacere: causa enim in actu simul est cum effectu in actu: & effectus nunquam est in actu, nisi causa sit in actu: vt patet per Philosophum 2. *Physic. text. com.* 37. & 5. *Metaph. cap. de Causa text. com.* 3. Cùm ergo finis non dicatur actu causa finalis, nisi inquantum est actu amatus ab efficiente, sequitur quòd talis aptitudo, siue entitas: cuius est talis aptitudo, non poterit esse à fine, vt apto nato amari: quia vt sic non ponitur causa actualis alicuius effectus.

e *Præterea, aut finis, vt elicitus extrà,* &c. Nota hoc argumentum, quia est multum efficax. Quia si isti dicant, quòd finis scientiæ faciat scientiam practicam. Iste finis potest considerari tripliciter. Vno modo, vt est elicitus, & productus extrà, & sic est posterior scientia practica; modò prius non potest dependere à posteriori in nullo genere causarum, vt patet. Aut iste finis accipitur, inquantum est intentus à producente scientiam practicam: puta inquantum amatus, & desideratus: & hoc improbatum est suprà, quia siue ametur, siue non, adhuc erit talis scientia. Aut tertio modo consideratur finis, vt cognitus ab intellectu: & sic habet rationem obiecti cognoscibilis. Et sic concedo, quòd obiectum circa quod est talis scientia, dicitur finis: & ab ipso fine, vt ab obiecto intelligibili, vnà cum intellectu, simpliciter dependet scientia practica: specificatur tamen ab obiecto, vt dixi suprà.

Argumẽtum multum efficax.

5. f Præterea si esse scientiam practicam, & ordinari ad praxim, vt ad finem conuertantur. (quia dixit Henricus quòd scientia dicitur practica, quia ordinatur ad praxim, vt ad finem, & per consequens scientiam ordinari ad praxim, vt ad finem, dicitur ipsam esse practicam.) ergo illa scientia, quæ non ordinatur ad praxim, vt ad finem, non erit practica: nec per consequens scientia moralis, quæ non ordinatur ad praxim, vt ad finem, maximè secundùm ipsum, qui vult, quòd respectu finis dicatur practica, vt patebit infrà. Cùm ergo scientia moralis habeat felicitatem pro fine, ad quem scientia practica non dirigit praxim, videlicet actum voluntatis, vt infrà patebit, sequitur, quòd scientia moralis non erit practica, quod est contra Philosophum *primo Ethic. cap.* 3. & 10. *cap.* 11. Posuit enim Philosophus felicitatem in sola speculatione substantiæ separatæ: vt patet 10. Ethic. cap. 10.

g *Si dicatur, quòd felicitas est,* &c. Diceret fortè Henricus quòd scientia moralis non dicitur practica ex hoc, quòd sit directiua voluntatis in felicitatem, cùm illa tantùm consistat in speculatione: sed dicitur practica ex hoc, quòd dirigit voluntatem, vt eligat actus virtutis, qui ordinantur ad felicitatem: sicut media ad finem, & sic dicitur practica ex hoc, quòd dirigit voluntatem circa media ad finem.

Contrà. Ad dirigere non ordinatur necessariò, &c. Sensus huius literæ est: Si enim notitiam esse directiuam aptitudinaliter in praxim, & esse practicam sunt penitus idem, tunc quæstio ita erit de notitia directiua, sicut de practica. Sicut enim quæritur à quo dicatur practica, ita quæritur à quo dicitur directiua; & ita probare notitiam esse practicam, quia directiua, est probare idem per idem. Sicut è contra probare notitiam, à quo habet vt si directiua, quia practica, est probare idem per idem. Et hoc intendit ibi:

h *Item. Dirigere est actus intellectus,* &c. Omnis enim actus directiuus, vel est causatiuus habitus prudentiæ (vt omnes actus præcedentes habitum prudentiæ) vel est effectus, suo modo, ipsius habitus prudentiæ, vt omnes actus directiui sequentes habitum prudentiæ: de quo magis patebit infrà *dist.* 17. & certum est, quòd omnis actus directiuus in praxim pertinet ad prudentiam. Aduerte tamen, quòd si ipse Henricus ponit ipsam *extensionem*, siue ipsum *dirigere*, quod idem est, esse praxim, quæ est actus voluntatis, quia extensio illa tantùm pertinet ad actum intellectus; hæc ratio tenet. Si verò acciperet ipsum *dirigere* pro actu intellectus; & praxim pro termino illius extensionis, siue directionis, qui terminus est actus voluntatis; non teneret ratio contra Henricum. Sed ex dictis Henrici videtur Doctor tenere primo modo, non secundo modo. Ideò ratio contra ipsum tenet. 6.

Dirigere est actus intellectus.

i *Ideò dicitur aliter, quòd finis scientiæ,* &c. Contra hoc arguit Doctor non negando, quòd actus virtutis sit praxis, cùm secundùm ipsum omnis actus virtutis appetitiuæ sit praxis: sed contra hoc arguit, quod dicit, quòd scientia practica ordinatur ad actum virtutis, tanquam ad finem: & arguit ibi:

Contrà: Non omnis cognitionis practicæ, finis est praxis, puta appetitus sensitiui visiua potentiæ, &c. vt cùm imperatur aliqua visio à voluntate, regulata à cognitione recta: *vel motiua potentiæ:* vt cùm imperatur aliquis motus progressiuus à voluntate regulata, à cognitione recta, vt motus ad Ecclesiam. Nullus autem actus potentiæ sensitiuæ est nobilior aliquo actu intellectus, vt patet: quia si potentia est essentialiter nobilior, & eius operatio erit essentialiter nobilior. Et dicit specialiter de actu potentiæ inferioris, quia de actu voluntatis patet ab ipso *in quarto dist.* 49. quòd est nobilior actu intellectus. De actu ergo potentiæ sensitiuæ loquitur. Potest enim esse actus virtutis in parte sensitiua, vt patet à Doctore *in* 3. *dist.* 33. & talis actus erit verè praxis: & certum est quòd erit ignobilior notitia intellectiua practica: modò nobilius non potest ordinari ad ignobilius, vt ad finem.

Actus virtutis esse potest in parte sensitiua.

Sed quia Doctor dicit, quòd nobilius non potest ordinari ad ignobilius, vt ad finem, propter hoc dictum, vt clariùs intelligatur, distinguo de *fine*. Nam primò accipitur *finis*, vt est causa finalis: & hîc potest accipi pro respectu, siue pro reuelatione causantis, & sic non est semper nobilior; vel pro fundamento illius: & tale fundamentum secundùm suam entitatem aliquando est nobilius efficiente, & effectu: vt quando volo aliquid propter Deum amatum, & desideratum. Aliquando æquè nobile, vt quando idem est simpliciter efficiens, & finis: vt quando Deus producit effectum propter semetipsum. Aliquando est nobilior efficiente, vt quando homo vult medicinam propter sanitatem amatam: homo enim in se est nobilior sanitate. Dico tamen, quòd vbi causa finalis est alia res ab efficiente, quem mouet ad agendum: quantum ad hoc est nobilior efficiente, distincto ab ipsa: quia mouet ipsum ad agendum. Nam mouens, vt huiusmodi est nobilius moto, vt huiusmodi. 7.

Finis dicitur multipliciter.

Finis nõ semper est nobilior efficiente.

Secundò accipitur *finis*, vt est perfectio ordinati 8.

nati ad finem, & hoc vt perfectio intrinseca: & hoc modo operationes potentiarum dicuntur fines illarum: *fines* dico perficientes ipsas, & sic intelligere est finis intellectus, & velle finis voluntatis, & videre finis potentiæ visiuæ, Et vbi talis finis distinguitur realiter à potentia secundùm suam entitatem, est ignobilior potentia (vt patet) tamen semper est nobilior, inquantum perficit potentiam: quia perficiens est semper nobilius perfectibili, vt sic. Potest etiam dici nobilius denominatione extrinseca, scilicet inquantum vnit potentiam nobilissimo obiecto, vt cognitio Dei. Et quantò nobiliori modo vnit, tantò nobilior, vt visio Dei in se. Licèt ergo homo in se sit nobilior fruitione, qua clarè fruitur Deo: tamen est ignobilior, inquantum perficitur ab ea accidentaliter: & inquantum vnitur per ipsam Deitati.

Finis potentiarum est actus secundus earum.

Homo potest dici nobilior, ignobilior fruitione Dei.

Tertiò accipitur *finis* terminatiuè: vt obiecta, quæ terminant operationes potentiarum: & talis inquantum simpliciter terminat; vt huiusmodi est nobilior re terminata, & fortè, quia vt dat operationi quandam perfectionem extrinsecam, quæ est, quòd vna intellectio potest dici nobilior alia: quia terminatur ad nobilius obiectum.

Quartò, accipitur pro illo, quod vltimatè quietat potentiam, & replet capacitatem illius: & sic dico, quòd talis finis in se aliquando est nobilior potentia: vt Deitas, quæ est ratio formalis quietandi. Aliquando est ignobilior, vt perfectissimus color, qui vltimatè quietat potentiam visiuam: & tamen est in se ignobilior illa: potest tamen dici nobilior inquantum quietans, & satians.

9\.

Finis est potẽtiam quietare.

Quintò, accipitur *finis* pro effectu causæ: sicut dicimus, finis efficientis est producere effectum sibi similem. Si efficiens est æquiuocum: finis est ignobilior. Si vniuocum, æquè nobilis.

Sextò accipitur finis, in respectu ad media ordinata ad acquisitionem illius: sicut virtus ordinatur ad beatitudinem, & potio ad sanitatem: & hoc modo respectu eiusdem medij dicetur nobilior, & ignobilior. Nam inquantum est id, ad quod ordinatur medium, est nobilior: sed inquantum producitur à tali medio, est ignobilior. In se autem, si medium est causa æquiuoca, est nobilior: si vniuoca est æquè nobilis. Similiter dico de virtute, respectu beatitudinis naturalis; ipsa enim beatitudo, cùm sit principaliter bonum commodi, est ignobilior virtute, quæ principaliter est bonum honesti. Hoc patet à Doctore *in 2. dist. 36. & in 4. dist. 46.* tamen est nobilior inquantum virtus ordinatur ad illam: & sic patet de fine. Licèt multa alia essent dicenda, sed pro nunc sufficiant ista. Certum est autem, quòd actus moralis in parte sensitiua nullo istorum modorum potest dici finis. Tota enim rectitudo in illo, dependet à rectitudine cognitionis practicæ.

Virtus nobilior est beatitudine: quia bonum honesti bono commodi præfertur.

k *Dicitur, quòd licèt intellectio sit, &c. Contra hoc dupliciter.* Hîc Doctor improbat hanc responsionem. Primò, quia falsum supponitur. Supponitur enim, quòd intellectio practica non possit esse bona moraliter. Nam ipsa notitia est rectitudo à qua dependet omnis actus moralis; & hoc diffusè patebit à Doctore infrà dist. 17. huius, & in dist. 7. & 40. & 42. & in tertio dist. 33. & in quarto dist. 14. & alibi sæpè.

Intellectio practica potest esse bona moraliter.

10\. *Confirmatur: quia prudentia est simpliciter nobilior virtute morali*, vt talis virtus est in appetitu sensitiuo: patet, quia & potentia intellectiua est simpliciter nobilior, ergo sicut habitus est nobilior formaliter alio habitu: ita & actus, siue præcedens habitum, siue sequens erit nobilior actu alterius habitus; ergo actus practicus etiam in *esse* moris erit simpliciter nobilior actu virtutis in parte sensitiua. An modò prudentia sit nobilior virtute morali, vt ponitur in voluntate non est præsentis speculationis: posset tamen absoluè dici, quòd virtus moralis in voluntate est simpliciter nobilior prudentia: licèt fortè secundùm quid posset dici ignobilior, pro quanto dicitur moralis: quia conformis prudentiæ, de hoc in isto primo dist. 17. & in quarto, dist. 49.

l *Ex hoc patet, quòd dictare secundùm prudentiam de fortiter agere*, id est, cognitio, quæ dictat de fortiter agere in potentia, supple, sensitiua, vt in potentia motiua, est simpliciter nobilior quàm fortiter agere: quia fortiter agere non est bonum moraliter, nisi pro quanto sit imperatum à voluntate, conformiter se habente illi cognitioni dictatiuæ de fortiter agere; & ideò actus perfectè moralis, & formaliter moralis est actus elicitus voluntatis: qui dicitur fomaliter moralis: quia primò conformiter elicitur cognitioni rectæ: quæ conformitas est ratio actus moralis, vt infrà patebit *dist. 16.* actus verò moralis in potentia sensitiua dicitur tantùm materialiter moralis: de quo patebit *in secundo dist. 42. & in tertio dist. 34. & in 4. dist. 14. & in Quodlib. dist. 17. & 18.* Et quia dicit Doctor quòd quando quæritur excellentia vnius ad alterum, non debet comparari optimum ad infimum, sed optimum ad optimum: fortè esset dubium an infima cogitatio sit formaliter nobilior in *esse* moris optimo actu morali in potentia sensitiua. De hoc aliàs erit sermo: non enim oportet hîc multùm immorari, cùm non sit præsentis speculationis.

Inter quæ debet fieri comparatio.

m *Secundò: responsio illa non videtur ad propositum.* Hîc Doctor improbat illam responsionem, in qua dicitur, quòd intellectio est nobilior in esse naturæ: non tamen in genere moris: quia quæritur vnde intellectio sit practica, id est, à quo habet, vt sit practica, non supponendo eam esse practicam: quia nec supponitur de ipsa potentia circunstantia, quæ est finis: sed illa circunstantia inquiritur: & per consequens cùm quæritur de cognitione practica, & prima circunstantia, à qua foret practica: ipsa tantùm accipitur in *esse* naturæ, id est, cùm quæritur, an intellectio talis dicatur practica: & si dicitur practica: à quo fine dicitur practica? patet quòd quando sic quæritur, tantùm quæritur de intellectione in *esse* naturæ, non autem de intellectione in *esse* moris. Si quæreretur, An intellectio in *esse* moris sit practica, & à quo fine sit practica, est quærere quod supponitur. Nam cùm dico notitia in *esse* moris, suppono ipsam esse practicam, & suppono circunstantiam finis, à qua dicatur practica. Sicut cùm dico: An volitio perfectè moralis sit propter finem? supponitur quod quæritur. Nam cùm dico, volitio perfectè moralis includit finem, vt primam circunstantiam, & sic est quærere quod supponitur. Distinguere enim intellectionem practicam in *esse* naturæ, & in *esse* moris, est præsupponere quod quæritur: quia cùm dicitur intellectio moralis, statim supponitur ipsam esse practicam: & vltrà est distinguere aliquid, prout consideratur præcisè sub alio membro distinctionis. Nam intellectio, vt practica 11.

ctica

ctica est moralis. Distinguere enim intellectionem practicam in esse necessariæ, & in esse moris: est distinguere illud, quòd præcisè consideratur sub vno extremo distinctionis. Huius enim distinctionis sunt duo extrema, scilicet in *esse* naturæ, & in *esse* moris: sed notitiam esse practicam, præcisè pertinet ad hoc extremum, quod est in esse moris: & sic patet litera.

Opinio Ioan. Rhoditon in prolog q.6. art.2. Varr. lib.1. q.4. n *Ideò corrigitur ista opinio ab aliis.* Hæc est opinio Ioan. Rhoditon. qui dicit, quòd habitus dicitur practicus à fine: qui est consideratio practica, id est, quòd habitus practicus, causatus ex frequentatis actibus, dicitur practicus à consideratione actuali practica.

o *Sed contra illud.* Hîc Doctor arguit contra hanc positionem: quia eadem est quæstio de consideratione practica, quæ & de habitu practico. Quærit modò Doctor à quo talis consideratio dicatur practica: aut à fine illius considerationis: & hoc improbatum est suprà; aut ab obiecto, & habetur intentum.

12. *Alfons. Tol.* Alfonsus Tol. in prolog. quæst. 10. respondet ad rationes Doctoris, quibus probat, quòd habitus practicus dicatur practicus, non à fine, sed ab obiecto. Et primò negat, quòd habitus practicus dicatur formaliter practicus illo duplici respectu, prioritatis videlicet, & conformitatis aptitudinalis. Dicit enim quòd habitus practicus, inquantum practicus est actiuus, vel factiuus: sed nulla relatio est principium actiuum, vel factiuum, &c.

Responsio. Dico quòd quando Aristoteles diuidit habitum practicum in actiuum, & factiuum: non intelligit, quòd actiuus sit verè principium alicuius operationis: sed sic intelligit, quòd habitus practicus actiuus, ideò dicitur actiuus, quia dirigit in operationem, quæ manet in operante, puta in volitione aliqua, quæ manet in voluntate eliciente illam, & dicitur factiuus eo, quòd dirigit in opus non receptum in agente, sed in passo extrinseco: sicut habitus practicus dirigit, puta ad nauem fabricandam. Dico secundò, quòd posito, quòd habitus practicus actiuus sit principium alicuius operationis, saltem partiale: puta alicuius actus voluntatis, non tamen dicitur actiuus, inquantum practicus formaliter: quia tunc relatio esset principium operationis realis: sed benè inquantum est quædam qualitas absoluta, cui inest illa aptitudo prioritatis, & conformitatis, esset actiua saltem partialiter, & hoc sufficit. Non enim habitus practicus, inquantum practicus est principium alicuius operationis realis: vt ly *inquantum* accipitur reduplicatiuè: quia tunc notaretur quòd ratio formalis practici, quæ est illa aptitudo, &c. esset causa inhærentiæ huius prædicati: videlicet quòd est principium actiuum ad subiectum: quod est falsum. Sed benè concedimus (sustinendo opinionem quòd cognitio actualis sit partialis causa actus voluntatis, vt dixi suprà) quòd habitus, vel actus practicus, vt est quædam qualitas absoluta, sit principium, &c.

Deinde respondet ad primum argumentum, 13. quod facit Doctor probando, quòd talis aptitudo insit habitui practico ab obiecto, vt à causa efficiente: vt ibi exposui. Et concedit, quòd talis aptitudo, id est, habitui per aliquam conditionem intrinsecam ipsius habitus: & quòd effectiuè est ab obiecto. Prima tamen causa est causa finalis, à qua denominatur practicus. Et in hoc parum discrepat (vt credo) ab opinione Doctoris, vt suprà exposui. Si tamen intelligat quòd præcisè dicatur practicus à fine: tunc habet respondere ad argumenta Doctoris, quæ relinquit insoluta, & iudicio meo solui non possunt.

Item Ioan. Tholosanus dictus Capreolus, nititur in q.2. prolog. soluere argumenta Doctoris, *Capreolus.* & tantùm respondet ad aliqua dicta Doctoris, sed minimè rationes principales euacuat: immò, nec tangit. Dicit enim quòd prioritas aptitudinalis, & conformitas de qua suprà: non sufficiunt ad hoc, vt habitus sit simpliciter practicus: sed requiritur, quòd ordinetur habitualiter ad finem: qui sit operatio extra intellectum per voluntaté proponentem operari per talem habitum. Sed (vt patet ex *Solutio rationum.* supradictis) hæc solutio non euacuat rationes Doctoris. Et quia ex dictis suprà facillimè respõdetur, ad dicta Capreoli, breuitatis causâ transeo.

SCHOLIVM.

Resoluit Doctor tria. Primum, habitum non esse primò practicum à suo actu, quia quandoque principia practica sumuntur à fine praxis, qui est causa prior. Secundum, cognitionem non esse practicam, quia ordinatur ad praxim, vt ad finem, quia finis talem aptitudinem, vt est obiectum includens principia, & mediantibus illis, conclusiones. Præterea, finis nullam dat extensionem, vel aptitudinem, nisi vt amatus: sed priusquam ametur includit talia principia. Tertiò, quidquid aliud includeret notitiam illam virtualiter, daret illam conformitatem, etiamsi finis non esset. Tertium, non etiam esse practicam, quandoque à fine, quà obiectum est, patet ex rationibus iam allatis.

Concedo ergo [a], quòd habitus non dicitur primò practicus ab actu proprio, quia ille est practicus à causa priore: nec cognitio aliqua habitualis, vel actualis est per se practica, quia ordinatur ad praxim, vt ad finem. Potest tamen quandoque habere primam extensionem, scilicet conformitatem ad praxim, à fine ipsius praxis: non tamen inquantum est finis, sed inquantum est primum obiectum. Primum patet, quandoque enim prima principia practica sumuntur à fine praxis, & ita ille finis, & causa prima in genere isto, includit virtualiter totam notitiam: & ita ipsa notitia, habet quiditatem suam, & aptitudinem ab illo fine. 13.

Secundum [b] patet. Ideò enim finis praxis dat talem aptitudinem, siue naturam habentem talem aptitudinem, quia vt obiectum primum includit principia, & mediantibus illis conclusiones, & ita totam notitiam practicam: non autem inquantum finis.

Tum

Tum quia à fine, vt finis eſt, nulla natura, vel aptitudo naturalis habetur, niſi vt amato, & deſiderato, & ſic mouente efficiens. Priùs autem natura quàm ametur, includit talia principia, & concluſiones: veritas enim principij practici neceſſarij non dependet à voluntate, magis quàm ſpeculatiui, nec concluſiones neceſſariò illatæ ex tali principio. Tum quia quodcunque aliud includeret virtualiter talem notitiam. Eodem modo daret notitiæ conformitatem talem, puta, ſi ipſa praxis includeret primò in genere iſto talem notitiam, vel illud circa quod eſt talis operatio, ſicut quandoque contingit, ſicut fuit tactum in reſponſione ad tertium argumentum in quæſtione prima de ſubiecto Theologiæ. Homo enim fortè eſt ſubiectum tam moralis ſcientiæ, quàm Medicinæ, non autem felicitas, vel ſanitas: quia vtriuſque finis ratio includitur in ratione illius, circa quod eſt praxis.

Homo eſt ſubiectum moralis Philoſoph. quoad animam, & eſt ſubiectum medicinæ quoad corpus, eſt etiã finis, quia amatur amore amicitiæ, & concupiſcẽtiæ. Actus triplex. In materia de virtutibus, & in 2. diſt. 7. & 40. & in quodl. q. 18. & infrà d. 17. primi.

Si dicatur [c], quòd principia prima practica ſemper ſumuntur à fine: ergo ſemper finis primò includit virtualiter notitiam eorum. Si concederetur conſequens, tamen ſtaret quòd non inquantum finis, ſed inquantum eſt obiectum. Et tunc poſſet dici, quòd homo eſt finis, tam ſanitatis, quàm felicitatis naturalis, vt tangitur in reſponſione prædicta, ſed taliter non eſt finis proximus praxis. Quòd ſi negaretur conſequens, negandum eſſet antecedens vniuerſaliter ſumptum, quod particulariter eſt verum, vbi ſcilicet ratio finis non concluditur ex aliquo pertinente ad cognitionem practicam.

Vel aliter poſſet exponi antecedens ſic; prima principia, &c. verum eſt inter illa, quæ ſumuntur ex circunſtantiis moralibus præſuppoſito actu bono ſecundùm genus: quia ſic obiectum non eſt circunſtantia. Alio modo accipiendo actum nudè, & ſic etiam obiectum eſt circunſtantia. Et ex iſto videtur antecedens improbatum. A quo enim ſumitur prima circunſtantia actus nudè conſiderati, videtur eſſe prius quocunque alio: & ita obiectum, à quo ſpecificatur primò actus, vt dicatur bonus ex genere circunſtantionabilis vlterius aliis circunſtantiis, vt ſit plenè moralis, videtur omnino primum in cognitione practica De hoc non oportet modò proſequi, an concludat, vel non: quia in tertio libro habet locum.

Breuiter ergo ad hunc articulum dico, quòd ſcientia practica non habet primam extenſionem ſibi competentem à fine, inquantum finis, propter rationes primò adductus.

COMMENTARIVS.

I. Opinio Doctoris à quo ſcientia dicatur practica.

a Concedo ergo, *quòd habitus non dicitur primò practicus*, &c. Hîc Doctor intendit oſtendere, quòd habitus practicus, dicitur practicus à fine ipſius praxis, non tamen inquantum eſt finis: ſed inquantum eſt primum obiectum. Primum patet, videlicet quòd dicatur practicus à fine. Et ſimiliter ſecundum patet, quòd dicitur practicus à fine, non inquantum finis, ſed inquantum obiectum, vt ſuprà declaraui.

Et vt clariùs hoc intelligatur pono exemplum, quomodo à fine ſumuntur principia practica & concluſiones; & multa ordinata ad finem acquirendum. Deus, qui eſt finis vltimus hominis, attingibilis per operationem, virtualiter continet hoc prædicatum, quod eſt *diligibilis ſuper omnia:* continet dico, puta per rationem formalem ipſius Dei, tunc ſic, ens infinitum eſt ſuper omnia diligibile. Deus eſt huiuſmodi, ergo. Cognitio entis infiniti eſt verè practica, vt infrà patebit, & cognitio huius principij. *Ens infinitum, eſt ſuper omnia diligibile*, eſt verè practica, & ſimiliter cognitio concluſionis deductæ: qua cognoſco Deum eſſe ſuper omnia diligibilem, eſt verè practica, quia directiua in praxim; puta in amorem ipſius Dei.

Cognitio principiorum concluſionũque practicabilium à fine ſumũtur.

Ex iſta concluſione multa alia poſſunt ſequi: vt puta, *ergo eſt ei obtemperandum, ergo eſt laudandus, & honorandus*, & huiuſmodi. Et cognitio horum ſequentium dicitur verè practica, quia eſt directiua in praxim, & ſic patet, quomodo cognitio principiorum & concluſionum practicabilium ſumitur ab ipſo fine: ſic vt talis finis virtualiter includit notitiam tam principiorum, quàm concluſionum, & ſequentium ab illis.

2. Vel ponatur aliud exemplum in ſcientia morali, quæ eſt verè practica. Nam finis ſcientiæ moralis eſt felicitas naturalis: & ſic notitia principiorum practicabilium in ſcientia morali, ſumitur à felicitate naturali, ita quòd felicitas naturalis, vel notitia eiuſdem virtualiter includit notitiam principiorum practicabilium, & concluſionum, & omnium deducendorum ex principiis, & concluſionibus in tota ſcientia morali; & hoc ſi talis finis non contineatur virtualiter in ſubiecto ſcientiæ moralis, quia ſi ibi virtualiter contineretur, tunc per rationem ſubiecti continentis, concluderetur finis ille in tali ſcientia: & ſic ab ipſo ſumerentur omnia principia practica, & concluſiones practicæ in tali ſcientia: vt infrà patebit præſenti quæſtione.

b *Secundum patet*, ſcilicet, quòd ſcientia practica ſumatur à fine vt habet rationem obiecti: non tamen accipitur à fine vt habet præcisè rationem finis: ſiue vt habet rationem cauſæ finalis. Nunc Doctor probat ſecundum principale, videlicet quòd principia practica, & concluſiones etſi ſumuntur à fine, non tamen à fine inquantum finis, ſed à fine, inquantum obiectum. Exemplum. Principia practica in ſcientia morali, ſumuntur à felicitate naturali, qui eſt finis ſcientiæ moralis,

moralis, sed non sumuntur ab ipsa, inquantum est finis, siue inquantum est causa finalis, quia vt sic, non dicitur finis, nisi inquantum amata, & desiderata à voluntate: sed siue voluntas amet illam, siue non amet, adhuc notitia principiorum practicabilium, potest accipi à felicitate, quia felicitas vt præsens intellectui, virtualiter includit notitiam talium principiorum. Nam vt causa partialis, concurrente intellectu, vt alia causa partiali, talem causat notitiam principiorum, dando ei aptitudinem, de qua suprà dixi.

3. Nunc expono literam cùm dicit: *Ideò* enim finis praxis dat talem aptitudinem, siue naturam habentem talem aptitudinem: puta felicitas ideò causat talem naturam, id est, talem notitiam habentem talem aptitudinem, puta prioritatis, & conformitatis. Sequitur, *Quia vt obiectum primum includit principia*, id est, quia ipsa felicitas in ratione primi obiecti intelligibilis, virtualiter includit principia practica in scientia morali. Sequitur, *Non autem inquantum finis*, id est, quòd felicitas naturalis in scientia morali, non includit principia practica, siue notitiam principiorum, inquantum finis: supple inquantum causa finalis, vt amata, & desiderata à voluntate: & patet, quia priusquam ametur à voluntate, includit notitiam talium principiorum.

Tum, quia quodcunque, &c. Probat enim Doctor quòd finis in ratione obiecti, continens virtualiter notitiam talium principiorum: puta felicitas naturalis continens virtualiter notitiam principiorum in scientia morali, dat tali notitiæ, quòd sit directiua in praxim: & quòd det ex hoc quòd continet virtualiter probat, quia si aliud à felicitate virtualiter contineret notitiam principiorum in scientia morali, daret tali notitiæ directiuitatem in praxim, ergo similiter & finis continens virtualiter huiusmodi notitiam.

4. *Puta si ipsa praxis includeret primò in genere isto talem notitiam, vel illud circa quod est talis operatio*, puta obiectum circa quod est operatio. Sequitur,

Homo quomodo dicatur subiectũ medicinæ & scientiæ moralis.

Homo enim fortè est subiectum tam moralis scientiæ quàm medicinæ, non autem felicitas, vel sanitas, id est, quòd respectu medicinæ, homo quantum ad corpus est subiectum medicinæ; quia virtualiter continet notitiam eorum quæ in medicina considerantur. Nam per corpus humanum, sic, vel sic mixtum concluditur talis, vel talis sanitas. Et sic ratio sanitatis, vel notitia eiusdem, virtualiter continetur in corpore humano. Similiter homo, quantum ad animam, fortè est subiectum scientiæ moralis, quia virtualiter continet notitiam eorum, quæ in scientia morali considerantur, & etiam fin s scientiæ moralis concluditur per rationem hominis, quoad animam: quia enim homo viuit animâ intellectiuâ, ideò ratione animæ congruit sibi talis, vel talis felicitas. Et sic ratio finis vtriusque, id est, scientiæ moralis, & medicinæ includitur in ratione illius circa quod est praxis, scilicet in ratione hominis, circa quem, siue propter quem elicitur vltimatè praxis: ita quòd respectu scientiæ moralis duplex est finis, scilicet proximus, & remotus. Proximus est felicitas naturalis, propter quam homo elicit actum virtutis. Finis verò remotus, est ipse homo, ad quem vltimatè ordinatur ipsa felicitas, vt suprà patuit in quæstione de subiecto Theologiæ. Similiter respectu medicinæ duplex est *finis*, proximus vt sanitas: remotus, vt homo.

Finis proximus, & remotus.

c *Si dicatur quòd principia prima practica semper sumuntur à fine*, &c. Et quia Doctor videtur declinare ad hoc, quòd notitia principiorum, & conclusionum practicabilium in aliqua scientia, non sumitur semper à fine talis scientiæ, sed aliquando à subiecto illius, vt patet de medicina, & scientia morali, & per consequens finis in tali scientia non includit virtualiter notitiam talium principiorum: ideò hîc arguit quòd finis scientiæ practicæ includat virtualiter notitiam principiorum, & conclusionum practicabilium, & arguit sic: Prima principia practica semper sumuntur à fine, ergo semper finis primò includit virtualiter notitiam principiorum. 5.

Respondet ibi: *Si concederetur consequens.* Dicit quòd potest concedi consequens, & antecedens: videlicet, quòd prima principia virtualiter includuntur in ipso fine, non in ratione finis, sed in ratione obiecti, & tunc respondet tacitæ obiectioni, quia dictum est parum suprà, quòd homo quantùm ad animam virtualiter continet notitiam principiorum, & conclusionum in scientia morali, ergo finis scientiæ moralis, cuiusmodi est felicitas, non continet talem notitiam. Dicit quòd finis continet, & si non proximus, saltem remotus, & sic homo in scientia morali dicitur finis remotus, & continet non in ratione finis, vt dixi, siue inquantum finis, sed in ratione obiecti, siue inquantum obiectum.

Quia si negaretur consequens, scilicet hoc, ergo semper finis primò includit virtualiter notitiam eorum. 6.

Negandum esset antecedens vni ersaliter sumptum, scilicet hoc: Prima principia practica semper sumuntur à fine.

Quod particulariter est verum: vbi scilicet ratio finis, non concluditur ex aliquo pertinente ad cognitionem practicam.

Sensus huius literæ est: Si teneatur, quòd principia practica, sumantur à fine scientiæ practicæ, loquendo de fine praxis proximo, & non remoto. Dicit Doctor quòd hoc antecedens, est particulariter verum, quando scilicet ratio illius finis non includitur virtualiter in aliquo pertinente ad cognitionem practicam, sicut patet in exemplo priùs posito. Principia enim practica in scientia morali non sumuntur primò à fine proximo illius scientiæ, puta à felicitate naturali: sed sumuntur ab ipso homine, quo ad animam, quia notitia talis finis proximi virtualiter includitur in ipso homine, & per consequens scientia moralis practica, concluditur ex ratione hominis. Vbi verò finis scientiæ practicæ non continetur virtualiter in aliquo pertinente ad scientiam practicam, tunc principia practica in tali scientia sumuntur à tali fine. Et ideò hoc antecedens est tantùm particulariter verum: quòd principia practica sumuntur à fine, quando scilicet talis finis, non includitur virtualiter in aliquo alio pertinente ad scientiam practicam. Et sicut antecedens est particulariter verum, ita & consequens.

Vel aliter posset exponi antecedens sic: Prima principia practica semper sumuntur à fine, &c. Pro intelligentia huius literæ pono exemplum de actu nudo, & circunstantionato, & accipio istam propositionem: *Bonum est diligendum.* Dilectio boni potest considerari nudè, vt scilicet est 7.

Actus nudus quid.
Actus circũstantionatus.

est tantùm quædam dilectio, non considerando super quod obiectum transeat. Secundò, talis dilectio potest circunstantionari circunstantia obiecti: quod fit quando transit super debitum obiectum: puta super bonum: & sic dicitur bona circunstantia ex genere. Si verò transiret super malum, diceretur mala ex circunstantia ex genere: quia transit super obiectum indebitum. Et de hoc vide prolixè *in secundo distinct. 7. & in Quodlib. quæst. 8.* Tertiò, talis dilectio, quæ est bona ex genere, debet circunstantionari circunstantia finis; quæ est prima inter omnes circunstantias, præsupposita circunstantia ex genere, vt patet à Doctore *in 2. dist. 40.* Et sic vlteriùs talis dilectio potest circunstantionari aliis circunstantiis, puta circunstantia causæ, loci, temporis, modi, &c. Dicit ergo Doctor quòd cognitio, siue notitia præcedens dilectionem vt praxim, si talis cognitio dictat absolutè dilectionem esse eliciendam: talis cognitio non est propriè practica: quia nec talis dilectio est propriè praxis. Si verò dictat dilectionem ex genere: tunc dicitur practica; quia directiua in praxim, puta in dilectionem transeuntem super debitum obiectum. Et quòd sic dictet, habet ab obiecto super quod transit talis dilectio. Si verò dictet bonum esse diligendum propter Deum: ita quòd dictet de circunstantia finis, tunc rectitudo illius notitiæ erit à fine. Et hoc est quod dicit Doctor hîc.

8. *Expositio literæ.* Expono tamen aliqualiter literam. Cùm dicit, *Prima principia practica sumuntur à fine:* verum est inter illa quæ sumuntur ex circunstantiis moralibus, præsupposita circunstantia ex genere, id est, quòd illa principia practica, siue cognitio talium principiorum, quæ dictat praxim esse eliciendam cum aliis circunstantiis, præter circunstantiam ex genere: quòd talis cognitio semper sumitur à fine. Nam præsupposita circunstantia ex genere, quæ est circunstantia obiecti debiti: prima circunstantia, saltem primitate perfectionis, & intentionis, est circunstantia finis: loquendo ergo de actu bono secundùm genus, sic obiectum est circunstantia, imò prima circunstantia. Sed præsupposita ista circunstantia, & loquendo de aliis circunstantiis, obiectum non est circunstantia: vt patet. Sequitur, *alio modo accipiendo actum nudè sic obiectum est circunstantia*, id est, quòd actus vt nudè consideratus, est primo circunstantionabilis circunstantia obiecti, ista enim est simpliciter prima, & necessariò præsupponitur omnibus aliis; si enim actus non transiret super debitum obiectum, nunquam posset esse perfectè moralis, quacunque alia circunstantia posita.

Ex hoc videtur antecedens improbatum, videlicet quòd principia practica: siue cognitio talium semper sumitur à fine: patet hoc esse falsum, quando cognitio simpliciter dictat de prima circunstantia, quæ est circunstantia obiecti, talis enim cognitio sumitur ab obiecto: quia obiectum dicitur priùs quocunque alio: & per consequens prima dictatio est à circunstantia obiecti: obiectum enim causans partialiter talem notitiam, dat ei illam aptitudinem ad reuelandum de prima circunstantia: & patet litera.

SCHOLIVM.

Quoad secundam quæstionem positam num. 2. tenet cognitionem non dici practicam ex ordine ad praxim, vt ad finem, sed habet relationem conformitatis, seu rectitudinem ab obiecto, & relationem prioritatis ex ordine potentiarum, & quòd cognitio conformis sit prior, habet simul ex ordine potentiarum, ex obiecto, & ratione potentiæ practicantis (id est, voluntatis aliunde regulabilis:) nam si obiectum determinet ad cognitionem rectitudinis priùs naturaliter, quàm voluntas velit, & hæc sit regulabilis, illa cognitio præcedit praxim, & iuxta eam dirigenda est. Quòd si rectitudo illius cognitionis dependeat ab actu voluntatis, erit contingenter practica, potens non esse recta, sed erit necessariò determinatiua rectitudinis illi voluntati, à qua non dependet, vt in exemplo de colendo Deum in Eucharistia.

14. *Relatio duplex, prioritatis, & conformitatis.* EX hoc patet [a] solutio secundæ quæstionis propositæ, cuius teneo partem negatiuam: sed primam relationem, scilicet conformitatem habet per se ab obiecto, quod vel est rectitudo praxis, vel aliquid virtualiter includens ipsam rectitudinem: & ideò cognitioni illi praxis est conformabilis, vt sit recta, quia cognitio est talis cogniti.

Sed de [b] alia relatione, scilicet de prioritate, est dubium, vnde conueniat cognitioni. Dico quòd praxim necessariò naturaliter præcedit aliqua cognitio, sicut patet *ex 1. art.* & secundùm hoc, praxi conuenit posterioritas, & cognitioni prioritas, ex ratione potentiarum ordinatarum naturaliter in agendo, scilicet intellectus & voluntatis. *Quando intellectio dicatur practica?* Sed non semper ista intellectio prior est practica, sed tantùm quando est determinatiua rectitudinis respectu ipsius praxis: & hoc vel formaliter, vel virtualiter. Quando autem in apprehensione præuia nulla est determinatio formalis, vel virtualis de rectitudine praxis; licèt ibi sit prioritas, tamen tunc deficit conformitas: quia ipsa non est cui debeat praxis conformari, vt sit recta, quia nihil determinatè ostendit de rectitudine praxis. Quando [c] etiam in apprehensione præuia est determinatio de rectitudine praxis, sed potentia, cuius est praxis, non est aliquo modo determinabilis aliunde; tunc illa cognitio, licèt determinatiua, non est conformatiua praxis: & ideò non habet conformitatem priorem in ratione regulæ dirigentis, nec sic est plenè practica.

Vnde habet cognitio, quòd sit prior praxi? Potest igitur dici [d], quòd licèt absolutè ex natura intellectus & voluntatis sit cognitio prior: tamen quòd cognitio conformis sit prior, hoc est simul ex obiecto, & ordine

dine potentiarum, & ratione potentiæ sic practicantis, scilicet voluntatis, quæ sit aliquo modo regulabilis aliunde. Nam si obiectum determinet intellectum ad cognitionem rectitudinis, priùs naturaliter quàm voluntas velit, & voluntas sit aliquo modo regulabilis aliunde; non tantùm apprehensio præcedit praxim, sed apprehensio conformis. Hoc autem accidit quandocunque determinata rectitudo praxis est cognoscibile necessarium, siue vt principium per intellectum, siue vt conclusio per scientiam.

Hæc autem, quæ iam dicta sunt, de hoc videlicet, vnde duplex relatio, scilicet conformitatis, & prioritatis conueniat notitiæ practicæ, intelligantur generaliter, nisi oporteat pro intellectu diuino aliquid addere, videlicet, quòd potentia practicans, cuius praxi notitia conformis est, prior sit aliquo modo determinabilis aliunde, siue alij tanquam regulæ conformabilis in agendo. Quod an requiratur ad talem notitiam, vel non, tangetur in responsione ad quartam obiectionem, quæ fit contra solutionem quæstionis principalis. ADDITIO.

Quando [c] autem rectitudo determinata contingenter conuenit praxi, tunc non est obiectum aliquod determinans intellectum ad cognitionem rectitudinis determinatæ, antequam voluntas velit: & hoc loquendo de intellectu, & voluntate in communi. Nam illud contingens non determinatur ad alteram partem, ante omnem actum voluntatis. Comparando tamen in speciali ad intellectum hunc, & voluntatem hanc istam praxim potest præcedere cognitio conformis, quam præcedit cognitio determinatiua rectitudinis: & quam non, non. Non potest autem præcedere in omni intelligente, sed in illo solo, cuius voluntas non est primò determinans rectitudinem illi praxi. Exemplum prædictorum, rectitudo huius praxis, *amare Deum*, recta est, & necessaria, & includitur virtualiter in ratione Dei Hanc praxim in quocunque, non tantùm nata est præcedere simpliciter apprehensio, sed etiam conformis apprehensio, cui scilicet praxis est conformanda, vt sit recta. 15.

Rectitudo contingens cõuenit praxi, quando depẽdet cognitio præuia ab actu voluntatis, quo secluso, non esset determinatiua rectitudinis.

Ex obiecto igitur, quod est primò ex se determinatiuum intellectus ad notitiam rectitudinis determinatæ ipsius praxis, & ex ordine intellectus & voluntatis in operando, habetur hæc notitia prior praxi & conformis, & ita in qualibet alia, cui conuenit necessariò rectitudo determinata. Sed rectitudo huius praxis, scilicet *colere Deum in sacrificio altaris*, est contingens, quandoque enim est actus rectus, vt modò, quandoque non, vt in veteri Testamento. Ideò non est aliquod obiectum determinatiuum intellectus ad notitiam huius rectitudinis ante omnem actum voluntatis, & ideò nec ista præcedit vt conformis, omnem actum voluntatis, alicuius tamen præcedit, puta illius solius, quæ non primò determinat rectitudinem huic praxi, qualis est voluntas humana: hæc enim rectitudo determinatur à voluntate diuina acceptante nunc talem cultum, & aliàs non.

COMMENTAIVS.

1. a EX *hoc patet solutio secundæ quæstionis propositæ, cuius teneo partem negatiuam*: videlicet, quòd scientia practica non sumitur à fine, inquantum finis: vt suprà patuit. Sequitur, *Sed primam relationem, scilicet conformitatem, habet per se ab obiecto, quod vel est rectitudo praxis* (supple formaliter) *vel aliquid virtualiter includens ipsam rectitudinem.* Nam propriè loquendo de cognitione practica, quæ est notitia conclusionis practicæ, habet duplex obiectum, scilicet complexum, & incomplexum. Complexum est ipsa conclusio. Incomplexum est subiectum conclusionis. Et sic conclusio, puta ista, *ergo proximus est diligendus*; potest dici rectitudo formaliter, quia notitia quæ immediatè terminatur ad illam conclusionem, dicitur directiua praxis, & obiectum dicitur rectitudo virtualiter, quia virtualiter continet huiusmodi notitiam: & dicitur formaliter rectitudo; quia terminatur ad conclusionem: ita quòd non dependet à conclusione, nec in *esse*, nec in *fieri*, sed tantùm formaliter terminatur ad ipsam: quia verò talis notitia virtualiter continetur in obiecto: sequitur quòd erit virtualiter rectitudo. Est enim talis notitia formaliter recta, cùm talis rectitudo sit formaliter in tali notitia, & formaliter denominet ipsam, sed dicitur virtualiter rectitudo, quia talis rectitudo est ab obiecto partialiter causante talem notitiam, & rectitudinem eius.

Obiectũ complexum, obiectum incomplexum.

2. *Et ideò cognitioni illi*, (quæ supple est recta, vel virtualiter, vel formaliter,) *praxis est conformabilis, vt sit recta*; *quia cognitio est talis cogniti*, supple cognitio dicitur formaliter rectitudo, quia est talis cogniti, puta conclusionis cognitæ, vel virtualiter rectitudo, quia talis obiecti cogniti, quod virtualiter continet huiusmodi notitiam, & rectitudinem eius.

b *Sed de alia relatione*, &c. Dicit Doctor quòd quamuis rectitudo notitiæ practicæ sit ab obiecto, aptitudo tamen prioritatis non videtur esse ab obiecto, sed magis ex ordine potentiarum, quia voluntas non potest elicere praxim, nisi præsupponat cognitionem directiuam.

Sed non semper ista intellectio, &c. Dicit Doctor, quòd non omnis intellectio, quæ est prior praxi elicienda, dicitur verè practica, sed tantùm illa intellectio, quæ est directiua in praxim, siue illa intellectio, quæ est rectitudo praxis, siue virtualiter, vt suprà dixi.

3. c *Quando etiam in apprehensione præuia est determinatio*, &c. Dicit Doctor quòd loquendo de notitia propriè practica, requirit has conditiones, scilicet quòd sit prior praxi; secundò

Tres conditiones cognitionis practicæ.

quòd ex se sit conformatiua, & directiua in praxim: & tertiò, quòd respiciat voluntatem: quæ est apta nata determinari, & dirigi à tali notitia respectu praxis. Et hoc ideò dicit Doctor, fortè respectu voluntatis diuinæ: quia etsi aliqua cognitio in intellectu diuino sit prior praxi, & quantum est ex parte sua sit directiua praxis: fortè tamen voluntas diuina, non est determinabilis, nec dirigibilis: & sic talis notitia, non diceretur plenè practica.

d *Potest igitur dici, quòd licèt absolutè ex natura intellectus, & voluntatis sit cognitio prior, tamen quòd cognitio conformis sit prior: hoc est simul ex obiecto, & ordine potentiarum.* Nam ex ordine potentiarum habet, quòd dicatur prior conformatiua: & quòd sit verè conformatiua: hoc habet ab obiecto, & tertiò quòd dicatur verè conformatiua ex ratione potentiæ sic practicantis, scilicet voluntatis: quæ sit aliquo modo regulabilis aliunde.

4. *Hoc autem accidit, quandocunque determinata rectitudo praxis, est cognoscibile necessarium,* &c. Cognoscibilia practica, & necessaria, sunt complexa necessaria: & istorum quædam sunt principia per se nota: quædam sunt conclusiones. Exemplum primi. *Summum bonum est super omnia diligendum.* Exemplum secundi. *Ergo Deus est summè diligendus:* & hæc cognitio dicitur practica respectu alicuius principij practici per se noti necessarij, vel conclusionis practicæ necessariæ. Sed cognitio principiorum dicitur intellectus, vt patet 1. *Post.* Cognitio verò conclusionis dicitur scientia: vt patet ibidem.

Nota de rectitudine praxis.

e *Quando autem rectitudo determinata, contingenter conuenit praxi.* Hæc litera stat in duobus dictis, vel in tribus. Primum quòd aliqua rectitudo conuenit praxi necessariò: sic intelligendo, quòd talis notitia, vndecunque sit causata, de necessitate est recta: vt notitia huius. *Bonum est diligendum:* siue *Deus est diligendus*, dicitur necessariò recta: quia stante tali notitia pro quocunque tempore, sic necessariò est recta, quòd praxis conformiter elicita erit necessariò recta: & hoc contingit quòd sit necessariò recta, quando talis rectitudo causatur ab obiecto: siue à fine inquantum habet rationem obiecti, tale enim obiectum causans talem notitiam, necessariò causat talem rectitudinem.

5. Secundum dictum, quòd rectitudo scientiæ practicæ, aliquando dicitur contingens: quia talis rectitudo potest inesse, & non inesse: & hoc contingit, quando rectitudo illa non est ab obiecto: sed ab aliqua voluntate sic contingenter determinante. Exemplum cognosco quòd adultera rectè debet lapidari, quia hoc est statutum à legislatore: talis notitia dicitur esse recta ex hoc quòd dictat conformiter legislatori: non tamen necessariò recta: patet, quia si legislator statueret adulteram non esse lapidandam, cognitio dictans ipsam esse lapidandam, non esset recta. Breuiter ergo dico, quòd omnis rectitudo, quæ est à voluntate determinante contingenter dicitur contingens.

Ex his elicio duo corollaria. Primum quòd notitia practica, quæ dictat obseruantiam præceptorum primæ tabulæ, est necessariò recta: quia illa rectitudo sumitur ab vltimo fine inquantum habet rationem obiecti. Et ideò Doctor *in tertio dist.* 37. dicit quòd Deus, non potest dispensare contra principia practica per se nota: nec contra conclusiones deductas ex talibus principiis: & sic præcepta primæ tabulæ sunt de lege naturæ propriissimè sumpta, vide ibi. *Primum corollarium.* *Præcepta primæ tabulæ sunt de lege naturæ.*

Secundum est, quòd notitia practica circa omnia præcepta secundæ tabulæ non est de necessitate recta: quia talis notitia sic recta non sumitur ab obiecto necessariò sic causante: sed à voluntate diuina, contingenter dante talem rectitudinem. Ideò enim obseruantia præceptorum secundæ tabulæ dicitur recta, quia sic determinatum à voluntate diuina: & si contrarium determinasset, talis notitia non diceretur recta.

Tertium est quòd notitia, puta præceptorum secundæ tabulæ, dicitur recta contingenter, & determinatiua praxis, & hoc loquendo de intellectu in communi, & voluntate in communi: quia hoc non est verum de quocunque intellectu, & de quacunque voluntate. Nam talis notitia, vt est in intellectu humano, dicitur recta, & conformatiua praxis eliciendæ à voluntate in eodem supposito: vt verò talis notitia est in intellectu diuino, non dicitur directiua voluntatis diuinæ in praxim eliciendam ab ipsa: patet, quia tota rectitudo præceptorum secundæ tabulæ est à determinatione diuinæ voluntatis, præcedente cognitionem talium præceptorum: & sic patet litera Doctoris. 6.

SCHOLIVM.

Quoad primam quæstionem ponit primam sententiam Henrici, quæ tenet Theologiam absolutè esse speculatiuam, quia actus voluntatis quo se vnit fini Theologiæ; & non indiget vlla directione, sed tantùm ostensione obiecti, quia non potest errare circa finem, licèt actus circa media directione indigeant, quia in eis errari potest. Hanc refutat Doctor ducendo rationem eius ad oppositum quadrupliciter, & clarè soluit eius arugmenta.

16. *Henric. in sum. art. 9. q. 2. in sol. ad 3. art. & Quodlib. 8. q. 9. Hic dimisit Doctor spatiũ vacuum in originali suo.*

His visis [a], respondendum est ad primam quæstionem, vbi sunt quinque viæ tenentes partem negatiuam quæstionis. Vna dicit, sic declarando. Duplex est actus voluntatis, vnus perficiens voluntatem, alius qui perficitur à voluntate. Primus actus est respectu finis, & est operatio perfecta, quam intra se voluntas elicit, & quâ fini vltimò se vnit. Secundus actus est respectu eorum, quæ sunt ad finem, vnde est actio bona, quâ voluntas extra se in aliud tendit: sicut est quælibet actio directiua in finem. In primo actu non indiget voluntas directiuo, sed sola obiecti ostensio sufficit. Talis autem actus ad sciẽtiam simpliciter speculatiuã pertinet: in ipso enim est speculatio solummodò, vt voluntati obiectum suæ operationis perfectè ostendat, vt in ipsum statim perfectâ opera

operatione tendat. In alio autem actu voluntas indiget directiuo: & hic ad scientiam practicam pertinet, quia in ipso est speculatio, vt actionem dirigat, quod est proprium practicæ. Actus autem qui perficitur à voluntate, non est finis huius scientiæ, nisi finis sub fine: sed alius, qui perficit voluntatem. Et ex hoc habet ista scientia, quòd perfectissimè sit speculatiua, quia actus principaliter intentus in ista scientia, est actus voluntatis circa finem, in quo non indiget directiuo, sed tantùm ostensione obiecti: ergo non est practica, sed speculatiua, cùm in actu suo principali non indigeat directione.

Pro hac via est auctoritas Augustini in serm. de Iacob, & Esau: *Omnia* (inquit) *opera nostra sunt, vt mundetur oculus, quo videatur Deus.* Item, potest argui sic, non requiritur directiuum, vbi non potest esse error: scientia practica est directiua: igitur scientia beatorum non est practica, quia beati errare non possunt: ergo nec nostra est practica, quia est eadem cum illa beatorum. Item, potest argui sic, secundùm intellectum istius alibi; quia Deus non habet scientiam practicam: maximè autem habet istam, vel solus: ergo, &c. *Vide Aug. de verbis Domini, hom. 18. Hen. Quodlib. 5. q. 2. & Quodlib. 8. q. 1.*

17. *Cōtra Hēr. Ratio 1. Volūtas potest errare circa finem.*

Contra hoc sic arguitur [b], primò rationem positionis eorum duco ad oppositum quadrupliciter. Primò sic; etsi voluntas non potest errare circa finem in vniuersali ostensum, potest tamen secundùm eos errare circa finem in particulari ostensum: ergo ad hoc, vt rectè agat circa finem particulariter ostensum requiritur directiua ostensio. Ostensio autem finis in Theologia est finis, non in vniuersali, sed in particulari, quia ad Metaphysicum pertinet illa ostensio in vniuersali. Vnde si beati errare non possunt circa obiectum Theologicum absolutè: in aliquo actu tamen possunt: ergo necessariò habent cognitionem directiuam respectu alicuius actus circa obiectum Theologicum.

Præterea [c], Habitus directiuus non ponitur propter substantiam actus, sed propter circunstantiam: sicut temperantia non ponitur propter substantiam actus comedendi, vel alterius huiusmodi; sed propter circunstantias: ergo licèt voluntas esset determinata ad substantiam actus tendentis in finem in particulari, requireretur tamen directio quantùm ad circunstantiam illius actus, ad quam non extenditur directio, quæ est circa substantiam actus. Ex istis duabus rationibus arguitur; quia vbicunque contingit in praxi errare & rectè agere, ibi est notitia practica necessaria ad dirigendum: in ista autem praxi, quæ est dilectio finis, vt pertinet ad Theologiam, contingit errare dupliciter, vt ostendunt rationes istæ; tum ratione obiecti ostensi in particulari, tum ratione circunstantiarum actus: ergo, &c. *Secūda ratio. Quare ponendus habitus directiuus? vide 1. d. 17. q. 2. Dupliciter erratur circa finem.*

Præterea [d], tertiò sic; Cuius dilectio principaliter intenditur extra genus cognitionis, eius cognitio principaliter intenditur intra genus cognitionis: dilectio verò finis, per eos, principaliter intenditur extra genus cognitionis: ergo cognitio finis principaliter intenditur in genere cognitionis. Sed in qualibet scientia intenditur principaliter cognitio sui subiecti primi: ergo finis est principale subiectum istius scientiæ. A fine autem sumuntur principia practica: principia practica concludunt conclusiones practicas: igitur ista scientia, quæ primò intendit dilectionem finis extra genus cognitionis, est practica.

18. *Quarta ratio. Si cōclusiones sūt practica & earum principia.*

Præterea [e], Ad idem genus secundùm praxim, vel speculationem pertinent principia & conclusiones: conclusiones enim practicæ resoluuntur in principia practica, non speculatiua: ergo cùm cognitio finis sit directiua in actibus, circa ea quæ sunt ad finem, & cognitio eorum quæ sunt ad finem, sit quasi inclusa in cognitione finis quasi principij, si cognitio eorum quæ sunt ad finem sit cognitio conclusionum practicarum: ergo cognitio finis erit cognitio practica, quia de principio practico. Sic patet responsio ad rationem eius primam, quia falsum accipit, quasi voluntas esset determinata ex se; quod improbant duæ rationes primæ. Similiter si voluntas esset determinata: adhuc tamen cognitio esset practica, sicut probant vltimæ duæ rationes.

Ad auctoritatem eorum, dico quòd videtur concludere, quòd visio Dei est finis huius scientiæ; quòd ipsi non concedunt. Respondeo igitur, quòd auctoritas loquitur de illis operationibus exterioribus, quæ sunt ieiunia, vigiliæ, & orationes: quia actus quicunque exterior natus est conformari alicui actui interiori, à quo habet suam bonitatem, & etiam ad aliquem interiorem ordinari, & finaliter ad velle. *Hēr. Quodlib. 1. q. 9. & 14.*

Ad Tertium respondeo, quòd sicut agens per se intendit inducere formam, nec intendit remotionem contrarij nisi per accidens: ita habitus per se dirigit, per accidens autem excludit errorem. Et si habitus est perfectus, non compatitur secum errorem, imò si compatitur, est imperfectus. Beati igitur, licèt non possint errare, non *Vnde beati errare nequeant?*

ſequitur, quòd non habeant habitum, etiam directiuum: quia eo per impoſſibile circumſcripto, errare poſſent: ſed eo poſito, propter perfectionem eius, excluditur omnis error. Ad quartum dicetur infrà poſt ſolutionem huius quæſtionis primæ, ſoluendo quartam obiectionem contra eam.

COMMENTARIVS.

1. a HIs viſis reſpondendum eſt ad primam quæſt. vbi ſunt quinque viæ tenentes partem negatiuam: vt quòd Theologia, ſiue ſcientia Theologica, non ſit ſcientia practica. Prima eſt Hen. in ſumma. Iſta opinio ſtat in duobus dictis. Primum quòd reſpectu vltimi finis, non oportet ponere in intellectu notitiam practicam directiuam praxis circa vltimum finem: patet, quia ponitur notitia practica circa quod contingit voluntatem poſſe errare: & ideò talis voluntas, ne erret in eliciendo actum, indiget directiuo, ſiue ſcientia directiua: ſed non contingit voluntatem aliquam errare circa vltimum finem, ergo. Cognitio ergo vltimi finis eſt ſpeculatiua: & tantùm requiritur vt oſtenſiua finis: non autem directiua voluntatis circa finem: & ideò ſcientia Theologicà, quia principaliter reſpicit vltimum finem, dicitur ſpeculatiua. Secundum dictum eſt, quòd notitia quæ dirigit voluntatem circa ea quæ ſunt ad finem, dicitur verè practica: quia contingit voluntatem errare in eliciendo actum circa ordinata ad finem, ideò ne erret indiget ſcientia directiua. Et quamuis ſcientia Theologica, quæ eſt directiua in praxim, circa ordinata in vltimum finem, quantùm ad hoc poſſit dici practica: abſolutè tamen loquendo, ſcientia Theologica dicitur verè ſpeculatiua propter cauſam ſuperiùs dictam. Et quòd dicatur ſpeculatiua probat auctoritate & rationibus, quæ patent in litera.

Henr. in ſum. art. 9. q. 2. in ſolutione ad 3. art.

2. Doctor autem contra hanc poſitionem multis mediis arguit: & intendit probare quòd ſcientia, quæ eſt oſtenſiua vltimi finis, dicatur verè practica.

b Prima ratio eſt ibi: *Contra hoc ſic arguitur*, &c. Et prima ratio eſt ſatis clara in litera. Et quod dicit, quòd ſecundùm eos, contingit errare circa finem in particulari, patet. Nam & multi Philoſophi circa illum errauerunt: vt patet *primo Ethic.* vbi recitantur diuerſæ opiniones de felicitate vltima, quam aliqui poſuerunt in honoribus; aliqui in voluptatibus, &c. Patet etiam, quia ſecundùm Auicennam, Metaphyſ. vltima Intelligentia vltimatè quietatur in alia quàm in prima. Ne ergo erret voluntas circa finem in particulari, oportet ponere in intellectu notitiam veri finis, dirigentem voluntatem ad illum, & talis notitia eſt verè practica. Et ſimiliter in modo diligendi, fortè poſſet contingere error: quia ſi voluntas diligeret vltimum finem, vt tantùm bonum commodi, erraret. Si etiam diligeret illum tantùm amore mercenario, ſimiliter erraret. Si etiam minùs diligeret quàm tenetur, erraret.

c Secunda ratio eſt ibi: *Præterea habitus directiuus.* Hæc ratio eſt ſatis clara, & quod dicit de ſubſtantia actus, &c. Patet, quia dilectio ſecundùm ſubſtantiam conſideratur, vt eſt tantùm dilectio, & dilectio ſecundùm intenſionem, conſideratur vt ſic, vel ſic intenſiua, quæ dilectio ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm intenſionem eſt circunſtantionabilis ex circunſtantia obiecti, & omnibus aliis circunſtantiis, vt ſuprà exemplificaui. Dicit ergo Doctor quòd etſi voluntas eſſet determinata ad ſubſtantiam actus tendentis in finem in particulari, puta quòd ipſa dilectio, vt eſt circa finem in particulari, non poſſet dici mala quantùm ad ſubſtantiam dilectionis, cùm tranſeat ſuper obiectum debitum: propter tamen alias circunſtantias ponitur ſcientia directiua, vt ſuprà exeplificaui, & patet litera.

d Tertia ratio eſt ibi: *Præterea tertiò ſic: cuius dilectio principaliter intenditur*, &c. Iſta ratio formetur ſic: Illud eſt ſubiectum in aliqua ſcientia, cuius cognitio principaliter intenditur intra genus cognitionis. Sed in Theologia cognitio finis principaliter intenditur intra genus cognitionis, ergo finis eſt ſubiectum in Theologia. Tunc vltrà, ſed à fine ſumuntur principia practica, & principia practica concludunt practicas concluſiones; ergo Theologia erit ſcientia practica. Probatur minor primi ſyllogiſmi: In quacunque ſcientia, dilectio finis principaliter intenditur extra genus cognitionis: in illa principaliter intenditur cognitio eiuſdem finis. Patet, ſed in Theologia (ſecundùm eos) principaliter intenditur dilectio finis extra genus cognitionis, ita quòd talis dilectio non pertinet ad potentiam cognitiuam, ſed tantùm volitiuam. Nam dilectio naturalis intellectus cùm ſit ſola inclinatio naturalis, non ſufficeret ad praxim, cùm illa non ſit in poteſtate noſtra. Et nota, quòd quando dicit Doctor quòd finis eſt primum obiectum Theologiæ, debet intelligi de fine inquantum eſt obiectum: & ſic Deus ſub ratione Deitatis eſt finis totius Theologiæ, à quo ſumuntur principia practica Theologiæ, non inquantum finis, ſed inquantum obiectum. 3.

e Quarta ratio eſt ibi: *Præterea ad idem genus ſecundùm praxim, vel ſpeculationem pertinent principia, & concluſiones*; quia à fine ſumuntur omnia ordinata ad finem. Si ergo cognitio mediorum ſit practica, etiam cognitio finis erit practica, cùm cognitio mediorum reſoluatur in cognitionem finis. Si ergo concluſiones ſumptæ à fine ſunt practicæ, ergo & principia ſumpta à tali fine, erunt practica; ergo & cognitio finis. Expono al qualiter literam. Cùm dicit, *ad idem genus ſecundùm praxim, vel ſpeculationem pertinent principia, & concluſiones*, id eſt, quòd omnia principia practica, & concluſiones practicæ, ſimpliciter pertinent ad ſcientiam practicam: ita quòd eſt impoſſibile concluſionem practicam reſolui in principia ſpeculatiua: quia ſi principia ſunt practica, & concluſiones virtualiter contentæ in illis, erunt practicæ, & è contra. Similiter ſi principia ſunt ſpeculatiua, & concluſiones in illis virtualiter contentæ erunt ſpeculatiuæ: & è conuerſo. Sequitur, 4.

Expoſitio literæ.

Ergo cùm cognitio finis ſit directiua in actibus, circa ea quæ ſunt ad finem: non quòd cognitio finis in ſe, ſit immediatè directiua circa medium ad finem: ſed quia per cognitionem finis, concludimus cognitionem eorum, quæ ad finem illum ordi

ordinantur, & cognitio mediorum est directiua actuum voluntatis, circa illa media ad finem: ideò dicimus quòd cognitio finis, est directiua in actibus, circa ea quæ sunt ad finem: vel breuiùs; cognitio mediorum ad finem immediatè, & formaliter est directiua actus voluntatis circa talia media. Sed cognitio ipsius finis, est tantùm directiua, remotè & virtualiter, quia cognitio mediorum virtualiter includitur in fine, vel in cognitione finis; & hoc est quod sequitur, *& cognitio eorum, quæ sunt ad finem, sit quasi inclusa*, scilicet virtualiter, *in cognitione finis, quasi principij*: non quòd finis in se dicat principium practicum, cùm sit terminus incomplexus: sed est talis entitas à qua primò accipitur principium practicum. Sic etiam dicimus, quòd principium speculatiuum sumitur à primo subiecto scientiæ: sicut hoc principium, *Omne animal rationale est risibile*, sumitur à quiditate hominis.

A quo sumatur princi- [pium] speculatiuū.

5. Et addit, *Si cognitio eorum quæ sunt ad finem, sit cognitio conclusionum practicarum*: quia tunc talis cognitio virtualiter continetur in cognitione finis: & si cognitio talium esset tantùm cognitio conclusionum speculatiuarum, talis cognitio non includeretur in cognitione finis. Sequitur, *ergo cognitio finis, erit cognitio practica: quia de principio practico*: sic intelligendo, quòd finis dicitur principium practicum: quia ab eo sumitur prima ratio principij practici; si ergo cognitio principij practici sumpti à fine, sit practica, sequitur quòd cognitio ipsius finis erit practica; aliter cognitio practica virtualiter includeretur in cognitione speculatiui: sicut etiam si cognitio principij speculatiui, sit speculatiua, sequitur quòd cognitio subiecti, à quo sumitur cognitio principij sit speculatiua, non enim datur medium, quia aut est practica, aut speculatiua: non practica, quia tunc cognitio principij speculatiui virtualiter contineretur in cognitione practica, quod est falsum.

Finis dicitur principium practicum.

6. *Sic patet responsio ad rationem eius primam.* Nunc Doctor soluit rationes factas pro opinione Henrici, quibus probat quòd scientia Theologiæ sit simpliciter speculatiua. Et prima ratio sua est ista: Nulla cognitio est practica, quæ ordinatur ad operationem in qua non contingit error, & rectè agere: patet, quia notitia practica ideò ponitur, ne voluntas in operando erret: & ideò si voluntas circa aliquid non posset errare, licèt respectu illius requiratur cognitio, vt ostensiua talis obiecti: quia voluntas non fertur, nisi in præcognitum: non tamen requiritur vt directiua; sed nec voluntas nostra nec beatorum potest errare circa vltimum finem; ergo cognitio vltimi finis, etsi requiratur vt ostensiua, non tamen vt directiua.

Omnis cognitio, aut est practica, vel speculatiua.

Respondet Doctor & dat duas responsiones. Prima, quòd voluntas creata potest errare circa vltimum finem, saltem in particulari: vt suprà patuit: potest etiam errare circa circunstantias actus, vt suprà patuit; non enim voluntas creata, est determinata ad actum rectum, respectu cuiuscunque obiecti: non enim vt elicit actum, necessariò illum elicit vt rectum: hoc enim soli voluntati diuinæ competit, vt patet à Doctore *in isto primo dist.* 1. *quæst.* 1. *& dist.* 39. *&* 44. *& in secundo dist.* 23. *& alibi.*

Voluntas creata potest errare circa vltimum finem.

7. Secundò respondet, quòd posito quòd sit determinata respectu vltimi finis, id est, quòd in volendo illum necessariò rectè velit: & nullo modo possit errare, adhuc cognitio vltimi finis erit verè practica, & hoc probant duæ vltimæ rationes, quæ patent.

Secundò arguit Henricus auctoritate Augustini in sermone de Iacob, & Esau. *Omnia*, inquit, *opera nostra sunt, vt mundetur oculus interior, quo videatur Deus*; ergo videtur ex ista auctoritate, quòd visio Dei sit vltimum, ad quod opera nostra ordinantur, & sic talis visio non erit practica, sed merè speculatiua.

Responsio ad hominem.

Respondet Doctor dando duas responsiones. Prima ad hominem: quia ex ista auctoritate, videtur concludi contra eos, quòd visio Dei sit vltimus finis Theologiæ: quod tamen ipsi non concederent: quia volunt quòd vltimus finis Theologiæ sit dilectio Dei clarè visi. Secundò respondet, exponendo auctoritatem: quòd Augustinus loquitur de operationibus exterioribus, quæ sunt ieiunia, vigiliæ, &c. quia actus quicunque exterior, natus est conformari alicui inferiori: à quo habet suam bonitatem. Iste enim actus exterior, scilicet vigilare, non est bonus moraliter, nisi sit imperatus ab actu elicito voluntatis primò bono moraliter. Priùs enim voluntas elicit, siue determinat ieiunare, & hic actus est primò bonus moraliter, vt suprà patuit, & post imperat actum exteriorem, qui tantùm est bonus materialiter, & bonus pro quanto est conformis actui elicito: vt patet à Doctore *præsenti q. & infrà dist.* 17. *& in secundo dist.* 7. 40. 41. *& in Quodlib. quæst.* 17. Et vltrà actus elicitus vigiliæ, vel ieiunij, ordinatur ad alium actum interiorem, puta ad perfectiorem cognitionem Dei, sicut Sancti faciunt, & tandem illa cognitio ordinatur ad amorem Dei. Sancti enim ideò quærunt magis, ac magis cognoscere Deum, vt ipsum magis ament, & sic tandem actus interiores, quibus voluntas imperat, actus exteriores ordinantur, vt perueniatur ad diuisionem Dei, & illa visio vltimò ordinatur ad amorem ipsius Dei: & sic auctoritas, est magis ad propositum quàm ad oppositum.

Tertiò arguit Henricus, quia vbi non potest esse error, ibi non requiritur scientia, vt directiua: sed Sancti, & beati non possunt errare circa vltimum finem; ergo Theologia beatorum non erit practica; ergo nec nostra, quia nec nos possumus errare circa vltimum finem. 8.

Respondet Doctor, quòd sicut agens per se intendit formam inducere, & per accidens intendit remotionem contrarij: patet de igne, quando corrumpit lignum, non enim intendit per se corrumpere lignum, sed per se intendit inducere formam ignis in materia ligni: & quia forma ignis inducenda, est incompossibilis formæ ligni, ideò per accidens intendit corruptionem formæ ligni. Si enim illæ formæ essent compossibiles in eadem materia, nunquam nec per se, nec per accidens intenderet corruptionem formæ ligni. Sic in proposito, habitus Theologiæ per se dirigit, id est, per se intendit dirigere voluntatem in operationibus suis, ne in operando erret: sed per accidens excludit errorem, tanquam aliquid incompossibile sibi. Si ergo habitus sit perfectus, omnem errorem excludit: imò si non excluderet, esset imperfectus. Beati igitur licèt non possint errare, non sequitur quòd non habeant habitum per se directiuum: quia eo, per impossibile, circunscripto, errare possent; si enim non haberent distinctam notitiam vltimi finis, possent etiam

An beati possint errare.

etiam circa illum in particulari errare, sed posito tali habitu perfecto, vel perfecta visione illius finis, non possunt errare.

9. Quartò, & vltimò arguitur ab Henrico *Quodlib. 5. quæst. 4. & Quodlib. 8. quæst. 1.* quia Deus non habet scientiam practicam: maximè autem habet istam, scilicet Theologicam, vel solus, supple habet: quia solus habet eam perfectissimè cùm habeat eam ex seipso. Si ergo in Deo non est practica, ergo nec in aliquo alio.

Respondet Doctor remittendo se ad dicenda in præsenti quæstione, vbi fiet specialis mentio, an Theologia in intellectu diuino sit practica. Et posito quòd ibi non sit practica, quia fortè voluntas diuina nullo modo est regulabilis, propter sui maximam perfectionem: non tamen sequitur, quòd in intellectu creato, non sit practica: quia voluntas creata, etiam perfectissima, est ex se regulabilis & determinabilis: vt patet à Doctore in pluribus locis.

SCHOLIVM.

Secunda sententia Varronis; licèt Theologica cognitio sit directiua dilectionis finis vltimi, eam tamen non esse practicam, quia actus, quem dirigit, est circa obiectum necessarium, & praxis est tantùm circa contingens. Hanc reiicit, primò per rationem quartam contra primam sententiam, num. 18. Secundò, quia charitas infusa & acquisita inclinant ad dilectionem finis; ergo est praxis.

19. *Var. lib. 1. q. 4.* Secunda via ponit [a], quòd licèt dilectio finis rectè possit elici, & non rectè, negat tamen dilectionem finis esse praxim, quia non est circa obiectum contingens. Dicit autem Comment. 1. Ethicor. quòd *praxis est operatio secundùm electionem:* electio autem est tantùm circa contingens, ex 3. *Ethicor.* quia est appetitus consiliatiuus: consilium verò non est nisi de contingente. Ex hoc etiam probatur descriptio praxis posita in primo articulo quæstionis, esse insufficiens, quia omittit obiectum præcisum. Consequenter dicit hæc via nullam notitiam esse practicam, quæ extenditur ad volitionem vltimi finis tantùm, quia non est verum contingens. *In princ. 1. lib. cap. 5. idem 6. Ethic. c. 2.*

Contra istam [b] viam est quarta ratio posita contra præcedentem. Item, vera praxis est illa operatio, ad quam inclinat virtus appetitiua: quia quælibet talis virtus est habitus electiuus, ex 2 *Ethicor.* Electio autem est praxis, vt ostendetur contra tertiam viam statim; sed ad dilectionem finis inclinat non tantùm charitas, sed amor acquisitus habitualis, qui est virtus appetitiua, quia habitus appetitiuus consonus rationi rectæ. Motiuum verò huius viæ soluetur in solutione secundæ rationis principalis ad primam quæstionem. *Cap. 5.*

COMMENTARIVS.

a *Secunda via ponit*, &c. Hæc est opinio Gulielmi Varronis, quam probat multis rationibus, quæ postea soluentur. *lib. 1. q. 4.*

b *Contra istam viam.* Est quarta ratio posita contra Henricum, videlicet quòd si cognitio mediorum ad finem sit practica, quòd etiam cognitio finis erit practica: quamuis finis sit obiectum merè necessarium. Hæc ratio exposita est suprà.

Item, verè praxis est illa operatio ad quam inclinat virtus appetitiua: vt virtus, quæ existit in appetitu: vt amicitia in voluntate (dummodo talis operatio non sit actus intellectus: quia nullus talis potest dici praxis, vt suprà patuit) quia quælibet talis virtus appetitiua, est habitus electiuus *ex secundo Ethic. cap. 5.* electio autem est praxis, vt patet *sexto Ethic.* & etiam infrà patebit; sed ad dilectionem vltimi finis non tantùm inclinat charitas, sed etiam amicitia acquisita, vt patebit infrà *dist. 17. & in 3. dist. 27.* est enim habitus amicitiæ appetitiuus, & per consequens habitus electiuus, id est, inclinans ad electionem. *Amicitia inclinat ad dilectionem.*

SCHOLIVM.

Tertia sententia ait Theologiam non esse practicam, quia praxis est tantùm actus voluntatis imperatus, vel elicitus, quatenus ordinatur ad actum imperatum; & cognitio Theologica non versatur principaliter circa actus imperatos. Probatur triplici, & improbatur quadruplici ratione. Ad secundam rationem dicit, quòd electio recta non est sine habitu virtutis, cuius oppositum habet 1. dist. 17. quæst. 2. ad arg. pro 5. opin. num. 28. & 4. d. 14. quæst. 2. num. 13. sed non negat hîc dari rectam electionem sine habitu, sed quòd illa non esset virtuosa propriè in sensu Arist. quia ad agere virtuosè, requiritur habitus, quo quis facilè & expeditè agat, in sensu Aristotelis.

20. *Heruæus Quodlib. 1. q. 3. art. 4.* Tertia via ponit [a], quòd vel volitio non est propriè praxis, sed tantùm actus eâ posterior: vel si ipsa est praxis, hoc non est nisi in ordine ad actum aliquem imperatum potentiæ inferioris, puta, appetitus sensitiui, vel potentiæ motiuæ, vel huiusmodi. Pro hac via tertia arguitur, quia omnis praxis sequitur electionem. Quod probatur per Philosophum 6. *Ethicor.* *Actus principium est electio, non cuius gratiâ, sed vnde motus,* *Cap. 3.*

motus, id est, non finale, sed effectiuum: principium autem effectiuum naturaliter præcedit effectum: ergo, &c. Præterea, habitus practicus generatur ex praxibus: sed habitus practicus generatur ex actibus sequentibus electionem: igitur illi sunt praxes. Item, Commentator super 1.Ethic. *Praxis est operatio secundùm electionem*: ergo praxis sequitur electionem. *In princ.*

Contra istud, scilicet quòd non tantùm actus sequens electionem sit praxis, probatur. Quia, *6. Ethic.* dicit Philosophus, quòd non est electio recta sine ratione recta, & habitu virtutis: ergo virtus per se requiritur ad electionem rectam. Non requireretur autem, si esset habitus generatus ex actibus posterioribus electione: quia tunc non inclinaret per se, nisi ad actus istos posteriores electione. 21. *Cap.2.* *An electio recta sit sine habitu virtutis?*

Præterea, sub alia forma arguitur idem, quia habitus ex eisdem actibus generatur, ad quos inclinat *ex secundo Ethic.* sed virtus moralis per se inclinat ad electionem rectam, quia, vt apparet per definitionem eius, secundo Ethic. *Virtus est habitus electiuus*, &c. igitur ex electionibus per se generatur virtus moralis, & per consequens non tantùm actus electionem sequentes sunt praxes. *Cap.1.& 3.* *Cap.5.*

Præterea [b], non solùm falsum est negare electionem esse praxim, quod arguitur ratione iam facta: sed sicut probatum fuit in primo articulo, actus voluntatis elicitus est primò praxis, & imperatus non nisi propter ipsum: ergo si electio sit sola sine ordine ad actum imperatum, puta propter defectum materiæ actus exterioris, ipsa sola verè erit praxis. Hoc declaratur sic: non habens pecunias, cui tamen in phantasmate præsentantur pecuniæ, antequam alicuius actus electio sit principium effectiuum, vel ordinetur ad aliquid imperandum, si eligat illas liberaliter distribuere, si haberet, quantum ad actum, & habitum virtutis, non requiritur vlterior prosecutio: quia obiecto præsentato in phantasmate, circa quod potest esse actus liberalitatis, completè habetur electio, ex qua generatur liberalitas, vel quæ elicitur ex liberalitate: & non requiritur vlterior persecutio exterius, nec ordo ad exterius, si materia actus exterioris deficiat. *num.5.* *Ad virtutē non requiritur actus externus necessariò.*

Præterea [c], ordo iste electionis ad actum imperatum, non potest esse, nisi vt causæ ad causandum effectum: sed quòd causa non sit in se talis ex se (vt prior effectu est) sed tantùm quia actualiter ordinatur ad efficiendum, videtur inconueniens, cùm nihil habeat causa ab effectu, nec ex ordine ad ipsum.

Tunc [d] ad auctoritatem, *6 Ethic.* dico, quòd ibidem Philosophus statim subdit: *Electionis autem appetitus, & ratio, quæ gratiâ alicuius*, id est, practica, *sunt*, supple, principium. Ad hoc enim, vt electio sit recta, requiritur virtus in appetitu. Vnde sequitur: *Neque sine habitu morali est electio*, scilicet recta: igitur virtus habet actum elicitum immediatiorem sibi, quàm sit ille, cuius electio est principium, vt imperans; priùs enim actus voluntatis elicitus qui est electio, est actio bona, quàm actus exterior imperatus ab electione bona, sit bonus. Quod probatur per Philosophum. Ibi enim statim post illud: *Neque sine habitu est electio*, subdit; *bona actio enim sine more non est*. Sed si ista sit maior ad probandum, quod prædixit de electione, sumetur ista minor sub: Bona electio est bona actio. Concedo igitur auctoritatem affirmatiuam, quòd electio est principium actus *vnde motus*: quia actus ab ipsa imperatus est actus moralis. Sed ex hoc non sequitur, quòd solus iste sit actus, siue praxis, imò est electio prior praxis, propter quam etiam ista est bona praxis. 22. *Quid requiritur, vt electio sit recta.*

Ad secundum [e], si maior est vera, dico quòd habitus practicus generatur ex electionibus, sicut prædictum est de eligente frequenter liberaliter dare, etiam sine actu imperato, si facultas non adsit, posset in ipso generari liberalitas. Quia tamen quando illi actus imperati sunt impossibiles, voluntas non communiter eligit frequenter, rectè circa materiam istorum actuum: quia quod non creditur alicui possibile, aut ipsum non vult, aut tenuiter vult secundùm Augustinum, ideò communiter non generatur habitus practicus, qui est virtus sine praxibus imperatis sequentibus electionem, non tamen generatur ex illis sequentibus, sed ex electionibus, in quibus est formaliter bonitas moralis: in praxibus autem imperatis est tantùm materialiter. *Ad secundum.* *Quare non generatur habitus practicus sine actibus imperatis?* *10.de Trin. c.1.*

Ad tertium [f] de Commentatore, oportet quòd ly *secundum*, non sit ibi nota causæ efficientis, si descriptio debet esse conuertibilis cum descripto, vt probatum est per Aristotelem *6.Ethic.* sed debet intelligi ly *secundum*, effectiuè, vel formaliter. Vel electio accipitur ibi pro libertate, siue potestate denominatiua: vel accipitur electio pro elicitione actus volendi, quæ non est electio, vel volitio aliqua, sed actio de genere Actionis, Secundùm istam electionem, quasi secundum principium actiuum est omnis praxis, siue sit electio, siue sequens electionem: quia actio de genere Actionis reducitur ad principium effectiuum. *Bonitas materialiter tantùm in actibus imperatis de hoc 2.d.42. q.4.2 ide ibi expositionē.*

COMMENTARIVS.

1. *Heruæus.* a TErtia via, &c. Hæc est opinio Herueī Natal. *Quodlib.* 1. *q.* 3. *art.* 4. quam probat multiplici medio.

Contra illud,&c. Hîc Doctor arguit contra opinionem Heruei, & intendit probare quòd etiam actus voluntatis elicitus,etiam non habens ordinem ad aliquem actum imperatum potentiæ inferioris, sit verè praxis. Et ratio stat in hoc,quod dicit Arist.6. *Ethic.cap.*2,quòd electio non est recta, sine ratione recta,& habitu virtutis. Si enim habitus virtutis requiritur ad electionem rectam: certum est quòd ille habitus erit causatus ex multis electionibus: vt patet de habitu fortitudinis, vel temperantiæ. Si enim esset causatus tantùm ex actibus posterioribus electione, puta ex actibus imperatis in potentiis sensitiuis, tunc talis habitus non requireretur ad electionem rectam: patet, quia ad illam inclinaret. Habitus enim inclinat tantùm ad similes actus ex quibus generatur. Si ergo electio recta, sit à ratione, & habitu virtutis: sequitur quòd talis electio secundùm habitum virtutis,erit verè praxis.Et nota quòd hîc accipitur *habitus* pro habitu virtutis moralis, quæ virtus moralis primò,& principaliter est in voluntate: vt patet à Doctore *in* 3.*d.*33.

2. *Apparēs contradictio.* Sed hîc occurrit dubium in hoc quòd dicit Doctor, quòd electio recta, siue actus virtutis (quod idem est) est ab habitu virtutis: quia expressè dicit infrà d. 17. quòd potest esse habitus virtutis,& electio recta, licèt non sit generata ab habitu virtutis: hoc idem in secundo, & in tertio, & præcipuè in 4.dist.14. quæst.2. dicit, quòd non est de ratione actus moralis ,quòd sit generatus ab habitu virtutis:nec quòd sit generatiuus virtutis, & tamen oppositum hîc dicit.

Solutio. Dico quòd Doctor non negat esse electionem rectam, nullo habitu virtutis præsupposito: sed aliquis non dicitur propriè virtuosè agere,& perfectè: nisi agat secundùm habitum virtutis: cùm habitus faciat promptè,faciliter,& expeditè operari. Actus etiam qui simpliciter elicitur à voluntate,& ab habitu, est valde perfectior:vt patet à Doctore infrà d.17.& in 3.d.27. *Quis agat secundùm habitū virtutis.*

Præterea sub alia forma arguitur, quia habitus ex eisdem actibus generatur, ad quos inclinat, ex 2.*Ethic. c.*2.*&* 3. actus enim præcedentes habitum, & sequentes ipsum, sunt semper eiusdem rationis, & si differunt, differunt præcisè sicut perfectum, & imperfectum; quia communiter actus sequentes habitum, sunt perfectiores; & hoc si fiant à potentia æquali conatu: vt patebit infrà d.17. Sed virtus moralis, quæ primò ponitur in voluntate, vt iustitia & temperantia,primò & per se inclinat ad electiones rectas: vt puta iustitia inclinat voluntatem ad volitiones iustas, & rectas: quòd autem sic inclinet, patet 2. *Ethic. cap.* 5. vbi ponitur, quòd virtus moralis sit habitus electiuus, id est,habitus inclinans ad electiones, & electio, propriè, est circa ea quæ sunt ad finem: & sic virtus propriè moralis, vt iustitia, temperantia, & fortitudo, est circa media ad finem, vt patebit in 3. Sequitur ergo, quòd si per se inclinat ad electiones, quòd etiam sit per se generata ex electionibus, & tales electiones sunt veræ praxes, vt patet 6. *Ethic. cap.* 3. & per consequens non tantùm actus electionem sequentes (cuiusmodi sunt actus imperati in potentiis sensitiuis) sunt praxes. *Quid sit virtus moralis.*

b *Non solùm falsum est negare electionem esse praxim:* cùm actus voluntatis elicitus conformiter rationi rectè sit simpliciter primò praxis, vt 3. suprà patuit in primo articulo, & potest separari ab actu exteriori: qui si separetur,adhuc erit praxis, quia quod est primò tale coniunctum alicui posteriori, adhuc erit tale, si à tali posteriori separetur, vt suprà patuit: & ratio patet in litera, cùm dicit de pecuniis, vt præsentantur in phantasmate, potest eligere velle dare eas liberaliter, &c. Non intelligas, quòd pecuniæ prout sunt in phantasmate, possint esse præsentes intellectui, in ratione obiecti, actu intelligibilis, quia vt ibi præsentes, non possunt mouere intellectum; sed tantùm vt præsentes per speciem intelligibilem, vt patet à Doctore *infrà dist.*3. *qu.*6. *&* 7. *& alibi.* Vel ergo hîc loquitur secundùm opinionem Henrici, vel si secundùm opinionem propriam debet exponi, quòd non possunt naturaliter esse præsentes intellectui pro statu isto, nisi priùs fuerint præsentes in aliquo phantasmate, vel virtute phantastica: quicquid sit, non est præsentis speculationis. *An pecunia possint mouere intellectū.*

c *Præterea ordo iste electionis*, &c. Vult dicere,quòd ordo electionis ad actum imperatum,est ordo ipsius electionis, vt causæ ad actum imperatum, vt ad causatum ab ipso actu elicito, mediatè tamen, pro quanto voluntas ipso actu elicito, imperat potentiæ sensitiuæ, vt eliciat talem actum:& quia vult quòd electio dicatur praxis ex tali ordine, vt causæ ad causatum,sequitur quòd electio habebit ab actu imperato,in potentia sensitiua,vt dicatur praxis: & sic electio,vt in se talis, aut prior actu causato non erit praxis: quod tamen est inconueniens: quia causa nihil habet ab effectu, neque ex ordine ad ipsum effectum: & maximè proprietatem aliquam, qualis est actum esse praxim: causa enim vt prior quocunque suo effectu habet proprietates suas: & præcipuè illas habere non potest ab effectu quem producit: neque ex ordine ad ipsum effectum: & hoc est quod intendit: & specialiter nihil recipit ab effectu in eo quòd causat ipsum. 4. *Causa nō habet proprietates suas ab effectu.*

d *Tunc ad auctoritatem* 6. *Ethicorum.* Hîc Doctor soluit rationes Heruei. Primò enim arguebat sic Herueus ibi, quasi in principio tertiæ viæ *. Quia omnis praxis sequitur electionem.si sic, cùm solus actus imperatus in potentia inferiore, propriè sequatur electionem voluntatis, solus actus sic imperatus erit praxis. Et quòd praxis sequatur electionem, patet 6.Ethic.cap.3. *Actus principium, est electio*, id est, electio est principium actus. Sequitur, *non cuius gratia*, sed vnde motus, id est, quòd electio non dicitur finis talis actus: sed verè est principium effectiuum, & sic electio naturaliter præcedit ipsum actum. 5. *Rationū Heruei solutiones.* * *num.*20.

Respondet Doctor ibi: *Tunc ad auctoritatem sexti Ethic. cap.*5. *sunt supple principium*, videlicet quòd appetitus, scilicet voluntas, vt informata virtute morali: puta temperantia,est principium eligendi actum temperantiæ: vnà tamen cum ratione, quæ est gratia cuius, quæ scilicet ratio est gratia electionis, quia ordinatur ad rectitudinem eius,& talis ratio, siue cognitio est practica.

Nunc exponitur litera cùm dicit ibi: *Neque sine habitu morali est electio*, *scilicet recta.* Doctor debet *Expositio literæ.*

debet intelligi, vt suprà exposui, de electione perfectè recta, & cum aliis conditionibus, quas dixi suprà. Sequitur, *Igitur virtus*, supple moralis, *habet actum elicitum immediatiorem sibi, quàm sit actus ille cuius electio est principium vt imperans*: & talis actus immediatus, non potest esse, nisi actus elicitus à voluntate. Ibi,

Neque sine habitu est electio: subdit Philosophus: *Bona actio enim sine more non est*, id est, virtute, *sed si ista sit maior, ad probandum quod prædixit de electione*, scilicet quòd electio non sit recta sine virtute in voluntate, & ratione in intellectu, *sumetur ista minor: Bona electio est bona actio.* Et vt clariùs intelligatur fiat sic argumentum, ad probandum, quòd electio dicitur recta à virtute & ratione, & arguitur sic: Omnis bona actio, est à more, id est, virtute, quod non est sine ratione præuia: sed bona electio est bona actio, ergo bona electio erit à virtute & ratione: & patet litera.

Actio non dicitur bona nisi à virtute, & ratione. *Præterea. Habitus practicus.* Secundò Herueus arguit sic: quia habitus practicus generatur ex praxibus: sed habitus practicus generatur ex actibus sequentibus electionem: igitur illi actus sunt praxes.

e Respondet Doctor *quòd habitus practicus generatur ex electionibus*, &c. & patet litera: & quod dicit de habitu practico, debet intelligi de habitu morali existente in voluntate, qui ex hoc dicitur practicus, quia generatur ex praxibus: impropriè tamen dicitur habitus practicus, quia propriè habitus practicus est ille, qui generatur ex actibus practicis; & tales sunt propriè actus intellectus: vel habitus moralis potest dici habitus practicus, pro quanto est conformis habitui prudentiæ, qui propriè dicitur habitus practicus. Sed quicquid sit, parum curandum est de nomine, quando res constat.

7. *Ad tertium. Ad Comment.* Hîc Doctor respondet ad argumentum Gul. Varronis, qui sic arguebat ibi: *Dicit autem Comment.* primo Ethic. quòd praxis est operatio secundùm electionem, electio etiam est tantùm circa contingens, ex tertio Ethic. quia est appetitus consiliatiuus, id est, quòd electio est appetitus consiliatiuus: ex hoc supple, quòd ad hoc vt sit recta circa media ad finem, præexigit in intellectu consilium de electione medij. Modò, consilium non est, nisi de contingente. *Quid sit electio.*

Respondet Doctor ibi: *Ad tertium ad Comment.* Oportet quòd ly *secundùm* non sit ibi nota causæ efficientis, si descriptio debet esse conuertibilis cum descripto, scilicet descriptio electionis, quæ talis est: *Electio recta conformiter se habet rationi rectæ.* quod ergo primò elicitur à voluntate, conformiter rationi rectæ, est electio recta, & è contra, scilicet: Electio recta conformiter elicitur rationi rectæ. Sequitur, sed debet intelligi ly *secundùm*: effectiuè vel formaliter. Effectiuè, quando electione imperatur actus in parte sensitiua: ille actus dicitur praxis secundùm electionem: quia hoc habet ab electione recta, inquantum ab ipsa imperatur. Formaliter verò praxis dicitur secundùm electionem, id est, quòd est ipsa electio primò, secundùm quòd conformatur consilio intellectus. Sequitur,

Vel accipitur electio pro elicitione actus volendi: 8.
qui non est electio, vel volitio aliqua: sed actio de genere actionis. Nam elicitio idem est quòd productio actus: sicut dicimus, voluntas elicit actum volitionis, id est, producit. *Electio est productio.* Sequitur, *Secundùm istam elicitionem, quasi secundùm principium actiuum est omnis praxis*, id est, quòd praxis est primò à voluntate tanquam à principio formali fundamentali productiuo: & est ab ipsa elicitione, siue productione tanquam à principio formali, quo producens dicitur productione producens: siue quo eliciens dicitur elicitione eliciens. Sequitur: *Quia actio de genere actionis reducitur ad principium productiuum*: non quòd verè sit principium productiuum: sed quia terminatur ad productum, vel est via ad productum: dicitur reduci ad principium productiuum.

SCHOLIVM.

Recapitulat tres sententias allatas, & conclusionem in qua conueniunt, scilicet Theologiam esse speculatiuam. Probat vnicâ ratione, & vna auctoritate. Refutat hanc conclusionem communem. Primò, quia daretur actus liber, qui non esset speculatio, nec praxis. Secundò, cognitionem directiuam cuiuscunque volitionis, non esse practicam, est contra definitionem notitiæ practicæ 6. Ethic. 3. Ad rationem pro opposito, docet cognitionem non fieri practicam per extensionem ad delectationem, cuius oppositum falsò Vasq. 1. part. d. 8. cap. 5. tribuit ei. Ad auctoritatem obiectam, explicat quomodo secundùm Aristotelem actus diligendi vltimum finem in Intelligentiis, est speculatiuus, quia scilicet, posuit eum esse naturalem, & intellectum circa ipsum non posse errare in quo Aristoteles errauit, & si posuisset eum liberum, elicibilem conformiter, vel difformiter rationi rectæ, poneret cognitionem ad eum, practicam. Igitur cùm discordamus ab eo in conclusione sua, discordandum etiam est ab eodem in principiis, & consequentibus ad eam, de quo Doct. 2. d. 3. q 7.

ISTæ tres viæ [a] ponunt Theologiam esse purè speculatiuam, non obstante, quòd extendatur ad dilectionem finis; siue ad illam quasi voluntas naturaliter determinetur præcedente ostensione; siue liberè & contingenter ad illam se habeat, non tamen circa obiectum contingens, & agibile: siue tertiò circa quodcunque obiectum, quomodocunque se habeat, non tamen operando, siue in ordine ad actum imperatum, sed sistendo in proprio actu elicito. Quòd autem talis extensio non concludat practicam, persuadetur: quia tunc quælibet notitia esset practica, quia quamlibet sequitur aliqua dilectio, vel delectatio. Similiter 10. Ethic. *Fælix est Dei amantissimus*: & tamen illam fœlicitatem ponit Philosophus speculatiuam, non practicam. 23. *Cap. 8.*

Contra hanc [b] conclusionem communem istis tribus viis instatur. Videtur sequi, quòd

quòd aliqua operatio eſt in poteſtate hominis, ita quòd verè ſit actus humanus, & tamen, nec ſit propriè ſpeculatio, nec praxis, puta, amor finis: conſequens videtur inconueniens. Præterea, quòd cognitio directiua in volitione quacunque non ſit practica, *cùm ſit veritas confeſsè ſe habens appetitui recto*, videtur inconueniens, quia talis veritas eſt proprium opus mentis practicæ, *ex 6. Ethic. cap. 3.*

An delectatio ſit paſſio, vide Scot. 1. d. 1. q. 3. & 3. d. 15. & 4. d. 49. q. 7. Amor eſt verè praxis, quia eſt actus elicitus voluntatis.

Quod [c] additur de delectatione, nihil eſt ad propoſitum, quia delectatio eſt paſſio conſequens naturaliter operationem perfectam, & ſiue ſit delectatio de ſpeculatione, ſiue de ſpeculato, propter extenſionem ad illam, nulla ex iſto ponitur cognitio practica, quia nec iſta eſt praxis propriè loquendo. Hoc tangetur *diſt. 15. tertij lib.* Amare autem, vel deſiderare obiectum cognitum, & hoc ſic, vel ſic circunſtantionabile, eſt verè praxis: nec naturaliter conſequens apprehenſionem, ſed liberè, rectè, vel non rectè elicibilis.

Quod [d] autem additur de felicitate, quòd ſit ſpeculatiua, quia *felix eſt Dei amantiſſimus*, dico quòd auctoritas non cogit: quia loquitur paſſiuè, quaſi maximè amatus à Deo, non actiuè, ſicut patet ibi. Subdit enim: *Siquidem curam humanorum haberi à diis ſit rationabile, & gaudere ipſos*, (ſupple Deos,) *optimum & cognatiſſimum: hoc autem eſt intellectus*, &c. *Diligentes igitur hoc, id eſt, intellectiuum, rationabile erit Deo rebeneficiare, vt amicos*, &c.

Sed [e] prætermiſsâ auctoritate illâ, nunquid fœlix ſpeculatiuus ſecundùm Ariſtotelem amat finem, vt *amare* diſtinguitur contra *delectari*, ſiue de obiecto ſpeculato, ſiue de ſpeculatione? Reſpondeo, 12. *Met.* vult Philoſophus, quòd primum mouens mouet vt amatum: igitur Intelligentia inferior amat primum. Et tamen ipſius fœlicitatem poneret in ſpeculatione, ſicut patet in 10. *Ethic.* igitur ipſe ſub ſpeculatione comprehendit, non tantùm delectationem, ſed *amare*: igitur nec propter extenſionem ad illud, erit notitia practica ſecundùm ipſum, ſed ſpeculatiua.

Text. 36.

Cap. 10.

Sed quare non tenetur in hoc; cùm ratio ſcientiæ practicæ & ſpeculatiuæ accipiatur ab ipſo, & ita duæ primæ viæ iſtam negantes, ponentes Theologiam eſſe ſpeculatiuam, benè ponunt, & præcipuè ſecundùm Philoſophum? Reſpondeo [f], illud *amare*, quod poneret in Intelligentia, poneret neceſſitate naturali voluntati ineſſe, ita quòd non contingeret ibi eam errare, & rectè agere; ita quòd reſpectu illius notitia eſſet tantummodò oſtenſiua, non directiua, nec quantum ad obiectum in particulari, nec quantum ad aliquam eius conditionem, vel aliquam circunſtantiam actus volendi.

Qua ratione ſubinde diſcordandum Theologo à Philoſopho? Vide in 2. d. 3. q. 7.

25. Hoc modo non dicerent Theologi de *amare* creaturarum intellectualium reſpectu Dei in particulari, & quantum ad circunſtantias actus, ſicut argutum eſt contra primam viam in primis duabus rationibus. Si igitur conueniſſet nobiſcum, ponendo *amare* reſpectu finis liberè, rectè, & non rectè poſſe elici, nec rectè elici, niſi eliciatur conformiter rationi rectæ, non tantùm oſtendenti obiectum, ſed etiam dictanti, ſic eſſe eliciendum, fortè poſuiſſet reſpectu talis notitiam practicam, quia confeſsè ſe habentem appetitui recto: igitur melius eſt Theologo [g], qui habet ab eo diſcordare in minori, conſequenter dicendo, diſcordare in concluſione, quàm conuenire cum eo in concluſione, quam ipſe non poneret, ſi minorem cum Theologo teneret.

Cùm igitur dicis [h], quòd ab ipſo accipimus rationem ſpeculatiui, & practici: verum eſt, & in maiori conuenimus, quòd illa eſt ſpeculatiua, quæ licèt ad dilectionem extenderetur, vt oſtendens obiectum, ſi nullo tamen modo eſſet directiua in actu, vt circunſtantionabilis eſt, & vt huius obiecti in particulari. Sed minorem, quam ipſe aſſumeret ſub, habemus negare in propoſito. Sed dato, quòd talis neceſſitas ponatur in Intelligentia ex natura voluntatis amandi Deum, nunquid ita poneret in voluntate hominis ſapientis, quem ipſe non ponit naturaliter felicem? Si non; igitur iſte poteſt dirigi in tali actu. Reſpondeo, practicam à tali non negaret, niſi quia felicitatem eius dixit eſſe ſpeculatiuam.

COMMENTARIVS.

Tres viæ coincidunt, & diſſentiunt.

1. a ISta tres viæ, &c. ſcilicet Henr. Heruei, & Gul. ſed diuerſimodè, vt ſuprà patuit in illis viis. Quæ quidem viæ, videntur in hoc concordare, quòd ſit aliqua operatio in poteſtate hominis, quæ non dicatur praxis: patet, quia prima via ponit quòd dilectio vltimi finis in particulari, non eſt praxis: cùm tamen illa dilectio ſit in poteſtate voluntatis, quod etiam ipſe Henricus concedit. Secunda via dicit, quòd dilectio finis vltimi, non dicitur praxis, quia licèt ſit in poteſtate hominis, tamen non eſt circa obiectum contingens, quod requiritur in praxi. Tertia via dicit, quòd aliquis actus voluntatis, qui eſt verè in poteſtate hominis, non dicitur praxis, vt actus elicitus immediatè à voluntate, qui non includit ordinem ad actum imperatum in

in potentia inferiori. Et probatur quòd aliquis actus in potestate hominis non sit verè praxis, & per consequens cognitio quæ extenditur ad huiusmodi actum, non dicitur practica, vt patet de cognitione vltimi finis, secundùm duas primas opiniones: & similiter de cognitione præcedente actum voluntatis, non habente ordinem ad actum imperatum. Et sic omnis talis cognitio, quæ extenditur ad huiusmodi actum, esset practica: tunc quælibet cognitio esset practica: patet, quia quamlibet sequitur aliqua dilectio, vel delectatio. Similiter 10. Ethicor. cap. 10. *Fœlix est Dei amantissimus*: & tamen istam fœlicitatem ponit Philosophus speculatiuam, non practicam.

Quid sit Felix.

2. b *Contra hanc conclusionem communem, istis tribus viis instatur.* Hîc Doctor dicit, quòd si dilectio finis non esset verè praxis, quòd duo sequerentur inconuenientia. Primò sequeretur, quòd esset aliquis actus humanus, qui nón esset praxis: dicitur actus humanus propriè, qui procedit ab homine, vt homo: sic intelligendo, quòd ille actus, qui procedit à voluntate humana liberè, & à ratione hominis, dicitur actus humanus: & sic dilectio finis, cùm procedat liberè à voluntate, mediante ratione, diceretur actus verè humanus: & tamen non esset praxis, quod videtur inconueniens. Secundò sequeretur, quòd cognitio directiua in dilectione, siue volitione quacunque, non sit practica, quod est inconueniens: patet, quia talis cognitio est veritas confessè, id est, conformiter se habens appetitui recto, id est, quòd talis cognitio, est conformatiua appetitus recti, id est, quòd appetitus non potest rectè elicere, nisi in eliciendo, conformiter se habeat tali cognitioni: & sic ista auctoritas debet exponi, talis enim veritas, siue rectitudo formalis, vel virtualis talis cognitionis, dicitur propriè opus, id est, propria operatio mentis practicæ, id est, intellectus practici: quia intellectus per huiusmodi cognitionem est verè practicus: & quòd sit propria operatio intellectus practici, patet 6. Ethic. cap. 3.

Impugnatio positionis Henr. Haruei. & Gual.
Actus humanus quid sit.

3. c *Quod additur de delectatione non est ad propositum:* quia delectatio non est operatio, sed tantùm consequitur perfectam operationem: vt infrà patebit dist. 1. q. 3. & in 4. dist. 49. Siue talis delectatio sit de speculatione: siue de obiecto speculato: vt cùm quis cognoscendo Solem, delectatur, & de Sole cognito, & de cognitione Solis: talis enim delectatio consequens illam operationem, potest quodammodo dici amor complacentiæ, quo intellectus complacet, & obiecto, & cognitioni obiecti, sufficit quòd non est operatio: nec per consequens praxis: & sic notitia ad quam concomitatur talis delectatio non erit practica, cùm notitia verè practica sit directiua in praxim, vt suprà patuit. Amare autem obiectum cognitum, vel etiam cognitionem obiecti, & hoc sic, vel sic circunstantionabilem: puta circunstantia obiecti, & aliis circunstantiis, erit verè praxis, & per consequens cognitio, quæ dirigit in huiusmodi dilectionem: siue obiecti cogniti: siue cognitionis obiecti, erit verè practica.

Delectatio quid sit.

4. d *Quod autem additur de fœlicitate, quòd est speculatiua: quia fœlix est Dei amantissimus*, debet intelligi quòd fœlix est valdè amatus à Deo, non autem debet sic intelligi, quòd fœlix maximè amat. Et quòd passiuè intelligatur, patet ibi, cùm subdit Philosophus: *Si quidem cura humanorum.* Sic exponitur talis auctoritas. *Si à Diis*, id est, Deo vel Angelis: qui dicuntur Dij à Philosophis, *sit aliqua cura humanorum*, id est, quòd diligant, vel odiant actus hominum, & *bona hominum* (quia multorum hominum opinio fuit, quòd nec Dij scirent, nec curarent opera hominum) *rationabile est ipsos Deos gaudere optimo, & cognatissimo*, id est, de eo quod exercemus nos, in actibus intellectus, & voluntatis: quæ sunt optimæ potentiæ: & optimi actus: & cognatissimi Diis, id est, cognati Deorum sumus per illas potentias: eo quòd vniuocè, tam potentiæ, quàm actus illarum sunt in Angelis Deo, & hominibus. *Rationabile est Deos, rebeneficiare homines, & sic se exercentes in illis actibus vt amicos.* Ex quo vltimo patet, quòd nos passiuè amamur à Deo secundùm Philosophum, eo quòd nos ipse rebeneficiat. Et quod dicit Doctor parum suprà de delectatione: siue de obiecto speculatiuo, siue de speculatione: certum est quòd istæ delectationes sunt ab inuicem separabiles: patet in damnatis. Si tamen permittuntur aliqualiter delectari: quia de cognitione detensionis ignis, possunt delectari, licèt de detensione illa non delectentur, cùm odiant illam: vt patebit à Doctore *in 4. dist.* 44. Aliquando contingit delectari simul, & de speculatione, & obiecto speculabili: vt patet: & sunt duæ delectationes realiter distinctæ: vna quæ terminatur ad speculationem, alia quæ terminatur ad obiectum speculabile.

Felix est valdè amatus à Deo.
Actus potentiarũ dicuntur optimi.
Damnati nollẽt puniri, & consequenter nollent iustitiam punitiuam.

e *Sed prætermissa auctoritate illa, nunquid fœlix speculatiuus*, &c. Hîc Doctor quærit, an fœlix speculatiuus, amet finem actu elicito, vt distinguitur contra *delectari*, id est, quem Aristoteles ponit fœlicem in speculatione substantiæ separatæ, vt patet 10. *Ethic. cap.* 10. amet ipsam substantiam separatam quam speculatur? videtur dicere quòd sic: vt patet 12. Metaph. tex. com. 3. vbi vult, quòd principium mouens mouet vt amatum: & sic Intelligentia inferior amat principium: & tamen fœlicitas eius consisteret, non in amore, sed in speculatione illius: vt patet 10. Ethicor. & tamen talem speculationem diceret esse practicam, quamuis talis speculatio extendatur ad talem amorem. Cùm ergo scientia, tam practica, quàm speculatiua accipiatur ab ipso: quare ergo non tenetur in hoc? videlicet, quòd speculatio, siue notitia vltimi finis, quamuis extendatur in amorem illius, non esse practicam, sed merè speculatiuam, sicut ipse tenet? 5.

f *Respondeo. Illud amare*, &c. Hæc litera est satis clara: & videtur Doctor declinare ad hoc quòd fuerit mens Aristotelis quòd fœlix speculatiuus, verè amet actu elicito obiectum fœlicitatis: & quòd speculatio talis obiecti dicatur practica, præsertim loquendo non de substantiis separatis, sed de felicitate, quàm habemus in hac vita: loquendo verò de fœlicitate in substantiis separatis, diceret quòd cognitio vltimi finis, non esset verè practica: quia Intelligentiæ necessitate naturali diligunt vltimum finem; & per consequens circa talem dilectionem non contingeret errare, nec rectè agere: & litera patet.

Cognitio vltimi finis an sit verè practica.

g *Igitur melius est Theologo*, &c. Vt cognoscantur maior, & minor, formetur sic syllogismus: Nulla scientia, quæ ordinatur ad dilectionem finis, in qua dilectione non contingit errare, nec rectè agere, est verè practica: sed in dilectione Intelligentiæ inferioris, circa vltimum finem 6.

non contingit errare, nec rectè agere (cùm diligant de necessitate naturæ:) ergo scientia illius finis non erit practica. Theologus enim habet concordare cum Philosopho in maiori: sed discordare in minori: & per consequens habet discordare in conclusione, tenendo quòd talis scientia finis sit verè practica: est igitur melius Theologo, qui habet a Philosopho discordare in minori, discordare etiam in conclusione, quàm conuenire in conclusione: quam conclusionem ipse Philosophus non poneret, si minorem cum Theologo teneret, scilicet istam: sed Intelligentia inferior in dilectione vltimi finis potest rectè, & non rectè illum diligere: & non diligit ipsum necessitate naturali. Sequitur, *Cùm igitur dicis, quod ab ipso accipimus rationem speculatiui, & practici*: dicit, quòd benè conuenimus cùm ipso in maiori, in qua ponitur ratio formalis scientiæ practicæ: sed postea discordamus in minori: accipimus enim ab ipso rationem scientiæ practicæ, & sic non discordamus ab ipso.

Theologus habet concordare, & discordare cū Philosopho.

SCHOLIVM.

Quarta sententia ait Theologiam esse affectiuam. Hæc videtur D. Bonau. hîc quæst. 3. quam refert Durand. hîc quæst. 6. & si intelligatur per affectiuam, practica, vera est, si verò alia scientia media inter speculatiuam, & practicam, falsa est, quia ostensum est art. 1. n. 5. dilectionem esse veram praxim. Quinta sententia docet Theologiam esse contemplatiuam; pro qua adducitur Augustinus, quem explicat Doctor, quòd contemplatiuum, de quo agit, continet memoriam, intelligentiam, & voluntatem, (de quo 1. dist. 3. q. vlt.) quæ, vt sunt portio superior, id est, vt respiciunt æterna, sunt contemplatiuæ. Ex quo constat, quòd contemplatio non stat in sola cognitione, sed quòd includat amorem.

26. QVarta via [a] dicit Theologiam esse affectiuam. Quod benè intelligi potest, si affectiua ponatur esse quædam practica. Si autem affectiua ponatur tertium membrum distinctum contra practicum, & speculatiuum, sic est contra dicta in primo articulo, vbi ostensum est dilectionem esse veram praxim, & etiam contra auctoritates multas, quæ sentiunt præcisè scientias distingui in speculatiuam, & practicam, & nullum esse tertium membrum.

Quinta via [b] dicit Theologiam esse contemplatiuam, pro qua via adducit August. 12. *de Trinit. cap.* 14. vbi vult, quòd *sapientia est respectu contemplationis, scientia verò respectu actionis*. Cùm igitur Theologia sit propriè sapientia, & non scientia, ipsa non erit practica, sed contemplatiua. Respondeo, August. 12. *de Trinit. cap.* 4. dicit, quòd istæ duæ portiones animæ, superior, & inferior, non distinguuntur nisi penes officia, & in vtraque tam in superiori, quàm in inferiori, est Trinitas: in superiori autem imago Trinitatis increatæ. Et tamen sola superior portio est contemplatiua, quia respicit æterna: igitur ista contemplatio, de qua loquitur, non determinatur ad speculationem intra genus scientiæ. Continet enim illud contemplatiuum memoriam, intelligentiam, & voluntatem: & ita in contemplatiuo illo potest esse extensio extra genus scientiæ, sicut potest esse in actiuo, hoc est, in portione inferiori, respiciente temporalia, quæ etiam habet Trinitatem. Si igitur ista est contemplatiua, vt loquitur ibi August. non prohibetur propter hoc, esse practica, si extenditur ad praxim in portione superiori.

D. Bonau. lib. 1. in Prologo, q. 3. Ægid. lib. 1. vide Aug. 8. de Ciuit. c. 4. & Auic. 1. Met. in princip. & Comment. 1. Ethic. c. 1. & Arist. 11. Met. c. illo Omnis autē scientia. Portio superior, & inferior non distinguuntur, nisi penes officia, de quo 2. d. 24. & 3. d. 18.

COMMENTARIVS.

1. a QVarta via hæc est opinio D. Bonauenturæ *lib. 1. in Prologo, quæst.* 3. & Ægidij *lib.* 1. qui dixit Theologiam esse affectiuam: quæ opinio si intelligatur sic, quòd sit affectiua ex hoc, quòd talis scientia dirigit in amorem: siue ex hoc, quòd dirigit potentiam affectiuam, scilicet voluntatem in amorem, siue in affectum, verum dicit, & concordat cum opinione Doctoris. Si verò ponat affectiuam tertium membrum inter practicam, & speculatiuam, hoc est contra primum articulum, vbi ostensum est dilectionem, etiam vltimi finis esse veram praxim: & per consequens scientiam Theologiæ ad ipsum amorem dirigentem esse verè practicam. Est etiam contra multas auctoritates, quæ ponunt scientiam præcisè distingui in practicam, & speculatiuam.

b Quinta via, quæ est Guillelm. Varr. lib. 1. q. 4. dicit Theologiam esse contemplatiuam, &c. Ibi. Respondet Augustinus, &c. id est, portio superior respicit æterna, & inferior temporalia, idem enim intellectus vt cognoscit æterna, per talem cognitionem dicitur portio superior, & vt idem cognoscit temporalia, per talem cognitionem dicitur portio inferior, ita quòd in tali intellectu, ante huiusmodi cognitiones, non est distinguere ex natura rei portionem superiorem, & inferiorem. Hoc idem dico de voluntate, quæ vt diligit æterna, dicitur portio superior: vt verò diligit temporalia, dicitur portio inferior. Sed de huiusmodi portionibus vide Doctorem *in 2. d. 24. & in 3. d. 18.* & vide quæ ibi prolixè exposui, præcipuè *in 2. d. 24.*

Portio superior, & inferior.

In vtraque portione est trinitas, scilicet in superiori propriè est imago Trinitatis, de quo vide infrà Doctorem *dist. 3. quæst. 9.* siue vltima, *& in 2. d. 16. & d. 34.* & quæ ibi exposui. Sola igitur portio superior est contemplatiua, cùm respiciat æterna: igitur ista contemplatio de qua Augustinus loquitur, non determinatur ad speculationem intra genus scientiæ, id est, quòd contemplatio illa non includit præcisè notitiam de æternis, ita quòd tantùm sistatur in speculatione illorum.

Sola portio superior est contemplatiua.

Sed

Sed illud contemplatiuum continet memoriam, intelligentiam, & voluntatem: accipit hìc *memoriam* pro perfecta fœcunditate: quæ, vt sic, includit intellectum, & voluntatem: vt infrà patebit *dist. 3. quæst. vlt.* & *intelligentiam* pro actuali intellectione æternorum: & *voluntatem* pro actuali amore æternorum, vt infrà patebit *dist. 3. quæst. vltima.* Et sic patet quòd contemplatio ista non stat præcisè in cognitione: sed etiam in amore rei cognitæ, & sic cognitio æternorum ordinatur ad amorem illorum: & per consequens erit verè practica.

SCHOLIVM.

Sexta sententia Gotfredi, quam sequuntur Nominales, Occham, Gabr. Maior. Greg. tenet Theologiam esse partim practicam, partim speculatiuam, sicut doctrina, in qua essent aliqua de Iure, & aliqua de Philosophia. Probatur, quia Theologia tractat de operabilibus distinctiùs, quàm requiritur ad speculationem, & de speculabilibus, distinctiùs, quàm requiritur ad praxim: ergo. Hanc refutat Doctor. Primò, quia cùm Theologia nostra non habeat euidentiam ex obiecto, non debet distingui iuxta operabilia, & speculabilia, aliàs ponenda esset duplex fides infusa, de istis. Secundò, licèt sit probabile in nostra Theologia esse habitum speculatiuum, & practicum: tamen in Theologia in se non habet apparentiam, quia eius obiectum est essentia Dei in se, vt hac, & maximè vnum. Tertiò, suprema scientia debet esse vna. Quartò, deducit rationem Gotfr. ad oppositum, quia non traditur aliqua cognitio in Theologia, nisi de fine, vel de conditionibus appetibilitatis eius, vel eorum quæ sunt ad ipsum, vel de aliquibus, in quibus operans errare poterit, nisi dirigatur, & omnis talis cognitio est practica.

Alia [a] est opinio discordans à præcedentibus, in conclusione, quæ dicit, quòd ista scientia est speculatiua, & practica. Quod probatur dupliciter. Vno modo sic; sicut doctrina illa, in qua scriberentur aliqua de Iure, & aliqua de Philosophia, esset speculatiua, & practica, siue scriberentur in distinctis libris, siue capitulis, siue intercalariter, & commistim: ita in ista doctrina simul speculatiua, & practica tractatur, non in diuersis libris, & capitulis, sed intercalariter, & commistim: ergo ipsa est speculatiua, & practica. 27. *Gotfredus Quodl. 13. q. 1.*

Secundò sic probatur, nulla speculatiua cognitio distinctiùs tractat de operabilibus, quàm eorum cognitio sit necessaria ad speculationem: nec practica distinctiùs tractat de speculabilibus, quàm eorum requiratur cognitio propter praxim, ad quam extenditur. Ista autem tractat de operabilibus distinctiùs, quàm cognitio eorum requiratur ad speculationem, & distinctiùs de speculabilibus, quàm cognitio eorum requiratur ad cognitionem practicam: igitur ipsa est speculatiua, & practica. Maior probatur; quia speculabilia non considerantur in scientia practica, nisi propter considerationem practicam: nec operabilia in speculatiua, nisi propter considerationem speculatiuam. Minor patet, quia hìc tractatur de operabilibus ita distinctè, ac si esset de eis præcisè, & etiam de speculabilibus, ac si esset de eis præcisè.

Contra istam [b] opinionem arguitur sic: Habitus non habens euidentiam ex obiecto, non distinguitur secundùm distinctionem obiectorum (tunc enim oporteret ponere duas fides infusas) iste autem habitus non habet euidentiam ex obiecto: igitur non distinguitur secundùm distinctionem obiectorum: igitur non est duo habitus propter distinctionem operabilium, & speculabilium. 28. *1. Ratio cōtra Gotfred.*

Præterea; Illa [c] opinio de duobus habitibus quamuis possit probabilitatem aliquam habere de Theologia, vt tradita est in Scriptura: tamen de Theologia in se, cuius subiectum primum est essentia diuina, vt hæc essentia, sicut dictum est de subiecto Theologiæ, non videtur probabilis. Nam de isto subiecto, cùm sit verissimè vnum cognoscibile, nata est haberi primò aliqua notitia verè vna. Si verò detur aliqua, quæ non sit de ipsa essentia, sed de aliquo alio primo, ista alia non erit Theologia in se. Est igitur vnus habitus simpliciter, licèt fortè cum ipsa possit in Scriptura esse aliqua alia notitia, quæ sit de alio subiecto. *2. Ratio. Theologiam nostram esse speculatiuā, & practicā quoad partes probabile.*

Item patet quòd ordo scientiarum secundùm eminentiam, stat ad aliquod vnum tantùm: quia non possunt duæ esse scientiæ simpliciter primæ Istam vnam eminentissimam, & solam, dico esse Theologiam, quæ sola est primò de primo subiecto Theologiæ. *3. Ratio.*

Præterea, [d] deduco rationem eius ad oppositum. Illa cognitio est practica, in qua non determinatur de speculabilibus magis quàm cognitio eorum pertineat ad praxim, vel ad cognitionem practicam: sed cognitio ista non tractat de speculabilibus distinctiùs, quàm cognitio eorum requiratur ad cognitionem practicam, vel praxim dirigendam: ergo, &c. Probatio minoris; quælibet cognitio de conditionibus appetibilitatis finis, & de conditionibus eorum quæ sunt ad finem, quatenus sunt ad finem; & *4. Ratio. Deducit rationē Gotfr. ad oppositū. Omnis cognitio dirigens ne appetitus erret, est practica.*

& tertiò de conditionibus quibuscunque huius, vel illorum, circa quas contingit potentiam operatiuam errare, nisi dirigatur, est necessaria ad practicam cognitionem: nulla autem est cognitio hîc tradita de fine, nec de his, quæ sunt ad finem, quin sit talis: ergo, &c. Vel saltem circa ista contingit voluntatem ignorantem errare, sicut dicetur in solutione tertiæ obiectionis contra solutionem quæstionis principalis.

29. *Ponitur vt additio à Mauritio, sed iuxta antiqua M. S. est verè textus.* Licèt enim Trinitas personarum non ostendat finē appetibiliorem, quàm si esset non Trinus, quia est finis inquantùm vnus Deus, non inquantùm Trinus: tamen voluntatem ignorantem Trinitatem, contingit errare in amādo, vel desiderando finem, desiderando frui vna persona sola. Similiter, ignorantem Deum fecisse mundum contingit errare, non rependendo amorem, qualem gratitudo requireret propter tantam communicationem bonitatis suæ, ad vtilitatem nostram factam. Ita, ignorando articulos pertinentes ad nostram reparationem, contingit ignorantem errare, etiam non rependendo amorem debitum pro tanto beneficio, & ita de aliis Theologicis. Assumptum patet, quia quæcunque conditiones traduntur de fine, magis natæ sunt ostendere appetibilitatem finis: & conditiones eorum, quæ sunt ad finem, magis natæ sunt ostendere ea, quæ sunt ordinata ad finem.

Ad argum. n. 27. positū. Ad argumentum eorum, patet quòd minor est falsa. Ad probationem dico, quòd non potest ita distinctè tractari de fine cognito, & de his quæ sunt ad finem, quin tota illa cognitio esset practica intellectui creato: quia tota illa cognitio nata est ostendere finem sub ratione appetibilis, & ea quæ sunt ad finem sub ratione ordinis eorum ad finem, vel circa quæcunque posset voluntas non directa errare.

COMMENTARIVS.

1. *Gotfr. Quodl. 13. q. 1.* a *Alia est opinio, videlicet Gotfredi discordans à præcedentibus in conclusione: quæ dicit quòd Theologia, nec est tota speculatiua, nec tota practica: sed partim practicā, & partim speculatiua:* quia in Theologia aliqua considerantur, vt sunt operabilia; alia verò, vt sunt speculabilia: & probat ibi: *Secundò sic probatur.*

Expono istam literam: *Nulla speculatiua cognitio distinctiùs tractat de operabilibus, quàm eorum cognitio sit necessaria ad speculationem*, id est, quòd si aliqua scientia speculatiua tractet de aliquibus operabilibus, tantum de eis tractat, quantum cognitio eorum est necessaria speculationi: quia non considerat illa operabilia, nisi tantùm speculatiuè. Sequitur: *Nec practica distinctiùs tractat de speculabilibus, quàm eorum requiratur cognitio propter praxim, ad quam extenditur*, id est, quòd etsi scientia practica tractet de aliquibus speculabilibus, ex eo tractat de illis, inquantùm eorum cognitio est necessaria propter praxim, & non aliter tractat. Sequitur: *Ista autem*, supple Theologia, tractat de operabilibus *distinctiùs, quàm cognitio eorum requiratur ad speculationem*, id est, quòd Theologia ita distinctè tractat de operabilibus, ac si cognitio eorum nullo modo requiratur ad speculationem, & per consequens, vt sic tractat de operabilibus in se dicitur practica. Et similiter, ita distinctè tractat de speculabilibus, ac si eorum cognitio nullo modo requireretur ad cognitionem practicam, & per consequens, vt sic tractat de illis, dicitur speculatiua; & patet ista litera.

2. b *Contra istam opinionem.* Hîc Doctor arguit contra istam opinionem, & præcipuè contra hoc: quia videtur ponere Theologiam esse duplicem habitum, scilicet practicum, & speculatiuum. *Theologia nostra dicitur vnus habitus.* Certum est enim quòd Theologia nostra tantùm dicitur vnus habitus, non numero, sed fortè genericus. Et quia ista opinio videtur ponere distinctos habitus Theologiæ propter distincta obiecta, considerata in illa, ita quòd propter operabilia dicitur practica, & propter speculabilia speculatiua. Contra hoc arguit Doctor: quia illi habitus distinguuntur ex obiectis, quæ habent euidentiam ex illis: patet, quia sicut entitas scientiæ est ab obiecto, ita & vnitas, & distinctio. Nam scientiæ propriè, quæ habent euidentiam ab obiecto, specificantur ab illo: sed Theologia nostra non habet euidentiam ex obiecto, cùm sit tantùm reuelata, vt diffusè exposui in quæstione de subiecto Theologiæ: ergo non habet distinctionem ex obiecto operabili, & ex obiecto speculabili. *Ab obiecto scientiæ est entitas scientiæ vnitas, & distinctio.* Et quod dicit Doctor: *tunc enim oporteret ponere duas fides infusas*, id est, si Theologia haberet distinctionem ex illis obiectis, ex quibus non habet euidentiam: oporteret ponere duas fides infusas, scilicet vnam de speculabilibus, & aliam de operabilibus.

c *Præterea illa opinio de duobus habitibus.* Dicit Doctor quòd etsi possit habere probabilitatem de Theologia nostra: nullam tamen habere potest de Theologia in se, & patet litera, & præsertim ex suprà dictis, in quæstione de subiecto Theologiæ.

d *Præterea deduco rationem eius ad oppositum.* 3.
Et ratio Doctoris stat in hoc: videlicet quòd Theologia non tractat distinctiùs de speculabilibus, quàm cognitio eorum requiratur ad cognitionem practicam, vel praxim dirigendam, id est, quòd præcisè tractat de speculabilibus, pro quanto eorum cognitio est necessaria ad praxim dirigendam: & hoc probat ibi: *Qualibet cognitio, &c. Et tertio de conditionibus quibuscunque huius*, scilicet appetibilitatis finis: *vel illorum*, scilicet mediorum ad finem: *circa quas*, supple conditiones, *contingit potentiam operatiuam errare, nisi dirigatur*, &c. Et quomodo circa finem contingit errare: & circa ea, quæ sunt ad finem, suprà patuit. *Conditiones reddentes finē appetibiliorē.* Conditiones finis nostri (qui est Deus in se) reddentes ipsum appetibiliorem, sunt istæ: quòd finis noster vltimus est creator, gubernator, redemptor, & huiusmodi. Conditiones verò finis (quæ est beatitudo nostra formaliter) puta clara visio essentiæ, vel fruitio eiusdem sunt perpetuitas, securitas, & huiusmodi, & patet ista litera vsque ad finem.

SCHOLIVM.

Septima sententia D.Thom. 1.p.q.1.art.4. vbi Caiet. Vasq. dist.9.c.3.& alij Theologiam esse vnum habitum, qui simul est speculatiuus, & practicus. Hanc refutat additio, quia scientia vt sic diuiditur in speculatiuam,& practicam : ergo nulla scientia potest esse simul hac, & illa, aliàs aliquod animal posset esse rationale.

Alia opinio tenet eandem conclusionem. Sed ponit cum hoc Theologiam esse simpliciter vnum habitum. 30. D. Thom. 1. part. q. 1. art. 4. Additio.

Et hoc propter subiectum eius vnum, quod est Deus, in quo conueniunt omnia, de quibus in scientia determinatur. Omnia enim cadunt sub consideratione huius scientia, inquantùm participant aliquod diuinum. Et ideò, siue consideret de his per extensionem ad opus, siue non, sed purè speculatiuè propter vnitatem formalem subiecti, tamen hac scientia est vna.

Contra istam opinionem arguo sic: Quandocunque aliquod commune diuiditur primò per differentias oppositas, impossibile est vtramque differentiam inueniri in aliquo vno contento sub communi: sed scientia in communi diuiditur primò in practicam, & speculatiuam: ergo impossibile est istas differentias simul inueniri in aliqua scientia vna. Maior est manifesta, quia si differentia condiuidentes aliquod commune, possent se compati in aliquo contento sub communi, tunc idem corpus posset esse corporeum,& incorporeum,& idem animal sensibile, & insensibile,& idem homo rationalis,& irrationalis,qua sunt absurda. Minor patet per Auic. 1.Metaph. in principio, & per Commentatorem 1. Eth comm.1. & per Gondisaluum de diuisione scientiarum. Item, sequuntur de eodem duo contradictoria, videlicet extendi, & non extendi, & multa alia inconuenientia: quare, &c.

SCHOLIVM.

Resoluendo quaestionem, prima conclusio est, Theologiam necessariorum in intellectu creato, esse practicam. Probatur primò, quia talis cognitio est conformis volitioni recta, & naturaliter prior ipsa, ex dictis num. 5. 6. 7. Secundò, subiectum primum Theologia est virtualiter conforme volitioni recta, & ab eo sumuntur principia practica eius, ipsum etiam determinat intellectum creatum ad notitiam rectitudinis praxeos, priùs quàm voluntas creata velit. Contra hanc rationem obiicit quadrupliciter, & soluit singillatim obiectiones.

Ad quæstionem [a] igitur respondeo, quòd cùm actus voluntatis elicitus sit verissimè praxis, etiamsi non concomitetur aliquis actus imperatus (vt patet ex primo articulo)& extensio cognitionis practicæ consistat in conformitate ad praxim,& prioritate aptitudinali(vt habetur ex secundo articulo)sequitur, quòd illa est cognitio practica, quæ est aptitudinaliter conformis volitioni rectæ,& naturaliter prior ipsa:sed tota Theologia necessaria in intellectu creato est sic conformis actui voluntatis creatæ, & prior ea : ergo, &c. Probatio minoris, quia primum subiectum [b] Theologiæ est virtualiter conforme volitioni rectæ, quia à ratione eius sumuntur principia prima rectitudinis in volitione : ipsum etiam [c] determinat intellectum creatum ad notitiam rectitudinis determinatæ ipsius praxis, quoad omnia Theologicalia necessaria, priùs naturaliter, quàm aliqua voluntas creata velit(aliàs non esset necessaria;) ergo ex primo subiecto sequitur tam conformitas, quàm prioritas Theologiæ ad volitionem : & ita extensio ad praxim, à qua extensione cognitio dicenda sit practica. Confirmatur ratio ista, quia cùm primum obiectum Theologiæ sit vltimus finis, & principia in intellectu creato sumpta à fine vltimo, sint principia practica : igitur principia Theologiæ sunt practica : ergo & conclusiones sunt practicæ. 31. *Suprà n.5.6.7.* *Quid cognitio practica?* *Finis duplex.*

Sed obiicitur,[d] quia(ex quæstione præcedente)Deus non est hìc primum subiectum, inquantùm finis,sed,vt hæc essentia : principia autem sumpta à fine,vt finis est,sunt practica. Item, cognitio finis vltimi non est immediatè conformis, nec nata est esse conformis immediatè praxi eliciendæ : ergo non est propinquè practica.

Item, primum obiectum includit virtualiter conformitatem ad praxim rectam, non tamen solam cognitionem sic conformem, alioquin non posset de ipso esse cognitio speculatiua : quod videtur inconueniens. Qualiter enim est ista veritas practica, *Deus est trinus?* Vel, *Pater generat filium?* ergo primum obiectum includit aliquam notitiam speculatiuam : igitur ex conformitate illa virtuali primi obiecti ad praxim, non sequitur Theologiam esse practicam, cùm multæ veritates, quæ sunt maximè Theologicæ, inquantùm Theologia distinguitur à Metaphysica, sint speculatiuæ.

32. Item, tunc ſcientia Dei eſſet practica, quæ eſt de eodem ſubiecto primo, & etiam videtur, quòd ratio ſolutionis quæſtionis poſſit applicari ad intellectum diuinum, ſicut ad creatum.

Ad primum [e] dico, quòd reſpectus finis non eſt illud, à quo principia ſumuntur in aliqua ſcientia: ſed illud abſolutum, in quo fundatur reſpectus, & illud eſt eſſentia hæc.

Ad ſecundum [f] dico, quòd virtualiter continens cognitionem conformem, eſt virtualiter conforme, & ita cognitio eius eſt practica: quia concluſiones practicæ habent principia practica: proxima autem cognitio illi, quæ eſt de fine, eſt cognitio fruitionis finis: & iſta nata eſt eſſe conformis formaliter praxi fruitionis.

Ad tertium [g] dico, quòd primum obiectum ſolummodò includit notitiam conformem volitioni rectæ: quia virtute eius nihil de ipſo cognoſcitur, quòd non ſit vel rectitudo volitionis alicuius, vel virtualiter includens notitiam talis rectitudinis. Et concedo, quod infertur in conſequente, quòd de ipſo nulla poteſt eſſe ſcientia ſpeculatiua. Neceſſariò enim notitia eius, & cuiuſcunque intrinſeci per ipſum cogniti, conformis eſt praxi aptitudinaliter, & prior, ſi cognitum eſt neceſſarium. Cùm inſtatur [h] de illis veritatibus, quæ videntur maximè Theologicæ, & non Metaphyſicæ, vt *Deus trinus*, & *pater generat filium:* dico, quòd iſtæ ſunt practicæ. Prima enim includit virtualiter notitiam rectitudinis dilectionis, tendentis in tres perſonas; ita quòd ſi actus eliceretur circa vnam ſolam, excludendo alias (ſicut infidelis eliceret) eſſet actus non rectus. Secunda includit notitiam rectitudinis, ſecundùm quòd actus eſt circa duas perſonas, quarum vna eſt ſic ab alia.

An notitia regulet circa vnā perſonam? 1.d. 1.q.2. & 2. d.43.

Si obiiciatur [i] contra hoc ſic; quia nihil niſi eſſentiale eſt ratio terminandi actum illius dilectionis: Theologia autem eſt magis propriè de perſonalibus, quàm de eſſentialibus, quia eſſentialia plurima poſſunt à nobis in Metaphyſica cognoſci: igitur Theologia vt diſtinguitur à Metaphyſica, quantum ad propriiſſima ſibi, non eſt practica. Prima propoſitio probatur, quia aliàs eſſet aliqua ratio diligibilitatis in vna perſona, quæ non eſſet in alia; quod falſum eſt, quia tunc nulla beatificaretur in ſe ipſa.

Quomodo perſonæ diuinæ terminent actum amandi?

Reſpondeo, eſſentiale eſt ratio formaliter terminandi actum amandi, vt *propter quam:* ſed perſonæ terminant, vt *quæ amantur*, non autem ſufficit ad rectitudinem actus, quòd habeat rationem formalem conuenientem in obiecto: ſed etiam requiritur, quòd habeat obiectum conueniens, in quo ſit talis ratio formalis. Præter iſtam igitur notitiam rectitudinis, quam includit eſſentiale in actu amandi Deum, perſonalia includunt propriam notitiam vlteriorem rectitudinis requiſitæ.

COMMENTARIVS.

1. *Opinio Doctoris propria.*

a *AD quæſtionem ergo reſpondeo.* Hìc Doctor intendit probare, quòd Theologia ſit ſimpliciter practica: & probatio ſua principalis ſtat in hoc, loquendo de Theologia neceſſariorum: Omnis notitia, quæ naturaliter eſt prior praxi, & conformis, ſiue conformatiua ipſius, dicitur practica: ſed notitia Theologica neceſſariorum eſt huiuſmodi: ergo talis notitia erit practica. Maior patet ſuprà, per deſcriptionem notitiæ practicæ. Minor probatur à Doctore ibi: *Probatio minoris*, &c. Hìc duo faciam. Primò probabo minorem in forma: deinde exponam literam.

Theologia eſt ſimpliciter practica.

Probatur ergo minor: Omnis notitia virtualiter contenta in aliquo primo obiecto virtualiter conformatiuo, id eſt, habente virtutem dandi rectitudinem notitiæ, eſt verè practica, ſed notitia Theologiæ neceſſariorum eſt huiuſmodi. Nam (vt probatum eſt in quæſtione de ſubiecto Theologiæ) notitia Theologica omnium neceſſariorum virtualiter continetur in Deo ſub ratione Deitatis, & per conſequens proprietas talis notitiæ etiam ibi virtualiter continetur. Et talis proprietas notitiæ Theologicæ eſt rectitudo formalis, ſiue directiuitas in praxim, ſiue conformatiuitas. Quòd autem hìc ſit à Deo ſub ratione Deitatis: probatur, quia Deus ſub ratione Deitatis eſt finis ſimpliciter vltimus, qui eſt amabilis ſuper omnia propter ſe, & omnia alia propter ipſum: & ſic ſequitur quòd eſt virtualiter directiuus, ſiue conformatiuus: quia cauſando notitiam Theologicam neceſſariorum, dat illi directiuitatem formaliter.

b Secundo expono literam. Cùm dicit: *quia primum ſubiectum Theologiæ eſt virtualiter conforme volitioni rectæ*, id eſt, volitio recta, ex hoc dicitur recta, quia conformis tali obiecto, ſupple ſic cognito. Sequitur: *quia à ratione eius ſumuntur principia prima rectitudinis in volitione*, id eſt, à ratione formali primi obiecti Theologiæ, vel à notitia eiuſdem, *ſumuntur principia prima*, id eſt, notitiæ primorum principiorum in Theologia: quæ notitia dat rectitudinem volitioni: quia volitio ideò dicitur recta, quia conformiter elicitur cognitioni principiorum formaliter rectæ: ſiue cognitioni concluſionis formaliter rectæ. Et, vt clariùs hoc intelligatur pono exemplum: nam Deitas eſt ratio formalis, qua Deus dicitur finis totius Theologiæ, præſertim neceſſariorum: cognita tali Deitate in ſe, & per conſequens cognito ipſo Deo: & ſimiliter cognito primo prædicato de ipſa Deitate: puta diligibilitate, quæ virtualiter continetur in Deitate: ſtatim poſſum formare hoc principium: Quicquid includit Deitatem, ſub ratione Deitatis eſt ſuper omnia diligibile: 2.

Deitas eſt formalis ratio qua Deus dicatur finis totius Theologiæ.

gibile: Deus includit Deitatem, sub ratione Deitatis; ergo Deus est super omnia diligibilis. Notitia istarum præmissarum virtualiter continetur in Deitate, vel in notitia Deitatis: & talis notitia est verè directiua in praxim: dictat enim immediatè illud esse super omnia diligibile, quod formaliter includit Deitatem. Et similiter notitia conclusionis. Et sic ex ista maiore possunt subsumi multæ minores: puta scilicet, Pater includit formaliter Deitatem, ideò est super omnia diligibilis. Et sic de aliis personis. Et breuiter, ratio diligibilitatis super omnia, de quocunque concluditur in Deo, ratione Deitatis concluditur. Ex quo ergo notitia principiorum dicitur formaliter recta ab obiecto: puta à Deo, sub ratione Deitatis, sequitur quòd Deus sub ratione Deitatis est virtualiter rectitudo praxis: vel notitia ipsius Deitatis: quia habet in virtute sua notitiam principiorum, & conclusionum, & per consequens habet in virtute sua notitiam talium necessariorum. Sequitur in litera.

4. c *Ipsum etiam*, supple obiectum Theologicum, *determinat intellectum creatum*, &c. Vt hoc clarè intelligatur, pono quòd intellectus creatus habeat Deum sub ratione Deitatis perfectè præsentem. Certum est, quòd in intellectu tali priùs causatur notitia: puta huius conclusionis, *Pater est super omnia diligibilis*: quàm volūtas eliciat actum circa talem conclusionem: talis notitia dicitur formaliter determinatiua, siue directiua, siue rectificatiua praxis eliciendæ: & quia talis notitia virtualiter continetur in Deo, sub ratione Deitatis: dicimus quòd ipse Deus sub ratione Deitatis determinat talem intellectum ad notitiam rectitudinis determinatæ ipsius praxis: quia causat in tali intellectu huiusmodi notitiam, quæ est formaliter rectitudo rectificatiua praxis eliciendæ. Si ergo Deus sub ratione Deitatis priùs causat talem notitiam, quàm voluntas eliciat actum: sequitur quòd talis notitia erit prior praxi elicienda. Confirmatio sequens clara est ex suprà dictis.

5. *Dubia.* Hîc tamen occurrunt aliqua dubia, quæ faciunt difficultatem propter dicta Doctoris. Primum circa hoc; quod dicit, quòd obiectum Theologicum virtualiter continet notitiam rectitudinis, respectu intellectus creati, quia dicit, quòd determinat ipsum ad notitiam rectitudinis, &c. Sed simpliciter loquitur de omni intellectu: hoc est difficile sustinere: quia Theologia nostra respectu necessariorum, ex quo non habet euidentiam ab obiecto Theologico, puta à Deo, sub ratione Deitatis: vt patet ab ipso in quæstione de subiecto Theologiæ, sequitur, quòd talis notitia non habeat rectitudinem, respectu praxis à tali obiecto: patet, quia ab eadem causa simpliciter est notitia, & rectitudo eius: vt suprà patuit quæstione præsenti. Patet etiam: quia tota Theologia nostra respectu necessariorum, id est, omnis notitia Theologica de necessariis in intellectu viatoris est simpliciter reuelata, loquendo semper de communi lege, vt ab ipso patet in quæstione de subiecto Theologiæ. Sequitur ergo, quòd cognitio Theologica nostra non dicatur rectitudo formaliter ab obiecto Theologico, cùm ab illo non habeat euidentiam.

6. *Solutio.* Dico primò, quòd hîc Doctor loquitur absolutè de intellectu creato, non determinando se ad intellectum viatoris, vel comprehensoris: intelligendo sic, quòd si in aliquo intellectu creato esset notitia ipsius Deitatis, sibi perfectè præsentis: & per consequens si haberet notitiam huius principij: *Quod includit Deum sub ratione Deitatis est super omnia diligibile*: statim talis notitia diceretur formaliter rectitudo ab obiecto, à quo habet euidentiam. Et certum est, quòd notitia Theologica necessariorum in intellectu comprehensoris est formaliter rectitudo respectu praxis eliciendæ, ita quòd talis rectitudo est à tali obiecto.

Si dicatur quomodo hoc est possibile, cùm ad talem notitiam non concurrat aliquo modo Deitas, sub ratione Deitatis, vt subtiliter probat Doctor in quæst. 14. Quodl. & si sic, ergo nec notitia, nec rectitudo illius, virtualiter continetur in tali obiecto. *Obiicit.*

Dico (vt aliàs dixi) quòd sufficit quòd sit ab aliquo, perfectè supplente vicem talis obiecti, cuiusmodi est voluntas diuina. *Responsio.*

Si dicatur, quòd etiam hoc potest sequi in intellectu nostro: quia voluntas diuina, saltem imperfectè supplet vicem obiecti Theologici, & sic habitâ tali notitiâ, possum formare principia, & conclusiones, & multa alia. *Alia obiectio.*

Dico, quòd non est simile, quia omnes articuli fidei de necessariis, sunt simpliciter reuelati: nec credo vnum articulum propter alium: vt subtiliter patet à Doctore *in 2. dist.* 14. Sed quicquid sit, dico paucis, quòd omnis notitia Theologica est simpliciter practica à quocunque causetur, siue ab obiecto, siuè à supplente vicem obiecti: quia notitia Theologica est simpliciter talis obiecti primi, quòd si esset immediatè ab illo, haberet euidentem rectitudinem, respectu praxis eliciendæ. *Solutio.* *Notitia Theologica est practica.*

Hic quidam Doctor arguit contra hoc dictum Doctoris. Videlicet, quòd habitus practicus dicatur practicus ab obiecto, virtualiter continente illum, & quòd Theologia necessariorum dicatur sic practica. Contra hoc arguit: Quia tunc sequeretur, quòd Metaphysica de Deo esset practica, & non speculatiua: quod etiam videtur falsum, secundùm Scotum, qui in soluendo quoddam argumentum in principio quæstionis factum, ad probandum Theologiam non esse practicam ex authoritate Boëtij assignantis tres partes scientiæ speculatiuæ, quarum vna est Theologia, ait sic: Dico, quòd Boëtius intelligit per *Theologiam* Metaphysicam: hinc vt apparet, non vult negare Boëtius, sed exponere. 7. *Greg. de Ari. q. 5. art. 2.* *Prima ratio.*

Præterea, quòd hoc consequens sit falsum, scilicet quòd Metaphysica sit scientia practica, arguit sic: Nam cuiuscunque scientiæ practicæ actus proprius elicitus est notitia practica. Patet, quia ex actibus practicis generatur habitus practicus, & actus sequentes habitum, similes sunt præcedentibus, ex quibus est genitus. Sed nullus actus proprius Metaphysicæ (& loquor de Metaphysica, quæ acquiritur ex studio libri Metaphysicæ) est notitia practica: quod patet, quia nulla talis conclusio est formaliter directiua praxis. *2. Ratio.*

Item, arguit sic: quia si habitus practicus diceretur practicus, quia virtualiter continetur in obiecto, &c. sequeretur, quòd de nulla re mundi posset haberi scientia speculatiua. Consequens reputo sic absonum, vt nec curem probare, nec expedit, cùm ipse aliquas scientias ponat speculatiuas. Consequentia patet, quoniam nulla res est in mundo, quæ non sit bona, & per consequens, quæ non contineat virtualiter aliquam *3. Ratio.*

noticiam, directiuam operationis voluntatis circa ipsam.

8. *Confirmatio.* Confirmatur istud: Quia etiam notitia, quæ est simplex apprehensio rei, est notitia secundùm istum Doctorem taliter directiua: quantò magis autem notitia complexa, quâ cognosceretur rem esse bonam: talem autem quælibet res de se potest causare, concurrentibus aliis partialibus causis. Hæc ille.

Contra aliud dictũ arguit Greg. suprà. Articulo 2. Deinde arguit contra aliud dictum, quod imponit Doctori, videlicet quòd simplex apprehensio obiecti potest dici practica: & arguit sic: Omnis notitia practica: affirmat, aut negat aliquid circa qualitatem operationis. Sed notitia incomplexa non est huiusmodi: ergo, &c. Probat maiorem per Auicennam, & per Philosophum.

Item sic arguit: Si aliqua talis notitia incomplexa esset propriè practica, multò magis notitia complexa medicinæ theoricæ esset practica: consequens patet falsum per Auicennam primo libro medicinæ, & per rationem patet illud consequens esse falsum: quia tunc non esset distinctio inter practicam, & speculatiuam.

Confirmatio. Confirmatur: Si enim simplex apprehensio alicuius herbæ, vel aromatis est practica: multò magis illa complexa, quâ scitur illam herbam esse calidam, vel frigidam. Nam ex ista potest immediatiùs, & meliùs quid dirigi ad operandum: & tamen ista non est propriè practica, cùm nihil dicat de qualitate operationis.

Articulo 3. Vlteriùs secundùm hoc: Omnis notitia cuiuscunque rei esset practica, & nulla speculatiua: patet, quia secundùm ipsum Scotum notitiam esse practicam nihil aliud est, quàm ipsam esse directiuam. Sed notitia incomplexa non est directiua, nisi quatenus est manifestatio obiecti: & cùm omnis notitia complexa sit etiam manifestatio obiecti, quælibet erit directiua praxis alicuius.

Articulo 4. Præterea: Qua ratione notitia simplex vnius rei est directiua praxis circa illam rem, vt dilectionis, vel alterius: eâdem ratione cuiuslibet rei notitia simplex erit directiua dilectionis, aut odij, vel alterius praxis circa eam. Et maximè hoc patet, si (sicut ipse dicit) simpliciter notitia de Deo, qualis est visio beatifica, sit directiua praxis, scilicet dilectionis circa ipsum, ac per hoc practica: Sic enim, & cuiuslibet creaturæ notitia est directiua dilectionis circa eam, & per consequens secundùm eum practicam. hæc Gregorius.

9. *Responsio ad rationes Gregorij.* Ad istas rationes respondeo. Et primò, quando dicit quòd tunc sequeretur, quòd Metaphysica esset scientia practica, quæ considerat de Deo, vt est prima causa, primum independens, esse infiniti vigoris, summè sapientem, & huiusmodi. Dico primò, quòd hoc non sequitur. Vnde pro intelligentia huius, quòd de eodem, sub alia, & alia ratione considerato, potest esse notitia practica, & speculatiua. Exemplum: nam de homine secundùm corpus, vt sic, vel sic mixtum, potest esse scientia practica, vt medicina. Similiter considerato sub ratione animæ intellectiuæ, natæ beatificari, potest esse scientia moralis: & etiam vt consideratur ipsa anima, vt tantùm est actus corporis Physici: vel, vt id, quo sumus, intelligimus, & mouemur motu progressiuo, & huiusmodi, potest esse scientia speculatiua. Nam in libro de Anima consideratur anima, & potentiæ illius, & operationes, & proprietates: vt sunt tales, vel tales entitates: & huiusmodi consideratio dicitur speculatiua; vt verò consideratur, vt est quoddam bonum creatum, ordinatum ad talem, vel talem finem: vt propter aliud diligibile, & huiusmodi, potest dici notitia practica. Sic dico in proposito, quòd Deus multipliciter potest considerari: vt est simpliciter primum independens: prima causa, &c. ita quòd talis consideratio non respicit Deum, vt obiectum operabile, siue, vt amabile, & talis consideratio potest esse Metaphysicalis, & merè speculatiua. Si verò Theologicè consideratur: patet quòd talis consideratio erit practica: quia non tantùm sistitur in huiusmodi consideratione, sed etiam talis consideratio dirigit in praxim.

Sed occurrit non parua difficultas. Quia pono, quòd quis cognoscat perfectè quiditatem animæ, an notitia talis sit practica, an speculatiua? Si dicatur, quòd sit speculatiua. Contrà: Quia quiditas animæ cùm sit substantia perfecta, & causa partialis talis notitiæ: & per consequens videtur, quòd det rectitudinem tali notitiæ, & sic practica. Si dicatur, quòd talis notitia sit practica: non est intelligibile, quòd de vno, & de eodem obiecto, sub eadem ratione considerato, possit esse notitia practica, & speculatiua: quæ notitiæ habeant euidentiam ab obiecto, & virtualiter includantur in illo. Si dicatur, quòd ipsa anima intellectiua potest considerari sub duplici bonitate, scilicet essentiali, & quiditatiua; & sub bonitate, quæ non tantùm sit passio entis, sed sit quædam bonitas, consequens naturam indiuidui. Vt primo modo consideratur, talis consideratio erit speculatiua. Secundo verò modo erit practica. Sed hoc nihil est, quia etiam Deus, sub ratione Deitatis, vt etiam suo modo præscindit à bonitate attributali; adhuc est subiectum perfectissimum, super omnia diligibile, & est ratio perfectissima obiecti fruibilis: vt patet à Doctore in dist. 1. primi, quæst. 2. 10. *Difficultas incidentalis, sed valdè notanda.*

Præterea, arguo sic: Nam obiectum agit secundùm vltimum potentiæ suæ, ad cognitionem sui: & similiter intellectus, qui est altera causa partialis, ergo producit notitiam suam perfectissimam, quantum potest. Aut ergo illa notitia est practica, aut speculatiua. Si primò, ergo non potest agere ad cognitionem sui speculatiuam. Si secundò, ergo non potest producere notitiam sui practicam: præsertim cùm notitia specificetur ab obiecto.

Oportet ergo dicere, quòd si de eodem obiecto possit esse notitia practica, & notitia speculatiua, quòd in illo sit alia, & alia ratio: secundùm quas alia, & alia cognitio accipi possit. Et sic ab anima intellectiua, vt est tantùm quædam entitas quiditatiua, causatur immediatè notitia speculatiua: & vt est quædam bonitas perfectionalis, causatur notitia practica. Exemplum: nam phantasma albedinis causat speciem intelligibilem in intellectu: non tantùm ipsius albedinis, sed omnium contentorum essentialiter, vel virtualiter in ea, scilicet albedine. Et sic species intelligibilis albedinis tantùm causat cognitionem ipsius speculatiuam: & similiter species intelligibilis coloris causat notitiam speculatiuam ipsius. Species verò boni contenti in albedine causat notitiam practicam ipsius boni: 11. *Solutio.*

ita

ita quòd dirigit voluntatem in dilectionem bonitatis albedinis. Et non habeo pro inconuenienti, quòd idem sub eadem ratione formaliter virtualiter contineat plures species intelligibiles, quarum vna sit partialis causa cognitionis speculatiuæ, & alia cognitionis practicæ.

12. *Idem cõtinet virtualiter plures species intelligibiles.*

Si verò teneatur, quòd vna, & eadem species intelligibilis possit partialiter causare cognitionem obiecti cuius est, & omnium contentorum, tam virtualiter, quàm essentialiter. Dico, quòd potest esse partialis causa respectu vnius cognitionis practicæ, & respectu alterius speculatiuæ. Exemplum: homo virtualiter continet proprias passiones: similiter talem, vel talem bonitatem: cognitio causata à specie intelligibili hominis, vt tantùm terminatur ad quiditatem ipsius, absolutè potest dici speculatiua. Cognitio verò bonitatis hominis, secundùm quam est diligibilis, causata ab eadem specie intelligibili, dicitur practica. Similiter, si obiectum esset in se præsens in cognitione intuitiua, non solùm posset causare cognitionem sui intuitiuam: sed etiam omnium contentorum virtualiter in eo: vt patet à Doctore *infra distinct.* 8. *quæst. penult. & in Quodl. & alibi.* Et sic cognitio intuitiua hominis absolutè sumpti, posset dici speculatiua: cognitio verò bonitatis hominis, secundùm quam est diligibilis posset dici practica, quia directiua in praxim. & quando Doctor dicit, quòd cognitio practica habet rectitudinem ab obiecto: & similiter speculatiua habet ab obiecto, vt dicatur speculatiua. Debet sic intelligi, quòd idem obiectum secundùm aliud, & aliud virtualiter, vel essentialiter contentum causat aliam, & aliam notitiam: ita quòd si illud contentum esset per se, haberet virtutem causandi notitiam: tantùm causaret notitiam, vel practicam, vel speculatiuam. Si enim bonitas obiecti esset per se, & esset causatiua notitiæ sui, talis notitia esset practica. Si modò à continente illam causaretur, eadem notitia esset similiter practica. Hoc patet à Doctore vbi suprà in simili.

13. *Hic soluũtur instãtia Greg. & Guill.*

Et ex his patet ad omnes instantias, quas facit Gregorius vbi suprà, & Guillelmus Occham *in Prolog. quæst.* 4. *principali, quæ est* 10. *in ordine.* Quando inferunt, quòd si notitia practica diceretur practica ex hoc, quòd virtualiter continetur in obiecto, &c. quòd tunc notitia de omni re esset practica: & sic de triangulo, lapide, herba, & huiusmodi. Responsum est, quòd non est inconueniens de eadem re secundùm aliam, & aliam proprietatem, accipere scientiam practicam, & speculatiuam. Et similiter quando dicunt, quòd tunc Metaphysica, siue cognitio metaphysicalis quæ est de Deo sub ratione infiniti: primæ causæ, independentis, & huiusmodi, quòd esset practica: negatur.

De Deo potest esse notitia practica, & speculatiua.

Et dico primò, quòd si cognitio istorum tantùm sumatur à sensibilibus, quòd propriè non dicetur practica. Si verò esset ab ipso Deo, virtualiter continente, non haberem pro inconuenienti, ipsam esse practicam: quia talis notitia haberet conformitatem directiuam ab ipso Deo in veram praxim. Cognitio autem Metaphysicalis non est, nisi de conceptibus sumptis à sensibilibus, vt suprà patuit.

14. Dico etiam, quòd non haberem pro inconueniente, quòd aliqua notitia, immediatè causata à Deo, vel à voluntate Dei, supplente vicem obiecti, quòd dicatur speculatiua, & aliqua, quòd dicatur practica. Exemplum: Si Deus causaret in me notitiam, puta primæ independentiæ, vel notitiam similitudinis, & æqualitatis personarum, vel notitiam paternitatis, vel filiationis diuinæ, vel notitiam conceptus entis, qui prædicatur de Deo, quod huiusmodi notitiæ dicantur speculatiuæ. Nam si omnia ista per se essent, & causarent notitiam sui, certum est quòd talis notitia esset tantùm speculatiua. Si verò causaret notitiam bonitatis Dei, vel notitiam Patris, includentis bonitatem infinitam formaliter, & huiusmodi; tales notitiæ essent practicæ: quia si huiusmodi obiecta per se essent, & possent causare cognitionem sui, non causarent nisi notitiam practicam. Et sic patet, quòd non sequuntur tot inconuenientia, vt isti dicunt.

Dico vltrà, quòd non est inconueniens aliquam cognitionem Metaphysicalem esse practicam. Sed hoc pro nunc transeat. 15. *Aliqua cognitio Metaph. est practica.*

Ad alia, quæ dicit Gregorius contra Doctorem quòd non sit aliqua notitia simplex, & incomplexa practica.

Dico primò, quòd non inuenio, quòd Doctor dicat absolutè, quòd sit aliqua notitia simplex, & incomplexa practica: sic intelligendo, quòd illa dicatur notitia incomplexa, quæ terminatur ad obiectum incomplexum. Nam notitia Dei, absolutè sumpti non est directiua alicuius actus voluntatis, qui terminetur ad obiectum simpliciter incomplexum. Sed est directiua in hoc obiectum, quòd Deus est bonum diligibile, vel quòd Deus sit in se diligibilis; & sic talis notitia dictat Deum esse diligendum. Si verò intelligat ipse, quòd notitia practica dicatur complexa, circa qualitatem operis: puta, quòd dictet sic, vel sic operari, hoc haberet probare. Sed quicquid sit, si à Doctore ponitur notitia simplex, & incomplexa practica, debet intelligi de practica largè sumpta: quia propriè notitia practica dictat de aliquo verè agibili, & sic notitia conclusionis circa agibile dicitur propriè practica, & præcipuè quando dictat in particulari, vt infrà patebit. *Notitia practica largè, vel propriè.*

Dico vltrà, quòd si notitia simplex obiecti dicatur practica, potest dici practica virtualiter: quia à notitia obiecti sumitur notitia principiorum practicabilium: & à notitia principiorum sumitur notitia conclusionum: & sic talis notitia simplex obiecti magis recedit à vera cognitione practica, & accedit ad cognitionem speculatiuam: patet vt per rationem Doctoris infrà: & sic patet, quòd instantiæ factæ à Gregorio contra .. octorem nihil concludunt.

d *Sed obiicitur*, &c. Hîc Doctor arguit contra superiùs dicta, & primò contra hoc, quod dixit, quòd scientia Theologica respectu necessariorum, sumitur à subiecto Theologico, siue à Deo, sub ratione Deitatis. Contra hoc arguit, quia suprà in præsenti quæstione dixit, quòd omnia principia practica sumuntur à fine; sed Deus sub ratione finis non est subiectum Theologiæ necessariorum, vt suprà patuit, in quæstione de subiecto Theologiæ. 16.

e Respondet ad hoc argumentum ibi: *Ad primum dico.* Responsio stat in hoc, quòd principia practica in Theologia non sumuntur à fine, inquantùm finis, supple, inquantùm includit illum respectum, quòd est amari, & desiderari; siue secundùm alium respectum: sed sumuntur à fine inquantùm habet rationem obiecti. Et tunc finis, à quo sumuntur principia practica in Theo *An principia practica sumũtur à fine.*

Theologia, eſt tantùm ſub ratione Deitatis.

Secundò arguit, quòd cognitio finis vltimi, non ſit verè practica, ibi: *Item cognitio finis vltimi non eſt immediatè conformis*, ſiue conformatiua: *nec nata eſt eſſe conformis*, ſiue conformatiua immediatè praxis eliciendæ: patet, quia cognitio propinquè practica eſt de concluſione practica.

De conformatiuo praxis propinquè, & remotè.

f Reſpondet, ibi: *Ad ſecundum dico.* Et reſponſio ſtat in hoc: nam obiectum dicitur conforme, id eſt, conformatiuum praxis eliciendæ virtualiter, & remotè; & notitia practica, ab eo producta dicitur conformis, id eſt, conformatiua formaliter ipſius praxis: quia ab obiecto recipit ipſam rectitudinem, à qua formaliter dicitur conformatiua praxis, vt ſuprà dixi. Et talis notitia, quæ formaliter dicitur conformatiua praxis (& hoc propinquè) eſt propriè cognitio concluſionis practicæ: quia voluntas conformiter elicit velle, puta Deum diligere ſuper omnia: cognitio verò ſubiecti dicitur conformatiua remotè, & virtualiter: & ſic concedit, quòd cognitio talis finis in ſe eſt remotè practica.

17. Tertiò arguit, probando, quòd ſit aliqua cognitio Theologica reſpectu neceſſariorum, quæ non dicitur verè practica, ſed ſpeculatiua: vt cognitio huius, *Deus eſt trinus*, vel *pater generat filium.* Et litera clara eſt ex ſupra dictis.

g Reſpondetur ibi: *Ad tertium dico.* Hîc Doctor concedit abſolutè, quòd omnis cognitio Theologica, quæ habetur virtute obiecti Theologici eſt practica: quia notitia ipſius Dei, & cuiuſcunque intrinſeci, per ipſum cogniti, conformis eſt praxi aptitudinali, ſiue conformatiua praxis: & etiam eſt prior, ſi cognitum ſit neceſſarium. Et hoc non contradicit his, quæ ſuperiùs dixi, ſcilicet quòd aliquã cognitio, quæ habetur virtute Dei, ſit ſpeculatiua: vt de conceptu entis, de paternitate, ſimilitudine, & æqualitate. Iſta enim ſecundùm ſuas rationes formales ſunt verè ſpeculabilia. Et quod dicit, quòd notitia cuiuſcunque intrinſeci, quæ habetur virtute Dei, eſt practica. Hoc debet intelligi de notitia complexa, ſiue de notitia obiecti complexi: vt puta de iſta, *Pater eſt æqualis Filio*, & è contra. Debet etiam intelligi de notitia obiecti, includentis bonitatem diuinam, vel incluſi in tali bonitate. Non enim notitia paternitatis, vt paternitatis, dicitur propriè Theologica: ſed magis Metaphyſica. Et ſi intelligat hîc Doctor quòd omnis notitia, quæ habetur virtute obiecti Theologici, ſiue complexa, ſiue incomplexa, ſiue incluſa in bonitate diuina, ſiue circumſcribendo ipſam ſit practica: tunc teneatur illud quod ſuprà dixi, quòd notitia, quæ habetur virtute Dei, eſt practica: & omittatur quod dixi de paternitate, ſimilitudine, & æqualitate. Prima tamen expoſitio magis videtur ad mentem Doctoris, vt patet hîc in litera: vbi expreſsè vult, quòd eſſentiale eſt ratio abſolutè terminandi actum amandi: & per conſequens ſi paternitas intelligeretur circumſcribi à perfectione diuina eſſentiali, magis diceretur obiectum ſpeculabile: quia vt ſic, non eſſet ratio terminandi actum amandi.

Aduerte ne contradictionem putes.

18. h *Cùm inſtatur de illis veritatibus*, &c. Hîc aduerte primò, quòd hæc veritas complexa, *Deus eſt trinus, & vnus*, non dicitur propriè continere notitiam rectitudinis, &c. quia notitia concluſionis, demonſtrabilis virtualiter, continetur à principiis, vel à notitia principiorum, vt ſuprà patuit de ſubiecto Theologiæ: ſed dicitur continere virtualiter, ratione ſubiecti, ſcilicet ipſius Dei, à quo principaliter accipitur rectitudo, tam principiorum, quàm concluſionum practicabilium, vt ſuprà patuit, & ſic Deitas, vel notitia Deitatis virtualiter continet rectitudinem notitiæ huius, *Deus eſt trinus, & vnus*: id eſt, quòd ex ſe neceſſariò cauſat notitiam trium, vt rectam. Nota ſecundò, quòd poteſt eſſe notitia recta, quæ præcisè regulet in dilectionem vnius perſonæ: patet, quia viator poteſt rectè frui vna perſona, non fruendo alia, vt patet à Doctore *diſtinct.* 1. *quæſt.* 2. *huius, & in* 2. *diſtinct.* 43. licèt enim illa notitia excludat actu aliam perſonam, non excludit tamen habitualiter, vt infrà patebit *diſtinct.* 1. *quæſt.* 2. tunc enim eſſet actus non rectus, ſi ſimpliciter excluderet alias perſonas. Sequitur: *Secunda includit notitiam rectitudinis*, ſecundùm quòd actus eſt circa duas perſonas, quarum vna eſt ſic ab alia: non enim hæc veritas, *Pater generat Filium*, primò includit virtualiter talem notitiam ſic rectam: ſed Deus ſub ratione Deitatis, eo modo, quo ſuprà expoſui aliam propoſitionem.

Poteſt etiam breuiter dici, quòd *includere rectitudinem notitiæ*, poteſt dupliciter intelligi: videlicet originatiuè, & terminatiuè: primo modo rectitudo notitiæ ab eo eſt originatiuè, à quo talis eſt notitia: & ſic à ſolo Deo, ſub ratione Deitatis eſt primò originatiuè. Secundo modo ipſa veritas complexa dicitur virtualiter continere rectitudinem notitiæ, pro quanto talis notitia terminatur ad tale complexum: ideò enim eſt recta, quia eſt talis complexi: ſicut dicimus etiam, quòd ideò actus eſt bonus ex genere, quia tranſit, ſiue terminatur ad tale obiectum: vt patet à Doctore in 2. diſt. 7. 19.

Includere rectitudinē dupliciter poteſt intelligi.

i *Si obiiciatur contra hoc ſic.* Hîc Doctor arguit probando, quòd notitia de perſonalibus ſit ſimpliciter ſpeculatiua: quia non regulat voluntatem in dilectionem perſonalium: patet, quia ratio terminandi actum dilectionis eſt bonitas eſſentialis: ſolum enim eſſentiale, quod dicit perfectionem in diuinis, eſt diligibile: perſonale autem, cùm nullam perfectionem formaliter dicat (vt patet à Doctore infrà *diſtinct.* 26. *& alibi ſæpè*) non erit ratio terminandi actum dilectionis: modò Theologia magis eſt de perſonalibus, quàm de eſſentialibus, quia eſſentialia plurima poſſunt à nobis in Metaphyſica cognoſci: ergo Theologia erit magis ſpeculatiua, quàm practica.

Obiectio.

Eſſentiale dicit perfectionē in diuinis, non autem rationale.

Reſpondet Doctor, quòd aliud eſt loqui de termino dilectionis, vt *quo*: & aliud, vt *quod*: ſiue aliud loqui de ratione formali, terminandi actum dilectionis: & aliud eſt loqui de re, quæ terminat. Primo modo ponitur perfectio ſua bonitas, ſiue eſſentialis, ſiue attributalis ratio formalis terminandi actum dilectionis, ſecundo modo ponuntur perſonæ terminare: ſed tamen non ſufficit ad rectitudinem actus, quòd habeat rationem formalem, conuenientem in obiecto; ſed etiam requiritur, quòd habeat obiectum conueniens, in quo ſit talis ratio formalis.

Solutio.

***

SCHO

SCHOLIVM.

Ad quartum argumentum poſitum num. 32. admittit probabiliter Theologiam Dei de neceſſariis eſſe practicam, quia eſt conformis rationi rectæ, & prior naturaliter volitione, quia priùs intellectus intelligit obiectum primum, & in eo omnem notitiam neceſſariam incluſam, quàm voluntas velit illud. Obiicit contra hoc tripliciter, & ſoluit primam obiectionem tantùm. Aliæ verò duæ ſoluuntur in additione: vide eum 1. diſt. 38.

AD quartum [a] poſſet concedi, quòd Theologia Dei de neceſſariis ſit practica, quia in intellectu ſuo natum eſt primum obiectum Theologicum quaſi gignere notitiam conformem volitioni rectæ, priorem naturaliter ipſa volitione. Quòd conformem, patet. Quòd priorem, probatur; quia priùs naturaliter intellectus intelligit obiectum primum, quàm voluntas velit illud: igitur priùs naturaliter volitione, poteſt habere omnem notitiam ſufficienter virtualiter incluſam in intellectione primi obiecti: talis eſt quæcunque notitia neceſſaria de primo obiecto. Conſequentia ſuppoſita patet, tùm quia per impoſſibile excluſa omni volitione, poſſet intellectus habere omnem notitiam ſufficienter virtualiter incluſam in intellectione primi obiecti, cùm illa intellectio præcedat omnem volitionem: tum, quia intellectus diuinus non diſcurrit: igitur non priùs naturaliter intelligit primum obiectum, quàm aliquid virtualiter in illo incluſum, quoad notitiam: ergo ſi priùs intelligit primum obiectum, quàm voluntas velit aliquid, priùs intelligit quodlibet incluſum, quoad notitiam in primo obiecto, quàm voluntas velit. Hæc ſecunda probatio conſequentiæ minùs valet.

33. Theologia Dei de neceſſariis practica probabiliter.

Si obiiciatur, [b] quia tunc voluntas diuina non erit prima regula ſui in actibus ſuis, ſi eius actum præcedat notitia, cui in agendo debet conformari, ad hoc vt rectè agat: conſequens autem videtur inconueniens, quia tollit ſummam libertatem voluntatis diuinæ, ſi ab alio determinetur, & non ex ſe primò, quoad primum actum ſuum: ſi autem præcedit omnem actum ſuum cognitio practica, ab intellectu determinabitur ad primum actum, quia non poteſt ei diſſentire: tunc enim poſſet peccare.

Inſtat cõtra reſponſionẽ.

Item ſuprà dictum eſt Philoſophum benè dicere conſequenter, ſi intelligentia naturaliter amat Deum viſum, ergo notitia oſtendens Deum non eſt practica. Fiat autem ſimilis conſequentia de Deo naturaliter amante ſe. 34.

Item, Dirigens aliqua cauſa eſt reſpectu directi: igitur eſt diſtinctio realis inter ipſa: non eſt autem talis diſtinctio intellectionis Dei ad velle. Et confirmatur, quia intelligendo iam velle eſſe elicitum, intellectus non dirigit: tantùm enim dirigit circa actum eliciendum, quaſi prior ipſo. Sed in Deo velle ſui non ſequitur voluntatem in eſſe: igitur nunquam eſt ibi quaſi eliciendum, ſed ſemper quaſi elicitum: ergo, &c.

Hîc videtur conſequenter dictis, dicendum, quòd accipiendo regulam pro rectificante in praxi, prima regula eſt finis vltimus, qui virtualiter includit primò notitiam omnis rectitudinis neceſſariæ cuiuſcunque praxis: ſicut primum ſubiectum ſcientiæ ſpeculatiuæ primò virtualiter includit notitiam omnium veritatum ſpeculabilium. Hæc autem prima regula, quæ eſt finis, ordinatè rectificat intellectum, & voluntatem, ſicut ipſæ potentiæ natæ ſunt agere ordinatè, ita quòd priùs quaſi gignit notitiam conformem rectæ praxi, quàm rectificet praxim: & ita potentia practicante, alia erit potentia prior, & priùs recta: ita quòd primum conſequens illatum in prima ratione, videtur concedendum.

Prima potentia practicante alia eſt prior.

Cùm verò improbatur; poſſet dici, quòd ſicut vniuerſaliter libertas ſtat cum apprehenſione præuia, ita ſumma libertas ſtat cum ſumma apprehenſione præuia. Apprehenſio autem praxis perfectiſſima, includit notitiam conformitatis, quando ipſa neceſſariò conuenit praxi.

Cùm vlteriùs additur, quòd determinata ſit aliunde: hoc negandum eſt loquendo de determinatione, quæ ſit per agens ſufficiens. Licèt enim non poſſit diſſentire à notitia rectificatiua praxis, & priori praxi: hoc tamen non eſt, quaſi intellectus per notitiam ſit cauſa ſufficienter actiua determinans ipſam ad actum: ſed ex perfectione voluntatis eſt, quòd ipſa tantùm nata eſt conformiter agere potentiæ priori in agendo, quando illa prior priùs perfectè agit circa obiectum, hoc eſt, tantum nouit priùs, quantum poſſet noſſe. Quod dico pro contingentibus, quorum intellectus diuinus non habet omnem notitiam ſibi compoſſibilem ante omnem actum voluntatis: ideò circa illa non oportet, quòd conformiter agat potentiæ priori in agendo: quia ipſa non priùs conformiter nouit tale obiectum. Sed ſemper aliter accidit circa cognoſcibilia 35.

Determinari Deum ad ſui amorem an tollat eius libertatem?

noſcibilia neceſſaria ex ſe: quia iſta perfectiſſimam ſui notitiam habent abſque actu voluntatis.

ADDITIO. *Ad ſecundum poteſt dici, quòd non eſt ſimile, quia ibi eſt ſimplex complacentia: hîc verò efficax circunſtantionata volitio Similiter non ſolùm intellectus diuinus eſt oſtenſiuus, ſed æquiualenter ſaltem regulatiuus: quod non poſuit Philoſophus. Vel aliter, quòd eſt regulatio, & determinatio obiectalis, etſi non potentialis, quod non poſuit Philoſophus.*

Ad tertium dico, quòd ſi concluderet; ſequeretur, quòd nec intellectio, nec volitio aliqua eſſet in Deo, cùm eſſentia diuina ſit obiectum motiuum ad vtrumque, & ita cum parte concurrente potentia vitali, vt concauſa. Dico igitur, quòd eſt tantùm ordo, quaſi effectuum eiuſdem quaſi cauſæ in propoſito, quæ tamen non diſtinguitur à quaſi effectibus: quia nec propriè cauſantur, nec producuntur, nec principiantur, nec eliciuntur, ſed ſimpliciter emanant: eſt igitur metaphorica cauſalitas, ſicut communiter conuenit in diuinis. Vel aliter, ſuſtinendo intellectum quoquo modo dirigere, negatur aſſumptum propriè loquendo de cauſa.

Ad confirmationem dico, quòd ſufficit ordo naturæ, qui ſtat cum ſimultate durationis cognitionis ad praxim, & voluntatis ad velle, & ſic patet ad argumenta ſuſtinendo primam viam.

SCHOLIVM.

Suſtinet etiam Theologiam Dei de neceſſariis non eſſe practicam, quia licèt eius cognitio ſit prior volitione, non eſt regulatiua eius, quia volitio non eſt regulabilis. Reſoluit tandem, ſi teneatur non ſufficere notitiam eſſe de ſe regulatiuam, niſi potentia practicans in cognoſcente, ſit regulabilis, vt ſit practica, Theologiam Dei de neceſſariis, non eſſe practicam; ſi verò non requiratur voluntatem eſſe regulabilem, practica erit, & vtrùm dicatur, relinquit vt problema, de quo 1. diſt. 38.

36. *Ad cognitionem practicā requiri, potētiam practicantē eſſe regulabilem.*

Licèt hæc reſponſio videatur euadere argumentum, & per eam etiam ſequentia argumenta poſſent euadi: tamen aliter poſſet dici, quòd Theologia neceſſaria in intellectu diuino, non eſt practica, quia non eſt prioritas naturalis intellectionis ad volitionem, quaſi conformatiui ad ipſum conformandum, ſiue directiui ad dirigendum aliquid. Quia poſita notitia quacunque rectitudinis ipſius praxis, quamuis iſta ex ſe poſſit conformare potentiam conformabilem, ſeu rectificabilem aliunde: non tamen voluntatem diuinam reſpectu ſui primi obiecti, quæ ex ſe ſola rectificatur reſpectu iſtius obiecti: ita quòd vel talis naturaliter tendit in illud, vel ſi liberè, nullo modo eſt de ſe quaſi indifferens ad rectitudinem, & quaſi aliunde aliquo modo habens eam; ita quòd notitia determinatiua rectitudinis, non eſt neceſſariò prior volitione, quaſi volitio illam requirat, vt rectè eliciatur, ſed tantùm præexigit oſtenſionem obiecti. Et iſtam notitiam ex ſe directiuam non præexigit vt directiuam, ſed tantùm vt oſtenſiuam, ita quòd ſi poſſet præcedere volitionem ſola oſtenſio obiecti, & ſequi notitia rectitudinis neceſſariæ ipſius praxis, ſicut dicetur de praxi circa contingentia; æquè rectè eliceretur volitio tunc, ſicut nunc. Nullo ergo modo intellectio eſt prior, vt conformatiua, ſeu regulatiua volitionis.

Theologiam Dei de ſe practicam, vel ſpeculatiuam eſſe problematicè proponit.

Ad argumentum igitur probans prioritatem rectitudinis ad praxim rectam, reſponderi poteſt; quòd licèt ſit aliqua prioritas intellectionis ad volitionem: non tamen eſt ſic prior, vt requirat rationem rectam eſſe priorem praxi. Quia talis prioritas eſt regulæ ad regulatum, qualis eſſe non poteſt, quando voluntas eſt omnimoda regula ſui in agendo. Huius controuerſiæ de ſcientia Dei reſpectu ſui, an ſit practica, ſumma in hoc conſiſtit, ſi notitia, quæ de ſe eſſet directiua in praxi, dato quòd potentia practicans in ſciente non eſſet dirigibilis in agendo, ſit practica, ex hoc ſolo, quòd eſſet ſic ex ſe directiua: vel non practica, ex hoc, quòd potentia practicans in ſciente, non eſt dirigibilis. Qui alteram partem tenet, dicat conſequenter.

COMMENTARIVS.

1. QVartò principaliter arguit Doctor ibi: *Item tunc ſcientia Dei eſſet practica.* Et deducit ad inconueniens, quòd notitia Theologica in intellectu diuino poſſet dici verè practica.

a Reſpondet ibi: *Ad quartum poſſet concedi, quòd Theologia Dei de neceſſariis ſit practica.* Hæc litera clara eſt hîc, & ex ſupradictis. Vult enim quòd poſſit dici practica ex his conditionibus, videlicet quia prior praxi, ſiue volitione diuina; & quia talis cognitio, quantùm eſt ex ſe, eſt conformatiua, & directiua praxis, quantùm ad voluntatem determinabilem, ſiue rectificabilem:

lem: sed quantum ad voluntatem indeterminabilem, & irrectificabilem non potest dici practica: quia cognitio propriè practica, ex suprà habitis tres conditiones requirit; quòd sit prior praxi; quòd si conformatiua praxis; & quòd respiciat voluntatem determinabilem, & hoc vltimum deficit in diuinis. Et hæc est expressè mens Doctoris, vt infrà patebit, & loquor semper de cognitione Dei respectu necessariorum: quia illa necessariò præcedit actum diuinæ voluntatis. Secus est de notitia contingentium, quia sequitur actum diuinæ voluntatis, vt patet in præsenti quæst. & infrà, dist. 39. & in quoli. q. 14. & litera clara est.

Notitia propriè practica habent tres conditiones.

2. *Tum, quia intellectus diuinus non discurrit.* Per istam rationem, sicut & per priores, probat, quòd notitia necessariorum in diuinis præcedat actum voluntatis, quia intellectus diuinus non discurrit: ideò cognito primo obiecto, in eodem instanti omnia necessaria sunt sibi nota. Et dicit Doctor quòd hoc argumentum minùs concludit, quàm alia præcedentia, quia etsi ibi non discursus, potest tamen intellectus diuinus priùs intelligere vnum, & posteriùs aliud, vt diffusè exposui suprà in illa quæstione: *An Theologia sit scientia.*

Vide Franciscum Mayronis in prol. ge primi sent. q. 14.

Dubium. Sed in hoc, quod dicit Doctor, quòd intellectus diuinus priùs cognoscit omnia necessaria in diuinis, quàm voluntas diuina velit illa. Occurrit aliqualis difficultas: tum, quia secundùm ipsum, *dist. 1. primi quæst. 2. alibi sæpè:* intellectio, & volitio diuina, cùm sint perfectiones simpliciter, præcedunt omnem proprietatem hypostaticam, & per consequens volitio diuina intelligitur prior ista veritate necessaria, *Pater generat filium.* Et Doctor concedit infrà dist. 6. quòd Pater volens generat filium. Quæro tunc: an Pater in illo priori, quo vult generationem filij, intelligat generationem filij? & si sic: quæro, qua notitia, an abstractiua? an intuitiua? non abstractiua, quia est imperfecta; non intuitiua, quia illa sequitur existentiam obiecti præsentis. Sed quia hæc difficultas est discutienda in dist. 10. huius primi, respondendo ad vltimum argumentum principale. Ideò solutio huius differatur vsque ibi.

Solutio datur alibi.

3. b *Si obijciatur, quòd tunc voluntas diuina non erit prima regula*, &c. Hîc Doctor facit tres rationes cum vna confirmatione, probando, quòd notitia Theologica Dei, respectu necessariorum, non dicatur verè practica, & dat duas responsiones, & in prima concedit, quòd sit verè practica; quia habet tres conditiones, scilicet quia prior praxi, directiua praxis, & voluntas est practicabilis. Sic intelligendo, quòd ex perfectione voluntatis est, quòd ipsa tantùm nata est conformiter agere potentiæ priori in agendo: hoc est, quòd tantum nouit priùs, quantum posset nosse: non autem quòd sit determinabilis ab intellectu, quia hoc dicit imperfectionem. Secunda responsio est, quòd talis notitia non dicatur propriè practica, quia deficit sibi tertia conditio, quia voluntas diuina nullo modo est potentia practicabilis, & hanc secundam responsionem videtur magis approbare, & licèt tota litera clara sit, vsque ad secundum articulum.

4. c Expono tamen aliqua dicta in litera. Cùm dicit primò: quòd *sicut libertas stat cum apprehensione obiecti praxia*, id est, quòd stante apprehensione obiecti, voluntas circa illud potest liberè

Expositio literæ.

elicere actum: licèt talis apprehensio sit simpliciter necessaria: *& ita summa libertas stat cum summa apprehensione praxia: apprehensio autem praxis perfectissima* (siue apprehensio obiecti perfectissima, circa quod voluntas nata est elicere praxim) *includit notitiam conformitatis, quando ipsa necessariò conuenit praxi*, id est, quòd talis apprehensio est, vel formaliter, vel virtualiter ipsa rectitudo praxis, vt suprà exposui, & hoc *quando ipsa*, scilicet apprehensio, *necessariò conuenit praxi*, id est, quando ipsa necessariò est recta: non est autem necessariò recta, nisi ab obiecto necessario, quod dat necessariò rectitudinem praxi, vt suprà dixi, & dicitur conuenire necessariò praxi: quia habet ab obiecto necessario hanc rectitudinem, cui praxis conformiter est elicienda.

d *Cùm additur, quòd tunc voluntas sit determinata aliunde*, id est, à tali apprehensione obiecti, *negandum est, loquendo de determinatione, quæ fit per agens sufficiens*, sicut dicimus: quòd causa prima determinat secundum ad agendum, vel quòd calor in ligno sufficienter determinat ipsum ad agendum, & hoc modo apprehensio non determinat voluntatem diuinam ad volendum rem apprehensam, quia hoc repugnaret perfectissimæ libertati. Et posito, quòd talis apprehensio concurrat, vt partialis causa ad actum voluntatis (tenendo illam tertiam positionem d. 25. secundi) adhuc nullo modo determinaret, quia semper voluntas diuina esset principalior causa sui actus, & hoc est, quod dicit parum infrà: *licèt enim non possit dissentire*, &c.

e *Sed ex perfectione voluntatis est, quòd ipsa tantùm nata est*, &c. Vult dicere quòd quando intellectus diuinus cognoscit obiectum vt diligibile, voluntas diuina ex sua summa libertate diligit illud conformiter tali notitiæ, sequitur: *hoc est, tantùm mouit prius*, supple intellectus diuinus, *quantum potest nosse: quod dico propter contingentia:* quorum intellectus diuinus non habet omnem notitiam, ante actum voluntatis diuinæ, vt patet à Doctore infrà dist. 39. ideò circa illa, non oportet voluntatem diuinam conformiter agere, vt potentiæ priori, cùm cognitio talium sit simpliciter posterior: quia ipsa, scilicet potentia intellectiua non priùs conformiter nouit tale obiectum, id est, quòd cognitio talis contingentis in intellectu diuino non est prior, nec absolutè, nec vt conformatiua actu voluntatis diuinæ. 5.

Sequitur: *sed semper aliter accidit circa cognoscibilia necessaria ex se*, quia talis cognitio præcedit vt prior absolutè, & vt prior in conformando, & dicit *necessaria ex se*, qualia sunt omnia intrinseca ipsi Deo: quiditates verò quæ sunt ab æterno, sunt tantùm necessariæ secundùm quid, & in tali etiam esse dependent ab intellectu diuino, vt patet à Doctore infrà *dist. 3. quæst. 4. dist. 35. 36. 42. & in secundo dist. 1. quæst. 1. & in quolib. quæst. 14.* Et quod etiam dicit, quòd voluntas diuina necessariò conformatur tali apprehensioni necessariorum, non necessariò conformatur, vt causæ necessariò producenti, & determinanti: sed hoc est ex sua infinita perfectione, quòd quando ostenditur sibi ab intellectu obiectum, formaliter infinitum, & infinita dilectione diligibile, & necessariò diligit illud, vt magis infrà patebit dist. 10. Sequens litera non indiget expositione cùm hîc sit clara, & etiam ex supradictis.

Quomodo voluntas diuina necessariò diligit.

SCHOLIVM.

Quoad Theologiam contingentium, docet eam esse practicam in intellectu creato, quia in eo potest esse conformis praxi, & naturaliter prior ipsa, at in intellectu diuino est speculatiua respectu propria volitionis, quà contingens, quia omnis rectitudo contingens, priùs habet esse à voluntate Dei, quàm cognoscatur ab eius intellectu, & sic volitio Dei contingens prior est notitia eius. Mouet dubium, vtrùm de nulla contingenti operatione etiam creatura, habeat Deus notitiam practicam, & respondet negatiuè, si teneantur duo. Primum, notitiam practicam & praxim necessariò esse in eodem supposito. Secundum, non esse in Deo aliam praxim, nisi volitionem. Sed quoad primum horum, putat probabile illam notitiam, quæ in vno intellectu est practica, esse talem in omni alio intellectu, etiam suppositi non practicantis, & sic non requiri identitatem suppositi cognoscentis & practicantis, vt cognitio sit practica: soluit duas rationes contra hoc, sed nihil asseuerat.

37. SEcundus [a] articulus quæstionis est de Theologia contingentium, an sit practica. Dico, quòd tantummodo in illo intellectu Theologia contingentium practica potest esse, qui habere potest determinatiuam notitiam rectitudinis ipsius praxis ante ipsam praxim elicitam: quia solummodo ibi Theologia contingentium potest esse conformis praxi, & prior ea. Talis est tantùm intellectus creatus, quia nullius intelligentis creati voluntas primò determinat rectitudinem contingentem conuenientem praxi.

In intellectu igitur diuino non potest esse Theologia contingentium practica, tenendo ista duo. Primum, quòd cognitio practica, & praxis ad quam extenditur, debent esse necessariò respectu eiusdem suppositi. Secundum, quòd Dei vt operantis nulla sit praxis, nisi volitio, non ponendo in ipso potentiam tertiam aliam ab intellectu, & voluntate. Nam nulla cognitio conformis volitioni contingenti rectè præcedit ipsam volitionem Dei, quia primò volitione determinatur praxi illi talis rectitudo.

Cognitio practica, & praxis ad quam dirigit an sint respectu eiusdem suppositi.

Illud primum [b] est dubium. Improbatur tamen dupliciter. Nam si cognitio quæcunque de praxi alterius est practica: ergo cognitio mea de hoc, quod est *Deum creare mundum*, vel de hoc, quod est *Intelligentiam mouere cælum*, erit practica; quod videtur falsum. Saltem hoc videtur concludere, quòd cognitio practica non potest esse intelligentis inferioris, operante superiore secundùm illam praxim, si nihil secundùm illam inferius operatur. Pari ratione nec superioris, vel æqualis, si nihil facit ad praxim operantis, si autem aliquid facit, iam superior habet praxim propriam, respectu cuius sua cognitio sit practica.

Item si cognitio practica habet aliquam causalitatem respectu praxis, ad quam extenditur, & non est nata habere talem causalitatem primò, nisi respectu praxis, quæ sit in intelligente; videtur sequi propositum. Contra igitur de eodem, vnus intellectus haberet notitiam practicam, alius speculatiuam, si praxis esset possibilis vni intelligenti, & non alij.

An de eodē obiecto varij intellectus possunt habere notitiā practicā & speculatiuā.

Ad hoc potest dici, quòd perfecta rectitudo praxis includit circunstantiam operantis, sicut & alias circunstantias, ita quòd sine ista non est rectitudo. Si enim accipiatur, *Deus est amandus*, nisi addatur à quo, puta, à voluntate, non est verè practica completè; quia Deus à bruto non est amandus. Itaque hoc verum perfectum, *Deus est amandus à voluntate*, etiam in quocunque intellectu est practicum. Ita & istud, *homini quandoque est ieiunandum*, non est tantùm practicum homini cognoscenti, sed etiam Angelo, & Deo, & etiam homini, & Deo est hoc practicum: *Ab Angelo cælum est mouendum.* Et concedo illud, quod prima probatio infert tanquam inconueniens.

38. Et si obiiciatur, quòd non saluatur prioritas practicæ cognitionis ad praxim: priùs enim dilectio Dei respectu sui est recta, quàm homo, vel Angelus possit intelligere, quòd Deus est amandus à voluntate: Respondeo, ista prioritas debet esse ex obiecto, & intellectu, hoc est, quòd obiectum natum sit determinare intellectum ad notitiam determinatæ rectitudinis praxis, quantum est ex se ante praxim illam. Ita obiectum hoc, natum est quemcunque intellectum determinare ad notitiam istam, *Deus est amandus à voluntate*, quantum est ex se, ante praxim, licèt aliquis intellectus ex imperfectione sui non priùs determinetur, quàm potentia operans ex perfectione sui operetur.

Cognitio practica potenti esse de praxi alterius, sed non est strictè practica.

Ad aliam [c] obiectionem dico, quòd sicut voluntas potest esse causa superior respectu praxis potentiæ motiuæ, nec quæcunque respectu cuiuscunque, puta non mea respectu potentiæ motiuæ Angeli, sed quando sunt in eodem, ita si cognitio practica sit

sit causa respectu praxis, hoc est, in eodem intelligente, & operantee, nec oportet quod in alio sit non practica, nisi accipiendo strictè *practicum* pro immediatè applicabili ad opus, quantum est ex identitate suppositi cognoscentis & operantis, qualem denominationem denotat infinitiuus significans praxim, constructus cum *scire*. Sic enim conceditur, quòd solus Deus scit se infinitè diligere, licèt Angelus sciat ipsum infinitè à se diligendum.

Qui sic [f] respondet, à principio habet concedere omnes veritates de praxibus agentium causatorum, cognosci à quocunque intellectu practicè, quia omnes istæ siue ab obiecto, vt necessariæ; siue aliunde, vt contingentes, natæ sunt priùs esse conformes praxibus, siue priùs determinare rectitudinem praxibus, quàm ipsæ praxes eliciantur. Omnes autem veritates de volitione diuina, necessariæ, sunt practicæ: contingentes autem non, quia ante istam praxim elicitam, ad quam extenduntur, non habent conformitatem, quia nullam determinationem rectitudinis, verbi gratiâ, Deus practicè cognoscit homini esse pœnitendum, & Angelo esse mouendum cœlum, sed non practicè cognoscit, quòd est Deo volendum hominem sanctum pœnitere, vel Angelum cœlum mouere.

Veritates de volũtate diuina necessaria, sunt practica: cõtingentes non.

COMMENTARIVS.

1. a *Secundus articulus quæstionis.* Dicit Doctor in præsenti articulo duas conclusiones.

Prima conclusio.

Prima, quòd Theologia contingentium in intellectu creato est simpliciter practica, puta notitia huius. *Filius Dei est incarnatus.* Talis notitia, quia prior praxi, quia directiua in praxim, quia respicit voluntatem creatam, determinabilem, & rectificabilem; sequitur, quòd sit verè practica.

Secunda conclusio.

Secunda conclusio est, quòd notitia Theologica contingentium, in intellectu diuino non est practica: tenendo ista duo. Primum, quòd cognitio practica, & praxis, ad quam extenditur, sint simpliciter in eodem supposito. Secundum, quòd in Deo non ponatur tertia potentia alia ab intellectu, & voluntate: quæ secundùm aliquos dicitur potentia executiua, sequens determinationem voluntatis.

b *Illud primum est dubium* Dicit Doctor, quòd est dubium, quòd ad hoc, vt aliqua notitia dicatur practica, oportet quòd sit simpliciter in eodem supposito, in quo praxis elicitur, siue à quo praxis elicitur. Probat tamen hoc duplici ratione: videlicet, quòd talis notitia, quæ non respicit praxim in eodem supposito, non sit verè practica: quia si esset practica, sequeretur quòd cognitio mea, de hoc, quod est *Deum creare mundum*, esset practica. Nam cognitio est in me, & creatio mundi, quæ dicitur praxis, suo modo est in Deo. Similiter ista cognitio esset practica, quâ cognosco Intelligentiam mouere cœlum: mouere enim cœlum effectiuè est in supposito Intelligentiæ, & notitia qua cognosco est in me.

Saltem videtur hoc concludere, quòd cognitio practica non potest esse alicuius intelligentis inferioris, operante superiore secundum illam praxim. Supple, secundùm quam operatur superius: nisi fortè secundùm illam praxim superioris, inferius, cuius est cognitio, aliquid operetur: quia tunc fortè posset concedi practica.

2. c Secunda ratio est ibi: *Item si cognitio practica*, & ratio stat in hoc: quia ex quo cognitio practica, videtur habere causalitatem respectu praxis eliciendæ, sed cognitio mea, quâ cognosco Angelum mouere cœlum, nullam causalitatem habet respectu talis motus: si ergo habet aliquam causalitatem, tantùm habebit respectu praxis eliciendæ, à supposito, in quo est cognitio talis, & sic non erit practica, respectu praxis eliciendæ in alio supposito.

Contra. Hîc arguit Doctor quòd si cognitio ista, quâ cognosco Intelligentiam mouere cœlum, non est practica: ergo erit speculatiua: & tamen cognitio, qua Intelligentia cognoscit se mouere cœlum, erit practica, vt patet: & sic de eadem conclusione poterit esse notitia practica, & speculatiua, quod est inconueniens. Et declaro istam literam. Cùm dicit: *Igitur de eodem*, puta obiecto, vel conclusione, *vnus intellectus haberet notitiam practicam*, scilicet ille intellectus, cuius suppositum habet in potestate sua actionem, vel praxim. *Alius speculatiuam*, scilicet intellectus, cuius suppositum non habet in potestate sua praxim, sicut est de ista: *Cognosco Angelum mouere cœlum.* Ista cognitio non erit practica: quia praxis, quæ est *mouere cœlum*, non est in potestate mea. Secus si talis praxis posset esse in potestate mea. Et hoc est, quod sequitur: *Si praxis esset possibilis vni intelligenti, & non alij.* Respondet Doctor ibi: *Ad hoc potest dici, quòd perfecta rectitudo.*

Quid includat perfecta rectitudo praxis.

Hîc Doctor expressè concedit: quòd quæuis notitia sit in vno supposito, & praxis in alio supposito: quòd talis notitia erit verè practica, si dictet de circunstantiis: & vna de circunstantiis, quæ requiritur, ex circunstantia causæ, siue operantis: vt patet à Doctore *in 2. dist. 40.* & sic cognitio, quâ cognosco Deum esse amandum, puta ab Angelo, est verè practica, quia est directiua quantum est de se in praxim. Et similiter cognitio, quâ Angelus cognoscit, homini esse ieiunandum, & similiter cognitio, quâ Deus cognoscit, homini esse ieiunandum. Et sic concedit Doctor quòd prima probatio infert, tanquam inconueniens, id est, quòd concedit hoc, quòd cognitio mea, de hoc, quod est *Deum creare mundum*, vel de hoc, quod est *Intelligentiam mouere cœlum*, sit verè practica: quod ibi inferebatur, tanquam inconueniens.

d *Et si obyciatur, quòd non saluatur prioritas practica cognitionis*, &c. 3.

Respondet Doctor ibi: *Respondeo, ista prioritas.* Dicit quòd quamuis cognitio, quâ cognosco Deum esse amandum à diuina voluntate, sit actu posterior volitione diuina, quia tamen quantum est ex parte obiecti, & intellectus nata est esse prior, quia Deus quantùm est ex parte sua

sua natus est, respectu cuiuscumque intellectus, causare notitiam huius: *Deus est amandus à quacunque voluntate*, priorem omni volitione, etiam volitione diuina.

Obiectio. Et si hîc dicatur, quòd prior est volitio diuina, quàm cognitio huius in intellectu creato, etiam si intellectus creatus esset ab æterno, imò (vt dicit Doctor *in d.1.q.1.2.*) prior est productio ad intrà quacunque productione ad extrà, siue simpliciter, siue secundùm quid. Volitio autem diuina, cùm sit perfectio simpliciter simplex, est prior omni productione ad intrà, vt vult Doctor in pluribus locis. *Solutio.* Dico, quòd solutio est facilis, quia obiectum, quantum est ex parte sua, si esset præsens intellectui, in ratione obiecti intelligibilis, semper natum est producere notitiam sui priùs, quàm voluntas habeat actum circa illud. Et si modò voluntas priùs de necessitate elicit actum priorem omni notitia creata, hoc non est ex ratione formali voluntatis, sed ex hoc, quia necessariò est prior productio ad intrà, tam respectu operationis, quàm respectu personæ, quàm sit aliqua actio ad extrà, & de hoc vide diffusè in Doct. d.1.q.2.& quol.q.14.

4. e *Ad aliam obiectionem.* Hîc respondet Doctor ad secundam rationem, quia probauit, quòd cognitio de praxi alterius voluntatis non est practica, quia cognitio practica habet aliquam causalitatem respectu praxis eliciendæ; sed talis cognitio non potest causare actum voluntatis, existentis in alio supposito. Dicit Doctor quòd si loquamur de cognitione strictè sumpta, quæ est immediatè applicabilis ad opus, quantum est ex identitate suppositi, cognoscentis, & operantis, cognitio mea de praxi alterius voluntatis; non erit sic practica, non tamen negatur, quin sit verè practica.

Expositio literæ. Hanc tamen literam expono, quòd loquendo de practica propriè sumpta (tenendo quòd practica propriè sit causa, vel totalis, vel partialis praxis eliciendæ) oportet quòd tam cognitio, quàm praxis elicienda sint in eodem supposito, quia cognitio in vno supposito non videtur causa praxis eliciendæ ab alio supposito; & posito quòd sic possit esse (quia non habeo pro inconuenienti, quòd cognitio puta Angeli existens in intellectu animæ separatæ possit partialiter causare volitionem illius in voluntate alterius, concurrente tamen illa voluntate, vt posset patere ex his, quæ exposui *in secundo d.9.*) adhuc non diceretur fortè perfectè practica, quia perfectè practica requirit identitatem suppositi intelligentis, & operantis, qualem denominationem denotat infinitiuus signans praxim, constructus cum *scire*, sicut dicimus, Franciscus scit operari moraliter, ibi non tamen notatur, quòd Franciscus habeat notitiam de operatione morali, sed quòd scit elicere operationem moralem. *Solus Deus scit se diligere infinitè.* Et sic conceditur, quòd solus Deus scit se diligere infinitè, licèt Angelus sciat ipsum infinitè à se diligendum. Nam cùm dico, *scit se infinitè diligere*, denotatur quòd habeat in se formaliter scientiam, secundùm quam scit elicere actum infiniti amoris, & sic denotatur identitas suppositi scientis, & amantis, sicut etiam dicimus: Pater in diuinis scit generare Filium, id est, quòd habet scientiam, quâ scit generare filium, & ideò licèt Filius in diuinis sciat generationem Patris, non tamen scit generare, quia in primo tantùm denotatur, quòd Filius cognoscit generationem, quâ Pater generat, in secundo non tantùm notatur scientia, sed etiam notatur, quòd ipse verè possit generare, & sciat verè generare. *Filius nō scit generare.* Et sic licèt Angelus sciat Deum à se, scilicet Deo, diligendum infinitè, quia tunc notaretur, quòd haberet scientiam, quâ sciret diligere Deum infinitè, quod est falsum, quia Deus tantùm à se ipso est diligibilis infinitè.

f *Qui sic respondet.* In ista litera intendit duas conclusiones. 5. *Prima conclusio.* Prima est, tenendo quòd scientia practica possit esse in vno supposito, & praxis elicienda in alio supposito, tunc omnes veritates de praxibus agentium causatorum possunt cognosci à quocunque intellectu practicè, quia respectu illarum possunt priùs cognosci, quàm eliciantur, patet, quia intellectus meus, vt intellectus etiam creatus, quantum est ex se, potest cognoscere omnes veritates de praxibus omnium causatorum, antequam eliciantur, & similiter ab intellectu diuino, imò ab intellectu diuino priùs necessariò cognoscuntur, cognouit enim ab æterno me velle ieiunare hodie, &c.

Secunda conclusio. Secunda conclusio est, quòd omnes veritates de volitione diuina necessariæ sunt practicæ, puta ista, *Deus est summè diligendus à se.* An modò in omni intellectu sint practicæ? dico, quòd in intellectu increato essent practicæ, si voluntas diuina esset regulabilis, tamen quantum est ex parte sua, sunt practicæ, quia habent ab obiecto rectitudinem, & directiuitatem. In intellectu etiam creato, quantum est ex se, possunt dici practicæ, tenendo, quòd scientia practica non requirat necessariò identitatem suppositi, cognoscentis, & operantis, quia talis cognitio nata est ex obiecto habere rectitudinem. Sed contingentes de volitione diuina, puta de ista, *voluntas diuina vult me diligere Ioannem*, non sunt practicæ, quia ante istam praxim, ad quam extenduntur, non habent conformitatem, id est, non sunt conformatiuæ praxis, imò istæ veritates de volitione diuina, sunt simpliciter posteriores volitione diuina, quâ vult illas. Exemplum, Deus practicè cognoscit homini esse pœnitendum, quia talis cognitio nata est dirigere in actum pœnitentiæ, & habet rectitudinem, non ab obiecto, sed simpliciter à determinatione voluntatis diuinæ, vt suprà patuit (tenendo etiam, quòd notitia practica non requirat identitatem suppositi cognoscentis, & operantis) sed non cognoscit practicè, quòd Deo est volendum hominem pœnitere, quia talis cognitio nullo modo præcedit talem volitionem.

SCHOLIVM.

Docet Theologiam contingentium in se, abstrahendo ab intellectu, cui inest esse speculatiuam. Primò, quia ex obiecto ante omnem praxim, non est conformis praxi, rectitudo enim eius est à praxi Dei. Secundò est speculatiua in intellectu Dei: ergo sic est in se, sed nihil in hoc asserit. Explicat benè illud cui conuenit vnum oppositorum per se, alterum, nec per accidens ei conuenit; ostendens esse practicum per accidens, per accidens non opponit speculatiuo per se, quod benè Logicè exponit Tartaretus hîc.

SI quæris [a] qualis est Theologia contingentium in se, non comparata huic, vel illi intellectui? Dici potest quòd ipsa talis est in se, qualis est ex obiecto. Non est autem ex obiecto conformis praxi ante omnem praxim, quia ex obiecto nulla nata est haberi notitia determinatæ rectitudinis contingentis, ideò ex obiecto non est practica, igitur speculatiua si sufficienter diuidunt notitiam. Huic congruit, quòd in intellectu diuino negatur esse practica, talis autem videtur esse in se, qualis est in perfecto genere illo, non in imperfecto. 39.

An Theologia contingentium sit practica.

Si obiiciatur [b], quòd tunc cognitio in se speculatiua, est alicui practica, puta intellectui creato; ergo practicum non repugnat speculatiuo? Respondeo, quòd sicut esse ex obiecto speculatiuum, est esse per se speculatiuum, ita esse practicum ex obiecto sufficienter determinante intellectum ad notitiam rectitudinis, est esse per se practicum, ergo ante omnem volitionem est esse per se practicum, & sic opponuntur ista duo, *practicum*, & *speculatiuum*, vt ista, *non extensibilis ad praxim*, & *extensibilis ad praxim*. Sed esse practicum aliunde, quàm ex obiecto, puta à causa extrinseca, vt à voluntate determinante intellectum ad notitiam praxis, est esse accidentaliter practicum, & ita concedo Theologiam contingentium esse practicam nobis, licèt in se sit speculatiua.

Contra hoc [c], cui conuenit vnum oppositorum per se, ei aliud oppositum nec per se, nec per accidens conuenit, igitur notitia per se speculatiua, nec per se, nec per accidens est practica. Respondeo, licèt antecedens, posset exponi de *per se* primo modo, vel secundo modo, non autem tertio modo, provt dicit idem quod *solitariè*, tamen concedo [d], quòd nullo modo inhærendi inhæret oppositum prædicati huius, quod est *per se esse speculatiuum*. Quia Theologia contingens per se secundo modo est per se speculatiua, ita quòd inhærentia sit per se, & prædicatum determinetur per se. Sed per accidens esse practicum, per accidens, non opponitur illi, sicut esse nigrum *simpliciter*, & esse album *secundùm quid*, non opponuntur, *secundùm quid enim & simpliciter* determinant prædicata, vt denominantia. Si arguitur [e], per se est speculatiua per se, ergo per se est speculatiua, conceditur. Nec huic prædicato repugnat hoc prædicatum, per accidens practica.

Cui cōuenit vnum oppositorum per se, alterum nec per accidens conuenire potest.

COMMENTARIVS.

1. *Qualis sit Theologia cōtingentium.*

a SI *quæris qualis est Theologia contingentium*, an scilicet simpliciter practica? an speculatiua? & hoc loquendo de Theologia in se, non comparando alicui intellectui. Dicit, quòd talis est in se, qualis est ex obiecto: non est autem ex obiecto conformis, id est, conformatiua praxis, quia ex obiecto nulla nata est haberi notitia determinatæ rectitudinis contingentis, vt suprà patuit, & sic ex obiecto non est practica, & per consequens in se erit speculatiua. Huic congruit, quòd in intellectu diuino non sit practica, sic intelligendo, quòd in tali intellectu non sit practica ex obiecto, neque de volitione diuina, respectu contingentium, neque de volitione creata, respectu contingentium, tenendo vt suprà, practicam requirere identitatem suppositi cognoscentis, & volentis: modò talis videtur esse res in se, qualis est in perfecto genere illo, non in imperfecto, & quia in intellectu diuino nullo modo est practica ex obiecto, neque de volitione diuina, ideò simpliciter, & in se nullo modo est practica, præcipuè loquendo de practica ex obiecto; ergo si in intellectu diuino est speculatiua, ergo simpliciter, & in se erit speculatiua.

2. b *Si obijciatur.* Hìc Doctor instat contra hoc, quod dixit, scilicet quòd Theologia contingentium est in se speculatiua, & ex alia parte concedit, quòd in intellectu creato est practica, vt suprà patuit, & per consequens sequitur, quòd practicum non repugnat speculatiuo, & sic idem erit practicum, & speculatiuum. Dicit, quòd esse practicum ex obiecto, & esse per se speculatiuum ex obiecto, per se opponuntur, & sic eadem scientia non potest per se esse practica, & speculatiua, per se ex obiecto, sed bene aliqua cognitio, quæ ex se est speculatiua, potest dici practica, non ex illo obiecto, quod respicit, nec ex alio, sed aliunde, puta à voluntate, determinante intellectum ad notitiam praxis, id est, quòd voluntas diuina determinat hanc praxim esse rectam, scilicet adorare Christum in Eucharistia, & tunc cognitio illius erit practica, quia verè regulatiua in actum rectum, ex determinatione voluntatis diuinæ. Si enim non esset sic determinatum, talis adoratio non diceretur recta, & per consequens cognitio talis non esset practica, sed speculatiua ex tali obiecto: dicitur ergo practica tantùm per accidens, quia à determinatione voluntatis diuinæ, & tale practicum non repugnat speculatiuo in se.

c *Contra hoc.* Hìc Doctor instat probando, quòd notitia contingentium nullo modo, nec per se, nec per accidens, potest dici practica, quia cui conuenit vnum oppositorum per se, siue primo modo, siue secundo modo dicendi per se, aliud oppositum, nec per se, nec per accidens, conuenit. Exemplum de primo modo, rationale conuenit per se primo modo homini, irrationale non conuenit sibi, nec per, nec per accidens. Exemplum secundi, risibile conuenit per se secundo modo homini; rudibile, nec per se, nec per accidens conuenit; cùm ergo practicum, & speculatiuum sint opposita, sequitur, quòd si notitiæ contingentium conuenit per se esse speculatiuum; quòd esse practicum, nec per se, nec per accidens possit conuenire. Respondeo, licèt antece- 3.

Quòd Theologia contingentium nec per se, nec per accidens potest dici practica.

antecedens posset exponi de *per se* primo modo, vel secundo modo, non autem tertio modo, provt dicit idem, quod *solitariè*. Sensus huius literæ est, quòd hoc antecedens, scilicet: *Cui conuenit vnum oppositorum per se, ei aliud oppositum, nec per se, nec per accidens conuenit*, non debet sic exponi, vt ly *per se* accipiatur pro perseitate tertij modi, provt idem est quod solitariè conuenire, quia si vnum oppositum conuenit solitariè alicui, non conuenit sibi aliud: & sic accipiendo ly *per se*, antecedens non habet difficultatem. Potest etiam exponi, quia aliquid conuenire alicui est prædicari de ipso: ideò illud non conuenit sibi per se tertio modo: quia, vt sic, tantùm est propositio de secundo adiacente, non de tertio.

4. d *Tamen concedo, quòd nullo modo inhærendi inhæret oppositum prædicari huius, quod est per se esse speculatiuum*, &c. Vult dicere, quòd esse per se speculatiuum inest per se secundo modo Theologiæ contingentium, sicut dicendo, *homo per se secundo modo est risibilis per se*, id est, quòd hoc prædicatum *risibile* inest homini per se secundo modo, ita quòd prædicatum sit per se, & per se inhæreat, est enim aliquod prædicatum per se, quod tamen per se non inhæret, sicut hîc, homo est albus, *album* est suo modo vnum prædicatum per se, quia per se potest prædicari de isto albo, & isto, non tamen inhærent per se homini.

Sequitur. *Sed per accidens esse practicum, per accidens non opponitur illi*, id est, quòd practicum per accidens, quale est à voluntate diuina, vt suprà dixi, non opponitur speculatiuo, nec per se, nec per accidens, imò stant simul, sed practicum per se, quod est ex obiecto opponitur speculatiuo, ideò tale nec per se, nec per accidens inest speculatiuo.

c *Si arguitur, per se est speculatiua per se: ergo per se est speculatiua*, vult dicere, si Theologia contingentium per se, scilicet secundo modo, est speculatiua per se, id est, speculatiuum per se, inest Theologiæ contingentium per se secundo modo, ergo per se, & simpliciter est speculatiua, conceditur, sed tunc practicum per accidens (de quo suprà dixi) non repugnat tali scientiæ speculatiuæ per se, sed benè practicum per se simpliciter repugnat.

SCHOLIVM.

Resoluit probabiliter, si non teneatur requiri identitatem suppositi cognoscentis, & operantis, vt cognitio sit practica, Theologiam contingentium esse per accidens practicam, in omni intellectu, quia etiam in intellectu diuino potest esse conformis praxi nostræ, & quicquid sit de hac identitate, si non teneatur, secundum illud, id est, non esse in Deo aliam praxim nisi volitionem, sed ponatur in eo potentia executiua, distincta à voluntate, eius Theologia contingens, respectu suæ executionis, erit practica, quia prior executione. Assertiuè tenet Theologiam contingentium non esse per se practicam, quia non ex obiecto, & posse esse practicam per accidens in intellectu creato. De diuino autem (inquit) teneatur consequenter quod placuerit, tenendo illa duo, in principio huius articuli, vel eorum opposita. Sed magis inclinat, ad negandum notitiam diuinam esse practicam, nihil tamen absolutè asserit, sed disputat, & dubitat.

SI verò * alterum istorum duorum, quæ tenet ista responsio, non teneatur, tunc potest concedi, quòd Theologia contingens, licèt non in se, quia non ex obiecto, tamen in omni intellectu creato, & increato esset practica per accidens, quia vt ipsa est in intellectu diuino, potest esse conformis praxi priùs quàm praxis illa eliciatur à voluntate creata. Priùs enim intellectus Dei nouit peccatorem adultum in lege noua debere conteri, quàm peccator conteratur. Et sic non tenendo primum istorum, cognitio Dei de praxi alterius operantis est practica. Non tenendo etiam secundum, puta, ponendo agere Dei ad extrà esse praxim eius aliam à volitione formaliter, licèt intellectus Dei non priùs nouit *A*, esse creandum, quàm voluntas sua velit, tamen priùs nouit *A*, quàm creet. Ita praxim ad extrà præcedit notitia conformis, licèt non ex obiecto, sed aliunde conformis.

40. *Auctoris mens.* Hoc saltem teneo, quòd Theologia contingentium non est per se practica, siue ex obiecto, potest tamen in intellectu creato esse practica per accidens, & hoc in illo intellectu, cuius est operari secundùm praxim, cui determinatur rectitudo à voluntate diuina An vero intellectui diuino sit practica, patet, tenendo illa duo, vel opposita, quid dicendum est consequenter.

Probabilia tamen videntur hæc tria. Primum, quòd practica est rectificatiua in praxi contingentium. Secundum, quòd est rectificatiua potentiæ practicantis aliunde, quàm à se rectificabilis. Et tertium, quòd in Deo non est potentia practicans alia, nisi voluntas. Ex primo & tertio sequitur, quòd si diuina notitia esset practica, ipsa esset rectificatiua in volitione diuina, hoc autem falsum est ex secundo istorum, quia voluntas diuina ex se primò rectè elicit velle, respectu primi obiecti, respectu autem illorum quorum est contingenter, ex se sola determinatur, non per aliquam notitiam determinatiuam rectitudinis præcedentem.

Volũtas diuina ex se primo elicit velle.

COMMEN

COMMENTARIVS.

a *SI verò alterum istorum, quæ tenet, ista responsio non teneatur*, id est, quòd si non teneatur, quòd scientia practica requirat identitatem suppositi, cognoscentis, & operantis, quo ad primum, sed teneatur, quòd possit esse practica, respectu praxis eliciendæ in alio supposito, patet, quòd tam in intellectu diuino, quàm creato potest dici practica, siue non teneatur, quo ad secundum, quòd non sit in Deo potentia executiua alia à volitiua: sed teneatur, quòd vltra volitiuam sit etiam in Deo potentia executiua; patet quòd in Deo potest esse scientia practica de contingentibus, quia licèt cognitio Dei non sit prior actu voluntatis, respectu contingentium, est tamen prior actu potentiæ executiuæ, & sic patet. Doctor tamen in litera sequenti videtur declinare ad hoc, quòd Theologia in intellectu diuino, nullo modo sit practica, nec respectu necessariorum, quia voluntas diuina est ex se determinata ad rectitudinem actus, circa essentiam diuinam, nec respectu contingentium, loquendo semper de practica, quæ requirit identitatem suppositi, cognoscentis, & operantis, quia non videtur poni ibi alia potentia executiua, &c.

SCHOLIVM.

Ad secundum explicat benè, quomodo contingentia secundùm veritates necessarias, quæ dicuntur de eis, possunt esse obiectum scientiæ, explicat etiam descriptionem prudentiæ. 6. Ethic. & comparat eam ad scientiam moralem, vt habitum particularem ad communem, sicut experientia comparatur ad artem, quia prudentia & experientia proximè, scientia moralis, & ars, remotè, dirigunt ad opus.

AD argumenta [a] principalia primæ quæstionis. Ad primum respõdeo, quòd fides non est habitus speculatiuis, nec *credere*, est actus speculatiuus, nec visio sequens *credere* est visio speculatiua, sed practica. Nata est enim ista visio conformis esse fruitioni, & priùs naturaliter haberi in intellectu creato, vt fruitio recta illi conformiter eliciatur. 41. *Ad arg. 1. Visio beata est practica.*

Ad secundum [b] dico quòd contingens, circa quod est scientia practica, est finis, vel ens ad finem, in agilibilibus autem actio est finis vltimus secundùm Phil. 6. *Ethic.* ergo contingentia actionis sufficit ad scientiam practicam, vel obiectum scientiæ practicæ. *Ad 2. Cap. 3. Idem 7. Polit. c. 7. & 9. Met. t. com. 16. & 2. Phys. text. com. 25.*

Contra hoc arguitur [c] primò, quia scientia est necessariorum: ergo circa contingentia non est scientia. Antecedens patet ex diffinitione *scire*, 1. *Poster.* similiter 7. *Ethic.* scientificum distinguitur à ratiocinatiuo penes necessarium, & contingens, ergo omnes habitus partis scientificæ sunt circa necessarium, scientia autem est habitus istius partis: ergo, &c. *Cap. 2.*

Præterea, si Theologia est circa contingens agibile, ergo est habitus actiuus, cum ratione vera, hæc definitio est prudentiæ, vt dicitur 6. *Ethic.* ergo Theologia est prudentia, & non scientia. *Cap. 6.*

Ad primum respondeo, de contingentibus sunt multæ veritates necessariæ, quia actus qui contingenter elicitur, concluditur necessariò debere esse talis, ad hoc vt sit rectus. De ipso ergo, est scientia quantum ad conclusionem demonstratam necessariò, licèt in se sit contingens, in quantum elicitur à potentia propria.

Tunc patet [d] ad auctoritatem, 1. *Posterior. Scientia est necessarij dicti de contingente*, & ita veritates necessariæ includuntur in veritate contingentis, vel concluduntur de aliquo, quod est contingens per rationem alicuius prioris necessarij. *Scientia sæpè est necessarij dicti de contingente.*

Per idem [e] ad auctoritatem 6. *Ethic* quia habitus partis ratiocinatiuæ est circa actum, in quantum contingenter elicitur; sed habitus scientificus, vel scientia est circa idem, in quantum de eo aliquid necessariò concluditur. Si obiicitur [f] quòd non est idem obiectum habitus scientifici, & ratiocinatiui: de hoc dicetur inferiùs quomodo idem obiectum potest esse plurium habituum, licèt non idem habitus plurium obiectorum. *Actus ratiocinatiuus, quomodo differt à scientifico? q. præsenti, & d. 3. & 13. q. quodl. & 3. d. 14. q. 1.*

Ad secundum dico, quòd eodem modo concluderet scientiam moralem esse prudentiam. Nam scientia moralis est habitus actiuus cum vera ratione. Ideò dico, quòd definitio prudentiæ debet intelligi de habitu actiuo proximo, qualis est habitus acquisitus ex actibus. Vnde sicut circa factibilia ars se habet ad habitum experti, ita circa agibilia se habet scientia moralis ad habitum prudentiæ, quia habitus artis, & scientiæ moralis quasi sunt remoti ad dirigendum, quia vniuersales. Sed habitus prudentiæ & experti, quia generati sunt ex actibus, sunt particulares, & propinqui ad dirigendum. Ista expositio est necessaria, alioquin nulla esset scientia practica, quia quæcumque est habitus actiuus, vel factiuus cum ratione vera. Conclusio autem est inconueniens, & contra Philosophum 6. *Metaph.* & contra Auicennam 1. *Metaph. cap.* 1. & contra auctoritates alias. *Text. 1. & 2.*

Ad tertiam rationem dico, quòd Boëtius intelligit per Theologiam Metaphysicam, & quod dicit de substantia Dei; dico, quòd Deus consideratur in illa scientia, quantum possibile est ipsum considerari in scientiis acquisitis.

COMMENTARIVS.

1. a *AD argumenta principalia primæ quæstionis.* Ad primum respondet, quòd fides non est habitus speculatiuus, quia ad actum practicum inclinat, quia ad credere, quod dirigit voluntatem in praxim, respectu creditorum, nec credere est speculatiuum, quia ordinatur ad veram praxim, puta ad dilectionem credendorum; nec similiter clara visio, patet, quia clara visio Deitatis est directiua in fruitionem obiecti clarè visi.

b Ad secundum. Respondet Doctor ibi: *Ad secundum dico.* Hæc responsio stat in hoc, quòd licèt obiectum agibile, quod præsupponitur cognitioni practicæ, aliquando sit necessarium in se, (vt in proposito de subiecto Theologiæ,) tamen quia finis agibilis obiecti est actio, & illa contingenter causatur, scientia practica est circa illam actionem contingentem, quam dirigit, & regulat, & talis actio dicitur obiectum contingens scientiæ practicæ.

2. c *Contra hoc arguitur primò*, &c. Respondet Doctor ad primum, ibi: *Ad primum respondeo.* Et pro intelligentia huius responsionis nota, quòd scientia est tantùm de necessario complexo, vt supra patuit in illa quæstione. *An Theologia sit scientia*, ita quòd ex parte sua requirit tantùm necessitatem inhærentiæ prædicati ad subiectum, & non requirit necessariò subiectum illius complexi esse in se necessarium. Nota etiam, quòd obiectum immediatum notitiæ practicæ (quod est operatio) licèt in se sit merè contingens, potest tamen de illa operatione aliquid concludi de necessitate, puta quia demonstratur ipsam necessariò esse rectam, si conformiter eliciatur cognitioni practicæ rectæ, & sic scientia practica, licèt sit circa contingens in se, est tamen de complexo, vt de necessario: & dicitur complexum necessarium, quia omnino infalsificabile, & sic patet litera Doctoris.

3. d *Tunc patet ad auctoritatem* 1. *Post. Scientia est necessarij dicti de contingente*, id est, quòd est de aliqua proprietate, respectu alicuius subiecti contingentis in se, & non oportet intelligere ipsam proprietatem esse necessariam in se, sed quòd necessariò inhæreat. Sequitur in litera. *Et ita veritates necessariæ includuntur in veritate*, &c. Nam istæ veritates necessariæ in scientia practica concluduntur de aliquo contingente per rationem alicuius prioris necessarij, non in se necessarij, quia si subiectum non est necessarium, nec inclusum erit necessarium: debet ergo sic intelligi per *rationem necessarij*, id est, necessariò sibi conuenientis.

e *Per idem ad auctoritatem 6. Ethic.* Hæc responsio patet ex supradictis. Quia enim habitus partis ratiocinatiuæ, id est, potentiæ practicæ, est circa actum, in quantum contingenter elicitur, aliter ille actus non esset in potestate agentis, & sic artifex non indigeret virtute ad rectè agendum, vt expositum est in primo articulo. Sed habitus scientificus, id est, quòd talis habitus practicus, vt dicitur scientificus est circa eundem actum, non absolutè, sed in quantum de eo aliquid necessariò concluditur, concluditur enim quòd necessariò sit rectus, si elicitur conformiter tali habitui.

f *Si obijcitur*, &c. id est, ad hoc respondet. ibi: *Ad secundum*, scilicet de prudentia. Et dicit Doctor quòd definitio prudentiæ debet intelligi de habitu actiuo proximo, qualis est habitus acquisitus ex actibus. Vnde sicut circa factibilia, ars se habet ad habitum experti, ita circa agibilia se habet scientia moralis ad habitum prudentiæ. Nam *habitus* vno modo accipitur pro habitu acquisito in vniuersali, id est, qui non acquiritur ex hoc actu particulari, vel hoc: vt quòd vnus homo est ordinabilis ad beatitudinem, & hoc siue de actionibus immanentibus, siue transeuntibus. Alio modo pro habitu acquisito ex actibus practicis, id est, dictaminibus in particulari, vt quòd domus debeat sic, vel sic ædificari, & sic talis habitus propriè dicitur *prudentia*. De hoc vide Doctorem infrà d. 17. Et ex hoc patet quòd ratio Gulielmi Ocham *in prolog. quæst. 4. quæ est 11. in ordine*, quam facit contra hoc quod dicit Doctor de habitu prudendentiæ nihil concludit, vt patet intuenti eam. 4. *Quomodo sit intelligenda definitio prudentiæ.*

Ad tertium respondet Doctor, quòd Boëtius intelligit de Metaphysica quam vocat diuinam, sicut etiam Philosophus 6. Metaph. t. com. 2. dicit Metaphysicam diuinam, quæ apud ipsum est speculatiua, quia diuidit ibi speculatiuam in Mathematicam, naturalem, & diuinam. Et quod addit Boëtius de subiecto huius, quòd est prima substantia, &c. verum est, quòd Deus consideratur in Metaphysica perfectissimè, quàm in aliis scientiis humanitùs acquisitis considerari potest: tamen vt ibi præcisè consideratur in conceptibus communibus sensibilibus: hoc est ab ipsis sensibilibus abstractis: non enim consideratur ibi, vt obiectum attingibile per actum voluntatis: sicut in Theologia consideratur, & certum est, vt suprà dixi, contra Gregorium quòd de eodem obiecto, vt diuersimodè considerato potest esse habitus practicus, & speculatiuus: & hoc est, quod dicit Doctor parùm suprà, in illa obiectione, scilicet quòd non est idem obiectum habitus scientifici, & ratiocinatiui: quomodo idem obiectum potest esse plurium habituum, tamen diuersimodè consideratum: idem tamen habitus non potest esse plurium obiectorum, quia tunc idem dependeret à duobus obiectis: quod est impossibile, vt aliàs ostensum est. 5. *Quid Boëtius intellexit per Theologiam.*

SCHO

SCHOLIVM.

Esse nobilitatis in Theologia ordinari ad actum nobilioris potentia, id est, voluntatis. Quam latè probat Doctor 4.d.49 q.4 à num. 10. contra D.Thom. Esse nobiliorem intellectu, qua ratione sensitiua humana est nobilior brutali. Explicat quare secundùm Philos. practica scientia non est nobilissima, quia scilicet negauit voluntatem circa finem habere praxim, sed motionem naturalem, vt dictum est suprà num. 24. 25. in quo errauit, & ideò in hoc discordandum est ab eo. Explicat etiam quomodo scientia practica sit certior omni speculatiua, & quòd ex eodem errore Arist. oppositum tenuit.

AD aliud dico [a], quòd nobilitatis est in inferiori attingere suum superius secundùm Philosophum 7.*Polit.* vnde sensitiua hominis est nobilior, quia ordinatur ad intellectiuam, quàm sensitiua bruti: nobilitatis igitur est in scientia ordinari ad actū nobilioris potentiæ. Sed Philosophus [b] non ponit aliquam scientiam esse conformem praxi voluntatis circa finem, quia non ponit voluntatem circa finem habere praxim, sed quandam motionem simplicem naturalem. Ideò nullam posuit posse esse nobiliorem per conformitatem ad finem. Si tamen [c] posuisset aliquam praxim circa finem, non negasset (vt videtur) scientiam practicam respectu istius praxis, esse nobiliorem speculatiua sciētia circa idem. Puta si aliqua esset speculatiua circa illa, circa quæ est scientia moralis, non diceret istam speculatiuam esse nobiliorem morali scientia. Nos autem ponimus esse veram praxim circa finem, cui nata est esse cognitio conformis, & ideò ponimus cognitionem practicam circa finem, nobiliorem esse omni speculatiua: igitur prima propositio rationis, quæ videtur posse sumi ex primo Metaphysicæ, quamuis eam expresse non dicit Philosophus, neganda est. 42. *Cap.9.* *De quo sup. num.14.* *Speculatiua non est nobilior omni practica.*

Ad primam [d] probationem eius dico, quòd scientia illa est nobilior, quæ est sui gratia, quàm quæ est gratia alicuius actus inferioris se, quælibet autem scientia, quam ipse posuit practicam, est gratia alicuius inferioris se, quàm sit consideratio speculatiua, quia saltem circa obiectum aliquod inferius, quàm quod ponit esse obiectum speculatiuæ, & ideò qualibet practica, quam ipse ponit, est nobilior aliqua speculatiua. Quæ autem est gratia alterius actus nobilioris suo proprio actu, non est ignobilior propter talem ordinem, tunc enim sensitiua nostra esset ignobilior sensitiua bruti. *Sciētia qua est gratia superioris suo obiecto perfectior esse potest illa qua est gratia sui.*

Ad tertiam [e] probationem propositionis negatæ, cùm dicitur de certitudine, dico quòd quælibet cognitio scientifica respectu sui obiecti, est æquè certa secundùm proportionem, quia vtraque resoluitur in sua principia immediata, sed non æquè certa secundùm quantitatem. Quia hæc sunt cognoscibilia certiora illis, sicut obiecta, de quibus ponit Philosophus scientias practicas, sunt minùs perfectè cognoscibilia in se, quàm de quibus ponit aliquam speculatiuam. Ideò aliqua speculatiua, secundùm Philosophum, ponitur certior omni practica, secundùm quantitatem. Nos autem ponimus cognoscibile operabile, hoc est, attingibile per operationem, quæ est verè praxis, in se esse maximè cognoscibile, & ideò ponimus scientiam de ipso, nec secundùm quantitatem certitudinis, sicut nec secundùm proportionem ab aliqua alia excedi. *Omnes sciētia æquè certæ proportionaliter, sed nō quātitatiuè.*

Ad aliam rationem de necessariis existentibus, dico quòd hæc non est inuenta propter necessaria extrinseca, sed propter necessaria intrinseca, scilicet moderantiam passionum, & operationum, sicut moralis scientia, si esset inuenta omnibus necessariis extrinsecis habitis, non minùs esset practica. Non est autem hæc inuenta ad fugam ignorantiæ, quia multò plura scibilia possent poni, vel tradi in tanta quantitate doctrinæ, quàm hîc tradita sint. Sed hæc eadem replicantur frequenter, vt efficaciùs inducatur auditor ad operationem eorum, quæ ibi persuadentur. *Theologia inuenta propter necessaria intrinseca, non ad fugam ignorantia.*

COMMENTARIVS.

1. *Nota.* a AD *aliud dico*, &c. Ad quartum respondet Doctor, & primò dicit vnum notabile, scilicet quòd *nobilitatis est inferiori attingere suum superius*, &c. & accipit ibi *attingere* pro *ordinari*, & sic sensitiua in homine, quia immediatè ordinatur ad intellectiuam, est nobilior sensitiua in bruto; potentia enim sensitiua exterior ordinatur ad sensitiuam interiorem, & interior ad intellectiuam: ideò intellectiua pro statu isto dependet à sensibus, saltem occasionaliter, vt infrà patebit *d.* 3. *quæst.* 4. & sic illa sensatio est simpliciter nobilior, quæ ordinantur ad nobiliorem operationem, respectu potentiæ nobilioris. Sequitur, *quòd illa cognitio erit nobilior, qua ordinatur ad actum voluntatis, quàm illa, qua nullo modo ordinatur*, quia actus voluntatis est nobilior, quia nobilioris potentiæ hoc supponit, vt verum. Et probat hoc subtiliter in 4.d.40.

2. b Secundò dicit, quòd *Philosophus non ponit aliquam*

aliquam scientiam esse cõformem praxi, id est, conformatiuam praxis *voluntatis circa finem*, quia posuit voluntatem circa finem habere tantùm quandam motionem naturalem, siue quandam naturalem inclinationem, & per consequens respectu illius non posuit scientiam directiuam.

c *Si tamen posuisset aliquam praxim circa finem.* Vult dicere breuiter, quòd si Philosophus posuisset aliquam praxim circa finem vltimum, non negasset scientiam practicam, respectu istius praxis esse nobiliorem speculatiua scientia circa idem, puta si aliqua esset speculatiua circa illa, circa quæ est scientia moralis, non diceret istam speculatiuam esse nobiliorem morali scientia, &c.

Quomodo Theologia sit nobilior. d Ad probationem primam. Dicit Doctor quòd illa est nobilior scientia, quæ est gratia alicuius actus potentiæ superioris se, qualis est Theologia, quæ est gratia praxis eliciendæ à voluntate, quæ est nobilior intellectu. Illa verò, quæ est tantùm gratia actus inferioris potentiæ, est ignobilior illa, quæ est gratia sui, & hoc si illa, quæ est gratia sui, sit nobilioris potentiæ.

3. e Ad aliam probationem de certitudine dicit Doctor duo. Primum, quòd quælibet scientia est respectu sui obiecti, est æquè certa secundùm proportionem, quia quælibet resoluitur in sua principia immediata, & patet etiam suprà *quæst. de subiecto Theologiæ*, quòd scientia est certa, & infallibilis notitia de obiecto necessario per causam euidentem applicatam per discursum syllogisticum, & ideò quælibet scientia est æquè certa: non est tamen æquè certa secundùm quantitatem, id est, quòd vna potest esse perfectior alia, illa enim, quæ est obiecti perfectioris, & certioris, est certior. Et sic quia Philosophus posuit scientiam practicam tantùm circa media ad finem, vt patet de practica actiua, & factiua, & aliquam speculatiuam ponit circa ipsum finem, & circa substantias separatas, ideò posuit aliquam speculatiuam nobiliorem, & certiorem omni practica ab ipso posita. Sed nos ponimus cognoscibile operabile, id est, natum attingi per operationem, quæ est vera praxis, esse maximè cognoscibile, quia ponimus Deum, sub ratione Deitatis.

Ad vltimum respondet Doctor, quòd hæc est inuenta propter necessaria intrinseca, non extrinseca. *Ad quid sit inuẽta Theologia.* Nam hæc docet moderari passiones, & operationes, nec est inuenta ad fugam ignorantiæ: patet, quia quàm plurima tradi potuissent in Scriptura sacra, sed hæc eadem frequentiùs replicantur, vt inducatur auditor ad operationem eorum, quæ ibi persuadentur.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta quæst. 2. posita n. 2. quibus suadetur notitiam dici practicam, per extensionem ad praxim, vt ad finem.

43. AD argumenta [a] secundæ quæstionis. Ad auctoritatem 2. *de Anima*, dico, quòd loquitur de fine, vt cognito, nam intellectus propter aliquid ratiocinans ratiocinatur propter finem cognitum, vt est principium demonstrationis.

Id est de obiecto operabili cognito.

Vsus non est per se obiectum practica.

Ad secundum [b] de *primo Metaph.* dico, quòd practica non est gratia vsus, vt per se finis: tamen aliquam habitudinem habet ad vsum, sic, quòd vsus est per se obiectum eius, vel aliquid virtualiter includens vsum, quale Philosophus non posuit esse aliquod ens, nisi ens ad finem, & omne tale obiectum est ignobilius obiecto speculabili, & ideo talis ordo ad praxim concludit ignobilitatem practicæ respectu speculatiuæ.

Fines nõ distinguunt primò practicam, & speculatiuã.

Ad tertium, de *secundo Metaph.* dicitur, quòd speculatiua, & practica habent diuersos fines, loquendo de per se finibus infra genus cognitionis, sed illi fines non distinguunt primò, sed prior est distinctio ex obiectis, sicut dictum est.

COMMENTARIVS.

1. a AD *argumenta secundæ quæstionis.* Respondet Doctor ad primum, quòd Philosophus te io de Anima, loquitur de fine cognito, id est, de obiecto operabili cognito, & patet, quia intellectus ratiocinans, siue discurrens, ratiocinatur p opter finem cognitum, & vt est principium demonstrationis, patet, nam priùs cognoscit o iectum operabile, natum dare rectitudinem ctus, quo cognito, accipit principia practica ab illo, vt cognito, & tandem à principiis discurrit ad conc usiones, quæ virtualiter includuntur in illo, & p æcipuè concludendo ex talibus principiis media necessaria, quibus obiectum operabile possit attingi, & sic tandem ratiocinantur à principiis ad media, siue ad cognitionem mediorum, quæ formaliter erit rectitudo praxis, quâ attingitur obiectum operabile, vt priùs cognitum, & sic patet quomodo practica differt fine, id est, obiecto operabili cognito, à speculatiua.

b Ad secundum, dicit quòd practica non est gratia v s, vt per se finis, sed obiectum cognitum est per se finis practicæ. Obiectum dico, natum dare rectitudinem tali notitiæ. Addit, quòd ipsa practica habe aliquam habitudinem ad vsum, siue ad operationem, quâ obiectum possit attingi: sic, quòd vsus sit per se obiectum eius, vel aliquid includens virtualiter ipsum vsum. Si ponitur quòd vsus, siue operatio, siue praxis, sit per se obiectum talis notitiæ practicæ debet intelligi, vt talis operatio habet rationem obiecti cogniti: non vt habet rationem causæ finalis, id est, quòd scientia practica denominatur à praxi, habente rationem obiecti, siue à praxi, vt cognita: non vt à praxi, habente rationem causæ finalis, siue, vt actu amata. Si verò ponitur obiectum vsus, quod meliùs, & magis ad intentionem Doctoris videtur poni, patet quomodo denominatur ab illo, vt obiecto. Sequitur. *Quale Philosophus non posuit esse aliquod ens, nisi ens ad finem.* Obiectum enim scientiæ practicæ ponitur tantùm ens finitum, & ordinatum

ad finem, & sic vsus practicæ tantùm ponitur circa ens ad finem, & omne tale obiectum est ignobilis ente speculabili, non tamen vult, quòd omne obiectum speculatiuæ sit simpliciter nobilius quolibet obiecto practicæ: sed quòd aliquod obiectum scientiæ speculatiuæ est simpliciter nobilius; patet de vltimo fine, & de substantiis separatis, ideo aliqua speculatiua est simpliciter nobilior omni practica, cùm practica habeat tantùm secundùm Philosophum pro obiecto ens ad finem.

3. *Quomodo practica, & speculatiua habent diuersos fines.* Ad tertium dicit Doctor quòd practica, & speculatiua habent diuersos fines, loquendo de per se finibus infra genus cognitionis, quia habitus speculatiuus habet pro fine immediato actum cognoscendi speculatiuum; practicus verò habitus habet actum practicum, id est, quòd habitus speculatiuus immediatè ordinatur ad ipsam speculationem in se: practicus verò immediatè ordinatur ad cognitionem practicam, quæ vltrà ordinatur in praxim, & sic speculatiuæ finis dicitur veritas, id est, cognitio, puta conclusionis dicitur finis speculatiuæ, vt est in simplici speculatione: finis verò immediatus practicæ est opus, id est, cognitio, quæ immediatè dirigit in opus. Sed isti fines non distinguunt primò: patet, quia habitus illi causantur ex similibus actibus: illi ergo actus habent primò ab obiecto, quòd dicantur practici, vel speculatiui, & sic habitus illi primò distinguuntur per obiecta, & sic patet solutio. *Finis speculatiuæ dicitur veritas.*

SCHOLIVM.

Soluit argumenta Henrici posita num. 10. *suadentia habitum & actum esse practicos per extensionem ad finem. Ad primum, negat habitum speculatiuum & practicum esse de eodem obiecto, & explicat optimè quomodo intellectus extensione sit practicus per tres gradus. Ad secundum docet perfectam cognitionem practicam esse particulare dictamen immediatè dirigens ad opus & habitum vniuersalem practicum, comparatione huius dici speculatiuum, & secundùm hoc, habitus vniuersales Medicinæ, seu Theoricæ dicitur comparatiuè speculatiuus, est tamen simpliciter practicus. Ad tertium docet, primam bonitatem moralem esse ab obiecto, non à fine, quando hic ab obiecto distinguitur, de quo* 2. *d.* 40. *& quodl.* 18. *quòd si tota bonitas à fine esset, non ideò cognitio esset practica in ordine ad finem, sed in ordine ad obiectum. Obijcit dupliciter habitum non distingui ab obiecto, & explicat, quando causæ extrinsecæ, necessario causant effectus distinctos Hæc de hac quæstione, in qua Doctor habet pulchras & varias doctrinas Metaphysicales, ad multa applicabiles, sed quod spectat ad titulum quæstionis, parum refert quid teneas, quia ferè est tantùm de modo loquendi sumpto ex Aristotele. Mihi videtur valde probabile Theologiam nostram esse speculatiuam & practicam quoad partes, quod etiam sentit Doctor suprà num.* 28. *& expresè ait* 4 *d.* 14 *quæst.* 3. *num.* 4. Deum esse trinum *& similes propositiones, esse speculatiuas. Alioquin sequi videtur secundùm principia Doctoris notitiam Metaphysicalem, de Deo omníque alio obiecto amabili, vel odibili, esse practicam, quia est directiua praxis circa talia, & prior ipsa, quod sufficit secundùm Doctorem suprà num.* 6. 7. *Sustinendo tamen opinionem, quæ tribuitur Doctori, etsi pauca assertiuè resoluat in hac quæstione, dicendum est Theologiam eo fine inuentam, vt operemur operationes necessarias, seu praxes, secus est de Metaphysica quæ ex* 1. *Metaph in proœm. omnibus necessarijs existentibus, inuenta est propter fugam ignorantiæ, & sic eius finis est purum* scire, *& idem est de alijs scientijs naturalibus, quia nulla inuenta sunt vt habeamus praxes circa ipsarum obiecta.*

AD rationes [a] pro opinione opposita. 44. *Soluuntur argum. pro opin. Henr. n.*10.

Cùm arguitur contra distinctionem per obiecta. Ad primam dico, quòd non potest esse circa idem obiectum habitus speculatiuus, & practicus Cùm probatur, quia intellectus extensione fit practicus; dico, quòd Aristoteles nunquam dixit, quòd intellectus speculatiuus extensione quacunque fit practicus. Sed Aristoteles ponens [b] tres gradus intellectus, quorum primus est considerare speculabilia tantùm. Secundus considerare agibilia, non dictando prosequi, vel fugere. Tertius vt dicit, quando amplius extendendo se, iubet prosequi; vel fugere, ita quòd illa extensio est intellectus imperfectè practici, ad considerationem perfectè practicam, puta, ab apprehensione terribilium ad dictamen completum de eis præcipiendo fugam, vel prosecutionem *Intellectus extẽsione fit practicus, explicatur. De hoc Scot.* 2.*d*.6.*q*.2.

Concesso tamen [c], quòd intellectus speculatiuus extensione fiat practicus, non est ad propositum: quia *speculatiuum*, & *practicum* sunt differentiæ accidentales intellectus, licèt sint essentiales habituum, & actuum, & ideò actus, & habitus non extenduntur. *Essentiales argitiuè nõ formaliter. Henr quodl.* 6.*quæst*.2.*& quodl*. 12. *q*.12.

Ad illud de Medicina [d] dicitur à quodam, quòd habitus vniuersalis est speculatiuus, sed quando ex ea acquiritur habitus particularis, tunc fit practicus. Contrà, tunc ex principiis speculatiuis sequeretur conclusio practica.

Ideo

5. Phyſ. tex. com 52.

Ideò aliter [e] dicendum eſt, quòd quando ſunt aliqua duo extrema oppoſita quantò aliquid recedit ab vno oppoſitorum, tantò accedit ad aliud: modò actualiſſimam rationem practici habet conſideratio, quæ nata eſt immediatè eſſe conformis formaliter praxi eliciendæ, & quantò aliquid magis recedit ab iſto, tantò magis accedit ad ſpeculatiuum: igitur habitus vniuerſalis, qui non eſt immediatè natus eſſe conformis praxi eliciendæ, poteſt dici ſpeculatiuus reſpectu alicuius habitus, qui immediatè natus eſt eſſe conformis praxi eliciendæ. Ita poteſt dici ars ſpeculatiua reſpectu habitus experti, quia ars tanquam vniuerſalior habitus non eſt ita immediatè directiua, ſicut apparet 1. *Metaph.* Artifex frequenter errabit, expertus autem non ita errabit. Ita poteſt diſtingui Medicina in ſpeculatiuam, quæ ſcilicet eſt de vniuerſalioribus cauſis, & curis, quæ cognitio eſt remotior à praxi elicienda; & in practicam, quæ eſt de particularibus, & propinquioribus praxi, & immediatiùs conformibus praxi. Tamen ſecundùm veritatem illa vniuerſalior (quæ in comparatione dicitur ſpeculatiua) eſt ſimpliciter practica, quia virtualiter includit illam particularem formaliter conformem praxi.

In proœm.

Medicina ſimpliciter practica.

Prima bonitas moralis eſt ab obiecto. Vide Scot. 2. d. 40.

Ad aliud [f] de bonitate & malitia, dico, quòd non omnis actus bonus eſt primò bonus à circunſtantia finis: imò eſt aliquis bonus à circunſtantia obiecti, puta vbi finis eſt obiectum, & ibi circunſtantia finis vt obiecti primò tribuit rectitudinem actui. Ille enim actus ex obiecto ſolo eſt ſimpliciter bonus, vt *amare Deum*, ſine aliis circunſtantiis eſt ſimpliciter bonum. Falſum eſt igitur quòd à fine, vt finis eſt, prout ſcilicet diſtinguitur contra obiectum, accipiatur primò bonitas actus moralis: imò ſecundò illud eſt falſum: quia actus circa ens ad finem, licèt habeat pro vna circunſtantia finem, tamen ab obiecto eſt aliqua bonitas prior, à qua actus dicitur bonus ex genere.

Tertia reſponſio eſt directè ad propoſitum, quia etſi circunſtantia formaliter circunſtet praxim, vt ſit bona, non tamen formaliter circunſtat intellectionem practicam. Non enim intellectus moderatè, ſiue medio modo dictat actum, ita quòd dictare, circunſtantionetur hac circunſtantia mediocriter; ſed intellectus dictat ſecundùm vltimum ſuæ potentiæ. Eſt autem illud dictare rectum à principio, & principium ſumitur à primo obiecto.

Argumenta contra ſolutiones.

45. Contra iſtud arguitur [g], quòd non ſit diſtinctio per obiecta, quia omne formaliter tale eſt tale per aliquid ſibi intrinſecum: ergo ſi habitus eſt formaliter practicus, hoc eſt per aliquid ſibi intrinſecum, & hoc non erit obiectum: ergo, &c. Exemplum, Sol non eſt formaliter calidus, licèt ſit virtualiter calidus.

Præterea, obiectum [h] non eſt diſtinctiuum habitus, niſi vt cauſa efficiens; cauſæ autem efficientes non diſtinguunt effectus ſpecie: quia à cauſis diuerſis ſpecie poteſt eſſe idem effectus ſpecie, ſicut calidum idem ſpecie generatur vniuocè, & æquiuocè, ab igne & à Sole.

Habitus nō diſtinguuntur ab obiectis formaliter.

Ad primum dico [i], quòd eſſe practicum dicit aliquid intrinſecum notitiæ, ſicut reſpectus aptitudinalis eſt intrinſecus fundamento: & quòd notitia aliqua ſic ſit apta nata referri, hoc eſt per naturam intrinſecam notitiæ, quam naturam habet ab obiecto, vt à cauſa extrinſeca. Dico ergo, quòd habitus eſt practicus per intrinſecum, vt per cauſam formalem, & per obiectum, vt per cauſam efficientem.

Quando à cauſa efficiēte ſumitur diſt. effectus ſpecifica?

Ad ſecundum dico [k], quòd licèt à cauſis eſſentialiter ordinatis, quarum vna eſt vniuoca, altera æquiuoca, poſſet eſſe effectus vnius rationis, ſicut exemplificatur de calore: tamen quando cauſæ efficientes proximè eiuſdem ordinis ad effectum, cauſant aliqua, in quantum ipſæ cauſæ ſunt diſtinctæ, maximè ſi vtraque ſit vniuoca effectui, ſiue vniuocatione completa, ſiue diminuta; non poteſt à cauſis talibus diſtinctis, eſſe effectus vnius rationis. *Vniuocationem completam* dico, quando eſt ſimilitudo in forma, & in modo eſſendi formæ. *Diminutam*, quando eſt ſimilitudo in forma, licèt habeat alium modum eſſendi; quomodo domus extrà, eſt à domo in mente, vnde & generationem iſtam vocat aliquo modo Philoſophus vniuocam 7. *Metaph.* Quia igitur obiectum eſt cauſa proxima reſpectu notitiæ, & vniuoca, licèt diminutè; ſequitur quòd diſtinctio formalis obiectorum, cùm cauſent notitias, in quantum ipſa ſunt diſtincta, neceſſariò concludat diſtinctionem formalem notitiarum.

Text. com. 30. idem 12. Metaph. t. com. 13.

COMMEN

COMMENTARIVS.

1. a *AD rationes pro opinione opposita.* Nunc Doctor soluit argumenta, facta ab Henrico quodlib. 8. quæst. 1. quibus probat quòd scientia practica dicitur practica à fine, & non ab obiecto: & illa argumenta ponuntur iuxta tertium
* num. 10. articulum. ibi *: *Aliter dicitur.*

Et primò arguit Henricus ibi: *Arguitur etiam per rationes,* &c. & deducit ad hoc inconueniens: quia si habitus diceretur practicus ab obiecto, tunc de eodem obiecto posset esse notitia practica & speculatiua: patet, quia intellectus extensione fit practicus: quod non est verum, nisi de eodem intellectu priùs speculatiuo, & postea practico extenso ad opus.

Tres gradus intellectus.

Respondet Doctor ibi: *Ad primam dico: quòd non potest esse circa idem, &c.*

b Dicit quòd Aristoteles posuit tres gradus intellectus. Primus est *considerare speculabilia tantùm.* Secundus, *considerare agibilia,* puta sanitatem in se, *non dictando prosequi,* & hoc efficaciter. Licèt enim cognitio sanitatis in se dictet voluntati, vt velit sanitatem, nunquam tamen dictat efficaciter, nisi dictet de mediis, non in vniuersali, sed in particulari: vt patet à Doctore in 2. dist. 6. quæst. 2. & in 4. dist. 49. & in præsenti quæst. Tertius, *vt dicit, quando amplius extendendo se iubet prosequi, vel fugere:* & sic in isto tertio gradu dictat de mediis in particulari, quibus efficaciter voluntas potest attingere sanitatem; & cognitio, isto tertio modo, potest dici perfectè practica: cognitio verò in secundo gradu, licèt sit verè practica, non tamen perfectè practica: & quia, vt sic, recedit à perfectè practica, potest dici speculatiua: & hoc est quod dicit.

Quare intellectus dicatur practicus.

2. c *Concesso tamen, quod intellectus speculatiuus extensione fiat practicus: non est ad propositum:* quia distinguendum est, vel aptitudinali extensione, vt in secundo gradu; vel actuali, vt in tertio gradu, quia vtroque modo est practicus: licèt completiùs in tertio, quàm in secundo: & sic negatur consequentia. Et quod dicit Doctor quòd *practicum, & speculatiuum sunt differentiæ accidendales intellectus:* quia, vt exposui suprà, intellectus dicitur practicus, quia recipit notitiam practicam: & speculatiuus, quia recipit speculatiuam: & hæc accidunt. Et quod dicit, quòd *practicum, & speculatiuum sunt differentiæ essentiales habituum, & actuum,* hoc debet sanè intelligi: quia illę differentiæ dicuntur essentiales, non quòd sint de essentia habituum, vt suprà patuit in secundo articulo, sed quia necessariò consequuntur essentiam habituum: & necessariò sibi insunt, primò per rationes essentiales, quibus practica, & speculatiua constituitur essentialiter in tali *esse*, aliter Doctor sibi contradiceret.

3. d Secundò principaliter arguit Henricus probando, quòd de eodem obiecto possit esse scientia practica, & speculatiua: vt patet de medicina, quæ diuiditur in practicam, & speculatiuam: & tamen est de eodem corpore sanabili.

Respondet Doctor ibi: *Ad illud de medicina.* Hîc recitat opinionem Henrici *quodlib. 6.* qui dicit, quòd habitus vniuersalis est speculatiuus, sed quando ex eo acquiritur habitus particularis, tunc fit practicus.

Contra hanc responsionem arguit Doctor, quia sequeretur quòd ex principiis speculatiuis posset sequi conclusio practica, quod suprà improbatum est.

Quomodo medicina possit dici speculatiua, & practica.

e *Ideò aliter dicendum est.* Nota hanc singularem responsionem, quomodo medicina possit dici speculatiua, & practica: & hæc litera satis clara est.

f *Ad aliud de bonitate, & malitia.* Hîc Doctor dat triplicem responsionem ad vltimam rationem Henrici. Prima responsio patet hîc: & clariùs suprà, vbi declarauimus, quòd bonitas actus accipitur à fine, inquantum habet rationem obiecti. Et similiter secunda responsio patet hîc, & clariùs suprà, vbi declaraui de bonitate ex genere. Tertia tandem responsio est magis ad propositum, vt patet in litera.

Quomodo habitus non distinguantur per obiecta.

g *Contra istud arguit.* Hîc Doctor facit duas
rationes speciales, quibus probat habitus non 4.
distingui per obiecta: quia *omne formaliter tale, est tale per aliquid intrinsecum sibi quiditatiuè:* sicut homo est formaliter rationalis per differentiam quiditatiuam: ergo habitus practicus erit formaliter talis per aliquam differentiam essentialem, & intrinsecam: sed obiectum non est intrinsecum habitui: vt patet: modò quæ sunt principia constituendi formaliter sunt principia distinguendi formaliter; sed obiecta non sunt principia constituendi intrinsecè habitus: ergo nec principia distinguendi formaliter.

Habitus habent esse ab obiecta effectiuè.

h Secunda ratio est, quòd obiectum non distinguit habitum, nisi effectiuè: patet, quia habitus tantùm habet *esse* ab obiecto effectiuè: ergo & tantùm distinctionem ab ipso effectiuè: quia eo modo, quo aliquid dat *esse*, eo modo distinguit; si essentialiter, essentialiter; si accidentaliter, accidentaliter; si effectiuè, effectiuè: vt patet à Doctore in pluribus locis. Sed causæ efficientes non distinguunt effectus specie: patet, quia causæ specie distinctæ possunt producere effectus eiusdem speciei, vt patebit infrà *dist. 2. parte 2. quæst. 2.* vbi probat Doctor quòd possunt esse duo effectus eiusdem speciei, quorum vnus sit à causa æquiuoca, puta vnus mus à Sole, & alius à causa vniuoca, puta ab alio mure.

i Ad primum respondet Doctor quòd habi-
tus habet illam aptitudinalem relationem per 5.
causam formalem, & intrinsecam: & sic notitia practica distinguitur formaliter, & quiditatiuè à speculatiua per suam entitatem quiditatiuam. Sed quia illam entitatem habet effectiuè ab obiecto, & per consequens & illam proprietatem, ideò ab obiecto habet, vt effectiuè, siue originatiuè distinguatur à speculatiuo.

k Ad secundum dicit Doctor in sententia, quòd quando sunt duæ causæ specie distinctæ, sed vniuocæ suis effectibus: & hoc vel vniuocatione completa, quando producit effectum similem in substantia: vt quando homo producit hominem, tunc homo productus est similis in forma: quia in humanitate, & in modo essendi formæ: quia sicut humanitas, in qua est similitudo realiter existit in homine producente: sic realiter existit in homine producto, sed vniuocatione diminuta, quando effectus est similis in forma, sed non in modo essendi formæ: vt quando domus extrà similis domui in mente. Domus enim extrà est suo modo à domo intrà: & sic conueniunt in domo: quia domus in mente est domus, licèt secundùm quid, & domus extrà est domus

Quomodo domus extra est à domo intra.

ſimpliciter: differunt tamen in modo eſſendi, quia domus in mente habet tantùm *eſſe* cognitum, domus verò extrà habet verum *eſſe* reale. Et ſic patet quomodo ibi eſt ſimilitudo in forma domus: ſed in modo eſſendi formæ nulla eſt ſimilitudo.

6, Dicit Doctor quòd tales cauſæ ſicut ſpecie diſtinguuntur, ita producunt effectus ſpecie diſtinctos. Et tales cauſæ ſemper ſunt obiecta, ſpecie diſtincta, quæ producunt notitias, ſpecie diſtinctas: nam lapis vt præſens in ratione obiecti intelligibilis, de qua infrà *diſt.* 3. *quæſt.* 6. producit ſeipſum in *eſſe* cognito: quia producendo notitiam ſui, producit ſeipſum in *eſſe* cognito: & ſic lapis, vt in ratione obiecti intelligibilis eſt ſimilis lapidi in *eſſe* cognito: quia vterque eſt lapis: licèt extrà ſit lapis ſimpliciter, & vt cognitus tantùm ſecundùm quid: & ſic differunt in modo eſſendi. Et licèt notitia ſit abſolutè ſumpta alterius ſpeciei à lapide: tamen vt per ipſum dicitur lapis cognitus, & ſpecificatur ab ipſo, dicitur effectus ſaltem diminutè vniuocus.

Multorum opiniones recitaſſem in hac materia de Theologia practica, aut ſpeculatiua, cùm plurimæ ſint, & variæ: ne tamen ſtudentium ingeniis faſtidium nimia prolixitate afferrem, ea, quæ magis ad propoſitum faciunt, perſtringendo, prout potui, ſuperflua ſicco pede pertranſiui.

Vnde etiam quidam nouus expoſitor primæ partis S. Thomæ dicit, quòd Theologia eſt magis ſpeculatiua, quàm practica. Tum, quia principaliùs agit de rebus diuinis, quàm de actibus humanis. Tum, quia agit de humanis actibus, propter Dei ſpeculationem: quia in ſpeculatione conſiſtit æterna beatitudo, &c. 7. *Thom. de vio Caietanus.*

Sed hoc improbatum extat à Scoto, vt patet in iſta quæſtione, nec egent alia noſtra impugnatione. Et rationes Scoti ſatis euidentes ſunt. Addit inſuper ille expoſitor modernus, rationes Scoti non concludere Theologiam eſſe practicam: ſed ſi valent, concludunt eam duntaxat eſſe, vel practicam, vel eminenter continere practicæ rationem. Addit etiam quòd non poteſt inferri, quòd Theologia ſit ſpeculatiua, aut practica, vt vna contra aliam diſtinguatur; ſed vel eſt ſpeculatiua, & eminenter continens rationem practicæ, vel eſt practica, & eminenter continens rationem ſpeculatiuæ; hæc ille. Sed ex rationibus Scoti luculentiſſimè apparet poſitionem hanc non eſſe veram, nec vllo modo tali firmitate ſtare poſſe. Tum, quia ipſe non ſoluit rationes Scoti. Dicta hæc ſufficiant pro dilucidatione huius vltimę quęſtionis. Et ſic finis prologi.

LIBRI

LIBRI PRIMI SENTENTIARVM PETRI LOMBARDI

DISTINCTIO PRIMA.

A

De materia huius libri, & librorum diuiſione. *Lib.1.c.2.*

VETERIS ac nouæ legis continentiam, diligenti indagine etiam atque etiam conſiderantibus nobis, præuiâ Dei gratiâ, innotuit ſacræ paginæ tractatum circa res, vel ſigna præcipuè verſari: vt enim egregius Doctor Auguſtinus ait, in libro de Doctrina Chriſtiana [Omnis doctrina vel rerum eſt, vel ſignorum: ſed res etiam per ſigna diſcuntur. Propriè autem hîc Res appellantur, quæ non ad ſignificandum aliquid adhibentur.] *Res.* Signa verò, quorum vſus eſt in ſignificando. *Signa.* [Eorum autem aliqua ſunt, quorum omnis vſus eſt in ſignificando] non in iuſtificando: quibus non vtimur, niſi aliquid ſignificandi gratiâ, vt aliqua Sacramenta legalia. Alia, quæ non ſolùm ſignificant, ſed conferunt quod intus adiuuet: ſicut Euangelica Sacramenta. [Ex quo apertè intelligitur, quæ hîc appellentur ſigna; res illæ videlicet, quæ ad ſignificandum aliquid adhibentur. *Lib. & loc. citatis.* Omne igitur ſignum etiam res aliqua eſt. Quod enim nulla res, vt in eodem Auguſtinus ait, omnino nihil eſt. Non autem è diuerſo omnis res ſignum eſt: quia non adhibetur ad ſignificandum aliquid] Cumque his intenderit Theologorum ſpeculatio ſtudioſa, atque modeſta, diuinam Scripturam, formam præſcriptam in doctrina tenere aduertet. De his ergo nobis aditum ad res diuinas aliquatenus intelligendas, Deo duce aperire volentibus diſſerendum eſt: & primùm de rebus, poſtea de ſignis diſſeremus.

De rebus communiter agit.

B

Auguſt.lib. 1.cap.3.

ID ergo in rebus conſiderandum eſt: vt in eodem Auguſtinus ait: quòd [res aliæ ſunt quibus fruendum eſt; aliæ quibus vtendum eſt; aliæ, quæ fruuntur, & vtuntur. Illæ quibus fruendum eſt, nos beatos faciunt. Iſtis quibus vtendum eſt, tendentes ad beatitudinem, adiuuamur, & quaſi adminiculamur, vt ad illas res, quæ nos beatos faciunt, peruenire, eíſque inhærere poſſimus. Res verò quæ fruuntur, & vtuntur, nos ſumus: quaſi inter vtraſque conſtituti.] & Angeli ſancti. *Quid frui, & quid vti. Idem eodem lib. cap.4.* [Frui autem eſt amore alicui rei inhærere propter ſeipſam. Vti verò, id quod in vſum venerit referre: ad obtinendum illud, quo fruendum eſt, aliàs abuti eſt, non vti: nam vſus illicitus, abuſus, vel abuſio nominari debet.] *idem lib 1. cap 5.* Res igitur, quibus fruendum eſt, ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. *Quibus rebus fruendū eſt?* Eadem tamen Trinitas quædam ſumma res eſt, communíſque omnibus fruentibus ea: ſi tamen res dici debet, & non rerum omnium cauſa, ſi tamen & cauſa. Non enim facilè poteſt inueniri nomen, quod tantæ ex-

Quibus rebus vtendũ est? cellentiæ conueniat, nisi quòd meliùs dicitur Trinitas hæc vnus Deus. Res autem quibus vtendum est, mundus est, & in eo creata. Vnde Augustinus *Lib. 1. c. 4.* in eodem, [Vtendum est hoc mundo, non fruendum, vt inuisibilia Dei *Rom. 1. cap.* per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur, id est, vt de temporalibus *22. cap. 10.* æterna capiantur.] Item in eodem, [In omnibus rebus illæ tantùm sunt quibus fruendum est, quæ æternæ, & incommutabiles sunt: cæteris autem vtendum est, vt ad illarum perfruitionem perueniatur.] Vnde Augustinus 10. lib. de Trinit. [Fruimur cognitis, in quibus ipsis propter se voluntas delectata conquiescit: vtimur verò eis, quæ ad aliud referimus, quo fruendum est.]

Item quid intersit inter frui & vti, aliter quàm suprà?

C *Aug. c. 11.* NOtandum verò quòd idem Augustinus libr. 10. de Trinit. aliter quàm suprà accipiens *vti* & *frui*, sic dicit. [*Vti* est assumere aliquid in facultatem voluntatis. *Frui* autem, est vti cum gaudio: non adhuc spei, sed iam rei: ideóque omnis qui fruitur, vtitur: assumit enim aliquid in facultatem voluntatis cum fine delectationis. Non autem omnis qui vtitur, & fruitur: si id quod in facultatem voluntatis assumit: non propter ipsum, sed propter aliud *In litera B. huius dist.* appetit.] Et attende, quòd videtur Augustinus dicere, illos frui tantùm, qui in re gaudent, non iam in spe: & ita in hac vita non videmur frui, sed tantùm vti, vbi gaudemus in spe, cùm suprà dictum sit, *Frui*, esse amore inhærere alicui rei propter se: qualiter etiam hìc multi adhærent Deo.

Determinatio eorum quæ videntur contraria.

D *1. Cor. 13.* HÆc ergo quæ sibi contradicere videntur, sic determinamus: dicentes, nos & hìc & in futuro frui: sed ibi propriè, & perfectè, & plenè, vbi per speciem videmus quo fruemur; hìc autem, dum in spe ambulamus, frui- *Cap 10. lib. 1. cap. 30.* mur quidem, sed non adeò plenè: vnde in *libro decimo de Trinitate.* [Fruimur cognitis, in quibus voluntas est.] Idem in libro de Doctrina Christiana, ait, Angeli illo fruentes iam beati sunt, quo & nos frui desideramus: & quantum in hac vita iam fruimur, vel per speculum, vel in ænigmate, tanto nostram peregrinationem, & tolerabiliùs sustinemus, & ardentiùs finire cupimus.]

Alia determinatio.

E *Aug. lib. 1. de Doctr. Chri. c. 33. Aug. lib. eod. cap 31. August. de Doctr. Chr. cap. 33.* POtest etiam dici, quòd qui fruitur etiam in hac vita, non tantùm habet gaudium spei, sed etiam rei. quia iam delectatur in eo quod diligit, & ita iam rem aliquatenus tenet. Constat igitur, quòd debemus Deo frui, & non vti. [Illo enim (vt ait Augustinus) frueris, quo efficieris beatus, & in quo spem ponis, vt ad id peruenias.] De hoc idem ait in *libro de doctrina Christiana.* [Dicimus nos ea re frui, quam diligimus propter se, & ea re fruendum nobis esse tantùm, quâ efficimur beati, cæteris verò vtendum. [Frequenter tamen dicitur frui, cum delectatione vti.] Cùm enim adest quod diligitur, etiam delectationem secum gerit: si tamen per eam transieris, & ad illud vbi permanendum est, eam retuleris, vteris ea: & abusiuè, non propriè diceris frui. Si verò inhæseris atque permanseris, finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc verè, & propriè frui dicendus es: quod non est faciendum, nisi in illa Trinitate, id est, summo & incommutabili bono.

Vtrùm

Vtrùm hominibus sit vtendum, vel fruendum?

CVm autem homines, qui fruuntur, & vtuntur aliis rebus, res aliquæ sint, quæritur, vtrùm se frui debeant, an vti, an vtrunque. Ad quod sic respondet Augustinus in lib. de Doctr. Christ. [Si propter se homo diligendus est, fruimur eo: si propter aliud, vtimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendus, Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur beata vita, cuius etiam spes hoc tempore nos consolatur. In homine autem spes ponenda non est: quia maledictus est qui hoc facit. Ergo si liquidè aduertas, nec seipso quisquam frui debet: quia diligere se propter se non debet, sed propter illud quo fruendum est.] Huic autem contrarium videri non debet, quod Apostolus ad Philemonem loquens ait: Ita frater, ego te fruar in Domino. Quod ita determinat Augustinus: [Si dixisset tantùm, *te fruar*, & non addidisset *in Domino*, videretur finem dilectionis, ac spem constituisse in eo: sed quia illud addidit, in Domino finem se posuisse, eodémque frui significauit.] [Cùm enim (vt idem Augustinus ait) homine in Deo frueris, Deo potiùs quàm homine frueris. F *Cap. 22.* *Ier. 17.* *Cap. vnic.* *August. in libr. 1. de doctr. Chr. cap. 33.* *Ibidem.*

Hîc quæritur, an Deus fruatur, an vtatur nobis?

SEd cùm Deus diligat nos, vt frequenter Scriptura dicit, quæ eius dilectionem erga nos multùm commendat, quærit Augustinus quomodo diligat: an vt vtens, an vt fruens: & procedit ita: [Si fruitur, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit. Ait enim Propheta, Bonorum meorum non eges: Omne enim bonum nostrum vel ipse est, vel ab ipso est: non ergo fruitur nobis, sed vtitur. Si enim nec fruitur, nec vtitur, non inuenio quomodo diligat nos: neque tamen sic vtitur nobis, vt nos aliis rebus. Nos enim res quibus vtimur ad id referimus, vt Dei bonitate perfruamur. Deus verò ad suam bonitatem vsum nostrum refert.] [Ille enim miseretur nostri propter suam bonitatem: nos autem nobis inuicem propter illius bonitatem. Ille nostri miseretur, vt se perfruamur: nos verò inuicem nostri miseremur, vt illo perfruamur. Cùm enim nos alicuius miseremur, & alicui consulimus, ad eius quidem facimus vtilitatem, eámque intuemur: sed & nostra fit consequens, cùm misericordiam, quam aliis impendimus, non relinquit Deus sine mercede. Hæc autem merces summa est, vt ipso perfruamur.] [Item quia bonus est, sumus: & inquantum sumus, boni sumus. Porrò etiam quia iustus est, non impunè mali sumus: & inquantum mali sumus, intantum etiam minùs sumus. Ille ergo vsus, quo nobis vtitur Deus, non ad eius, sed ad nostram vtilitatem refertur, ad eius verò tantummodo bonitatem.] G *Ad Eph. 2.* *Aug lib. 1. de doctrina Christiana cap. 31. & 32. Psalm. 15.* *August. lib. 1. de doctr. Chr. c. 30.* *Ex eodem lib. cap 32.* *Matth. 5.* *Ex eodem lib. cap. 32.*

Vtrùm vtendum, an fruendum sit virtutibus?

HIc considerandum est, vtrùm virtutibus sit vtendum, an fruendum. Quibusdam videtur, quòd eis sit vtendum, & non fruendum: & hoc confirmant authoritate Augustini, vt qui vt prætaxatum est, dicit [non esse fruendum, nisi Trinitate, id est, summo, & incommutabili bono.] Item dicunt: ideò non esse fruendum eis, quia propter se amandæ non sunt, sed propter æternam beatitudinem. Illud autem quo fruendum est, propter se amandum est. Sed quòd virtutes propter se amandæ non sint, immò propter H *In litera E. huius primæ distinct. id habetur lib. 1. de doct. Chr. c. 33. cap. 8.*

beatitudinem ſolam, probant authoritate Auguſtini, qui in lib.13. de Trinit. contra quoſdam ait,[Fortè virtutes, quas propter ſolam beatitudinem amamus, ſic nobis perſuadere audent, vt ipſam beatitudinem non amemus. Quod ſi faciunt, etiam ipſas vtique amare deſiſtimus, quando illam propter quam ſolam iſtas amauimus,non amamus.] Ecce his verbis videtur Auguſtinus oſtendere, quòd virtutes non propter ſe, ſed propter ſolam beatitudinem amandæ. Quod ſi ita eſt, ergo eis fruendum non eſt. Aliis verò contrà videtur, ſcilicet, quòd fruendum eis ſit, quia propter ſe expetendæ, & amandæ ſunt. Et hoc confirmant authoritate Ambroſij, qui ait ſuper illum locum epiſtolæ ad Galatas, [*Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia,* &c.] At hîc non nominat opera, ſed fructus: quia propter ſe petenda ſunt: ſi verò propter ſe petenda ſunt, ergo & propter ſe amanda. Nos autem harum, quæ videtur authoritatum repugnantiam de medio eximere cupientes, dicimus, quòd virtutes propter ſe petendæ, & amandæ ſunt, & tamen propter ſolam beatitudinem: propter ſe quidem amandæ ſunt, quia delectant ſui poſſeſſores ſyncera, & ſancta delectatione, & in eis pariunt gaudium ſpirituale. Veruntamen non eſt hîc conſiſtendum, ſed vltrà gradiendum: non hîc hæreat dilectionis greſſus, neque hîc ſit dilectionis terminus: ſed referatur hoc ad illud ſummum bonum, cui ſoli omnino inhærendum eſt; quia illud propter ſe tantùm amandum eſt, & vltra illud nihil quærendum eſt: illud eſt enim ſupremus finis. Ideò Auguſtinus dicit, quòd [eas diligimus propter ſolam beatitudinem.] non quin eas propter ſe diligamus, ſed quia idipſum quòd eas diligimus, referimus ad illud ſummum bonum, cui ſoli inhærendum eſt, & in eo permanendum, finíſque lætitiæ ponendus: quare virtutibus non eſt fruendum. Sed dicet aliquis, Frui eſt amore inhærere alicui rei propter ſeipſam, vt prædictum eſt. Si ergo propter ſe virtutes amandæ ſunt, & eis fruendum eſt. Ad quod dicimus, in illa deſcriptione, vbi dicitur *propter ſeipſam*: intelligendum eſt tantummodò, vt ſcilicet ametur propter ſeipſam tantùm, vt non referatur ad aliud, ſed ibi ponatur finis, vt ſuprà oſtendit Auguſtinus, dicens. [Si inhæſeris atque permanſeris, finem ponens lætitiæ, tunc verè & propriè frui dicendus es: quod non eſt faciendum, niſi in illa Trinitate, id eſt, ſummo & incommutabili bono.] Vtendum eſt ergo virtutibus, & per eas fruendum ſummo bono: ita & de voluntate bona dicimus. Vnde Auguſtinus in lib. 10. de Trinit. ait, [Voluntas eſt per quam fruimur.] ita & per virtutes fruimur, non eis, niſi fortè aliqua virtus ſit Deus, vt charitas de qua pòſt tractabitur.

Non reperitur in Ambroſij commentariis, ſed in gloſſa interlineari, ſuper hoc verbo ad Galat. cap. 5.

Auguſt. 13. de Trinit. cap. 8.

Frui, in litera B.

In litera E. & lib de doct. Chr. 1. cap. 33. c. 1. 1. lo 4. cap. diſtinct. 7. lib. 1.

Epilogus.

I [OMnium igitur quæ dicta ſunt, ex quo de rebus ſpecialiter tractauimus, hæc ſumma eſt: Quòd aliæ ſunt quibus fruendum eſt, aliæ quibus vtendum eſt: aliæ quæ fruuntur & vtuntur.] & inter eas quibus vtendum eſt, etiam quædam ſunt per quas fruimur, vt virtutes & potentiæ animi, quæ ſunt naturalia bona. De quibus omnibus, antequam de ſignis tractemus, agendum eſt: ac primùm de rebus, quibus fruendum eſt, ſcilicet de ſancta atque indiuidua Trinitate.

Aug. lib. 1. de doctr. Chr. c. 35.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Vtrùm per se obiectum a *fruitionis sit vltimus finis?*

Alens.4.*part.quæst.*20.*memb.*2.*art.*2.*&* 3. D.Thom. 1.2.*quæst.*1.*art.*3.*&* 8.*vbi eius Expositor.*D.Bonauent. *hîc art.*3.*quæst.*2.Durand.*quæst.*2. Scot.*in* 4.*dist.*49.*quæst.*4.*&* 5.Richard.1.*sent.dist.*1.*quæst.*3. Baccon. *dist.*1.*quæst.*1.Mayron.*q.*1.

CIRCA distinctionem primam, in qua Magister tractat de *frui*, & *vti*, quæro primò de obiecto ipsius *frui* & primò: vtrùm per se obiectum fruitionis sit finis vltimus?

Et arguitur [b], quòd non; Quia secundùm Augustinum 83. Quæst q.30. *Fruendum est bonis inuisibilibus*, sed plura sunt bona inuisibilia: ergo non est fruendum tantùm vltimo fine. *Magister A. B.*

1. Item, Capacitas fruentis est finita, quia natura subiecti est finita: ergo capacitas illa potest satiari aliquo obiecto finito, sed fruendum est quocunque satiante capacitatem fruentis: ergo, &c.

Circa istam 1. dist. vbi Mag. tractat de frui, & vti, quæruntur 9. quorum duo sunt de obiecto fruibili, alia duo de ipso frui in se, & 5. de fruente. Primò ergo quæritur de obiecto ipsius frui.

Item, aliquid est maius capacitate animæ, vt Deus, qui sufficit sibi ipsi; & aliquid est minus capacitate eius, vt corpus: ergo aliquid est medium, scilicet æquale capacitati eius: illud erit minus Deo: ergo, &c.

Item, firmiùs assentit intellectus alij vero, quàm primo vero: ergo à simili, intensiùs potest voluntas assentire alij bono, quàm primo bono.

Item, Quæcunque forma naturalis satiat capacitatem materiæ: igitur quodcunque obiectum satiat capacitatem potentiæ. Consequentia probatur, quia potentia per formam in ipsa receptam, respicit obiectum, & ita si forma vna recepta satiat appetitum intrinsecè: sequitur, quòd obiectum, quod respicitur à potentia per istam formam, etiam satiat appetitum extrinsecè, seu terminatiuè. Antecedens probatur, quia si aliqua forma non satiaret; ergo stante ista forma, materia inclinaretur ad aliam naturaliter, & per consequens sub ista quiesceret violenter: nam quodcunque prohibens aliquid ab illo, ad quod est inclinatio ipsius, est violentum sibi, sicut apparet de quiete grauis extra locum suum.

COMMENTARIVS.

a TITVLVS quæstionis sic debet intelligi: An entitas vltimi finis sit per se ratio formalis terminandi fruitionem ordinatam. Et notandum quòd aliud est loqui de obiecto per se terminatiuo fruitionis; & aliud de ratione formali talis obiecti. Exemplum: Deus est obiectum, terminans fruitionem: & Deitas est ratio formalis: quia dicimus quòd Deus terminat fruitionem, sub ratione Deitatis: & illud dicitur per se terminare, quod per se includit rationem formalem terminandi. Et illud dicitur per accidens terminare, quod non ex sua ratione formali terminat: sed ex ratione formali alterius, & sic debet intelligi titulus quæstionis.

Arguit contra conclusionem principalem, quæ talis est: fruitio ordinata habet tantùm vltimum finem pro obiecto, intelligendo de fine vero, & existente ex natura rei.

b Arguit primò principaliter supponendo vnum probatum *dist.* 1. *primi.* scilicet quòd tantùm sit vnus vltimus finis: arguit ergo per auctoritatem Augustini, quòd *fruendum est bonis inuisibilibus quæ sunt plura:* ergo fruitio non est tantùm respectu vltimi finis.

Secundum argumentum clarum est. Item tertium, quartum, & quintum.

SCHOLIVM.

Deum esse obiectum fruitionis, ponit 4. articulos examinandos: & ostendit differentiam fruitionis, vt sic, & fruitionis bonæ, & actum potentiæ de se non determinatæ ad bonum, esse vniuersaliorem actu recto.

AD oppositum est August. primo de Doctr. Christiana cap.1. *Res, quibus fruendum est, sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & hi tres sunt vna res: ergo*, &c. 2.

Ad istam quæstionem primò distinguam de fruitione ordinata, & in communi sumptâ. Secundò dicam de obiecto fruitionis ordinatæ. Tertiò de obiecto fruitionis in communi. Quartò quomodo sit intelligendum fruitionem esse circa finem, siue verè vltimum, vt in secundo articulo, siue non verè vltimum, vt in tertio articulo.

De primo dico, quòd fruitio in communi excedit fruitionem ordinatam, quia quan- *Diuidit fruitionem.*

docunque potentia non determinatur ad actum ordinatum ex se, actus eius in communi, vniuersalior est actu eius ordinato: voluntas autem non determinatur ex se ad fruitionem ordinatam: quod patet, quia *summa peruersitas est in fruendo vtendis*, secundùm Augustinum 83. *quæstionum. q.* 30. ergo, &c. Est autem fruitio ordinata, qualis nata est esse recta, quando scilicet ordinatur secundùm circunstantias debitas; fruitio autem in communi est, siue habeat illas circunstantias, siue non.

COMMENTARIVS.

Circa primum articulum dicit Doctor duo. Primum, quòd fruitio ordinata est illa, quæ habet debitas circunstantias, de quibus circunstantiis actus moralis diffusè patet à Doctore infrà *d.* 17. *& in* 2. *d.* 7. & 40. *& in quolib. quæst.* 18. Secundum est, quòd fruitio in communi est, siue habeat illas circunstantias, siue non. Hîc Doctor non intelligit, quòd fruitio in communi dicatur fruitio inordinata, vt videtur exponere Alfonſ. Tol. qui arguit contra Doctorem d. 1. primi. Sed Doctor sic intelligit, quòd ex quo determinauit de fruitione ordinata, & determinata, quæ habet debitas circunstantias, illa dicatur communiter sumpta, siue habeat, siue non habeat: & non accipit ibi *in communi* vt declarat Alfon. pro indifferenti ad inordinatam, & ordinatam: & Doctores multoties vtuntur isto modo loquendi, quo Doctor hîc vtitur.

SCHOLIVM.

Ponit opinionem Auicennæ, Intelligentiam (id est, spiritum non Deum) esse obiectum fruitionis bonæ: quam refutat efficaciter quatuor rationibus. Tres primæ sumuntur ab insufficientia boni creati, vel finiti, ad satiandam potentiam fruitionis capacem: quarta ducit rationem Auicennæ ad oppositum.

1. *Opinio Auicennæ.* QVantùm [a] ad secundum videtur esse opinio Auicennæ quòd ordinata fruitio potest esse circa aliud à fine vltimo, quod probatur ex dictis eius 9. *Metaph. cap.* 4. vbi vult, quòd Intelligentia superior per actum suum intelligendi, producit inferiorem: tunc autem videtur productum esse perfectum, quando attingit suum principium productiuum, secundùm illam propositionem 35. Proculi, quòd *vnumquodque natum est conuerti ad illud, à quo procedit.* In tali autem reditu videtur esse circulus completus, & ita perfectio: ergo Intelligentia producta perfectè quietatur in Intelligentia producente.

De quo Scot. quodlibet. 14. Contra istud [b], Potentia non quietatur nisi vbi est obiectum suum perfectissimè & in summo: obiectum potentiæ fruentis est ens in communi secundùm Auicennam 1. *Metaph. cap.* 5. ergo non quietatur potentia fruens, nisi vbi est perfectissimum ens, hoc est, summum tantùm.

Impugnatio Auicennæ. Item potentia, quæ inclinatur ad multa obiecta per se, non quietatur in aliquo vno perfectè, nisi illud includat omnia per se obiecta, quantum possunt includi in aliquo vno: sed potentia fruens inclinatur ad omne ens, sicut ad per se obiecta: ergo non quietatur in aliquo vno ente, nisi illud includat omnia entia, quantum possunt includi in aliquo vno; possunt autem tantùm perfectissimè includi in vno ente infinito: ergo potentia potest tantùm quietari ibi in summo.

Vide Scot. 4. d. 49. q. 8. vbi agit de hoc & q. 6. ad 2. pro opin. Item, Intelligentia [c] inferior videns superiorem, aut videt eam esse finitam, aut credit eam esse infinitam: aut nec videt eius finitatem, nec infinitatem. Si credit eam esse infinitam, ergo non beatificatur in ea: quia stultius nihil potest dici, quàm quòd falsa opinione anima sit beata, secundùm Augustinum 11. *de Ciuit. Dei, cap.* 4. Si autem nec videt eius finitatem, nec infinitatem, non videt eam perfectè, nec sic est beata. Si autem videt eam esse finitam, igitur potest intelligere aliquid posse eam excedere. Ita enim experimur in nobis, quòd possumus apprehendere vltra quodcunque bonum, aliud quod ostenditur maius bonum, & per consequens potest appetere, vel amare illud maius bonum, & ita non quietatur in illa Intelligentia.

Item duco [d] rationem eius ad oppositum, quia secunda Intelligentia, si concedatur sibi, quòd causat tertiam, non causat eam in virtute propria, sed virtute primæ: ergo non finit eam virtute propria, sed in virtute aliena. Quòd autem finit aliquid in virtute alterius finis, vt vltimus finis, non quietat illud, ergo, &c.

COMMENTARIVS.

1. [a] QVantùm ad secundum videtur esse opinio Auicennæ 9. Metaphyſ. cap. 4. quòd secunda Intelligentia immediatè producit tertiam, quantùm ad suum esse. Quam opinionem diffusiùs pertractat Doctor *in* 4. *d.* 1. *q.* 1. Et ideò voluit, quòd quando aliquis effectus secundùm totum suum *esse* dependet ab alio in *esse* & conseruari, natus est perfectè quietari in illo, à quo sic depen

dependet. Et probat per propoſitionem Proculi 35. quia naturaliter effectus redit ad ſuam cauſam, hoc eſt, quòd ſicut producitur in *eſſe* à tali cauſa, ita habet naturalem inclinationem redeundi ad illam, & quietari in illa.

b *Contra iſtud.* Hîc Doctor intendit probare, quòd tantùm in ente perfectiſſimo intellectus creatus, natus eſt perfectiſſimè quietari, & rationes ſunt ſatis claræ in litera, & maximè prima & ſecunda ratio. Primò arguit ſic: Quando potentia habet aliquod commune pro obiecto, non perfectè quietatur, niſi in perfectiſſimo contento: patet iſta. Tum, quia in iſto perfectiſſimo contento, perfectiſſimè reperitur ratio illius obiecti communis: ſi ergo potentia naturaliter inclinatur ad proprium obiectum, tunc perfectiſſimè inclinatur ad perfectiſſimum contentum. *Prima ratio.*

Patet hoc per conſequentiam Philoſophi 1. Metaph. in procemio, *ſi omnes homines natura ſcire deſiderant, ergo maximam ſcientiam, maximè deſiderabunt.* Maxima autem ſcientia eſt circa maximè ſcibilia, quæ ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ: vt patet 6. *Metaph.* Sic arguo de voluntate, quæ naturaliter inclinatur ad bonum: ergo ad ſummum bonum ſummè inclinatur: ergo in illo tantùm ſummè quietatur. Tum etiam, quia perfectio vltimata potentiæ eſt in actu ſecundo, quo vnitur optimo contento ſub obiecto illius potentiæ, vt patet à Doctore infrà *diſt.* 2. *parte* 1. *quæſt.* 1. ergo potentia non erit perfectior in actu ſecundo, niſi illo actu attingat, ſiue vniatur perfectiſſimo contento. Cùm ergo voluntas ſecundùm Auicennam 1. *Metaph. cap.* 1. habeat ens, inquantum ens pro obiecto, ſaltem in ratione terminatiui, ſequitur quòd voluntas non poterit perfectè quietari, niſi actu ſuo terminetur perfectiſſimo enti, & per illum vniatur ſibi. *Voluntas inclinatur ad bonum.*

2. *Secunda ratio.* Secunda ratio ſupponit vnum, ſcilicet quòd potentia dicatur perfici in hoc, quòd attingit obiectum per ſe illius potentiæ. Potentia enim viſiua perficitur in hoc, quòd actu ſuo attingit viſibile, & quot ſunt obiecta per ſe, id eſt, quæ per ſe includunt rationem primi obiecti, tot nata ſunt perficere potentiam modo prædicto, ſcilicet pro quanto attinguntur à tali potentia, præſertim ſi talia per ſe obiecta includunt perfectionem: quod dico propter relationes diuinas, & fortè creatas, quæ nullam formaliter includunt perfectionem, quæ tamen per ſe continentur ſub ente. Tunc arguo ſic: Potentia, quæ plura per ſe reſpicit obiecta, (id eſt, quæ reſpicit plura obiecta, quæ per ſe continentur ſub primo obiecto illius potentiæ) non poteſt in vno illorum propriè quietari, niſi eminenter, vel virtualiter contineat perfectionem illorum obiectorum: patet, quia dum reſpicit vnum illorum, diminutè perficitur: quia non continet perfectionem alterius, quam etiam reſpicit, ideò ſingulum ſemper diminutè perficit. Si ergo vnum illorum debeat vltimatè, & completiuè perficere, oportet ipſum continere perfectionem aliorum virtualiter, vel eminenter; ſed voluntas creata reſpicit, ſiue inclinatur ad omne ens, ſicut ad per ſe obiecta, quia habet ens commune pro obiecto, vt patet à Doctore infrà *diſt.* 3. *quæſt.* 3. *&* *in* 4. *diſt.* 49. & præcipuè inclinatur ad entia, quæ includunt aliquam bonitatem: quia obiectum fruibile, ſiue amabile ſemper includit, vel bonitatem eſſentialem, vel attributalem, vt expoſui ſuprà *q. vlt. prologi.* & infrà magis patebit *d. præſenti. q.* 3. ergo talis voluntas non poteſt vltimatè perfici, & completiuè, & perfectè quietari, ſeu ſatiari, niſi à perfectiſſimo ente: & tale eſt primum ens, quod continet virtualiter, & eminenter perfectionem omnium aliorum. *Voluntas creata inclinatur ad omne ens.*

Tertia ratio clara eſt: quia ſi Intelligentia inferior videt ſuperiorem vt finitam, ergo poteſt appetere perfectiorem & ſic non quietari in illa finita. Si videt eam, vel credit infinitam, & non ſit, ergo decipitur, & ſic non beata; aut videt eam, nec finitam, nec infinitam: ergo non perfectè videt, & ſic non beata. 3. *Tertia ratio.*

Quarta ratio ſtat in hoc, quia ſecunda Intelligentia finit actum fruitionis tertiæ, non virtute propria, ſed virtute alterius, ſcilicet primæ, id eſt, quòd habet à prima entitatem talem, quæ poſſit eſſe obiectum fruitionis: & tunc illa, quæ dat talem entitatem, videtur magis habere rationem obiecti fruibilis, & ſic tertia magis quietabitur in prima, quàm in ſecunda. Et hæc quarta ratio tenet, ſupponendo quòd prima Intelligentia contineatur ſub primo obiecto tertiæ Intelligentiæ. *Quarta ratio.*

In hoc paſſu voluerunt quidam dicere *diſtin.* 1. *q.* 4. quòd Doctor intendit hoc probare rationibus naturalibus: & dicunt quòd iſtæ rationes hoc non concludunt via naturali. 4. *Guil. Ocham in primo d.* 1. *q.* 1.

Ad quod dico primò, quòd Doctor ſupponit vnum in prima, & ſecunda ratione, quòd intellectus creatus, & ſimiliter voluntas creata, habent ens, inquantum ens, pro obiecto adæquato, & ſi hoc eſſet notum via naturali, rationes Doctoris euidenter, & naturaliter concluderent, vt patet intuenti, ſupponendo vnum, quòd duplex eſt perfectio potentiæ, videlicet intrinſeca, & extrinſeca. Intrinſeca, vt operatio ipſius: extrinſeca vt obiectum terminans illam operationem. Hoc patet à Doctore *in iſta quæſtione, & in* 4. *diſt.* 49. Sicut ergo potentia non dicitur perfectiſſimè quietari in aliqua perfectione intrinſeca, niſi in perfectiſſima operatione, nata ſibi conuenire, ſic non dicitur perfectiſſimè quietari in perfectione extrinſeca, niſi in obiecto perfectiſſimo, nato attingi à tali potentia: cùm ergo ſub ente, inquantum ens, contineatur ens infinitum, ſequitur quòd potentia habens ens, inquantum ens, pro obiecto, non poteſt perfectiſſimè quietari, niſi in ente infinito. Et ideò admitto diſtinctionem, quam facit Guilelmus Ocham de obiecto adæquato intellectus, ſcilicet quòd talis adæquatio ſic intelligatur, quòd quodlibet contentum in particulari, & ſub propria ratione eſt apprehenſibile ab intellectu, vel talis adæquatio ſit alicuius communiſſimi inter omnia, quæ poſſunt apprehendi ab aliqua potentia, nec poteſt apprehendi aliquid à tali potentia, niſi de quo ipſum prædicatur. Et dicit quòd intellectus creatus non habet ens, inquantum ens, pro obiecto adæquato primo modo, ſed benè ſecundo modo. Et ſic non ſequitur, quòd ſi cognoſcam ens in ſua maxima communitate, quòd poſſim cognoſcere quodlibet contentum ſub ratione propria. Modò rationes Doctoris præſupponunt de adæquatione entis primo modo, & in hoc non deuiat à Doctore, tamen fortè poſſet probari via naturali ens, inquantum ens, eſſe obiectum adæquatum intellectus creati, & hoc ex natura intellectus: vt patebit infrà, à Doctore *diſt.* 3. *& diſt.* 8. *& in* 2. *d.* 1. *& in quolib. q.* 14. *Reſponſio. Voluntas creata habet ens inquantum ens pro obiecto adæquato. Duplex perfectio potentiæ.*

Ad

5. *Guil. Ocham vbi suprà.* Ad secundam rationem respondet idem, quòd ista propositio deberet probari, videlicet quòd potentia non quietatur, nisi in perfectissimo, contento sub obiecto communi, quia si sensus potest habere delectationem, respectu plurium sensibilium, si esset aliquod sensibile minùs perfectum, quod semper approximaretur illi sensui, necessariò semper quietaret illum sensum, quia excluderet omnem tristitiam, contrariam illi delectationi.

Responsio. Respondeo, quòd licèt ratio illius habeat aliqualem apparentiam, non tamen concludit contra rationem Doctoris, quia benè conceditur, quòd stante tali approximatione, quietaretur, non tamen sequitur, quòd perfectissimè, quia in perfectiori obiecto sibi approximato magis quietaretur. Et quod dicit, quòd talis delectatio excludit tristitiam oppositam, conceditur. Sed ex hoc non sequitur, quòd excludat omnem tristitiam. Et vltrà, posito etiam quòd excluderetur omnis tristitia, adhuc non sequitur, quòd perfectissimè quietaretur quietatione, de qua loquimur in proposito. Nam aliquid quietari in alio contingit dupliciter. *Quietari aliquid in alio contingit duobus modis.* Vno modo positiuè, scilicet per positionem obiecti perfectissimè quietatiui. Alio modo per exclusionem actualem tristitiæ. De prima quietatione intendit loqui Doctor, & patebit infrà.

Idem. c Tertiò arguit Doctor contra opinionem Auicennæ, ibi: *Item intelligentia inferior videns superiorem,* &c. Et ratio clara est. Ad hanc rationem respódet qui suprà dupliciter, concedendo quòd tertia Intelligentia videat secundam etiam finitam: & quòd videat aliquid perfectius ea, & tamen non sequitur, quin sit perfectè quietata in secunda. Et cùm dicitur à Doctore quòd tertia Intelligentia potest appetere illud perfectius. Dicit ille, quòd non ostenditur, quòd possit rectè appetere.

6. *Responsio.* Sed iudicio meo hoc nihil est, supponendo mihi vnum, quòd aliud est loqui de beatitudine, quam potentia est apta nata habere; & aliud est loqui de beatitudine, quæ tantùm est in potestate dantis, & certum est quòd isto secundo modo potentia tamen potest rectè appetere, quantum voluntas recta dantis vult eam appetere, & non plus, vt patebit *in* 4. *dist.*49. Sed loquendo primo modo, hoc est euidens, quòd voluntas potest rectè velle illud, quod est obiectum quietatiuum, & sic responsio illa data contra Doctorem, parum concludit.

Idem. Responsio. Dat aliam responsionem, quòd Intelligentia tertia non cognoscit primam, & per consequens non potest appetere. Dico, quòd si via naturali probari posset aliquod ens esse infinitum, illud maximè intelligeretur à tertia Intelligentia. Dico secundò, quòd si tertia Intelligentia videndo secundam, aut videt ipsam esse primam, & sic decipitur; aut videt ipsam esse secundam, & productam ab alia, ergo potest intelligere producentem; & producens æquiuocum est simpliciter nobilius producto, & per consequens potest appetere illam.

7. *Idem.* d Vltimò arguit Doctor ducendo rationem Auicennæ ad oppositum: ibi, *Item duco rationem ad oppositum.* Ad hanc rationem respondet idem, vbi suprà, dicens quòd non sequitur, Intelligentia secunda finit, ratione alterius finis: ergo non quietat: sicut diceretur, sensibile non delectat, nisi in virtute alterius: quod tamen non delectat, & tamen quietat appetitum sensitiuum.

Hoc nihil est contra rationem Doctoris. Supponendo primò, quòd tertia Intelligentia possit intelligere primam, vt etiam Philosophi concederent. Secundò, quòd ratio formalis obiecti quietatiui dicit entitatem perfectam, & absolutam, vt patebit infrà à Doctore: sequitur ergo, quòd si secunda Intelligentia causat tertiam, in virtute primæ (cum entitas illius dependeat à prima in *esse*, & conseruari) quod non potest quietare, nisi in virtute primæ (cùm ratio quietatiua dependeat in *esse*, & conseruari, à prima Intelligentia.) Et vltrà sequitur, quòd ratio quietatiua secundæ est imperfectior ratione quietatiua primæ, & tertia Intelligentia est capax illius potentiæ: vt probatum est supra: ergo stat ratio Doctoris quòd non potest perfectè quietari, nisi in prima. Quædam alia adducuntur per suprà arguentem contra Doctorem, quæ ex dictis suprà facilè soluuntur. Et quia rationes Scoti probant etiam, quòd intellectus noster non potest perfectè quietari, & hoc ex natura potentiæ, nisi in perfectissimo ente, & hoc in se, & in particulari, cùm non sit maior ratio de intellectu nostro, ex natura intellectus, quàm de intellectu Intelligentiæ secundæ. Et istæ duæ rationes, quas facit Doctor *in* 4. *d.*49. *quæst.*8. etiam pro ista via. Ideò hic adduxi eas, vt clariùs videatur opinio ista, & euidentior sit. *Responsio.*

Insuper vt appareat, quòd improbatio, quam facit quidam nouus interpres Philosophi, nihil contra Scotum valeat, qui nouus expositor sic dicit, quòd Scotus probat ratione naturali intellectum nostrum non posse quietari, nisi in cognitione intuitiua summi intelligibilis: & adducit duas rationes, quas dicit esse Scoti *in* 4. *d.*49. *q.*8. Prima, quia totum ens est obiectum intellectus nostri: igitur non quietatur, nisi in cognitione summi intelligibilis in se. Declaratur, quia non quietatur in cognitione illius in vniuersali, quia sic illum cognoscere, non est illum cognoscere, igitur in cognitione ipsius Dei in se. 8. *August. Suessa.*

Secundò arguitur, quia quod est simpliciter perfectionis in aliquo genere, si competit inferiori in illo genere, etiam oportet, vt superiori competat, sed cognitio intuitiua competit sensui, igitur multò magis intellectui. Hæc Scotus. Sed istæ rationes, vt dicit ille expositor, friuolæ sunt. Prima quidem, quia siue ens sit obiectum intellectus, siue non, semper conceptus entis cuiusuis, causatus est à quiditate materiali per phantasmata repræsentata, & ita ens est obiectum intellectus, vt causatum à quiditate materiali per phantasmata repræsentata.

Ad secundam, concedo quòd cognitio intuitiua est possibilis intellectui, sed non respectu omnis cognoscibilis, quia non respectu substantiæ, nec respectu materiæ, solùm autem respectu obiecti proportionabilis. Et sic non oportet esse ita in omnibus, si est de vno, quia potest intellectus aliquod cognoscibile cognoscere intuitiuè, & abstractiuè, non autem omne propter defectum proportionis. Ampliùs contra exterorum principem argui potest, quia ipse tenet non posse naturali ratione demonstrari intellectum esse perpetuum: igitur nec ipsum esse capacem talis beatitudinis, quia vt ipse dicit in alia quæstione eiusdem libri, mortalitas repugnat saltem effectualiter felicitati, quia si exteri tenent ratione naturali, non posse probari animæ immortalitatem,

tem: coguntur dicere, non posse probari ratione naturali, animam posse tali modo beatificari. Hæc expositor ille, super secundo Metaphysicæ.

9. *Responsio & improbatio Aug. Suess.* Respondeo ad nouum expositorem. Primò, quòd non rectè intelligit Scotum, quia non dicit Scotus quòd pro statu isto, possit naturali ratione probari, intellectum humanum non posse beatificari, nisi in cognitione intuitiua summi intelligibilis: sed Scotus dicit quòd loquendo de intellectu, ex natura intellectus, potest naturali ratione demonstrari, ipsum non posse beatificari, nisi in tali cognitione intuitiua obiecti summi. Et ideò dicit dist. 49. 4. quæst. 4. *sic videtur tamen mihi, quòd per rationem naturalem potest probari, sublata imperfectione status istius, quo ad cognitionem*, &c. Et sic apparet quomodo non recitatur fideliter opinio Scoti, & quòd sic intelligat de intellectu ex natura potentiæ; & non de intellectu, vt pro isto statu, patet expressè ab ipso Scoto *in prolog. quæst.* 1. *& in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 3. vbi vult quòd ens, inquantum ens, non sit obiectum adæquatum intellectus nostri pro statu isto: sed benè est obiectum adæquatum intellectus nostri, ex natura intellectus: vt patet *d.* 3. *quæst.* 3 *primi*, & ideò non potest quietari, nisi in perfectissimo contento. Et sic patet quòd loquendo de tali intellectu, ex natura intellectus, non habet quiditatem rei materialis pro obiecto adæquato. Sed hoc diffusiùs exposui *infrà, dist.* 3. *quæst.* 3.

Ens inquantum ens non est obiectum adæquatum intellectus nostri.

Ad secundum, quando dicit, quòd cognitio intuitiua non est possibilis intellectui, respectu omnis intelligibilis. Hoc patet esse manifestè falsum, loquendo de summo intelligibili: cùm illud sit summæ existentiæ, & cognitio intuitiua terminetur ad rem existentem, inquantum existens est, vt patet à Scoto in pluribus locis. Et similiter falsum est, quòd intellectus humanus, ex natura intellectus, non possit intuitiuè cognoscere substantiam, & materiam primam, vt posset faciliter deduci, cùm includant propriam existentiam.

10. Et quod addit de immortalitate animæ, hoc nihil est, quia licèt sit tantùm creditum, animam esse immortalem, nec hoc possit ratione naturali probari, vt patet à Scoto *in quarto dist.* 43. sublata tamen imperfectione huius status, quo ad cognitionem (quia tantùm pro statu isto natus est moueri intellectus à sensibilibus, vt patet à Scoto *dist.* 3. *quæst.* 3. 1.) si anima intellectiua duraret tantùm per diem: ex quo ex natura potentiæ intellectiuæ habet ens pro obiecto adæquato, non posset quietari vltimatè, nisi in ente perfectissimo, & hoc in se viso. Non enim est de essentia beatitudinis, quòd sit perpetua, vt probat Scotus *in* 4. *distinct.* 49. Posset enim quis esse perfectè beatus, loquendo de beatitudine essentiali, tantùm per instans: vt patet à Scoto *vbi suprà.* Et quod addit secundùm Scotum, quòd mortalitas repugnat beatitudini, saltem effectualiter. Dico quòd non intelligit mentem, nec verba Scoti vt patet intuenti ipsum *in* 4. *d.* 49. *quæst.* 12. vbi pertractat hanc materiam. Vult enim ibi, quòd non sit repugnantia formalis, sed tantùm virtualis: quia si esset repugnantia formalis, scilicet mortalitatis ad beatitudinem, tunc in Christo non potuissent fuisse simul: quod non est verum, fuit enim perfectè beatus, & tamen mortalis. De hoc vide ibi.

Et vltrà dico, quòd positio istius noui interpretis Philosophi multa falsa continet. Primò, quia dicit, quòd phantasmata causant conceptum entis. Hoc improbatum est infrà, *dist.* 3. *q* 7. à Scoto *& in quolib. quæst.* 15. & vide ibi expositionem. Secundò, quia hoc posito, statim sequitur (vt Scotus arguit *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 8.) quòd felicitas intellectus nostri esset in aliquo conceptu, qui est imperfectior conceptu rei sensibilis per actum sensitiuum: patet, quia conceptus causatus de Deo ex sensibilibus est imperfectior eis, quàm actus cognitionis sensitiuæ: patet, quia impossibile est intellectum agentem cum obiecto suo causare conceptum perfectiorem suo perfecto verbo: quia realiter est effectus sibi adæquatus, sed vnus effectus est adæquatus vni causæ: ergo non potest perfectiorem illo causare de Deo. Et si sic, tunc ista positio destruit Philosophum, qui ponit in perfectissima cognitione beatitudinem, & hanc ponit illius primæ substantiæ.

Phantasmata non causant conceptum entis.

Ad istam obiectionem respondet ille expositor, quòd hæc cognitio de Deo, quæ compositione plurium conceptuum habetur, est perfectior sensitiua, quia phantasma non principaliter concurrit, sed instrumentaliter, & ita potest effectus esse perfectior sua causa, quia esse potest virtute perfectioris agentis. Sed hæc responsio parum valet, tum, quia oportet ipsum assignare illud agens perfectius; aut ponitur intellectus, aut res sensibilis, aut phantasma, aut species intelligibilis, & quocunque istorum dato, stat ratio Scoti. Si enim ponitur intellectus, sequeretur quòd non esset differentia cognitionum inter se, cùm sint æquè omnes ab intellectu: vt patuit à Scoto *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. si phantasma vel res sensibilis, vel materialis, patet in tantum. Si species intelligibilis, patet etiam, quòd talis species non causat conceptum perfectiorem conceptu sui primi obiecti, vt ostensum est *in* 1. *d.* 3. *quæst.* 2. *&* 1. vide ibi expositiones, quas feci. 11. *August. Suess. responsio.*

Dico etiam secundò principaliter, quòd si loquamur de obiecto, ad quod potentia habet naturalem inclinationem (quod est ens, inquantùm ens, vt patet à Scoto *in prolog quæst.* 1. *& in quolib. quæst.* 14.) quòd rationes Scoti concludunt via naturali, intellectum humanum non posse quietari perfectè, nisi in ente perfectissimo: sublata tamen imperfectione huius status, quoad cognitionem: quia pro statu isto non potest videre in se obiectum perfectissimum: sed tantùm habet aliquam cognitionem abstractiuam alicuius communis illi perfectissimo, & sensibilibus. Et stat ratio prima, quòd habens aliquid commune pro obiecto adæquato, ad quod habet naturalem inclinationem, non potest perfectè quietari, nisi in perfectissimo contento, attingendo illud in se, vt patet: hoc idem dico de secunda ratione. Et sic patet quomodo rationes Scoti non sunt friuolæ, vt dicit iste expositor: sed non sunt benè intellectæ, &c. Sed quomodo rationes illæ factæ in 4. concludant de Angelo, vel de anima separata, existentibus in puris naturalibus: vide quæ ibi exposui.

SCHO

SCHOLIVM.

Impugnationes D.Bonau.& D.Thom.contra Auicennam reijcit, vt parum efficaces, concludens primum bonum, seu Deum, esse obiectum fruitionis ordinatæ.

1. *Impugnatio Bonau.in 1. dist. 1. art. 2.q.2.* ALij arguunt [a] contra istam opinionem, quia anima imago Dei est, ergo est capax eius, secundùm Augustinum 14.*de Trin.cap.*8. *Eo* (inquit) *imago eius est, quo eius capax est, eiusque particeps esse potest.* Ex hoc sic, quidquid est capax Dei, per nihil minus Deo satiatur: ergo, &c.

Sed ista ratio non procedit contra Philosophum, quia præmissa assumpta de imagine, est tantùm credita, non naturali ratione cognita. Ratio enim imaginis, quam nos concipimus, fundatur in anima in respectu ad Deum, vt est trinus, & ideò non cognoscitur naturaliter; quia nec extremum ad quod est, cognoscitur à nobis naturaliter.

Thom.1. part.summ. q.12.art.1. Alij arguunt [b] contra rationem eius; quia anima immediatè creatur à Deo: igitur in Deo immediatè quietatur.

Sed huius rationis antecedens est tantùm creditum, & negaretur ab eo; quia ipse ponit eam immediatè creari ab vltima Intelligentia, & infima.

Similiter consequentia hæc non valet, sicut nec etiam similis consequentia facta pro opinione Auicennæ. Accidit enim quòd coniungantur in eodem ratio primi effectiui, & ratio finis. Nec quietat inquantum principium effectiuum, sed inquantum obiectum perfectissimum; alioquin anima sensitiua nostra, quæ creatur à Deo (secundùm vnam opinionem) non posset perfectè quietari, nisi in Deo.

Vide in 2. dist. 18. In proposito igitur idem est efficiens, & finis: quia in efficiente est plenitudo perfectionis obiecti, non autem in ratione efficientis, vt efficiens est, includitur ratio finis, vel quietatiui.

2. Teneo igitur quantùm ad hunc articulum, hanc conclusionem, quòd fruitio ordinata habet tantùm vltimum finem pro obiecto: quia sicut tantùm assentiendum est per intellectum primo vero propter se: ita tantùm assentiendum est primo bono per voluntatem propter se.

COMMENTARIVS.

1. *Ratio Bon. contra Auic.* a DEinde adducit Doctor rationes aliorum contra Auicennam. Prima est S.Bonauenturæ, qui *in 1.dist.1.art.2.q.3, arguit sic:* Quod est capax Dei, id est, quòd potest Deum attingere suis operationibus, quibus in obiectis anima quietatur, non satiatur, nisi in Deo: patet, quia in illo solo perfectè satietas reperitur. Sed anima est capax, quia ad imaginem ipsius, vt patet per Augustinum, 14. *de Trin. cap.*8. *vel* 15. & hæc ratio concludit de Deo non in conceptibus communibus, sed de Deo, sub ratione Deitatis: quia vt sic, perfectissimè quietat.

Respondet Doctor quòd minor nõ est nota via naturali, scilicet quòd cognoscatur imago, sub illo respectu, quo refertur ad imaginatum: vt clarè patet à Doctore *in quolib.q.*14. vbi vult, quòd nec Angelus ex puris naturalibus possit se cognoscere, vt imaginẽ Trinitatis, id est, sub illo respectu, quo refertur ad Trinitatem. *Obiectio.* Si dicatur quòd etiam rationes Doctoris nõ concludunt, quia supponũt ens, inquantum ens, esse obiectum intellectus: patet responsio ad obiectionis factas ab Ocham. *Solutio.* Dico vltrà, quòd concludunt contra Auicennam qui concedit ens, inquantum ens, esse obiectum adæquatum intellectus.

Difficultas. Hîc occurrit difficultas: quia Doctor vult expresè, quòd ratio imaginis consistat in actibus primis, & secundis, vt patet ab ipso infrà, *dist.*3.*q. vlt.& in* 2.*d.*16. quæ omnia sunt absoluta, vt patuit suprà: & sic sequitur quòd ratio imaginis non includit aliquem respectum.

Responsio. Imago capitur dupliciter. Facilis est responsio, quia *imago* potest capi dupliciter. Vno modo formaliter: & sic dicit similitudinem imaginis ad imaginatum: quæ similitudo, siue conformitas, fundatur in illis absolutis. Alio modo fundamentaliter: & sic imago tantùm includit absoluta: licèt ergo aliquis ex puris naturalibus posset cognoscere imaginem, secundo modo, non cognito Deo trino, & vno, non tamen posset cognoscere primo modo, non præcognito Deo trino & vno: & sic intendit Doctor, vt patet *in quolib. quæst.*14.*art.*3.

b *Alij arguunt contra rationem eius.* Hæc litera plana est cum improbatione. Arguit enim sic S.Thomas: Anima immediatè creatur à Deo: igitur in Deo immediatè quietatur. Dicit Doctor primò: quòd Antecedens est tantùm creditum, & negaretur ab Auicenna, qui posuit animam immediatè creari ab vltima Intelligentia. Sed an Aristoteles negaret, qui ponit 16. *de Animalibus*, animam immediatè esse à Deo, & de nihilo. Dico, quòd negaret adhuc ipsam creari, quia voluit ipsam produci præcisè productione totius compositi. De hoc vide Doctorem *in* 2. *distinct.*17. *& in* 4. *distinct.* 43. & quæ ibi exposui. Secundò dicit consequentiam non valere: quia ratio finis attingibilis per operationem, accidit efficienti, vt efficiens: accidit enim quòd efficiens, vt efficiens, *A* sit finis quietatiuus ipsius *A*, quia aliter sequeretur, quod anima sensitiua posset immediatè quietari in Deo, attingendo ipsum per operationem propriam, quod est impossibile, nam ipsa, secundùm aliquos, est immediatè creata à Deo. Et quod dicit secundùm aliquos, dicit etiam secundùm propriam opinionem, vt patet *in d.*16.*& alibi.* 2.

Sed occurrit difficultas in litera Doctoris, in

qua dicit, *quòd accidit quòd coniungantur in eodem ratio primi effectiui, & vltimi finis.* Nam ipse infrà *d. 2. p. 1. q. 1.* probat ipsum Deum esse infinitæ entitatis ex hoc, quòd simul potest efficere infinitos effectus: quorum quilibet requirit specialem perfectionem in causa.

Secundò probat ibi, quòd ex quo est primum effectiuum, quòd contineat eminenter, vel virtualiter causalitatem cuiuscunque causæ secundæ. Hoc idem probat *in d. 8. q. vlt.*

Tertiò vbi suprà *d. 2.* probat ipsum esse primum eminentia ex hoc, quòd est primum effectiuum æquiuocum. Ex his ergo patet, quòd ratio primi effectiui necessariò includat rationem vltimi finis, & sic accidentaliter non coniungantur.

Respondeo, quòd benè concedit, quòd ratio primi effectiui includat rationem vltimi finis. Sed quia primum effectiuum non dicitur vltimatè quietare, inquantum vt sic, quia vt sic tantùm efficit, sed dicitur quietare inquantum est obiectum perfectissimum, & ratio perfectissima terminandi actum potentiæ, natæ quietari in tali obiecto, & sic Doctor debet intelligi.

SCHOLIVM.

Obiectum fruitionis vt sic, esse vltimum finem verum, apparentem, vel præstitutum, & hæc tria explicantur.

DE tertio articulo dico, quòd obiectum fruitionis in communi est finis vltimus, vel verus finis, qui scilicet est finis vltimus ex natura rei, vel apparens, qui scilicet ostenditur à ratione errante, tanquam finis vltimus; vel finis præstitutus, quem scilicet voluntas ex libertate sua vult tanquam finem vltimum. Duo prima membra satis patent. *De obiecto fruitionis in communi.*

Tertium probo, quia sicut in potestate voluntatis est velle, & non velle: ita in potestate eius est modus volendi, scilicet referre, & non referre, quia in potestate cuiuscunque agentis est agere, & modus agendi: ergo in potestate sua est aliquod bonum velle propter se, non referendo ad aliud bonum, & ita sibi præstituendo finem.

COMMENTARIVS.

1. *Finis triplex primus verus.* DE *tertio articulo.* Hîc Doctor notat triplicem finem fruitionis in communi. Primus dicitur finis verus, & existens ex natura rei, in quo verè est ratio omnis boni, & nulla est ratio alicuius mali. Secundus dicitur finis apparens, in quo verè non est ratio omnis boni, sed tantùm apparenter, vt patet de felicitate, quàm multi Philosophi posuerunt, quos Aristoteles recitat 1. *Ethic.* quia quidam posuerunt vltimum finem hominis in voluptatibus, quidam in honoribus, &c. Tertius dicitur finis præfixus, siue præstitutus à voluntate, & est ille, in quo non est ratio omnis boni, neque verè, neque apparenter. Exemplum: auarus cognoscit pro certo, quòd pecuniæ non sunt finis eius vltimus, quia cognoscit quòd in pecuniis, nec verè, nec apparenter est ratio omnis boni, & tamen ex amore inordinato constituit ibi suum vltimum finem, & quòd talis finis præstitutus possit esse, probat Doctor vbi suprà, & litera clara est. *Secundus apparens.* *Tertius præfixus.* *Exemplum.*

2. *Contradictio apparens.* Videtur autem quòd Doctor hîc contradicat sibi. Nam hîc dicit, quòd *in cuiuscunque potestate est agere, in eius potestate est modus agendi.* Et vult hîc, quòd *sicut voluntas potest absolutè velle, & non velle, ita potest velle sic, & non velle sic.* Et tamen infrà *d. præsenti quæst. 2.* expressè hoc negat, vbi vult quòd licèt sit in potestate voluntatis frui, vel non frui; non tamen est in potestate eius frui sic, vel non frui sic.

Respondeo, quòd si diligenter intueatur litera Doctoris, nulla est contradictio, quia quando dicit, quòd *non est in potestate voluntatis frui sic, vel non frui sic,* puta frui vna persona clarè ostensa, & non frui alia: loquitur ibi de fruitione ordinata, quia certum est, quòd voluntas non potest ordinatè frui vna persona, non fruendo alia, & hoc stante determinatione diuinæ voluntatis, quâ determinauit, quòd fruens vna persona, fruatur & alia. Tota enim rectitudo fruendi sic, vel non fruendi sic, est à voluntate diuina, quæ est regula omnium actuum humanorum, vt patet à Doctore *q. vlt. prolog. & d. 44. primi, & alibi sæpè.* Loquendo tamen de fruitione in communi, dico, quòd sicut est in potestate voluntatis frui, vel non frui: ita est in potestate eius frui sic, vel non frui sic, quia certum est, quòd est in potestate eius absoluta frui Patre, non fruendo Filio, & sic patet quòd non est contradictio, & hoc loquendo de fruitione viatoris, quia de fruitione cõprehensoris fortè nõ est in potestate talis volũtatis frui sic, vel non frui sic, vide ibi. *Solutio.*

SCHOLIVM.

Rationem finis non esse rationem fruibilis, probat tripliciter: admittit tamen & explicat rationem finis præcedere, comitari, vel sequi rationem obiecti fruibilis.

DE quarto [a] articulo, dico, quòd ratio finis non est propria ratio obiecti fruibilis, nec in fruitione ordinata, neque in fruitione communiter sumpta. Quia non in ordinata patet: tum, quia tunc respectus includeretur in obiecto beatifico inquantum beatificum. Tum, quia iste respectus est ens rationis tantùm. Tum, quia si, per impossibile, esset aliud obiectum summum bonum, ad quod non ordinaretur ista voluntas, sicut ad finem, adhuc illud obiectum quietaret, in quo tamen per positum, non esset ratio finis. *Conclusio auctoris.*

Respectu ergo fruitionis ordinatæ, ratio finis secundùm veritatem concomitatur obiectum fruibile, vel fortè in apprehensione præcedit fruitionem. In fruitione inordinata finis apparentis, ratio finis concomitatur apparenter obiectum fruibile, & fortè in apprehensione praua præcedit fruitionem eliciendam, quasi ratio obiecti alliciens.

Sed in fruitione finis præfixi, ratio finis sequitur actum, quia vel dicit modum actus, vel modum obiecti, vt talis finis præfixus actu terminat ipsum actum; quia voluntas appetendo illud propter se tribuit sibi rationem finis.

6. *Ad arg. in initio quæst.* Ad primum principale [b] argumentum dico; quòd *frui* accipitur extensiuè pro amore honesti, distincto contra amorem vtilis, & delectabilis: vel bona honesta dicuntur ibi pluraliter, non propter pluralitatem essentiarum, sed propter pluralitatem perfectionum in Deo fruibilium.

Aliquod finitũ habet pro correlatiuo infinitum. Ad secundum dico, quòd relatio aliqua finita necessariò est ad terminum, vel obiectum infinitum; quia quod est ad finem, inquantum tale, est finitum, etiam acceptum, vt est omnino proximum fini, cùm omnibus scilicet quæ sufficiunt ad immediatè attingendum finem vltimum, & tamen relatio finis, ad quem est illud, immediatè non fundatur nisi in infinito: & hoc frequenter accidit in relationibus proportionalium, & non similium: quia ibi prima extrema sunt maximè dissimilia. Ita dico in proposito, quòd inter potentiam, & obiectum non est relatio similitudinis, sed proportionis: & ideò benè potest capacitas in natura esse finita, sicut & natura est finita, & tamen esse ad obiectum infinitum, sicut ad suum correlatiuum.

ADDITIO. *Sicut quodcunque ens ad finem, quantumcunque sit finitum: nunquam tamen ad finem vltimum refertur, nisi illud sit infinitum. Contrà, obiectum adæquatum satiat.*

Respondeo, non adæquatum realiter satiat, sed in ratione obiecti, talis adæquatio est secundùm proportionem, & correspondentiam.

Appetitus creaturæ qualis. *Vel aliter dicendum ad secundum, & in idem redit, quòd licèt appetitus creaturæ, sit finitus subiectiuè, non tamen obiectiuè, quæ est ad infinitum. Et cùm arguitur de adæquatione, dicendum, quòd duplex est adæquatio. Vna in entitate, & hæc requirit similitudinem in natura eorum, quæ adæquantur, & de hoc verum est, quod arguitur. Alia est adæquatio in proportione, quæ necessariò exigit diuersitatem extremorum, & hæc nullo modo potest adæquari. Exemplum de adæquatione inter materiam, & formam.*

Ad 3. Nihil est maius anima in ratione obiecti attingibilis. Per idem ad aliud dico, quòd nihil est maius in ratione obiecti, obiecto proportionato animæ, aliquid tamen est maius, hoc est, maiori modo attingibile, quàm posset ab anima attingi; sed ista maioritas non est in obiecto, sed in actu: quod declaro in exemplo. Si ponatur aliquod album visibile secundùm decem gradus, ponatur visus capiens istam albedinem, vel illud album secundùm vnum gradum, & alius visus ponatur perfectior isto secundùm decem gradus, iste visus perfectè capiet istud album, quantum ad omnes gradus visibilitatis eius, ita quòd videbit ipsum quantum est visibile ex parte obiecti, & tamen si fuerit tertius visus auctior isto secundo, perfectiùs videbit idem album: vnde non erit ibi excessus ex parte graduum obiecti, sed tantùm ex parte actus videndi.

Ad 4. Loquitur de intellectu secũdùm se, non prout imperat ei voluntas. Vide Scot. 2. d. 42. Ad quartum dico, quòd intellectus assentit vnicuique vero secundùm euidentiam ipsius rei, quam natum est de se facere in intellectu, & non est in potestate intellectus firmiùs, vel minùs firmiter assentire vero, sed tantùm secundùm proportionem ipsius veri mouentis intellectum: in potestate autem voluntatis est intensiùs assentire bono, vel non assentire, licèt imperfectiùs viso, ideò consequentia non valet.

Ad 5. De hoc Scot. 2. dist. 14. q. 1. & 4. d. 49. q. 13. Ad vltimum dico, quòd non quæcunque forma satiat appetitum materiæ totaliter extensiuè: tot enim sunt appetitus materiæ ad formas, quot sunt formæ receptibiles in materia: nulla igitur vna forma potest per se satiare omnes appetitus materiæ ad formas, sed vna satiat perfectissimè, scilicet forma perfectissima, illa tamen non satiat omnes appetitus materiæ, nisi in illa vna forma omnes formæ includerentur.

Ad Confir. Ad propositum dico, quòd vnum obiectum potest includere omnia obiecta aliquo modo, & ideò illud solum obiectum perfectè quietat potentiam, quantum potest quietare, sicut fuit argutum *in 2. art.* contra Auicennam: non tamen est omnino simile de quiete, intus, & extrà: quia quodcunque receptiuum quietatur intrà, aliquo finito, recepto, sed extrà, siue terminatiuè, non oportet quòd finito quietetur, quia ad perfectius extrà potest ordinari, quàm possit in se recipere formaliter; quia finitum non recipit formam nisi finitam, tamen benè habet obiectum infinitum.

Quies violenta quando. Cùm probatur, quia quælibet forma quietat materiam suam, quia aliter sub quacunque quiesceret violenter. Dico, quòd quies violenta nunquam est, nisi quiescens deter

determinatè inclinetur ad oppositum, sicut exemplificatur de graui respectu deorsum, vel descensus, & quiete eius super trabem: materia autem prima ad nullam formam determinatè inclinatur, & ideò sub quacunque quiescit, non violenter, sed naturaliter quiescit, propter indeterminatam inclinationem ad quamcunque.

COMMENTARIVS.

1. a De quarto articulo. Hîc Doctor distinguit de fine vltimo fruitionis ordinatæ. Nam talis finis potest capi formaliter, & sic tantùm est relatio rationis, quia vt sic, nihil aliud est, nisi quædam relatio obiecti fruibilis ad potentiam fruentem; vel accipitur fundamentaliter, scilicet pro ipso obiecto fruibili. Exemplum secundi, Deitas sub ratione Deitatis est obiectum verè fruibile. Exemplum primi: Deitas inquantum terminat, vel inquantum finit actum fruitionis. Nam terminare, vel finire, siue esse terminatiuum, vel finitiuum actus fruitionis est relatio rationis, & sic patet litera Doctoris vsque ibi: *Respectu ergo fruitionis ordinatæ.* Dicit Doctor quòd accipiendo *finem* pro relatione rationis, talis finis sequitur, siue concomitatur obiectum fruibile. Et hoc patet, quia talis relatio fit ex comparatione obiecti fruibilis ad potentiam fruentem, & talis finis, tam obiecti verè fruibilis, quàm apparenter fruibilis, communiter præcedit actum fruitionis, præsertim vt accipitur in ratione finitiui, vel terminatiui: licèt sequatur actum fruitionis, vt accipitur in ratione actus terminantis, siue finientis ipsum actum fruitionis. Sed accipiendo finem præfixum, dicit Doctor quòd talis finis semper sequitur actũ; quia vel dicit modum actus, vel modum obiecti: & hoc patet exemplo. Nam pecunia, quæ non includit rationem omnis boni, nec verè, nec apparenter, non est diligibilis propter se, nec verè, nec apparenter: quòd tamen voluntas auari diligat ipsam propter se, non referendo illam ad aliud, tunc ex tali dilectione tribuit pecuniæ rationem finis vltimi: & sic talis finis dicit modum obiecti, qui modus est non referri ad aliud; vel dicit modum actus, quia talis actus dicitur actus amicitiæ ex hoc, quòd elicitur à voluntate propter se, inquantum, supple, terminatur ad pecuniam propter se.

Quare pecunia nõ sit diligibilis, propter se.

2. b Ad primum argumentum respondet ibi: *Ad primum principale*, & dat duas responsiones. Prima, quòd Augustinus accipit ibi *frui* pro amore honesti, & sic fruimur virtutibus, quæ dicuntur bona honesta. Dat aliam responsionem, quòd bona inuisibilia non accipiuntur, vt dicunt pluralitatem essentiarum, quia vt sic, tantùm est vnum bonum inuisibile verè, & propter se fruibile, sed accipitur talis pluralitas pro pluralitate perfectionum diuinarum: puta pro bonitate, sapientia, & sic de aliis attributis, quæ adinuicem distinguuntur formaliter, vt patebit infrà *dist.8.quæst.pen.*

Ad secundum dico. Dicit plura in ista litera. Primum, quòd aliqua relatio finita necessariò est ad terminum infinitum: hoc patet, quia relatio creaturæ, quæ est finita, necessariò terminatur ad Deum, vt patet à Doctore in d.1. secundi. Similiter relatio entis finiti necessariò terminatur ad ens infinitum, etiam si talis relatio sit omnino proxima fini: ita quòd finitum, in quo fundatur talis relatio, immediatè attingat ipsum finem, semper talis relatio est finita, quia quod est ad finem, necessariò est finitum. Secundum dictum est, quòd relatio finis, ad quem finitum immediatè est, fundatur in ente infinito. Hoc est verum si infinitas potest reperiri in entibus; de quo patebit *dist.2. quæst.1.* Si infinitas repugnaret entitati, tunc haberemus dicere, quòd relatio finis vltimi fundaretur in summo ente possibili. Tertium, quòd inter potentiam, & obiectum communiter non est relatio similitudinis: vt patet, quia inter intellectum, & lapidem, vel Deum, vel Angelum, quæ sunt obiecta ipsius, non est propriè similitudo, & hoc magis patebit infrà *dist.* 3. sed est relatio proportionis, quæ magis requirit dissimilitudinem extremi ad extremum.

Aliqua relatio finita necessariò est ad terminum infinitum.

Et hîc nota (vt potest colligi ex quinto Euclydis) quòd semper inter extrema proportionis est dissimilitudo: licèt inter extrema proportionalitatis sit similitudo. Exemplum primi, *quatuor* ad *duo* est proportio dupla, & extrema huius proportionis sunt dissimilia, quæ sunt quatuor & duo, vt patet. Similiter *tria* ad *duo* est proportio sesquialtera, & tamen extrema huius proportionis, quæ sunt *tria*, & *duo* sunt dissimilia. Exemplum de proportionalitate, quæ fundatur super duabus proportionibus, vt puta: Sicut se habent *quatuor* ad *duo*, ita *sex* ad *tria*, sed *quatuor* ad *duo* est proportio dupla, ergo *sex* ad *tria* erit proportio dupla, & sic patet quòd extrema proportionalitatis sunt similia, quia vtraque dicunt proportionem duplam. 3.

Quomodo inter extrema proportionis sit dissimilitudo, &c.

Ad tertium. Respondet Deo, & ratio stat in hoc, quòd licèt Deus sit maior in ratione entitatiua, cùm sit infinitus: non tamen est maior in ratione obiecti attingibilis, quia verè potest ab intellectu animæ intelligi, sub ratione propria: oporteret enim probare ipsum esse maiorem in ratione obiecti intelligibilis: sicut dicimus, quòd est maior potentia sensitiua, non tantum ratione entitatis suæ: sed etiam ratione attingibilitatis, cùm nullo modo possit ab ipsa attingi. Dicit secundò, quòd *aliquid esse maius anima*, potest dupliciter intelligi. Vno modo in ratione obiecti attingibilis. Alio modo, quia maiori modo attingibile. Primo modo nihil est maius ipsa anima, cùm quodlibet ens, etiam infinitum sit attingibile ab ipsa. Secundo modo ipse Deus est, quia maius: patet, quia ipse est natus intelligi intellectione intensiuè infinita, & sic tantùm potest attingi ab intellectu formaliter infinito: quia intellectio formaliter infinita non potest esse, nisi à potentia formaliter infinita. Et exemplum in litera clarum est. 4.

Ad quartum clara est responsio; quæ tamen responsio diffusè declaratur à Doctore *in quarto dist.*49. Et nota, quòd dicit ibi de violento, quia propriè loquendo aliquid dicitur esse violentet sub aliquo, putà sub *A*, quando determinatiuè, & naturaliter inclinatur ad oppositum: puta ad *B*, & responsio Doctoris sic debet intelligi, quòd quando *A* sic naturaliter inclinatur ad *B*, quòd nullo modo inclinatur ad *C*, si *A* esset sub *C*, esset ibi violenter: modò in 5.

in proposito, licèt materia prima naturaliter inclinetur, puta ad formam ignis: non tamen erit violenter sub forma aquæ, quia etiam naturaliter inclinatur ad illam. Et quod dicit ibi: *Ad vltimum dico.*

Nota benè hanc responsionem, in qua vult quòd tot sint appetitus naturales in materia, quot sunt formæ receptibiles: quia Doct. *in* 49. *d. quarti* vult quòd appetitus naturalis nihil addat ad naturam appetentem: sed est ipsa natura appetens: & sic videretur sequi, quòd tot essent materiæ primæ, quot formæ receptibiles, quod est falsum. Dico, quòd Doctor intelligit, quòd appetitus naturalis nihil addit distinctum essentialiter, vel realiter ad naturam appetentem: sed benè addit aliquam realitatem, vel formalitatem, sicut cæteræ aptitudines: vt patet de risibilitate, &c. & sic conceditur, quòd in vna materia numero tot sunt realitates, vel formalitates distinctæ, quot sunt appetitus ad distinctas formas. *Nota de appetitu naturali.*

Quintò, & vltimò arguit ibi: *Item firmius assentit*, &c. Respondetur ibi: *Ad quintum dico*, & responsio clara est, quæ stat in hoc, quia tam intellectus, quàm obiectum respectu assensus sunt causæ merè naturales: ideò non est in potestate intellectus magis, vel minùs assentire. Hoc debet intelligi inquantum intellectus, & eius assensus præcedunt omnem actum voluntatis, quia voluntas imperio suo posset intendere assensum firmando intellectum in tali assensu, & etiam remittere, vt patet à Doctore *in* 2. *dist.* 42.

Sed in hoc Doctor videtur sibi contradicere, quia vult *d.* 3. *primi quæst.* 7. quòd maior conatus intellectus facit actum perfectiorem, & per consequens maiorem assensum, & minor conatus minorem: sed maior conatus, & minor sunt ab intellectu, vt patet per ipsum, ergo. *Apparēs contradictio.*

Dico quòd nulla est contradictio, quia stante intellectu æqualiter disposito, & similiter obiecto, non est in potestate sua maiori, vel minori conatu assentire. Et quod dicit Doctor *dist.* 3. sic debet intelligi, quòd quando est magis dispositus stante eodem obiecto ex se magis conatur, & quando minùs, minùs: ex hoc intendit ibi probare Doctor quòd intellectus concurrat actiuè ad intellectionem, vel intellectus dicitur assentire maiori, vel minori conatu, non ex parte intellectus, cum æqualiter ex parte sua assentit: sed quia voluntas potest eum magis, vel minùs firmare in cognitione talis obiecti, quantò magis firmatur ibi, tantò magis intelligit, quia tunc imperio voluntatis magis applicatur obiecto, vt causæ partiali, qua applicatione maiori facta, sequitur maior conatus in intelligendo, ita quòd intellectio quantùm ad subiectum, & quantùm ad intensionem, est causata ab intellectu, & obiecto; sed perfectiùs ab ipso, quanto perfectius à voluntate firmatur in cognitione illius obiecti, & hoc patere potest à Doctore *in secundo dist.* 42. *Solutio.* *Intellectus cōcurrit actiuè ad intellectionem.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm [a] vltimus finis habeat tantùm vnam rationem fruibilitatis, an in ipso sit aliqua distinctio, secundùm quam voluntas possit eo frui, secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam?

Alens. 1. *part. q.* 68. *m.* 5. *art.* 6. §. 3. *&* 2. *part. quæst.* 4. *m.* 1. D. Bonau. 3. *d.* 14. *art.* 1. *q.* 2. Richard. *art.* 1. *q.* 4. Henric. *Quodlib.* 2. *quæst.* 2. *&* 7. *& Quodlib.* 13. *q.* 1. D. Thom. 1. *p. quæst.* 12. *art.* 8. *&* 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *vbi* Caiet. Capreol. 1. *d.* 27. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 8. Ferr. 1. *contra gentes, cap.* 53. §. Quinta est, *&* 3. *contra gentes, cap.* 56. §. Pro solutione. Caiet. 1. *p. quæst.* 27. *art.* 1. *ad dub.* 3. Suar. 1. *p. tr.* 1. *lib.* 2. *cap.* 22. *&* 23. Scot. 1. *d.* 2. *p.* 2. *q.* 1. §. Sed hîc restat. *num.* 41. *& d.* 8. *q.* 4. *& alibi passim, agens de distinctione in diuinis. vide dist.* 33. *vbi cito multos de eadem agentes, & consequenter agunt de hac quæst. Vide* Scotum *de primo princ. cap.* 4. *concl.* 10. Baccon. 1. *d.* 1. *q.* 2. Mayron. 1. *d.* 1. *q.* 6.

1. *Argum.* 1. ET quòd [b] sit in eo talis distinctio, probo; quia 1. Ethic. cap. 7. *Amplius autem, quia bonum æqualiter dicitur enti*, &c. dicit Philosophus & Commentator, quòd sicut *ens*, & *vnum* sunt in omni genere, ita & *bonum*, & specialiter ibi loquitur de relatione: ergo relatio habet propriam bonitatem, igitur & propriam fruibilitatem, & per consequens, cùm sit ipsa in Deo, alia, & alia, erit in Deo alia, & alia ratio fruibilitatis.

Argum. 2. Præterea [c]. Sicut *vnum* conuertitur cum *ente*, ita & *bonum*: ergo cùm transferantur ad diuina, æqualiter transferentur: ergo sicut *vnum* est ibi essentiale, & personale, ita *bonum*, & *bonitas*: sicut igitur in Deo sunt tres vnitates, sic & tres bonitates, & per consequens habetur propositum.

Argum. 3. Præterea [d], Actus non terminatur ad obiectum, inquantum numeratur, nisi obiectum, vt est formale obiectum, numeretur: sed actus fruendi terminatur ad tres personas, inquantum tres: ergo obiectum fruitionis, inquantum obiectum formale, numeratur. Probatio minoris, credimus in Deum inquantum trinus: igitur videmus Deum, inquantum trinus, quia visio succedit fidei, secundùm totam eius perfectionem: ergo fruemur Deo inquantum trinus.

SCHO

SCHOLIVM.

Concludit vnum tantùm esse obiectum fruibile, seu vltimum finem, & probat 1. ab ordine essentiali. 2. ab vnitate efficientis. 3. ab vnitate maiestatis in ordine ad cultum 4. authoritate Augustini.

AD oppositum, in omni ordine essentiali est tantùm vnum primum: igitur in ordine essentiali finium, est tantùm vnus finis: fruitio autem est respectu finis: ergo, &c. *1. Metaph. text. 8.*

Item, primo efficienti correspondet vltimus finis: sed est tantùm vnum efficiens primum, & sub vna ratione: igitur tantùm vnus finis. Item, confirmatur ratio, quia tanta est vnitas efficientis, quòd non potest efficere vna persona, non efficiente alia: igitur similiter tanta erit vnitas finis, quòd non poterit vna persona finire, alia non finiente, & sic sequitur propositum. Ista etiam secunda ratio confirmatur per August. 5. *de Trinit. cap.* 14. *Fatendum* (inquit) *est Patrem, & Filium vnum esse principium Spiritus sancti, ad creaturam verò Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnum principium, sicut vnus Creator, & vnus dominus.* *Ratio 2.*

Item, sicut in Deo est vna maiestas, ita est vna bonitas; sed propter vnam eius maiestatem, debetur ei tantùm vna adoratio, secundùm Damascenum *lib. 1. cap.* 9. ita quòd non conuenit adorare vnam personam, non adorando alias: ergo etiam non contingit frui vna persona, non fruendo alia, vel aliis. *Ratio 3.*

COMMENTARIVS.

1. a VT titulus huius quæstionis clariùs intelligatur, declaro aliqua. Primum, quòd ratio fruibilitatis dicitur illa, quæ constituit aliquid in esse fruibili: sicut etiam ratio obiectalis est illa, quæ constituit aliquid in esse talis obiecti. Exemplum primi: Deus est vltimum obiectum fruibile, & Deitas est ratio formalis, quare dicatur Deus obiectum fruibile, qua dicimus, Deus sub ratione Deitatis, vel sub ratione, quia hæc essentia, est vltimum obiectum fruibile. Exemplum secundi. Sonus est obiectum auditus, & quiditas soni est ratio formalis, constituens sonum in *esse* talis obiecti. Secundum declarandum est, quòd tres personæ in diuinis sunt obiecta fruibilia, & similiter attributa: puta sapientia, bonitas, charitas, & huiusmodi. De Ideis videbitur infrà *d.* 35. Et sic patet, quòd sunt plura obiecta fruibilia, vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & similiter attributa.

Deus est vltimum obiectum fruibile. Deitas est ratio formalis.

Quæritur modò, an ista plura obiecta fruibilia habeant tantùm vnam rationem formalem fruibilitatis communem eis? an plures? ita quòd Pater habeat vnã sibi propriam, & Filius aliam sibi propriã, & sic de aliis, & sic patet titulus quæstionis.

b Probat primò, quòd in Deo sint plures rationes fruibilitatis, & primum argumentum stat in vno fundamento, scilicet: Quod dicit rationem bonitatis propriæ, dicit rationem propriæ fruibilitatis: sed paternitas in Diuinis, & filiatio dicunt propriam rationem bonitatis: ergo, &c. Probatio minoris manifesta est in litera, per Philosophum, & Commentatorem.

c Secundum argumentum stat in hoc, quòd ex quo *vnum*, & *bonum* conuertuntur, eo modo, quo *vnum* reperitur in diuinis, & *bonum*: sed vnum in diuinis est essentiale, quia commune tribus personis: dicimus enim quòd tres personæ sunt vnus Deus, vel vna essentia, vel vna natura; est etiam personale, quia dicimus quòd Pater est vna persona, & talis vnitas competit tantùm Patri, & Filius est vna alia persona. Et vltrà sequitur, quòd sicut in Deo sunt tres vnitates, & per consequens tres bonitates: ergo sunt ibi tres rationes fruibilitatis.

d Tertium argumentum vt clariùs intelligatur formetur sic: Omnis actus qui terminatur ad obiectum, inquantum obiectum numeratur, ratio formalis illius obiecti numeratur: sed actus fruendi terminatur ad tres personas inquantum tres, siue inquantum tria obiecta: ergo. Probatio minoris patet: *Quia visio succedit fidei secundùm totam eius perfectionem*, id est, si credimus nunc in Deum, vel trinum, tunc erit visio Dei vt trini: tunc vltrà videbimus Deum vt trinum: ergo fruemur Deo vt trino, quia fruitio sequitur visionem.

SCHOLIVM.

Relatis quatuor distinctionibus, quæ admittuntur in diuinis, agit tantùm de duabus primis, & resoluit primò viatorem frui posse essentia, etiam ordinatè, non fruendo personis, & vna persona, non alia, saltem quæ non sit correlatiua: non loquitur de fruitione fidelis actu aduertentis personas, quia talis inordinatè excluderet vnam personam.

ISta quæstio posset habere quadruplicem difficultatem, secundùm quadruplicem distinctionem in diuinis. Prima est distinctio essentiæ à personis. Secunda distinctio personæ à persona. Tertia essentiæ ab attributis. Quarta essentiæ ab Ideis. 2.

De tertia, & quarta, modò non dicam, quia non est ostensum qualis sit ista distinctio, nec vtrùm ista distinctio pertineat ad fruitionem; tantùm igitur de duabus distinctionibus primis nunc dicendum est. Et quantum ad istas distinctiones, viden

videndum est primò, de fruitione viatoris, quantum ad possibilitatem eius. Secundò, de fruitione comprehensoris, & hoc loquendo de potentia Dei absoluta. Tertiò, de fruitione comprehensoris, loquendo de potentia creaturæ. Quartò, de fruitione comprehensoris, & viatoris loquendo de facto.

Conclusio prima. Talis tamē habitualiter frueretur personis ex 4.

De primo dico [a], quòd possibile est viatorem frui essentia, non fruendo persona, & hoc fruitione ordinata. Quod probatur, quia secundùm August. 7. *de Trin. cap.* 1. Si essentia, relatiuè dicitur, non est essentia, quia *Omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, est aliquid excepto relatiuo:* ex quo concludit, tertio capite. *Quapropter si Pater non sit aliquid ad se, non erit aliquid quod ad alterum dicatur.* Est igitur essentia aliquod obiectum conceptibile, in cuius conceptu non includitur relatio : ergo sic potest concipi à viatore; sed essentia sic concepta, habet rationem summi boni : igitur & perfectam rationem fruibilis, igitur contingit ea frui, etiam ordinatè.

Patet 12. Metaph. & alibi de quo infrà dist. 2. q. 1. Conclus. 2.

Et confirmatur ratio, quia possibile est concludi ex puris naturalibus, esse vnum summum bonum, & tamen ex illis naturalibus non cognoscet homo Deum, vt trinus est: ergo circa summum bonum, sic cognitum, potest habere aliquem actum voluntatis, & non necessariò inordinatum : igitur habebit actum fruitionis ordinatum circa essentiam, & non circa personas, vt nos concipimus personas. E conuerso autem non est possibile, quòd fruatur ordinatè persona, non fruendo essentia, quia persona in ratione sui, includit essentiam.

Conclus. 3.

Secundò etiam dico [b], quòd viator potest frui ordinatè vna personā, non fruendo alia. Quod probo, quia respectu trium personarum sunt articuli distincti fidei : potest ergo concipi vna persona, cui correspondet vnus articulus, non concipiendo aliam personam, cui correspondet alius articulus, & tunc in ista persona concipitur ratio summi boni: possibile est ergo frui ista persona sic concepta, non fruendo alia.

Tamē fruēs actu essētiā, vel vna personā, fruitur aliis habitualiter.

Si dicas, quòd persona est correlatiua : igitur si concipitur, & suum correlatiuum concipitur.

Respondeo, quòd etsi cognitio relatiui requirat cognitionem correlatiui, non tamen oportet cognoscentem, & fruentem vno relatiuo cognoscere, & frui suo correlatiuo: quia possibile est frui Deo inquantum creator, non fruendo creatura, quæ terminat illam relationem.

Similiter licèt dicatur Pater relatiuè ad Filium, & ideò non posset intelligi, inquantum Pater sine Filio, non tamen dicitur relatiuè ad Spiritum sanctum, inquantum Pater; ergo possibile erit concipere Patrem, vt Patrem, & frui eo, non concipiendo, neque fruendo Spiritu sancto.

COMMENTARIVS.

1. *Quid sit viator.*

a **D***E primo dico.* Hìc Doctor intendit probare duo. Primum, quòd viator (qui pro nunc dicitur ille, qui est in statu viæ : in qua potest mereri, vel demereri, & vltrà, qui non est comprehensor) potest ordinatè frui essentia diuina, non fruendo aliqua persona. Et ratio Doctoris stat in hoc. Essentia diuina potest distinctè concipi à viatore, aliqua persona non cognita; ergo voluntas viatoris potest ordinatè frui essentia non fruendo aliqua persona. Consequentia patet, quia essentia diuina est summum bonum, & perfectissima ratio fruibilitatis. Antecedens probatur, quia essentia diuina est ens absolutum, prius quacunque relatione, & sic relatio diuina non potest esse de conceptu, siue de quiditate essentiæ diuinæ. Et quòd ipsa sit ens absolutum, & prius relatione, probatur per Augustinum, & sententia Augustini stat in hoc, quòd omne, quòd relatiuè dicitur, est aliquid, excepto relatiuo, id est, quòd omne relatiuum est aliquid : supple aliquod absolutum, excepto relatiuo, id est, excepta relatione : & sensus est breuiter, quòd omne relatiuum dicit aliquod absolutum, quod est fundamentum relationis, secundùm quam relatiuè dicitur. Exemplum, simile non tantùm dicit similitudinem, sed etiam fundamentum similitudinis, puta albedinem, ideò dicit Augustinus si

Essentia diuina est quid absolutū: ergo est prior persona, quæ est quoddam relatiuum, nam omne fundamentum est prius fundato.

essentia relatiuè dicitur, non est essentia, id est, si essentia diuina verè dicatur relatiuè, tunc non erit essentia : patet, quia si relatiuè dicitur, dicit relationem, & fundamentum absolutum. Quæro ergo de fundamento si est essentia, ergo essentia diuina non dicitur relatiuè, quia fundamentum relationis non dicitur relatiuè ad aliud, sed solum illud, quod constat ex fundamento, & relatione : & sic patet dictum Augustini. Et quod dicit infrà *cap.* 3. *Quapropter si Pater non sit aliquid ad se, non erit aliquid, quod ad alterum dicatur.* Sensus est, quòd si Pater non dicit aliquid ad se, id est, aliquod fundamentum relationis absolutum, sed tantùm dicat paternitatem : tunc Pater non relatiuè refertur : patet, quia paternitas non refertur: ergo oportet quòd illud, quod relatiuè dicitur ad aliud, dicat duo, scilicet fundamentum absolutum relationis, & ipsam relationem: & sic intendit probare, quòd essentia diuina sit verè fundamentum paternitatis & filiationis, & per consequens prior origine : & sic patet ratio Doctoris.

Septimo de Trinit. cap. 1. vel 5.

Sed occurrunt duæ difficultates. Prima, quia videtur, quòd Doctor sibi contradicat in hoc, quod dicit, quòd omne relatiuum (loquendo semper de relatiuo reali) includit aliquod absolutum. Nam secundùm ipsum, proportionalitas est 2. *Prima difficultas.*

est relatio, verè fundata in alia relatione, scilicet in proportione, vt declaraui *in quæst. 1. huius dist.* ergo proportionale erit relatiuum, & tamen non includit aliquid absolutum.

Præterea, ipse vult in isto primo *dist. 19. quæst. 1. & dist. 31. & quæst. 6. Quodlib.* quòd æqualitas, similitudo, & identitas transferantur ad alia Prædicamenta, quàm ad Substantiam, in qua propriè reperitur identitas, & quantitatem, in qua propriè reperitur æqualitas, & qualitatem, in qua propriè reperitur similitudo, vt patet à Philosopho, *5. Metaph. cap. ad aliquid*, sed certum est, quòd vna paternitas est similis alteri paternitati, & æqualis secundùm magnitudinem, & verè idem alteri; & sic sequitur, quòd paternitas erit immediatè fundamentum similitudinis realis, & æqualitatis, & identitatis, & sic simile verè relatiuè dicitur, & tamen non dicit aliquid ad se.

3. *Secunda difficultas.* Secunda difficultas est: posito, quòd viator verè concipiat essentiam diuinam, & etiam personas simul, an ordinatè possit frui essentia diuina non fruendo aliqua persona?

Responsio ad primam. Ad primam difficultatem respondeo, quòd Doctor intelligit, quòd nullum ens relatiuum est, quod non dicat de necessitate aliquod fundamentum absolutum, & hoc mediatè, vel immediatè. Nam impossibile est apud ipsum *in quarto in materia de Eucharistia, & in Quodlib.* aliquam relationem esse, sine fundamento absoluto. Et concedo, quòd proportionalitas, similitudo, æqualitas, & identitas possunt immediatè fundari in relatione: mediatè tamen fundantur in aliquo absoluto.

4. *Ad secũdam. Quomodo possumus frui essentia non fruendo personis.* Ad secundam difficultatem dico, quòd non est inconueniens, quòd aliquis actu fruatur essentia diuina, & hoc ordinatè non fruendo aliqua persona: si tamen habitualiter fruatur ipsa persona, vt patebit infrà à Doctore in simili. Nam in aliquo instanti potest frui essentia diuina, & in tempore immediato illius instantis postea frui persona.

Secundum dictum principale est ibi:

b *Secundò etiam dico, quòd viator potest frui vna persona.* In ista litera dicit duo. Primum quòd viator potest distinctè concipere vnam personam, non concipiendo aliam, & sic ordinatè frui vna (cùm in ipsa sit perfectissima ratio fruibilitatis, ratione Deitatis inclusæ in ipsa) non fruendo alia.

Fruitio duplex, actualis, & est quando quis actu fruitur. Secundum est, vt potest elici ex intentione Doctoris, quòd etiam posito quòd viator simul cognoscat personas diuinas, adhuc ordinatè potest frui vna non fruendo alia. Quod dictum potest habere duplicem sensum.

Primus est quòd viator actu fruatur Patre amando illum propter semetipsum, & quòd non eliciat amorem erga Filium, sed sit in proxima dispositione, vt ipsum diligat, & semper habitualiter diligat ipsum, & hic sensus est verus, & multoties hoc contingit. Nam multi deuoti eliciunt actum amoris erga Filium, vt in Sacramento Eucharistiæ, & actu non eliciunt erga Patrem: sunt tamen parati & prompti diligere ipsum. *Alia habitualis, & est quando quis est in proxima dispositione ad diligendũ Deum.*

Secundus sensus est, quòd viator potest actu frui Patre non fruendo Filio, ita quòd negatio fruitionis erga Filium non tantùm accipiatur pro non diligere, sed pro odire: ita quòd aliquis actu diligat Patrem, & actu odiat Filium, & hîc sensus est manifestè falsus, vel etiam quòd actu diligat Filium, & quòd non velit diligere Spiritum sanctum, quia non diligere non est odire, vt patebit.

Et ex his apparet, quòd quidam non rectè improbat Doctorem vt nititur improbare, qui dicit primò, quòd est impossibile concipere essentiam, non concipiendo personam. Et quando Scotus dicit, quòd relatio non est de conceptu essentiæ diuinæ, ergo potest concipi essentia non concipiendo personam. Respondet ipse, quòd licèt non sit de intellectu ipsius, est tamen idem realiter ipsi: & quæ sunt idem realiter, vnum non potest concipi, alio non concepto. Sed hoc habet probare, & non probat. Nam apud Doctorem subiectum, & propria passio sunt idem realiter, & tamen subiectum potest præcognosci quid sit, non simul cognita passione. Hoc idem de essentia, & relatione: & multa ibi dicit, quæ concludunt ex isto fundamento, quòd quando aliqua sunt idem realiter, impossibile est vnum concipi, alio non concepto. 5. *Gul. Ocham d. 1. primi q. 5.* *Responsio Ocham.* *Improbatio responsionis Ocham.*

Ad aliam rationem Doctoris, quâ probat, quòd vna persona potest concipi à viatore, alia non concepta, quia sunt articuli distincti respectu personarum.

Ocham. Respondet, quòd non sequitur ex hoc, quòd vna persona potest concipi sine alia, sed potest credi concipi vna persona, sine alia, quia ad distinctionem articulorum sufficit distinctio signorum, siue conceptuum, siue vocum: & ideò possunt esse tres articuli respectu trium personarum: ex quo personæ distinguuntur realiter, non potest vna intelligi, alia non intellecta. Hæc ille.

Responsio Ocham non satisfacit. Sed responsio ista non euacuat rationem Doctoris, quia posito, quòd vnum correlatiuum non possit distinctè intelligi, alio non intellecto, vt ipse Ocham infert respondendo: tamen ex quo Pater, inquantum Pater non dicitur relatiuè ad Spiritum sanctum, ergo Pater potest intelligi Spiritu sancto non intellecto, vt deducit Doctor. Multi alij instant contra positionem Doctoris, sed quia eorum instantiæ ex suprà declaratis facilè possunt resolui: ideò illas transeo.

SCHOLIVM.

Ponit opinionem Henrici asserentis comprehensorem de potentia absoluta, non posse videre essentiam, non visis personis, vel vnam personam sine alia; neque amare essentiam, non amando personam, vel vnam personam sine aliis. Improbatur tripliciter. Primò, quia visio est notitia distincta. Secundò, quia intuitiua. Tertiò, quia obiecti, in quo sunt plura distincta ex natura rei. Secundum de amore probatur 5. rationibus; duæ primæ sumuntur à modo propositionis obiecti beati, tres aliæ, ex eo quòd non satiaretur voluntas, si aliquam personam non amaret.

DE secundo articulo [a] dicitur, quòd non est possibile de potentia Dei absoluta, quòd aliquis cõprehensor fruatur essentia, non fruendo persona. Et hoc probatur primò 3. *Hen. Quodlib. 2. q. 7.*

Expeditur concl. 1. de visione, quòd scilicet non sit possibile absolutè aliquem intellectum videre essentiam, non videndo personam: probatur primò sic; Cognitio confusa est imperfecta, visio autem illius essentiæ, non potest esse cognitio imperfecta: igitur non potest esse cognitio confusa: sed si esset tantùm visio essentiæ, & non personæ, esset visio confusa; quia esset visio alicuius communis ad personas, & non illarum personarum, quod videtur inconueniens.

Visio in quo distinguatur ab intellectione? Secundò sic: Visio est existentis, vt existens est, & vt præsens est videnti secundùm existentiam suam, & in hoc distinguitur visio ab intellectione abstractiua, quia potest esse non existentis, vel existentis, non inquantum in se præsens. Et est in intellectu ista distinctio, inter intellectionem intuitiuam, & abstractiuam, sicut in parte sensitiua est distinctio inter actum visus, & actum phantasiæ. Illa autem cognitio essentiæ diuinæ erit intuitiua: ergo erit existentis, vt per se existens est, & in existentia præsentis virtuti cognoscenti. Non existit autem essentia, nisi in personis: ergo non potest esse visio eius, nisi in persona.

Item, non potest aliquid cognosci cognitione intuitiua, in quo sunt aliqua plura distincta ex natura rei: nisi etiam illa distinctè videantur. Exemplum, albedo non videtur distinctè, nisi videantur omnes partes eius, quæ sunt in basi pyramidis: quæ partes distinguuntur ex natura rei, igitur non distinctè videtur essentia, nisi etiam videantur personæ.

Ex his arguitur ad propositum, quantum ad secundam distinctionem, scilicet personarum inter se, quia si non potest videri essentia nisi in persona, & non magis videtur in vna persona, quàm in alia; quia æquè immediatè videtur se habere ad quamlibet personam: ergo non potest videri, nisi videatur in qualibet persona, & ita non videtur in vna persona, nisi videatur in alia.

4. Vlteriùs etiam arguitur ad propositum, quantum ad *frui*, quia voluntas non potest magis abstrahere obiectum suum, quàm intellectus ostendere: igitur si intellectus non potest distinctè ostendere essentiam sine persona, vel vnam personam sine alia: ergo nec voluntas poterit distinctè frui.

Hoc etiam confirmatur sic: Quia voluntas non potest habere actum distinctum circa obiectum ex parte obiecti, nisi ponatur distinctio in obiecto, vel re, vel ratione: sed si intellectus apprehendit indistinctè essentiam, & personam, non erit distinctio ex parte obiecti, nec rei, nec rationis: ergo voluntas non potest habere ibi actum distinctum ex parte distinctionis in obiecto primo. Quòd non rei, patet: quòd nec etiam rationis, probo; quia intellectus non distinctè apprehendit hoc, vel illud: igitur nec distinguit hoc & illud.

Ex parte fruitionis arguitur sic: Fruitio quietat fruentem, sed vna persona non perfectè quietat sine alia, nec essentia sine persona, quia tunc potentia quietata in illa, non posset vlteriùs in alio quietari; quia vltimatè quietatum, non est vlteriùs quietabile, & per consequens, ista potentia non posset vlteriùs quietari in alia persona, nec frui ea, quod falsum est.

Item, si quietaretur in vna persona sola, & patet, quòd potest frui alia: vel igitur fruitio istius personæ, potest esse cum fruitione alterius, vel erunt incompossibiles, ita quòd vna non erit cum alia. Si primo modo, ergo duo actus eiusdem speciei erunt in eadem potentia simul, quorum vterque æquatur capacitati illius potentiæ, quod est impossibile. Si secũdo modo, igitur neuter actus est fruitio, quia neuter actus poterit esse perpetuus.

Item, mens est imago Trinitatis: ergo non potest quietari nisi in Trinitate, ergo nec frui aliquo ordinatè, nisi Deo trino.

SCHOLIVM.

Resoluit, non implicare, essentiam sine personis, vel vnam personam sine alia, terminare actum intellectus & voluntatis, beati; quia est obiectum primarium, & reliqua sunt secundaria, & soluit argumenta pro Henrico.

5. *Quæ sit mẽs Auctoris?* QVantum ad istum [b] articulum de potentia absoluta Dei, non video contradictionem, quin possibile sit ex parte intellectus, & voluntatis, quòd vtriusque actum terminet essentia & non persona: vel vna persona, & non alia: puta, quòd intellectus videat essentiam, non personam, vel vnam personam, & non aliam: & quòd voluntas fruatur essentia, non persona, vel vna persona, & non alia. Hoc persuadetur sic:

Nota quòd Doct. in originali suo Pater priùs origine quàm generet Filium est perfectè beatus, quia nullam perfectionem sibi intrinsecam habet à persona producta. Beatitudo est enim perfectio intrinseca personæ

personæ beatæ Sed si in illo priori est Pater perfectè beatus: igitur in illo priori habet obiectum perfectè beatificans. Non videtur autem in illo priori habere essentiam communicatam tribus, vt obiectum, sed vt essentiam absolutè, vel essentiam, vt est in vna persona præcisè: ergo non est de ratione essentiæ, vt est obiectum beatificum, quod beatificet, inquantum est communicata tribus, & ita non videtur contradictio, siue quantum ad fruitionem, siue quantum ad visionem. *cancellauit totam istam literam, & continuauit sic, hoc persuadetur sit: Actus omnis habens primum obiectum, &c. Ponitur per modū textus, quia habetur in antiquis editionibus, & vetustis manuscr.*

Respondetur [c] quòd Pater habet essentiam, vt in tribus personis pro obiecto, & tamen primò secundùm originem, quia ex se habet illam essentiam obiectam sibi, & hoc est esse prius origine. Non est enim ibi prioritas aliqua, secundùm quam obiiciatur sibi essentia, vt est in vna persona, non vt in alia, sicut nec ipsa in aliquo priori naturæ obiicitur vni personæ, & non alij, sed tantùm vni obiicitur ex se, alij non ex se.

Contrà, quælibet persona intelligit formaliter intellectu, vt est in ipsa, non vt est in alia, nec vt est in tribus, vt patet ex 15. de Trinit. cap. 7. *Qualibet persona intelligit sibi ipsi:* igitur ita videtur, quòd quælibet intelligit perfectè per se intelligendo essentiam, vt est in se formaliter: igitur perfecta intellectio, quæ est beatifica, non necessariò ex se requirit essentiam, vt in tribus. Probatio primæ consequentiæ non minùs ad intellectionem requiritur intelligibile, quàm intellectus: igitur in perfectè intelligente ex se non minùs requiritur, quòd habeat in se obiectum, vt formaliter intelligibile, quàm quòd habeat intellectum ex se, vt quo intelligat. 6.

Confirmatur ratio [d], quia si Pater intelligat beatifica visione essentiam, vt in Filio: igitur aliquid quasi reciperet à Filio, vel ab aliquo, vt in Filio. Consequentia probatur, per argumentum Phil. 12. *Met.* quo probatur Deum non intelligere aliquid aliud à se, quia tunc vilesceret eius intellectus, quia perfectionem reciperet ab intelligibili: igitur ita hìc: imò [e] quod est maius inconueniens, perfectionem simpliciter, puta visionem beatificam, quasi reciperet Pater à tribus personis, vt obiectis, vel ab aliquo, vt in tribus. Et tunc videntur sequi duo absurda. Primum, quòd non omnem perfectionem habet Pater à se, & sic non esset prius origine. Aliud, quòd non omnis perfectio simpliciter, & essentialis, sit aliquo modo prior proprietatibus, sed aliqua quasi posterior ipsis personis, puta ista quæ est ab obiecto, vt in tribus, &c. *Text. com. 51. De perfectione simpliciter infr. d. 38. & Quodlib. 1.*

ADDITIO.

Præterea. Si intellectus, vt non in se, sed vt in aliquo producto, esset principium beatitudinis patris, pater non esset beatus à se: ergo si essentia, vt in producto, esset per se obiectum beatitudinis, pater non esset beatus à se. Consequentia probatur, quia obiectum non minùs requiritur ad beatitudinem, quàm intellectus.

Respondeo, Obiectum requiritur vt præsens, non vt inexistens: intellectus requiritur vt inexistens, quia eo formaliter intelligit pater, non sic obiecto. Hoc patet, quia nullus est beatus, nisi intellectu inexistente: est autem aliquis beatus obiecto non inexistente, & esset naturaliter beatus, si naturaliter haberet obiectum præsens, licèt non inexistens, non sic autem de intellectu.

Contrà: Quandocunque aliquid est à se tale, erit tale, si per impossibile quodlibet aliud non esset.

Item, pater non recipit aliquid à filio, vel ab aliquo, vt in filio, sicut ab obiecto beatitudinis suæ, quia quod est à se, non requirit aliquid necessariò ad sui esse, quod non est à se, & hoc tanta necessitate, quanta dependens requirit illud à quo dependet.

Hac ratio benè concludit, quòd Pater non tantùm ex parte intellectus, sed ex parte obiecti habet à se vnde sit beatus, & per consequens essentiam, vt essentia beatificat, non tamen, vt in tribus, quia ita requiritur obiectum præsens à se, sicut intellectus: ergo breuiter in summa à se beatus est Pater vtroque modo, scilicet intellectu, & essentia. Quia fiat tale enthymema: A se beatus est Pater, ergo habet obiectum beatificum, vt beatificum à se: ergo non habet illud, vt in tribus, pro obiecto: quia tunc, vt in Filio per se quasi ageret ad beatitudinem Patris.

Respondeo, comparando essentiam, vt essentia est, primum obiectum beatificum ad Patrem, licèt simul necessariò beatificetur cum tribus: ita etiam necessariò simul cùm tribus intelligit creaturas: non tamen est ab eis, Filio scilicet & Spiritu sancto, recipit intellectionem earum, sed ab essentia, tanquam ab obiecto, quam habet à se: ita comparando essentiam diuinam ad intellectum creatum, potest esse obiectum primum sine secundo obiecto.

Modus ponendi est iste [f]:

Actus omnis habens primum obiectum, à quo essentialiter dependet, & obiectum secundum, à quo essentialiter non dependet, sed tendit in illud virtute primi, licèt non possit manere idem actus, nisi habeat habitudinem ad primum obiectum, potest tamen manere, idem sine habitudine ad secundum obiectum, quia ab eo non dependet. Exemplum: *Hic Scot. ponit modū sustinendi suam sententiam.*

Manente actu visionis eodem possunt videri, & non videri creatura in verbo.

plum: idem est actus visionis essentiæ diuinæ, & aliarum rerum in essentia: sed essentia in se est primum obiectum; res visæ, secundarium obiectum. Non posset autem manere eadem visio, nisi esset eiusdem essentiæ, posset autem manere, absque hoc, quòd essent res visæ in ea. Sicut igitur Deus, absque contradictione, potest cooperari ad actum illum, inquantum tendit in primum obiectum, non cooperando in ipsum, inquantum tendit in secundum, & tamen est actus idem: ita sine contradictione potest cooperari ad visionem essentiæ, vel fruitionem, quia essentia habet quasi rationem primi obiecti, non cooperando eidem actui visionis, vel fruitionis, inquantum tendit in personam, & ita in vnam, quòd non in aliam; quia personæ habent rationem obiecti, quasi secundarij.

Resp. ad arg. Henr. Notitia vniuersalis multiplicabilis confusa & imperfecta est.

Per hoc ad argumenta [g]. Cùm primò dicitur de visione confusa, dico, quòd vniuersale in creaturis diuiditur in suis singularibus, hoc autem quod est diuidi, imperfectionis; ideò non competit ei, quod est commune in Deo, imò essentia diuina, quæ de se est communis personis, est de se *hæc*: ideò igitur est cognitio alicuius vniuersalis abstracta à singularibus, confusa, & imperfecta; quia obiectum est confusum, diuisum in illis, quæ in ipso confusè concipiuntur. Hæc autem cognitio essentiæ diuinæ distincta est, quia est obiecti, quod est de se *hoc*, & tamen non oportet in illo distinctè concepto, personam distinctè concipi; quia illud non est primus terminus visionis, vel fruitionis, vt dictum est.

Ad 2. Ad secundum, cùm dicitur [h] de essentia existente, &c. Dico, quòd necessarium est terminum visionis esse existens inquantũ existens: non tamen oportet, quòd subsistentia, id est, incommunicabilis existentia, sit de ratione termini visionis. Essentia autem diuina est de se *hæc*, & actu existens, licèt non includat de sua ratione incommunicabilem subsistentiam: & ideò ipsa, vt *hæc*, potest terminare visionem, absque hoc, quòd videantur personæ. Exemplum, album videtur intuitiuè, inquantum existens, & præsens visui secundùm existentiam suam: non oportet tamen album videri tanquam subsistens, vel inquantum habet rationem suppositi; quia non habet rationem suppositi, nec suppositum, in quo est, videtur.

Ad formam argumenti: patet, quòd licèt non sit visio, nisi existentis inquantum existens, & non est existens, nisi in persona, non sequitur: igitur est existentis, inquantum in persona est: sed tantùm debet inferri, quòd est subsistentis, vel existentis in subsistente.

7. *Ad 3. De notitia intuitiua Scot. 2. d. 3. q. 9. & 11. & 4. d. 49. q. 12. ad 2. prop.*

Ad tertium dico [i], quòd prima propositio est falsa, nisi quando in illis ex natura rei distinctis, ipsum primum visum distinguitur, sicut patet in exemplo tuo de basi pyramidis. Nam albedo, & album visum, distinguuntur in partes, in quibus videtur, & ideò non distinctè videretur album, nisi illæ partes, in quibus distinguitur album visum distinctè videretur. In proposito autem etsi personæ ex natura rei distinguantur, tamen essentia visa non distinguitur in eis, quia est de se *hæc*, ideò potest distinctè videri sine illis visis, quæ subsistunt in ea.

Ad aliam deductionem vlteriorem de voluntate, etsi non oporteat respondere, quia antecedens est falsum, & iam negatum; tamen quia consequentia non videtur necessaria, potest responderi. Cùm dicit, quòd voluntas non plus abstrahit, quàm intellectus ostendit; dico, quòd intellectus potest ostendere aliquod obiectum primum voluntati, & in isto primo obiecto ostendere potest aliquod per se obiectum; sed non primum, & vocatur hîc obiectum primum, totum illud ad quod terminatur actus, & obiectum per se, quod includitur per se vnitiuè in obiecto terminante primo. Vtraque autem ratio ibi ostensa, sufficit ad hoc, quòd voluntas habeat actũ suum circa illud. Non enim oportet, quòd voluntas velit totum primum ostensum, sed potest velle illud, quod ostẽditur in illo ostenso, & etiam non velle. Exemplum ponitur tale: In Episcopatu ostenditur Sacerdotium, talis ostensio sufficit ad hoc, quòd voluntas habeat velle, vel nolle circa Sacerdotium, ita quòd ex tali ostensione, possit habere velle circa Episcopatum, & non circa Sacerdotium; tamen non est nisi vna ostensio, & ostensio vnius obiecti primi, in quo tamen includitur aliquid, vt per se obiectum. Dico tunc, quòd voluntas non abstrahit vniuersale à particulari, vel singulari, sed voluntati ostenduntur plura obiecta per intellectum, qui est aliquorum plurium inclusorum in primo obiecto,

8 *Ratione scilicet formali ex natura rei, vel hîc loquitur secũdùm Hẽricum, quia oppositũ habet d. 3. q. 1. p. 2.*

quorum vtrumque, vt sic ostensum, potest voluntas velle, vel non velle.

Ad confirmationem cùm dicitur, obiectum, aut differt re, aut ratione. Dico, quòd differt ratione.

Et cùm probatur, quòd non, quia intellectus non distinctè concipit hoc ab isto: Dico, non oportet ad distinctionem rationis, quòd intellectus habeat illa sicut obiecta distincta, sed sufficit, quòd in primo obiecto concipiat aliquid.

Ad aliud de quietatione dico, quòd Pater æternus quietatur in essentia sua, vt est in se: non ergo sequitur, ergo nõ potest quietari in essentia, vt est in Filio, vel Spiritu sancto: imò

imò quietatur in essentia sua, vt communicata est eis, & hoc eadem quietatione, qua quietatur in essentia, vt est in se. Quod enim quietatur primò in aliquo obiecto, quietatur in illo in quocunque est secundùm illum modum: ita hîc, si beatus priùs fruatur essentia, postea persona, non quietatur vlteriori quietatione, quàm priùs quietabatur: sed eadem quietatione, inquantum obiectum quietans terminat, vt in aliquo, & priùs non terminabat, vt in illo.

Per hoc ad vltimum argumentum dico, quòd non erunt ibi duo actus, quia quicunque actus est ibi fruitionis, vel visionis, est obiecti primi sub vna ratione formali: sed iste actus vnus potest esse obiecti per se, virtute primi obiecti; vel potest esse tantùm ipsius obiecti primi, nec ergo erunt duo actus eiusdem speciei simul, nec successiuè.

Ad illud de imagine, responsionem quære.

Potest dici quòd concludit de facto regulariter, & de potentia ordinata, licèt oppositum esse posset de potentia Dei absoluta. ADDITIO.

Vel dicatur, quòd consequentia non valet, quia licèt Deo trino voluntas fruatur, non tamen vt trino. Quære infrà soluendo 3. principale huius quæstionis, & suprà contra opinionem Auic. quæst. 1. huius dist. & alibi vt scis, ad illud motiuum de imagine.

COMMENTARIVS.

1. *Henricus Quodlib. 2. q. 7. quære eum alibi, & alios.*

a DE *secundo articulo.* Hîc Doctor duo principaliter intendit. Primò recitat opinionem Henrici tenentis esse impossibile, comprehensorem de potentia Dei absoluta, posse videre essentiam, non videndo personam: nec per consequens frui essentia, non fruendo personis; reducit aliquas rationes. Secundò probat hoc esse possibile de potentia Dei absoluta. Sed primò adducit rationes Doctor, & pòst rationes Henrici, & solutiones earum. Doctor, ergo ibi.

b *Quantum ad istum articulum de potentia absoluta Dei,* intendit probare, quòd non est contradictio, quòd aliquis videat essentiam diuinam, non videndo personam, vel quòd clarè videat vnam personam, non videndo aliam. Et hoc probat primò, quòd si non est implicatio respectu Patris, quòd pro aliquo instanti videat essentiam, & pro illo non videat Filium: hoc idem potest probari de quolibet comprehensore. Probat ergo hoc primò de Patre ibi: *Pater priùs origine, quam generet Filium, est perfectè beatus.*

In ista litera sunt plura dicta, ex quibus sequitur intentum. Primum, quòd in quocunque instanti Pater est perfectè beatus, in eodem instanti perfectè videt essentiam, & fruitur ea, vt patet. Secundum, quòd in aliquo priori originis, quàm generet Filium, est perfectè beatus: ergo sequitur, quòd in illo priori videat essentiam, & fruatur ea, & per consequens in illo priori non videt eam, vt communicatam Filio, ergo in aliquo priori potest videre essentiam, & frui ea non videndo Filium, & hoc est inquantum litera sonat.

2. *Difficultas.* Sed circa secundum dictum occurrunt aliquæ difficultates.

Prima est, quòd si Pater priùs origine sit beatus, quàm generet Filium, videtur sequi, quòd posterius origine generet Filium, & sic erit contradictio in dictis suis, quia ipse *in 2. dist. 1. q. 1. & in Quodlib. qu. 8.* vult quòd priùs origine dicatur respectu huius quod est *à se,* & posterius origine dicatur respectu huius, quod est *ab alio:* si ergo posterius origine generaret Filium, ergo ab alio haberet, quòd generaret Filium, quod est falsum.

Aliqui periti viri in isto passu exponunt Doctorem, & dicunt, quòd hîc *priùs origine* debet accipi pro *priori natura:* ita quòd Pater in aliquo priori natura, quàm generet Filium. Sed saluo meliori iudicio non credo quòd hoc sit ad intentionem Doctoris. Respondeo, quia sustinendo, quòd Pater constituatur in *esse* per paternitatem, vt sic est tantùm prior origine Filio, vt expressè patet à Scoto *in 1. dist. 26. & 28. in 2. d. 1. quæst. 1. in Quodlib. q. 4. 8. & alibi sæpè.* Cùm ergo beatitudo Patris præsupponat Patrem habere *esse,* & Pater tantùm est priùs origine Filio, sequitur, quòd non erit prior natura beatus, quàm generet Filium. Si verò dicatur, quòd Pater constituitur in *esse* per absolutum, & vt sic est prior natura Filio, ad quod videtur declinare Doctor *in 1. dist. 26.* Dico, quòd hoc non est ad propositum eius, quia hîc non habet determinare: an Pater constituatur per absolutum, sed supponit communem opinionem, quòd constituatur in esse per paternitatem.

Si verò dicatur, quòd quando dicit quòd Pater priùs origine est beatus, &c. non accipit ibi *Patrem* inquantum Pater est: sed accipit principale *esse* Patris, quod est *Deus,* & sensus est, quòd Deus in aliquo priori natura est in se beatus, quàm generet Filium, & hic sensus, licèt sit verus (quia omne dicens perfectionem in diuinis est prius natura personis diuinis, vt patet à Doctore in pluribus locis) fortè tamen non esset ad mentem Doctoris, & ideò est difficilè hîc declarare eius intentionem. Nam videtur expressè implicatio dicere, Pater priùs origine est beatus, quàm generet Filium: cùm generare priùs insit Patri, quàm beatitudo: patet, quia per generationem actiuam constituitur in *esse* Patris: sustinendo communem opinionem de persona, vt expressè patet à Doctore *in 1. d. 28. quæst. 3. sine vltima, & d. 26. & q. 4. Quodlib.* 3. *Videtur expressè contradictio.*

Dico ergo (saluo semper meliori iudicio) quòd dictum Doctoris sic debet intelligi. *Pater priùs origine est beatus quàm generet Filium,* id est, quàm habeat Filium genitum: ita quòd in aliquo priori originis Pater est perfectè beatus, & in aliquo posteriori originis Filius habet esse genitum. Quod sic expono, quia in quo instanti Pater habet *esse,* in eodem instanti habet omnem perfectionem diuinam, & quia in aliquo priori originis habet *esse* per generationem actiuam, siue per paternitatem, quod idem est; sequitur, quòd in illo priori est perfectè beatus, & sic in illo priori perfectè videt essentiam, non videndo eam, vt in Filio; quia in illo priori Filius non est, & sic habetur *Explicatio huius quòd Pater priùs origine est beatus quàm generet Filiū.*

betur intentum. Et dico, quòd ipsum *generare* Patris est verè prius ipso Filio, quia producens non tantùm est prius producto, accipiendo ipsum pro absoluto producentis, sed etiam producens, inquantum actu producit, est prius producto, vt patet à Doctore *in 2.d.2.& 25.* Sic in proposito Pater, vt producit Filium est prior ipso Filio, & quia constituitur in *esse* per productionem actiuam, sequitur quòd talis productio actiua est prior ipso Filio.

4. Sed tunc videtur contradictio in dictis Doctoris, quia ipse vult, quòd quamuis Pater priùs origine producat creaturam, & Filius posteriùs origine, non tamen sequitur, quòd in aliquo priori sit posita in *esse* à Patre, in quo non sit posita in *esse* à Filio, sed quia tantùm Pater hoc habet à semetipso, & Filius à Patre, & hoc expresse patet à Doctore *in 2. dist.1. quæst.1. & in Quodlib. quæst.8.* Si ergo priùs origine dicat aliquod prius, in quo posterius non est, sequitur quòd creatura, siue in *esse* cognito, siue volitio, siue in *esse* realis existentiæ, erit producta à Patre in aliquo instanti, in quo non erit producta à Filio, & tunc si producitur à Filio in posteriori originis, erit bis producta, quod est impossibile.

Similiter videtur sequi, quòd Spiritus sanctus sit verè productus à Patre in aliquo priori, in quo non producatur à Filio, quia Pater priùs origine producit Spiritum sanctum, & Filius posterius origine: quod patet à Doctore *dist.12. primi.*

Solutio. Respondeo, quòd aliud est loqui de priori origine, quo Pater producit Filium in *esse* simpliciter, & quo producit creaturam, vel Spiritum sanctum, quia quando producit Filium, comparatur ad ipsum, sic, quòd est simpliciter prior secundùm principium formale productiuum, & secundùm productionem, qua constituitur in *esse*, & sic non tantùm dicitur prior origine, quia producit à semetipso; sed etiam posito per impossibile, quòd hoc non haberet à semetipso, adhuc sic produceret Filium, & inquantum produceret, esset prior Filio productio: sed non est sic, quando comparatur ad creaturam, & Spiritum sanctum, quia simpliciter eadem ratio formalis producendi creaturam, & Spiritum sanctum est in Filio, sed tunc tantùm dicitur Pater priùs origine producere, quia à semetipso, & Filius posterius origine, quia à Patre, & tamen in quocunque instanti ponitur creatura in *esse*, & Spiritus sanctus à Patre, in eodem ponitur à Filio, & sic patet quomodo nulla est contradictio in dictis Doctoris. Et ex ista solutione facillimè omnia dicta Ocham *in d. 1. primi q.5.* & Gregor. de Arimino, & Alfon. Tol. & multorum aliorum solui possunt, quæ dicta, causa breuitatis non adduco.

5. *Responsio Henr.* c *Respondetur, quòd Pater habet essentiam, vt in tribus personis.* Hîc Henricus respondet ad rationem Doctoris, qua probat, quòd Pater priùs origine videat essentiam, quàm generet Filium, & ista responsio stat in hoc, quòd Pater habet essentiam pro obiecto, non absolutè, sed vt communicatam tribus personis: ita quòd Pater non intelligit ipsam in se, & absolutè, sed intelligit vt communicatam tribus: priùs tamen origine Filio, quia Pater à semetipso, & Filius à Patre: sed nullo modo priùs, vt ex posuimus de *priori.*

Contrà, qualibet persona. Hîc intendit probare, quòd Pater intelligit essentiam, non vt communicatam Filio, & ratio stat in istis. Primò, quòd si aliquid intelligit aliud formaliter, habet in se formaliter intellectionem, & intellectum, hoc patet, & diffusè patebit infrà *dist.3.q.7. & in 4.d.43.*

Secundò, quòd intelligens aliquid formaliter, habet ipsum intelligibile præsens, vt patet, quia ad intellectionem requiritur præsentia obiecti, vel aliquid supplens præsentiam talis obiecti, vt patet *in prolog.q.1.& alibi:* & si est perfectissimum intelligens, non tantùm habet perfectissimum obiectum in se præsens, sed etiam habet illud in se formaliter: hoc patet, quia si non, tunc ipsum obiectum perfectissimum esset aliud ab intellectu, & intellectione, quod est contra Philosophum 12. *Metaphysicæ.*

Ex his sequitur, quòd ex quo Pater perfectissimè intelligit essentiam, & vt intelligens habet in se formaliter intellectioné, & intellectum: ergo, ex secundo dicto, vt intelligens, habet in se formaliter essentiam, & vt sic intelligens, non intelligit ipsam vt communicatam Filio. Expono tamen istam literam. Cùm dicit, *qualibet persona intelligit formaliter intellectu:* hæc propositio potest habere duplicem sensum. Primò, quòd persona intelligat formaliter intellectu, velut principio formali productiuo intellectionis: sicut dicimus, ignis calefacit calore formaliter, id est, quòd calor sit ratio formalis calefaciendi ipsi igni; vel vt in principio receptiuo, siue formali ratione recipiendi ipsam intellectionem: sicut dicimus, quòd substantia est alba superficie formaliter, id est, quòd superficies est ipsi substantiæ formalis ratio recipiendi albedinem, & vtroque modo semper inest formaliter. De primo patet à Doctore *in isto primo dist.3.q.7.& 8. & 8. & d.17.& in 2.d.3.q.8.* contra Thom. de secundo etiam patet in pluribus locis. 6.

Expositio literæ.

Calor est ratio formalis calefaciendi.

Propositio ergo Doctoris est simpliciter vera vtroque modo: patet, quia intellectus est formalis ratio producendi intellectionem ipsi personæ, quia intellectus concurrit, vt partialis causa, & persona ipso intellectu producit intellectionem. Est etiam intellectus ipsi personæ ratio formalis, quasi suo modo recipiendi intellectionem, qua formaliter persona dicitur intelligens. Si ergo Pater intelligit formaliter intellectu, vtroque modo exposito, sequitur quòd intellectus erit formaliter in Patre, & similiter intellectio: nec dicitur formaliter intelligere intellectu, vt est in Filio, sicut non dicimus, quòd ignis calefacit formaliter calore existente in ligno: sed calore formaliter existente in ipso: sic in proposito de Patre. Vnde August. 15. de Trin. cap.7. vel 9. *qualibet persona intelligit sibi*, id est, intelligit formaliter intellectu, & intellectione formaliter existentibus in illa. 7.

Sequitur, *Igitur ita videtur, quòd qualibet intelligit perfectè per se intelligendo essentiam, vt est in se formaliter*, id est, si Pater intelligit formaliter intellectu essentiam, vt in Patre formaliter existente, sequitur quòd Pater per se intelligat essentiam, vt est in se formaliter, id est, quòd perfectè intelligit essentiam, vt in se absolutè, & non vt communicatam Filio: siue sequitur, quòd intelligendo essentiam perfectè, habeat illam in se formaliter, & perfectè præsentem, & non vt communicatam Filio. Si enim Pater est perfectissimè intelligens essentiam, statim sequitur, quòd si habet in se formaliter intellectum, quòd etiam in se habeat formaliter ipsam essentiam, in ratione obiecti actu intelligibilis. Et quod dico de Patre, idem dico de aliis personis.

d *Con*

8. d *Confirmatur.* Hîc Doctor adducit duo inconuenientia, si Pater intelligeret beatificâ visione essentiam, vt in Filio. Primum quòd Pater aliquid reciperet à Filio, vel ab aliquo, vt in Filio, & tunc intellectus Patris, vt Patris vilesceret, recipiendo aliquid ab alio, vt patet per argumentum Philosophi 12. *Metaph.* 1. *c.* 51. quo probat Deum non intelligere aliquid aliud à se: & sic Pater non haberet omnem perfectionem à se. Secundum, quia sequitur, quòd non omnis perfectio simpliciter sit prior proprietatibus: quia visio si tantùm esset in Patre ab essentia, vt communicata Filio, illa visio esset posterior proprietatibus.

Dubium. Hîc tamen occurrit aliqua difficultas: quia non videtur quòd ratio Doctoris concludat de Patre, si intelligeret essentiam, vt in Filio, sicut concludit, si intelligit creaturam. Quia, vt declarat *quæst. pen. prologi.* Intellectus diuinus vilesceret, si moueretur ab aliquo extra ipsum. In proposito non est sic, quia essentia diuina non est aliud ab intellectu paterno, nec extra ipsum.

Solutio. Dico, quòd ratio concludit, si rectè intelligatur. Nam essentia diuina partialiter quasi causat intellectionem sui in intellectu Patris: vt patet à Doctore parum infrà, *& in quæst. pen. prolog. & infrà dist.* 2. 6. *& 7. & alibi sæpè*: cùm ergo Filius distinguatur realiter à Patre: si essentia, vt in Filio, quasi moueret intellectum Patris, vt patris: tunc quasi reciperet intellectionem ab aliquo, quod est extra intellectum Patris, vt patris, quia ab essentia, vt in Filio.

Essentia diuina partialiter causat intellectionē.

9. e Secundum inconueniens est ibi: *Imò, quod est maius inconueniens.* Nam si Pater reciperet visionem beatificam ab essentia vt in Filio, ergo non habet omnem perfectionem simpliciter à semetipso: patet, quia suppositum nullo modo dicit aliquam rationem agendi, sed tantùm est conditio agentis, vt patet à Doctore *dist.* 3. *quæst.* 6. *& dist.* 7. sed tota ratio agendi est à principio formali. Et ex hoc dicimus, quòd Pater generat Filium à semetipso: quia rationem formalem generandi habet à semetipso: & non dicimus, quòd Filius spirat Spiritum sanctum à semetipso: quia rationem formalem spirandi nòn habet à semetipso. Si ergo Pater, quasi reciperet visionem beatificam ab essentia, vt in Filio, tunc non haberet illam à semetipso, sicut nec Filius dicitur habere esse à semetipso, quia illud esse habet à memoria fœcunda, vt in Patre.

Imò sequitur aliud inconueniens, ibi: *Aliud, quòd non omnis perfectio simpliciter.* In isto dicto supponit vnum manifestum apud omnes Theologos, quòd omnis perfectio simpliciter, aliquo modo dicitur prior omni proprietate hypostatica, & hoc est satis clarum apud Doctorem *in d.* 28. *huius primi & in quolib. quæst. prima.* Si ergo Pater quasi reciperet visionem essentiæ ab ipsa essentia, vt in Filio, sequitur, quòd talis visio sit posterior ipso Filio: & sic perfectio simpliciter erit posterior proprietate hypostatica, quod est absurdum.

10. Ad istas rationes respondet Occham, vbi suprà. Ad primam, exponit dictum Augustini quod debet sic intelligi, scilicet quòd persona Patris non intelligat intellectu, vt in alia persona: ita quòd intelligat illa persona, quia tunc esset illa persona.

Guil. Och. in primo dist. 1. q. 5.

Ocham non rectè exponit. Sed ista expositio non videtur ad mentem Augustini, quia quando Augustinus dicit, quòd *Pater intelligit sibi, & Filius similiter*, vult dicere, quòd illam intellectionem habet Pater in se formaliter, & similiter, vt intellectu intelligit sibi, habet ipsum intellectum in se formaliter. Hoc idem dico de Filio, & Spiritu sancto. Et si intelligit formaliter intellectu, sequitur, quòd habet essentiam intellectam in se formaliter, hoc idem de Filio, de Spiritu Sancto. Et quòd dicit Doctor quòd in perfectè intelligente se, non minùs requiritur, quòd habeat in se obiectum, vt formaliter intelligibile, quàm quòd habeat intellectum in se, quo intelligat. Dicit Ocham, quòd hoc non est simile: quia intellectus requiritur, vt realiter, & formaliter idem cum intellectione, & realiter cum intelligente, & non vt formaliter idem.

Et vltrà dicit, quòd aliquod intelligibile non requiritur vt formaliter idem cum intellectione, & potest realiter distingui ab intelligente, vt patet de persona Filij, quæ est intelligibilis à Patre, quæ tamen non est formaliter idem cum intellectione Patris, nec realiter idem cum Patre. Et ideò non oportet, quòd omni eodem modo intelligens habeat intelligibile, quo habet intellectum. Hæc ille. *Instantia Ocham.*

Respondeo ad Ocham. Primò, quòd haberet probare, quòd intellectio, & intellectus sint idem formaliter: cuius oppositum patebit à Doctore *infrà dist.* 8. *quæst. pen.* sed quicquid sit, non curo: quia intentio Doctoris non est, quòd omni modo, quo habetur intellectus, habeatur & intelligibile: sed quòd in perfectissimo intelligente se habeat intelligibile, vt perfectè præsens sibi, & vt idem sibi, & vt existens formaliter in illo: quomodo sint idem formaliter, non est præsentis speculationis. 11. *Responsio ad Ocham.*

Et quod dicit de Filio, quòd est intelligibilis à Patre, &c. hoc non est ad propositum, quia Doctor loquitur de obiecto motiuo, cuiusmodi non est Filius, vt patet à Doctore hîc. Sed essentia diuina non tantùm quasi mouet intellectum Patris ad cognitionem sui, sed etiam ad cognitionem cuiuscunque alterius, vt patet à Doctore in pluribus locis. Loquitur etiam de obiecto beatificatiuo, in quo vltimatè perficitur per actum secundum, vt infrà patebit, *d.* 2. *part.* 1. *q.* 1. *in illis præambulis.*

Deinde Ocham respondet ad confirmationem, & ad inconuenientia. Sed, vt euidens est intuenti, responsio illius non euacuat rationem Doctoris, vt patere potest ex declaratione rationis. *Idem Och.*

Deinde declarat Doctor modum, quomodo comprehensor potest videre essentiam, & frui ea, non videndo personas, nec fruendo eis: qui modus ponitur, ibi: 12.

f *Modus ponendi est iste.* Licèt ista litera sit satis clara: tamen pro imperitis in via Doctoris, declaro aliqua. Primò, quando dicit, *actus habens primum obiectum, à quo essentialiter dependet.* Hoc sic debet intelligi, quia ex quo ipse vult *q.* 1. *prol. & d.* 3. *q.* 7. *huius, & in* 2. *d.* 3. *q.* 10. *&* 11. *& in quol. q.* 15. quòd actus cognoscendi, siue abstractiuè, siue intuitiuè, causatur ab obiecto, & ab intellectu, vt à duabus causis partialibus. Actû ergo causari partialiter ab obiecto est essẽtialiter depẽdere ab illo.

Secundò dicit, quòd *idem actus, qui est obiecti secundarij, essentialiter non dependet ab illo*, & per consequens idem actus potest manere respectu obiecti primarij, à quo essentialiter dependet, absque hoc quòd maneat, respectu obiecti secundarij, à quo essentialiter non dependet: sed *Quid sit actū causari partialiter ab obiecto.*

sed non èconuerso: non enim idem actus potest manere, respectu obiecti secundarij, si non maneat, respectu primarij: quia à primario simpliciter dependet in *esse*, & in *conseruari*: vt patebit infrà *d.2.q.vlt.* quomodo intellectio est in continuo *fieri*: hoc idem *in 2.d.2.q.4.d.3.q.8. in quol.q.13.*

Obiecta primaria, & secundaria. Hic Doctor vocat obiectum primarium, quod est causa illius actus, & secundarium, quod cognoscitur virtute obiecti primarij, & non virtute propria, & sic essentia diuina, apud ipsum, est obiectum omnino primarium, virtute cuius omnia obiecta secundaria cognoscuntur: vt patet ab ipso *hîc, & quæst. penult. prolog. & 39. huius & alibi.* Obiecta autem secundaria sunt omnes creaturæ, & omnes relationes diuinæ, siue communes, siue hypostaticæ.

13. *Difficultas.* Sed hîc oritur difficultas. Quia dicit, quòd essentia diuina est obiectum primarium, respectu visionis ipsius comprehensoris. Quia si sic, sequitur, quòd talis visio partialiter causatur ab essentia, & tunc essentia immediatè poterit aliquid causare ad extrà, quod expresse est contra ipsum, vt patet *in quolib. q.8. & q.14.*

Responsio. Dico, quòd talis visio immediatè causatur à voluntate diuina: & in hoc supplet vicem obiecti perfectè. Nam dicit Doctor *in q.1. prolog.* quòd voluntas diuina, quando causat cognitionem essentiæ diuinæ in aliquo intellectu, non ostendendo eam in se, tunc supplet vicem essentiæ diuinæ imperfectè: quando verò causat, ostendendo eam in se, tunc supplet perfectè. Requiritur ergo essentia diuina in tali visione, non vt causans ipsam, sed, vt terminans in propria præsentialitate, & existētia. Sed de hoc diffusiùs dicetur *in 4.d.49.*

Tertiò dicit, quòd eadem visio primò potest esse obiecti primarij (puta essentiæ diuinæ) deinde obiecti secundarij, puta personæ diuinæ.

14. *Guil. Och. in 1.d.1.q.5. contra Doct.* Contra hoc arguit Ocham, vbi suprà. Quia non est transitus de contradictorio in contradictorium, sine mutatione. Si ergo idem actus priùs non terminabatur ad personam, nunc autem terminatur ad ipsam: ergo erit aliqua mutatio, vel in persona, vel in actu, & talis mutatio erit acquisitiua. Vel ergo acquiritur aliquod absolutum nouum, & hoc est falsum; vel aliqua relatio rationis noua; & hoc non potest esse, nisi per nouum actum: & sic non manet idem actus.

Solutio rationis Ocham. Respondeo, quòd nulla est mutatio, sed tantùm noua terminatio, quia talis visio, priùs non terminabatur ad personam, nunc autem terminatur. Et sic concedo, quòd persona diuina priùs non habuit *esse* visum, & post habet *esse* visum; & concedo quòd in persona est aliqua relatio rationis noua, & tamen secundùm illam non dicitur mutari. Sicut & nunc non dicitur Deus mutari, quando priùs non amabatur à me, & nunc amatur, vt patet à Doctore *infrà in d.30.* Et quando dicit, quòd talis relatio rationis, siue terminatio passiua est per nouum actum. Negatur consequentia: & patet per exemplum. Quia posito, quòd tantùm habeam vnam visionem, quâ possim videre decem obiecta, & nouem non sint præsentia, & post fiunt præsentia, illa priùs non habebant *esse* visum, nunc autem habent *esse* visum, & tamen non per nouum actum videndi. Sic in proposito, voluntas diuina priùs non præsentabat personas videndi essentiam: nunc autem illas facit esse præsentes: & in eodem instanti, quo fiunt præsentes, talis visio terminatur ad eas, & sic nunc habent aliquod *esse* visum, quod priùs non habebant, & tamen non per nouum actum videndi: & sic patet quòd ratio Ocham non concludit.

g Deinde in isto secundo articulo * adducuntur argumenta Henrici contra positionem Doctoris, soluuntur à Doctore. Et primò arguit Henricus quòd est impossibile comprehensorem videre essentiam, non videndo personam: & prima ratio est talis; quòd si videret essentiam, non videndo personas, illa visio esset confusa: quia præcisè alicuius communis tribus personis. 15. * num.3.

Responsio. Respondet Doctor quòd cognitio communis diuisibilis in plura, quod commune abstrahitur ab illis pluribus, dicitur confusa, quia vniuersalis, sed essentia diuina, quamuis sit communis tribus personis, non tamen diuiditur, nec habet rationem vniuersalis, cùm, vt sic, sit singularissima. Dicit secundò quòd aliud est commune cognoscere in se, & aliud contenta cognoscere præcisè in illo. Primo modo natura communis potest distinctè cognosci, & definiri, & non confusè, sicut cognoscens naturam humanam, vt priorem omni singularitate.

Nota. Secundo modo dicuntur singularia præcisè cognosci confusè, quando comparantur ad naturam diuinam in illis, & tunc cognoscens naturam, etiam in se distinctè, tunc cognoscit confusè omnia singularia contenta sub illa, cùm sit nata diuidi, vel actu sit diuisa in illis: sed cognoscens distinctè naturam diuinam in se, non cognoscendo actu personas diuinas, non dicitur cognoscere illas personas confusè, quia talis natura non est diuisa in illis. Si etiam concederetur, quòd videns essentiam diuinam in se, non videndo personas, quòd cognoscat illas personas confusè: sic intelligendo, quòd videat aliquid, quod natum est prædicari de illis, & natum est esse constitutiuum quiditatiuè illorum, fortè non esset inconueniens, licèt hoc non sit multùm in vsu. Et cùm dicit parum infrà, quòd non oportet in essentia, distinctè concepta, personam distinctè concipi: quia persona non est primus terminus visionis: ex hoc nón debet inferri, quòd si persona non distinctè concipitur essentia distinctè concepta: ergo persona confusè concipitur, concepta essentia, quia confusè sic concipi requirit naturam, vt diuisam, &c.

h Secundò, principaliter arguit ad idem: cognitio intuitiua est tantùm existentis, vt existens est, & vt præsens in sua existentia: sed essentia diuina non existit, nisi in personis; ergo non potest videri sine personis: vel sic formetur ratio, quæ præcisè dicunt vnam existentiam, impossibile est videre vnum, non videndo aliud: sed essentia, & persona dicunt præcisè vnam existentiam: ergo. 16. *Item Henric.*

Responsio. Respondet Doctor quòd aliud est loqui de existentia, & aliud de incommunicabili subsistentia: quia cognitio intuitiua bene terminatur necessariò ad existens, vt existens: essentia autem diuina, vt prior personis, est vere existens existentia propria: imò existentia, quæ est de ratione formali essentiæ diuinæ: vt infrà patebit *d.2. part. 1.q.2. & in quolib. q.1.* Sed non est necesse, quòd cognitio intuitiua terminetur ad incommunicabile subsistens: & exemplum patet. *Exemplum.* Cùm dicit Doctor ad formam argumenti, quòd licèt non sit visio, nisi existentis, inquantum existens, & non est existens, nisi in persona; non sequitur igitur est existentis, inquantum est in persona, id est, quòd

quòd ratio terminandi visionem sit ipsa persona in qua essentia existit, vel quòd sit ipsa essentia sub illa ratione præcisè, qua existit in persona: ita quòd si, per impossibile, esset sine persona, non posset terminare visionem: & iste intellectus est manifestè falsus: sicut patet de albedine, actu non existente, nisi in pariete, quæ tamen non terminat sub illa ratione, quâ dicitur existere in pariete, id est, quòd existentia, vel subsistentia parietis sit ratio terminandi, si enim albedo esset separata à pariete, posset perfectè videri intuitiuè. Debet ergo inferri, quòd visio, vel est alicuius subsistentis, vel alicuius existentis in subsistente, id est, quòd est alicuius verè existentis, quod tamen non existit, nisi in aliquo supposito subsistente: sed tale suppositum, in quo existit, nullo modo est ratio terminandi huiusmodi visionem.

Ista est per se, essentia diuina existit essentia identificata realiter cum personis dicitur habere subsistētiam.

17. *Item Henricus.*

Tertiò principaliter arguit ad idem: quia non potest aliquid perfectè intuitiuè videri, in quo sunt plura distincta ex natura rei, nisi etiam illa distinctè videantur: patet de albedine, existente in pariete, quæ non potest intuitiuè videri, nisi omnes partes eius intuitiuè videantur: sed personæ diuinæ sunt in essentia diuina ex natura rei, ergo.

Responsio.

Respondet Doctor quòd aliud est loqui de partibus, ex natura rei integraliter constituentibus aliquod totum, & aliud de personis tantùm subsistentibus in aliqua natura. Primo modo non potest videri album, nisi videantur partes, in quibus est diuisum, sed non sequitur secundo modo: quia essentia non est diuisa in personis.

Et nota, quod dicit in responsione, quòd vniuersale diuiditur, quomodo hoc contingat, diffusè exposui, exponendo *d.3.2.* Et quod dicit, quòd essentia diuina est de se *hæc:* diffusiùs patebit infrà, *d.5.q.2.& 26. & in quolibeto.*

Obiectio contra Doct.

Sed in responsione Doctoris (in qua concedit, quòd cognitio intuitiua est existentis, inquantum existens est, & hoc idem vult infrà, *dist.3.& dist.8.q.pen.& in 2.dist.5. & in 4.d.10.& 49.q.12. & in quolib.*) videtur maxima difficultas. Quia ex quo essentia diuina dicit totum esse existentiæ personarum, ita quod essentia diuina, & persona est tantùm vna existentia, vt patet expresè à Doctore in pluribus locis: & per Augustinum de Trinitate, vbi vult, quòd Pater est ipsa Deitate: licèt dicatur Pater, paternitate. Tunc arguo sic: Quæcunque dicunt tantùm vnam existentiam, impossibile est videre vnum, non videndo aliud: sed persona diuina, & essentia sunt huiusmodi, ergo est impossibile videre essentiam, non videndo personam.

18. *Solutio.*

Respondeo pro nunc, quod licèt essentia, & persona, siue proprietas hypostatica dicant vnam existentiā tantùm realiter, formaliter tamen non dicunt eandem existentiam, immò ex quo sunt distinctę formalitates ex natura rei: etiam dicunt distinctas existentias ex natura rei, & non est incōueniens apud Doctorem quòd in Deo sint plures existentiæ, ex natura rei formaliter distinctæ. Nam infrà, *d.8.q.pen.* expresè concedit quòd in Deo possunt esse plura infinita, ex natura rei formaliter distincta: infinitas autem non potest competere alicui, ex natura rei, nisi formaliter existenti. Sed ista materia diffusiùs pertractabitur infrà, *d.2.part.2.q.1.quæ tamen est 4. in ordine.in responsione ad primum argumentum.* Esset tamen valde inconueniens ponere plures existentias in Deo ex natura rei, realiter distinctas. *Ex iis arguitur ad propositum.* Deinde arguit Henricus, probando quòd voluntas comprehensoris non possit frui essentia, non fruendo personis, nec vna persona, non fruendo alia, quia voluntas non potest magis abstrahere obiectum suum, quàm intellectus ostendere; id est, quòd si intellectus non potest videre *A* sine *B*, quòd etiam voluntas non poterit velle *A* sine *B*. Sed intellectus comprehensoris (accipitur hìc comprehensor pro claré vidente essentiam: non autem pro comprehensore propriè sumpto, quia vt sic à solo intellectu diuino comprehendi potest) non potest videre essentiam non videndo personas, ergo. Confirmatur, quia si, in obiecto nulla est distinctio, nec re, nec ratione, voluntas non potest velle vnum, sine alio: patet, sed persona nec re, nec ratione distinguitur ab essentia: non re, quia tunc essent quatuor res, quia tres personæ, & vna essentia: non ratione, quia distinctio rationis est tantùm respectu distinctorum priùs. Si enim intellectus ratione distinguit *A* à *B*. priùs apprehendit *A* & *B*, vt distincta.

Ex prædictis arguit Hen.

Respondet Doctor ad prædictam rationem: posito quòd intellectus non videat essentiam, sine persona, adhuc voluntas potest frui essentia, non fruendo persona. Ad probationem dicit, quòd intellectus potest videre aliquod obiectum primum, puta aliquod totum, in quo vnitiuè plura per se obiecta continentur, sicut homo est vnum obiectum primum, & totale, in quo plura partialia per se continentur vt omnia superiora, quæ vnitiuè continentur in illo primo, quia quodlibet natum est per se terminare actum intellectus, cùm quodlibet sit per se intelligibile: licèt ergo intellectus primò videat illud totum obiectum, & omnia obiecta per se vnitiuè contenta in illo, voluntas tamen potest habere actum circa vnum, & non circa aliud: & patet exemplum de Episcopatu, in quo ostenditur Sacerdotium, potest enim voluntas habere actum elicitum circa Episcopatum & non circa Sacerdotium.

Si dicatur Episcopatus non potest haberi sine Sacerdotio, cùm per se includatur in illo. Dico, quòd voluntas potest habere actum etiam circa impossibile, vt patet à Doctore *in 2.dist.6.quæst.2.* Dico etiam quod aliud est habere actum simpliciter circa Episcopatum, non habendo tamen actum circa Sacerdotium: & aliud ėst velle Episcopatum efficaciter (quod est velle omnia requisita ad Episcopatum:) primo modo potest habere actum circa Episcopatum, scilicet actum complacentiæ simplicem, & non efficacem; secundo modo, non potest, vt patet à Doctore *in secundo vbi suprà,* & Doctor intelligit primo modo. Sed in proposito posset velle efficaciter essentiam non volendo personas (loquendo de potentia Dei absoluta) quia in volitione essentiæ efficaci, non includeretur necessariò volitio personarū, cùm tota ratio obiecti volibilis sit essentia, aliter Pater in primo signo originis non esset perfectè beatus, cùm beatitudo sit fruitio efficacissima vltimi finis. Dico tamen, quòd quando vult Episcopatum, totū ostensum non est tantùm Episcopatus, sed est quoddam totum includens Episcopatū, Sacerdotium, Diaconatū, &c. & ideo potest velle vnum, non volēdo aliud. Et sic, vt essentia cum personis ostenditur: ostenditur vt quoddam quasi totum continens essentiam, & personas: ideò voluntas potest, vel essentia, non volendo personas: non tamen è contra, quia in persona includitur essentia, vt ratio obiecti volibilis:

19. *Duplex velle voluntatis.*

Beatitudo est fruitio.

& ideò est dissimile de Episcopatu, quia nec Episcopatus est ratio, quare Sacerdotium sit obiectum volibile, nec ècontra.

10. Ad confirmationem. Dicit Doctor quòd personæ non distinguuntur re: quod si intelligat, quòd nullo modo distinguantur præter opus intellectus, hoc non dicit secundùm intentionem propriam, cùm oppositum teneat infrà, *distinct.* 3. *parte* 2. *quæst.* 1. *& dist.* 8. *q. pen. & alibi sæpè.* sed loquitur secundùm opinionem aliorum: tenendo tamen, quòd sola ratione distinguantur, non sequitur, quòd intellectus primus habeat illa, sicut obiecta distincta: sed sufficit, quòd in primo obiecto concipiat aliquid, puta, quòd in essentia concipiat proprietatem: sicut etiam dicimus, quòd homo, vt in subiecto differt à se, vt in prædicato: & similiter homo, vt in concreto differt tantùm ratione à se, vt in abstracto: & sic habere, & habitus distinguuntur tantùm ratione, vt infrà patet à Doctore *in dist.* 8. *quæst. pen.* non enim est necesse, quòd illa, quæ ratione distinguuntur, quòd priùs concipiantur vt obiecta distincta.

Habitus, & habere sola ratione distinguuntur.

Vltimo loco arguit Henricus ratione fruitionis: & vtraque ratio stat in hoc: quia si anima Christi fruitur persona Patris, & non fruitur persona Filij, non videtur perfectè quietata in Patre: quia persona Filij est obiectum fruibile, nec persona Patris continet eminenter personam Filij, cùm sint eiusdem simpliciter perfectionis: & tunc vltrà, si potest frui persona Filij, aut eadem fruitione, qua fruitur Patre, aut alia: non eadem, quia eadem fruitio non videtur esse respectu duorum obiectorum fruibilium, æquè perfectorum: non alia, quia istæ duæ fruitiones, aut sunt incompossibiles, & tunc fruitio non esset perpetua, quia quando vna inest, alia non inest propter incompossibilitatem; aut sunt compossibiles, & tunc duo actus eiusdem speciei sunt in eodem subiecto: quod est contra Philosophum 5. *Metaph.*

Persona filij est obiectum fruibile.

Dico breuiter, vt dixi in declarando titulum quæstionis, quòd tota ratio obiecti, vltimatè fruibilis est essentia diuina, & in quocunque est, est semper ratio talis obiecti: & quia tantùm vna est in tribus personis: ideò tantùm in eis est vnum obiectum fruibile, quod est ratio formalis terminandi actum fruitionis: & sic ita perfectè quietat potentiam fruentem in vna persona, sicut in tribus, quia ipsa sola est tota ratio quietandi, nec personales proprietates aliquid addunt: non enim magis quietat, vt in se, quàm vt in persona; & sic negatur, quòd tres personæ sint tria obiecta per se fruibilia, sed benè sunt tria supposita habentia eandem rationem obiecti fruibilis, quia eandem essentiam: & ideò terminant actum fruitionis, vt *quod*: sed non, *vt quo*, siue vt ratio formalis terminandi. 21.

Responsio.

Tres personæ non sunt tria obiecta, sed tria supposita.

Et cùm quæritur, aut eadem fruitione fruitur persona Filij, qua & persona Patris. Dico quòd simpliciter eadem: quia fruitio tantùm dependet ab essentia diuina: benè verum est, quòd talis fruitio potest habere aliam, & aliam terminationem, respectu alterius, & alterius personæ: & sic diuersificari secundùm alium, & alium respectum rationis, de quo aliàs: essentia enim diuina est obiectum primum, à quo essentialiter dependet actus fruitionis: & personæ sunt obiecta secundaria, vt suprà patuit.

Fruitio tantum dependet ab essentia diuina.

SCHOLIVM.

Docet intellectum sibi relictum, non posse videre essentiam non visis personis, nec voluntatem ordinatè posse frui ea, non fruendo personis, & videtur idem dicendum de potestate absoluta voluntatis.

9. QVantùm ad tertium [a] articulum de potentia creaturæ, dico, quòd intellectus non potest de potentia sua naturali videre essentiam, non videndo personas. Quia cùm intellectus de se sit potentia naturalis, & non libera, agente obiecto, intellectus agit quantum potest: ergo si obiectum ex parte sui agit, manifestando tres personas intellectui, non est in potestate intellectus vt videat aliquid ostensum, & aliquid non videat.

De potentia creaturæ.

Similiter non est in potestate voluntatis ordinatè frui sic, non fruendo sic: quia sicut non est in potestate voluntatis ordinatè manentis, vt non fruatur. (Si enim non frueretur non impedita, in hoc peccaret & mereretur non frui) ita non est in potestate voluntatis, vt ordinatè fruatur aliquo, & non fruatur quocunque potest frui; & ideò non est in potestate voluntatis ordinatè manentis, sub aliqua ratione non frui, sub qua potest frui.

Sed de potestate absoluta voluntatis est magis dubium: tamen ibi potest dici, quòd non est in potestate voluntatis frui sic, & non frui sic; quia licèt in potestate voluntatis sit aliquis actus, vt ponatur in esse, vel non ponatur: tamen non est in potestate eius, vt actus positus in esse, habeat illam conditionem, vel non habeat, quæ naturaliter competit actui ex ratione obiecti.

Sic in originali Doctoris.

Contrà. Quidquid non necessariò concomitatur actum, est in potentia voluntatis elicientis illum. Vel sic: Quæcunque non necessariò simul respiciuntur ab actu voluntatis, nec etiam ab ipsa, vt elicit actum. Vel sic: Quæcunque separari possunt, vt terminant actum voluntatis, possunt etiam separari respectu potentiæ vt elicit actum.

Concordia cum ipso sup. q. 1. art. 3. ibi loquitur de modo ex parte voluntatis, hîc ex parte obiecti.

Exemplum, licèt in potestate voluntatis sit elicere actum peccati, vel non elicere: tamen si actus positus in esse habeat deordinationem ex natura sui, non est in potestate voluntatis, vt actus sic positus in esse, sit, vel non sit deordinatus: actus autem fruitionis, quantùm est ex natura sui primi obiecti, natus est, vt sit trium personarum essentia; quia non ponendo aliquod miraculum ex parte obiecti, erit de se trium; ergo non videtur esse

Hanc replicam non habent manuscr. vel editiones antiquæ.

esse in potestate voluntatis, vt actus positus in esse, sit essentiæ, vt in tribus, vel non vt in tribus.

10. Si dicas [b] quòd ista ratio concludit, quòd non est in potestate Dei, vt actus sit essentiæ, & non trium personarum.

Dico, quòd non sequitur: nam actus alicuius elicitus est in potestate Dei, quantum ad aliquam conditionem, quæ naturaliter sibi competeret ex obiecto; & tamen non est in potestate creaturæ quantum ad illam conditionem. Exemplum, in potestate Dei est, vt actus elicitus à voluntate peccante referatur ad Deum, quia Deus refert illum actum ad se: non tamen est in potestate voluntatis, quando positus est in esse, vt illo vtatur ad Deum, quia illo actu fruitur creatura: non potest autem simul eodem actu vti ad Deum, & frui alio à Deo. Exemplum istud non videtur bonum, quia actus iste peccantis refertur ab vna potentia, non ab alia. Dimittatur [c] exemplum illud, & teneatur ratio; quia accidens necessariò consequens actum positum, potest non inesse, manente actu, & hoc subest voluntati diuinæ, non autem voluntati creatæ elicienti actum, ita dicatur de conditione, quam actus natus est habere respectu obiecti secundarij, necessariò, quantum est ex se, non tamen essentialiter, ideò subest voluntati diuinæ, vt illa conditio non insit.

COMMENTARIVS.

1. a QVantum ad tertium articulum. In ista litera plura notantur à Doctore. Primum, quòd ostensâ essentiâ diuinâ, & personis, non est in potestate voluntatis creatæ ordinatè frui sic, vel non frui sic: puta frui essentia, non fruendo personis: vel vna persona, & non alia: & hoc stante ordinatione diuinæ voluntatis, quæ ordinauit, vt comprehensor fruatur essentia, vt in tribus personis: & litera clara est. Secundum est ibi: *Sed de potestate absoluta voluntatis.* Et vult Doctor quòd voluntas de potestate sua absoluta non potest frui persona, non fruendo alia: siue ordinatè, siue inordinatè, & assignat rationem. Quia posito quòd voluntas comprehensoris absolutè possit velle frui, quòd tamen ille actus fruitionis præcisè terminetur ad essentiam in se, & non vt in tribus: vel quòd præcisè terminetur ad essentiam in vna persona, & non ad essentiam, vt in alia persona: hoc tantùm est in potestate Dei, & exemplum positum est satis ad propositum: & assignat rationem Doctor. ibi: *Actus autem fruitionis, quantùm est ex natura sui primi obiecti, natus est, vt sit trium personarum in essentia:* quia ex quo essentia est ratio formalis obiecti fruibilis, & ipsa essentia perfectissimè est in tribus personis: sequitur, quòd quantùm est ex natura essentiæ, quòd actus fruitionis sit ipsius essentiæ, vt in tribus personis. Et addit, quòd *nisi ponatur miraculum ex parte obiecti, actus fruitionis erit ex se trium personarum.* Sed Deus de potestate sua absoluta potest facere, quòd talis actus præcisè terminetur ad essentiam, & non ad personas: vel ad essentiam, vt in vna persona, & non vt in alia: & hæc est intentio Doctoris.

2. b *Si dicas quòd ista ratio.* Propter hoc Doctor arguit contra hoc quod dixit: quia si actus fruitionis sit de se essentiæ, vt in tribus: videtur quòd non sit in potestate Dei, quòd actus fruitionis sit tantùm essentiæ, vt in se, & non vt in tribus: vel quòd sit tantùm essentiæ, vt in vna persona, & non in alia. Licèt responsum sit parum suprà, dicit tamen, quòd actus alicuius creaturæ est in potestate Dei, quantùm ad aliquam conditionem: puta, quòd sic referatur, vel non sic referatur: & exemplum est satis ad propositum: licèt aliquibus sit dubium: quia posito, quòd aliquis eliciat actum homicidij, posito tali actu, non est in potestate sua, vt vtatur illo actu ad Deum: puta referendo ipsum ad Deum; patet, quia eliciens actum homicidij, fruitur ipso actu: quia omnis peccans, vt sic, semper fruitur actu peccati: & hoc declarabitur infrà, *quæst. vltima huius dist.* & clariùs *in secundo.* Et tamen est in potestate Dei absoluta referre actum homicidij ad se: immò posset illum actum acceptare, vt dignum vita æterna, vt posset probari ex dictis Doct. *in dist.* 17. *primi*, & ex dictis Francisci May. *in eadem d.* & Ocham in eadem, & in quoli. *Actus creaturæ quomodo sit in potestate Dei.*

3. c *Dimittatur exemplum illud, & teneatur ratio,* &c. Non omittit hoc exemplum: ex hoc, quòd non sit ad propositum: sed ex hoc, quòd aliquibus videatur dubium, quòd actus peccati referatur ad Deum ab vna potentia, puta Dei: & non ab alia, puta à creatura. Assignat ergo rationem, quare sit in potestate Dei absoluta, vt actus fruitionis sic terminetur, vel non sic terminetur: quia accidens necessariò consequens actum positum, potest non inesse, manente actu. Nam accidit actui fruitionis, quòd sic terminetur ad essentiam, vt in tribus personis, & tale accidens dicitur inesse actui necessariò, non tamen necessitate absoluta: quia tunc non posset separari, sed de necessitate conditionata: quia impossibile est ex parte creaturæ, quin talis actus sit essentiæ, vt in tribus: & per consequens ex parte creaturæ necesse est, vt sit ipsius essentiæ, vt in tribus: tamen ex parte Dei nõ est necesse, vt talis accidẽs, siue talis cõditio, puta, quòd actus terminetur ad essentiam, vt in tribus.

SCHOLIVM.

De facto beata fruitio & visio erit de essentia vt in tribus, & viatoris fruitio ordinata, habitualiter necessariò est de tribus personis.

QVantùm ad quartum articulum de facto, dico quòd de facto erit vna fruitio, & vna 11.
visio essentiæ in tribus personis. Hoc dicit August. *primo de Trinit. cap.* 10. in fine, *Conclus.* 1.

quia neuter sine altero ostendi potest, & loquitur de Patre & Filio : quod intelligendum est de potentia ordinata, de qua loquutus est Philippus, volens Patrem sibi ostendi, quasi
Ioan.14. potuisset de facto vidisse Filium sine Patre, vt Augustinus tractat ibi de verbis Philippi, & responsione Christi. Hoc etiam vult Augustinus 15. *de Trinit. cap.* 16. *Omnem* (inquit) *scientiam nostram vno simul conspectu fortè videbimus.* Et quod dicit, *fortè*, non refertur ad obiectum beatificum, sed ad alia videnda in eo.

Conclus.2. Similiter dico de viatore, quòd de facto fruitio habitualis ordinata, necessariò simul est trium personarum, licèt aliquando non actualis. Nullus enim viator, nec comprehensor, ordinatè potest frui vna persona, non fruendo alia, hoc est, nisi habitualiter fruatur alia, hoc est, quòd sit in proxima dispositione fruendi alia, si distinctè illa concipiatur ab illo : & ideò non stat fruitio vnius personæ cum odio alterius personæ; quia sicut dicit Saluator Ioan. *cap.* 15. *Qui me odit, & Patrem meum odit.*

Ad argumenta principalia.

12. Ad primum de *primo Ethicorum*, dico, quòd *Bonum* vno modo conuertitur cum *ente*; & isto modo *bonum* potest poni in quolibet genere : sed *bonum*, vt sic, non habet rationem obiecti fruibilis, & ideò non oportet quòd in quocunque sit *bonum*, hoc modo sumptum, quòd sit ibi propriè ratio obiecti fruibilis. Ratio enim boni fruibilis, non est ratio boni in communi, sed boni perfecti, quod est bonum non habens defectum, vel saltem secundùm apparentiam est tale, vel secundùm præfixionem voluntatis, qualis non est relatio.

Henric. quodlib. 1. q.1. Ad secundum dicitur, quòd illa, quæ vniformiter respiciunt essentiam, & personam, tantùm sunt essentialia : sed quæ tantùm conueniunt personæ, sunt præcisè personalia: quæ autem sub alia ratione respiciunt essentiam, & sub alia ratione personam, sunt & essentialia, & personalia. Primo modo se habet *bonum*, secundo modo se habet *paternitas*, tertio modo se habet *vnum*: quia indiuisio sub vna propria ratione pertinet ad essentiam, & sub alia propria ratione pertinet ad personas.

Sed contrà, istius causam quærit argumentum Arguit enim, cùm hæc duo videantur esse æquè conuertibilia cum ente, & ad diuina transferri, quòd æqualiter vtrumque erit essentiale tantùm, vel vtrunque essentiale, & personale.

Hic dimisit Doctor in originali spatium vacuum vsque ibi infra: Ad tertium dico, &c. Hæc distinctio habetur d.4.q.2. ad 2.dub. Ideò est alia responsio, quòd obiectum fruitionis oportet quòd aliqua bonitas quiditatiua, & non perfectio suppositi; quia perfectio suppositi, vt distinguitur contra perfectionem quiditatiuam, nec est formalis ratio agendi, nec est formalis ratio termini alicuius actionis. Perfectio autem quiditatiua, non est nisi perfectio abstracta à supposito, quæ de se respicit omne suppositum indifferenter : & ideò bonitas, vt terminat actum fruendi, oportet, quòd sit tantùm perfectio quiditatiua : vnitas autem potest esse & perfectio quiditatiua, & ratio suppositi, quia non dicit rationem de se principij actus, nec rationem formalem termini alicuius actus. Est igitur bonum non quomodocunque sumptum, sed *bonum* quiditatiuè sumptum, terminus fruitionis; quia est perfectio quiditatiua, quæ scilicet est ratio essentialis, & non ratio suppositi : sed *vnitas* vno modo est ratio essentialis, alio modo ratio suppositi : secundo modo non est ratio formalis, nec terminus formalis actus fruitionis.

ADDITIO. *Ideò dico, quòd ens prima diuisione diuiditur in ens quiditatiuè, & in ens habens quiditatem, quod est ens subsistens. Nunc autem quidquid est perfectio formalis, est ens quiditatiuè, & entitas quiditatiua : nam perfectio formalis est, quæ in quolibet ente melius est esse, quàm non esse, sed nihil est tale nisi sit entitas quiditatiua, prout abstrahit à subsistere : Ens autem subsistens, habens quiditatem, est contrahens illam perfectionem : & non est formaliter illa perfectio quiditatiua. Nunc autem est ita, quòd vnum, quod conuertitur cum ente, est tam ens quiditatiuè, quàm ens subsistens, & ideò est tam essentiale, quàm notionale : sed bonum (vt hîc loquimur de eo) vt dicit formalem rationem terminandi actum volitionis, est * essentia quiditatiua, & ideò est tantùm essentiale, &c.*

* al. entitas.

13. Ad tertium dico, quòd ly *inquantum*, potest solummodo denotare illud, quod sequitur, accipi secùndùm suam rationem formalem: vel vltra hoc, etiam denotare potest illud esse
Reduplicatio quid? formalem rationem inhærentiæ prædicati ad subiectum. Secundo modo sumitur reduplicatio propriissimè; quia *reduplicatum*, siue sumatur pro toto seipso primo, siue pro aliquo, quod includitur in intellectu eius, accipiendo *reduplicationem* formaliter, semper illud, pro quo accipitur, notatur esse formalis ratio inhærentiæ prædicati ad subiectum.

Ad propositum ergo, dico, quòd si reduplicatio illa, quantum ad vtrumque istorum accipiatur in maiori, ipsa est vera, & minor falsa. Si verò pro primo tantùm, & non pro secundo, minor est vera, & maior falsa.

Cùm

Cùm probatur minor secundùm primum modum accipiendi eam, dico, quòd videbimus tres inquantum tres, hoc est, ratio formalis Trinitatis videbitur. Sed ipsa Trinitas non erit ratio formalis videndi, vel causa inhærentiæ prædicati ad subiectum, scilicet fruitionis, vel visionis: sed vnitas essentiæ. *Videre Deum qua trinus explicitur.*

Cùm probatur vlterius per *credere Deum trinum*, inquantum *trinus*, dico, quòd non est simile, quia essentia diuina non causat in nobis immediatè actum credendi, sicut causabit immediatè actum videndi, & hoc est propter imperfectionem intellectionis nostræ pro statu isto; quia intelligimus personas distinctas ex creaturis, & distinctis actibus, & ita quantum ad cognitionem nostram potest modò Trinitas esse ratio formalis cognoscendi, tunc autem erit præcisè cognita, & non ratio formalis cognoscendi; quia tunc videbitur per rationem essentiæ in se, vt per rationem obiecti.

COMMENTARIVS.

1. *In patria tantùm erit vna fruitio.* QVantùm ad quartum articulum de facto. Hic articulus clarè patet in litera. Et vult Doctor hìc, quòd in patria de facto erit tantùm vna fruitio, & vna visio trium personarum: quia erit essentiæ, vt in tribus personis. Et probat per auctoritates Augustini, quæ sunt claræ. Ad illam, in qua dicit, *omnem scientiam nostram, vno simul conspectu fortè videbimus*: & accipit scientiam habitualem, non pro habitu acquisito, vel infuso, sed pro obiecto, præsente intellectui: sic enim multoties accipit scientiam, prout obiectum habet esse in intellectu, vt memoria, vel pars memoriæ; vt infrà patebit *dist. 2. parte 2. quæst. vltima, & dist. 6. & 17.*

Et quod dicit *fortè*: debet referri ad obiecta secundaria, relucentia in Verbo: quia fortè non vident illa vnico intuitu: immò fortè vident veritates contentas in illis virtualiter discurrendo, vt suprà patuit quæst. illa. *An Theologia sit scientia?* vt verò comparantur ad essentiam diuinam: illam, & personas vnico intuitu videbimus: & sic etiam illa fruemur in tribus personis. Secundò principaliter dicit, quòd loquendo de viatore, quòd viator licèt de facto possit frui ordinatè vna persona non fruendo alia: tamen cum illa de facto stat fruitio habitualis, respectu aliarum personarum: quia ex quo habent eandem essentiam, quæ est tota ratio obiecti fruibilis: non potest quis ordinatè frui vna persona, non fruendo alia, saltem habitualiter, id est, vt sit in proxima dispositione ad fruendum: & non accipitur hìc *habitualiter* sic, quòd habeat habitum: sed sicut habens habitum acquisitum, potest promptè, & faciliter operari, sic fruens actu vna persona, debet esse dispositus de proximo, vt cùm ostensa sibi fuerit alia persona, quòd semper paratus sit ita frui illa, sicut alia: & licèt de facto non fruatur illa ostensa, sufficit, quòd sit paratus frui illa loco, & tempore, & non ponat obicem, puta odiendo illam, vel determinando velle non frui ea: & hoc intendit Doctor in isto articulo. *Quomodo accipiatur habitualiter.*

2. Vltimò sunt soluenda argumenta principalia: Ad primum: Respondet Doctor ibi: *Ad argumenta principalia.* Et responsio stat in hoc. Quia obiectum verè fruibile dicit bonitatem perfectam, in qua non potest esse verè ratio alicuius defectus: sed verè est ibi ratio omnis boni: quamuis ergo paternitas sit bonum, vt *bonum* conuertitur cum ente: non tamen est tale bonum, de quo loquimur in proposito: & patet litera. *Bonum potest capi dupliciter.*

Respondetur primò ab Henrico ibi: *Ad secundum dicitur.* Et litera clara est. Et vult, quòd *vnum* partim dicatur essentiale, & partim notionale: quia secundùm vnam rationem dicitur de essentia: & secundùm aliam de persona. Nam *vnum* dicit indiuisionem: & eo modo, quo aliquid est vnum, eo modo est indiuisum. Sicut enim Franciscus est vnum numero: ita est indiuisus numeraliter, & sicut homo est vnum specie: ita est indiuisus secundùm speciem. Sic in proposito essentia diuina est vna substantia: ideò est indiuisa secundùm substantiam, vel est vna natura: ideò est indiuisa secundùm naturam: & quia essentia est communis tribus, & per consequens essentiale: ergo & vnitas essentiæ est communis tribus, & sic talis vnitas est quid essentiale. Sed Pater est vna persona: ideò est indiuisus secundùm personalitatem: & quia Pater est vnum notiale: sequitur, quòd vnitas Patris erit notionalis: & sic patet intentio Henrici quomodo vnum dicatur essentiale, & notionale.

Sed contra istius causam quærit argumentum. Supple argumentum factum quærit causam, quare vnum non dicatur sic essentiale, sicut bonum, cùm æquè sint conuertibilia. Et Henricus non assignat causam. Dicit enim ipse, quòd bonum est tantùm essentiale: & Doctor quærit cùm *bonum* conuertatur cum *vno*: quare *vnum* non dicatur essentiale: & similiter quando dicit, quòd *vnum* est partim essentiale, & partim rationale: quare non sic *bonum*, cùm sint æquè conuertibilia. 3.

Doctor ergo respondet ad argumentum, ibi: *Ideò est alia responsio.* Et nota istam literam Doctoris in qua plura dicit. Primò, quòd ratio suppositalis, siue personalis, nec est formalis ratio agendi, nec est formalis ratio termini alicuius actionis. Hoc declaro sic: quia ratio formalis agendi semper dicit perfectionem, vt notum est: sed ratio suppositi nullam perfectionem dicit: quia in creaturis dicit tantùm negationem duplicis dependentiæ, scilicet actualis, & aptitudinalis: vt diffusè patet à Doctore *in 3. dist. 1. quæst. 1. & in quodlib. quæst. 9. &* 10. vel dicit negationem duplicis communicabilitatis, scilicet vt *quo*, & vt *quod*. vt patebit infrà *dist. 2. parte 2. quæst. 1. in corpore quæst.* & talis negatio non dicit aliquam perfectionem, nec rationem agendi. Ratio verò suppositi in diuinis, vel dicit illam duplicem negationem, de qua suprà vt dubitatiuè loquitur Doctor infrà *dist. 13. & 28.* vel accipitur pro aliquo positiuo, vt assertiuè loquitur Doctor *in 3. dist. 1. quæst. 1.* & quomodocunque accipiatur, clarum est, quòd nullam perfectionem quiditatiuam dicit. Et declaro per exemplum: nam hìc, *homo generat hominem*, humanitas est ratio formalis generandi eum, & quiditatiua: & suppositum ipsius hominis est conditio ipsius generantis. *Scotus dat aliam responsionem.* *Ratio formalis agendi semper dicit perfectionem.*

Similiter humanitas in homine generato est ratio formalis terminandi generationem, siue terminus formalis generationis: & ratio formalis, qua genitum dicitur suppositum, est conditio ipsius geniti.

4. Secundò dicit, quòd ex quo ratio formalis obiecti fruibilis, siue ratio formalis terminandi fruitionem, quod idem est, est perfectio quiditatiua, vt patet quia perfectio fruitionis principaliter accipitur à ratione formali obiecti fruibilis: ideò dicit Doctor quòd bonitas, quæ est ratio formalis terminandi actum fruitionis, de necessitate est perfectio quiditatiua.

Vnitas accipitur dupliciter.

Tertiò dicit, quòd vnitas potest esse, & perfectio quiditatiua, & ratio suppositi: quod debet intelligi de vnitate fundamentali. Sicut dicimus, quòd natura diuina est vna: tunc talis vnitas est vnitas quiditatiua: quia essentia diuina est entitas perfectionalis, & quiditatiua: aliquando accipitur *vnitas* pro ratione suppositi, eo modo quo dicimus, quòd paternitas est vna. Et sic possumus dicere quòd essentia diuina est bonitas quiditatiua, & similiter vnitas quiditatiua: & vt sic, est ratio obiecti fruibilis: paternitas verò nec dicit vnitatem quiditatiuam, nec bonitatem: & sic patet litera Doctoris.

Paternitas nõ dicit vnitatem quiditatiuam, nec bonitatem.

5. *Ad tertium dico.* Dicit primò quod ly *inquantum* potest capi tripliciter. Primò, vt denotat illud, quod immediatè sequitur accipi secundùm suam rationem formalem. Exemplum. *Homo inquantum rationalis est albus*: sensus est, quòd homini sumpto in ratione formali rationalitatis non repugnat albedo: & hoc modo ly *inquantum* accipitur specificatiuè: quia tantùm specificat rationem formalem illius, quod immediatè sequitur. Secundò accipitur ly *inquantum*: vt non tãtùm specificat rationem formalem illius, quod immediatè sequitur: sed etiam denotat illud, quod immediatè sequitur esse causam inhærentiæ prædicati ad subiectum: siue illud reduplicatùm sumatur pro seipso toto primo. Exemplum: *Homo inquantum homo est risibilis*, siue sumatur pro aliquo, quod includitur in intellectu subiecti. Exemplum, *Homo inquãtum rationalis, est risibilis*: & hoc modo ly *inquantum* accipitur reduplicatiuè. Hoc declarato respondetur ad argumẽtum. Quia si ly *inquantum* accipiatur reduplicatiuè, & specificatiuè simul (nam quando accipitur reduplicatiuè, semper accipitur specificatiuè.) Dicit Doctor quòd maior est vera: & sensus maioris est, quòd si obiectum numerari est causa, quare hoc prædicatum, scilicet quòd ratio formalis obiecti numeretur, insit subiecto, propositio est vera, sed minor est falsa. Et sensus est, quòd Trinitas sit causa inhærentiæ prædicati ad subiectum, scilicet fruitionem, vel visionem: & formetur sic vt clariùs intelligatur. Sed tres personæ, inquantum tres terminant actum fruitionis, id est, quòd Trinitas personarum, inquantum Trinitas, est causa, quare hoc prædicatum insit subiecto: hic sensus falsus est: & sic patet responsio ad argumentum.

Inquantum potest capi dupliciter.

Exemplum.

SCHOLIVM.

Soluit rationes factas pro prima conclusione de vnitate obiecti fruibilis, quatenus possent repugnare conclusionibus sequentibus, tertij, & quarti articuli: quia pluralitas personarum non obiectat vnitati obiecti formalis fruitionis, quod est sola essentia.

14. *Resp. ad rationes in opp. in initio quæst.*

AD rationes in oppositum.

Ad primam dico, quòd est tantùm vnus vltimus finis in se, tamen ille habet in se distinctas rationes aliquas, quæ non sunt formaliter rationes vltimi finis, & ita possibile est frui eo sub ratione vltimi finis formaliter, non fruendo illo sub illis rationibus.

Articulo secundo ad finem.

Ad secundum dico (sicut dictum est in præcedenti quæstione) quòd per accidens est, quòd in eodem concurrant ratio efficientis, & ratio finis: tamen de facto vna est ratio formalis ipsius finis, sicut vna est ratio formalis ipsius efficientis: sed in illa vna ratione potest potentia quietari, licèt non quietetur in rationibus personalibus, quæ sunt in illo fine.

Ad confirmationem, cùm dicitur, non potest vna persona creare, nisi alia creet, dico, quòd non sequitur: ergo vna non potest finire actum fruitionis, nisi alia finiat. Benè enim sequitur, quòd vna persona ex natura rei non est finis, nisi alia persona sit finis, sed non sequitur de fine actus, vt est elicitus à potentia, quia finis actus, vt eliciti, est ad quem potentia eliciens ordinat actum, & propter quem elicit ipsum: sed finis ex natura rei est bonum, ad quod actus ex natura sui natus est ordinari. Non quidem in ratione obiecti, quod attingitur per actum, sed sicut omnes naturæ creatæ in suo gradu ad finem vltimum ordinantur.

Ad auctoritatem 5. de Trinit. patet, quòd loquitur de facto, & formali ratione eius.

Ad vltimum de adoratione dico, quòd vna est adoratio habitualis trium personarum: quia quicunque adorat vnam, habitualiter se subiicit toti Trinitati: sed non oportet, quòd actualiter cogitet de alia persona, quando adorat vnam personam: sicut patet de orante vnam personam oratione, quæ non dirigitur actualiter ad aliam: sicut patet de illo hymno: *Veni creator spiritus*, &c. Et de multis orationibus in Ecclesia institutis. Vnde orationes Ecclesiæ frequenter diriguntur Patri, & in fine includitur Filius, sicut mediator: ergo dum aliquis refert actualiter intentionem suam ad orandum Patrem, non oportet quòd actualiter tunc cogitet de Filio, vel de Spiritu sancto, nisi habitualiter,

quousque

quousque pòst inducat Filium in cogitatione sua, tanquam scilicet mediatorem. Et sicut est eadem adoratio habitualis, non tamen actualis; ita est eadem fruitio habitualis, licèt non necessariò eadem actualis.

COMMENTARIVS.

1. DEinde arguit Doctor ad oppositum, ibi: *Ad oppositum in omni ordine essentiali*, &c. Hìc intendit probare, quòd tantùm sit vna ratio formalis vltimi finis: & postea respondet ad ista argumenta, quòd sint plures rationes formales. Pro intelligentia istorum argumentorum, & solutione, Nota, quòd quando Scotus loquitur, quòd tantùm est vna ratio formalis obiecti fruibilis, intendit simpliciter de ratione formali, constituente obiectum in *esse* fruibili: & sic tantùm est vna, scilicet ipsa Deitas: & quando hìc concedit quòd sunt plures, intelligit de rationibus tantùm terminatiuis non constituentibus aliquid in *esse* fruibili: & sic Pater terminat fruitionem meam, vt *quod*: non tamen paternitas est ratio formalis, dans Patri, quòd sit obiectum fruibile: sed est sola Deitas. Et hoc declarato, patent argumenta cum suis responsionibus. Et sic finis huius quæstionis.

Vna est ratio formalis obiecti fruibilis & est ipsa Deitas.

2. Istas tamen rationes deduco, respondendo singillatim ad eas. Primò arguitur sic: in ordine essentiali finium est tantùm vnus finis vltimatè, & ille est ratio fruitionis; ergo est tantùm vna ratio fruitionis, siue obiecti fruibilis.

** num. 14.* Dicit Doctor * *quòd est tantùm vnus finis in se*, qui scilicet sit ratio obiecti fruibilis: *tamen habet in se distinctas rationes*, id est, proprietates personales, *quæ non sunt formaliter rationes vltimi finis*, id est, quæ nullo modo pertinent ad formalem rationem obiecti fruibilis, cùm nullam dicant perfectionem formaliter: *& sic possibile est frui eo, sub ratione vltimi finis, formaliter, non fruendo illo sub illis rationibus*, id est, quòd possibile est frui essentia absolutè, non fruendo ea, vt in tribus, siue, vt habente in se proprietates personales, cum nullo modo pertineant ad rationem obiecti fruibilis.

3. Secundò sic: sicut est tantùm vnum primum efficiens: ita tantùm vnus vltimus finis: hoc probatur à Doctore infrà *dist. 2. quæst. 1.* Cùm ergo sit tantùm vnum efficiens primum sub ratione formali tantùm: ergo tantùm vnus finis vltimus sub vna ratione tantùm. Respondet Doctor primò quòd primo efficienti accidit, quòd sit etiam primus finis, vt suprà patuit: & ideò non sequitur, quòd si in primo efficiente sit tantùm vna ratio, quòd etiam in vltimo fine sit tantùm vna. Secundò dicit, quòd de facto vltimus finis habet tantùm vnam rationem (loquendo de ratione obiecti fruibilis) sed in ipsa vna ratione, personales quæ ponitur Deitas, possunt esse plures rationes quæ etsi non pertinent ad rationem obiecti fruibilis, potest tamen essentia terminare actum fruitionis, vt actu est sub illis: quod tunc contingit, quando fruitio terminatur ad personas: potest etiam essentia absolutè terminare actum fruitionis, absque hoc, quòd personæ terminent: & sic in illa potest potentia fruens quietari, vt in ratione obiecti verè fruibilis, absque hoc, quòd quietetur in illa, vt in personis.

Confirmatur, quia sicut vna persona non potest efficere sine alia: vt patet in *2. dist. 1. quæst. 1.* sicut vna non poterit finire, siue terminare actum fruitionis sine alia. Respondeo negando similitudinem, quia eadem ratio formalis est necessariò in tribus: ideò ex natura rei vna non potest efficere sine alia, sed terminare actum fruitionis, quo quis fruitur, non est ex parte ipsius: patet, quia fruens Deo elicit actum, referendo illum in Deum: & ideò possum elicere vnum actum, referendo præcisè in vnam personam, & non in aliam: benè tamen sequitur, quòd vna persona, ex natura rei, non est finis, nisi alia persona sit finis, patet, quia finis ex natura rei, qui est essentia diuina, est realiter in tribus personis. Non tamen sequitur, ergo quælibet persona ex natura rei est finis vltimus, quia quælibet includit Deitatem: ergo potentia fruens non potest elicere actum circa Deum absolutè, vel circa vnam personam, & non circa aliam: non sequitur. Vltimò arguitur: in Deo est tantùm vna maiestas, sed propter vnam maiestatem debetur ei vna tantùm adoratio, & per consequens vna tantùm fruitio. Respondet, quòd tantùm est vna maiestas, quæ ex natura rei est ratio formalis obiecti adorabilis, & illa est Deitas propriè, in qua tamen Deitate possunt esse plures proprietates, vt dixi suprà, & sic de possibili potest adorari essentia, absque personis, & vna persona absque alia: de facto tamen est vna adoratio habitualis omnium, licèt de facto possit etiam esse tantùm vna actu, respectu vnius personæ, vt dixi suprà. 4.

QVÆSTIO III.

Vtrùm fruitio sit actus elicitus à voluntate, vel delectatio eius?

D. Thom. 1. 2. *quæst. 2. art. 1.* Alensis 2. *p. q.* 30. *m. 1. art. 3. & 3. part. q.* 30. *m. 3. art. 1. §. 2.* Richard. *hìc art. 2. q. 1.* Aureol. *hìc quæst. 2.* D. Bonauent. *hìc art. 2. quæst. 1.* Occ. *quæst. 1. dub. 1.* Maior. *quæst. 1.* Gabr. *quæst. 1. art. 1.* Gregor. *quæst. 1. art. 1.* Vasquez 1. 2. *disp.* 32. Dur. *d. 1. q. 1.* Mayron. 1. *dist. 1. quæst. 2.* Baccon. *quæst. 1.*

CONSEQVENTER quæro de *frui* in se, & primò, supposito, quòd sit aliquid voluntatis præcisè. 1. *Mag. C. D. E.*

Quæro, an sit aliquis actus elicitus à voluntate, vel passio recepta in voluntate, puta aliqua delectatio? Quòd sit delectatio probo, quia fructus est vltimum, quod expectatur de arbore: ergo similiter in spiritualibus; fructus est vltimum, quod expectatur de obiecto: sed tale est delectatio, quia delectatio sequitur actum 10. *Ethic.* Ergo, &c.

Item

Item ad Galat. 5. *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax*, &c. Quæ numerantur ibi, videntur passiones, vt patet de gaudio, aut saltem nõ sunt actus, sed consequentes actum: fructu autem fruimur per se: ergo *frui* est aliquid per se consequens actum, vt videtur.

Contrà: voluntas actu elicito amat Deum: aut igitur propter aliud, & tunc vtitur, & ita est peruersa: aut propter se, tunc fruitur ex definitione de *frui*, & sic *frui* est actus.

In ista quæstione primò videndum est de ipsis conceptibus. Secundò de significato nominis.

SCHOLIVM.

Posita ratione probante fruitionem esse actum elicitum voluntatis, pro explicatione notat, sicut in intellectu est vnus actus assentiendi vero propter se, & alius assentiendi vero propter aliud, ita in voluntate est vnus actus amandi bonum propter se, & alius amandi bonum propter aliud. Est tamen duplex differentia, 1. quòd assensus propter se, & assensus propter aliud, quoad intellectum, distinguuntur ex natura obiectorum, quia scilicet obiecta inter se habent talem ordinem causalitatis: at quoad voluntatem, adeò distinguuntur, quia ipsa liberè vult hoc propter illud, vel è contra. 2. quòd in intellectu non datur actus neuter, qui non sit propter se, vel propter aliud in voluntate sic.

2. QVantum [a] ad primum, dico quòd sicut in intellectu sunt duo actus essentiendi alicui vero complexo, vnus, quo assentitur alicui vero complexo propter se, sicut principio: alius verò, quo assentitur alicui vero non propter se, sed propter aliud verum, sicut conclusioni propter principium: ita in voluntate sunt duo actus assentiendi bono, vnus, quo assentitur alicui bono propter se, alius, quo assentitur bono propter aliud bonum refertur; sicut conclusioni assentitur propter principium: conclusio enim veritatem suam habet à principio. Ista similitudo [b] accipi potest à Philosopho *6. Ethic.* Vbi dicitur, *Quod in mente est affirmatio, & negatio, hoc in appetitu est persecutio, & fuga, & ita vltrà*, sicut in mente est duplex affirmatio, propter se, & propter aliud: ita in appetitu est duplex prosecutio, vel adhæsio, propter se, & propter aliud. Est [c] tamen hîc duplex differentia.

Cap. 2.

Prima, quia illi duo assensus intellectus distinguntur ex natura obiectorum. Sunt enim alteri propter euidentiam alteram huius, vel illius veri, & ideò habent distincta obiecta sibi correspondentia, & ipsos causantia: hîc autem huiusmodi assensus non sunt distincti ex distinctione obiectorum, sed ex distincto actu potentiæ liberæ, sic vel sic acceptantis obiectum eius; quia (sicut dictum est priùs) in potestate eius est sic, vel sic agere, referendo, vel non referendo: & ideò non correspondent istis actibus propria obiecta distincta, sed quodcunque bonum volibile, potest voluntas habere obiectum secundùm hunc actum, vel secundùm illum.

Quæst. 1. art. 2. huius distinctionis.

Secunda differentia [d] est, quia illi duo assensus intellectus, sufficienter diuidunt assensum intellectus in communi, nec inter ipsos est aliquod medium; quia nulla est euidentia media ex parte obiecti, à qua possit accipi aliqua alia veritas, quàm veritas principij, vel consequentis.

Præter autem istos duos assensus voluntatis, est aliquis alius assensus medius, quia voluntati potest ostendi aliquod obiectum bonum absolutè, apprehensum non sub ratione propter se boni, nec propter aliud bonum. Voluntas [e] autem circa tale sic ostensum, potest habere aliquem actum, & non necessariò inordinatum: ergo potest habere aliquem actum volendi illud absolutè, absque relatione ad aliud, aut absque fruitione propter se: & vlteriùs potest imperare intellectui, vt inquirat, quale illud bonum sit, & qualiter volendum, & tunc illi potest assentire sic, vel sic. Et tota ratio differentiæ hinc, & inde, est libertas voluntatis, & necessitas naturalis ex parte intellectus.

Non est liberum intellectui assentiri huic propter aliud, & è contra, benè tamen voluntati velle hoc propter illud, & è contra.

Ex his vltrà actus assensus bono propter se est actus perfectus, actum autem perfectum consequitur delectatio *ex 10. Ethic.* ergo actum volendi bonum propter se consequitur aliqua delectatio.

Cap. 4. & 5.

Habemus igitur ad propositum quatuor distincta, actum imperfectum volendi bonum propter aliud, qui vocatur vsus; & actum perfectum volendi bonum propter se, qui vocatur fruitio; & actum neutrum, & delectationem sequentem actum.

COMMENTARIVS.

1. a QVANTVM *ad primum.* Hîc Doctor præmittit aliqua. Primum *quòd sicut in intellectu sunt duo actus assentiendi alicui vero complexo*, &c. Aduerte quòd aliud est cognoscere principium, & aliud assentire: fortè enim aliquando ista separantur: verum tamen est, quòd intellectus cognitio principio noto ex terminis, assentit necessariò, vt infrà patebit: sed non omni propo

propositioni cognitæ, non euidenti ex terminis, neque ex principio necessario assentit, vt verè, vel vt falsè: sed de hoc aliàs erit quæstio. Assensus verò voluntatis non videtur differre ab actu, quo vult obiectum, si enim vult bonum propter se, illud *velle* dicitur assentire. Similiter dum vult propter aliud, illud *velle* est simpliciter assentire: non enim volitio distinguitur ab assensu.

b *Ista similitudo accipitur à Philosopho.* Quod in mente est affirmatio, vel negatio, id est, in intellectu est cognitio affirmatiua, vel negatiua; siue assensus, vel dissensus, quo assentit, vel dissentit complexo: & dicitur cognitio affirmatiua tantùm denominatione extrinseca, eo quòd terminatur ad complexum: in se enim formaliter omnis cognitio est incomplexa, & simplex, & similiter omnis assensus.

Sequitur, *hoc in appetitu est prosequi, & fuga,* id est, volitio, quâ vult, & nolitio, qua odit. *Et sicut in mente est affirmatio propter se, & propter aliud,* id est, assensus, quo assentit vero propter se, vt principio, & assensus quo assentit vero, puta conclusioni propter aliud, siue cognitio propter se, & propter aliud, quæ dicitur propter se, vel propter aliud, ex hoc, quòd terminatur ad complexum, quod est cognitum propter se, id est, cuius cognitio, siue cuius euidētia nō est propter aliud complexum, sed tantùm dependet à terminis: vel ex hoc, quòd terminatur ad complexum, propter aliud complexum cognitum, vel euidens.

Sequitur: *ita in appetitu est dupliciter prosecutio,* vel adhæsio *propter se, & propter aliud,* id est, volitio propter se, vel propter aliud, & talis volitio dicitur propter se, vel propter aliud tantùm denominatione extrinseca, ex hoc, quod elicitur à voluntate circa obiectum, quod vult propter se, vel propter aliud.

2. c *Est tamen hic duplex differentia*, scilicet inter assensum intellectus, & assensum voluntatis, *prima, quia illi duo assensus intellectus*, scilicet propter se, & propter aliud, *distinguuntur ex natura obiectorum, sunt enim alteri propter aliam, & aliam euidentiam illius, & illius veri: & ideò habent distincta obiecta*, ipsos causantia: ita quòd euidentia, siue veritas propter se causat assensum propter se; & euidentia, siue veritas propter aliud, vt veritas conclusionis, quæ est propter principium, causat alium assensum propter aliud: vel notitia principij causat assensum propter se, & notitia conclusionis, quæ dependet à notitia principij, causat assensum propter aliud: modò euidentia conclusionis est alterius rationis ab euidentia principij: similiter notitia conclusionis demonstratæ est alterius rationis à notitia principij, vt suprà patuit. Sed assensus voluntatis propter se, & propter aliud non habent distinctionem ab obiectis: quia licèt vnum obiectum sit ex natura rei volibile propter aliud: vt omne ens creatum, & aliud obiectum sit ex natura rei tantùm volibile propter se, & repugnet sibi ex natura rei, quòd sit propter aliud volibile: sicut primum ens, vt probat Doctor *in 4. dist.* 49. tamen voluntas potest velle illud propter aliud, creatura propter se: & hoc ex libertate voluntatis: & sic isti actus habent (denominatione extrinseca) à voluntate distinctionem, sic, vel sic acceptante obiectum. Sicut enim potest liberè velle, ita potest sic, vel sic velle, scilicet referendo, vel non referendo ad aliud: & loquor de modo volendi, pertinente ad voluntatem, sicut est velle propter se, vel propter aliud, intensè, vel remissè, & huiusmodi; non autem de modo volendi, qui simpliciter se tenet ex parte obiecti: quia non potest ex se frui vna persona clarè visa, non fruendo alia, vt suprà patuit.

d Secunda differentia est, quia inter assensum propter se, & propter aliud, respectu intellectus, nullum cadit medium, id est, nullus assensus medius: quia non est euidentia media, quæ non sit, nec propter se, nec propter aliud: omnis enim propositio necessaria est simpliciter euidēs, vel propter se, vel propter aliud. Patet discurrendo in omnibus: omnis etiā propositio contingens est precisè euidens, ex visione terminorū, & vnionis eorum, vt suprà patuit in *q. 3. prologi*, & licèt inter contingētes detur ordo (vt suprà patuit) tamen propriè loquendo nulla est euidens propter aliud, & sic intellectus necessariò assentit illi ex sola visione, & vnione terminorū: sed in volūtate præter illos assensus potest esse assensus, nec propter se, nec propter aliud: & hoc probat Doctor. 3.

e *Voluntas autem circa tale ostensum se potest habere.* Hîc intendit probare, quòd voluntas potest assentire alicui bono, puta diligendo illud absolutè: ita vt non diligat, nec propter se, nec propter aliud, & tamen talis dilectio non erit inordinata: præsertim si tale bonum ostendatur à ratione, vt in se bonum absolutè: ita quòd primò ratio dictet tale bonum esse diligendum, non dictando, an propter se, an propter aliud; sed postea ratio ex imperio voluntatis potest vlteriùs inquirere, an tale bonum sit propter se, vel propter aliud diligendum? & cum ista opinione concordat Aureolus *lib. 1. dist. 1. quæst. 3.* & similiter Ocham *lib. 1. dist. 1.* & multi alij.

Ad rationem Doctoris respondet Gregorius *de Arimino in primo d. 1. q. 1. art. 1.* concedendo, quòd aliquid potest absolutè ostendi voluntati, vt bonum: & quòd voluntas potest illud diligere: sed dicit, quòd illud necessariò diligitur, vel propter se, vel propter aliud, licèt non dictetur à ratione ipsum esse diligendum, aut propter se, aut propter aliud: sicut etiam aliquid potest absolutè apprehendi absque hoc, quòd dictetur ipsum esse diligendum, vel odiendum: & tamen voluntas non potest habere actum circa illud, nisi diligendo, vel odiendo. Sed salua semper reuerentia tanti viri, exemplum non videtur ad propositum: quia omnis operatio voluntatis, vel est velle, vel est nolle, vt patet: est ergo impossibile, voluntatem habere aliquem actum circa obiectum, nisi volendo illud, vel diligendo, quod idem est, vel nolendo illud, siue odiendo, quod idem est; sed non est sic de propter se, vel de propter aliud. Nam si ratio ostendit aliquod bonū esse diligendum, & tamen non dictet illud esse diligendum, aut propter se, aut propter aliud; non video quando voluntas absolutè possit velle illud: quoniam velle propter se, vel propter aliud, necessariò præsupponit ipsū velle: sed non è contra: ideò exemplum eius non est ad propositum. Negaretur etiam, quòd ratio posset ostendere aliquod bonum voluntati, & non dictet illud esse diligendum, vel odiendum. Quia quæro, aut ratio cognoscit illud bonum esse diligendum, vel non diligendum, aut non cognoscit. Si primo modo, talis cognitio ex quo est verè practica, necessariò dictat, tale bonum esse diligendum, vel odiendum (vt patuit suprà *in q. vlti. prolog.*) Si secūdo modo, nō video tunc quòd voluntas possit illud diligere, vel odire, nisi sibi ostēdatur sub ratione diligibilitatis, vel odibilitatis. 4.

SCHO

SCHOLIVM.

Supponit vt clarum fruitionem non esse vsum, vel actum neutrum, & adductis authoritatibus probantibus esse amorem boni propter se, ac aliis suadentibus esse delectationem, vel vtrumque complecti, resoluit, cùm constet de re, non esse curandum de vocabulo: absolutè tamen beatitudo formaliter consistit in illo amore, non in delectatione, de quo Doctor 4. dist. 49. quæst. 7. vide ibidem quæst. 4. & 5.

3. *Cui conueniat nomen frui?* al. *Et ratio est, quia aliqua.*

DE secundo [a] principali, cui scilicet istorum conueniat istud nomen *frui*, sicut potest colligi ex auctoritatibus loquentium de isto vocabulo, *frui*; planum est, quòd fruitio non est actus neuter, nec actus vsus; sed tantùm est altercatio de actu perfecto, & de delectatione consequente actum perfectum.

Text. com. 13.

Responsio. Aliquæ auctoritates videntur dicere, quòd *frui* est actus perfectus tantùm, aliquæ, quòd delectatio tantùm; aliquæ, quòd includit vtrumque: & tunc non significat aliquod ens per se vnum, sed vnum aggregatum ex duobus entibus, vt ens per accidens. Nec hoc inconueniens quòd vnum nomen significet multa, quia Ilias (secundùm Philosophum 7. *Metaphysic.*) potest significare totum bellum Troianum.

Scot. 2. dist. 36. quæst. 1. *Peccatum est formaliter in actu voluntatis.* Scot. 2. dist. 42.

Quòd tantùm sit actus [b], videtur illa auctoritas Augustini dicere 83. *quæstionum* quæst. 30. *Omnis itaque humana peruersio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis vti velle, atque vtendis frui:* peruersio, vel peruersitas est formaliter in actu voluntatis elicito, non in delectatione: quia delectatio non est praua, nisi quia actus est prauus, nec delectatio est in potestate delectantis, nisi quia actus est in potestate agentis: peccatum autem in quantum peccatum, est formaliter in potestate peccantis.

Hoc etiam [c] videtur manifestè dicere Augustinus 1. *de Doctrina Christiana*, cap. 1. *Frui est amore inhærere alicui rei propter seipsum.* Ista etiam inhæsio videtur esse per potentiam motiuam inhærentis, sicut in corporibus, à quibus translatum est hoc nomen *inhærere*, inhæsio est virtute inhærentis.

Similiter inhæsio alicui propter se, non videtur esse per delectationem, quia delectationis causa efficiens, & non finalis videtur esse obiectum delectabile; & ita non tendit delectans in obiectum propter se.

Sed ista ratio non [d] concludit, procedit enim, ac si obiectum non possit esse efficiens, & finis delectationis; & solui habet à tenente in quarto, delectationem esse de essentia beatitudinis.

4. *Vide 4. dist. 49 quæst. 7.*

Quod [e] autem *frui* sit tantùm delectatio, videtur dicere illa auctoritas August. 1. *de Trinit. cap.* 10. in fine, *Hoc est enim plenum gaudium nostrum quo amplius non est, frui Trinitate.* Si non retorqueatur ista auctoritas ad causalitatem, vel ad alium intellectum, quem non sonant verba, gaudium est formaliter delectatio.

Similiter & *in 30. quæst.* præallegatâ, *frui dicimur ea re, de qua capimus voluptatem*, si sit locutio per identitatem, vel quasi definitio, tunc capere voluptatem est frui essentialiter.

Quòd autem *frui* accipiatur [f] pro vtroque, pro actu scilicet, & delectatione simul, probatur ex definitione illa de *frui* 10. de Trinit. cap. 10. *Fruimur enim cognitis, in quibus voluntas ipsis propter seipsa delectata conquiescit*, ad actum enim pertinet cum dicitur, *fruimur cognitis*, quia actui voluntatis præsupponitur actus intellectus in obiectum cognitum, sed pòst subdit: *In quibus voluntas*, &c. quòd si delectatio acciderit fruitioni, non deberet poni in eius definitione.

Similiter si ponatur ad beatitudinem pertinere essentialiter actus & delectatio; tunc omnes auctoritates, quæ dicunt *frui* esse summum præmium, vel beatitudinem nostram; dicunt eam includere vtrumque, & actum & delectationem, illam minorem dicit illa auctoritas 1. *de Doctrina Christiana*, quasi in fine. *Hæc summa merces est vt ipso perfruamur.*

5. *Ponitur, vt additio à Maur. tamen habetur in manus. & edit. antiq. in quibus nullæ sunt additiones.* 5. Tri. c. 7.

Quòd autem sit magis [g] proprium significatum vocabuli, difficile est probare; tamen aliquo modo potest coniici ex vsu vocabuli. Istud enim vocabulum *frui* construitur cum Ablatiuo significante obiectum ex vi transitionis, qualis constructio appropriatur verbis significantibus actum: non autem construitur cum obiecto in ablatiuo ex vi causæ: qualis constructio debetur passionibus significatis per verba purè passiua Non enim ita dicitur, *fruor in Deo*, sicut dicitur, *delector in Deo:* vel *Deus delectat me*, sed dicor *frui Deo* transitiuè, sicut dicor *amare Deum*, & istud videtur esse magis proprium significatum vocabuli.

Sed de vocabuli significato, non est contendendum, quia secundùm Aug primo Retractationum, cap. 14. *Cùm res constat, non est vis facienda in nominibus.* Res autem constat quòd voluntas habet triplicem actum, & quartum, puta passionem consequentem: & patet

patet, quòd duobus actibus nullo modo conuenit hoc nomen *frui*. Sed pro altero aliorum duorum, & pro ambobus simul, videntur aliqui vti isto vocabulo, & tunc erit nomen æquiuocum; vel si est vniuocum, oportet auctoritates quasdam exponere, quòd loquuntur causaliter, vel concomitanter.

Ad primum argumentum. [h] Dico, quòd fructus est vltimum, quod expectatur de arbore, non vt possidendum corporaliter: sed vt habendum per actum potentiæ attingentis illud vt obiectum. Pomum enim non est fructus in quantum expectatur vt possidendum; sed in quantum expectatur vt gustandum, & actu gustus attingendum, quam gustationem sequitur delectatio. Si igitur fructus dicatur, quo fruendum est, delectatio non est fructus, sed illud vltimum expectandum: sed nec delectatio est *frui*, sed primum, quo attingo expectatum vt expectatum, est *frui*: quod videtur probabile, cùm fructus sit expectatum sub illa ratione, sub qua expectatur, vt à potentia attingendum. 6. *Ad argum. superiora.*

Ad secundum dico [i] quòd auctoritas est in oppositū. Cùm enim dicat auctoritas non actus esse fructus, sed potiùs passiones: sequitur, quòd *frui* non est *delectari*, quia fructus est obiectum fruitionis. Passio autem non ita esse potest primum obiectū sui, sicut potest esse primum obiectū alterius: ideò *frui*, si est passionis, vt obiecti, vt sonat auctoritas, nō erit passio, sed est actus aliquis potens habere istas passiones pro obiectis quasi proximis suo primo obiecto. Et cùm dicitur, quòd per se fructu fruimur, nō est hoc intelligendū in ratione formalis principij: sicut ignis calore calet: sed in ratione obiecti: sicut si diceretur, quòd amabili amamus: sed in ratione causæ formalis, fruitione fruimur. Auctoritas autē non dicit aliquid consequens actū esse fruitionem, sed fructū, id est, fruitionis obiectum.

COMMENTARIVS.

1. a *De secundo articulo principali.* Quia habemus actum bonum propter se, secundò delectationem consequentem actum perfectum, & tertiò actum propter aliud; quartò actum neutrum, primus est perfectus, secundus non est actus elicitus, sed quædam passio, vt infrà patet; tertius est actus neuter. Primus secundùm Doct. dicitur fruitio. Secundus vsus, &c. Ideò quærit Doctor *cui istorum conueniat fruitio.* Et arguit pro vna parte, probando, quòd volitio propter se sit fruitio: & pro alia parte probando, quòd fruitio sit formaliter delectatio consequens actum perfectum: & tandem tenet quòd actus perfectus sit formaliter fruitio: & clariùs hoc patet *in* 4. *d.* 49. Et dicit, quòd aliquæ auctoritates probant de actu perfecto, & aliquæ de delectatione, & aliquæ de vtroque simul: sed hoc tertium erit tantùm vnum per accidens: quia non significat immediatè vnum per se conceptum, sed plures: sicut Ilias significat bellum Troianū, vt patet 7. *Met. tex. com* 13.

2. b De primo videtur auctoritas Augustini: *Omnis itaque humana peruersio est frui vtendis, & vti fruendis:* modò peruersio, siue peccatum est formaliter in actu voluntatis: patet, quia est carentia rectitudinis, quæ deberet inesse actui, vt patet à Doctore 2. *dist.* 34. 37. Peccatum enim formaliter secundùm communiter Theologos est deformitas, fundata in actu volūtatis primò, licèt possit etiam esse deformitas in actibus alterius potentiæ à voluntate; sed tantùm materialiter, & nō primò, nec formaliter: vt patet à Doct. *in* 2. *d.* 41. non est ergo in delectatione primò. Tum, quia delectatio non est mala, nisi quia actus, ad quem cōcomitatur, est malus. Tum, quia delectatio non est in potestate voluntatis immediatè: sed præcisè dicitur in potestate voluntatis, quia concomitatur actum, qui est in potestate voluntatis: ergo peccatum; imò est in voluntate; ergo fruitio mala erit actus voluntatis malus, & per consequens fruitio bona, erit formaliter actus voluntatis. Tum, quia vbi vnū oppositum, ibi & aliud oppositū natum est inesse. Tum, quia delectatio non est bona, nisi quia actus, quem sequitur est bonus. Tum, quia delectatio non est in potestate voluntatis, nisi quia actus, quem sequitur, est in potestate voluntatis: modò nullus est actus bonus formaliter, nisi elicitus à voluntate, conformiter rationi rectæ: vt suprà patuit *in quæst. de praxi, & infrà patebit, dist.* 17.

c Secundò probatur per Aug. *Frui est amore inhærere alicui rei, propter seipsam*, ergo amor, quo volūtas amat aliquid propter se, est formaliter fruitio. 3. Præterea, *Inhæsio videtur esse per potentiā motiuam inhærētis*, id est, quādo voluntas propriè inhæret obiecto, est per actum suum, quem producit, tendere in illud; & si liberè inhæret obiecto propter se, est liberè producere actū, quo vult obiectum propter se; siue quo inhæret obiecto, siue quo fertur in obiectum propter se. Sicut etiam dicimus, quòd lapis actu suo inhæret centro; quia producit suo modo, *vbi* passiuū in se, quo inhæret, & quietatur in centro; & sic sequitur, quòd fruitio sit actus, quo voluntas inhæret obiecto, & non delectatio. Patet, quia delectatio non videtur effectiuè esse à potentia inhærente (quæ propriè dicitur inhærere per aliquid productum ab ipsa, quæ formaliter inhæret) sed effectiuè ab obiecto delectabili, vt patuit *in* 3. *d.* 15. ergo potentia fruens, non dicitur per illam inhærere formaliter obiecto propter se: cùm talis inhæsio nominet potentiam motiuam, siue productiuam actus, quo inhæret.

d *Sed ista ratio non concludit.* Aduerte, quòd nō dicit Doctor ex intentione quòd nō concludat; sed non concludit tenenti delectationē esse de essentia beatitudinis: quia ipsi haberent dicere, quòd licèt delectatio sit effectiuè ab obiecto delectabili: tamē mediante ipsa, voluntas inhæret obiecto, & delectatur in tali obiecto, vt in fine vltimo, sed tūc videtur sequi, quòd fruitio nullo modo sit in potestate fruentis, sed quòd potētia fruens tantùm passiuè se habeat: quod nō videtur, vt patebit *in* 4. *d.* 49. & sic ratio Doct. videtur magis cōcludere propositum, scilicet quòd fruitio sit formaliter actus. 4.

e *Quòd autē frui sit tantùm delectatio.* Hîc Doctor adducit aliquas auctoritates, quæ videntur dicere,

fruitione esse delectationem. Prima est Augustini. *Hoc est enim plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Trinitate*, id est, fruitio Trinitatis est summum gaudium nostrum: ergo. Sed fortè debet exponi, quòd non sit hîc prædicatio formalis, sed tantùm causalis, id est, quòd fruitio Trinitatis est causa gaudij nostri, non quòd ipsa sit formaliter, & quiditatiuè gaudium: potest etiam exponi per prædicationem concomitantiæ, id est, quòd fruitio est id, ad quod concomitatur gaudium, siue delectatio. Secunda auctoritas est Augustini: *Frui dicimur ea re.* Dicit Doctor, quòd si sit locutio per identitatem, vel quasi definitio, id est, quod voluptas sit simpliciter idem, quod fruitio, vel quòd sit definitio eius, vel pars definitionis, erit fruitio essentialiter delectatio: sed magis videtur prædicatio causalis, siue concomitantiæ, quàm formalis: & exponatur vt suprà.

5. f *Quòd autem frui accipiatur pro vtroque: patet ex 10. de Trinitate, cap. 10. vel 13. Fruimur cognitis, in quibus voluntas ipsis propter seipsa delectata conquiescit*, id est, quòd conquiescit ipsis cognitis, propter seipsa cognita: modò ad actum pertinet, cùm dicitur *fruimur*, & similiter delectatio: cùm dicitur *in quibus*, &c. Si ergo delectatio tantùm accideret fruitioni, non poneretur in eius definitione. Sed potest faciliter exponi, quòd non ponitur in eius definitione vt essentia, sed tantùm vt passio concomitans actum fruitionis, quia ad actum fruitionis concomitatur delectatio in ipsis cognitis, quibus fruimur. Et breuiter omnes tales auctoritates faciliter exponi possunt, & habent etiam exponi à Doctore, cùm ipse velit in 4. distinctione 49. delectationem nullo modo pertinere ad essentiam beatitudinis.

g *Quòd autem sit magis proprium significatum.* Hîc Doctor videtur tenere, quòd fruitio sit actus, & non delectatio, & probat: quia *frui* construitur cum Ablatiuo, significante obiectum ex vi transitionis. Nam cùm dicimus *fruor Deo*, illud scilicet *Deo*, significat obiectum fruitionis, ex vi transitionis, id est, quòd fruitio transit, siue terminatur propriè ad obiectum quo fruimur: & sic frui dicit tendentiam, siue transitionem in obiectum fruibile: & talis constructio, appropriatur verbis significantibus actum (vt patet) non autem construitur cum obiecto in ablatiuo, ex vi causæ. Cùm enim dico *fruor Deo*, non significatur ex vi talis constructionis, quòd Deus sit causa fruitionis; sed tantùm significatur, quòd sit obiectum terminans actum. Sed cùm dico, *delector Deo*, ex vi huius constructionis, habetur, quòd Deus sit causa delectationis; qualis constructio debetur passionibus, significatis per verba purè passiua. Nam cùm dico *delector Deo*: hoc verbum *delector* est verbum purè passiuum, significans hanc passionem, scilicet delectationem: & sensus est *delector Deo*, id est, Deus delectat me: quæ delectatio non est actus, sed passio, consequens actum. Et sic patet quomodo Doctor videtur expresse tenere fruitionem esse actum.

6. h Ad argumenta principalia respondet Doctor ibi: *Ad primum argumentum dico.* Et dicit, quòd benè fructus est vltimum, quod expectatur de arbore, non vt possideatur corporaliter, sed vt attingatur per actum potentiæ gustatiuæ, ad quam gustationem sequitur delectatio. Sequitur: *Si igitur fructus dicatur, quo fruendum est, delectatio non est fructus*: quoniam ipsa delectatio non est obiectum fruibile: imò sequitur ipsum obiectum fruibile: quia sequitur actum, quo attingitur obiectum fruibile: imò fructus est illud vltimum expectandum, scilicet est ipsum obiectum fruibile quod vltimò expectatur, vt habeatur per actum gustationis. Sequitur, *Sed nec delectatio est frui.* Dicit, quòd non solùm delectatio non est obiectum fruibile, sed nec etiam est frui, siue fruitio formaliter. Sequitur, *Sed primum, quo attingo expectatum, vt expectatum est frui*, id est, quòd illa operatio, qua attingo expectatum, scilicet obiectum fruibile, dicitur frui. Delectatio enim non potest dici frui: quia non est id, quo attingitur fructus, scilicet obiectum fruibile: imò sequitur operationem, qua attingitur obiectum fruibile; nam potentia priùs amat obiectum fruibile, & postea sequitur delectatio. Illud ergo, quo potentia attingit obiectum fruibile, est formaliter frui: & illud est actus voluntatis perfectus. *Delectatio non est fruitio formaliter.*

i Ad secundum respondet quòd auctoritas est in oppositum, & expono literam. *Cùm enim dicat auctoritas, non actus esse fructus*, id est, quòd fructus non est actus, sed passio: quia gaudium, quod dicitur fructus spiritus, non est actus, sed passio, consequens actum: sequitur, quòd frui non est delectari: quia fructus est obiectum fruitionis: patet, quia fructu per se fruimur, vt ob obiecto: passio autem non est obiectum fruitionis: tunc enim ita posset esse primum obiectum sui, sicut potest esse primum obiectum alterius: patet, quia si fructus est obiectum fruitionis, & gaudium est fructus & per consequens obiectum fruitionis, & ipsum gaudium ponitur fruitio: ergo idem erit obiectum fruitionis, & ipsa fruitio, quod non est intelligibile: quia fruitio terminatur ad obiectum fruibile, & si idem esset obiectum fruibile, & fruitio idem realiter terminaretur ad seipsum, & secundùm idem. Sequitur *ideò frui si est passionis, vt obiecti*, id est, vt terminatur ad passionem, vt obiectum fruibile, ipsum *frui* non erit passio, sed *frui* erit actus aliquis, potens habere istas passiones pro obiectis proximis suo primo obiecto: patet, nam primum obiectum fruibile, immediatè terminans actum fruitionis, ordinatè est Deus, vt finis vltimus, ad quam fruitionem concomitatur delectatio de ipso Deo; & sic delectatio illa est obiectum fruibile proximum Deo, vt obiecto summo delectabili. De hoc in 4. d 49. Sequitur ibi: *Et cùm dicitur, quòd per se fructu fruimur: non debet intelligi in ratione formalis principij*, sicut dicimus calor calore calefacere, vel agens actione agit, non enim *frui* est effectus formalis fructus, sed est effectus formalis fruitionis, & sic dicimus *fruimur fruitione*, sed debet intelligi *fructu* in ratione obiecti, & sic per se fruimur fructu, id est, obiecto per se fruibili: sicut si diceretur amabili per se amamus, scilicet vt obiecto, per se terminatiuo amoris: sed in ratione causæ formalis dicimus *amore amamus.* Et sic patet ista quæstio. 7. *Expositio auctoritatis Pauli.* *Quomodo frui sit effectus formalis.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Vtrùm fine apprehenso per intellectum necessariò voluntas eo fruatur?

Alensis 1.*p.q.*38.*m.*1.*&* 2.*p.q.*74.*m.*7.D.Thom.1.2.*q.*10.*art.*1.*&* 2.*&* 1.*p.q.*82.*art.*1.Henric.*Quodl.*3.*q.*17. Aureolus *hic quæst.*3. Capreol. *q.*3.*art.*1. Soto 4.*dist.*49.*quæst.*2.*art.*1. D.Bonauentura 2.*dist.*39.*dub.*2. & Rich.2.*dist.*38.*art.*2.*q.*1.Vasq.1.2.*disp.*39.*vide* Scot.9.*Metaph.q.*14.Franc.Mayr.*dist.*1.*q.*7.

QVÆRITVR adhuc circa *frui* de modo eliciendi actum illum, Vtrùm scilicet fine apprehenso per intellectum, necesse sit voluntatem frui eo. Quòd sic. Auic. Metaph. 8. *Delectatio est apprehensio conueniens cum conuenienti.* Finis necessariò conuenit voluntati: ergo ex coniunctione eius cum voluntate sequitur delectatio: ergo fruitio. 1. *Cap. vlt. circa finem. Aliàs Coniunctio, vel perceptio.*

Item, finis mouet metaphoricè sicut efficiens mouet propriè: sed efficiens approximatum passo non impeditum, de necessitate mouet propriè: ergo finis approximatus, hoc est præsens voluntati, non impeditus, necessariò mouet metaphoricè. *9. Metaph. tex. com.* 10.

Item, omne mobile præsupponit aliquid immobile, ergo actus voluntatis varij mobiles, præsupponunt aliquem actum immobilem: sed talis non est nisi circa finem: ergo ille est necessariò immobilis. *1. Physic. & lib. de Motu animaliũ.*

SCHOLIVM.

Non necessitari voluntatem ad fruendum fine apprehenso probat. Primò, quia habet oppositum modum modo operandi naturæ. Secundò, quia liberè vult ea, quæ sunt ad finem, & vna ac eadem est potentia amborum.

AD oppositum; Necessitas naturalis non stat cum libertate; quod probo, quia natura, & voluntas sunt principia actiua habentia oppositum modum principiandi ergo cum modo principiandi voluntatis non stat modus principiandi naturæ: sed voluntas liberè vult finem; ergo non potest necessitate naturali velle finem: nec per consequens aliquo modo necessario. *Ratio in oppositum.*

Assumptum, scilicet, quòd voluntas liberè velit finem, probatur; quia eadem est potentia, quæ vult finem, & illud, quod est ad finem; ergo habet eundem modum agendi: quia diuersi modi operandi arguunt diuersas potentias. Liberè autem operatur circa ea, quæ sunt ad finem: ergo, & circa finem.

Quòd autem sit eadem potentia amborum, patet, quia aliàs nulla esset potentia entis ad finem volens illud propter finem. Oportet enim illam esse vnam habentem actum circa vtrumque extremum: quia actus vtendi est per se vnus: ergo per se vnius potentiæ respicientis per se vtrumque extremum, sicut Philosophus arguit de cognitione sensus communis *in secundo de Anima.* *tract. c.* 146.

SCHOLIVM.

Pro explicatione notat quadrupliciter finem apprehendi posse. Primò, obscurè, & in communi. Secundò, obscurè, & in partiulari. Tertiò, clarè, & cum habitu supernaturali in voluntate. Quartò, clarè & sine tali habitu: ponit opinionem Henrici, & D. Thomæ asserentium voluntatem necessariò frui fine primo modo apprehenso, id est, in communi obscurè: & probatur triplici ratione, & auctoritate Augustini, sed fatetur hæc opinio non necessitari voluntatem ad finem secundo modo apprehensum.

ISta quæstio potest intelligi, vel de fine obscurè apprehenso in vniuersali, sicut concipimus beatitudinem in communi; vel de fine obscurè apprehenso in particulari, sicut concipimus beatitudinem in Deo trino; vel de fine clarè viso, vt in habente voluntatem supernaturaliter eleuatam, sicut in habente voluntatem perfectam per habitum supernaturalem in voluntate; vel quartò de fine clarè viso in non habente habitum supernaturalem in voluntate: & hoc posito, quòd Deus de potentia absoluta ostenderet se intellectui, non dando habitum aliquem supernaturalem voluntati. 2. *Opinio Henrici Quodl. 3. q. 17. & Quodl. 4. q. 11.*

Quantùm ad istos quatuor articulos dicitur primò, quantum ad primum; quia voluntas de necessitate fruitur vltimo fine sic apprehenso obscurè in vniuersali, quod triplici-

Tex. comm. 89. ter probatur. Primò per illud secundi Physic. *Sicut se habet principium in speculabilibus, sic finis in operabilibus* : sed intellectus de necessitate assentit principiis primis speculabilibus : ergo voluntas de necessitate assentit vltimo fini in operabilibus.

D. Thom. 1. 2. q. 10. art. 1. & 2. Secundò, hoc idem probatur, quia voluntas necessariò vult illud, cuius participatione vult, quidquid vult, sed participatione vltimi finis vult, quidquid vult : ergo, &c. *Vide Ægidiū Quodl. 5. q. 6.* Probatio minoris, quia nihil aliud vult, nisi inquantum est quoddam bonum : omne autem aliud bonum videtur esse quædam participatio vltimi finis, quod est summum bonum, vt videtur probari per August. 8. de Trinit. cap. 4. *D. Thom. 1. p. sum. q. 82. art. 1.* *Tolle bonum hoc, & illud*, &c. &, *vide ipsum bonum si potes. itaque Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni.*

Tertiò probatur idem sic : Voluntas non potest non velle aliquid, nisi in quo est aliquis defectus boni, vel aliqua ratio mali : in vltimo fine in vniuersali apprehenso non est aliquis defectus boni, nec aliqua ratio mali apprehenditur, igitur, &c.

Item August. 13. *de Trin. cap. 3.* dicit, quòd quidam Mimus dixit se scire de multis existentibus in Theatro quodam, quid omnes vellent, (hoc volens intelligere de beatitudine :) sed non omnes illi vellent beatitudinem, si contingenter eam vellent, ergo necessariò eam voluerunt.

3. Quantùm ad secundum articulum dicitur, quòd fine sic obscurè apprehenso in particulari, potest voluntas non frui. Hoc potest probari, quia potest frui aliquo, quod est incompossibile tali fini : sicut patet de peccante mortaliter.

SCHOLIVM.

Asserunt prædicti Doctores implicare voluntatem eleuatam per habitum supernaturalem, non frui fine clarè ostenso, sed hoc impossibile esse sine tali habitu.

QVantùm ad tertium articulum dicitur, quòd necessariò fruitur fine sic viso, propter rationem tertiam ad primum articulum adductam, quia nulla ratio mali inuenitur in eo : nullus etiam defectus boni in eo reperitur, & hoc si videat istum finem visione practica, quidquid sit de visione speculatiua.

Additur etiam huic, quòd est tanta necessitas in connexione istorum actuum intellectus, & voluntatis, respectu vltimi finis clarè ostensi, quòd Deus de potentia absoluta, non potest separare visionem à fruitione.

Quantùm ad quartum, dicitur, quòd impossibile est voluntatem charitate non eleuatam, frui fine etiam viso : quia *agere* præsupponit *esse*, ergo agere supernaturale, præsupponit esse supernaturale: voluntas autem illa non habet esse supernaturale, ergo non potest habere actum supernaturalem.

Item si sic ; tunc posset talis voluntas esse beata sine charitate. Consequens falsum, quia tunc charitas non erit necessaria ad beatitudinem voluntatis. Consequentia probatur, quia frui fine in particulari viso, videtur esse beatitudo, vel includere formaliter beatitudinem.

COMMENTARIVS.

QVantùm ad tertium articulum, qui est de fine clarè viso, dicunt quòd voluntas informata charitate, necessariò fruitur tali fine, quia ibi nulla est ratio alicuius mali, nec defectus boni, & homo, si videat illum finem visione practica, quæ scilicet sit directiua praxis in talem finem, quia isti volunt, præcipuè Diuus Thomas, quòd cognitio practica necessariò causet actum voluntatis. Vide quæ dixi *in 2. dist. 7. & 25.* vbi improbatur Diuus Thomas, præcipuè in distinct. 7. Et addunt, quòd est tanta necessitas, & connexio, scilicet visionis, & practicæ, & fruitionis, vt Deus de potentia absoluta non possit separare visionem à fruitione, sic vt stet visio practica Deitatis, & voluntas non fruatur.

Quantùm ad quartum articulum, qui erat de voluntate non eleuata per charitatem respectu vltimi finis clarè visi. Dicunt quòd impossibile est huiusmodi voluntatem frui fine, etiam viso, quia *agere* præsupponit *esse*, &c.

SCHOLIVM.

Refutat D. Thomam, & Henricum asserentes voluntatem necessitati ad vltimum finem in communi obscurè ostensum, auctoritate Augustini, & quadruplici ratione. Primò, quia voluntas potest auertere à consideratione finis. Secundò, sequeretur quòd necessariò amoueret inconsiderationem finis. Tertiò, quòd intensissimè amaret contra experientiam. Quartò, quia potentia per participationem libera, vt visus, non magis tendit in obiectum perfectum, quàm in aliud. Hîc est longa additio digna lectu, quia continet flores Philosophicos circa secundam, & quartam rationes.

Contra

Contra primum articulum arguo primò sic: *Imougnatio Henr.*

Augustinus 1.Retractationum, cap.9. & 22. *dicit, quòd nihil tam in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas*, quod non intelligitur nisi quantùm ad actum elicitum.

Si igitur actus voluntatis circa finem est in potestate voluntatis, mediante actu alicuius alterius potentiæ, multò fortiùs est in potestate voluntatis immediatè: sed in potestate voluntatis est velle, vel non velle finem mediante actu intellectus: ergo hoc est in potestate eius immediatè. Minor patet, quia in potestate voluntatis est auertere intellectum à consideratione finis, quo facto voluntas non volet finem, quia non potest habere actum circa ignotum. *Ponitur à Maurit. vt additio, sed est text. ex antiquis.*

Confirmatur ista ratio, & potest esse secunda ratio.

Quia quodcunque agens non impeditum, quod necessitatur ad agendum, de necessitate remouet omne prohibens actionem, si potest: ergo si voluntas non impedita necessitetur ex natura sua ad volendum vltimum finem, necessariò remouet omne prohibens illam volitionem, si potest remouere. Prohibens autem hanc volitionem est non consideratio finis, & hanc potest voluntas remouere faciendo intellectum stare in consideratione finis: ergo volendo finem necessariò faciet intellectum stare in consideratione finis. Maior patet, quia quod ex se necessitatum est ad agendum, nunquam prohibetur nisi per aliquid repugnans vincens virtutem eius actiuam: sicut patet de graui. Prohibetur enim à descensu propter aliquid repugnans vincens eius inclinationem, & pari necessitate remouet impedimentum prohibens si potest; quo amoto non impeditum descendit, quia ita necessariò remouet repugnans effectui, sicut ponit effectum, cui illud repugnat. 4.

Si tenendo conclusionem oppositam quis instet huic rationi, dicendo voluntatem non necessariò simpliciter frui fine, sed necessitate conditionata, scilicet si ostendatur: & maior dicatur esse vera de simpliciter necessariò agente. 5. ADDITIO prolixa, sed pulchra valde.

Respondeo. Ratio non soluitur, quia impedibilia non simpliciter necessariò agunt, sed tantùm necessitate conditionata, scilicet si non impediantur, & in illis est maior vera, & ideò in maiori non accipitur, quòd quidquid necessariò agit, necessariò remouet prohibens si potest, sed quidquid non impeditum necessariò agit, &c. Vbi specificatur in maiori de necessitate conditionata.

Si autem aliter instetur, quòd maior est vera de illis, quæ similem necessitatem habent respectu principaliter intenti, & respectu illorum quæ sunt necessaria ad illud, cuiusmodi sunt agentia merè naturalia, quæ in toto processu vsque ad vltimum intentum agunt merè necessitate naturali. Voluntas autem alio modo respicit finem, in quo bonitas omnis est, quia necessariò: & alio modo entia citra finem, in quibus est defectus boni: quia illa respicit contingenter.

Contra istam responsionem arguitur sic: Impossibile est aliquod extremum respicere aliud extremum quacunque necessitate, quin tanta necessitate respiciat quodcunque medium necessariò requisitum inter illa extrema: alioquin necessarium dependeret necessariò à non necessario: ergo qua necessitate voluntas tendit in finem, ea necessitate tendit in ostensionem finis, sine qua impossibile est ipsam tendere in finem. Voluntas quomodo respiciat finem?

Si tertiò instetur ad minorem, quòd non consideratio finis non propriè prohibet voluntatem à fruendo.

Vnde potest aliter argui, & concludi; quòd voluntas tenebit intellectũ in consideratione finis, sic: Quidquid necessariò quiescit in aliquo sibi præsente, necessariò tenet illud sibi præsens si potest: voluntas per te necessariò quiescit in fine sibi præsente: ergo necessariò tenet illum semel præsentatũ, vt sit semper sibi præsens. Probatio maioris inductiuè: Si graue necessariò quiescit in centro, necessariò se facit præsens centro si potest, & centrum sibi, & necessariò tenet illam præsentiam quantum potest. Istud apparet in appetitu sensitiuo, si necessariò scilicet quiescit in appetibili sibi præsente, necessariò quantum potest, tenet sensum in isto appetibili, vt sit sibi præsens ad delectandum. Probatur etiam maior ratione: quia quòd aliquid necessariò quiescat in aliquo sibi præsente, est propter conuenientiam perfectam huius ad illud, & propter eandem conuenientiam videtur necessariò appetere sibi coniungi quantum potest, hac autem coniunctio fit in præsentia huius ad illud.

Probatur aliter, quia quod necessariò quiescit in præsente, necessariò quantum est ex se, mouetur ad absens: saltem aptum natum est, licèt impediatur per aliquid, igitur sicut ex illa necessitate actualiter moueretur, si non impediretur: ita si est superius mouens, mouet quacunque inferiora, per quæ potest soluere impedimenta: tale mobile inferius voluntate est hic intellectus mobilis ad considerationem finis. 6.

Aliter respondetur ab aliis, & probabilius, dicẽdo, quòd maior prima rationis veritatẽ habet de agẽte necessario propriè impedito, cuiusmodi est agens, quod prohibetur agere propter aliud vincens eius virtutẽ actiuam; in proposito autẽ nõ sic est, sed est quoddã aliud agens, cuius actio-

necessariò est praua actioni voluntatis, & ideò illius actionis praua cessatio à considerando largè, dicitur impedire voluntatem à volendo: & loquendo de tali impedimento, negatur maior. Licèt enim agens præsupponens actioni suæ actionem alterius, possit illud alterum mouere ad agendum, & illo primo agente, ipsum necessariò agat necessitate conditionata, siue concomitantiæ; non tamen necessariò mouet illud prauium ad agendum: quia non simpliciter necessariò agit, sicut illud, quod dicitur propriè impeditum simpliciter necessariò ageret quantum est de se, sed istud tantùm de necessitate conditionata, scilicet posita actione agentis prauij, sicut patet in exemplo. Licèt enim posito actu potentiæ contingenter agentis, necessariò generetur habitus, necessitate concomitantiæ, tamen potentia contingenter agens non necessariò ponit actum.

7. Impugnatio responsionis. * aliàs præuia. *Contra istud arguitur sic: Necessitas agendi non inest nisi per aliquid intrinsecum principio actiuo principali: sed actio illa * prima non est aliquid intrinsecum actiuo principali, scilicet voluntati: ergo illa est necessitas agendi, & ita absoluta, & tunc reducitur ratio vt priùs. Si est simpliciter necessitas ad agendum, ergo ad faciendum illud, sine quo non potest agere, si tamen illud sit in potestate eius, sicut est hic: ergo, &c.*

Confirmatur istud sic: Si hoc non est necessitas actionis ad actionem: quia vna non est ratio actiua respectu alterius, ergo hac necessitas est propter inclinationem potentiæ ad actionem, ergo & ad media requisita erit necessariò inclinata, quia non est necessaria connexio inter extrema, nisi etiam sit necessaria connexio mediorum omnium necessariò requisitorum ad connexionem extremorum.

Respondetur ad ista argumenta, & ad argumentum principale sic: Hæc est necessitas conditionata, scilicet alio præsupposito, & conceditur quòd hæc necessitas est per intrinsecum principali agenti, & quòd hæc necessitas est ad media sicut extremorum inter se, sed totum est conditionatum, scilicet posita ostensione obiecti.

*Contrà: agens impedibile non simpliciter necessariò agit, sed conditionaliter, scilicet si non sit impeditum: & tamen necessariò remouet impedimentum, si potest: ergo ita est in proposito, & sic non valet responsio prima de proprio * impedimento: voluntas enim non est propriè impedita per non intelligere.*

* aliàs impedito.

Confirmatur ratio. Vbicunque est necessaria connexio extremorum, etiam est necessaria connexio omnium mediorum necessariò requisitorum ad vnionem extremorum, alioquin necessarium dependeret à contingente: sed si voluntas necessariò fruitur fine ostenso, erit necessaria connexio extremorum inter se, & ex natura ipsorum extremorum: igitur & omnium mediorum, sed vnum medium necessariò requisitum ad vnionem illorum extremorum est ostensio finis, igitur. Probatio minoris; si sit necessaria connexio voluntatis ad finem, est sicut principaliter agentis ad ipsum obiectum circa quod agit, sed virtus ad agendum non potest esse principali agente nisi per illud, quo formaliter agit: voluntas autem seipsa agit: ergo in ipsâmet est ipsa necessitas ad agendum circa obiectum. Patet ergo prima minor.

Probatur minor pro simili sic: Agens principale principaliter nullo necessariò agit nisi quo principaliter agit, alioquin illo necessariò ageret, quo impossibile est ipsum agere: non autem agit nisi illo, quod est sibi ratio formalis agendi.

Hæc confirmatio videtur excludere quandam responsionem principalem de necessitate simpliciter, & conditionata. Nam illa probat, quòd si voluntas etiam fine ostenso fruitur necessariò, quòd hoc est propter proprias rationes istorum extremorum, quæ ex se habent connexionem necessariam: ergo illa non dependet ab aliquo alio ab extremis, & ita est absoluta, et si extremorum inter se, & omnium, in suo ordine erit connexio necessaria.

Respondetur, quòd minor prima est falsa, nisi intelligatur de necessitate conditionata: hoc est, quòd supposita intellectione necessitas fruendi sequatur, quæ est necessitas secundùm quid, quia dependens ab illa ostensione, illa inquam est ex natura extremorum, quod est breuiter dicere: extremorum est necessaria connexio, si ostensio præcedat. Sed illa minor probatur de necessitate absoluta ex natura extremorum.

8. *Ideò ad probationem illius respondeo. Ad minorem dico, quòd in agente principali simpliciter necessariò agente nihil est, quo necessariò agit: nec etiam requisitum ad necessariò agere nisi tantùm illud, quo principaliter agit: quia in simpliciter necessariò agente tota ratio necessitatis est in ipso per illud secundum, quod est agens: sed in agente principaliter, necessariò secundùm quid, siue conditionaliter, non est illud sufficiens ratio necessariò agendi, quod est ratio agendi, sed requiritur aliud, à quo dependet ista necessitas, quia non est à sola ratione agentis. Negatur igitur minor secunda: quia non per illud solum quo agens principaliter agit per hoc est necessitas conditionata in agendo, sed illud cum alio præsupposito. Ad probationem secundæ minoris dico, quòd in hoc, quod est necessariò, duo includuntur; & respectu agere est dare vnum quo, scilicet rationem formalem agendi in principali agente,*

respectu

respectu autem necessitatis, non est illa sola ratio, sed cum hoc aliud præsuppositum.

Ad formam ergo dico, quòd non est concedendum, quòd aliquid sit quo necessariò agit: sed ad necessitatem illam requiritur, & illud quo agit, & illud aliud præsuppositum, quo non agit: sed quia in proposito, à quo dependet necessitas, ab eo dependet & actio, & quo agit eo agit aliquo modo agendi necessariò, vel contingenter.

Ideò ad probationem secundæ minoris aliter dici potest, quòd illud, quo est actiuum, non est illud, quo ipsum necessariò agit, nisi alio præsupposito, & tunc est, quo necessariò agit alio præsupposito.

Contra istam responsionem arguitur sic: In primo instanti naturæ est actio praua, in secundo est actio principalis agentis; quæro tunc in illo secundo instanti qualiter principale agens agit? Si contingenter, habet propositum: si necessariò, cùm tunc præcisè per propriam formam agat, & quia principaliter, & quia ipsum primum, nullo modo libero est ratio agendi: sequitur tunc, quòd forma sua sit tunc necessaria ratio agendi, sed hoc non est nisi ex determinatione formæ ad obiectum, & actionem in obiectum. Ergo extrema ex natura sua habent necessariam connexionem: igitur & ad media necessaria.

Item, nihil facit ad agere, illud, quod ponitur sub conditione, quia nec ab illo dependet agere, ergo nec ad necessariò agere, ergo si ista necessitas est ex ista conditione, erit æquè simpliciter.

Respondetur ad primum istorum, quòd in secundo signo naturæ principali agens agit necessariò non simpliciter: sed secundùm quid. scilicet alio præsupposito.

Contrà; quòd quando agit necessariò simpliciter, necessariò agit, quia contingenter, & necessariò determinat agere pro tunc quando causa agit. Generans enim necessariò generat, licèt præsupponat alterationem quantum est ex sua forma actiua. Et tunc vltra sic: Simpliciter necessariò quantum est ex sua forma determinatur ad omne medium necessarium, & in illud necessariò tendit quantum potest, & quando potest: necessariò ergo vult intellectionem esse sibi præsentialiter vt obiectum cognitum.

Item, omne agens necessariò de necessitate agit secundùm vltimum suæ potentiæ, quia sicut non est in potestate eius actio, ita nec intensio eius: ergo nec modus agendi, scilicet intensè, vel non intensè agere: ergo voluntas de necessitate volet finem intensissimè, & quantum potest: cuius oppositum experimur. 9.

Item potentia libera per participationem non magis tendit in obiectum perfectum, quàm in aliud obiectum; ergo nec potentia libera per essentiam, non autem est differentia inter finem volitum, & alia volita; nisi ex parte perfectionis obiecti. Antecedens patet, quia visus, qui est potentia libera per participationem, quatenus actus eius subest imperio voluntatis, non necessariò magis videt pulcherrimum, quàm minùs pulchrum: quod probo, quia ab vtroque æqualiter auertitur, & vtrumque æquè contingenter videt.

Ad istam rationem respondetur: quòd maior est vera de potentia cognitiua libera per participationem, quia talis non magis tendit in obiectum perfectum, quàm in aliud; sed non est vera de appetitiua tendente in obiectum apprehensum à sua cognitiua. Magis enim necessariò pulcherrimum visum delectat appetitum visiuum, quàm minùs pulchrum, & si ille appetitus aliquo actu elicito posset se in illud visum ferre, magis necessariò ferretur, quàm in minùs pulchrum visum. ADDITIO.

Item ad principale. Quæcunque potentia circa obiectum perfectissimum præsentatum, quod si circa illud necessariò operatur, necessariò circa idem continuat operationem quantum potest, cuius contrarium experimur: quia voluntas auertit intellectum à consideratione finis vltimi sicut aliorum. Maior probatur, & primò sic: Eadem est ratio operandi, & necessariò continuandi operationem, si simpliciter, simpliciter, si quando potest, quando potest.

Secundò sic: In appetitu sensitiuo hoc videmus, & in intellectu, in voluntate autem videtur verissima, quia ipsa non cessat ex se agere circa aliquod obiectum, nisi vertendo se ad aliud, vel perfectius, vel magis conueniens, vel ad quod magis determinatur, vel inclinatur, quod impedit illam operari simul circa aliud; sed finis est omnium perfectissimum, & conuenientissimum ad ipsum solum necessitatur, ad ipsum solum inclinatur, & in ipso maximè delectatur, & volitio eius stat cum volitione cuiuscunque alterius: ergo, &c.

Item, quidquid necessariò agit, posita aliqua actione praua, necessariò determinat se ad illam si potest; sed voluntas posita actione intellectus praua circa vltimum finem necessariò tendit in illum: ergo necessariò determinat intellectum ad eius apprehensionem. Vis huius rationis est, quia eadem est necessitas ad medium, & ad extremum. 10.

Quidquid non impeditum necessariò agit, necessariò tollit impedimentum.

Quidquid necessariò agit posita aliqua praua actione, necessariò determinat se ad illam prauiam si potest.

Est tanquã epilogus. *Agens principale quocunque posito in secundario necessariò agens ex principio actiuo principali, necessitatur.*

Quidquid circa obiectum præsens necessariò agit, necessariò determinat se ad eius præsentiam si potest.

Si potentia principaliter necessariò operatur circa obiectum præsens, in ipsa potentia est ratio, quantum est ex se, si potest, vel quandocunque potest necessariò agendi circa illud.

Quicunque appetitus necessariò tendit in obiectum cognitum necessariò se determinat ad cognitionem eius si potest.

Quicunque appetitus in solum obiectum summum, & perfectissimum apprehensum necessariò tendit, necessariò determinat se ad eius apprehensionem, si potest.

Quæcunque potentia circa obiectum perfectissimum sibi præsentatum, & non circa aliud necessariò operatur, necessariò circa idem continuat operationem quantum potest.

Quæcunque potentia circa obiectum præsens necessariò quiescit, ad illud absens necessariò mouetur quantum est de se. Causa enim communis est.

Si extremi est simpliciter necessitas, vel quantum est de se, ad extremum, similis erit eius necessitas ad quodcunque medium simpliciter necessarium.

Pro conclusione primi articuli, dicitur ad rationem, quæ est de necessariò continuando velle quantum potest voluntas. Conceditur conclusio, & dicitur, quòd nunquam cessat nisi intellectus, saltem priùs natura, cessat considerare finem.

Et si arguat, quòd voluntas continuabit necessariò, vel continuabit illud quantum potest imperando. Dicitur, quòd nõ sequitur, quia nõ necessariò vult illam intellectionẽ, sicut vult finem.

11. Quomodo voluntas auertit intellectum à consideratione finis? *Et ideò potest aliter argui, quòd saltem voluntas nunquam auertet intellectum ab hac intellectione, vel consideratione, quia voluntas necessariò continuans, & ex se etiam in illud tendens non destruit illud imperando, à quo dependet. Dicitur, quòd dum stat consideratio finis, stat eius velle, sed cùm offertur aliud confusè, eius consideratio imperatur à voluntate: & sic indirectè auertit intellectum à consideratione finis, & pro tunc, pro quo auertitur, cessat priùs natura, consideratio, & posteriùs natura volitio. Contra primam responsionem, quæ est necessitas extremi ad extremum, eadem est ad medium.*

Ad hoc dicitur, vt suprà, quòd non est similis habitudo voluntatis ad intellectum, qualis est ad finem.

Contra secundam responsionem arguitur; quia nihil aliud est perfectius, nec ad quod est æquè, vel magis necessariò inclinetur, quàm ad istud, & etiam tunc vltima volitio perfectior, & necessaria, & perfectioris, & conuenientioris obiecti magis impedit volitionem obiecti minùs talis, quàm è conuerso.

Item, si obiectum est necessariò volitum, ergo eius velle est determinatiùs volendum, quàm quodcunque aliud velle: igitur, & eius intelligere. Vtraque consequentia probatur: quia voluntas vult velle propter obiectum, & intelligere propter velle.

Item ad quod obiectum voluntas est pronior, ad eius intelligere magis impellit. Ideò dicitur, quòd voluntas nunquam auertit intellectum: sed tantùm phantasma occurrens, quod non est in potestate voluntatis, & ideo dicitur, quod benè voluntas continuat quantum potest, sed non potest quando occurrit aliud phantasma, quod non subest sibi, nec eius motio.

Confirmatur Intellectus separatus semper stabit in consideratione finis vltimi, & volitione, licèt sit quandoque alterius, quia benè stant simul Contrà. Experimur, quòd ita liberè voluntas auertit intellectum à consideratione finis ad aliud obiectum sicut de aliis obiectis.

12. *Item, cùm vltimus finis sit obiectum maximè motiuum, & perfectiuum intellectus, semper staret in consideratione eius: si ergo non stet hoc, videtur propter imperiũ voluntatis auertentis Dicitur, & benè in hoc, quòd si finis esset obiectum in se mouens, vel etiam in propria specie, quod verum est: quia maximè moueret, nunc autem secundùm aliquos, mouet tantùm in alio, quod magis natum est mouere ad se in se, quàm ad alterum. Vel secundùm te multa phantasmata simul mouent ad conceptum descriptionis eius ex communibus, ideo minùs mouet, quàm alia obiecta, propter duo. Primum, quia difficile est stare in consideratione vniuersalis transcendentis; phantasma enim mouet magis ad speciem specialissimam, ideo dicit Aug 8. de Trin.* Cap. 2. vol. 3. cùm cœperis cogitare quid veritas, statim obiicient se phantasmata. *Secundum est, quia difficilius est simul vti illis multis ad descriptionem, quàm singulis separatim.*

Contra istam responsionem arguitur, quia saltem intellectus separatus semper consideraret; similiter ista responsio non valet secundùm Henric. qui ponit, quòd possumus habere proprium conceptum de Deo.

Item

Item, pro conclusione negatiua primi articuli arguitur sic: Damnatus apprehendit finem vltimum, si necessariò velit eum: aut igitur amore amicitiæ, aut concupiscentiæ: non secundo modo, quia apprehendit eum, vt impossibile sibi, nec primo modo, quia fruitio est summè recta.

Item, si diligere necessariò ponitur posita intellectione practica, & tamen est ibi in summa ratio recta, & meriti de congruo: quia omnis alius actus voluntatis est acceptabilis, sicut & laudabilis, non nisi virtute eius: igitur cum merito quocunque staret, quòd voluntas necessariò sequeretur intellectionem practicam, quod est contra Anselmum de conceptu virg. cap. 4.

Item, in necessitate ad agendum ex se, & sine quocunque potest agere, non potest inesse aliquis habitus: sic enim posset inesse lapidi, qui non simpliciter necessitatur ad descendere, sed quantum est ex se: ergo in voluntate respectu finis nullus potest esse habitus, nec acquisitus, nec etiam supernaturalis.

Confirmatur de acquisito; quia ille non generaretur ex actu, sed tunc quando agit est necessitata ad agendum in sensu diuisionis.

Conceditur conclusio de habitu acquisito, sed hoc non concordat cum Philosopho: quia sapientia est habitus supremus. Probatur etiam de habitu supernaturali, quia ad quem actum necessitatur, respectu eius non est capax alicuius habitus. Dicitur, quòd non necessitatur nunc ad dilectionem finis in particulari, nec etiam clarè visi in patria, nisi prius eleuetur: primum improbatur in secundo articulo, secundum in tertio.

Contra rationem positam instatur, quia si ratio valeret, non poneretur habitus in intellectu.

Dico, quòd non debet poni habitus inclinans, sed benè requiritur habitus ostendens, qui habitus non potest poni in voluntate, nisi vt tantùm inclinans, ideò ratio bona est de voluntate, non de intellectu. Teneo igitur, quòd potest voluntas non velle finem vltimum quocunque modo apprehensum obscurè, siue clarè: in vniuersali, siue in particulari.

COMMENTARIVS.

1\. *Vide Fräc. de May. in 1. d. 5. quomodo voluntas sit libera, & non libera.*

a CONTRA *primum articulum arguo sic.* Hîc Doctor intendit probare, quòd voluntas potest frui, & non frui vltimo fine in vniuersali obscurè viso: & ratio stat in hoc, quòd si est in potestate voluntatis frui vltimo fine, & non frui illo, mediante aliquo, quod est in potestate illius: sequitur quòd erit in potestate illius immediatè frui tali fine, vel non frui: & hoc patet, quia si immediatè non est in potestate eius, sequeretur, quòd posset necessitari ad fruendum mediante illo, quod est in potestate illius. Sed voluntas mediante actu intellectus potest frui vltimo fine, puta imperando intellectionem vltimi finis, vel firmando intellectum in tali cognitione, vt patet. Et similiter est in potestate illius non frui, mediante illo, quod est in potestate eius: quia potest auertere intellectũ à cognitione vltimi finis, & per consequens non frui eo: ergo sequitur, quòd ostenso vltimo fine in vniuersali, & obscurè, est in potestate voluntatis frui, & non frui.

Secundò probat idem ibi: *Confirmatur ista ratio*, & confirmatio stat in hoc, quòd volens de necessitate finem, necessariò remouet omne prohibens, si potest: sed prohibens volitionem finis, est non consideratio finis: quia voluntas non fertur, nisi in præcognitum: cùm ergo voluntas possit remouere huiusmodi non considerationem, sequitur, quòd de necessitate remouebit. Et sic de necessitate faciet intellectum semper stare in consideratione finis: cuius oppositum sæpè experimur.

2\. Contra conclusionem, & rationes Doctoris arguit Occham *distinct. 1. quæst. 6.* & Alphonsus Toletanus *in 1. distinct. 1.* & Capreolus: & quidam noui expositores Sancti Thomæ, & multi alij: & quia rationes eorum, & responsiones quodammodo in idem incidunt: pro nunc adduco rationes Occham, qui sic dicit: Quamuis conclusiones Doctoris (vt credo) sint tenendæ, tamen rationes eius non videntur probare sufficienter; ideò arguo contra eas. Et primò contra rationem factam in principio quæstionis ibi: *Ad oppositum, necessitas naturalis non stat cum libertate*, quæ ratio satis clara est: cùm ergo voluntas velit finem contingenter, sequitur, quòd nullo modo necessariò. Quòd autem velit contingenter probat sic: Ea, quæ sunt ad finem, vult contingenter, ergo & finem: quia eadem potentia non potest velle liberè aliquid, & aliud necessariò: quia necessitas naturalis non stat cum libertate in eadem potentia; ergo volens finem de necessitate esset alia potentia, à volente contingenter ordinata ad finem. Et sic nulla est potentia, quæ posset velle aliquid propter finem: patet, quia velle propter finem præsupponit volitionem ipsius finis.

Contra hanc rationem arguit Occham, & principaliter contra hoc, quòd necessitas naturalis agendi non stat cum libertate: & dicit ipse, quòd eadem res omnino indistincta ex parte rei, potest agere de necessitate, & liberè, & contingenter. Et patet primò de voluntate diuina, quæ de necessitate vult essentiam diuinam, & creaturas vult merè contingenter.

Sed breuitatis causa sigillatim respondebo ad rationes ipsius. Et dico primò, quòd non est simile de voluntate diuina, & creata, & priùs declaro aliqua. Primò, quòd voluntas diuina est de necessitate absoluta rectissima, vt patet. Secundò, quòd essentia diuina, ex quo est formaliter infinita, est diligibilis, etiam amore infinito. Tertiò, quòd si voluntas diuina posset deficere ab vno gradu rectitudinis, posset non esse Deus, quod est impossibile. Ex his sequitur, quòd ex quo voluntas diuina est infinita, ergo tenetur diligere essentiam diuinam amore infinito: quia sic est diligibilis à tali voluntate. Si ergo voluntas diuina posset non diligere, posset deficere à rectitudine, quam tenetur habere: quòd ergo diligat essentiam *Voluntas diuina est de necessitate absoluta.*

tiam

tiam de necessitate, hoc non est ex ratione voluntatis, vt voluntas: sed ex hoc, quòd ipsa est formaliter infinita, & respicit obiectum formaliter infinitum. Et hæc est ratio, quam facit Doctor infrà *dist.* 10. Et quòd eadem voluntas velit creaturas contingenter ex hoc est: quia creaturæ sunt formaliter finitæ, & nullo modo tenetur illas diligere: vt dicit Doctor infrà *dist.* 10. *&* 41. *& alibi sæpè.* Non est ergo simile de voluntate creata: quia cùm non sit infinita, non habet necessariò omnem perfectionem, quam potest habere: similiter omnem rectitudinem, & quamuis teneatur diligere Deum, si tamen non diligit, licèt deficiat à rectitudine, quam tenetur habere: non tamen deficit à suo *esse* quiditatiuo, sicut voluntas diuina deficeret, vt exposui suprà.

4. Secundò principaliter dico, quòd non est simile: quia essentia diuina, vt cognita ab intellectu diuino de necessitate absoluta suo modo causat amorem sui in voluntate diuina, licèt partialiter: sed tamen fortè principaliter, vt possit elici à Doctore infrà *dist.* 2. 6. 7. *& in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *& in Quodlib.* & ex alia parte ipsa voluntas tenetur de necessitate habere omnem rectitudinem, quam potest habere, & de facto habet illam: quòd ergo diligat de necessitate, non est simpliciter ex ratione voluntatis, vt voluntas: sed quia tenetur habere omnem rectitudinem, quam potest habere, vt dixi suprà, & vltrà, quòd essentia diuina de necessitate absoluta, mouet eam ad sui amorem. Sed vt comparatur ad creaturas, merè contingenter diligit illas: quia nulla creatura, quantumcunque perfecta, potest de se mouere ad sui amorem: vt probat Doctor infra *dist.* 41. Sed in proposito vltimus finis, quamuis sit obiectum diligibile super omnia: non tamen immediatè mouet aliquam voluntatem ad sui amorem, quia tunc de necessitate moueret: sed voluntas vltimi finis est illa, quæ mouet: & si mouet, contingenter mouet. Multæ aliæ rationes possent addi, quas nunc transeo.

Idem Occhã ubi suprà. Secundò arguit ad idem probandum, quòd idem, omnino indistinctum, potest de necessitate agere, & liberè: quia voluntas secundùm Scotum vult liberè, & intellectus necessariò causat intellectionem: & tamen intellectus, & voluntas, secundùm ipsum Occham, sunt penitus indistincta, ex parte rei, vt asserit se velle probare infrà: ergo idem omnino, ex parte rei potest agere per modum naturæ, & per modum libertatis.

Responsio. Dico, quòd intellectus, & voluntas non tantùm distinguuntur ex natura rei ad inuicem; sed etiam formaliter: licèt non realiter: vt patet à Doctore *in* 2. *distinct.* 16. & potest elici ex multis dictis eius, vt *in* 1. *distinct.* 2. 3. 6. 7. 17. 39. 42. *& alibi.*

5. *Idem Occhã.* Tertiò arguit probando, quòd non tantùm idem potest esse causa diuersorum specie, vnius per modum naturæ, & alterius per modum voluntatis: sed etiam potest esse causa plurium, solùm numero differentium: vnius scilicet per modum naturæ, & alterius per modum contingentiæ. Et probat ex dictis Doctoris, qui vult, quòd voluntas creata causat contingenter volitionem, quam ipsa recipit, & in voluntate alterius causat volitionem suimet de necessitate, & per modum naturæ: patet, quia vult *in* 2. *dist.* 25. quòd obiectum est causa partialis, non tantùm actus intelligendi, sed etiam actus ipsius volendi. *Ponitur casus.* Pono ergo casum, quòd voluntas sit præsens alicui intellectui, in ratione obiecti: certum est, quòd ipsa erit causa partialis intellectionis suæ: vt potest elici à Doctore *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. *& in* 2. *dist.* 3. *&* 25. Et sic cognita potest esse præsens voluntati alterius: & sic partialiter causabit dilectionem sui in illa voluntate. Et non est dicendum, quòd liberè: quia obiectum, vt obiectum, non videtur concurrere liberè ad aliquem actum: ergo per modum naturæ. Nam si causaret illam volitionem contingenter: tunc illa volitio esset in potestate sua, & per consequens esset in potestate sua non diligi ab illa voluntate, secundùm suum libitum, quod est falsum.

Respondeo, & dico primò, quòd non habetur expressè à Doct. quòd obiectum sit causa partialis volitionis: nec etiam, quòd intellectio actualis sit causa partialis eiusdem. Nam *in* 2. *dist.* 25. vbi diffusè pertractat istam materiam, tandem dicit, quòd si obiectum concurrit ad volitionem, quòd tantùm partialiter concurrit. *Responsio.*

Secundò dico, quòd quando Doctor loquitur de obiecto respectu volitionis: fortè loquitur de intellectione illius obiecti: quòd talis intellectio actualis est partialis causa. Sed quicquid sit saltem, vt dicit Occham, ipsa voluntas, vt in se præsens intellectui, erit causa partialis intellectionis suæ, & non nisi necessariò: & erit causa libera volitionis: ergo idem indistinctum ex parte rei potest agere, per modum naturæ, & per modum libertatis. Dico, quòd si loquamur de cognitione abstractiua: ipsa voluntas non est causa talis cognitionis: sed aliqua species intelligibilis: vt patet à Doctore infrà *dist.* 3. *quæst.* 6. *&* 7: *& dist.* 17. *& in* 2. *dist.* 3. 6. *Obiectum est causa partialis volitionis.*

Si dicatur, quòd saltem ipsa voluntas erit causa partialis speciei intelligibilis, & non nisi naturalis, & hoc, vt comparatur intellectui separato: quia vult Doctor *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 11. quòd obiectum respectu intellectus separati, potest esse causa partialis immediata speciei intelligibilis. Dico, quòd non semper species intelligibilis alicuius obiecti, causatur à tali obiecto; sed aliquando causatur ab alio continente illud, vel virtualiter, vel essentialiter, vel saltem per identitatem realem: vt patet à Doctore ex intentione dist. 3. primi. Et sic in proposito talis species intelligibilis esset immediatè causata ab anima intellectiua, continente potentias suo modo virtualiter, & per realem identitatem; vt patet à Doctore *in* 2. *dist.* 16. Vtrùm modò sit tamen vna species animæ, & intellectus, & voluntatis? an plures? non est præsentis speculationis; quia hoc non facit ad principale intentum. Si verò loquamur de cognitione intuitiua. Dico breuiter, quòd talis cognitio non potest immediatè causari à voluntate, vt voluntas: sed immediatè causatur ab anima intellectiua: quia ex quo cognitio intuitiua immediatè causatur, saltem partialiter ab obiecto, vt existente, & præsente; sequitur, quòd cùm anima dicat totam existentiam ipsius voluntatis, quòd ipsa immediatè causabit talem cognitionem.

Si adhuc quæratur: si voluntas esset realiter distincta ab anima: ergo posset immediatè causare cognitionem intuitiuam: quia tunc haberet propriam existentiam: ergo saltem secundùm rationem, licèt sit idem realiter cum anima, poterit causare. Patet consequentia per vnam propositionem Doctoris quæst. 1. & 4. Quodl. videlicet: 7.

Qualis

Qualis est ordo inter aliqua, si essent distincta realiter, talis est vbi solùm ratione distinguuntur.

Volütas potest considerari duobus modis. Respondeo, quòd posito tali casu, licèt hoc sit impossibile, ipsa voluntas potest dupliciter considerari. Vno modo, vt est potentia libera, & indiuiduum potentiæ liberæ. Alio vt est indiuiduum entis, vel indiuiduum substãtiæ: isto secundo modo causaret cognitionem sui, non primo.

Dico vltimò pro omnibus istis, quòd adhuc non est probatum euidenter, quòd ipsa voluntas, vt est obiectum intellectus, vel alterius voluntatis agat de necessitate. Possumus enim dicere, & faciliter persuadere, quòd ipsa voluntas, respectu cuiuscunque actionis propriæ, siue receptæ in se, siue in alio, quòd tantùm habet vnum modum agendi, scilicet liberè.

Solutio de libertate volütatis contra Occham. Et quando dicit Occham, quòd si est in potestate voluntatis meæ causare amorem in alia voluntate; tunc esset in potestate mea posse diligi ad libitum, & non diligi. Dico, quòd hoc concluderet si voluntas mea esset causa totalis; cuius oppositum tenet Doctor, & etiam ipse Occham. Posito enim quòd voluntas mea, vt cognita, sit perfectè præsens alij voluntati, & quòd velit causare dilectionem in alia voluntate, tamen si alia voluntas non causat partialiter, nunquam sequitur talis dilectio. Et non est mirum, quòd eadem voluntas, & vt voluntas, & vt obiectum liberè agat: quia & voluntas diuina, & vt voluntas, & vt obiectum, siue quomodocunque comparetur intellectui creato, vel voluntati creatæ, semper liberè, & contingenter agit. Potest etiam dici, quòd posito, quòd voluntas sit totalis causa sui actus; & quòd causaret, vt totalis causa actum amoris in alia voluntate, ita quòd illa alia voluntas se tantum habeat in potentia passiua, siue receptiua, adhuc nullum videtur sequi inconueniens. Et cùm dicitur, quòd tunc esset in potestate voluntatis talis diligi, & non diligi ab illa alia voluntate. *Diligi, & non diligi potest dupliciter intelligi.* Dico, quòd diligi, & non diligi ab illa alia, potest dupliciter intelligi. Primò, quòd illa alia diligat formaliter actum, receptum à voluntate illa, & non diligat formaliter: quia non habet ab illa actum receptum: & hoc modo nullum est inconueniens. Secundò, quòd sit in potestate voluntatis, causantis actum diligi liberè ab illa alia voluntate: ita quòd illa dicatur liberè diligere: & quòd faciat illam elicere actum, quo liberè diligat, & hoc esset inconueniens. De hac tamen materia vide quæ diffusè exposui *in 2.d.9.* de locutione Angelorum; vbi multa singularia notaui.

8 *Guill. Occham nunc ad Doct. argumẽta respondet.* Nunc Occham respondet ad argumenta Doctoris, & primò negat illam propositionem, quòd si voluntas potest velle aliquid contingenter, mediante actu suo, hoc idem potest immediatè. Et dicit, quòd si voluntas vult aliquod antecedens, de necessitate vult consequens, scitum esse consequens, ita quòd stante volitione antecedentis, licèt contingenter eliciatur, necessariò stabit volitio consequentis: licèt ergo habeat in potestate sua velle consequens, mediante volitione antecedentis, nõ tamen sequitur quòd possit velle illud contingenter immediatè, & hoc stante volitione antecedentis. Sic ad propositũ quamuis sit in potestate voluntatis velle finem vltimum, mediante actu suo; puta mediante cognitione finis: tamen stante tali cognitione de necessitate vult finem: sicut est in potestate voluntatis velle potionem amaram, & non velle, mediante volitione efficaci sanitatis, vel volitione: tamen stante volitione sanitatis, de necessitate vult ipsam potionem amaram. Dico breuiter, quòd hæc non sunt ad propositum, quia in volitione alicuius finis efficaci virtualitèr includitur volitio eorum, quæ sunt ad finem: & similiter in volitione alicuius antecedentis virtualiter includitur volitio consequentis, si scitur esse consequens: & præcipuè, si vult efficaciter antecedens. *Destructio responsionum Guill. Occhã.* Nec est simpliciter verum, quòd volens antecedens, necessariò velit consequens: etiam fortè posito, quòd consequens sit de intellectu antecedentis: & non loquor de volitione efficaci: & de hoc vide Doctorem *in 2. distinct. 6. quæst. 2. in responsione ad vltimum argumentum principale.* Sed in cognitione alicuius obiecti non includitur virtualiter volitio eiusdem, aliter voluntas de necessitate vellet omne obiectum sibi præsens, in ratione obiecti. Quando ergo Doctor dicit: si aliqua voluntas potest velle aliquid, mediante actu suo, potest etiam illud velle, immediatè. Hoc debet intelligi, nisi talis volitio virtualiter, & de necessitate includatur in tali actu. Dico secundò quòd Doctor loquitur absolutè de necessitate: quia isti dicunt quòd fine sic apprehenso, de necessitate voluntas fruitur illo: ita quòd sit sibi simpliciter impossibile non frui illo: si sic, tunc sequeretur, quòd voluntas de necessitate firmaret intellectum in cognitione talis finis: ita quòd non esset in facultate eius quouis modo auertere intellectum à tali consideratione; vt ipse declarat in confirmatione sequenti: & sic talis actus intellectus non esset plenè in potestate voluntatis. Stat ergo ratio Doctoris quòd si voluntas potest mediante actu suo, &c.

Rationes Occhã nihil valent contra Scotum. Et ex his patent sequentia Occham parum valere contra rationem Doctoris. Omitto nunc quasdam rationes factas ab Alfonso, Toletano in 1. distinct. 1. contra hoc quod dicit Doctor de fruitione beatorum: quæ licèt faciliter solui possint: quia tamen magis pertinent ad materiam de beatitudine, ideò Deo duce soluentur ibi:

SCHOLIVM.

Conuenit cum dictis Doctoribus in secundo articulo, id est, quòd finis in particulari ostensus obscurè, non necessitat; sed ostendit rationes quibus probant finem in communi necessitare, idem efficacius probare de fine in particulari.

Contra secundum articulum, quem concedo esse verum: sed videtur quòd rationes primi articuli destruant secundum articulum. Nam illa ratio de fine, quòd in fine vltimo non est defectus aliquis boni, nec aliqua malitia; videtur æquè efficaciter concludere de fine in particulari apprehenso, sicut de fine in vniuersali apprehenso, vel efficaciùs: quia in fine vltimo in particulari apprehenditur tota ratio finis in vniuersali, 13. *Ostendit 2. conclus. contradicere primæ.*

&

& ita nullus defectus boni, nulla etiam malitia: imò videtur quòd in solo illo ostenditur posse esse perfectio finis in vniuersali.

Similiter illa ratio secunda pro primo membro de participatione plus concludit de fine in particulari apprehenso. Nam bona creata etsi sint bona per participationem, veriùs sunt bona per participationem vltimis finis in particulari, quàm per participationem eius in vniuersali, non enim participant illum in vniuersali, nisi quia participant ipsum in particulari, cùm participans habeat participatum pro causa, vel mensura, à qua dependet essentialiter, & dependentia entitatis realis non est nisi ad ens reale, & ita ad aliquod singulare.

COMMENTARIVS.

Contra secundum articulum arguit per rationem eorum, quia si voluntas necessariò fruitur fine in vniuersali apprehenso obscurè, multò magis fruitur fine in particulari obscurè viso, cùm ibi tota ratio finis in vniuersali includatur, imò magis: ergo tertia ratio magis probat de fine particulari.

Similiter secunda ratio magis probat de fine particulari, quia creaturam esse participantem dicit dependentiam essentialem, quæ non est, nisi ad ens particulare: participans non habet participatum pro causa, vel pro mensura, à qua essentialiter dependet; *dependentia enim entitatis realis non est, nisi ad ens reale, & ita ad singulare*; & loquitur hîc de dependentia, quæ fundatur in ente reali, actu existente, quia talis non est nisi ad ens reale, actu existens. Quod dico, quia in genere animalis, species realiter mensurantur à perfecta specie illius generis, & sic essentialiter dependent ad mensuram, non tamen verè realiter.

SCHOLIVM.

Impugnat eosdem Doctores, quatenus asserunt finem clarè visum necessitare voluntatem. Primò, quia per visionem voluntas intrinsecè non mutatur. Secundò, non obstante visione, manet idem obiectum voluntatis, quod antea habuit. Improbat etiam quod dicunt, implicare, visionem separari ab amore, quia sunt duo absoluta.

Contra tertium articulum, quando principium elicitiuum non necessariò elicit, habens principium illud non necessariò agit; sed principium elicitiuum eodem modo se habens, quod priùs eliciebat contingenter actum, modò non elicit necessariò: ergo nec agens habens illud principium necessariò aget. Voluntas autem habens eandem charitatem priùs quam modò habet, priùs contingenter eliciebat illum actum fruendi: modò ergo non necessariò elicit actum illum, cùm nulla sit facta mutatio ex parte eius. Hoc patet in raptu Pauli, si priùs habuit eandem, vel æqualem charitatem cum ea, quam habuit in raptu illo, nulla esset mutatio ex parte voluntatis, nec principij elicitiui. Nulla ergo necessitas eliciendi tunc magis, quàm nunc; nec per consequens necessitas agendi cùm saltem potuerit esse æqualis charitas ante raptum, & in raptu.

Exemplum de raptu D. Pauli.

Item, saltem potuit esse æqualis charitas ante raptum, & in raptu: ergo æqualis libertas.

ADDITIO.

Negatiua istius articuli tertij potest sic confirmari. Necessitas agendi non potest esse nisi per aliquod intrinsecum principio actiuo, per hoc autem quòd intellectus nunc videt obiectum, nihil nouum est intrinsecum principio actiuo in fruitione: ergo nec noua necessitas agendi. Maior probatur. Alioquin necessitas agendi non esset per rationem principij actiui, & ita per nihil, vel per extrinsecum; & si per extrinsecum, per illud esset agere; quia per quod est necessitas agendi, per illud est agere. Minor patet: quia visio (secundùm eum) nullam habet rationem principij actiui respectu fruitionis, nec intellectus, nec aliquid in intellectu.

Secundarium non dat necessitatẽ principali.

Si etiam (secundùm aliam viam) visio habet aliquam rationem principij actiui: non tamen principalis, sed secundarij, & tunc accipiatur maior sic: Necessitas agendi non est nisi per aliquid intrinsecum principio actiuo principali. Nam secundarium non dat necessitatem principali, sicut nec determinat ipsum ad agendum: sed è conuerso principale agens ex se secundùm modum sui vtitur secundario: ita quòd si nihil in principali excludat contingentiam, tota actio erit contingens. Minor est plana, quia per visionem nihil est intrinsecum principali actiuo: ergo, &c.

Item, à priori sic: Omnis potentia vna sicut habet vnum primum obiectum, sic vnum modum respectu primi obiecti: ergo eundem respectu cuiuslibet, in quo per se includitur eius primum obiectum.

Dicitur ad illud, quòd voluntas habet aliquẽ modum vnum, qui est per se, sed modi posteriores sunt

sunt varij, qui conueniunt potentiæ in agendo respectu specialium obiectorum, tales sunt necessariò, & contingenter, sed per se modus est liberè.

Contrà Naturaliter, *&* contingenter *non inferunt* liberè, *sicut inferiora suum superius: ergo non sunt modi speciales contenti sub primo modo, qui est* liberè. *Dicitur quòd sicut comparantur ad voluntatem: licèt simpliciter loquendo se habeant* necessariò, *&* liberè *sicut excedentia, & excessa.*

Item, aut finis mouet ad actum istum, aut potentia mouet. Si finis, patet, quòd non est necessitas, quia ille finis ad nullum actum creatum necessariò mouet. Si voluntas, & illa non habet differentiam ex parte obiecti, nisi approximationem maiorem, vel minorem; tunc arguo sic: Diuersa approximatio passi ad agens, non causat necessitatem, sed intensiorem actionem, sicut patet de calido respectu calefactibilium plus, & minùs approximatorum. Diuersa autem præsentia obiecti cogniti, puta visi, & non visi, non videtur esse nisi quædam approximatio diuersa eius circa quod debet esse actus voluntatis ad voluntatem: ergo istud non diuersificat necessitatem, & non necessitatem, sed tantùm facit intensiorem & minùs intensum actum. 14. *Ratio Scoti 1. cõtra art. 3.*

Item, quod dicit in isto articulo, quòd impossibile est omnino actum visionis esse sine fruitione in tali agente. Hoc non videtur verum, quia quæcunque naturæ distinctæ absolutæ, sic se habent, quòd prior essentialiter non dependet à posteriori; tale potest esse sine posteriori absque contradictione. Actus autem isti, scilicet *visio*, & *fruitio*, sunt duæ naturæ absolutæ: ergo sine contradictione visio, quia est prior naturaliter, potest esse sine fruitione, quæ est posterior. *Impugnat conclus. 4. Henric. Euasio. Henric. quodlib. 12. q. 5.*

Respondetur, quòd maior est vera de illis absolutis, quorum neutrum dependet ab altero, nec ambo à tertio. In proposito autem ambo dependent à tertio vt ab obiecto causante, & mouente. *Reprobatio euasionis.*

Contrà, si non dependent à tertio necessariò causante ambo, nec etiam necessariò causante vtrumque, vel vnum, licèt causet alterum, adhuc maior erit vera, quia sine contradictione poterit esse prior sine posteriore.

Ista autem non dependent à tertio necessariò simpliciter causante ambo: patet; nec necessariò causante posterius si causet prius.

Quia quidquid absolutum potest non necessariò causare immediatè, potest non necessariò causare per causam mediam etiam causatam, quia illa causa media causata, non necessitat ipsum ad causandum effectum illius causæ mediæ absolutum, vt patet de Sole: igitur si non causat immediatè necessariò absolutum posterius, non causat necessariò illud posita causa priore, si qua sit causa.

COMMENTARIVS.

1. *Actus charitatis est principium elicitiuum.* *Contra tertium articulum.* Ratio Doctoris vt clariùs intelligatur, suppono mihi aliqua. Primum, quòd apud Doctorem infrà *d.* 17. *& in* 3. *dist.* 27. ita habitus charitatis dicitur principium elicitiuum actus, siue productiuum, quod idem est, quemadmodum, & voluntas, licèt vtrumque sit principium partiale ipsius actus: quia enim voluntas est causa principalis, & vtitur ipso habitu charitatis (licèt enim charitas ex se necessariò agat, & sit principium per modum naturæ: quia tamen non agit, nisi pro quanto voluntas vtitur tali habitu, & quia voluntas liberè potest ipso vti, & non vti ad agendum, siue ad comparandum) ideò dicitur, quòd charitas, vt sic, elicit actum communem sibi, & voluntati liberè, secundùm quòd respectu ipsius actus, & quantum ad substantiam, & quantum ad intensionem, voluntas est causa principalis, & vtitur ipso habitu charitatis: & per consequens talis actus dicitur merè contingenter productus: vt patet à Doctore infrà 17. *d.* Et probat quòd si talis habitus esset causa principalis, & determinans voluntatem ad agendum, nunquam voluntas diceretur contingenter agere, respectu eorum, quæ simul eliciuntur à voluntate, & ab habitu.

Istis suppositis declaro rationem Doctoris, quæ stat in vno principali. Quia habens idem principium elicitiuum, eo modo, quo tale principium est elicitiuũ, eo modo, secundùm illud agit, si necessariò, necessariò; si contingenter, cõtingenter; & hoc patet, quia tota perfectio agendi, similiter necessitas, vel cõtingentia agendi semper sumitur à ratione formali agendi, siue à principio elicitiuo, quod idem est. Facio enim differentiam inter principium productiuum, siue elicitiuum, & principium agens, siue eliciens: quia primum nominat rationem formalem agendi, siue eliciendi: & secundum nominat principium *quod*, siue suppositum agens, vt patet à Doctore in pluribus locis, præsertim *in d.* 2. 3. 5. *&* 7. *huius primi*. Et ideò de rigore sermonis hæc est falsa: *Principium elicitiuum elicit*, vel *agit*: quia ly *agere* verificatur tantùm de supposito: & similiter hæc est falsa: *Suppositum est ratio formalis agendi*: vt patuit suprà *quæst.* 2. *huius dist.* Ex hoc arguit Doctor quòd ex quo voluntas habens charitatem vt 8. est principium elicitiuum actus contingenter, ergo habens eandem in patria, erit similiter principium elicitiuum contingenter actus fruitionis, cùm nulla sit facta mutatio ex parte eius. *Tota perfectio agendi sumitur à ratione formali.*

Sed in litera Doctoris occurrit quædam difficultas: quia ipse vult expressè *in* 3. *d.* 31. *q. vnica &* *in* 4. *d.* 49. quòd voluntas habens eandem charitatem hîc, & in patria, eliciat hîc actum fruitionis, *Difficultas.*

nis, distinctum specie ab actu fruitionis, elicito in patria: & hoc propter aliam, & aliam præsentiam obiecti, de qua vide ibi. Si posset dici in proposito, quòd voluntas, vt in patria, licèt habeat eandem charitatem, quam habet in via, tamen non sequitur, quòd eodem modo sit principium elicitiuum: quia si sic, tunc sequeretur quòd fruitio elicita in via, & elicita in patria essent eiusdem speciei.

Responsio. Dico, quòd ly *eodem modo*, non debet referri ad actum perfectum, & imperfectum, siue eiusdem speciei, siue alterius speciei: quia vt sic, non eodem modo se habet: quia alia præsentia obiecti cõcurrit in patria, & alia in via: sed debet referri ad modũ agendi: puta necessariò, vel contingenter: quia si remanet eadẽ voluntas in patria, habens simpliciter eãdem charitatem, quam & in via: sequitur, quòd si in via est principiũ elicitiuum cõtingenter, quòd similiter, & in patria. Sed licèt alia, & alia præsentia obiecti faciat ad maiorem, vel minorem perfectionem actus: non tamen dat voluntati, quomodocunque habituatæ, quòd sit principium elicitiuum necessariò, vel contingenter.

Gul. Ocham in 1. dist. 1. q. vlt. Ad hanc rationem Doctoris multi respondent, & videntur incidere in idem: & maximè respondet Ocham, negando, quòd voluntas in patria, habens eãdem charitatem, eodem modo, sit principium elicitiuum fruitionis, sicut in via: quia ad actum fruitionis in patria concurrit visio essentiæ diuinæ, vt causa partialis: in via verò non. Sed, iudicio meo, hæc responsio non soluit rationem Doctoris, quia posito quòd talis visio concurrat, vt causa partialis ad actum fruitionis: quia tamen erit causa minùs principalis, quàm voluntas, habens charitatem, vt patet à Doctore ex intentione *in 2. dist. 25.* sequitur, quòd actus fruitionis erit merè contingenter elicitus, vt exposui suprà.

Impugnatio responsionis Gul. Præterea, si responsio Ocham concluderet, sequeretur, quòd voluntas, vt in via, frueretur de necessitate; patet, quia sicut visio clara essentiæ diuinæ concurrit actiuè ad fruitionem in patria: ita cognitio eiusdem essentiæ, vt in via, concurrit actiuè ad fruitionem in via: cùm non sit maior ratio hîc, & ibi; ergo si in patria erit fruitio necessariò elicita, hoc similiter erit in via, quod est falsum, & contra ipsum.

Item quod dicit in isto articulo. Arguit Doctor contra vnum dictum istorum, quod tale est, quòd tanta est connexio inter visionem essentiæ diuinæ, & fruitionem eiusdem, quod impossibile est visionem esse sine fruitione. Et arguit sic: Quia natura absoluta prior alia natura absoluta potest esse sine tali posteriori: & hoc est clarum, & diffusè declarat Doctor *in 2. dist. 12. quæst. 2.* & vide expositionem quam feci ibi. Sed visio, & fruitio sunt duæ naturæ absolutæ: ergo. Et licèt Doctor hîc non probet istam minorem, satis tamen patebit in simili infrà *d. 3. quæst. vlt.* & diffusè probat Doctor in quolib. q. 13. & in 4. d. 10.

Respondetur: quòd maior est vera de illis absolutis. Dicit Henricus quòd licèt vnum possit esse sine altero, vbi non est dependentia essentialis vnius ad aliud, tamen quando ambo causantur de necessitate à tertio, est impossibile vnum esse sine altero: sic in proposito visio, & fruitio necessariò causantur ab essentia diuina, non quòd causet necessariò visionem, sed causata visione, necessariò causatur à voluntate diuina fruitio. *Henric. quol. 12. q. 5.*

Contrà: si non dependent à tertio. Dicit Doctor quòd si Deus non causat necessariò ambo, scilicet visionem & fruitionem, nec vtrumque, licèt causet alterum: & certum est quòd Deus non causat ambo de necessitate: quia tunc sequeretur, quòd necessariò causaret visionem, quod ipsi negant: nec etiam causat vtrumque, si alterum causat, id est, quòd non est necesse Deum causare fruitionem, licèt causet visionem. Et hoc probat, quia si Deus potest causare fruitionem immediatè, & contingenter, etiam potest causare illam contingenter mediante visione, contingenter causata, vt causa secunda. Hîc Doctor supponit quòd visio essentiæ diuinæ sit causa fruitionis, saltem partialis: nam si causata visione Deus necessariò causaret fruitionem, sequeretur vnum absurdum, quòd causa prima possit determinari ad agendum à causa secunda, quod est contra rationem causæ primæ determinari à causa secunda ad agendum. *Contra Henric.*

SCHOLIVM.

Refutat eosdem quoad 4. articulum, in quo dicunt voluntatem sine charitate non posse amare finem clarè visum. 1. quia sequeretur charitatem esse potentiam, vel partem potentiæ. 2. quia voluntas non eleuata, potest amare finem obscurè ostensum: & resolutiuè ponit quatuor conclusiones claras in textu.

15. *Refellitur conclus. 4. Henric.* *De hoc d. 7. quæst. 2.* Contra quartum articulum, qui dicit quòd voluntas non eleuata per habitum supernaturalem non potest frui fine vltimo clarè viso. Arguo sic: Illud quo aliquid potest simpliciter agere, illud est potentia: ergo si voluntas circa finem visum nullum potest habere actum ex naturalibus suis, habens autem charitatem potest, charitas vel erit simpliciter potentia volitiua circa obiectum illud, vel pars potentiæ volitiuæ, quorum vtrumque est falsum.

Item, si obiectum volibile minùs sufficienter approximatum voluntati sufficienter potest terminare actum voluntatis: multò magis si illud est sufficienter approximatum, siue perfectiùs præsentatum voluntati; ergo si aliquod bonum sub ratione obscura apprehensum potest esse volitum à voluntate non eleuata per habitum supernaturalem, multò magis idem obiectum clariùs visum potest esse aliquo modo actu volitum à tali voluntate.

Mens propria auctoris in hac quæst. Concedo igitur conclusiones istarum rationum.

Quantum ad primum articulum, dico, quòd voluntas, sicut non necessariò fruitur his, quæ sunt ad finem, sic nec fine obscurè apprehenso, & in vniuersali.

Quan

Quantum ad secundum articulum, concordo cum prima opinione quòd non necessariò fruitur fine apprehenso in particulari, & obscurè; nec quantum ad conclusionem argui contra illam, sed quia rationes positæ in primo articulo concludunt contra secundum si valent, quas tamen non reputo valere, nec simpliciter concludere, sed innitens eis in primo articulo non video, quomodo soluet easdem in secundo articulo. *Scot. 4. Metaph. q. 15.*

Quantum ad tertium articulum de fine clarè viso, dico, quòd voluntas eleuata non necessariò fruitur quantum est ex parte sua. Quantum ad quartum dico, quòd voluntas non eleuata supernaturaliter potest frui illo fine.

COMMENTARIVS.

Contra quartum articulum. Dicunt isti quòd impossibile est voluntatem non habentem charitatem, frui fine vltimo clarè viso. Ratio Doctoris stat in hoc: Si voluntas non possit frui obiecto clarè viso, sed tantùm mediante charitate, sequeretur quòd ipsa charitas esset simpliciter potentia volitiua, vel pars illius potentiæ, quod est inconueniens. Nam illud est potentia, quo simpliciter possumus agere: sicut dicimus quòd calor est potentia calefactiua, quia habens illum, potest illo simpliciter calefacere. Sic in proposito, illud erit simpliciter potentia fruitiua, quo aliquis simpliciter potest frui: ergo si voluntas simpliciter fruitur mediante charitate, charitas erit potentia fruitiua, quod est incoueniens, quia sola voluntas est fruitiua potentia.

Sed hîc oritur vna difficultas, quia ex litera Doctoris habetur quòd ipsa charitas non sit potentia fruitiua, nec pars potentiæ fruitiuæ. Contra hoc, quia ipse vult expresè infrà, *dist.* 17. & *in* 4. *dist.* 49. quòd ipsa charitas est causa partialis actus voluntatis meritorij, & sic etiam actus fruitionis: ergo videtur pertinere ad potentiam fruitiuam. Dico breuiter, quòd ipsa voluntas dicitur simpliciter potentia fruitiua, quâ, habens illam potest frui, quia ipsa est causa substantiæ actus absolutè, & habitus, si necessariò ponitur, non ponitur propter substantiam actus, sed propter perfectionem actus, vt patet ex Doctore, infrà, *dist.* 17. Sequentia clara sunt.

TEXTVS.

16. AD argumenta [a] pro opinione, Dico ad primum, quòd illud simile concludere multa falsa; quia concluderet, quòd sicut assentimus necessariò conclusioni propter principia, sic necessariò assentiremus illis, quæ sunt ad finem propter finem, quod est falsum: ideò dico, quòd simile est, quoad duo; scilicet quoad ordinem istorum, & illorum inter se, & etiam quoad ordinem illorum comparando potentias ordinatè tendentes in illa: & intelligo sic, quòd sicut est ordo inter ista vera, sic & inter illa bona; & sicut illa vera sunt sic ordinatè cognita, ita & illa bona sunt sic ordinatè volita: sed non est simile quantum ad ordinem necessitatis in vno, & in alio, comparando ad potentias absolutè. Non enim oportet, quòd voluntas seruet illum ordinem in actibus suis, qualem nata sunt volibilia habere ex natura sua: nec est assensus similis hinc inde; quia necessitas est in intellectu ex euidentia obiecti necessariò causante istum assensum intellectu; non autem bonitas aliqua obiecti causat necessariò assensum voluntatis, sed voluntas liberè assentit cuilibet bono, & ita liberè assentit maiori bono sicut minori *Resp. ad argum. Henrici. Explicatur illud sicut se habet principium in speculabilibus.*

17. Ad secundum [b] cùm dicitur de participatione; dico, quòd maior est falsa, quia nihil voluntas necessariò vult, & ideò non oportet, quòd necessariò velit illud, ratione cuius omnia alia vult, si quid esset tale. Minor etiam est falsa, quòd scilicet virtute, & participatione vltimi finis vult quidquid vult: quia virtute, & participatione alicuius voluntatem velle aliqua potest intelligi dupliciter: vel virtute, seu participatione eius, vt efficientis, siue continentis virtualiter; vel virtute, seu participatione eius, vt primi obiecti, propter quod volitum vult alia. Si primo modo intelligatur, non est ad propositum minor assumpta cum maiori: quia illud, cuius virtute, vt efficientis est aliquid volitum, non oportet esse volitum, sicut illud, quod est efficiens alicuius visi non oportet esse visum: non enim oportet, quòd primò videam Deum oculo corporali, si videam colorem, qui est quædam participatio Dei, vt causæ efficientis. Si intelligatur secundo modo de participatione, vt primi obiecti voliti, tunc minor est falsa. Non enim virtute Dei voliti, volo quodcunque volitum, quia tunc omnis actus voluntatis esset actualis vsus referendo illud ad primum obiectum volitum. *Ad 2.*

18. Ad tertium [c] dicitur vno modo, quòd licèt non sit ibi aliquis defectus alicuius boni, vel aliqua malitia, & ideò non posset fortè voluntas nolle illud, quia obiectum actus nolendi est malum, vel defectiuum: potest tamen illud bonum perfectum non velle, quia in potestate voluntatis est non tantùm sic, vel sic velle, sed velle, vel non velle: quia libertas eius est ad agendum, vel non agendum. Si enim potest alias potentias imperando mouere ad agendum, non tantùm sic & sic, sed ad determinatè agendum, vel non agendum: non videtur, quòd minor sit libertas sui respectu sui, quantum ad actus determina- *Ad 3.*

Cap. 9. & 22.1. Sent. D.7.q.1.2. d.6.q.2. & d. 43. q. 1. & 4.0. 49. q.9.

tionem,& hoc possset ostendi per illud August. 1. *Retractationum*, vt suprà contra primum articulum, vbi vult, quòd *nihil est tam in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas*: quod non intelligitur, nisi quantum ad actum eliciendum. Ideò dico, quòd libertas est respectu sui sic, quantum ad actus determinationem.

Aliter dicitur, quòd non est probatum, quin voluntas possit bonum nolle, in quo nulla inuenitur ratio mali, vel defectus boni; sicut non est probatum, quin possit velle illud, in quo non inuenitur aliqua ratio boni, & hoc, vel priùs in re, vel in apprehensione, quàm illud terminet actum volendi; de hoc fortè aliàs erit sermo.

Additio. *Posset tamen dici, quòd ipsa per aliquod velle elicitum imperat actiones potentiæ inferioris, vel prohibet, non autem potest sic suspendere omne* velle: *quia tunc simul nihil vellet, & aliquid vellet: sed quidquid sit de suspensione omnis* velle, *saltem potest suspendere omnem actum circa illud obiectum, per aliquod non velle eius elicitum. Hoc modo, non volo nunc aliquid elicere circa istud obiectum, quousque distinctiùs ostendatur mihi, & illud nolle, non velle, esset quidam actus elicitus quasi reflexus super velle obiecti, non quod inest, vel infuit: sed quod posset inesse, quod & si in se non ostendatur, ostenditur tamen in sua causa, scilicet in obiecto ostenso, quod natum est esse principium actus in aliquo genere principij.*

19. *Contra istam responsionem probo, quòd si potest non velle, potest nolle: quia si non potest nolle, hoc est, quia necessariò in se habet aliquid, cui repugnat illud nolle: sed illud non potest esse, nisi actuale* velle. *Primò, quia nulla inclinatio habitualis, vel aptitudinalis, ad volendum repugnat ipsi nolle. Si etiam detur, quòd illud sit non nolle. Hoc non euadit, quia negatio nulli positiuo necessariò conuenit, nisi propter aliquam positionem necessariò conuenientem illi positiuo: quam sequitur illa negatio, & tunc illa positio in proposito non potest esse habitualis, vel aptitudinalis inclinatio aliqua: quia illam non sequitur non nolle, sicut nec illi repugnat nolle, ergo illud positiuum necessariò conueniens voluntati, propter quod repugnat sibi nolle, erit actuale velle, ergo si non potest nolle necessariò vult, & ista ratio generaliter ostendit, quòd nulli susceptiuo contrariorum, & mediorum, si habeat media, repugnat aliqua forma illius generis, siue quòd impossibile sit eam inesse nisi alia forma illius generis necessariò insit eidem, vel aliquid aliud, cui virtualiter repugnat illa, quam impossibile est inesse. Tale autem positiuum virtualiter repugnans ipsi nolle, non potest in proposito reperiri aliud, quàm ipsum velle.*

Respondeo Illud repugnans illi nolle est voluntas, quia ipsa non est capax nisi velle, & nolle *possibilis: nolle finem est includens contradictionem, quia istud non est obiectum possibile huius actus. Exemplum: Videre sonum includit contradictionem ex respectu actus, & obiecti: ideò repugnat visui, vel visus sibi, & determinat sibi non videre hoc: quia visus est ita in se, vel respectu huius. Nec est inconueniens negare finem posse esse obiectum odij, & beatitudinem fugæ: sicut nec miseria potest esse obiectum concupiscentiæ secundùm Aug. in Ench.* Miseri non

Cap. 73. Vide 3. dis. 6. q. 2 & d. 43 q. 2. & infrà 4. di. 49. q. 9.

solùm esse nolumus, sed nequaquam velle possumus, *& ponitur d. 25. Secundi, & hic d. 10.*

Ad auctoritatem [d] August. dico, quòd non intelligit de volitione actuali, vult enim, quòd Mimus ille, de quo loquitur ibi, verum dixisset quid omnes concurrentes voluere, si dixisset omnibus, *Beati omnes vultis esse.* Non omnes autem concurrentes ad illud spectaculum habuerunt tunc actualiter *velle* beatitudinis, quia non actualem cognitionem

20. de hoc: loquitur ergo de volitione habituali, & aptitudinali, qua videlicet ipsa voluntas prona est, vt statim inclinetur ad actum volendi beatitudinem, si actualiter offeratur sibi ab intellectu.

Similiter auctoritas [e] non est ad propositum: quia si certum est omnes velle beatitudinem, hoc non est actu amicitiæ: volendo, scilicet actu beatifico illud, scilicet beatificari, siue beatum esse: sed actu concupiscentiæ volendo illud bonum sibi, vt sufficiens sibi bonum, quia non est certum voluntates inordinatas habere dilectionem ordinatam primi obiecti in se: sed omnes voluntates siue ordinatè, siue inordinatè habent voluntatem

Actus concupiscentiæ nō est actus fruitionis.

concupiscentiæ, volendo sibi bonum. Actus autem concupiscentiæ non potest esse actus fruitionis: quia omnis concupiscens concupiscit alij, quem amat amore amicitiæ, & ita actus concupiscentiæ non est actus fruitionis: sed solus actus amicitiæ. Si ergo loquatur Augustinus de actu volendi beatitudinem, non tamen de actu amicitiæ: sed concupiscentiæ, & ita non de fruitione, & ita non est ad propositum.

Ad argumentum pro quarto articulo eorum cùm dicitur de *agere*, & de *esse*: dico, quòd ille actus non esset supernaturalis, sed naturalis: quia actum aliquem potest voluntas elicere naturaliter circa obiectum qualitercunque ab intellectu ostensum, & quia ille actus non excedit facultatem potentiæ, ideò nec obiectum, vt terminat actum illius potentiæ.

Cùm dicitur secundò, quòd voluntas esset beata sine charitate. Dico quòd non sequitur, quia secundùm Augustinum *de Trinit. lib. 13. cap. 5. Beatus igitur non est nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil mali vult.* Ita intelligenda est hæc definitio, quòd beatus est, qui

qui habet quidquid ordinatè potest velle, non tantùm quidquid nunc actu vult, tunc enim aliquis viator posset esse beatus pro tunc, quando de vno tantùm ordinatè habito cogitat. Potest autem voluntas ordinatè velle habere charitatem, quia potest velle non tantùm habere substantiam actus fruendi, sed potest velle habere fruitionem Deo acceptam: ergo si non habet illud, non habet quidquid ordinatè potest velle.

Qualiter etiam charitas requiratur, non tantùm propter gratificationem actus, sed propter aliquem gradum perfectionis intrinsecum actui.: de hoc inferius *dist.* 17.

COMMENTARIVS.

1. a EST opinio Henrici, & S.Thomæ, quòd voluntas de necessitate fruitur fine vltimo in vniuersali, obscurè apprehenso, puta apprehensa beatitudine sic in vniuersali, non determinando, in quo distinctè consistat: dicunt isti quòd voluntas de necessitate vult eam. Et hanc conclusionem probant primò *. *Sicut se habet principium*, &c. Ad hanc rationem respondet Doctor ibi: *Ad argumenta pro opin.* Et dicit quòd comparando operabilia ad finem, & demonstrabilia puta conclusiones ad principia possunt habere talem ordinem: quia sicut in speculabilibus omnes conclusiones demonstrabiles sumuntur à principiis speculabilibus, ita in operabilibus omnes conclusiones practicæ sumuntur à fine, vt clarè exposui *quæst. vlt. prolog.* Et similiter sicut in speculabilibus principia sunt nota propter se, & conclusiones propter principia, sic in operabilibus, finis est propter se notus, & similiter omnia principia practica, & conclusiones practicæ sunt notæ propter finem: vt diffusè declaraui *in q. vlt. prolog.* Secundò dicit, quòd etiam, vt ista comparantur ad potentia, possunt habere similem ord nem, quantum ad hoc, quòd sicut intellectus assentit principiis propter se, & conclusionibus propter p rincipia: ita & voluntas vult finem propter se, & ordinata ad finem propter finem: sed non est simile quantum ad necessitatem, & libertatem: quia cùm intellectus sit potentia merè naturalis, & tantùm agens modo naturali, necessariò assentit cuicunque assentit: voluntas verò cùm sit potentia merè libera, liberè assentit cuicunque assentit.

* num. 2.

2. Secundò arguunt ibi: *Secundo hoc idem probatur.* Respondet Doctor ibi: *Ad secundum cùm dicitur de participatione.* Et dat duas responsiones, quarum prima est nota, & secunda est ibi: *Minor etiam est falsa*, & distinguit, vel virtute efficientis, vel virtute primi obiecti. Primo modo maior est falsa, & sensus est, voluntas necessariò vult *A*, cuius participatione, vt efficientis vult *B*. Patet hoc esse falsum: quia si volo Franciscum virtute Ioannis, vt efficientis ipsum: non sequitur, quòd velim Ioannem: & exemplum etiam Doctoris clarum est in litera. Et dicit etiam, quòd minor sumpta cum maiori non est ad propositum: patet, quia in maiori accipitur *participatio*, vt efficientis, & in minori non potest accipi hoc modo: quando dicit, sed participatione vltimi finis vult quicquid vult. Nam si accipitur hîc *participatione*, vt efficientis, falsa est. Si verò sumatur *participatione* eo modo, quo dicimus ens participatum ad intentionem Augustini, & secundùm quòd Doctor declarat *dist.* 8. quod *participare* idem est, quòd *partem capere*: de quo vide ibi, argumentum est in quatuor terminis: quia in maiori accipitur *participatio*, vt efficientis, in minori verò alio modo.

Quid sit participare.

b *Si intelligatur* secundo modo, vt primi obiecti. Maior est vera, & minor falsa, & sensus maioris talis est: Voluntas necessariò vult *A*, cuius participatione, vt primi obiecti vult *B*. Et intelligitur hîc *primum obiectum*, quando potentia non potest habere actũ circa secundariũ obiectũ, nisi necessariò habeat actum, circa primariũ obiectum vt suprà exposui *q.* 2. *præsentis d.* & sensus minoris falsæ est talis: Sed participatione vltimi finis, vt primi obiecti, vult omnia alia: & hic sensus est falsus: quia tũc omnis actus volũtatis, quo vult omne aliud à Deo, esset actualis vsus: quia tunc vellet illud actu propter Deũ, cuius oppositũ experimur.

3. c Tertiò arguunt ibi: *Tertiò probatur idem sic*, &c. Respondetur ibi: *Ad tertium.* Hîc Doctor dat duas responsiones. Prima stat in hoc, quòd libertas voluntatis non tantùm attenditur penes hoc, quòd potest velle, & nolle: sed etiam penes hoc, quòd potest velle, & hîc *non velle* accipitur pro actu suspensiuo: non tamen debes intelligere, quòd *non velle* sit aliquis actus elicitus à voluntate: sed tantùm est negatio volitionis, sicut aliqua voluntas (vt notum est experientia) præsentato aliquo objecto nunc diligit illud, non odit, sed tantùm habet negationem dilectionis, & hoc secundùm aliquos: de quo Doctor *in* 3. *d.* 30. Sic in proposito, licèt voluntas non possit habere nolle, siue odium, respectu vltimi finis, tamen ex libertate sua potest suspendere actum dilectionis, non diligendo illud bonum.

Quomodo accipiatur velle.

4. d Secunda responsio est ibi: *Hæc responsio diffusius* habet pertractari *in* 2. *dist.* 43. vide ibi bonam glossam, quam feci.

Vltimò arguunt ibi: *Item August.* Respondetur ibi: *Ad auctoritatem August.* & dat duas responsiones. In prima dicit, quòd Augustinus non loquitur de volitione actuali, sed de habituali, siue de inclinatione naturali: & sic omnes necessariò volunt beatificari: quia talis inclinatio naturalis, necessariò inest omni homini: & talis inclinatio nullum actum elicitum voluntatis dicit: vt subtiliter probat Doctor *in* 4. *dist.* 49. In præsenti verò loquitur de actu elicito voluntatis.

Duplex volitio.

e Secunda responsio est ibi: *Similiter auctoritas non est propositum.* Dicit Doctor quòd si auctoritas Augustini concludit de actu elicito voluntatis: quòd tantùm concludit de actu concupiscentiæ, siue de amore concupiscentiæ, & non de amore amicitiæ. Nam est amor amicitiæ alicuius obiecti, propter se amati. Amor verò concupiscentiæ est alicuius obiecti, propter aliud amati: quæ differentia clarè patet à Doctore *in* 2. *dist.* 6. *quæst.* 2. Fruitio verò dicit amorem amicitiæ: patet per Augustinum, quia frui est amore inhærere alicui rei, propter semetipsam: cùm ergo actu beatificus sit fruitio, vt probat Doctor *in* 4. *d.* 49. sequitur, quòd erit amor amicitiæ, & tamen est notum, quòd omnes velint vltimũ finem propter se diligendo illum, propter seipsum: sed si omnes volunt vltimum finem, volunt illum vt bonum sufficiens eis: & sic diligunt illũ, ordinando ipsum ad bonum proprium, amatum amore amicitiæ.

Duplex est amor.

Quid sit fruitio.

TEXTVS.

21. *Ad arg. 1. in initio qua.* AD principalia argumenta respondetur.

Ad primum [a] dico, quòd aliquid est conueniens alicui aptitudinaliter, vel actualiter; conueniens aptitudinaliter est, quod conuenit alicui ex se, & quantum ex natura rei, & tale conuenit actualiter omni ei in cuius potestate non est, quòd ei aliquid actualiter conueniat, vel disconueniat, & ideò quidquid conuenit aptitudinaliter appetitui sensitiuo; conuenit esse ei actualiter, si non sit defectus ex parte alterius * extra: sed in potestate voluntatis est, vt aliquid ei actualiter conueniat, vel non conueniat: nihil enim actualiter conuenit sibi, nisi, quod actu placet. Propter hoc nego minorem. Cùm dicitur: finis necessariò conuenit voluntati, hoc non est verum de conuenientia actuali, sed aptitudinali.

al. extremi, vel actus extrà,

Aliter dico, quòd etsi aptitudinalis sola sufficiat ad delectationem; non tamen ad fruitionem: immò in fruitione oportet, quòd sit conueniens actualiter, siue aptitudinaliter conueniat, siue non. Si primum suppositum in hac responsione est verum, neganda est consequentia. Delectatio, ergo fruitio.

Ad 2. Ad secundum dico [b], quòd alius modus agendi in *agere* propriè, & metaphoricè destruit similitudinem quantum ad necessitatem.

22. Vel aliter, sicut aliquod agens propriè necessariò mouet, aliquod contingenter: sic aliquod agens metaphoricè necessariò aliquod contingenter. Ille enim finis, qui mouet necessariò efficiens, puta agens naturale, mouet necessariò metaphoricè, quia necessariò amatur, vel appetitur naturaliter; qui autem mouet efficiens contingenter, mouet contingenter metaphoricè. Hic autem efficiens contingenter efficit, & finis contingenter metaphoricè mouet.

Ad 3. quod est D. Tho. 1. par. q. 82. art. 1. Ad tertium dico [c]; quòd illud immobile non oportet esse aliquem actum elicitum, non enim plures calefactiones variæ, & mobiles præsupponunt aliquam vnam calefactionem immobilem, sed præsupponunt actum primum, puta caliditatem, quæ sit principium eliciendi omnes istos actus varios. Ita hîc, volitiones non præsupponunt aliquam volitionem vnam immobilem, quia tunc voluntas volens aliquid ad finem, esset semper sub duobus actibus: aut saltem sub vno actu referente hoc ad illud: sed præsupponunt actum primum, puta voluntatem, quæ est principium sufficiens, vel ratio eliciendi omnes illas varias volitiones.

COMMENTARIVS.

1. a *AD argumenta principalia.* Ad primum dicit Doctor quòd finis, siue obiectum quietatiuum aptitudinaliter conuenit appetitui, siue naturali, siue libero referendo singula singulis, puta voluntati summum bonum, & lapidi puta centrum, & sic debet intelligi dictum Auicennæ, quòd talis finis necessariò conuenit. Tale etiam quietatiuum semper conuenit actualiter appetitui naturali: nisi ponatur impedimentum ab extrinseco, puta si lapis teneatur sursum: quia non est in potestate talis appetitus naturalis descendi, vel non descendi in centrum, non tamen semper conuenit actualiter voluntati: quia posito ipso, perfectè præsente, voluntati: adhuc est in facultate voluntatis velle ipsum, vel non velle: vt patuit suprà.

Differentia inter mouere metaphoricè, & mouere propriè. b *Ad secundum dico*, litera clara est. Nota tamen differentiam inter mouere metaphoricè, & mouere propriè, siue realiter. Dicimus enim quòd finis mouet efficiens metaphoricè, non causando aliquid in efficiente realiter: sed dicitur tantùm mouere intentionaliter, inquantum amatus, & desideratus ab efficiente: & sic finem amari ab efficiente, est finem mouere ipsum efficiens: vt patet infrà *dist. 2. quæst.* 1. Sed mouere realiter aliquid, est aliquid realiter causare in illo quod mouetur.

2. Nota secundò in litera, quòd efficiens naturale, vt distinguitur contra agens à proposito, de necessitate mouetur à fine, propter quem agit: quia talis finis de necessitate amatur à tali efficiente, loquendo semper de amore naturali, qui est tantùm inclinatio naturalis: sed agens à proposito, siue voluntarium, habet in potesttate sua diligere finem, propter quem agit, vel non diligere: & ideò finis mouet necessariò, & metaphoricè efficiens naturale: sed tantùm contingenter efficiens à proposito. *Agens dupliciter, scilicet naturale, & à proposito finis mouet necessariò.*

Tertia ratio cum sua responsione est satis clara. Et quando dicit in responsione. *Ita hîc volitiones non præsupponunt aliquam volitionem vnam immobilem.* Quia Thomas dicit, quòd volitiones, respectu eorum, quæ sunt ad finem, quæ dicuntur mobiles, & variabiles, præsupponunt vnam immobilem, & inuariabilem, quæ est volitio ipsius finis.

Dicit Doctor quòd si hoc esset verum, tunc sequeretur alterum istorum inconuenientium: vel (videlicet) voluntas volens aliquod ordinatum, puta diligens Franciscum, necessariò simul diligeret vltimum finem; & sic nunquam posset velle aliquod creatum, quin simul velit vltimum finem, quod est manifestè falsum: & patet, quòd hoc sequatur, quia si volitio entis ad finem est variabilis, & non potest inesse voluntati, nisi eidem insit volitio ipsius finis, quæ est omnino inuariabilis, ergo sequitur, quòd non potest velle aliquod ens ad finem, nisi simul velit, & ipsum finem, vel saltem sequitur hoc inconueniens

(quia

(quia si negaretur ipsam esse simul sub duobus actibus : quia voluntas eodem actu , quo vult aliquid propter finem , & ipsum finem : quia adhuc non est decisum à Doctore an eodem actu , an pluribus actibus , & sunt variæ opiniones) Dicit Doctor quòd hoc posito , quòd Franciscus velit *A* propter finem *B* vno actu, referendo ipsum *A* ad *B* actualiter : non tamen sequitur , quòd volens aliquod ens ad finem in se , & absolutè aliqua volitione, quòd ipsum eadem volitione simul referat ad finem. Et tamen tenendo, quod dicit Thomas quòd volitio entis ad finem præsupponit de necessitate volitionem inuariabilem ipsius finis: posito quòd sit eadem volitio , sequitur , quòd nunquam posset velle aliquod ens ad finem in se , & absolutè, nisi semper eodem actu referat actu ipsum ens ad finem , ad ipsum finem: cuius oppositum experimus. *Hic expressè patet quod falsa sit propositio D. Thom. scilicet de immobilitate volitionis finis.*

QVÆSTIO V.

Vtrùm Deo conueniat frui? seu, Vtrùm Deus, Viator, peccator, Bruta, Omnia, fruantur?

Alensis 2.*part. quæst.*4.*membr.*3. D.Thom. 1.2.*quæst.*11.*art.*2. D.Bon. *hîc, art.*3.*quæst.*1.*&* 2. Rich. *art.*2.*part. tot.&* 2.*dist.*38.*art.*1.*quæst.*3.4. Dur. *ibi quæst.*4. Scot. 4.*dist.*49.*quæst.*8.*&* 10.*&* 2.*Phys. quæst.*9.*vbi agit de causalitate finis.*

VLTIMÒ circa distinctionem istam primam quæritur de fruente: cui, scilicet , vt subiecto conueniat fruitio. Et primò , Vtrùm Deo conueniat frui. Videtur quod non, quia fruitio est respectu finis: sed Deus non habet finem, ergo non competit sibi frui. 1. *Mag. F.G. H.I. Quinque quæruntur de fruente quæstiones.*

Contrà; Deus amat se, & non amat se propter aliud: quia tunc vteretur se, ergo fruitur se. Consequentia plana, quia si amat se, aut vtendo, aut fruendo.

Quæro secundò, Vtrùm viator fruatur? Quod non videtur, quia viator tantùm habet actum desiderij respectu boni absentis : sed actus desiderij non est actus fruitionis. Cuius probatio est, quia desiderium est actus concupiscentiæ : fruitio autem est actus amicitiæ: ergo, &c.

Contrà, Augustinus, & habetur in litera, *frui est amore inhærere alicui rei propter se :* sed sic viator inhæret Deo : ergo, &c. *1. de Doct. Christiana, cap.1.*

Quæritur tertiò , Vtrùm peccator fruatur ? Et videtur quòd non ; quia non innititur alicui bono immobili, sed mobili: ergo non quiescit; & per consequens non fruitur. Antecedens ostenditur, quia innititur creaturæ, quæ est mobilis, quia omnis creatura varietati subiecta est.

Item, qui vult alium vti actu suo, non fruitur eo, sed peccator vult Deum vti actu suo, ergo non fruitur eo. Maior ostenditur , quia qui vult alium vti actu suo, iam non appreciatur illum vt summum bonum, ergo non fruitur illo. Minor ostenditur : quia peccator vult esse actum suum, igitur vult ipsum esse à Deo, cùm nihil possit esse nisi à Deo. Et si hoc, igitur vult Deum vti illo, quia Deus vtitur omni eo quod est ab eo.

Contrà, Augustinus 83. quæstionum quæst. 30. *Omnis itaque humana peruersio est, quod vitium vocatur, fruendis vti velle , atque vtendis frui :* ergo possibile est peccatorem frui vtendis.

Quæritur quartò. Vtrùm bruta fruantur ? Et videtur quòd sic, per Augustinum vbi priùs 83. quæstionum quæst. 30. *Frui qualibet corporali voluptate non absurdè æstimantur & bestiæ.*

Contrà; *frui est alicui rei amore inhærere propter se,* sed bruta non habent amorem, quia non voluntatem : nec inhærent alicui rei propter se , sed propter bonum eorum : ergo , &c.

Quintò quæritur : Vtrùm omnia fruantur ? Quòd sic , quia omnia bonum appetunt amore naturali. 1. *Ethicorum,* & aliquod bonum: non propter aliud. *In proœm. 10. de Trin. cap. 10.*

Contrà, Fruimur cognitis, sed non omnia cognoscunt, ergo.

COMMENTARIVS.

1. IN hac quæstione quinta , quæruntur quinque , an Deo, viatori, peccatori , brutis , & omnibus frui conueniat ?

Contra primum arguitur: Fruitio est respectu finis , quia frui est amore inhærere alicui rei propter se , & sic amatus amore amicitiæ habet rationem finis : sed Deus non habet finem, cùm sit vltimus finis : ergo non potest frui.

Contra secundum arguitur quòd Viatori non conueniat frui, quia frui est actus amicitiæ, & non actus desiderij, quia frui est amor amicitię, & non desiderium: sed victor tantùm habet actum desi-

derij respectu vltimi finis: quia desiderium est respectu absentis. Contra tertium arguitur primò & argumentum clarum est.

Secundò arguitur sic: Qui vult alium vti actu suo, non fruitur eo quia non appretiatur illum vt summum bonum: sed peccator vult Deum vti actu suo, quia vult illum actum esse: ergo vult illum actum esse à Deo cùm nihil possit esse nisi à Deo, & per consequens vult Deum vti actu illo, quia Deus tantùm vtitur omni creatura volendo illam in ordine ad seipsum, & hoc est propriè vti. Cætera patent.

SCHOLIVM.

Motis quinque quæstionibus de fruente, & posita ratione pro, & contra, ad singulas; ponit pro explicatione pulcherrimum exemplum de diuersa quietatione corporum in centro. Primò, terra adhæret centro per se, & primò, id est, immobiliter. Secundò eidem adhærent lapides & metalla in visceribus terræ, per se, & immobiliter, sed hoc participatiuè à terra. Tertiò adhærent corpora in superficie centro per se, sed mobiliter. Quartò adhæret corpus aliquod vniformiter alteri corpori & respectu illius quiescit, si tamen illud alterum non vniformiter adhæret centro, simpliciter non quiescit, verbi gratia, homo iacens in naui. Quod in corporibus est pondus (ait Scotus ex Augustino) in spiritualibus est voluntas, & quod ibi est centrum, hîc est vltimus finis: huic spirituali centro adhæret per se, & immobiliter necessariò Deus, & sic comparatur primo exemplo: beati, secundo: iusti, tertio: peccatores, quarto.

2. *8. Physicor. & 2. & alibi sæpe apud Phil. vide Scotum 8. Phys. q. 6.*

AD solutionem istarum quæstionum, præmitto quoddam exemplum, quomodo videlicet corpora diuersimodè quietantur. Vltimus terminus quietis grauium corporum est centrum. Huic autem centro tanquam termino vltimo, adhæret aliquod corpus graue per se, & primò; puta *terra*, quæ non per naturam alterius corporis adhæret, à quo participet grauitatem, & istam adhæsionem. Aliquod autem corpus adhæret centro per se, sed non primò, quia adhæret per grauitatem, & adhæsionem participatam à terra; per se tamen adhæret, quia per formam intrinsecam, & firmiter, quia est quasi intrinsecum terræ, quæ primò quiescit, vtpote *lapides* & *metalla* in visceribus terræ, & talia licèt non primò, tamen perfectè quiescunt, quia perfectè coniuncta sunt centro, mediante primo quiescente, cui sunt perfectè coniuncta.

Aliquod corpus tertio modo adhæret centro mediante terra, cui vnitur, sed mobiliter, & non firmiter, vt graue aliquod existens in superficie terræ: & tale licèt quiescat ad aliquod tempus, non tamen ita determinatur ad quietem, sicut corpus quiescens secundo modo.

Quarto modo potest aliquod corpus adhærere vniformiter corpori proximo, & respectu illius quiescere, & tamen non quiescere respectu vniuersi, si illud, cui proximo adhæret, non vniformiter adhæreat centro. Verbi gratia, de homine iacente in naui, & si in potestate corporis esset seipsum quietare, illud corpus graue, quod seipsum finaliter quietaret in aliquo tali mobili, non autem in centro, nec mediatè, nec immediatè, inordinatè se quietaret, quia & si quantum est ex se quietaret se, propter suam firmam adhæsionem tali corpori mobili: tamen non adhæret illi, cui secundùm naturam suam adhærere deberet vt quietaretur.

Amor meus podus meũ, eo feror quocunque feror. Deus est sphæra, cuius centrum est vbique, circunferentia nusquam. Hermes, & Emped.

Ad propositum applicando, corporis ponderi correspondet voluntas in spiritualibus; quia sicut corpus pondere, sic animus & voluntas amore fertur; quocunque fertur, vt ait August. 11. *de Ciu Dei, cap. 28*. Centrum, quod ex natura sui est vltimatè quietatiuum, est finis vltimus secundùm veritatem, huic centro voluntas diuina primo, & per se: quia non participatione alicuius alterius à se immobiliter, & necessariò adhęret, quia ipsa voluntas non per habitum, nec per actum differentem à se, nec in virtute alicuius causæ superioris perfectissimè amat illud summum bonum, & necessariò.

In secundo gradu voluntas creata beata, quæ non primò, sed participando à Deo, per se tamen, quia per formam suam intrinsecam, adhæret firmiter huic bono, & hoc quia facta est quasi intrinseca voluntati primò quiescenti: quia in eius beneplacito semper manens.

3. In tertio gradu est voluntas iusti viatoris, qui licèt innitatur diuinæ voluntati, & mediante illa, summo bono, in quo quiescit ipsa voluntas: tamen non firmiter adhæret illi bono, vel beneplacito istius voluntatis. Vnde nunc adhæret illi, nunc auertitur ab illo. sed hoc est quoddam dissimile in corporibus tertij membri: quia ibi manente forma, qua corpus quiescit, potest ipsum non quiescere, hic oportet formam, qua quiescit, destrui, simul cum auersione voluntatis à centro suo.

In quarto gradu est peccans mortaliter, qui licèt quantũ est ex parte actus voluntatis se

se quietantis, vehementer inhæreat alicui alij à Deo; ita quòd nec mediante illo, nec immediatè inhæret Deo; tamen ex parte obiecti non potest simpliciter quietari: immò sicut quiescens respectu nauis, & non respectu centri, non quiescit simpliciter: quia non quiescit respectu vltimi quietantis in vniuerso. Ita voluntas quietans se quantum potest in aliquo obiecto alio à Deo, non simpliciter quietatur: quia non respectu huius, quod vltimatè & perfectissimè est in vniuerso quietatiuum voluntatis. Quod etiam patet, quia ibi voluntas nunquam satiatur, quantumcunque firmiter se immergat in illud, propter se amando illud.

SCHOLIVM.

Posita descriptione fruitionis, concludit 1. voluntatem diuinam frui simpliciter necessariò, (tamen cum libertate essentiali: de quo infr. d. 10.) & per se primò 2. voluntatem beati frui simpliciter, per se, sed non primò, id est, à se, liberè tamen vt habet 4. d. 49. q. 6. Tertiò, voluntatem iusti viatoris frui simpliciter, sed non immobiliter, neque primò, 4. voluntatem peccantis mortaliter, non quietari in suo obiecto, & si dicatur simpliciter frui, erit fruitio inordinata, ipsemet peccans est obiectum suæ fruitionis.

EX his ad propositas [a] quæstiones dico, quòd *frui* nihil dicit nisi actum inhærendi obiecto propter se, quem concomitatur delectationis quietatio; siue qui est ipsa quietatio: hoc est actus vltimatè terminans potentiam, inquantum potentia seipsam * terminat actu suo: ita quòd de ratione fruitionis, si dicit actum, non videtur esse, quòd ipsa quietet potentiam quantum est ex parte obiecti: sed quantum est ex parte potentiæ, obiecto propter se inhærentis. ** al. quietat.*

Dico ergo, quòd voluntas diuina fruitur simpliciter, & necessario, & per se primo. 4.
Voluntas creata beata fruitur simpliciter, & perpetuo, & per se: sed non primo. Voluntas viatoris iusti fruitur simpliciter, & per se: sed non immobiliter, neque primo. Voluntas peccantis mortaliter fruitur simpliciter, quantum est ex parte voluntatis quietantis seipsam: quoniam quietatur in obiecto, quod propter se amat: sed non simpliciter quietatur quantum est ex parte obiecti: nec *frui* illud requirit, sed quia obiectum non est de quietatiuum, sicut potentia actu suo se quietat in ipso: ideò est fruitio inordinata. *Sed beatus liberè fruitur Scot. 4. d. 49. q. 6. Sic in antiquo originali.*

Sed tunc est dubitatio [b], quo obiecto peccans mortaliter fruitur, an scilicet actu suo, an obiecto sui actus. *Pro eodem sumit frui, & amare aliquid propter se.*

Respondeo, quòd communiter fruitur seipso: quia obiectum actus sui amat amore concupiscentiæ, & per consequens aliquid aliud amat amore amicitiæ, quia omnem amorem concupiscentiæ præcedit amor amicitiæ. Illud autem aliud est ipsemet: cui vt amato amore amicitiæ appetit illud obiectum. Vnde non fruitur obiecto sui actus, nec per consequens ipso actu, super quem non oportet primò reflecti Hæc est sententia Augustini *de Ciuit. Dei lib. 14. cap. 28. & super Gen lib. 11. & c. 22.* Quòd duas ciuitates fecerunt duo amores. *Ciuitatem Diaboli, amor sui vsque ad contemptum Dei: Ciuitatem Dei, amor Dei vsque ad contemptum sui.* ergo prima radix ibi est, quòd peccans fruitur se. *Amor amicitiæ præcedit amorem concupiscentiæ. Scot. 2. d. 6. q. 2.*

COMMENTARIVS.

1. a EX his ad propositas quæstiones. *Dico, quòd frui nihil dicit, nisi actum inhærendi obiecto propter se, quem concomitatur delectationis quietatio: siue,* qui actus est supple *ipsa quietatio, hoc est, actus vltimatè terminans potentiam,* &c. Hæc litera est satis difficilis. Et nota, quòd Doctor hîc tantùm loquitur de fruitione in se, vt se extendit ad ordinatam, & inordinatam. Et quando dicit quòd actus, scilicet fruitionis vltimatè terminat potentia scilicet fruentem, inquantum potentia seipsam terminat actu suo, id est, quòd fruitio est actus, qui vltimatè terminat, id est, quietat potentiam: quia ipsa potentia elicit illum propter se: & inquantum potentia seipsam terminat actu suo, id est, inquãtum potentia libertate sua vult se vltimatè, id est, propter se quietari actu suo. Ita quòd de ratione fruitionis non videtur esse quòd ipsa quietet potentiam, quantum est ex parte obiecti; sed quantum est ex parte potentiæ, obiecto propter se inhærentis. Et sensus huius literæ est, quòd non est de ratione formali fruitionis, quòd quietet potentiam: illa scilicet quietatione vera, quę nata est esse ab obiecto verè quietatiuo; sed quietatio illa est ex sola potentia, seipsam sic determinante, scilicet suo actu inhærendo alicui obiecto, etiam fruitio propter se: vt patet de voluntate fruente fine præfixo, vel præstituto: de quo suprà dixi, *q. 1. huius dist.* *Fruitio est actus qui quietat potentiam.*

2. Cùm dicit: *Voluntas diuina fruitur essentia diuina simpliciter,* id est, perfectissimè. Dicitur necessariò, vt necessitas opponitur contingentiæ: non vt opponitur libertati: summa enim libertas stat cum necessitate, licèt non stet cum coactione: vt infrà patet *d. 10. q. vnica.* Dicitur per se: non quòd fruitio insit voluntati diuinæ in aliquo modo dicendi per se, non in primo, quia non est de essentia sua, cùm sit operatio eius; nec in secundo modo, cùm non sit propria passio: & si etiam ponatur quasi passio voluntatis diuinæ, nec hoc modo hîc accipitur *per se:* sed accipitur *per se,* vt nominat ly

per

per se, vel principium per se elicitiuum, vel per se receptiuum. Exemplũ primi; *Calor est per se*, id est, ex sua ratione formali principium calefaciendi. Exemplum secundi; *Superficies est per se receptiua coloris*, id est, quòd ex natura sua est principium receptiuum, siue ratio formalis recipiendi colorem, & sic voluntas dicitur per se principium elicitiuum fruitionis: quia ex sua ratione formali habet vnde sit principium per se elicitiuum fruitionis: est etiam suo modo ratio formalis quasi recipiendi fruitionem. Immediatè enim fruitio est in voluntate; licèt in diuinis non sit principium receptiuum; nec quasi: quia hæc nominant imperfectionem, vt patet infrà, *dist. 5. q. 2.* Et cùm dicitur *primò* non accipitur ibi *primò*, vt accipitur primò pòst: sed accipitur hîc *primò*: quia à seipsa habet, & non ab alio realiter distincto; nec in fruendo ab alio dependet: sicut dicimus, quòd terra est primò grauis, id est, quòd hoc habet ex sua intrinseca, & ex sua formali ratione, quòd sit grauis. In beatis verò, beati fruuntur per se: quia principium per se productiuum est voluntas, charitate informata, non primò, quia hoc habent à voluntate diuina immutabiliter, non ex natura rei: quia talis fruitio non dicitur formaliter necessaria: vt patet *in 4. d. 49.* sed immutabiliter ex determinatione diuinæ voluntatis, qui determinauit nunquam concurrere ad actum oppositum fruitionis: vt patet à Doctore *in 4. d. 49. & in 2. dist. 5. n. 24.* De voluntate viatoris habente charitatem patet, quòd fruitur per se: quia habet charitatem, sed non immutabiliter: quia illam amittere potest. Peccator verò nullo modo quiescit in vltimo fine, &c.

Fruitio est actus voluntatis elicitiuè, est actus intellectus persuppositiuè.

3. b *Sed tunc est dubitatio.* In ista litera Doctor vult, quòd peccator non fruatur actu suo, videlicet peccando; sed fruatur seipso, propter quem elicit actum peccandi. Expono tamen hanc literam. Cum dicit, quòd *peccator fruitur seipso*, & non obiecto: *quia obiectum sui actus amat amore concupiscentiæ.* Exemplum, quis peccat inordinatè circa obiectum delectabile: quod dicitur obiectũ actus peccati, id est, circa quid elicitur actus peccati, peccãs diligit illud obiectum amore concupiscẽtiæ: patet, quia vult illud inordinatè, siue diligit illud sibi inordinatè: ergo talis amor inordinatus concupiscentiæ præsupponit amorem inordinatum amicitiæ: quia nunquam est deordinatio in actu concupiscentiæ, nisi sit priùs inordinatio in amore amicitiæ: vt patet *in 2. dist. 6. q. 2.* & sic peccans circa obiectum, quod vult propter se amatum amore amicitiæ, non fruitur obiecto: quia illud vellet simpliciter propter se: nec fruitur actu illo, quo vult obiectum in ordine ad seipsũ: patet, quia non primò reflectitur voluntas super illo actu, volendo illum propter se. Primò enim voluntas peccandi vult delectabile sibi, & pòst vult illam volitionem, & tandem vult seipsam velle, & sic primò, non vult illum actum propter se, nec propter aliud: quia in illo instanti, quo vult obiectum, voluntas nullum actum habet circa volitionem obiecti: fruitur ergo seipso, cui amat tale obiectum delectabile. Et dicit Doctor *communiter*, quia communiter peccantes diligunt se amore amicitiæ inordinato: quia est radix omnis actus inordinati, vt patet *in 2. d. 6. q. 2.* posset tamen peccando frui aliquo alio: quia posset quis inordinatè amare filium propter seipsum, non diligendo in ordine ad seipsum, vt dilectum priùs.

Expositio literæ.

Quomodo peccantes diligunt se.

Sed in hoc videtur sibi contradicere: quia suprà, *q. 2. præsentis d.* dixit quòd peccator non potest referre actum peccati in Deum, quia fruitur illo. Hoc idem videtur velle *in præsenti quæst.* vbi quærit, an peccator fruatur. Dico primò, quòd *in illa q. 2.* non videtur assertiuè loqui, vt ibi patet. Secundò dico quòd quando Doctor dicit, quòd peccator fruitur actu peccandi, impropriè loquitur de fruitione, quæ est amore inhærere alicui rei propter seipsam: sed quia peccator elicit actum peccandi, nullo modo referibile à tali potentia ad obiectum verè fruibile; ideò peccator dicitur frui illo; sed loquendo de fruitione propria, licèt inordinata, peccator fruitur seipso, & sic patet quomodo Doctor sibi non contradicit.

Apparens cõtradictio.

An peccator fruatur.

SCHOLIVM.

Bruta non frui, quia non tendunt in obiectum vt in irreferibile in aliud: quod explicat exemplo, de adamante. idem à fortiori dicendum esse de inanimatis.

5. AD quæstionem penultimam dici potest, quòd appetitus sensitiuus, licèt aliqualiter alicui inhæreat propter se, id est, non propter alterum negatiuè; quia non est eius referre ad aliud, non tamen contrariè, quia non appretiatur obiectum, vt non referibile ad aliud. ideò abusiuè dicitur frui propter non relationem, non tamen propriè, quia non irreferibiliter inhæret. Similiter nec amore inhæret, quia eius propriè non est amare. Similiter nec propriè inhæret, quia non se applicat obiecto. Sed quasi infigitur vi obiecti, quia non ducit se, sed ducitur, secundùm Damas. *lib. 2. cap. 24.*

Et in secundo dictam * parabolam de quietatione corporum, posset dici, quòd appetitus sensitiuus assimilatur ferro, quasi adamanti infixo vi adamantis attracto, & sic nec in centro mediatè, nec immediatè quietatur, nec in aliquo alio vi illa, quæ esset quietatiua in centro, vel intrinseca quietatiua quasi in centro, sed tantùm quasi vi extrinseci quietantis: ita hîc, vis obiecti quietat, non autem illa intrinseca quietatiua in centro, vel quasi in centro, quæ est sola libertas, quæ appetitui sensitiuo non conuenit.

** al. similitudinem.*

Ex his patet ad vltimam quæstionem, quia si ab appetitu sensitiuo negetur frui propriè, qui tamen magis conuenit cum voluntate, cuius propriè est frui, quàm appetitus naturalis; quia actus appetitus sensitiui sequitur actum cognoscendi, sicut actus voluntatis; non sic autem actus appetitus naturalis, si quis sit actus eius, sequitur, quòd habenti solum appetitum naturalem, non conuenit frui propriè, imò nec sic abusiuè, sicut competit appetitui sensitiuo.

Ad quæst. an omnia fruantur, quæ est proxima.

COMMEN

COMMENTARIVS.

1. *Inhærere negatiuè obiecto, quid.* a AD *quæstionem penultimam.* Nota quid sit inhærere negatiuè,& quid contrariè. Inhærere enim negatiuè alicui obiecto, nihil aliud est, nisi non considerare illud obiectum, nec vt referibile alteri; nec vt irreferibile; sed tantùm absolutè adhærere illi, id est, nec amando illud propter se, supple appreciãdo illud esse amabile propter se, & actu non referre ad aliud; nec etiam amando propter aliud, scilicet referendo ad aliud: sed tantùm est amare illud absolutè istis conditionibus circumscriptis. *Inhærere cõtrariè quid.* Sed contrariè inhærere est amare propter se aliquod obiectum, appreciando ipsum esse amabile propter se. Ista enim contrariantur, scilicet appreciare obiectum propter se, & appreciare propter aliud: amare ergo obiectum propter se contrariè, est appreciare illud propter se, & nullo modo esse referibile ad aliud. Isto secundo modo bruta non possunt frui, licèt fortè primo modo. Et quòd non possint verè frui, patet etiam, quia amore non inhærent: quia non propriè amant, loquendo de amore, qui verè est actus elicitus, liberè productus. Nec similiter propriè inhærent, quia inhærere propriè obiecto fruibili, est vi potentiæ inhærentis, id est, illa potentia propriè inhæret obiecto fruibili, quę vi sua liberè elicit actum, quo attingit obiectum, vel quo inhæret sibi, vt suprà exposui, *quæst.* 3. *præsenti distinct.* 2. & quòd non sic inhæreat patet, quia potentia bruti, quasi infigitur in obiecto delectabili, vi ipsius obiecti: quia non ducit se in illud: sed ducitur secundùm Damas. *lib.* 2. *cap.* 24.

Nec est intelligendum, quòd potentia bruti non sit causa, saltem partialis sui actus, quo inhæret, siue quo infigitur in obiecto: quia in hoc sibi contradiceret: vt patet infrà, *d.* 17. sed intelligitur sic, quòd licèt sit causa partialis sui actus: quia tamen non elicit illum liberè, sed ex necessitate naturæ obiecto præsente, ideo non ducit se in tale obiectum, sed magis ducitur vi illius obiecti; & sic exponit Doctor infrà *dist.* 17. 2. *Brutum ducitur, non ducit.*

Ex his patet ad vltimam q. Hîc Doctor ostendit, quomodo appetitus naturalis non fruitur propriè, quia appetitus naturalis, vt huiusmodi, non inhæret alicui amore, qui ponitur actus elicitus, cùm appetitus naturalis nullo modo sit potentia elicitiua: sed præcisè inclinatio naturalis, quæ realiter non distinguitur à natura cuius est, vt probat Doctor *in* 4. *dist.* 49. *q.* 9. Nec etiam fruitur abusiuè, eo modo, quo bruta fruuntur, illa enim eliciunt actum, sequentem cognitionem sensitiuam: appetitus verò naturalis tantùm naturaliter inclinatur, quæ inclinatio nullam cognitionem sequitur. *Appetitus naturalis non fruitur.*

SCHOLIVM.

Respondet argumentis singularum quæstionũm suo ordine satis clarè.

AD argumenta. a Ad illud primæ quæstionis dico, sicut dictum est *quæstione prima huius distinctionis, art.* 4. Quia ratio finis non est propriè ratio fruibilis, sed ratio illius boni absoluti: cui conuenit ratio finis: licèt igitur Deus non sit finis sui, tamen respectu voluntatis suæ est illud obiectum, cui nata est competere ratio finis, quia est summum bonum: non tamen b potest sibi competere ratio finis respectu sui, sicut nec respectu sui est finis, sed respectu omnium finibilium, qualia sunt bona ordinabilia ad aliud. 6. *Ratio finis non est ratio fruibilis.*

Si obiiciatur c, quomodo ergo Deus dicitur agere propter finem, & etiam quòd superioris agentis est superior finis. *Quomodo Deus agit propter finem?*

Responsio, respectu nullius est causa finalis aliqua, nisi respectu cuius est causa efficiens; quia causalitas causæ finalis est mouere efficiens ad agendum. Dei igitur ineffectibilis, nihil est causa finalis. Sed illud primum dictum vulgatum debet intelligi, quòd agit propter finem effectus: non propter finem sui, quia non est agens sui.

Similiter secundum dictum debet intelligi de fine effectus; quia agens superius ordinat, non se, sed effectum ad finem vniuersaliorem, vel superiorem: & ita ille finis superior est agentis: non vt finis eius, sed ad quem ordinat illud, quod agit.

Ad argumentum d secundæ quæstionis dico, quòd præter actum desiderij, qui est respectu non habiti, quo viator iustus appetit Deum actu concupiscentiæ, habet iustus alium actum amicitiæ, volendo Deo in se benè esse, & hic actus amicitiæ est fruitio, non autem ille, qui est desiderij: & iste secundus propriè est charitatis, non autem primus, qui est desiderandi, sicut dicetur libro tertio.

Ad primum argumentum e tertiæ quæstionis potest exponi maior, quia inhærens mobili non quiescit simpliciter, licèt quantum est ex parte sui sic quietet se in illo: & ita concedenda est hæc conclusio, quòd peccans mortaliter non simpliciter quietatur: licèt quantùm est ex parte ipsius, sic actu suo se quietare volentis, vltimatè se quietet in mobili. Si addatur, quòd nihil fruitur nisi simpliciter quietetur, negandum est: sed oportet addere, nisi simpliciter quietetur, quantùm est ex parte ipsius actus, quo scilicet inhæret obiecto, & etiam quantum est ex parte obiecti, in fruitione ordinata. Nec hîc debet intelligi quietatio summa, quia omnem quietationem viæ sequitur maior patriæ: sed propter actum irreferibilem ita acceptantem obiectum. *Peccans nõ fruitur si hoc significet quietari simpliciter.*

Ad

Nemo ordinatè fruitur eo, quo vult alium vti.

Ad secundum [f] potest maior negari, quia licèt amore ordinato nullus fruatur aliquo, nisi quo non vult aliquem vti, sed frui: tamen amore inordinato, benè potest quis frui quo non vult alium frui, sed tantùm vti; vel illud nullo modo amare, sicut patet de zelotypia inordinata.

Ad probationem maioris potest dici, quòd licèt fruens apprecietur fruibile tanquam summum bonum, non tamen vult illud ab omnibus sic appretiari, quando inordinatè sic fruitur: non igitur sequitur, vult illud esse summum bonum, vel amat illud quasi summum bonum: ergò vult alios sic amare illud.

Aliter potest [g] responderi negando minorem. Ad probationem: non sequitur, vult fruibile esse: ergo vult illud esse à Deo. Nec sequitur etiam, vult illud esse à Deo, ergo vult Deum vti illo. Et causa defectus vtriusque consequentiæ est, quia non oportet volentem antecedens velle consequens, quando consequens non includitur per se in antecedente: sed tantùm sequitur per locum extrinsecum; ita est in proposito.

Alia litera, Ad omnem actum non referibilem: quod aliquo modo potest conuenire appetitui sensitiuo, puta negatiuè tantùm, non contrariè: vt dictum est, quia non inhæretur obiecto tanquam irreferibili, quia hoc est impossibile in ipso nisi ratio bonitatis obiecti verè: vel in acceptatione sit nota potentiæ, licèt irreferibili à se hoc est impotentiæ naturalis in ipso, non tamen ratione bonitatis obiecti, &c.

Ad authoritatem Augustini.

Ad quartam quæstionem patet, quia exponenda est auctoritas eius de fruitione abusiua, siue extendendo fruitionem, quia appetitus sensitiuus non refert nisi intelligendo negatiuè, non contrariè, quia non inhæret obiecto tanquam irreferibili, quia licèt irreferibili à se, hoc est ratione impotentiæ naturalis in ipso non ratione bonitatis obiecti verè, vel in acceptione potentiæ. De differentia istorum non referri negatiue, contrarie, & priuatiue, dicetur *secundo lib dist.* 41.

Ad argumentum [h] quæstionis vltimæ patet, quòd licèt appetitus naturalis alicui inhæreat propter se negatiuè, non tamen contrariè, vt in pluribus, & si quandoque contrariè, non tamen amore inhæret, sed nec etiam propriè inhæret: sed ab ipso dante naturam quasi infigitur illi obiecto, non quidem per actum elicitum alium à natura, sicut est in appetitu etiam sensitiuo, sed per inclinationem habitualem naturæ. Vnde (sicut prædictum est) minùs conuenit sibi frui, quàm appetitui sensitiuo, qui per actum elicitum quasi obiecto iam cognitio inhæret, licèt non liberè. Appetitus autem naturalis sine omni cognitione perpetuò inclinatur.

Ex dictis de *frui*, & specialiter in quæstione tertia huius distinctionis, patere potest de *vti*, qui est actus quidam voluntatis imperfectior, ad *frui*, sicut ad actum perfectiorem eiusdem potentiæ ordinatus.

COMMENTARIVS.

1. a *AD argumenta principalia.* Ad primum, responsio stat in hoc: quòd accipiendo *finem*, pro obiecto verè fruibili, & non pro respectu, fundato in illo, vt suprà exposui, *quæst.* 1. essentia diuina potest dici finis fruibilis respectu voluntatis diuinæ.

b *Non tamen potest sibi compere ratio finis.* Sensus huius literæ est, quia si essentia diuina includeret respectum finis, respectu voluntatis diuinæ, tunc videretur, quòd voluntas diuina esset ens ordinabile ad finem. Nam finis, vt sic, semper videtur esse nobilior his, quæ sunt ad finem: modò essentia diuina non est nobilior voluntate, cùm sint penitus idem realiter, & formaliter; vt patet à Doctore ex intentione, infrà. *dist.* 8. *quæst. penult.* & *quæst.* 1. *quolib.* Tum etiam, quia voluntas diuina est ita formaliter infinita, sicut & essentia diuina, vt patet infrà *dist.* 8. *quæst. penult.*

Essentia diuina non est nobilior voluntate.

c *Si obiiciatur.* Hîc Doctor arguit deducendo ad inconueniens: quia si Deus non habet finem quomodo poterit agere propter finem, & similiter quomodo erit vera illa propositio, scilicet *superioris agentis est superior finis?* Respondet ad primam instantiam quòd Deus agit propter finem effectus, ordinando scilicet effectum ad seipsum amatum, & non agit propter finem sui. Nam si haberet causam finalem non esset simpliciter primum effectiuum, & ineffectibile: quia cuius est causa finalis, eius semper est causa efficiens: vt patet infrà *dist.* 2. *par.* 1. *quæst.* 1. & vide quæ ibi exposui. Ad secundam instantiam dico, quòd debet intelligi de fine effectus: quia agens superius ordinat non se, sed effectum ad finem vniuersaliorem, vel superiorem: & ita ille finis superior est agentis, non vt finis eius, sed ad quem ordinat illud quod agit.

Deus agit propter finem non suum, sed sui effectus.

d *Ad argumentum secundæ.* Respondet Doctor quòd viator præter actum desiderij (qui est respectu non habiti, quo viator iustus appetit Deum actu concupiscentiæ) habet iustus alium actum amicitiæ, volendo Deo in se benè esse, licèt Deus sit absens: & hic actus amicitiæ est fruitio; non autem ille, qui est desiderium; & actus amicitiæ propriè est charitatis: quia charitas primò inclinat ad amorem Dei propter se, vt patet à Doctore *in* 3. *dist.* 28. & 29. actus verò desiderandi non est propriè actus charitatis: sed magis actus spei: vt patebit *in* 3. *dist.* 26.

Actus amicitiæ propriè est charitatis, actus verò desiderandi est actus spei.

e *Ad primum argumentum tertiæ quæst.* Dicit Doctor quòd peccator, actu peccandi, non quietatur simpliciter: quia quietatio simpliciter, & vltimatè non tantùm sumitur per comparationem ad actum fruitionis; sed etiam per comparationem ad obiectum verè fruibile: immò principaliter: licèt ergo peccator actu peccandi quærat se quietari: quia tamen illo actu non inhæret immobili, siue obiecto verè quietatiuo: ideò simpliciter non quietatur. Ibi: *Nec hîc debet intelligi quietatio summa.* Dicit Doctor quòd quietatio sūma propriè erit in patria: de qua erit sermo *in* 4. *d.* 49. 2.

Peccator non quietatur.

Summa quietatio erit in patria.

Sed

Sed debet intelligi hîc *summa* suo modo propter actum irreferibilem, ita acceptantem obiectum.

f Ad secundum respondet Doctor, dicens: quòd ista potest negari, scilicet qui vult alium vti in actu suo non fruitur eo, & hoc loquendo de fruitione inordinata, possum enim inordinatè amare aliquod obiectum propter se, & sic frui illo; & tamen alium velle amare illud, non propter se, sed propter aliud: imò possum amare aliquod obiectum propter se,& sic frui eo,& tamen velle à nullo amari, nec propter se, nec propter aliud (& sic minùs appreciatur illud obiectum, quàm volendo alium amare illud in ordine ad aliud) vt patet in zelotypia. Et tunc dicam ad probationem maioris: quòd licèt fruens apprecietur fruibile tanquam summum bonum: non tamen vult illud ab omnibus sic appreciari, quando inordinatè sic fruitur: non igitur sequitur, vult illud, vel amat illud vt summum bonum; ergo vult alios illud amare vt summum bonum.

3.
Non oportet volentem antecedens, velle consequens quando consequens nō includitur per se in antecedente.

g *Aliter potest responderi negando minorem.* Dicit Doctor, quòd non sequitur, aliquis vult fruibile esse, ergo vult illud esse à Deo: & ratio defectus est, quia *non oportet volentem antecedens, velle consequens, quando consequens non includitur per se in antecedente*; sicut si volo hominem esse, de necessitate volo ipsum esse animal: quia hoc consequens est de per se intellectu antecedentis. Sed quando non est de intellectu antecedentis, vel saltem realiter non includitur in illo, non sequitur, quòd si volo antecedens, quòd velim consequens, sic in proposito non sequitur: Volo hoc fruibile esse, ergo volo illud esse à Deo; *sed tantùm sequitur per locum extrinsecum*, qui est ab effectu causæ efficientis ad causam efficientem. Sed de isto an volens antecedens necessariò velit consequens, etiam posito, quòd consequens sit de per se intellectu antecedentis: vide quæ dicit Doctor *in 2.d.6.q.2.* in responsione ad quartum argumentum factum pro opin. S. Thomæ.

h *Ad argumentum quæstionis vltimæ.* Dicit Doctor quòd appetitus naturalis non inhæret alicui contrariè, & hoc vt in pluribus: quia fortè esset dubium de appetitu naturali voluntatis, vel intellectus: an alicui possit inhærere contrariè: licèt hoc non possit sustentari apud Doctorē, quia appetitus naturalis superest respectu boni commodi: vt patet ab ipso *in 2.d.6.q.2.& 49.4.* Posito tamen quòd possit sic inhærere, non tamen actu elicito amoris: quia appetitus naturalis nullum actum elicitum dicit: sed tantùm naturalem inclinationem: vt patuit suprà *q.4.&* diffusè *in 4.d.49.* modò frui est amore inhærere: amore dico elicito à voluntate.

4.
Quomodo appetitus naturalis non sit actus elicitus, vide Scotum in 3. lib. sent. dist. 17. q. vnica.

DISTINCTIO SECVNDA.

A.
De Trinitate & vnitate secundùm quòd creditur.
Cap. 2.
Aug. tom. 1. in lib. 1. soliloq. 1.
Sumptū ex Aug. lib. 1. de Trin. c. 3.
1. Tim. 6. e.
Cap. 2.
Lib. 1. de Trin.
Cap. 3.

HOc itaque vera ac pia fide tenendum est, quòd [Trinitas vnus sit & solus verus Deus,] vt ait Augustinus in primo libro de Trinitate, scilicet, [Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & hæc Trinitas vnius eiusdémque substantiæ, vel essentiæ dicitur, creditur, & intelligitur; quæ est summum bonum, quod purgatissimis mentibus cernitur. Mentis enim humanæ acies inualida, in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur.] Idem *in lib. 1. Retract. cap. 4.* [Non approbo quod in oratione dixi, Deus qui non nisi mundos verum scire voluisti: responderi enim potest multos etiam non mundos multa scire vera.] De hac re ergo summa & excellentissima, cum modestia & timore agendum est, & attentissimis auribus, atque deuotis audiendum. [vbi quæritur vnitas Trinitatis, Patris scilicet, & Filij, & Spiritus sancti: quia nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid inuenitur.] Proinde omnis qui audit & legit ea quæ de ineffabili & inaccessibili luce diuinitatis dicuntur, studeat imitari atque seruare, quod venerabilis Doctor Augustinus in primo libro de Trinitate de se ipso ait, [Non pigebit me, inquit, sicubi hæsito quærere: nec pudebit sicubi erro discere. Quisquis ergo audit hæc, vel legit, vbi pariter certus est, pergat mecum: vbi pariter hæsitat, quærat mecum: vbi errorem suum cognoscit, redeat ad me: vbi meum, reuocet me. Ita ingrediamur simul charitatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum est, Quærite faciem eius semper.

Quæ fuerit intentio scribentium de Trinitate.

B. Psalm.104. Aug l.retr. 1.cap.4.vbi dixi de Patre & Filio, qui gignit, & quem gignit vnũ est, dicendum fuit vnum sunt, sicut ipsa veritas apertè loquitur. Ioan.1.f. dicens, ego & Pater vnũ sumus. De cons. dist.3. cap. omnes.

[OMnes autem Catholici tractatores, vt in eodem primo libro de Trinit.4. Augustinus ait, qui de Trinitate, quæ Deus est, scripserunt, hoc intenderunt secundùm Scripturas docere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, vnius sint substantiæ, & inseparabili æqualitate vnus sint Deus.] vt sit vnitas in essentia, & pluralitas in personis, [ideóque non sunt tres Dij, sed vnus Deus, licèt Pater Filium genuerit, & ideò Filius non sit qui Pater est: Filiúsque à Patre sit genitus, & ideò Pater non sit qui Filius est, & Spiritus sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantùm Patris & Filij Spiritus, vtrique coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem.] [Teneamus ergo Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnum esse naturaliter Deum, vt ait Augustinus in libro de fide ad Petrum; neque tamen ipsum patrem esse, qui filius est, nec filium ipsum esse, qui pater est: nec Spiritum sanctum ipsum esse qui pater est, aut filius. Vna est enim Patris, & Filij, & Spiritus sancti essentia, quam Græci οὐσίαν vocant: in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus: quamuis sit personaliter alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus.]

Quis ordo sit seruandus cùm de Trinitate agitur.

C. Cap.2.a.

CÆterùm vt in primo libro de Trinitate Augustinus docet [primò secundùm auctoritates sanctarum Scripturarum, vtrùm fides ita se habeat demonstrandum est. Deinde aduersus garrulos ratiocinatores, elatiores, quàm capaciores rationibus catholicis & similitudinibus congruis ad defensionem & assertionem fidei vtendum est, vt eorum inquisitionibus satisfacientes, mansuetos pleniùs instruamus, & illi si nequiuerint inuenire quod quærunt, de suis mentibus potiùs quàm de ipsa veritate, vel de nostra assertione conquerantur.]

Testimonia Sanctorum de Trinitate.

D.

PRoponamus ergo in medium veteris ac noui Testamenti auctoritates, quibus diuinæ vnitatis atque Trinitatis veritas demonstretur; ac primum ipsa legis exordia occurrant, vbi Moses ait, Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus vnus est. Itẽ, Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Ægypti: non erunt tibi alij Dij præter me. Ecce hîc significauit vnitatem diuinæ naturæ. *Deus* enim, vt ait Ambrosius in primo libro de Fide, nomen est naturæ: *Dominus* verò nomen est potestatis. Item alibi Deus loquens ad Mosen, ait, Ego sum qui sum, & si quæsierint nomen meum, vade, & dic eis, Qui est, misit me ad vos. Dicens enim, Ego sum: non, Nos sumus, &. Qui est, non, Qui sumus, apertissimè declarauit, vnum solum Deum esse. In Cantico etiam Exodi legitur: Dominus omnipotens nomen eius, non ait, *Domini*: vnitatem volens significare. Personarum quoque pluralitatem & naturæ vnitatem simul ostendit Dominus in Genesi, dicens, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Dicens enim, *Faciamus*, & *nostram*, pluralitatem personarum ostendit: dicens verò *imaginem*, vnitatem essentiæ. Vt enim dicit Augustinus in libro de Fide ad Petrum. [Si in illa natura Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vna esset tantũ persona: non diceretur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã. Cùm enim dicit, Ad *imaginem*, ostendit

Deut.6.a. Exod.20.a. Ambr. de fide ad Gratianum, c.1. & 2. Exod.3. cap.15. Gen.1. Aug. ad finẽ cap.1.

ostendit vnam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret: cùm verò dicit, *Nostram*, ostendit eundem Deum, non vnam, sed plures esse personas.]

Apertè ostendit, quòd nec solitudo, nec diuersitas, nec singularitas ibi est, sed similitudo.

Hilarius quoque in lib. 3. de Trin. dicit his verbis significari, quòd in Trinitate nec diuersitas est, nec singularitas, vel solitudo: sed similitudo, & pluralitas, siue distinctio. ait enim sic, [Qui dixit, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: inuicem esse sui similes, in eo quod dicit, *Imaginem & similitudinem nostram*, ostendit. Imago enim sola non est, & similitudo sibi non est: neque diuersitatem duobus admisceri alterius ad alterum similitudo permittit. Item idē in 4. lib. absolutiùs voluit intelligi, significationem hanc non ad se esse referendam tantùm, dicendo, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, professio enim consortij sustulit intelligentiam singularitatis: quia consortium aliquod nec potest esse sibi ipsi solitario, neque rursum solitudo solitarij recipit *Faciamus*: neque quisquam alieno à se loquitur *nostram*. vterque ergo sermo, scilicet, *Faciamus*, & *Nostram*, vt solitarium eundémque non patitur: ita neque diuersum à se, alienúmque significat, solitario conuenit, *Faciam*, & *Meam*, non solitario verò conuenit dicere, *Faciamus* & *Nostram*, vterque sermo vt non solitarium tantùm, ita neque differentem esse, vel diuersum esse significat. Nobis quoque nec solitarius nec diuersus est confitendus. Ita ergo Deus ad communem sibi cum Deo imaginem, eandémque similitudinem hominem reperitur operari: vt nec significatio efficientis admittat intelligentiam solitudinis, nec operatio constituta ad eandem imaginē, vel similitudinem patiatur diuersitatem diuinitatis.] In his verbis Hilarius pluralitatem personarnm voluit intelligi nomine *consortij*: atque significauit nomine *consortij*, vel *pluralitatis* non poni aliquid, sed remoueri. Pluralitas enim, vel consortium personarum, cùm dicitur, solitudo, vel singularitas negatur: cùm dicimus plures esse personas, significamus quòd non est vna sola. Ideò Hilarius volens ista subtiliter & sanè intelligi, ait, [Professio consortij sustulit intelligentiam singularitatis:] nō dicit, *posuit aliquid*: ita etiam cùm dicimus tres personas, singularitatem & solitudinem tollimus: & quòd Pater non est solus, nec Filius est solus, nec Spiritus sanctus est solus, significamus: & quòd nec Pater tantùm est & Filius, nec Pater tantùm & Spiritus sanctus, nec Filius tantùm & Spiritus sanctus. De hoc autem in sequenti pleniùs agetur, vbi etiam secundùm quid similes dicantur tres personæ, & vtrum aliquo modo sit ibi diuersitas, vel differentia, ostendetur.

E. *Hilar. circa finem.* *Circa medium.* *Quid ex verbis Hilarij intelligi debeat?* *Hilar. loco eodem dist. videlicet 19. huius primi & 24. 31. ac 33.*

Ad idem quod cœperat redit, vt alias authoritates supponat.

Nunc verò ad propositum redeamus, & ad ostendendum personarum pluralitatem, atque essentiæ diuinæ vnitatem, alias Sanctorum authoritates inducamus. Moses dicit, In principio creauit Deus cœlum & terram: per *Deum* significans Patrem: per *principium* Filium. Et pro eo quod apud nos Deus dicitur, Hebraica veritas habet *Elohim*, quod est plurale huius singularis, quod est *El*. Quod ergo non est dictum *El*, quod est *Deus*: sed Elohim, quod interpretari potest *dij*, siue *iudices*, ad pluralitatem personarum refertur. Ad quam etiam illud attinere videtur, quod Diabolus per serpentem dixit:

F. *Genes. 1.*

Gen.3.b. Eritis sicut dij, pro quo in Hebraïco habetur, Elohim: ac si diceret, *Eritis sicut diuinæ personæ.* Ille etiam maximus Prophetarum & Regum Dauid, qui
Psalm.118. suam cæteris præfert intelligentiam, dicens, Super senes intellexi: vnitatem
Psalm.67. Psalm.80. diuinæ naturæ ostendens, ait: Dominus nomen est illi: non dicit *Domini.* Alibi etiam eiusdem vnitatem, & æternitatem simul ostendens, ait ex persona Dei, Israël si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis
* Vel de fide ad gratianum. Cap.5.d. Deum alienum. [Aliud horum, vt dicit Ambrosius in lib.1.* de Trinit. significat æternitatem: aliud vnitatem substantiæ indifferentis, vt neque posteriorem Patre, neque alterius diuinitatis Filium, vel Spiritum sanctum esse credamus: nam si Patre posterior est Filius, vel Spiritus sanctus, recens est, & si vnius non est diuinitatis, alienus est, sed nec posterior est, quia recens non est: nec alienus, quia ex Patre natus est Filius,] ex Patre processit Spiritus sanctus.
Psalm.32. Alibi quoque distinctionem personarum insinuans ait: Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Alibi etiam
Psalm.66. ait, Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Trina enim confessio Dei, Trinitatem exprimit personarum; vnitatem verò essentiæ aperit, cùm singulariter subiungit *eum.* Esaias
Esaia 6. Psalm.8. quoque dicit se audisse Seraphim clamantia, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus. Per hoc, quòd dicit ter *sanctus*, Trinitatem significat: per hoc quòd subdit, *Dominus Deus*, vnitatem essentiæ. Dauid quoque æternam Filij generationẽ apertè insinuat ex persona Filij, dicens: Dominus dixit ad me, Fi-
Esaia 53. lius meus es tu: ego hodie genui te. De hac generatione ineffabili Esaias ait. Generationem eius quis enarrabit? In libro quoque Sapientiæ æternitas Filij
Prou.8. cum Patre monstratur, vbi Sapientia ita loquitur: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio: ab æterno ordinata sum antequam terra fieret. necdum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum fontes, necdum montes, aut colles, & ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & cardines orbis terræ, quando præparabat cœlos, aderã; quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies ludens coram eo. Ecce apertũ de æterna genitura testimonium, quo ipsa Sapientia perhibet, se ante mundum conceptam esse, & parturiri, id est, genitam & apud Patrem æternaliter existere. Ipsa etiam alibi
Eccl.24. Michææ 5. ait: Ego ex ore Altissimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Michæas quoque Propheta æternam Verbi generationem, & temporalem ex Maria simul insinuauit, dicens, Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te egredietur, qui sit dominator in Israël: & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.

Specialia testimonia de Spiritu sancto.

G. Gen.1.a. Psalm.138. Sap.1.b. Esaia 61.a. DE Spiritu sancto etiam expressa documenta in veteri Testamento habemus. In Genes. legitur, Spiritus Domini ferebatur super aquas. Et Dauid dicit: Quò ibo à Spiritu tuo? In lib. Sap. dicitur, Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: benignus est enim spiritus sapientiæ. Esaias quoque ait, Spiritus Domini super me.

De testimonijs noui Testamenti.

H. Abac.3. NVnc verò post testimonia veteris Testamenti, de fide sanctæ Trinitatis & vnitatis, ad noui Testamenti auctoritates accedamus; vt in medio duûm

duûm animalium, id est, Testamentorum, cognoscatur veritas, & forcipe de altari sumatur calculus, quo tangantur ora fidelium. Dominus itaque Christus vnitatem diuinæ essentiæ, ac personarum Trinitatem, apertè insinuat, dicens Apostolus, Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. [*In nomine* vtique ait, vt Ambrosius ait in libro de fide, non *in nominibus*] vt vnitas essentiæ ostendatur per nomina tria, quæ supposuit, tres esse personas declarauit. Ipse etiam ait, Ego & Pater vnum sumus: [*vnum* dixit, vt ait Ambrosius in eodem, ne fiat discretio potestatis naturæ, & addidit *sumus*, vt Patrem Filiúmque cognoscas: scilicet, vt perfectus Pater Filium perfectum genuisse credatur, & quòd Pater & Filius vnum sint, non confusione personæ, sed vnitate naturæ.] Ioannes quoque in Epistola canonica ait, Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Ipse etiam in initio Euangelij sui ait, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: vbi apertè ostendit, Filium semper & æternaliter fuisse apud Patrem, vt alium apud alium. Apostolus quoque apertè Trinitatem distinguit, dicens, Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra: & alibi, si Spiritus eius qui suscitauit Iesum habitat in nobis, &c. Item alibi Trinitatem atque vnitatem euidentissimè commendat, dicens, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria. [*Ex ipso* ait, vt Augustinus *in lib. de Trinit.* ait, propter Patrem: *per ipsum*, dicit, propter Filium: *in ipso*, propter Spiritum sanctum.] Per hoc verò quòd non ait, *ex ipsis*, per *ipsos*, & *in ipsis*: nec ait, *ipsis gloria*, sed *ipsi*: insinuauit hanc Trinitatem vnum Deum esse. Sed quia singulæ penè syllabæ noui Testamenti hanc ineffabilis vnitatis, atque Trinitatis veritatem concorditer insinuant inductioni testimoniorum super hac re supersedeamus, & rationibus congruísque similitudinibus ita esse, provt infirmitas nostra valet, ostendamus.

Esaiæ 6. c. Matth. vlt. Cap. 11. Ioan. 10. Cap. eodem. 1. Ioan. 5. b. Ioan. 1. a. Galat. 4. a. Rom. 8. b Rom. 11. lib. 1. cap. 6.

QVÆSTIO I.

Vtrùm in entibus sit aliquid actu existens infinitum?

Alensis 1. *p. q.* 2. *m.* 2. *&* *q.* 3. *m.* 1. Richardus *infra d.* 3. *art.* 1. *q.* 2. 3. D.Thom. 1. *p. q.* 2. *art.* 1. 2. *&* 3. *vbi exposit.* D.Bon. *infrà d.* 3. *art.* 1. *q.* 2. 3 Mayronis *hic q.* 7. Henricus *in sum. art.* 22. *q.* 4. Ægyd. 1. *d.* 3. *q.* 1. *art.* 3. Marsil. 1. *q.* 5. *art.* 1. Suares 1. *p. art.* 1. *l.* 1. *c.* 1. Vasques 1. *p. d.* 20. *vide* Scot. 2. *Met. q.* 4. 5. 6. *&* 9. *Met. q.* 5. *de* 1. *princip. c.* 4. *in Theorem.* §. non potest probari, *&* §. omnis causa, *&* 8. *Physs. q.* 6. *&* 3. *Physs. q.* 9. *&* 10.

SCHOLIVM.

Pro parte negatiua arguit quadrupliciter, & in oppositum adducit tres auctoritates, remittens resolutionem quæstionis, & argumentorum solutiones in quæstionem sequentem.

1\. *Circa istam secundã dist. quâ Magister agit de essẽtia Dei, & eius vnitate, & personarũ pluralitate quæruntur 7. Nam circa primã partẽ quæruntur tria; duo de eius essentia, & vnum de eius vnitate primò quæritur vtrũ, &c.*

CIRCA distinctionem secundam quæro: Primò de his quæ pertinent ad vnitatem Dei, & primò: Vtrùm in entibus sit aliquid actu existens infinitum. Quòd non, sic arguitur: Si vnum contrarium esset in natura actu infinitum, nihil sibi contrarium esset in natura; ergo si aliquod bonum sit actu infinitum, nihil mali esset in vniuerso.

Respondetur, quòd maior est vera de contrariis formaliter. Nullum malum contrariatur Deo formaliter.

Contrà, siue formaliter, siue virtualiter contrarietur (si est infinitum) nihil patitur contrarium sui effectus: quia propter infinitam virtutem destruet omne incompossibile suo effectui: ergo maior est ita vera de contrario virtualiter, sicut formaliter, & est exemplum; si Sol esset infinitè calidus virtaliter, nihil relinqueret frigidum in vniuerso, sicut nec si esset infinitè calidus formaliter.

De hac re Franc. de Mayr.d.2. q.8. D.Thom.p. 1.q.7.art.2. D.Bonau. lib.1.d.2. art.1.q.3.

Item, corpus infinitum nullum aliud corpus secum compatitur, ergo nec ens infinitum aliud ens cum eo. Probatio consequentiæ: tum, quia sicut repugnat dimensio dimensioni, ita videtur actualitas actualitati repugnare. Tum, quia sicut si esset aliud corpus ab infinito, faceret cum illo aliquid maius infinito: ita si esset ens aliud ab infinito, faceret aliquid maius infinito.

Præterea, quod ita est hîc, quòd non alibi, est finitum respectu *vbi*; & quod ita est nunc, quòd non aliàs, est finitum respectu *quando*, & ita de aliis: & quod ita agit hoc, quòd non aliud, est finitum secundùm actionem: ergo quod est ita hoc aliquid, quod non aliud, est finitum secundùm entitatem: Deus est summè hoc, quia ex se est quædam singularitas: ergo non est infinitus.

Text.79. Item 8.Physic *Virtus infinita, si esset, moueret in non tempore*, nulla virtus potest mouere in non tempore: ergo, &c.

2. Text.78. Ratio ad opp. Contrà, ibidem. Philosophus 8. *Physic.* probat primum mouens esse potentiæ infinitæ, quia mouet motu infinito: sed hæc conclusio non potest intelligi tantùm de infinitate durationis, quia propter infinitatem potentiæ probat, quòd non possit esse in magnitudine: non repugnat autem magnitudini secundùm eum, quòd in ea sit potentia infinita secundùm durationem, sicut ponit in cœlo.

47. & 144. Al. 10. vel 12. Item Psalm. *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* Item Damasc.cap.4. *Est pelagus infinita continens.*

COMMENTARIVS.

Per se quo sensu accipitur hic.

TITVLVS quæstionis debet intelligi de infinito intensiuè, siue secundùm perfectionem entitatiuam, non autem de infinito extensiuo. Duo quærit Doctor, vtrùm aliquid sit existens infinitum; & vtrùm Deum esse sit per se notum, seu an Deum esse sit propositio per se nota?

Nota in primo argumento differentiam contrariorum formaliter, & virtualiter. Illa dicuntur repugnare formaliter, quorum vnum formaliter expellit aliud, ita vt vnum formaliter alteri succedat, sicut caliditas, & frigiditas, priuatio, & habitus, & huiusmodi. Illud verò dicitur repugnare virtualiter alteri, quod habet in virtute sua aliquem effectum, qui formaliter repugnat alteri, & sic aqua dicitur repugnare virtualiter caliditati, quia habet in virtute sua frigiditatem, quæ formaliter repugnat caliditati. Similiter ignis virtualiter repugnat frigiditati, quia habet in virtute sua caliditatem, quo formaliter repugnat frigiditati. Ex his patet argumentum Doctoris: Si datur infinitum bonum in vniuerso, de necessitate destruet omnem, & hoc formaliter, si ipsum repugnat malo formaliter, vel saltem virtualiter, vt patet in exemplo de Sole.

Argumentum secundum de corpore infinito, clarum est. Item tertium.

QVÆSTIO II.

An aliquod infinitum, siue an Deum esse, sit per se notum?

Alensis 1.*part.quæst.3.m.2.& quæst.6.m.2.* D.Thom. 1.*part.2.art.1.& 10.contra gent.cap.10.*Henr.*quodlib.4. quæst.3.& sum.art.22.quæst.2.* D.Bonau. *hîc quæst.1.art.1.* Mayron.*hîc quæst.1.*Richard.1.*d.3.art.1.quæst.2.* Occam *quæst.4.post med.*Duran.*quæst.3.*Gabr.*quæst.4.art.2.* Greg.*hîc quæst.1.art.2.* Capreol.*quæst.2.art.1.* Bassol.*quæst.2.*Scot.*infr.d.8.quæst.5.& quodlib.7.* Suares *Met.d.29.sect.1. vide* Scot. 8.*Met.q.4.& 9.Met. quæst.1.in Theorem.§.causa est prior naturaliter.*

1. D.Thom.p. 1.q.2.art.1. Occam 1. d.3. q.4. Text.com.1. & 4. Arg.2.

QVOD sic probo. Damasc lib.1. cap.1. & 2. *Eius quod est Deus esse, cognitio omnibus est naturaliter inserta:* sed illud est per se notum cuius notitia omnibus inserta est: sicut patet *ex 2. Metaph.* quòd prima principia, quæ sunt quasi ianua, sunt per se nota, ergo, &c.

Præterea, illud quo nihil maius cogitari potest esse, est per se notum: Deus autem est huiusmodi, secundùm Anselm. Prosol. secundo: illud autem non est aliquod finitum, ergo infinitum. Prima probatur, quia oppositum prædicati repugnat subiecto: si enim non est in re, non est quo maius cogitari non potest, quia si esset in re, maius esset quàm si non esset in re, sed tantùm in intellectu.

Arg.3. Hier.10. Io.3.14. & 18. Arg.4.

Item, veritatem esse, est per se notum, *Deus autem est veritas*, ergo Deum esse est per se notum. Probatio maioris, quia sequitur ex suo opposito. Si enim nulla veritas est, ergo verum est nullam veritatem esse, ergo veritas, &c.

Item, propositiones habentes necessitatem secundùm *quid* ex terminis habentibus entitatem secundùm *quid*, sunt per se notæ, sicut prima principia, quæ sunt per se nota ex terminis habentibus esse in intellectu: ergo multò magis erit illa per se nota, quæ habet

habet necessitatem ex terminis simpliciter necessariis, qualis est ista; *Deus est.* Assumptum patet, quia necessitas primorum principiorum,& noscibilitas eorum, non est propter existentiam terminorum in re, sed tantùm propter connexionem extremorum, vt sunt in intellectu concipiente.

Contrà; per se notum non potest ab aliquo negari: sed,*Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* 2. *Ratio ad op. Psalm.* 13. *& 52.*

Item Auicenna 1.*Metaphys.Deum esse, non est per se notum,nec desperatum cognosci.*

COMMENTARIVS.

PRIMVM argumentum clarum est.

Secundum argumentum: Illud quo maius cogitari non potest, est per se notum; Deus est id, quo maius cogitari non potest, illud autem est infinitum. Patet, quia si esset finitum, maius cogitari posset: quia infinitum est maius: ergo Deum esse infinitum, est per se notum. Si dicatur, quòd Deum esse infinitum, est tantùm in intellectu, siue in cogitatione, & non in re. Contrà, quia tunc non esset maius, quo cogitari possit: maius est enim esse in re, quàm solùm in cogitatione, quia vt in cogitatione præcisè, est ens secundùm *quid* denominatione intrinseca: esse verò in re est ens simpliciter denominatione intrinseca. Sequitur ergo quòd infinitum esse in re sit simpliciter per se notum.

Tertium argumentum clarum est.

SCHOLIVM.

Definit propositionem per se notam, & docet definitionem ac definitum esse terminos distinctos. 1. quia definitio est medium in demonstratione potissima non definitum. 2. aliàs tantùm essent duo termini in tali demonstratione, ac petitio principij. 3. definitum se habet ad definitionem sicut totum ad partes, quod est prius partibus, notum.

QVoniam [a] secundùm Philosophum 2. *Metaph. absurdum est simul quærere scientiam & modum sciendi*, ideò primò respondeo ad secundam quæstionem, quæ quærit de modo cognoscendi istam: *Deus est*, & quantum ad istam, primò assigno rationem propositionis per se notæ, & dico sic, quòd cùm dicitur propositio per se nota,ly *,per se*, non excludit quamlibet causam, quia non excludit terminos propositionis. Nulla enim propositio per se nota est exclusiua notitiæ terminorum, quia principia prima cognoscimus, in quantum terminos cognoscimus: sed excluditur quæcunque causa, & ratio, quæ est extra per se conceptum terminorum propositionis per se notæ. *Vide eum 8. Met. text. 15. Ratio propositionis per se notæ. 1.Posteriorũ text.6.*

Dicitur igitur [b] *, propositio per se nota, quæ ex terminis proprijs,qui sunt aliquid eius, vt sunt eius, habet veritatem euidentem.* *Idem sensit Arist. 1. Poster. t. 25.*

Et non propter aliquid aliud, quod sit extra terminos proprios habet euidentiam, sed ex se tantùm, vt *omne totum est maius sua parte.* *Vt sunt eius, siue distinctè, siue confusè.*

Vlteriùs [c], qui sunt illi termini proprij, ex quibus debet esse euidens? Dico, quòd quo ad hoc, alius terminus est definitio, alius definitum, & hoc siue accipiantur termini propositionis pro vocibus significantibus; siue pro conceptibus significatis, quod probo ex *primo Posteriorum,* quia *quod quid est alterius extremi, est medium in demonstratione:* ergo altera præmissarum non differt à conclusione, nisi sicut definitum à definitione, & tamen præmissa est principium per se notum. Conclusio autem non est per se nota,sed demonstrata, ergo quantum ad rationem propositionis per se notæ, alius terminus est definitio à definito. Quia si esset idem conceptus definitionis, & definiti, in demonstratione potissima esset petitio principij. Idem, tunc essent ibi duo termini tantùm,quod est falsum. *Text.10.& 20. & expressius in 2. habetur t.8.*

Hoc probatur secundò sic per Aristotelem 1. Physic. *Quod nomina sustinent ad definitionem hoc, quod totum ad partes*, id est, quod nomen est priùs notum definitione. Ex hoc arguitur, impossibile est eundem conceptum esse priorem, & posteriorem haberi, & non haberi de eadem re: sed idem potest priùs concipi secundùm nomen, quàm secundùm definitionem: nomen autem confusè importat, quod definitio distinctè, quia definitio diuidit in singularia: ergo conceptus quiditatis, prout importatur per nomen confusè, est prius notus naturaliter, quàm conceptus eius, vt importatur distinctè per definitionem, & ita alius conceptus, & aliud extremum. *Esse ex natura rei distinctionem inter definitionem, & definitum secundùm Philos. & Auicen. 1. Phys. t. c. 28. Text. 5.*

COMMENTARIVS.

a QVoniam secundùm Philosophum. Quia ista litera est satis difficilis. Primò notandum est de propositione per se nota, quod ly *per se* non accipitur, propriè loquendo, vt distinguitur contra *per accidens*: quia non dicimus, quòd per se notum prædicetur de aliqua propositione in primo, vel in secundo modo dicendi per se, vt patet, sed ly *per se* accipitur, vt distinguitur contr

contra ly *per aliud*: ita quòd per se excludit quamcunque aliam notitiam, præter notitiam terminorum; quia *primo Poster.* propositio per se nota immediatè cognoscitur, cognitis terminis. Et ideò dicit Doctor quòd in propositione per se nota excluditur quæcunque causa & ratio, quæ est extra per se conceptum terminorum propositionis per se notæ.

Deum esse, est demonstrabile in nostro intellectu physicè, via motus, metaphysicè via eminentia.

Et si dicatur, nónne notitia propositionis per se notæ causatur aliunde, quàm à terminis, saltem partialiter? quia ab intellectu posset probari ex dictis Doctoris infrà *d. 3. q. 5. & 7. & in quol. q. 15.* imò talis notitia causatur, saltem partialiter à voluntate diuina: vt patebit infrà *d. 3. q. 4.*

Per se non excludit causam efficientem.

Dico, quòd ly *per se* non excludit causam efficientem notitiæ propositionis per se notæ: quia certum est quòd intellectus concurrit effectiuè; sed excludit quamcunque aliam notitiam terminorum: ita quòd cognitis terminis, statim intellectus causat euidentem notitiam illius propositionis, ita quòd non habet necesse ad hoc, vt talis notitia sit euidens, quòd dependeat ab alia notitia, præter notitiam terminorum, sicut habet necesse in propositione non per se nota. Potest etiam dici quòd aliud est loqui de euidentia propositionis, & aliud de notitia talis euidentiæ. Primo modo dico, quòd sicut euidentia propositionis per se notæ, est formaliter à terminis, ita notitia eiusdem, vt euidens est, à notitia terminorum, licèt ergo notitia propositionis per se notæ, absolutè sumpta, sit partialiter ab intellectu, tamen vt euidens, est à notitia terminorum. Si dicatur, Nonne voluntas diuina potest immediatè causare notitiam, propositionis, vt euidentem? Dico, quòd potest causare immediatè notitiam terminorum, post, notitiam propositionis. Non enim esset possibile cognoscere aliquam propositionem, terminis non præcognitis, vel saltem simul cognitis: illa tamen notitia non esset euidens intellectui, nisi à notitia terminorum, quod benè nota.

2. Definitio propositionis per se notæ.

Deinde Doctor definit propositionem per se notam, ibi: *Dicitur igitur propositio per se nota*, hoc est, quia non qualescunque termini possunt facere propositionem per se notam, sed proprij, & speciales termini faciunt illam, vt ipse declarat parum infrà. Sequitur: *vt sunt eius*, id est, eo modo, quo ponuntur illi termini proprij in ea: vt in concreto, vel in abstracto distinctè, vel confusè. Nam aliquando propositio est per se nota, quando ponitur terminus distinctè in ea, vt *animal rationale est risibile*: nam *animal rationale* distinctè improbat, quòd *homo* confusè. Aliquando ponitur terminus confusè, & non erit per se nota, vt *homo est risibilis*, nam ly *homo* ponitur confusè. Aliquando etiam erit per se nota, terminis confusè conceptis, & patebit infrà: ideò dicit Doctor, *vt sunt eius*.

c Deinde declarat qui sunt termini proprij propositionis per se notæ, ibi: *Vlterius*. Et dicit, quòd *alius terminus est definitio, & alius definitum*: non sic intelligendo, quòd termini propositionis per se notæ, puta prædicatum, & subiectum, sic se habeant, quòd subiectum sit definitum, & prædicatum definitio subiecti; vel quòd subiectum sit definitio & prædicatum definitum: quia tunc ista non esset per se nota: *animal rationale est risibile*: nec ista, *omne totum est maius sua parte*, & multæ aliæ. Nam aliquando subiectum distinctè importatum, quod est definitio, facit propositionem per se notam cum alio termino, vt in ista, *animal rationale est risibile*: quia cognitis istis terminis, erit euidens animal rationale esse immediatam, & præcisam causam ipsius risibilitatis: non sic est de homine respectu risibilitatis. Aliquando etiam accipiuntur termini confusè ab aliquo artifice: qui ex illis immediatè habebit propositionem per se notam.

3. Termini proprij propositionis per se nota sunt subiectum & prædicatum.

Deinde declarat Doctor quòd terminus definitionis, & terminus definiti, siue accipiantur pro ipsis vocibus, siue pro conceptibus, quòd differunt, & hoc intendit probare per hoc, quia si essent penitus idem, nunquam posset esse propositio per se nota terminis distinctè acceptis; quæ non esset per se nota terminis confusè acceptis; & sic ista: *homo est risibilis*, esset ita per se nota, sicut ista: *animal rationale est risibile*: & probatio quòd isti termini differant, satis patet in litera, quia si definitio, & definitum essent penitus idem, in demonstratione potissima esset petitio principij: patet, quia vnus modus petitionis principij est, quando probamus aliquid per æquè notum. Si ergo *homo*, & *animal rationale* sunt penitus idem, ergo ista propositio *homo est risibilis*, est æquè nota sicut ista, *animal rationale est risibile*. Item, in demonstratione potissima essent tantùm duo termini, si definitio, & definitum essent penitus idem.

4. Terminus definitionis, & terminus definiti semper differunt.

Vltimò hoc idem probat per Aristotelem 1. *Phys. t. c. 5.* quia *nomina sustinent ad definitionem, hoc quod totū ad partes*, id est, quòd definitum se habet ad definitionem, sicut totum ad partes; sed tototum priùs cognoscitur confusè, & pòst per partes distinctè, sic & definitum priùs cognoscitur confusè, & pòst per definitionem distinctè: definitio ergo distinctè importat hoc, quod definitum importat confusè. Si ergo definitio & definitum essent penitus idem: tunc, vel vtrumque idem importaret distinctè, vel confusè, quod est manifestè falsum.

SCHOLIVM.

Infert non esse propositionem per se notam terminis confusè acceptis, si requiratur eosdem distinctè, seu per definitionem cognosci; quod probat tripliciter, & improbat quasdam distinctiones D. Thom. & Varronis de propositione per se nota, & per se noscibili.

3. Duo hac sunt, definitio propositionis per se nota, & definitionem ac definitū esse terminos distinctos.

EX duobus [a] declaratis infero propositionem sic: Cùm propositio sit per se nota, quæ ex propriis terminis habet euidentem veritatem, & alij termini sunt conceptus quiditatis, distinctè, vt importatur per definitionem, & conceptus quiditatis confusè, vt importatur per nomen; sequitur, quòd propositio non est per se nota quiditate confusè accepta, quæ non est nota, nisi eadem distinctè concipiatur per definitionem.

Hæc etiam [b] eadem conclusio probatur, quia aliàs quælibet propositio, quæ est vera in

in primo modo, vt homo est animal, & corpus, vsque ad substantiam, esset per se nota, quod tamen non est verum. Nam si ratio vtriusque extremi assignatur ex rationibus extremorum distinctè conceptis, apparet manifestum, quòd vnum extremum includit aliud. Similiter aliàs [c] quælibet propositio esset per se nota in scientiis specialibus, quam Metaphysicus posset habere per se notam ex definitionibus extremorum, quod non est verum, quia Geometer non vtitur aliquibus principiis tanquam per se notis, nisi quæ habent euidentem veritatem ex terminis confusè cognitis, puta concipiendo lineam confusè: euidens est, quòd linea est longitudo sine latitudine, non concipiendo adhuc distinctè, ad quod genus pertineat linea, sicut considerat Metaphysicus. Alias autem propositiones, quas Metaphysicus posset cognoscere, puta, quòd linea est species quantitatis continuæ distincta contra superficiem, & corpus, & huiusmodi propositiones non habet Geometer pro per se notis.

Concorda cum eo quod dicit §. ex his.

Patet hoc tertiò [d]. Quia benè stat demonstratio alicuius prædicati de definito cum hoc, quòd illud prædicatum sit per se notum de definitione, sicut *habere tres*, est demonstrabile de triangulo: cùm tamen notum sit per se de eius definitione, quòd omnis figura plana, &c. Est igitur omnis, & sola illa propositio per se nota, quæ ex terminis sic conceptis, vt sunt eius termini, nata est habere euidentem veritatem complexionis.

Ex hoc patet [e], quòd non est distinguere inter propositionem esse per se notam, & per se noscibilem, quia idem sunt. Nam propositio non dicitur per se nota, quia ab aliquo intellectu cognoscatur per se; tunc enim si nullus intellectus actu cognosceret, nulla propositio esset per se nota: sed dicitur per se nota, quia quantum est de natura terminorum, nata est habere euidentem veritatem contentam in terminis, etiam in quocunque intellectu concipiente terminos: si tamen aliquis intellectus non concipiat terminos, & ita non concipiat propositionem: non minùs est per se nota, quantum est de se, & sic loquimur de propositione per se nota.

Thom. 1. p. sum. quæst. 2. art. 1. in solutione principali. Vide Alex. de Alex. 1. p. q. 3.

Ex his patet, quòd nulla [f] est distinctio de per se nota in se, & in nobis, quia quæcunque est in se & per se nota, cuicunque intellectui est per se nota, licèt non actu cognita, tamen quantum est ex terminis est euidenter nota, si termini concipiantur.

Thom. vbi supr.

Sicut de Syllogismo perfecto, qui nullius indiget, vt appareat necessarius.

Item, propter idem [g] non valet illa distinctio, quòd aliquid est per se notum sapientibus, vel insipientibus, quia hoc totum pertinet ad conceptionem terminorum, quæ præsupponitur ad intellectum propositionis per se notæ.

Primo priori c. 1. Thom. vbi supr. & 1. 2. q. 94. art. 2. & Alex. 1. par. q. 3.

Licèt sic distinguat Boëtius in hebdomadibus communem conceptionem. Sed vel non est idem propositio per se nota, & communis animi conceptio: vel ipse intelligit de concepta, non de conceptibili sub ratione terminorum distinctè.

Nec illa [h] distinctio valet, quòd aliquæ sunt per se notæ primi ordinis, aliquæ secundi: quæcunque per se notæ propositiones conceptis terminis propriis, sicut sunt termini eius, habent euidentem veritatem in ordine suo.

Ponitur à Maurit. vt additio, sed habetur in vetustis Mss. Guil. var. lib. 1. dist. 2. q. 8.

COMMENTARIVS.

1. a EX *duobus declaratis.* Dicit Doctor hic, quòd declarata propositione per se nota, & secundò, quomodo alius est terminus definitionis, & alius est terminus definiti, infert vnam conclusionem, quòd nunquam est aliqua propositio per se nota de quiditate confusè accepta, nisi eadem sit per se nota, de quiditate distinctè accepta. Nam secundùm Doctorem, omnis propositio, quæ est per se nota, terminis confusè acceptis, erit etiam per se nota, si termini distinctè concipiantur: non tamen è contra, scilicet quòd non omnis propositio per se nota, terminis distinctè conceptis, erit per se nota terminis confusè conceptis, & hoc probat tripliciter.

b Primò ibi: *Hæc etiam eadem conclusio probatur.* Et sententia literæ est; quòd si omnis propositio, quæ est per se nota, terminis distinctè conceptis, esset per se nota terminis confusè conceptis, tunc propositio, in qua superius prædicatur de inferiori, vt hæc, *homo est animal*, vel *substantia*, in qua termini confusè concipiuntur, esset per se nota, quod est falsum. Si tamen termini distinctè concipiuntur, erit per se nota; quia tunc manifestum, quòd vnum extremum includit aliud.

Secundò ibi: *Similiter aliàs quælibet propositio esset per se nota in scientijs*, &c. Sequitur ergo, quòd definitio distinguitur à definito, & si nullo modo distinguerentur, tunc Geometer habens propositionem per se notam, terminis confusè conceptis, statim haberet per se notam, terminis distinctè conceptis, cuius oppositum patet in litera: & aliqua propositio potest esse per se nota, terminis distinctè conceptis, quæ non erit per se nota, terminis confusè conceptis. 2.

Definitio distinguitur à definito.

d Tertiò ibi: *Patet hoc tertiò.* Scilicet, quòd non omnis propositio per se nota, de quiditate distinctè accepta, puta de definitione, est per se nota, de quiditate confusè accepta, puta de definito: patet, nam risibile est per se notum de animali rationali, vt est quiditas hominis distincta, & tamen non est per se notum de homine, qui est definitum: patet, quia est demonstrabile de ipso. Similiter *habere tres angulos æquales duobus rectis*, est per se notum de definitione trianguli, quæ est ista: *Omnis figura plana, tribus lineis contenta, habet*

bet tres angulos, æquales duobus rectis, & tamen illa passio, quæ est *habere tres*, &c. non est per se nota de triangulo; imò demonstratur per definitionem trianguli. Concludit ergo Doctor quòd illa dicitur propositio per se nota, quæ habet euidentem veritatem, ex propriis terminis eius, vt sunt eius: ita quòd quicunque intellectus perfectè concipit tales terminos, statim habet euidentem veritatem de vnione terminorum: quia sunt tales termini, qui quantum est ex parte eorum, semper nati sunt facere euidentem veritatem de vnione eorum cuicunque intellectui, concipienti illos.

5. e *Ex hoc patet.* Hîc Doctor improbat opinionem Thomæ *in prima parte, quæst. 2. art. 1. in solutione principali*, vbi dicit quòd *contingit aliquid esse per se notum dupliciter. Vno modo secundùm se, & non quo ad nos. Alio modo secundùm se, & quo ad nos. Ex hoc enim aliqua propositio est per se nota: quia prædicatum includitur in ratione subiecti: vt*, homo est animal: *nam* animal *est de ratione* hominis. *Si igitur notum sit omnibus de prædicato, & de subiecto quid sit: propositio illa erit omnibus per se nota. Si autem apud aliquos notum sit de prædicato, & subiecto quid sit, propositio, quantum in se est, erit per se nota: non tamen apud illos, qui prædicatum, & subiectum propositionis ignorant.* Hæc ille. Contra hoc instat Doctor, quia propositio per se nota, & per se noscibilis idem sunt. Non enim propositio dicitur per se nota: quia ab aliquo intellectu actu cognoscitur per se: si enim nullus intellectus eam cognosceret, tunc nulla propositio erit per se nota. Dicitur enim per se nota, quia quantum est de natura terminorum, nata est habere euidentem veritatem, siue euidentem conformitatem prædicati ad subiectum, vt magis infrà patebit *d. 3. q. 4.*

f *Ex his patet.* Hîc etiam Doctor improbat Thom. vbi suprà, qui facit distinctionem inter propositionem per se notam in se, & in nobis: quia quæcunque est per se nota cuicunque intellectui, erit per se nota, licèt non actu cognita: tamen quantum est ex terminis est euidenter nota, si termini concipiantur.

g *Item propter idem.* Hîc Doctor improbat opinionem Thom. vbi suprà, qui distinguit propositionem per se notam sapientibus, vel insipientibus. *Quædam*, inquit, *sunt animi conceptiones, & per se notæ apud sapientes tantùm: vt incorporalia in loco non esse*, & adducit Boëtium de Hebdom. Contra quam arguit Doctor, quia hoc totum pertinet ad conceptionem terminorum, quæ præsupponitur ad intellectum propositionis per se notæ. Habet enim propositio per se nota euidentem veritatem ratione terminorum, quòd modò concipiantur, vel quòd non concipiantur accidit ei, non dicitur per se nota, quia concipitur, quia si non conciperetur, adhuc esset per se nota.

h *Nec illa distinctio valet.* Hîc improbat vnam distinctionem Guill. Var. *lib. 1. distinct. 2. quæst. 8.* qui vult, quòd aliquæ sint per se notæ primi ordinis, aliquæ secundi ordinis; quia quæcunque in suo ordine habet euidentem veritatem. Ita enim ista: *animal rationale est risibile*, est per se nota concipienti terminos; sicut ista: *omne totum est maius sua parte*, erit euidens terminis conceptis; omnes enim sunt simpliciter euidentes ex suis terminis.

4. Inter quas Reuer. Magister Guill. Ocham arguit contra aliqua dicta Doctoris de propositione per se nota: præsertim contra hoc, quod dicit Doctor quòd aliquid est per se notũ de definitione, quod non est per se notum de definito. Nam hæc est per se nota: *Animal rationale est risibile*, & hæc nõ est per se nota: *Homo est risibilis*: & probat, quòd hæc non sit per se nota: *Animal rationale est risibile*, & accipit vnum dictum Doctoris *dist. 2. quæst. 1. primi*, quòd prædicatum non est per se notum de aliquo subiecto composito, nisi sit per se notum, partes illius subiecti vniri. Sed Ocham addit minorem: sed non est per se notum partes definitionis per se vniri. Probat, quia in definitione propriè dicta exprimuntur partes, realiter distinctæ, ipsius definiti: & tales partes possunt cognosci, quamuis non sit per se notum illas vniri. Item, quælibet talis vnio partium est contingens: (vt patet de materia & forma.) ergo vna pars non est per se nota de alia. Si dicatur, (vt aliqui dicunt) quòd vnio actualis est contingens: sed non potentialis. Contra hoc arguit: quia per definitionem non exprimitur vnio potentialis, sed actualis: sicut dicimus, quòd potest esse animal rationale.

Vltimò arguit dicens; quòd si aliquod prædicatum est per se notum de definitione, & non de definito, maximè ipsum definitum esset per se notum de definitione, quod est falsum.

Respondetur primò, quòd eo modo, quo aliquid definitur, eo modo partes definitionis vniuntur. Nam si homo definiatur physicaliter, partes definitionis considerantur, vt physicaliter vniuntur: sicut dicimus, quòd homo physicaliter est quid cõstans ex anima, & corpore. Si verò definiatur metaphysicaliter, nõ definitur propriè per rem, & rem: sed magis per realitatem, & realitatem, quæ realitates abstrahuntur ab alia, & alia re, si definitum sit verè compositum; vel ab alia, & alia realitate si definitum sit simplex, vt albedo; & hoc patet à Doctore *in 1. d. 8.* Dico ergo, quòd definitio propriè dicta datur tantùm de definito in communi primò, & per se, vt præscindit ab omni existentia, & tunc dico, quòd notum est intellectui, concipienti partes definitionis illas vniri, non quòd vna prædicetur per se de alia, nec per se primo modo, nec secundo modo, vt patet à Doctore *7. suæ Metaphysicæ, & d. 3. & 8. primi*, nec hoc est necesse, quòd vna pars, quæ nota est vniri alteri, per se prædicetur de alia: (vt patet in multis) sed sufficit hoc, quòd cognoscens illas abstractiuè, sit sibi euidens vnio illarum partium.

Et quando dicit, quòd illæ partes realiter distinguuntur. Dico, quod etsi physicaliter considerátæ, & secundùm, quod existunt realiter distinguantur; tamen, vt considerantur secundùm realitates, secundùm quas propriè definiuntur: vt cùm dicimus, *homo est animal rationale*, dico, quòd etsi formaliter distinguantur: non tamen realiter, etiam quando sumuntur à diuersis rebus. Et posito etiam, quòd realiter distinguantur, adhuc non sequitur, quin sit notum, vnam vniri alteri. Nam secundùm multos propria passio realiter distinguitur à subiecto, & definitione subiecti, & tamen est per se nota de subiecti definitione. 5.

Nota de partibus definitionis.

Item, pars realiter distinguitur à toto, quia potest manere toto destructo, & tamen hæc est per se nota; *Totum est maius sua parte.* Item, quando dicit, quòd hæc vnio est contingens, negatur: imò dico, quòd sicut homo quiditatiuè sumptus, est necesse esse, saltem necessitate secundùm

eundùm *quid*, ita & vnio partium est necessaria: definitur enim homo (vt dixi) vt præscindit ab omni existentia actuali, & sic concedo, quòd talis vnio est actualis, & quòd actu homo est animal rationale, & hæc fuit vera ab æterno, & quomodo homo dicatur componi sic in communi, & dicatur definiri, &c. vide diffusè Doctorem *in 3. dist.* 22. Et quando vltimò dicit, quòd hæc esset magis per se nota, vbi definitum prædicatur de definitione, vt hæc: *animal rationale est homo.* Dico breuiter, quòd propositio per se nota præsupponit prædicationem per se rectam: recta autem prædicatio non est definiti de definitione: sed è contra. Nam in propositione per se nota est euidentia, prædicatum euidenter vniri subiecto: modò non dicimus definitum propriè vniri definitioni, sed è contra.

Prædicatio recta est quãdo definitio prædicatur de definito, vel superius de suo inferiori.

SCHOLIVM.

Ista propositio, Deus est, *intellecta de* esse *proprio Dei, est per se nota: quia est per se primo modo, & ex terminis euidens. Non contradicit sibi, anteà dicenti, non omnem propositionem in primo modo, esse per se notam, quia hîc termini distinctè concipiuntur, & sic faciunt euidentiam complexionis, ibi confusè concepti hanc non faciunt.*

EX his ad [a] quæstionem dico, quòd propositio illa est per se nota, quæ coniungit ista extrema, *esse*, & *essentiam diuinam*, vt est hæc, siue *Deum* & *esse* sibi proprium. 4.

Declaratio mentis propria.

Quia illa ex terminis suis habet euidentem veritatem, in tantum, quòd illa propositio non est per se secundo modo, quasi prædicatum sit extra rationem subiecti; sed per se primo modo, & immediata & ex terminis euidens, quia est immediatissima, ad quam resoluuntur omnes propositiones enunciantes aliquid de Deo, qualitercunque concepto.

An existere sit de essẽtia Dei.

Scot. quodl. 6. & quodl. 1.

ADDITIO.

Est igitur ista, Deus est, *vel hæc,* essentia est, *per se nota, quia ista extrema nata sunt facere euidentiam de ista complexione cuilibet apprehendenti perfectè extrema istius complexionis, quia* esse *nulli perfectiùs conuenit, quàm huic essentiæ. Sic ergo intelligendo per nomen* Dei *aliquid, quod nos non perfectè cognoscimus, nec concipimus, vt hanc essentiam diuinam, sic hæc est per se nota* : *Deus est*

Sed si quæritur [b], an *esse* insit alicui conceptui, quem nos concipimus de Deo, ita quòd sit propositio per se nota, in qua enunciatur *esse* de tali conceptu: puta in tali propositione, cuius extrema possunt à nobis concipi. Potest enim in intellectu nostro esse aliquis conceptus de Deo dictus non communis sibi & creaturæ, puta *necessariò ens*, vel *ens infinitum*, vel *summum bonum*, & de tali conceptu possumus prædicare *esse*, eo modo, quo à nobis concipitur.

COMMENTARIVS.

1. a EX *his ad quæstionem*. Hìc Doctor declarat intentum principale: videlicet quomodo ista propositio, *Deus est*, sit per se nota: supple intellectui, distinctè apprehendenti terminos. Et ratio Doctoris principaliter in hoc consistit, scilicet quòd existentia prædicetur per se primo modo de Deo. Nam si quis distinctè videret Deitatem, & ipsam existentiam, statim esset sibi euidens vnio, & conformitas huius prædicati, quod est *esse*, ad subiectum, quod est *Deus*. Hoc idem vult *q. 1. Quodlib.* quòd existentia sit de essentia Dei.

Existentia est de essentia Dei.

Ex his dictis aliqui volunt, quòd intentio Doctoris sit, quòd omnis propositio primi modi, sit per se nota, ex hoc quòd dicit: quòd hæc propositio est per se nota *Deus est*: quia existentia prædicatur de Deo in primo modo. Sed certum est, quòd non est intentio eius, quòd omnis propositio per se primi modi sit per se nota, vt multi eum exponunt. Nam suprà in articulo primo, dixit, quòd hæc non est per se nota, *homo est animal*: aliqua tamen potest esse per se nota. Dico secundò, quòd non haberem pro inconuenienti, quòd omnis talis propositio dicatur per se nota, terminis distinctè conceptis. Nam si quis distinctè conciperet hominem, & distinctè conciperet animal, statim esset sibi euidens, & manifesta inclusio essentialis ipsius animalis in homine. Et sic dico de quocunque superiori, puta, quòd homo sit substantia.

Impugnatio aliquorum.

Si dicatur, quòd hæc potest demonstrari, sic arguendo: *Omne animal est substantia*; *omnis homo est animal*; *ergo omnis homo est substantia.* Et si sic, non erit per se nota.

Obiectio.

Dico, quòd multæ sunt propositiones syllogizabiles, quæ tamen non sunt demonstrabiles, sicut est de ista. Nam propositio demonstrabilis non tantùm infertur à præmissis, sed etiam oportet quòd euidentia talis propositionis sit causata à præmissis, vel saltem à notitia præmissarum, & quòd omnis propositio per se primi modi sit per se nota. Hoc etiam tenet expressè sanctus Thomas 1. *parte, quæst.* 2. *artic.* 1. & Ægidius *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 2.

Responsio.

Contra quam opinionem arguit Gregorius de Arimino, quia hæc non est per se nota, *intellectus est substantia*, vel *intellectus est qualitas*, cùm sit multa altercatio inter sapientes, an sit substantia, vel qualitas. Dico primò, quòd loquendo de intellectu, vt est potentia naturæ intellectualis, substantia non prædicatur per se primo modo de illo: quia non est in recta linea prædicamentali (vt patet) & tantùm illa, quæ sunt in recta linea prædicamentali recipiũt prædicationem prædicati per se: alia verò non. Non enim genus prædicatur per se de differentia: vt patet 7. Metaph. 2.

Greg. de Arimin. arguit contra.

Responsio.

Metaph. Secundò dico, quòd posito, quòd sit prædicatio per se primo modo, adhuc esset per se nota intellectui, distinctè concipienti terminos, & si sapientes possent distinctè concipere terminos illos, nulla esset inter eos altercatio.

Addit ipse Magister Gregorius multa alia inconuenientia: videlicet, quòd hæc esset per se nota, *rosa est flos*, *albedo est color*, & si sic, tunc cæcus haberet illam per se notam. Sed ex dictis suprà, patet quòd ista non concludunt: quia semper dicam, quòd si distinctè conciperentur tales termini: tales propositiones essent per se notæ intellectui, distinctè concipienti terminos.

3. *Fräciscus de Mayronis in 16 q prologi. Barges 1. sent. d.2.q.2. Trombeta in Formalit. cap. de dist & identitate ex natura rei.*

Secundò principaliter. Aliqui sequentes vestigia Doctoris subtilis dicunt, quòd existentia non est de essentia Dei: sed tantùm est gradus intrinsecus, & mouentur tali medio: Quia ex quo existentia est communis existentiæ increatæ, & existentiæ creatæ, sequitur, quòd existentia creata, & increata sunt eiusdem rationis: si sic, cùm existentia creata non sit de essentia creaturæ, sed gradus intrinsecus, sequitur quòd existentia increata erit tantùm gradus intrinsecus. Confirmatur, quia ex quo sapientia creata, & increata sunt eiusdem rationis, cùm conueniant in quid in sapientia communiter sumpta: sequitur, quòd si sapientia creata non est de quiditate alicuius substantiæ: nec etiam gradus intrinsecus, sed sibi aduentitia, & increata similiter.

Dico primò, quòd vbi habetur mens Doctoris per verba ipsius expressa, & in pluribus locis: non debet retorqueri in aliud, quod expresse non dicit.

Nota de identitate.

Secundò dico, quòd nec ratio, nec confirmatio istorum concludunt contra Doctorem. Nam aliqua esse eiusdem rationis potest dupliciter intelligi, aut eiusdem rationis specificè, aut eiusdem rationis transcendenter. Primo modo conceditur, quòd si vnum extremum non est de quiditate alicuius, sic similiter nec alterum: sed secundo modo negatur: & patet instantia in multis. Nam anima intellectiua, & Angelus sunt eiusdem rationis transcendenter: quia conueniunt in ente quiditatiuè, vt patet à Doctore *in 1. d. 3. & 8.* & tamen non sequitur, quòd si anima potest informare materiam, quòd similiter Angelus, vt patet à Doctore *in quol. quæst. 9.* Similiter substantia diuina, & substantia per se corporea conueniunt quiditatiuè in substantia non generica, sed transcendenti (vt patere potest à Doctore *in 1. d. 8.*) & tamen non sequitur, quòd si substantia per se corporea sit per se, & primò composita, quòd similiter, & substantia diuina. Et multa alia exempla possent adduci. Sic dico in proposito, quòd posito, quòd existentia Dei, & existentia creaturæ conueniant quiditatiuè in existentia in communi, & transcendenti: non tamen conueniunt in aliqua existentia, habente tantùm vnitatem specificam.

Aliqua esse eiusdem rationis potest dupliciter intelligi.

Dico tertiò, quòd aliqua esse eiusdem rationis potest adhuc dupliciter intelligi, aut quia tantùm conueniunt in alio conceptu communi; aut quia conueniunt in aliqua realitate. Primo modo Deus, & creatura possunt dici eiusdem rationis, sed non secundo modo: imò secundo modo sunt primò diuersa: vt patet à Doctore *in 1. d. 8.*

Et si fortè concedatur, quòd illa, quæ sunt eiusdem rationis secundo modo, sic se habeant, quòd quicquid per se conuenit, & alteri: non tamen si sunt eiusdem rationis primo modo. In proposito autem, etsi existentia creata, & increata fortè conueniant in existentia transcendenti quiditatiuè, tanquam in conceptu communi: negatur tamen quòd conueniant in aliqua realitate, vt faciliter probari potest per dicta Doctoris *in 1. d. 3. 8. & 20.* Et sic patet, quomodo nihil concluditur contra Doctorem.

b *Sed si quæritur an esse*, &c. Dicit Doctor an illa propositio sit per nota, in qua *esse* prædicatur de aliquo conceptu dicto de Deo: quem nos pro statu isto concipimus, & fortè via naturali. Nam concipimus nos, aliquod ens necesse esse aliquod ens infinitum: & isti conceptus prædicantur de Deo, vt dicendo, *Deus est ens infinitum. Deus est ens necesse esse.* Quæritur ergo an hæc sit per se nota, *necesse esse est*, vel ista, *ens infinitum est*, & huiusmodi.

SCHOLIVM.

Non est propositio per se nota, in qua existere *prædicatur de aliquo conceptu, quem pro hoc statu habemus de Deo. 1. quia id est demonstrabile per essentiam diuinam, vt hac. 2. per fidem, vel demonstrationem cognoscimus esse ens infinitum, vel summum bonum. 3. quia non est per se notum, partes conceptus nostri de Deo, inter se vniri, v.g. entitatem & infinitudinem, bonitatem & summitatem, soluit quasdam instantias, & ponit pulchras regulas Logicas.*

5. *Quæ propositio sit per se nota.* *De hoc Scot. quodlib. 4.*

Dico, quòd [a] nulla talis est per se nota propter tria. Primò, quia quælibet talis est conclusio demonstrabilis etiam *propter quid*. Probatio. Quidquid primò, & immediatè, conuenit alicui, de quolibet, quod est in eo, siue sibi superiori, siue inferiori, vel de passione, potest demonstrari *propter quid* per illud, cui primò conuenit, tanquam per medium. Exemplum. Si triangulus primò habet tres angulos æquales duobus rectis, de quolibet contento in triangulo potest demonstrari, quòd habeat tres angulos, demonstratione *propter quid*, per medium, quod est *triangulus*, puta quòd aliqua figura habet tres, &c. De qualibet etiam specie trianguli, quòd habeat tres: licèt non primò: *esse* autem primò conuenit huic essentiæ, vt *hac*, quo modo videtur à Beatis: ergo de quolibet, quod est in hac essentia, quod potest à nobis concipi, siue sit quasi superius, siue quasi passio, potest demonstrari *esse* per hanc essentiam, sicut per medium demonstratione *propter quid*, sicut per hanc, *triangulus habet tres*, demonstratur, quòd aliqua figura habet tres.

Ratio 2.

Secundò sic [b]. Propositio per se nota cuilibet intellectui ex terminis cognitis est euidens:

euidens:sed hæc propositio, *ens infinitum est*, non est nota siue euidens nostro intellectui ex terminis. Probatio:tales enim terminos priùs concipimus, quàm eam credamus, vel per demonstrationem sciamus:& in isto priori nón est nobis euidens. Non enim certitudinaliter eam tenemus ex terminis, nisi per fidem, vel demonstrationem.

Tertiò [c], quia nihil est per se notum de conceptu non simpliciter simplici, nisi sit per se notum partes illius conceptus vniri: nullus autem conceptus, quem habemus de Deo, proprius sibi, & non conueniens creaturæ, est simpliciter simplex: vel saltem nullus, quem nos distinctè percipimus esse proprium Deo, est simpliciter simplex: ergo nihil est per se notum de tali conceptu, nisi per se notum sit partes illius conceptus vniri: sed hoc non est per se notum, quia vnio illarum partium demonstratur per duas rationes. *Ratio 3.*

Hæc minor pendet ex opinione de vniuocatione conceptus communis Deo & creaturæ, qua opinione mutata, minor talis sumetur hæc: multi conceptus in quibus concipimus Deum, non sunt simpliciter simplices, & concluditur conclusio particularis, non vniuersalis, sicut patet per duas primas rationes. Minor aliter potest sumi, nullus conceptus noster proprius Deo, vel quem concipimus esse proprium Deo, est simpliciter simplex, quia licèt conceptus entis factus per creaturam, sit simpliciter simplex, & proprius Deo, secundùm aliam opinionem: non tamen est conceptus proprius perceptus, quia secundùm Henric. in summa articulo 2. quæst. 2. videtur, quòd in isto conceptu propter similitudinem, & simplicitatem, & propinquitatem non distinguimus Deum ab aliis, intellige, non distinguimus perceptibiliter: quia licèt sit conceptus distinctus, non tamen percipitur à nobis, vt distinctus: ergo nihil est per se notum de tali conceptu, nisi per se notum sit, partes illius conceptus vniri: sed hoc non est per se notum, quia vnio illarum partium demonstratur per duas rationes. ADDITIO. *Clarius vide 8. dist. huius q. 3.*

Maior manifesta est per Philosophum 5. *Metaph. cap. de Falso*: quia ratio in se falsa est de omni falsa: ergo nulla ratio est de aliqua vera, nisi sit in se vera: ergo ad hoc, quòd cognoscatur aliquid esse verum de aliqua ratione, vel ipsam esse veram de aliquo, oportet cognoscere ipsam esse veram in se; non est autem ratio in se vera, nisi partes illius rationis sint vnitæ, & sicut oportet scire quantùm ad prædicationes quiditatiuas, quòd partes illius rationis possint vniri quiditatiuè: puta, quòd altera contrahat alteram formaliter: ita quantùm ad veritatem propositionis enuntiantis *esse*, oportet cognoscere partes rationis subiecti, vel prædicati vniri actualiter. Exemplum: Quemadmodum ista, *homo irrationalis est animal*, non est per se nota, loquendo de prædicatione quiditatiua, quia subiectum in se includit falsum, quia propositionem includentem in se contradictoria. Ita ista, *homo albus est*, non est per se nota, nisi per se notum sit *hominem*, & *album* actu coniungi: quia si non coniunguntur actu, hæc est vera: *nihil est homo albus*, & per consequens sua conuersa est vera, *nullus homo albus est aliquid*. ergo sua contradictoria falsa, *homo albus est aliquid*. *Text. 34. Quid sit ratio in se falsa.*

Probatio minoris. Quemcunque conceptum concipimus siue boni, siue veri, si non contrahatur per aliquid, vt non sit conceptus simpliciter simplex, vt dicendo: *summum bonum*, vel *infinitum bonum*, vel *increatum*, vel *immensum*, & sic de aliis, nullus talis est proprius Deo. Voco autem *conceptum simpliciter simplicem, qui non est resolubilis in aliquos conceptus simplices, quorum quilibet possit actu simplici distinctè cognosci*. *Quid sit conceptus simpliciter simplex.*

Ex ista ratione vltima patet ad quasdam instantias cùm arguitur: hæc est per se nota, *necesse esse est*. Probatio, quia oppositum prædicati repugnat subiecto: si enim non est, non est necesse esse. Hæc etiam est per se nota, *Deus est*, quia secundùm communem expositionem, quam ponit Damascenus lib. 1 cap. 12. *Deus dicitur ab operatione actuali, fouere vel ardere, vel considerare*. Ergo secundùm communem acceptionem idem est, *Deus est*, sicut *operans actu est*, quæ videtur per se nota; quia vt priùs oppositum prædicati repugnat subiecto, scilicet quòd sit actu operans, & quòd non sit. *6.* *12. Met. text. comm. 39. & inde.*

Dicitur, [d] quòd hæc propositio, *operans actu est*, potest prædicare *esse* tertium adiacens, vel secundum: & ita prædicari *esse* vt nunc, vel *esse* habituale primo modo non est per se nota, secundo modo est per se nota. *Var. lib. 1. dist. 2. in princ.*

Sed hoc non est Logicè dictum: quia secundùm Philosophum 2. *Periher. esse* non prędicat tertium, nisi quando tertium adiacet sibi tanquam prædicatum; quando autem nullum adiacet sibi tertium, prædicat *esse* proprium, quod est prædicari secundum adiacens: hîc nihil adiacet sibi: igitur prædicat præcisè quod in se est, & ita prædicatur *esse* secundum. *In princ.*

Ideo aliter [e] respondeo ad instantias, quòd nulla istarum propositionum, est per se nota, *necesse esse est*, vel *operans actu est*, quia non est per se notum, partes quæ sunt in subiecto, vniri actualiter. Cùm dicit oppositum prædicati repugnat subiecto. Dico, quòd non sequitur ex hoc propositionem esse per se notam, nisi illa repugnantia sit euidens, *Responsio Scoti. Quare hæc non est per se nota, necesse esse est?*

& etiam cùm hoc sit euidens vtrumque extremum habere conceptum simpliciter simplicem: vel conceptus partium vniri, si non sit conceptus simpliciter simplex.

7. *Hic duæ regulæ colliguntur.* Contra istud [f] si oppositum prædicati repugnat subiecto, vt si *non animal* repugnat homini, sequitur, quòd si homo est, animal est: ergo consequentia est bona, ponendo subiectum in aliquo antecedente, & prædicatum in aliquo consequente, inferendo consequens ex tali antecedente, puta, *A est necesse esse, ergo A est*, quia oppositum consequentis repugnat antecedenti, sed omnis consequentia necessaria tenet virtute alicuius categoricæ necessariæ: illa categorica est, quæ vnit extrema, ratione quorum tenet consequentia; ergo talis propositio est necessaria, puta illa, *necesse esse est*, vel *operans actu est.*

Respondeo, quando in antecedente includuntur duo opposita, & infertur consequens, non infertur ratione alicuius totius extremi, quia totum extremum nullum vnùm conceptum facit; sed tantùm ratione alterius partis extremi, puta sequitur, *homo irrationalis est: ergo animal est.* Ratio consequentiæ non est, *homo irrationalis*, quia nullum vnum conceptum facit, sed *homo* in antecedente infert *animal* in consequente; & ideò categorica per se vera, debet formari ex illis extremis, quæ erit ista: *homo est animal.* Ita in proposito [d] si propositio habeat extremum non simpliciter simplex, cuius partes non sunt per se notæ vniri, & aliquid infertur ratione talis extremi, non simpliciter simplicis, infertur ratione alterius partis, quæ includit illud, quod infertur in consequente: & ideò tenet in virtute categoricæ coniungentis illa duo, alteram scilicet partem extremi antecedentis, & alteram partem consequentis. ita est hîc, *esse est*, non autem, *necesse esse est.*

Per idem patet ad aliud, *si non est actu, non est operans:* ergo per oppositum, *si est operans, est ens actu.*

Respondeo, in subiecto includuntur plura, quorum alterum est præcisè ratio consequentiæ: non autem totum: & ideò [h] non est propositio necessaria, vniendo totum extremum antecedentis cum extremo consequentis.

Ad argumenta principalia.

8. *Ad arg. 1. quæstionis.* Ad primum [i], scilicet ad Damascenum, potest exponi de potentia cognitiua naturaliter nobis data, per quam statim ex creaturis possumus cognoscere Deum esse, saltem in rationibus generalibus. & ibi subdit qualiter cognoscitur ex creaturis, vel de cognitione Dei sub rationibus communibus conuenientibus sibi & creaturis, quæ cognita perfectiùs, & eminentiùs sunt in Deo, quàm in aliis. Quòd autem non loquatur de cognitione actuali, & distincta Dei, patet per hoc, quod dicit ibi: *Nemo nouit eum, nisi quantum ipse reuelauit.*

Ad 2. Ad secundum dico [k], quòd Anselmus non dicit illam propositionem esse per se notam: quod apparet, quia non potest inferri ex deductione eius, quod ista propositio sit vera, nisi ad minus per duos Syllogismos, quorum alter iste est, *omni non ente ens est maius: summo nihil est maius, ergo nullum summum est non ens*, ex obliquis in secundo secundæ. Alius Syllogismus est iste; *quod non est non ens, est ens, summum non est non ens, ergo est ens.* Quomodo autem ratio eius valeat, dicetur in sequenti quæstione, articulo 6. quod fiet ad infinitatem probandam.

Ad probationem maioris dico, quòd maior non est per se nota. Cùm probatur, quia oppositum prædicati repugnat subiecto; dico, quòd non est per se euidens oppositum prædicati repugnare subiecto, nec per se euidens est subiectum habere conceptum simpliciter simplicem, vel quòd partes illius vniantur in effectu. Et ambo ista requiruntur ad hoc, quòd propositio ista esset per se nota.

Ad 3. D. Thom. vbi suprà prima parte soluendo 3. principia. Ad tertium dico [l], quòd veritatem in communi esse, est per se notum: *ergo Deum esse*, non sequitur, sed est fallacia consequentis.

Aliter potest negari maior. Cùm probatur, *si nulla veritas est: ergo nullam veritatem esse, est verum.* Consequentia non valet, quia veritas aut accipitur pro fundamento veritatis in re, aut pro veritate in actu intellectus componente, aut diuidente. Si autem nulla veritas est, nec verum est aliquam veritatem esse; quia nec veritatem rei, quia nulla res est, nec veritatem intellectus componentis*, & diuidentis, quia nullus est: benè tamen sequitur; *si nulla veritas est, ergo non est verum, aliquam veritatem esse*, quia nulla est: sed non sequitur vltrà: *ergo verum est aliquam veritatem non esse:* est enim fallacia consequentis à negatiua habente duas causas veritatis ad affirmatiuam, quæ est vna illarum.

** Al. cõpatientis, &c. Si nulla veritas est ergo verum est nullam esse, explicatur.*

9. *Ad 4.* Ad vltimum dico, quòd propositiones non dicuntur per se notæ: quia extrema habent maiorem necessitatem in se, vel maiorem in re extra intellectum: quia extrema,

vt

vt sunt extrema talis propositionis, ostendunt euidenter compositionem esse conformem rationibus terminorum, & habitudini eorum, & hoc qualecunque esse termini habeant, siue in re, siue in intellectu. Euidentia enim huius conformitatis est euidentia veritatis in propositione, quod est propositionem esse per se notam. Nunc autem ista: *Ens infinitum est in intellectu nostro*, non nata est habere euidentiam ex terminis, sed benè ista: *Omne totum est maius sua parte*, vel aliqua consimilis, in quocunque intellectu concipiente terminos, nata est habere talem euidentiam ex terminis; quia ex terminis est euidens, quòd ista complexio est conformis habitudini, & rationibus terminorum, qualecunque esse termini habeant, & ideò licèt minor sit necessitas terminorum, non sequitur, quod sit minor euidentia propositionum.

Quanam euidentia facit propositionem per se notam?

COMMENTARIVS.

1. a Respondet Doctor quòd nulla istarum est per se nota: & probat tripliciter. Primò, ibi: *Primò, quia qualibet talis*. Hæc litera stat in duobus dictis principaliter. Primum ibi: *Quicquid primò, & immediatè conuenit alicui*, &c. Hæc litera non debet æqualiter intelligi de superiori, & inferiori & de passione: ita quòd quando *A*, primò, & immediatè conuenit *B*, potest demonstrari de quolibet superiori tantùm particulariter, & de quolibet inferiori vniuersaliter, & de passione illius subiecti, etiam vniuersali: & hoc per definitionem subiecti, si habet, vel per ipsum subiectum, si non habet definitionem. Exemplum risibile immediatè demonstratur de homine per animal rationale, ergo de quolibet homine: ergo de aliquo animali, aut aliqua substantia particulariter: ergo & de disciplinabilitate vniuersaliter. Exemplum primi: *Omne animal rationale est risibile. Omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis*. Exemplum secundi. *Omne animal rationale est risibile, aliqua substantia est animal rationale, ergo aliqua substantia est risibilis*. Non enim per rationem hominis potest concludi risibile de substantia vniuersaliter, vt patet. Exemplum tertij. posito, quòd disciplinabile sit secunda passio hominis: tunc benè sequitur: *Omne animal rationale est risibile, omne disciplinabile est animal rationale; ergo omne disciplinabile est risibile*.

2. Secundum dictum est ibi: *Esse autem primò conuenit huic essentiæ, vt hac*, ergo de quolibet, quod est in hac essentia, quod potest à nobis concipi, siue sit quasi superius: vt dicendo ens infinitum, vel ens necesse esse; siue quasi passio. Vt summum bonum, summè sapiens: nam attributa dicuntur quasi passiones Dei. vt patet à Doctore in quæstione de subiecto Theologiæ: de tali superiori, vel passione potest demonstrari esse per hanc essentiam propter *quid*. Exemplum primi: Quicquid est essentia diuina, vt hæc est existens: quia ly *esse* accipitur pro existentia actuali, sed ens infinitum, vel ens necesse esse, est hæc essentia diuina, ergo omne tale est existens. Exemplum de quasi passione: Quicquid est hæc essentia diuina, est simpliciter existens: sed summum bonum, siue summè sapiens, est hæc essentia diuina, ergo.

Attributa dicuntur quasi passiones.

b Secunda ratio est ibi: *Secundò sic*. Hæc ratio clara est in litera: quia certùm est quòd infinitum ens esse, vel sola fide tenemus, vel demonstramus: hoc idem de summo bono, & per consequens non sunt per se notæ.

Tertia ratio est ibi: *Tertiò, quia nihil est per se notum*. Ista litera continet plura. Primò non accipit hîc *conceptus simpliciter simplex*, qui non resoluitur in priores conceptus: & qui vel totaliter scitur, vel totaliter ignoratur, vt patet à Doctore *in 1. dist. 3.* quia hoc modo, Deus non est conceptus simpliciter simplex: patet, quia potest resolui in ens quiditatiuè: sed magis debet accipi *conceptus simpliciter simplex* pro conceptu per se, & incomplexo, & non simpliciter simplex pro conceptu complexo: quamuis alij velint exponere de conceptu primo modo: quod non videtur secundùm intentionem Doctoris, vt patet in litera expressiùs. Secundò dicit, quòd nullus conceptus, quem habemus de Deo, proprius sibi est simpliciter simplex: patet discurrendo per omnes conceptus, dictos de Deo à nobis, & proprios sibi. Nam ens, bonum, & huiusmodi non sunt conceptus proprij Deo: sed isti conceptus *ens infinitum, ens necesse esse, ens summum*, & huiusmodi, sunt conceptus non simpliciter simplices, & proprij Deo. Et breuiter omnis conceptus proprius Deo, quem Deo, pro statu isto cõcipimus, est conceptus complexus: vt diffusiùs declarabo, infrà *d. 3. q. 1.*

Conceptus simpliciter simplex hîc accipitur pro conceptu incomplexo.

Conceptus proprius Deo.

Tertiò dicit, quòd de tali conceptu complexo nullum prædicatum est per se notum, nisi sit per se notum, partes illius conceptus per se vniri. Et hoc probat in simili: quia sicut ratio in se falsa, de nullo potest esse vera, vt patet 5. Metaph. cap. de Falso. text. c. 34. sicut ista, *homo irrationalis*, cùm sit in se penitus falsa, de nullo potest verè prædicari: & similiter nihil potest verè prædicari de aliqua ratione in se falsa. Nam dicendo, homo irrationalis est animal; ly *animal* non potest verè prædicari, cùm homo irrationalis nihil penitus sit: similiter de conceptu per accidens, nihil per se potest prædicari. Nam ista, *homo albus est animal*, nullo modo est per se: vt patet in litera. Sic in proposito nullum prædicatum potest esse per se notum de aliquo conceptu, non simpliciter simplici, nisi sit per se notum, partes illius conceptus per se vniri: sed non esse per se notum, partes huius conceptus, *ens infinitum*, posse ad inuicem vniri: quia dubium est an entitas, & infinitas sint in aliquo: & similiter, an entitas, & necessitas: & sic patet ratio.

Si tamen volumus dicere, quòd conceptus non dicitur simpliciter simplex ex eo, quòd est incomplexus, sed quia in ipso non includuntur plura obiecta, essentialiter per se conceptibilia: & sic ens, & passiones eius sunt conceptus simpliciter simplices: & similiter vltimæ differentiæ: & homo, & asinus non sunt simpliciter simplices: adhuc stabit ratio Doctoris: non enim hæc erit per se nota, animal rationale est risibile, nisi sit per se notum partes illius subiecti vniri: est autem per se notum rationale esse per se contractiuum animalis, & animal esse verè contrahibile per rationale: sed in proposito, cùm dico infinitum

Dicitur conceptus simpliciter simplex, quia nõ includuntur in eo plura obiecta essentialiter per se conceptibilia.

infinitum ens est, partes huius subiecti, *infinitum ens*, non est per se notum vniri, patet. Tum, quia non est notum, per se infinitatem esse in entibus: imo, vel demonstratur, vel saltem persuadetur: & adhuc non per se notum, partes adinuicem esse compossibiles. Tum quia non est per se notum, vnam contrahi per aliam, &c.

4. *Opin. G. Var. lib. 1. d. 2.* d *Dicitur, quòd hæc propositio, operans actu est.* Hæc litera huius opinionis sic debet intelligi, scilicet cùm dicimus *actu operans est:* si prædicat secundùm adiacens, sensus est quòd operans actu nunc existit: vt verò prædicat tertium, & hoc habitualiter, sensus est, *actu operans*, id est, aptum natum operari, est. Primo modo non est per se nota, sed secundo modo. Sed Doctor improbat hanc responsionem, ibi: *Sed hoc non est logicè dictum*, &c. Et sensus literæ est: quòd illa propositio propriè prædicat secundum adiacens, in qua nullum aliud prædicatum est, quàm ens subintellectum in ly *est*. Exemplum, *homo est*. Illa verò prædicat tertium adiacens, quæ habet aliud prædicatum, quàm ly *ens* subintellectum: vt *homo est Substantia.*

e *Ideò aliter respondeo ad instantias.* Dicit Doctor quòd non sufficit ad propositionem per se notam, quòd oppositum prædicati repugnet subiecto, sed duo requiruntur. Primò, quòd sit per se notum oppositum prædicati repugnare subiecto: & hoc patet per Aristotelem 1. Posterior. context. 6. *Sicut primum principium est notissimum in veritate; ita oppositum primi principij erit notissimum in falsitate.* Secundò etiam requiritur, quòd sit per se notum, partes subiecti per se vniri, si non dicit conceptum per se simpliciter simplicem.

f *Contra istud.* Pro intelligentia huius literæ, declaro illam per exemplum: *homo est animal:* tunc sic: *homo est: ergo animal est.* Oppositum consequentis est, *non animal.* Nam ista repugnant, quòd homo sit, & animal non sit. Si ergo *non animal* repugnat homini, ergo si homo est, animal est. Et quando dicit, quòd consequentia erit bona, scilicet ponendo subiectum in antecedente: putà subiectum huius propositionis, *homo est animal:* sic dicendo, *homo est:* & ponendo, id est, affirmando prædicatum illius propositionis in consequente, scilicet *ergo animal est.* Ista enim consequentia, *homo est, ergo animal est:* tenet virtute illius categoricæ: videlicet *homo est animal.* Sic in proposito cùm dicit Doctor *A* est necesse esse: ergo *A* est, intelligendo per *A* ipsum Deum: puta Deus est necesse esse: ergo Deus est: hæc consequentia tenet virtute huius categoricæ, *Deus est necesse esse:* quia talis categorica vnit ista extrema in antecedente, & consequente, videlicet ista categorica, *Deus est necesse esse: ergo Deus est:* vel dicendo, *necesse esse est Deus, ergo necesse esse est, ergo Deus est.* Idem dico, quando dicimus, *operans actu est.* Doctor respondet ad hanc obiectionem ibi: *Respondeo: quando in antecedente, &c.*

5. *Quomodo ex falso non potest sequi verum.* g *Ita in proposito.* Includuntur duo opposita: sicut hîc *homo irrationalis:* & quando infertur consequens ex tali antecedente (consequens dico verum) non infertur ratione totius antecedentis; patet, quia antecedens est simpliciter impossibile, & incompossibile, & per consequens ex tali non potest inferri essentialiter, & formaliter consequens verum: licèt enim ex falso possit sequi verum: nunquam tamen ex falso essentialiter, & formaliter, siue per se potest sequi verum, etsi aliquando sequatur per accidens: & sic debet intelligi propositio Philosophi 1. Priorum: quòd *ex falso potest sequi verum*, de qua aliàs: si ergo hoc consequens verum, scilicet, ergo animal est, infertur ex illo antecedente: patet, quòd præcisè infertur ratione partis extremi, non totius extremi: sequitur enim animal esse ex vtraque parte extremi, seorsum sumpta, sed non vt vnitis: nam sequitur *irrationale est, ergo animal est*, similiter *homo est: ergo animal est:* & sic tales consequentiæ verè tenent rationale alterius, & alterius categoricæ veræ, scilicet ratione istius: *homo est animal:* ideò benè sequitur *homo est, ergo animal est:* similiter, *irrationale est animal*, ideò sequitur, *irrationale est, ergo animal est:* sic in proposito, si propositio habeat extremum, puta subiectum non simpliciter simplex, cuius partes non sunt per se notæ vniri (sicut in ista *infinitum ens est*, istæ partes, scilicet *infinitum*, & *ens*, non sunt notæ per se vniri, vt suprà patuit) si ex tali extremo, non simpliciter simplici infertur aliquod consequens, non infertur simpliciter, nisi ratione alterius partis extremi, quæ includit illud, quod infertur in consequente: & ideo tamen in virtute categoricæ coniungentis illa duo, alteram scilicet partem antecedentis, & alteram partem consequentis: ita est hîc *esse est:* non autem, *necesse esse est.* Et sensus est, quòd istud consequens, scilicet *ergo Deus est:* non infertur ratione totius subiecti, scilicet *necesse esse est:* sed tantùm ratione vnius partis, scilicet ratione *esse*. Sunt enim ibi duæ partes, scilicet *necesse*, & *esse:* & quia non sunt notæ vniri per se (vt dixi supra) ideo ly *est*, tantùm infertur ratione ipsius *esse*. sic arguendo: Deus est esse, siue essentia: ergo, Deus est. *Soluitur obiectio G. Va.*

h *Non est propositio necessaria, vniendo totum extremum antecedentis, cum extremo consequentis:* vt si arguatur sic: *Deus est ens actu operans, ergo Deus est.* Dicit Doctor quòd hoc consequens euidenter infertur, non ratione totius extremi, cùm non sit notum, partes illius extremi ad inuicem vniri: sed infertur præcisè ratione illius partis, quæ euidenter includit illud, quod infertur in consequente. Et sic infertur ratione huius extremi, scilicet *ens*, siue *esse:* & sic arguitur; *Deus est ens*, siue *esse: ergo Deus est:* quæ consequentia tenet virtute huius categoricæ. *Deus est existens;* siue *Deus est esse;* siue *Deus est quiditatiuè existentia:* & sic patet litera.

i *Ad argumenta principalia.* Antequam respondeam ad primum argumentum, declaro aliqua. Primò Doctor in corpore quæstionis declarauit, quòd hæc est per se nota, *Deus est:* & respondens ad primum argumentum videtur negare, quòd sit per se nota. Ideò est dicendum, quòd Deum esse est per se notum intellectui, distinctè concipienti terminos. Sed nullus intellectus via naturali potest distinctè concipere ipsum Deum: vt subtiliter patet à Doctore *q. 14. quol.* Et ideò respondendo ad primum argumentum dicit: quòd hæc non est per se nota, *Deus est:* supple via naturali. 6. *Deum esse est per se notum & non est per se notum.*

Secundò pro responsione argumenti declaro, quòd aliquid esse per se notum contingit dupliciter. Primò ex sola cognitione terminorum: ita, quod euidentia talis propositionis non sit demonstrabilis, nec à posteriori: & illa dicitur propriè propositio per se nota: vt patet à Doctore. *Per se notum dupliciter.*

Secundo

Secundò aliqua dicitur per se nota ex hoc, quòd arguendo à posteriori statim fit nota. Sicut aliquod est effectum: ergo aliqua prima causa est: vel, aliquod est dependens, ergo est aliquod primum independens. Et hoc modo istæ: *Aliqua potentia causa est: aliquod principium independens est*, possunt dici propositiones per se notæ in conceptibus tamen confusis: & sic debet intelligi responsio Doctoris ad primum argumentum.

7. k Ad secundum respondet Doctor quòd Anselmus non dicit, illam propositionem, scilicet, *Deus est, quo maius*, &c. esse per se notam: patet, quia nihil est per se notum, cuius euidentia dependet ex euidentia alterius propositionis, siue cuius euidentia potest demonstrari syllogisticè. Sed ista, *summum ens est maius, quo cogitari potest:* ostenditur saltem per duos syllogismos, primus syllogismus est, *omni non ente ens est maius, summo nihil est maius: ergo nullum summum est non ens.* Secundus est; *quod non est non ens, est ens: summum non est non ens: ergo summum est ens*, & sic patet quomodo *esse*, siue existentia demonstratur de ente summo: & sic hæc non est per se nota, *summum ens est:* non enim notum est, has partes per se vniri, scilicet, *summum* & *ens*. Hoc idem potest argui de infinito per similes syllogismos: arguendo sic: *omni non ente, ens est maius, sed infinito nihil est maius: ergo nullum infinitum est non ens.* Tunc vltrà, quòd non est non ens est ens: infinitum non est non ens: ergo infinitum est ens. ergo infinitum ens esse, non est per se notum, &c.

Existentia quomodo demonstratur de summo.

8. l Ad tertiam rationem dantur duæ responsiones, ibi: *Ad tertium dico.* Prima responsio talis est: quia non sequitur, veritatem esse in communi est per se notum: ergo Deum esse per se notum. Committitur fallacia consequentis, à positione consequentis ad positionem antecedentis: ac si argueret: *Animal est: ergo homo est.* sic in proposito non sequitur, veritatē in communi esse est per se notum: ergo hãc veritatem esse est per se notum.

Secunda responsio est ibi: *Aliter potest negari maior.* Et nota, quòd est vna regula insolubilium; *Quando est aliqua propositio includens contradictoria, ipsa est neganda in omni casu:* quia solùm casus possibiles debet admitti: & sic ista propositio, *nulla veritas est*, falsificat seipsam: quia si nulla veritas est, tunc nec ipsa est vera, & si verũ est, quod nulla veritas sit: tunc ipsa est vera: quia significat ita esse sicut est. ergo ipsa est vera, & non vera simul. Et sic quãdo arguitur à propositione de *inesse*, quę includit incompossibilia ad modalem de vero, non sequitur: vt in proposito, quãdo dicitur, nulla veritas est: ergò nullam veritatem esse, est verũ, non sequitur, vt patuit suprà, & infrà patebit.

Regula.

Et ex hoc, & ex sequentibus apparet, quòd ille nouus expositor Sancti Thomæ non arguit ad propositum contra Doctorem, cùm dicit, quòd hìc non committitur fallacia consequentis, sed est vera consequentia: quia quando arguitur à propositione vera de *inesse*, ad suam modalem de vero, est optima consequentia: quia benè sequitur, *Socrates currit: ergo Socratem currere est verum.* Sic in proposito, nulla veritas est: ergo nullam veritatem esse, est verum: patet quòd non intelligit Doctorem, quia hìc non arguitur à propositione vera de *inesse*, vt patet in litera Doctoris. Et sequentia, quæ dicit iste expositor, procedunt ex malo intellectu eorum, quæ hìc dicuntur. Et propter literam Doctoris est notandum, quòd ista negatiua, *nulla veritas est*, habet duas causas veritatis, scilicet quòd nulla veritas est in re: secundò, quòd nulla veritas est in intellectu, componente, vel diuidente. Nam illa negatiua probatur per istas duas veritates: quia benè sequitur, si nulla veritas est in re, nec in intellectu: igitur nulla veritas est absolutè. Quando ergo arguit, ergo verum est, quòd nulla veritas est, hæc propositio est vera, accipiendo *veritatem* in re, & non pro actu intellectus, componente hanc, quòd verum est, quòd nulla veritas est: & sic arguitur à negatiua habente duas causas veritatis ad affirmatiuam, quæ est vna illarum. Est enim sensus, *nulla veritas est*, scilicet nec in re, nec in intellectu, ergo in intellectu verè componitur propositio ista, *nulla veritas est:* ibi *veritas* non potest stare, nisi pro veritate in re. Cùm dicitur, ergo verum est, quòd nulla veritas est, quia hoc consequens, scilicet, *ergo verum est*, quòd nulla veritas est, supponit, quòd veritas sit in intellectu: & sic patet responsio Doctoris.

9. Improbatio Thom. Caie.

Vel dicatur, & melius, quòd causæ veritatis istius, scilicet *nulla veritas est*, sunt istæ, scilicet *non est verum, aliquam veritatem esse*, vel, *est verum, aliquam veritatem non esse:* & hæc secunda est affirmatiua: licèt ergo sequatur, nulla veritas est, nec in re, nec in intellectu: ergo non est verum, aliquam veritatem esse, sed pòst non sequitur, *ergo est verum, aliquam veritatem non esse*, arguitur enim à propositione habente duas causas veritatis, ad affirmatiuam illarum. & licèt prima expositio, quæ est aliquorum exponentium Doctorem, sit probabilis: tamen secunda magis videtur ad intentionem literæ, & magis secundùm veritatem. Vltima ratio cum sua ratione clara est in litera ex superiùs dictis, & magis patebit infrà *d.3 q.4.*

Melior responsio.

SCHOLIVM.

Soluta secunda quæstione, quæ est modus sciendi respectu primæ quæstionis, scilicet an existat aliquod ens infinitum; hanc modò aggreditur explicandam, & dicit esse demonstrabile à posteriori, non à priori, dari ens infinitum, de cuius proprietatibus relatiuis, primò declarat esse, & ex his, probat ipsum ens infinitum esse, & sic facit duos articulos.

AD primam [a] quæstionem sic proceditur, quia de ente infinito non potest demonstrari esse *propter quid*, quantùm ad nos, licèt ex natura terminorum propositio esset demonstrabilis *propter quid*, sed quantum ad nos propositio est demonstrabilis demonstratione, *quia* ex creaturis. Proprietates autem infiniti entis relatiuè ad creaturas, immediatiùs se habent ad illa, quæ sunt media in demonstratione *quia*, quàm proprietates absolutæ, ita quòd de illis proprietatibus relatiuis, immediatiùs potest concludi *esse*; per illa, quæ sunt media in tali demonstratione, quàm de proprietatibus absolutis.

10. Declaratio primi quæsiti.

absolutis. Nam immediatè ex *esse* vnius relatiui sequitur *esse* sui correlatiui: ideò primò declarabo *esse* de proprietatibus relatiuis entis infiniti. Et secundò ex his declarabo *esse* de ente infinito, quia istæ proprietates relatiuæ soli enti infinito conueniunt: & ita erunt duo articuli principales.

De proprietatibus relatiuis entis ad creaturas.

Quantùm ad primum articulum dico, quòd proprietates relatiuæ infiniti entis ad creaturas, aut sunt proprietates causalitatis, aut eminentiæ. Causalitatis duplicis, aut efficientis, aut finis.[b] Quod additur de causa exemplari, non est aliud genus causæ ab efficiente, quia tunc essent quinque genera causarum. Vnde causa exemplaris est quoddam efficiens: quia agens per intellectum distinctum contra agens per naturam de quo aliàs.

COMMENTARIVS.

I. a AD *primam quæstionem sic proceditur.* In ista litera primò dicit, quòd *esse*, siue actualis existentia, non est demonstrabilis de ente infinito à nobis pro statu isto, & hoc demonstratione *propter quid:* & ratio est, quia medium in tali demonstratione non cognoscitur à nobis pro statu isto, quod est Deus sub ratione Deitatis, vt patuit suprà *quæst. de subiecto Theologiæ:* & medium potissimum ad demonstrandum existentiam de ente infinito, est ipsa Deitas, vt patuit suprà in illa *quæst. An ista sit per se nota, Deus est.*

Deus sub ratione Deitatis non cognoscitur pro statu isto.

Secundò dicit, quòd *esse*, siue existentia est demonstrabilis in se de ente infinito, & *propter quid:* quia Deitas est medium potissimum in tali demonstratione: nam si quis distinctè cognosceret Deitatem, statim posset demonstrare esse de ente infinito, sic arguendo: quicquid est Deus, est existens: sed ens infinitum est Deus: ergo infinitum est existens.

Tertiò dicit, quòd *esse* de ente infinito potest à nobis demonstrari, demonstratione *quia:* siue à posteriori. Et hoc debet sanè intelligi: quia Doctor non diceret, quòd absolutè sic posset demonstrari, sed supposito, quòd ens infinitum sit possibile in entibus, potest illud demonstrari à nobis, demonstratione *quia*. Nam infrà non dicit quòd ens infinitum esse sit demonstrabile à nobis: sed benè potest persuaderi aliquibus persuasionibus, quòd infinitas non repugnat in entibus: vt infrà patebit *in præsenti quæst.*

Ens infinitum potest persuaderi.

Quartò dicit, quòd proprietates entis infiniti relatiuæ ad creaturas, immediatiùs se habent ad illa, quæ sunt media in demonstratione *quia*, quàm proprietates absolutæ: patet, quia per creaturas, & proprietates earum demonstratur de primo ente: puta, quia creatura est effectibilis: ergo est aliquod primum effectiuum; quia dependens: ergo independens, & huiusmodi: & sic proprietates entis infiniti, &c. Sed nota exemplum primò de proprietatibus relatiuis infiniti entis, quæ sunt istæ: *ens infinitum est primum effectiuum, primum finitiuum, primum dependens, primum eminens*, & huiusmodi. Exemplum de absolutis, quòd ens infinitum sit infinitæ intellectionis & volitionis: & quòd habeat intellectum formaliter infinitum, & similiter voluntatem: & quòd vna intellectione intelligat se, & omnia alia: & quòd sua intellectio, & volitio, tam respectu sui, quàm aliorum sit realiter, & essentialiter eadem sibi, & huiusmodi, quæ omnes proprietates entis infiniti, tam relatiuæ, quàm absolutæ infrà in ista quæst. diffusè ostenduntur.

Proprietates relatiuæ entis infiniti.

Proprietates absolutæ infiniti entis.

b *Quod additur de causa exemplari*, &c. Causa enim talis nihil aliud est, nisi *esse* cognitum rei fiendæ, siue cognitio practica rei exemplatæ. Exemplum, domus extrà fit à domo intrà, vt à causa exemplari. Domus enim intrà, vel accipitur pro *esse* cognito ipsius; vel pro notitia illius, quæ dicitur notitia practica directiua in praxim, respectu domus extrà fiendæ. Si modò ponatur cognitio obiecti esse effectiua, saltem partialiter ipsius praxis (quæ est principalis ratio mouendi potentias exteriores, nam voluntas actu suo elicito imperat potentiis prosecutionem domus fiendæ) patet quomodo causa exemplaris pertinet ad genus causæ efficientis. Si etiam non ponatur causa effectiua, sed tantùm directiua in praxim, adhuc potest suo modo dici causa efficiens, pro quanto dirigit voluntatem in opus, vt patet *in quæst. de praxi.* Si verò accipiatur causa exemplaris pro agente à proposito, siue per intellectum, tunc voluntas, & intellectus sunt causa exemplaris, accipiendo *intellectum* non nudè, sed informatum notitia practica, quæ notitia practica (vt dixi,) vel concurrit actiuè partialiter cum voluntate, vt alia causa partiali, & principali ad praxim eliciendam, vel tantùm dirigendo: patet quid dicendum.

Causa exemplaris est esse cognitum rei faciendæ.

SCHOLIVM.

In hoc primo articulo ostendit 1. dari ens aliquod, quod est primum secundùm efficientiam, finalitatem, & eminentiam, 2. cui conuenit vna primitas harum, eidem & reliquæ. 3. istam triplicem primitatem vni tantùm competere, quoad primum horum, ponit 9. conclusiones. Tres primæ sunt de primitate efficientis; tres mediæ de primitate finis; & três reliquæ de primitate eminentiæ, & probat dari primum efficiens, quia in ascendendo infinitas est impossibilis.

II. IN primo ergo articulo principali tria principaliter ostendam.

Primò quòd aliquid est in effectu inter entia, quod est simpliciter primum secundùm efficientiam: & aliquid est simpliciter primum secundùm rationem finis: & aliquid est simpliciter primum secundùm eminentiam.

Secundò principaliter ostendam quòd illud, quod est primum secundùm vnam rationem primitatis, idem est primum secundùm alias primitates.

Tertiò

Tertiò ostendam, quòd ista triplex primitas, vni soli naturæ conuenit, ita quòd non pluribus naturis differentibus specie, vel quiditatiuè. Et ita in primo articulo erunt tres articuli minùs principales.

Primus articulus istorum includit tres conclusiones principales, secundùm triplicem primitatem, quælibet autem istarum trium conclusionum habet tres, ex quibus dependet. Prima est, quòd est aliquod primum sic. Secunda, quòd illud est incausabile. Tertia quòd illud actu existit in entibus.

Itaque in primo articulo sunt nouem conclusiones, sed tres principales.

Prima conclusio istarum est ista: Quòd aliquod effectiuum sit primum simpliciter, ita scilicet, quòd non sit effectibile nec effectiuum virtute alterius à se: quod probo sic: Aliquod ens est effectibile, aut igitur à se, aut à nullo, aut ab aliquo alio. Non à nullo, quia nullius est causa illud, quod nihil est. Nec à se, quia nulla res est, quæ seipsam faciat, vel gignat. August. 1. *de Trinit. cap.* 1. ergo ab alio effectiuo: illud aliud sit *A*, si *A* est primum, modo exposito, habeo propositum. Si non est primum, ergo est posterius effectiuum, quia effectibile ab alio, vel virtute alterius effectiuum. Si enim negetur [a] negatio, ponitur affirmatio. Detur illud alterum, & sit *B*, de quo arguitur, sicut de *A*. argutum est: & ita aut procederetur in infinitum, quorum quodlibet respectu prioris erit secundum: aut stabitur in aliquo non habente prius. Infinitas autem est impossibilis in ascendendo: ergo primitas necessaria: quia non habens prius nullo priore se, est posterius. Nam circulum in causis esse est inconueniens.

Concl. 1. de efficiente. *Secundo de anima text. 47.* *1. Posteriorum 8.*

Contra [b] istam rationem instatur dupliciter. Primò, quia secundùm Philosophantes infinitas est possibilis in ascendendo, sicut ponunt exemplum de generationibus infinitis, vbi nullum est primum, sed quodlibet secundum, & tamen hoc ab eis sine circulo ponitur.

2. Physic. 2. & 12. Metaph. & alibi.

Secundò videtur, quòd procedat ex contingentibus, & ita non sit demonstratio. Antecedens probatur, quia præmissæ assumunt *esse* de aliquo causato, omne autem tale contingenter est.

8. Physic. & 2. de Gen. t. 56. 58. & 68.

Ad primam instantiam excludendam, dico, quòd Philosophi non posuerunt infinitatem possibilem in causis essentialiter ordinatis; sed tantummodò in accidentaliter ordinatis, sicut patet per Auicennam *6. Metaph. cap.* 5. vbi loquitur de infinitate indiuiduorum in specie.

Philosophi non posuerunt infinitatem in causis essentialiter ordinantis.

Et ad propositum [c] meliùs ostendendum, est sciendum, quæ sunt causæ essentialiter ordinatæ, & quæ accidentaliter ordinatæ.

Vbi notandum, quòd aliud est loqui de causis per se, & per accidens, & aliud est loqui de causis essentialiter siue accidentaliter ordinatis. Nam in primo tantùm est comparatio vnius ad vnum, causæ videlicet ad causatum, & est causa per se, quæ secundùm naturam propriam, & non secundùm aliquid sibi accidens causat: & causa per accidens è conuerso. In secundo est [d] comparatio duarum causarum inter se, inquantum ab eis est aliquid causatum. Et differunt causæ per se, siue essentialiter ordinatæ, à causis per accidens, siue accidentaliter ordinatis in tribus. Prima differentia est, quòd in causis per se ordinatis, causa secunda, inquantum causa, dependet à prima; in per accidens non, licèt in *esse*, vel in aliquo alio dependeat. 12.

2. Physic. & 5. Metaph. *Quid causa per se, & per accidẽs?* *Quomodo differunt causæ essentialiter ordinatæ ab accidentaliter ordinatis?*

Secunda est [e] quòd in per se ordinatis, est causalitas alterius rationis, & alterius ordinis, quia superior est perfectior: in accidentaliter ordinatis non. Hæc sequitur ex prima. Nam nulla causa à causa eiusdem rationis dependet essentialiter in causando: quia in causatione alicuius sufficit vnum vnius rationis.

Commentator 8. Physi. cap. 46.

Tertia est, quòd [f] omnes causæ per se, & essentialiter ordinatæ, simul necessariò requiruntur ad causandum; alioquin aliqua per se causalitas deesset effectui, in accidentaliter autem ordinatis non sic est, quia non requiritur simultas earum in causando. 13.

Ex tribus differentiis causarum tres rationes eliciuntur, ex prima, vniuersitas causatorum dependet in causando: ergo ab aliquo, quod non est aliquid vniuersitatis. Ex secunda, in infinitum superior erit in infinitum perfectior. Ex tertia, infinita simul actu. Additur quarta quæ probat, possibile, quod non includit imperfectionem ostendere esse. Quòd si negatur ordo essentialis, quia accidentalis sufficit ad sensum. Contrà probo, quòd causatur ab aliquo: natura producibilis in vno supposito est producibilis in quolibet: qua ratione igitur nunc in isto, & priùs in illo, & in illo, nulla autem successio continuatur, nisi in virtute alicuius permanentis. Illud verò nihil est sic successiui: ergo præter indiuiduum in specie generans, erit aliud superius agens.

ADDITIO. *Sic in antiquis originalibus.* *In hac additione ponitur subtilissimè sequentium resolutio probationũ.*

Ex isto infero, quòd illud est primum eminens, quia causa æquiuoca actualior & independens, & à qua alia dependent. Primus finis, quia aliquis est finis primus, propter quem per se agens

Text. 49. & inde.

agens agit, secundo Physic. aliquod aliud effectorum à se quia minus bonum. Similiter nihil a liud dirigit, maximè naturaliter nec ratione.

Vide in opere alio hîc ad hoc, id est, in Rep.q. 3.

Quartò, primum exemplar, quia per se agens. Vel igitur propter finem cognitum, vel inquantum dirigitur à cognoscente; cognoscit autem sensibilia, quia ordinat ea in finem, & vult propter finem.

14. Ex his ostenditur [g] propositum sic: Infinitas essentialiter ordinatorum est impossibilis. Similiter secundò: infinitas accidentaliter ordinatorum est impossibilis, nisi ponatur status in essentialiter ordinatis: ergo omni modo est impossibilis infinitas in essentialiter ordinatis. Tertiò, si etiam negetur ordo essentialis, adhuc infinitas est impossibilis: ergo omni modo est aliquod simpliciter primum effectiuum.

Infinitatem in essentialiter ordinatis esse impossibilē, probatur 5. rationibus.

Istarum trium propositionum assumptarum propter breuitatem prima dicatur *A*, secuna *B*, tertia *C*.

Probatio istarum, primò *A*. scilicet quòd infinitas essentialiter ordinatorum est impossibilis. Probatio: tum [h] quia vniuersitas causatorum essentialiter ordinatorum est causata: ergo ab aliqua causa, quæ non est aliquid illius vniuersitatis, quia tunc esset causa sui. Tota enim vniuersitas dependentium dependet, & à nullo illius vniuersitatis. Tum secundò [i] quia causæ infinitæ essent simul in actu, ex tertia differentia: sed consequens nullus Philosophus ponit. Tum [k] tertiò, *quia prius est, quod est, primo propinquius, ex 5. Metaph.* ergo vbi nullum primum, nihil essentialiter prius. Tum quartò, quia [l] superior causa est perfectior in causando, ex secunda differentia: ergo in infinitum superior est in infinitum perfectior: & ita infinitæ perfectionis in causando, & per consequens non causans in virtute alterius, quia quælibet talis in virtute alterius causans est imperfectè causans, quia est dependens ab alia in causando. Tum quintò [m], quia effectiuum nullam imperfectionem ponit necessariò: ergo potest esse in aliquo sine imperfectione: sed si in nullo est sine dependentia ad aliquid prius, in nullo est sine imperfectione: ergo effectiuitas independens potest inesse alicui naturæ, & illa est simpliciter prima: ergo effectiuitas simpliciter prima est possibilis, & hoc sufficit, quia inferius ex hoc concludetur quòd tale efficiens primum, si est possibile, est in re, & sic patet *A*, quinque rationibus.

Probatur 2. propositio, id est, non esse possibilem infinitatem in accidentaliter ordinatis.

Non perpetuatur successio, nisi virtute permanentis.

8. Physic. t. 46. 53. & 78. & 11. Metaph. t. 29. & inde, & 1. Cæ. & 2. de Gener.

15. Probatur [n] sic *B*, scilicet, quòd infinitas in accidentaliter ordinatis sit impossibilis, nisi ponatur status essentialiter ordinatorum, quia infinitas accidentalis, si ponitur hoc, non est simul: patet, sed successiuè tantùm vt alterum post alterum, ita quòd si secundum fluat aliquo modo à priore, nō tamen dependet ab ipso in causando Potest enim causare ipso non existente, sicut filius ita generat patre mortuo, sicut ipso viuo, talis infinitas successionis est impossibilis, nisi continuetur, vel perpetuetur ab aliqua natura infinitè durante, à quo tota successio, & quodlibet eius dependeat. Nulla enim difformitas perpetuatur, nisi in virtute alicuius permanentis, quod nihil est illius successionis, quia omnia successiua sunt eiusdem rationis, sed est aliquid prius essentialiter, quia quodlibet successionis dependet ab ipso, & hoc in alio ordine, quàm à causa proxima, quæ est aliquid illius successionis. Patet ergo. *B*.

Non dari infinitatem etiam si negetur ordo essentialis.

Probatur etiam [o] *C*. quòd scilicet si negetur ordo essentialis, adhuc infinitas est impossibilis. Probatio, quia cùm ex prima ratione hîc adductâ, scilicet, quòd à nihilo non potest esse aliquid, sequitur, quòd aliqua natura sit effectiua. Si negetur ordo essentialis actiuorum, igitur illa in nullius alterius virtute causat: & licèt ipsa in aliquo singulari ponatur causata, tamen in aliquo erit non causata, quod est propositum de natura. Si enim in quolibet ponatur causata, statim implicatur contradictio, negando ordinem essentialem, quia nulla natura potest poni in quolibet causata, ita quòd sit ordo accidentalis sub ipsa, sine ordine essentiali ad aliam naturam: sic patet ex *B*.

Respondet ad instantiam.

Ad secundam [p] instantiam suprà, quæ dicit, quòd ratio procedit ex contingentibus, & ita non est demonstratio. Respondeo, quòd posset sic argui: Aliqua natura est effecta, quia aliquod subiectum est mutatum, & ita terminus mutationis incipit esse in subiecto, & ita ille terminus, vel compositum producitur, siue efficitur: ergo aliquod est efficiens per naturam correlatiuorum, & tunc præmissa esset secundùm veritatem contingens. Tamen non sic arguitur probando primam conclusionem, sed hoc modo: Aliqua natura est effectibilis, ergo aliqua est effectiua. Antecedens probatur, quia aliquod subiectum est mutabile, & aliquod entium est possibile, accipiendo *possibile*, vt diuiditur contra necessarium, & sic procedendo est ex necessariis. Et tunc probatio primæ conclusionis procedit, vel concludit de *esse* quiditatiuo, siue de *esse* possibili, non autem de existentia actuali: sed de quo nunc ostenditur possibilitas vltra in tertia conclusione actualis existentia ostenditur.

Secunda

Secunda conclusio [q] de primo effectiuo, est ista, quòd simpliciter primum effectiuum, est incausabile. Hoc probatur, quia est ineffectibile, & independens effectiuum, & hæc patet prius, quia si sit virtute alterius causatiuum, vel ab alio effectibile: ergo vel procedetur in infinitum, vel erit circulus, vel status in aliquo ineffectibili, & independente effectiuo, illud dico primum, & aliud patet, quòd non est primum ex datis tuis. 16.

Conclusio secunda de causa effectiua prima quòd sit incausabilis.

Et vlterius concluditur, si illud primum est ineffectibile, ergo erit incausabile, quia non finibile, nec materiabile, nec formabile. Probatur prima consequentia, videlicet quòd si est ineffectibile, ergo non est finibile, quia causa finalis non causat, nisi quia metaphoricè mouet ipsum efficiens ad efficiendum. Nam non alio modo dependet ab ipso essentialiter entitas finiti, vt à priore. Nihil autem est causa per se, nisi, vt ab ipso tanquam à priore essentialiter dependet causatum. Duæ autem [r] aliæ consequentiæ, videlicet, quòd si est ineffectibile, ergo immateriabile, & non formabile: probantur simul, quia cuius non est causa extrinseca, eius non est causa intrinseca.

Ineffectibile esse infinibile, immateriale, informabile.

Quia causalitas causæ extrinsecæ, dicit perfectionem sine imperfectione. Causalitas autem causæ intrinsecæ, necessariò requirit imperfectionem annexam, quia causa intrinseca est pars causati: ergo ratio causæ extrinsecæ, est naturaliter prior ratione causæ intrinsecæ, negato ergo priore negatur posterius.

Aliter probantur eædem [s] consequentiæ.

Quia causæ intrinsecæ sunt causatæ ab extrinseca, vel secundùm *esse* earum, vel inquantum causat compositum, vel vtroque modo: quia causæ intrinsecæ non seipsis sine agente causant compositum, vel constituunt. Ex dictis secunda conclusio proposita satis patet.

Tertia conclusio [t] de primo effectiuo est ista. Primum effectiuum est in actu existens, & aliqua natura existens actu, sic est effectiua. Probatio: cuius rationi repugnat simpliciter esse ab alio, illud si potest esse potest esse à se, sed rationi primi effectiui repugnat esse ab alio: sicut patet ex secunda conclusione: & ipsum potest esse, sicut patet ex quinta ratione posita ad *A*, quæ videtur minùs concludere: tamen hoc concludit.

Tertia conclus. primū efficiens esse actu existens.

Aliæ autem probationes ipsius *A* possunt tractari de existentia, quam ponit hæc tertia conclusio, & sunt istæ probationes ex contingentibus, tamen manifestis: vel si accipiantur de natura quiditate, & possibilitate, sunt ex necessariis.

Ergo effectiuum simpliciter primum potest esse à se, ergo est à se. Quia, quod non est à se, non potest esse à se, quia tunc non ens produceret aliquid ad *esse*, quod est impossibile: & adhuc idem causaret se, & ita non erit incausabile omnino. Istud vltimum, scilicet de existentia primi effectiui aliter declaratur; quia inconueniens est vniuerso deesse supremum gradum possibilem in essendo. Item iuxta illud, nota quoddam corollarium, quod quasi continet tres conclusiones probatas, quod est istud, scilicet quòd primū effectiuum hoc modo, non tātum est prius aliis, sed aliquid esse prius eo includit contradictionem, sic inquantum primum existit. Probatur, vt præcedens, nam ratione illius maximè includitur incausabile, vt probatur ex secunda. Ergo si potest esse quia non contradicit entitati, vt probatur ex prima, sequitur, quòd potest esse à se, & ita est à se.

Quod non est à se, non potest esse à se, quare.

In æternis idem esse & posse.
3. Physic. t. 32.

COMMENTARIVS.

1\. a *Prima conclusio istarum est ista*, &c. Et cùm dicit parum infrà: *Si enim negetur negatio, ponitur affirmatio*, id est, quando quærit si est effectibile ab *A*, aut *A* est primum, & habetur propositum; aut *A* non est primum. *Si negetur negatio*, scilicet hæc: aut *A* non est primum, *ponitur affirmatio*, scilicet quod est effectibile ab aliquo: *& detur illud alterum, & sit B, de quo arguitur sicut de A argutum est*, scilicet an *B* sit primum effectiuum, aut non. Si primò, habetur propositum. Si secundò, ergo erit effectibile ab alio, & sit illud *C*. *& ita aut procederetur in infinitum, quorum quodlibet respectu prioris erit secundum*, id est, quòd si *A* est à *B*. si *B* non est primum, erit secundum respectu prioris, puta *C*, & quæritur, aut *C* est primum, & habetur propositum; aut non, ergo erit effectibile à *D*. & *C* respectu *D* erit secundum: & sic semper ascendendo in infinitum; quocunque dato, si non est primum, erit secundum respectu prioris, à quo est effectibile: *infinitas autem est impossibilis in ascendendo*, id est, in essentialiter ordinatis: *ergo* si talis infinitas sit impossibilis, *primitas* in tali ordine, scilicet causarum, & causatorum erit *necessaria: quia non habens prius, nullo priore est posterius*, id est, quòd si *A* est simpliciter prius, & *B, C, D* sunt simpliciter posteriora *A*, ipsum *A* non erit essentialiter posterius *B*, vel *C*, vel *D*. quia tunc idem respectu eiusdem esset simpliciter, & essentialiter prius, & posterius. Si enim *B* sit essentialiter causatum ab *A*, *A* erit essentialiter prius *B*, & *B* essentialiter posterius: si ergo *A* sit causatum à *B*, *A* erit essentialiter prius, & posterius *B*. & è contra *B* erit essentialiter prius, & posterius *A*, & sic in causis essentialiter ordinatis esset circulus: quod est impossibile.

An infinitas sit impossibilis in essentialiter ordinatis.

2\. b *Contra instatur dupliciter*. Hìc Doctor adducit duas instantias, probando primò, quòd infinitas in ascendendo, sit possibilis secundùm Philosophos, qui ponunt exemplum de generationibus

Ordo essentialis causarum.

tionibus infinitis, *& tamen hoc ab eis, sine circulo ponitur*: patet, quia dicerent, quòd *A* sit à *B*. & *B* à *C*,& *C* à *D*. & sic semper ascendendo in infinitum: non autem dicerent quòd si *A* sit à *B*, quòd *B* pòssit esse ab *A*, & sic de aliis.

Esse causam per se contingit dupliciter.

Secundò arguit contra hoc, quod dixit, scilicet quòd demonstratione *quia*, demonstrantur aliquæ proprietates relatiuæ de ente infinito, & hoc per creaturas: puta, quòd sit primum effectiuum, primum independens, & huiusmodi: quia demonstratio, siue *propter quid*, siue *quia*, semper procedit ex necessariis, & non ex contingentibus: vt patet *primo Poster.* hìc autem proceditur à præmissis contingentibus: quia præmissæ assumunt *esse* de aliquo causato: accipiunt enim *esse* existentiæ, quod est contingens, vt cùm dicitur, aliquod ens est effectibile: *esse* enim effectibile est effectibile secundùm *esse* existentiæ: patet, quia nihil propriè efficitur, nisi secundùm quod producitur in actuali *esse* existentiæ.

3. c *Et ad propositum meliùs ostendendum*, &c. Hìc Doctor intendit primò declarare ordinem essentialem causarum, & ordinem accidentalem earum. Secundò ostendere, quomodo infinitas sit simpliciter impossibilis, tam in causis essentialiter ordinatis, quàm accidentaliter. De primo plura dicit. Primò de causis per se, & per accidens. Causæ per se sunt illæ, quæ agunt per propriam formam: ita quòd talis forma sit ratio formalis agendi; & istæ sunt in duplici differentia: quædam enim dicuntur per se, non tantùm quia agunt per formam, quæ est ratio formalis agendi: sed etiam includunt illam formam per se, & quiditatiuè. Exemplum, ignis per se causat ignem: quia forma substantialis ignis, est ratio formalis producendi ignem: vt patet à Doctore *in 2. dist.* 16. & vide quæ ibi exposui, & *in* 4. *dist.* 12. & talis forma est de essentia ignis. Quædam verò dicuntur per se causæ, eo quòd in se habent formam, quæ est per se ratio formalis agendi: licèt non includant illam per se, & quiditatiuè, & sic ignis per se calefacit lignum: quia calefacit mediante calore, qui est per se ratio calefaciendi. Sed causæ per accidens dicuntur illæ, quæ nullo modo attingunt effectum, nec sunt rationes formales attingendi: sed quia accidunt alicui causæ per se, modo præexposito: & sic dicimus, quòd album calefacit, quia albedo accidit causæ per se calefacienti: & hoc modo loquitur Philosophus de causa per accidens 5. *Metaph. text. com.* 2. & 2. *Physic. text. comm.* 33. vbi dicit, quòd Polycletus est causa statuæ per accidens: accidit enim artifici per se facienti statuam, quòd dicatur Polycletus: non enim per se efficit statuam quia Polycletus: sed quia habet artem, quæ per se est ratio formalis faciendi statuam. Est tamen ordo in causis per accidens, quia vna est propinquior causæ per se, & alia remotior: patet per Philosophum 5. *Metaph. text. comm.* 2. vbi vult, quòd Polycletus respectu statuæ faciendæ sit propinquior quàm album.

Causa per se quæ sint.

Causa per accidens.

4. Dicit ergo Doctor quòd aliud est loqui de causis per se, aut per accidens & aliud est loqui de causis essentialiter ordinatis, siue de causis accidentaliter ordinatis: nam in primo est tantùm comparatio vnius ad vnum, scilicet causæ ad causatum. Causa enim per se præcisè comparatur ad effectum, quem causat, vt cùm ignis producit ignem. Et quod dicit, quòd causa per se est, quæ causat secundùm naturam propriam: hoc sic debet intelligi de ratione formali causandi: quia illud est per se ratio formalis causandi, quod secundùm propriam naturam est ratio formalis causandi: sicut calor dicitur secundùm rationem formalem caloris, ratio formalis causandi, & non dicitur ratio formalis causandi propter aliquod sibi accidens. Vel si exponatur de causa per se, vt *quod*: tunc illa dicitur per se, vel quæ includit quiditatiuè aliquid, quod est simpliciter ratio formalis causandi: vel quæ includit aliquid accidentaliter, quod tamen est per se ratio formalis causandi. Per accidens, quod includit aliquid, quod nullo modo est ratio formalis causandi: inest tamen alicui quod est per se causa.

Diuersus ordo, & comparatio causarum.

d *In secundo est comparatio duarum causarum inter se inquantum ab eis est aliquid causatum*; vt cùm comparantur Deus, Sol, & homo ad hominem genitum, quæ dicuntur causæ essentialiter ordinatæ: vel vt comparantur ad Ioannem genitum, pater, auus, abauus; & sic ascendendo: & istæ dicuntur causæ accidentaliter ordinatæ. Ibi, *& differunt causa essentialiter ordinata à causis accidentaliter ordinatis tripliciter.* Hìc ponit conditiones requisitas ad causas essentialiter ordinatas, quibus cognitis, patet quomodo differunt ab accidentaliter ordinatis. Prima conditio est, quòd *in causis essentialiter ordinatis, causa secunda, inquantum causat, dependet à prima*, id est, quòd causa secunda in causando dependet à prima: non quòd aliquid recipiat à prima, dum causat: vt patet à Doctore *in* 4. *dist. prima*, *q.* 1. sed prima non agente, secunda agere non potest: & sic secunda in agendo dicitur dependere à prima: & hoc magis patebit in respondendo ad obiectiones Ocham, infrà. Et communiter causa, quæ dependet in agendo ab alia (& loquor de illa, quæ simpliciter dependet) dependet etiam in essendo, vt patet à Doctore *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 10. In causis verò per accidens; & si vna possit dependere ab alia in essendo, sicut Ioannes à Francisco, non tamen in agendo, quia Ioannes posset generare, mortuo Francisco. Aduerte tamen, quòd si dependeret in *esse*, & conseruari, fortè etiam dependeret in causando: sed effectus præcisè dependet in *esse* à causa secunda pro illo primo instanti, quo accipit *esse* à tali causa; sed pro toto tempore sequente, dependet præcisè à prima causa in *esse*, & conseruari: vt patet à Doctore *in* 2. *d.* 2. *parte prima q.* 4.

5.

Quomodo differat causa essentialiter ordinata à causis accidentaliter ordinatis.

Prima conditio.

Filius non dependet à patre, nisi per instans.

6. e *Secunda conditio est, quòd in essentialiter ordinatis est causalitas alterius rationis, & alterius ordinis*; *quia superior est perfectior*, scilicet essentialiter, & quiditatiuè; *in accidentaliter ordinatis non*: est enim impossibile quòd inter indiuidua eiusdem speciei sit talis ordo causarum, essentialiter ordinatarum, cùm inter illa non sit ordo essentialis: vt patet expressè à Philosopho 3. *Metaph. text. com.* 11. *In indiuiduis*, inquit, *eiusdem speciei*, *non est hoc prius*, scilicet essentialiter: *illud verò posterius*, scilicet essentialiter. Oportet ergo, quòd causæ essentialiter ordinatæ differant specie; nec sufficit, quòd differant, vt species specialissimæ, quæ ad inuicem sunt disparatæ: quia duæ species specialissimæ eiusdem generis non vniuntur ad inuicem ad productionem alicuius effectus, vt causæ per se essentialiter ordinatæ, vt patet à Doctore *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 8. vide ibi. Et cùm dicit, quòd inter illas est causalitas alterius ordinis, & alterius rationis: est causalitas alterius ordinis, quia superior

Secunda conditio.

Quomodo causa superior essentialiter est alterius ordinis, & rationis.

superior in alio ordine causandi, causat, puta, quia causat respectu secundæ independenter, & est mouens non mota: inferior verò dependenter, & mouet inquantum mouetur à prima: & sic est mouens mota: & per consequens causalitas causæ superioris est alterius ordinis à causalitate inferioris: est etiam causalitas superioris, alterius rationis à causalitate inferioris: quia superior est essentialiter perfectior: causalitas enim dicitur alterius rationis; quæ consequitur entitatem alterius rationis, sicut ergo causa superior est essentialiter perfectior, & quiditatiuè causa inferiori: ita causalitas superioris erit essentialiter perfectior causalitate inferioris. Nisi teneatur, quòd ad ordines essentialiter causarum sufficit alius, & alius modus habendi formam eiusdem speciei: vt videtur Doctor tenere *in 2. Metaph. quæst. 5.* vide quæ ibi exposui. Sed in accidentaliter ordinatis non est talis ordo essentialis, & hoc dependet ex prima conditione causarum, accidentaliter ordinatarum: videlicet, quia secunda non dependet in agendo à prima: nulla enim causa eiusdem rationis, cum alia eiusdem speciei specialissimæ dependet essentialiter ab illa in causando: quia (vt dixi) non est isti ordo essentialis: nam in causatione alicuius sufficit vnum vnius rationis: patet, quia calores, qui ponuntur eiusdem rationis ad causandum calorem in ligno, sufficit vnus calor: non enim oportet ponere duos calores ad causandum calorem in ligno: sed si essent essentialiter ordinati, vnus non sufficeret sine alio. Nec valet instantia de patre, & matre, quæ sunt eiusdem speciei, & tamen necessariò concurrunt ad eundem effectum, vt patet à Doctore *in 3. dist.* 4. quia non ponuntur causæ accidentaliter ordinatæ, sed tantùm ponuntur vt duæ causæ partiales, integrantes vnam totalem. De hoc patebit infrà *dist. 3. q. 8. & in 2. dist.* 3.

7. *Tertia conditio.*

f *Tertia conditio est, quòd omnes causæ per se essentialiter ordinatæ simul necessariò requiruntur ad causandum:* non sic intelligendo, quòd sicut inferior non potest producere effectum, non concurrente superiore; ita nec superior potest producere, inferiore non concurrente. Sed quòd inferior nullo modo concurrit, superiore non agente, ad eundem effectum communem: non tamen è contra. Si tamen teneatur, quòd simpliciter omnes concurrant, adhuc oportebit dicere, quòd semper superior concurrit, vt mouens non mota, & vt alterius ordinis, & rationis in causando: quia semper secunda agit in virtute primæ, quamuis prima non possit secundùm Philosophum attingere immediatè effectum nouum, non concurrente simul secunda, & particulari: semper tamen secunda attingit effectum in virtute primæ, & in causando dependet à prima, sed non è contra. Et quòd simul concurrant ad effectum, patet, quia aliter aliqua per se causalitas deesset effectui. Si enim necessariò dependet ab *A, B, C, D*: vt à causis essentialiter ordinatis ad illum effectum: si posset produci ab vna tantùm, aliæ per se causalitates deessent: immò nullo modo posset produci: nisi teneatur quòd causa superior eminenter continet causalitatem omnium inferiorum, vt infrà patebit: & sic superior per se sufficeret. Primus modus secundùm viam Theologorum, & secundùm veritatem est est verus: secundus verò modus secundùm viam Philosophorum est probabilis, immò necessa-

Secũda causa semper attingit effectum virtute primæ.

rius, de quo infrà *dist. 8. quæst. vlt. & in quodlib. quæst.* 7. Sed in accidentaliter ordinatis, non sic: quia non requiritur simultas earum ad causandum, vt patet: quia si sic, sequeretur, quòd hic homo non posset generare, nisi simul concurrerent pater eius, auus, abauus, proauus: & sic ascendendo, vel in infinitum, vel ad primum hominem, puta vsque ad Adam.

Et ex hoc apparet improbatio illius, quod ait Ocham contra Doctorem de causa per se, & per accidens *in 2. dist. 2. quæst.* 10. Vbi vult, quòd ita hæc sit per se se, *album calefacit,* sicut *calidum calefacit:* quia tam album, quàm calidum supponunt pro aliquo supposito, vel vtraque sit per accidens, cùm tam albedo, quàm caliditas accidat supposito. Et ita non est maior ratio, quòd calidum per se calefaciat, quàm quòd album per se calefaciat: cùm vtrunque accidat supposito calefacienti. Sed hæc non est mens Doctoris vt patuit suprà. Diceret enim Doctor, ideò calidum per se calefacit, quia suppositum habens caliditatem, quæ est per se ratio formalis calefaciendi, secundùm illam calefacit. Et album per se non calefacit: quia suppositum habens albedinem secundùm illam; nullo modo potest calefacere, cùm non sit ratio formalis calefaciendi. 8. *Improbatio Ocham.*

Contra primam differentiam arguit Ocham, vbi suprà, sic dicens: Quæro, quid est causam secundam dependere à prima in causando? aut hoc est, quia sine ea causare non potest: aut quia in suo *esse* dependet à prima; aut quia recipit virtutem à prima, vel aliquam influentiam à prima. Primum non, quia in multis, sicut causa secunda non potest causare sine prima, ita nec è conuerso: patet, quia sicut multa agentia particularia non possunt causare effectum suum, sine Sole, ita Sol sine ipsis. Nec secundum, quia aliquando causa dependet in *esse*, & conseruari, ab aliqua alia, sine qua, si causa conseruaretur à Deo, nihilominus posset effectus esse. Nec potest dari tertium, quia talis influentia, vel motio, non posset esse, nisi sit, vel motus localis, vel aliqua forma substantialis, vel accidentalis. Sed patet, quòd frequenter causa secunda in agendo, nec motum localem, nec formam absolutam recipit à prima. *Guliel. Och. arguit contra Doct. de dependentia à prima causa.*

Præterea secundùm Scotum alibi, scilicet *in primo dist. 3. quæst. 7. & in 2. dist. 3. quæst. vlt. & diffusè in quodlib. quæst.* 15. Obiectum, & intellectus sunt duæ causæ partiales, respectu intellectionis: & tamen secundùm eum neutra dependet ab alia in causando, sed vtraque agit virtute propria, vt patet ab ipso Scoto *in primo dist. 3. quæst. pen. & alibi sæpe.* Et tunc quærit Ocham: aut sunt essentialiter ordinatæ, aut accidentaliter. Si primo, ergo non semper secunda dependet à prima in causando. Si secundo, ergo secunda potest agere sine prima, vt patet. Et confirmat hoc, quia secundùm Scotum intellectus, respectu intellectionis est causa principalis, & vniuersalis, & illimitata: & tamen obiectum in causando non dependet ab ea.

Pro responsione ad rationem Ocham præmitto vnum dictum Scoti *in 4. dist. 1. quæst. 1. in responsione ad vltimum argumentum principale.* Vbi sic dicit, quòd *nihil potest agere in quocunque ordine agendi, nisi propria virtute. Nisi enim habeat formam actiuam, & intrinsecam, non potest omnino agere, ita etiam nisi habeat propriam virtutem intrinsecam, quia illa* 9. *Responsio ad rationem Ocham.*

illa forma est virtus. Quòd si prius non habuit formam, & virtutem, & nunc agit in aliquo ordine: oportet quòd nunc de nouo habeat formam, & virtutem in illo ordine. Eadem enim natura manens absque omni mutatione, nullo modo est nunc actiua, nunc non actiua: sed tamen agens dependens ab alio dicitur agere in virtute alterius, quia virtus agentis dependentis non sufficit sine illa virtute, à qua dependet. Et parum infrà. *Causam etiam secundam* (id est quæ habet formam actiuam in esse quieto) *agere in virtute alterius, non est recipere tunc aliquid ab illo altero: sed tantùm habere ordinem inferiorem ad illud alterum agens in suo ordine simul.* Et parum infrà. *Et ex hoc patet, quòd causa prima in causam secundam propriè dictam, quando simul agunt, non est influentia noua, quæ sit creatio alicuius inhærentis causa secundæ: sed influentia ibi est determinatus ordo istarum causarum in agendo effectum communem.* Hæc ille.

10. *Quomodo causa secunda dependet à prima in agendo.*

Et ex hoc patet responsio ad rationem Ocham. Non enim dicitur causa secunda dependere à prima in agendo, ex hoc, quòd non potest agere sine prima: tum, quia aliquando secundùm ipsum, nec prima potest agere sine secunda, nec ex hoc, quòd secunda habet suum *esse*, & conseruari à prima: nec ex hoc quòd secunda in causando aliquid recipit à prima. Sed dicitur dependere à prima in agendo, propter determinatum ordinem inferioris causæ, ad ordinem causæ superioris. Posito ergo, quòd causa superior non possit agere sine inferiori, non tamen sequitur, quòd in agendo dependeat ab inferiori: sed superior simul causando cum inferiori semper in agendo habet ordinem superiorem, & inferior inferiorem.

Nota.

Dico secundò, quòd, propriè loquendo, nulla dicitur causa secunda respectu alicuius primæ, nisi illa secunda etiam dependeat à prima in *esse*, & conseruari, vt posset deduci ex dictis Doctoris *in præsenti dist. & dist. 8. quæst. vlt. & in 2. dist. 37. & in quodlib. quæst. 7.* In causis verò accidentaliter ordinatis, & si vna dependeat ab alia in *esse*, non tamen dependet totaliter ab illa in suo *conseruari*, sed à solo Deo. Et posito, quòd sic dependeret, vltra hoc requiritur determinatus ordo in agendo, videlicet superioris, & inferioris, qualis non est in causis accidentaliter ordinatis, cùm illæ sint eiusdem speciei specialissimæ. Et sic patet instantia de Sole, quæ non concludit: tum, quia posito quòd Sol non possit agere sine causa inferiori: non tamen in agendo dicitur dependere: quia in *esse* suo non dependet ab inferiori.

11. *In essentialiter ordinatis causa 2. non potest agere sine prima.*

Dico tertiò, quòd causæ essentialiter ordinatæ sic se habent, quòd impossibile est secundam agere sine prima, etiam per impossibile, prima circumscripta: propter determinatum ordinem, quem habet secunda in agendo ad primam. Et ideò, per impossibile, circunscripto primo ente, & existente Sole, impossibile est, Solem aliquid producere: præcipuè cùm effectus necessariò in *esse*, & conseruari, dependeat à prima causa, & ideò ipsa circunscripta, esset simpliciter impossibilis talis effectus: sed non è conuerso circunscriptis causis secundis, quia prima continet virtualiter, & eminenter, causalitates omnium secundarum causarum.

Obiectio.

Si dicatur cùm *agere* sequatur *esse*, & Sol habet formam propriam, & virtutem propriam, quâ agere potest, cùm hoc sit verum de omni causa secunda, vt patuit suprà, per Doctorem videtur, quòd possit agere circunscripta prima.

Dico, quòd vltra virtutem propriam, quam habet, requirit ordinem determinatum, qui est agere in virtute superioris, & in agendo dependere à superiori. Effectus enim non tantùm dependet à causa secunda, sed etiam à prima. Et ideò non credo absolutè, quòd inter causas inferiores, & cœlum, sit simpliciter ordo essentialis in causando: quia, per possibile, cœlo circunscripto, adhuc ignis posset calefacere, & posset corrumpere aliud, & generare aliam substantiam, vt subtiliter deduci potest ex dictis Doctoris *in dist. 48. 4. quæst. 2.* vbi vult expresè, quòd cessante motu primi mobilis, adhuc aliquid inferius moueri potest: vide ibi. *Responsio.* *Circumscripto cœlo ignis potest generare.*

Si dicatur, quòd etiam per possibile, vel impossibile, circunscripta omni causa secunda, prima non posset agere omnem effectum causæ secundæ: patet, quia Philosophi volunt, quòd imperfectio effectus tantùm attribuatur causæ secundæ, quamuis ille effectus dependeat etiam à prima, & dicunt, quòd impossibile est primam causam agere immediatè effectum. 12. *Obiectio.*

Respondeo, quòd hoc benè concluderet, si probatum esset, quòd causa prima agat tantùm de necessitate naturæ, vt patet subtiliter à Doctore *in primo dist. 2. quæst. 1. & dist. 8. quæst. vltima, quæst. 7. quodlib.* Sed ex quo primum agens tantùm agit contingenter ad extrà, dico, quòd immediatè posset producere omnem effectum, nulla secunda causa concurrente, vt patet per communiter Doctores. Et præsertim à Doctore subtili, vbi suprà. *Solutio.*

Dico secundò, quòd posito, quòd prima causa non possit agere, circumscripta omni secunda, adhuc esset ordo essentialis inter illas, & omnis causa secunda in agendo dependet à prima, & de necessitate ageret in virtute primæ: cùm prima eminenter, & virtualiter contineat causalitatem cuiuscunque secundæ, vt subtiliter patet à Doctore *in locis, vbi suprà, allegatis, & in 2. dist. 37.* Et sic patet quomodo ratio Ocham non concludit contra Doctorem. *Item alia.*

Ad aliud de intellectu, & obiecto: Dico, quòd non sunt duæ causæ essentialiter ordinatæ, sed duæ causæ partiales, respectu effectus communis, licèt vna sit perfectior, tamen neutra in agendo agit in virtute alterius: nec vna illarum eminenter continet totam causalitatem alterius. Sed vt Doctor in primo dist. 2. quæst. 8. *Causa imperfectior aliquid addit, in tantum, quòd effectus non solùm non potest esse perfectior à causa perfectiori plusquam ab imperfectiori, immò non potest esse plus à perfectiori tantùm, quàm ab imperfectiori tantùm. Sunt ergo causæ essentialiter ordinatæ tantùm vno modo: videlicet, quòd vna est simpliciter perfectior altera, ita tamen, quòd vtraque in sua partiali causalitate est perfecta non dependens ab alia.* Hæc Scotus, sed non sunt causæ essentialiter ordinatæ: vt suprà exposuimus. *Ad aliam rationem Guliel. Ocham.*

Ad aliud, cùm dicit, quòd intellectus est causa vniuersalior, &c. Hoc verum est, vt dicit Doctor *in primo dist. 3. quæst. 8.* Quia intellectus partialiter concurrit ad intellectionem cuiuscunque obiecti, & obiectum est tantùm causa determinatæ intellectionis, loquendo de obiectis creatis. Sed inter illa non est essentialis ordo, sic quòd partialis causa imperfectior in agendo dependeat à perfectiori, nec quòd agat in virtute perfectioris; sed tantùm dicitur ordo essentialis inter illa 13. *Ad aliam rationem. Intellectus cõcurrit partialiter ad intellectionẽ cuiuscunque obiecti.*

ex

ex hoc, quòd vna causa essentialis semper est perfectior, & aliquando respectu intellectionis, intellectus est causa imperfectior, quàm obiectum: & aliquando è contra obiectum est causa perfectior: vt patet à Doctore *in 1.d.3.q.8.*

Secundò arguit Guliel. Ocham cõtra Doct. in 1.d.2. q.10.

Secundò principaliter arguit Ocham vbi suprà, contra secundam differentiam, quam Doctor ponit inter causas essentialiter ordinatas, & accidentaliter ordinatas, quæ est, quòd causæ essentialiter ordinatæ sunt alterius rationis, & alterius ordinis, quia superior est perfectior: & arguit sic: aut accipitur *superioritas* pro prioritate secundùm perfectionem, aut pro prioritate secundùm illimitationem. Non primo modo, quia esset petere principium, quòd causæ essent alterius rationis, quia superior: quia idem est, ac si diceretur, quia perfectior est perfectior. Non secundo modo, quia causa illimitatior non est semper perfectior limitata: patet de corpore cœlesti, quod est imperfectius animali: vt dicit Doctor *in 2.dist.18.* Et tamen corpus cœleste est causa illimitatior. Similiter quando intellectus humanus intelligit essentiam Angeli, intellectus est causa illimitatior, essentia Angeli, & tamen essentia Angeli est causa perfectior, respectu intellectionis: quod etiam tenet Doctor *in 1. dist. 3. quæst. 7.* & alibi.

Corpus cœlestè quomodo sit imperfectius animali.

Responsio.

Dico, quòd superioritas ista amplectitur vtrumque simul: videlicet quòd causa superior sit perfectior, & illimitatior: nec hoc est petitio principij, vt patet intuenti literam Doctoris; sed est ad maiorem declarationem illius, quod dicit.

g *Ex his.* Doctor probat intentum principale. Et primò probat, quòd infinitas essentialiter ordinatorum est simpliciter impossibilis. Et prima ratio est ibi.

14. h *Tum, quia vniuersitas causatorum est causata*, & litera clara est. Si enim tota vniuersitas causatorum sit causata: & certum est, quòd non ab aliquo illius vniuersitatis, quia tunc idem causaret seipsum. Patet, si enim illud est de numero illius vniuersitatis, & per consequens de numero causatorum, & tota illa vniuersitas est causata ab illo: ergo illud causabit seipsum. Et quòd tota vniuersitas causatorum, essentialiter ordinatorum, sit causata, patet: quia illud, quod est simpliciter incausatum, ponitur extra illam vniuersitatem. Nec valet dicere, quòd tota illa vniuersitas causatorum essentialiter ordinatorum non sit causata, sed in infinitum causabilis. Contrà si *A* pertinens ad vniuersitatem causatorum, essentialiter ordinatorum sit essentialiter causatum à *B*, & *B* à *C*, & *C* à *D*, & sic ascendendo, si *A*, est in actu causatum: sequitur, quòd omnes causæ superiores, quæ pertinent ad vniuersitatem illam, sint actu causatæ: patet, quia *A* est actu causatum: ergo omnes causæ, à quibus essentialiter dependet, erunt in actu, quando *A* actu causatur. Patet consequentia, quia effectus in actu non potest esse, nisi à causa in actu, vt patet per Philosophum 2. *Physic. text. com.37. & 5. Metaph. cap. de Causa, text.com.3.* Et tunc quæro, aut illæ causæ superiores sunt causatæ in actu, aut aliqua illarum non est causata. Si secundò, habetur intentum. Si primò, ergo erunt omnes causatæ ab aliquo illius, & vniuersitatis: & sic idem erit causa sui ipsius. Nec valet dicere, quòd benè *A* est causatum à *B*, & *B* à *C*, & *C* à *D*, non tamen *A* erit causatum, nec à *C*, nec à *D*, sed præcisè à *B*, & *B*, præcisè à *C*, & *C* præcisè à *D*, & sic ascendendo. Dico primò, quòd non sequitur, quia in causis essentialiter ordinatis, quicquid est causa causæ, est causa causati. Dico secundò, quòd hoc posito, adhuc habetur intentum, quia adhuc oportet ponere aliquid esse causa, quod sit extra illam vniuersitatem, vt patet: sufficit mihi, quòd si tota vniuersitas causatorũ sit causata, quòd quicquid est illius vniuersitatis, erit causatum, & non ab aliquo illius vniuersitatis; quia quocunque assignato, quæro, aut est causatum ab aliquo illius vniuersitatis, aut à nullo, aut ab aliquo extra illam vniuersitatem: non primò, quia oportet concedere, quòd idem esset tandem causatum à seipso: non secundò, quia non ens non potest esse causa entis, vt patet: si tertiò, habetur propositum, quòd erit status in essentialiter ordinatis.

Quomodo in essentialiter ordinatis necessariò deuenitur ad vnũ primum incausatum.

i Secunda ratio est ibi: *Tum secundò.* Et ratio 15.
stat in hoc, quia cùm causæ essentialiter ordinatæ simul concurrant, si est processus in infinitum in talibus causis in ascendendo, ergo erunt infinitæ causæ in actu, cùm nihil agat, nisi sit in actu. Sed apud Doctorem fortè non est incõueniens, quòd dentur infinita in actu. Dicit enim *in 3.d.14.* quòd posset poni animam Christi simul posse recipere infinitas visiones, & non tantùm hoc, sed etiam simul elicere illas; hoc tamen esset inconueniens apud Philosophos; & etiam Doctor hoc assertiuè non dicit: vt patet ibi, esset tamen inconueniens, quòd darentur infinita in actu, inter quæ esset ordo essentialis: ita quòd inter illa sit essentialis dependentia causati ad causam.

Infinita in actu possunt poni.

k Tertia ratio est ibi: *Tum tertiò.* Et ratio stat in hoc: vbi est ordo essentialis inter aliqua, ibi necessariò est prius, & posterius essẽtialiter: patet, quia non est ordo inter aliqua, inter quæ non sit ratio prioris, & ratio posterioris; loquẽdo de quocunque ordine essentiali. Si enim est ordo essentialis inter perfectiones, necessariò vna perfectio erit prior prioritate perfectionis. Si est ordo durationis inter aliqua, necessariò vnum erit prius, & aliud posterius duratione. Si ergo inter causas sit ordo essentialis, necessariò vna erit essentialiter prior, vt patet. Cùm ergo inter causas essentialiter ordinatas, necessariò sit prioritas, & posterioritas essentialis, sequitur, quòd si in essentialiter ordinatis non sit status, ita quòd non sit aliqua prima, quòd in essentialiter ordinatis nõ sit prius, & posterius: patet, quia vbi non est primum, ibi non est prius, quia prius est, quod est primo propinquius, vt patet per Philosophum 5. *Met. text. com.16.* & si ibi non est prius: ergo nec ordo essentialis: & sic ponere ordinem essentialem in causis, & negare ibi priùs, est negare ordinem essentialem, negatur autem prius, vbi negatur primum.

l *Tum quartò*, &c. Sed quomodo teneat ista 16.
ratio quòd sit status, est aliqualiter difficile, quia fortè concederetur, quòd in infinitum superior, est in infinitum perfectior: sed non sequitur ex hoc, quòd detur prima; sed data quacunque alia, daretur superior, & perfectior. Dico, quòd ratio Doctoris euidenter concludit, si rectè intelligatur: pono enim, quòd *A* causetur à causis essentialiter ordinatis: certum est quòd omnes simul actu concurrunt, ex tertia differentia posita suprà, & superior est perfectior, ex secunda differentia, & in infinitum superior, in infinitum perfectior: ergo illa, quæ in infinitum est superior actu, concurrit ad *A* effectum: ergo ibi erit status: patet, quia illa, quæ in infinitum est perfectior (quæcunque sit illa non curo) si

si ponitur causata, non erit in infinitum perfectior, quia causa illius erit perfectior: ergo illa causata non fuit in infinitum perfectior, similiter in infinitum perfectior non concurrit ad *A*, dependendo ab alio, quia si in agendo dependeret, non esset in infinitum perfectior, vt patet: ergo ibi erit status ad illam, quæ in infinitum est superior, quia illa non erit causata, nec aget in virtute alterius; sed omnino independenter: ergo simpliciter prima. Nec valet dicere, quòd illa prima non potest assignari, quia data, siue assignata quacunque, adhuc superior erit assignabilis, & assignata illa superiore, adhuc alia superior erit assignanda, & sic in infinitum: quia quæro à te, an omnes causæ essentialiter ordinatæ simul actu concurrant ad effectum *A*; si non; ergo non erunt essentialiter ordinatæ, quòd est contra suppositum: sic ergo danda est aliqua in actu, quæ sit in infinitum superior, & per consequens in infinitum perfectior, quæcunque sit illa, & ibi necessariò erit status, quia illa non erit causata, nec dependens ab alia, ergo prima.

17. m Quinta euidentior aliis est ibi: *Tum quintò. Quia effectiuum nullam imperfectionem ponit necessariò.* Et ratio, quia effectiuum, vt huiusmodi, necessariò non includit limitationem: patet, quia datur aliquod simpliciter perfectum, summum, quod ex natura sua diceret imperfectionem, in nullo esset perfectissimum. Sicut si ens, vt ens necessariò includeret imperfectionem, vbi esset in illo, semper diceret imperfectionem, & sic non posset esse perfectissimum ens. Sic in proposito, si effectiuum, vt effectiuum necessariò includeret imperfectionem, nullum esset perfectissimum effectiuum, quod est falsum: & si datur perfectissimum effectiuum, illud in agendo non potest dependere ab alio. Si sic, ergo illud erit primum: & sic habetur propositum.

Nisi ponatur status in causis essentialiter ordinatis, nihil esset prius alio.

n *Probatur sic.* Hîc Doctor intendit probare, quòd nisi ponatur status in causis essentialiter ordinatis, quòd est impossibilis infinitas in accidentaliter ordinatis. Et vis istius rationis stat in hoc, quod dicit, quòd nulla difformitas perpetuatur, nisi in virtute alicuius permanentis, quod non est aliquid illius successionis, sed est aliquid prius essentialiter, quia quodlibet successionis dependet ab ipso. Exemplum de difformitate, &c. Nam impossibile est motum perpetuari, nisi ab aliquo permanente, quod sit alterius speciei, & hoc propter difformitatem in motu, quia est essentialiter successiuus, in quo est semper nouum prius, & nouum posterius. Similiter est de hominibus. Nam quòd perpetuentur infiniti homines successiuè, hoc non potest esse ab vno illorum: ergo ab aliquo alterius speciei, à quo tota successio indiuiduorum speciei humanæ essentialiter dependeat. Si enim successio hominum perpetuetur: ergo est status in causis, essentialiter ordinatis. Patet, nam causæ essentialiter ordinatæ necessariò simul concurrunt. Pono ergo, quòd hîc homo, Sol, Deus, & sic in infinitum, sint causæ essentialiter ordinatæ, respectu Socratis, & simul concurrant. Nunquid omnes concurrent in generatione alterius producti à Socrate. Si sic, ergo istæ causæ variantur, maximè proximæ. Oportet ergo quòd continuentur ab aliqua natura permanente, quia causæ, saltem proximæ, cùm deficiant non possunt perpetuare. Potest etiam dici, & fortè meliùs, quòd Doctor in ista secunda conclusione non intendit absolutè, quod nisi ponatur status in essentialiter ordinatis, non potest poni infinitas in accidentaliter ordinatis; sed quòd nisi ponatur ordo essentialis causarum, in quo est status (vt probatum est quinque rationibus) non poterit poni infinitas in accidentaliter ordinatis: & quòd sic intelligat videtur ex tertia conclusione, vbi dicit, quòd, *Et negando ordinem essentialem causarum non erit infinitas talis:* ergo videtur velle in secunda conclusione, quod nisi ponatur ordo essentialis causarum, &c.

o *Probatur etiam.* Dicit Doctor quòd si negetur ordo essentialis in causis, adhuc infinitas est impossibilis in accidentaliter ordinatis. Et sensus literæ stat in hoc, scilicet quòd si vis dicere, quòd successio hominum potest perpetuari, tunc sic, aut ab aliquo eiusdem speciei, aut alterius speciei: si secundum, ergo ponis ordinem essentialem, quia causam alterius speciei, à qua essentialiter dependebit tota successio. Si primum, ergo cùm natura humana in aliquo indiuiduo sit causata, & in alio non causata, habetur propositum, quòd erit ibi status, scilicet in illo, in quo non est causata. Si verò ponatur in quolibet indiuiduo: ergo ab aliquo alterius speciei, vt patet: & sic ponis ordinem essentialem causarum, & sic patet hæc litera. 18.

p *Ad secundam instantiam.* Hæc litera clara est. Et quod dicit accipiendo *possibile*, vt diuiditur contra *necessarium*, quod idem est, quòd contingens ad vtrumlibet. Nam *possibile*, vt diuiditur contra *impossibile*, potest stare cum necessitate: patet de Filio Dei, qui dicitur possibilis, vt diuiditur contra impossibile, id est, quod non est ens impossibile, & tamen est necesse esse, vt diffusè patebit infrà parte 2.

Conclusio de primo effectiuo.

q *Secunda conclusio de primo effectiuo est ista. Quia primum effectiuum est omnino incausabile,* omni genere causarum: videlicet efficientis, finalis, materialis, & formalis. Et probat primò, quòd non sit causabile causa finali, & probatio est ibi: *Et vlterius concluditur.* Et ratio stat in hoc: Primum effectiuum est omnino imperfectibile, aliter non esset primum: ergo est omnino infinibile. Probatur consequentia sic: Cuius est causa finalis, eius est causa efficiens, patet. Non enim dicitur causa finalis ipsius efficientis, sed ipsius effectus, quia causa finalis præsupponit efficiens, & mouet ipsum tantùm metaphoricè ad producendum effectum, quia inquantum amata, & desiderata ab efficiente, efficiens producit effectum propter finem sic amatum, & desideratum: & quid sit mouere metaphoricè exposui suprà *dist.* 1. *quæst.* 4. Tunc sic: Omne habens causam finalem est effectibile, sed primum effectiuum non est effectibile: ergo primum effectiuum non habet causam finalem. Item, quòd non sit causabile intrinsecè, nec à causa materiali, nec formali, & probat ibi: *Duæ autem alia consequentia.*

Causa finalis præsupponit efficiens; & mouet ipsum metaphoricè.

r Et prima probatio stat in hoc: Quia causa extrinseca, scilicet efficiens, & finalis nullam imperfectionem includit de necessitate, aliter non posset esse in primo ente: causa verò intrinseca, scilicet materia, & forma, cùm sit pars alicuius compositi, necessariò includit imperfectionem: ergo ratio causæ extrinsecæ erit prior naturaliter ratione causæ intrinsecæ, & prior est causalitas causæ extrinsecæ, quàm intrinsecæ, vt patet, quia finis primò mouet efficiens, & efficiens producit forma in materia, & sic producit compositum. Cùm ergo à primo efficiente negetur causalitas passiua, 19.

Ordo causarũ cuiuslibet compositi.

passiua, scilicet efficientis,& finalis,vt patuit supra: ergo ab ipso negatur causalitas causæ materialis,& formalis,cùm sit necessariò posterior.

Materia & forma possunt duobus modis intelligi causari.

Secundò probat idem ibi: *Aliter probantur eadem consequentia.* Et litera clara est. Causæ enim intrinsecæ, vt materia, & forma, possunt dupliciter intelligi causari,aut quantum ad entitatem earum propriam, aut quantum ad aliquem respectum, puta, quòd materia dicatur actu materialiter causare compositum intrinsecè, & forma dicatur actu causare formaliter compositum intrinsecè. Primo modo causantur à solo Deo, loquendo de materia,quia ipsa immediatè creatur, vt patet à Doctore *in 2.d.12.q.2.* Forma verò causatur ab agente naturali: non tamen causatione distincta à causatione compositi: vt patet à Doctore *in 2.dist.*17. Secundo modo materia,& forma semper causantur ab agente: non enim materia habet, quòd posset materialiter causare,nisi ab agente, inducente formam in materiam, qua inducta,tam forma, quàm materia dicuntur causare intrinsecè compositum, sed de hoc erit sermo *in 4.dist.1. quæst.1.* Si ergo tam materia,quàm forma non sunt causæ intrinsecæ,nisi ab efficiente moto à fine:ergo causalitas efficientis erit simpliciter prior causalitate materiæ, & formæ: & per consequens si *A* sit causatum à materia, & forma intrinsecè: ergo ab aliquo efficiente priori, à quo tam materia, quàm forma dependent in causando, & per consequens si primum effectiuum esset causatum intrinsecè à materia, & forma, haberet aliud efficiens prius; & sic primum effectiuum non esset primum.

20. *Tertia cõclusio de primo effectiuo.*

Tertia conclusio. Hìc probat Doctor quòd primum effectiuum est in actu existens. Hæc litera clara est vsque ibi: *Et ipsum potest esse sicut patet ex quinta ratione posita ad A.* Quòd primum effectiuum possit esse,probatur ex quinque rationibus, quibus probat esse statum in causis essentialiter ordinatis, & ad probandum quòd primum effectiuum sit in actu, illæ quinque probationes sumuntur ex contingentibus. Prima sic: Vniuersitas causatorum est causata, & actu existens: ergo prima causa, à qua dependet, est existens: patet, quia non existens nihil realiter potest causare:& sic pertractentur aliæ rationes sequentes. *Vel si accipiantur de natura, & quiditate, & possibilitate sunt ex necessariis*, id est, si ille quinque rationes sic pertractentur, non arguendo de actuali existentia, sed de possibilitate: illæ rationes procedent ex necessariis;vt si sic arguatur: Vniuersitas causandorum est effectibilis: ergo ab aliquo, vel à nullo,vel à se, & sic de aliis.

Quinque rationes quibus probatur statu in causis essentialiter ordinatis.

Effectiuum simpliciter primum potest esse à se: ergo est à se. Hæc litera vsque ibi: *Istud vltimum*, &c. Et deducitur sic: Cui repugnat esse ab alio,si potest esse (hoc dicit propter ens impossibile,cui usmodi est figmentum) potest esse à se: patet, quia non ab alio, cùm sibi repugnet esse ab alio. Et si potest esse à se: ergo est à se.Probatur consequentia sic: Si *A* potest esse à se, aut ergo ab aliquo, quòd non est ipsum *A*, aut ab aliquo, quod est ipsum *A*, aut à nullo. Non primo modo, quia suprà probatum est, quòd sibi repugnat esse ab aliquo, alio à se. Non secundo modo, quia idem causaret seipsum, & nihil est, quod gignat seipsum: *Vt*, inquit, *Aug.primo de Trin.* Non tertio modo, quia illud,quod in se nihil est, non potest aliquid realiter causare:sequitur ergo,quòd si primum effectiuum potest esse à se, ergo est à se, id est, quòd est essentialiter quædam entitas necessaria, quæ est sua existentia, quæ nec ab alio, nec à seipsa, nec à nullo dependet; sed est in se talis; litera sequens est satis clara, vt patet intuenti. *Cap. 1.*

SCHOLIVM.

Ponit tres conclusiones de primo fine. 1. dari aliquod finitiuum, quo nullum aliud est prius: & probatur, sicut alia de 1. effectiuo illis 5. rationibus 2. hoc esse omnino incausabile. 3. hanc primitatem alicui naturæ actu existenti competere.

IVxta tres [a] conclusiones primas de causa effectiua propono tres similes conclusiones de causa finali.

Prima conclusio est: Aliquod finitiuum est simpliciter primum, hoc est, non est ad aliud ordinabile, nec in virtute alterius natum finire alia Et probatur quinque rationibus similibus illis,quæ ponebantur ad primam conclusionem de primo effectiuo. 17. *Conclus.1. De causa fin.*

Secunda [b] conclusio est hæc: Primum finitiuum est causabile. Probatur, quia est infinibile, aliàs non esset primum, & vltrà, ergo ineffectibile. Hæc consequentia probatur, quia omne per se agens agit propter finem, ex *secundo Physic.* vbi etiam vult hoc Philosophus de natura, de qua minùs videtur, quàm de agente à proposito; sed cuius non est aliquod per se efficiens, illud non est effectibile, quia in nullo genere potest per accidens esse primum, sicut patet in proposito specialiter de causis agentibus per accidens, quæ sunt *casus*, & *fortuna*, quæ secundùm intentionem Philosophi *secundo Physic.* reducuntur ad causas necessariò per se agentes vt priores, scilicet ad naturam, & intellectum, vel propositum: cuius ergo nullum est per se agens, eius nullum erit agens; sed cuius non est finis, eius non est aliquod per se agens: ergo ipsum est ineffectibile, & tunc vltrà, vt suprà ostensum est de causa prima effectiua. *Conclus.2.* *Text. 49. 61. & 75.* *2. Physic. text.66. & 67.*

Tertia conclusio est [c]. Quòd primum finitiuum est actu existens, & alicui naturæ necessariò actu existenti conuenit ista primitas. Probatur sicut tertia conclusio de primo effectiuo in prima via. *Conc. 3.*

Corollarium, sequitur quòd primum finitiuum est ita primum, quòd impossibile est, aliquid esse eo prius: & probatur, vt corollarium in via priore de efficiente.

COMMENTARIVS.

1\. a IVxta tres conclusiones. Hîc Doctor ponit tres alias conclusiones. Prima, aliquod finitiuum, &c. & hoc potest probari quinque rationibus positis ad *A*, quæ sic deducuntur.

Prima sic deducitur: Vniuersitas causatorum est finita: ergo dependet ab aliquo, tanquam à fine: non ab aliquo illius vniuersitatis, quia idem esset finis sui ipsius: ergo ab alio extra illam vniuersitatem, & sic arguatur vt priùs, mutando nomen *causati* in nomen *finiti*: & sicut ibi dicebatur, aut illud est causatum à se, aut ab alio, &c. ita hîc dicatur, illud aliud, aut est finitum à se, aut ab alio, &c.

Secunda sic deducitur: Si non est status in finibus, ergo actu erunt infiniti fines, quod est impossibile.

Tertia sic deducitur: Aliquid est propinquius fini: ergo est primum finitiuum.

Quarta deducitur sic: Superior finis est perfectior in finiendo; ergo in infinitum superior erit in infinitum perfectior, & ita infinitæ perfectionis in finiendo, & per consequens non finiens in virtute alterius: & sic primum finitiuum.

Quinta sic: Esse finem alicuius non includit de necessitate imperfectionem; sed si esset finis in virtute alterius, necessariò includeret imperfectionem, quia dependentiam finis: ergo in aliquo debet poni, sine imperfectione, ergo erit in aliquo finis: non in virtute alterius, sed in virtute propria, & sic primum finitiuum.

2\. *Primum finitiuum est incausabile.* b Secunda conclusio est hæc: *Primum finitiuum est incausabile*, &c. Et ratio stat in hoc: Cuius non est per se agens, eius non erit aliquod agens: patet, quia non oportet fugere ad agens per accidens (quasi dicendo, etsi non habet agens per se: tamen agens habet per accidens, vt patet de casu, & fortuna, qui tantùm sunt effectus per accidens) quia omnis effectus in re positiuus necessariò habet causam per se agentem; & si casus, & fortuna, respectu alicuius causæ intendentis per se alium effectum, dicantur effectus per accidens; tamen respectu alterius causæ per se erunt effectus, vt patet à Doctore infrà *dist. 2. part. 2. secundi, in Quodlib. vlt.* hinc est quòd Aristoteles reducit casum, & fortunam ad agens per se, vt patet 2. *Phys. text. cap. 66. 67.* Reducit enim illos ad naturam, & ad intellectum, id est, agens per se, vel per modum naturæ, & per modum intellectus, siue ad agens naturale, & ad agens à proposito. Sed primi effectiui nullum est per se agens, vt suprà probatum est, nec per se, nec per accidens. De per se patet. De per accidens patet, quia cuius est agens per accidens, eius erit aliquod per se agens, vt suprà patuit, ergo nullum erit agens ipsius primi effectiui. Tunc vltrà, cuius non est aliquod agens, eius non est aliquis finis. Probatur, quia omne per se agens agit propter finem, *ex 2. Phys. text. com. 47. 61. 70.* vbi vult Philosophus, etiam hoc de natura, de qua minùs videtur, quia non cognoscit finem, nec amat actu elicito, sed tantùm habet naturalem inclinationem: ergo multò fortiùs agens à proposito, siue agens per intellectum agit propter finem. Tum, quia cognoscit illum. Tum, quia actu elicito voluntatis amat illum. Tum, quia actu elicito ordinat effectum ad finem, quem actu elicito amat: cuius ergo est causa finalis, eius erit causa efficiens: patet, quia efficiens agit aliquid propter finem, scilicet ordinando illum effectum ad finem, quem diligit: non est ergo causa finalis, respectu primi efficientis, quia primum efficiens mouetur metaphoricè ab vltimo fine ad producendum effectum; inquantum enim amat vltimum finem, producit effectum illum amatum, & desideratum; sed primum efficiens non potest agere propter alium finem à seipso, vt patet: ergo agit propter seipsum, tanquam propter finem: si ergo primum efficiens haberet finem alium, ad quem ordinaretur, haberet aliquod efficiens, quod causaret illud in ordine ad illum finem: patet ergo, quòd si primum effectiuum est simpliciter ineffectibile, quòd erit etiam simpliciter infinibile; & si est simpliciter incausabile causa finali; statim sequitur, quòd erit primum finitiuum, sicut etiam arguimus, si est simpliciter ineffectibile; ergo erit primum effectiuum. *Agens à proposito agit propter finem.*

Tertia conclusio est. Primum finitiuum est actu existens, & probatur sic: Cui repugnat esse ab alio, si potest esse, potest esse à se: ergo est à se, sed primo finitiuo repugnat esse ab alio. Probatur, quia cuius non est causa finalis, eius non est causa efficiens, vt patet suprà, sed primi finitiui nulla est causa finalis: ergo primum finitiuum est simpliciter ineffectibile: ergo vt potest esse, potest esse à se, ergo actu est à se; ista consequentia deducatur vt priùs. 3. *Primum finitiuũ est actu existens.*

SCHOLIVM.

Ponit etiam tres conclusiones de primo eminente. 1. Dari aliquam naturam simpliciter primam, secundùm perfectionem. 2. hanc esse incausabilem. 3. esse actu existentem: probantur, sicut similes posita de primo efficiente, & de 1. fine.

Conclus. 1. De primitate eminentiæ. Conclusionibus tribus [a] de vtroque ordine causalitatis extrinsecæ iam positis, propono tres similes de ordine eminentiæ.

Prima conclusio est ista: Aliqua natura eminens, est simpliciter prima secundùm perfectionem. Hoc patet in ordine essentiali, quia secundùm Aristotelem *formæ se habent sicut numeri, 8. Metaph.* in hoc ordine statur, quod probatur illis quinque rationibus, quæ de statu in effectiuis sunt superiùs adductæ.

Conclus. 2. De incausabilitate. Secunda conclusio [b] est ista: Suprema natura est incausabilis. Probatur, quia est infinibilis: nam finibile excellitur à fine in bonitate, & per consequens in perfectione. Et vltrà, igitur est ineffectibilis; & vltrà, ergo incausabilis. Consequentiæ vltimæ probatæ sunt in secunda conclusione de primo effectiuo.

Item, quòd suprema natura sit ineffectibilis, probatur, nam omne effectibile, habet aliquam

aliquam causam essentialiter ordinatam, sicut patet ex probatione ipsius *B*, in conclusione prima de primo effectiuo: causa autem essentialiter ordinata, excedit effectum; igitur si esset effectiuus, non esset suprema.

Tertio conclusio [c]: Suprema natura est aliquid actu existens. Probatur ex præcedentibus, vt tertia, de effectiuo. *Conclus. 3.*

Corollarium. Aliquam esse naturam eminentiorem, vel superiorem ipsa prima, includit contradictionem: quod probatur, vt corollarium de efficiente in fine.

COMMENTARIVS.

a *Conclusionibus tribus.* Hîc Doctor ponit tres alias conclusiones. Prima: *Aliqua natura eminens est simpliciter prima secundùm perfectionem.* Et probat per dictum Aristotelis, quòd formæ se habent, sicut numeri in ordine essentiali. Dicit Doctor *in ordine essentiali:* quia suprà probauit, quòd superior essentialiter est alterius rationis, siue alterius speciei: modò formæ specificæ se habent sicut numeri: quia quantò aliqua est superior, tantò est perfectior: & hæc conclusio probatur illis quinque rationibus, positis ad *A*. Et formetur sic prima: Vniuersitas causatorum de necessitate includit perfectionem: ergo reducitur ad aliquid simpliciter perfectum, non ad aliquod eiusdem vniuersitatis: quia idem reduceretur ad seipsum: & sic idem respectu eiusdem esset perfectum, & imperfectum: ergo ad aliud non eiusdem vniuersitatis, & illud dicatur *A*, tunc sic: Aut *A* est simpliciter perfectum, aut non. Si primum, habetur propositum. Si secundum, arguatur vt priùs. Secunda sic: Si in perfectionibus essentialiter ordinatis non est status ad aliquam primam, ergo in actu sunt infinitæ perfectiones essentialiter ordinatæ, & sic infinitæ species essentialiter ordinatæ: quod est impossibile, ergo standum est ad aliquam primam. Tertia sic: Imperfectionibus essentialiter ordinatis, vna est prior alia: ergo datur prima, quia prius est, quod est primo propinquius. Quarta sic: Quantò perfectio est superior, tantò perfectior: ergo in infinitum superior erit in infinitum perfectior: ergo erit infinitæ perfectionis, & illud non reducitur ad perfectius: quia non esset infinitæ perfectionis: ergo ibi erit status. Quinta sic: Ens simpliciter perfectum necessariò non includit imperfectionem, aliàs in nullo reperiretur perfectissimè: ergo in aliquo debet perfectissimè reperiri, sed si reduceretur ad perfectius, non esset in illo perfectissimè; in quo est perfectissimè: ergo ibi erit status in perfectionibus.

b *Secunda conclusio est ista*, &c. Et ratio stat in hoc: quia primum effectiuum est simpliciter incausabile. Probatur sic: quia est infinibile: ergo est simpliciter incausabile. Probatur consequentia, cuius non est causa finalis, eius non erit causa efficiens; & cuius non est causa efficiens, eius non est causa materialis, nec formalis: omnes istæ consequentiæ patent suprà. Probatur antecedens: quia si primum in perfectione haberet finem, ad quem ordinaretur, non esset simpliciter primum in perfectione: patet, quia excederetur à tali fine. Aduerte hîc, quòd non quilibet finis dicitur perfectior ordinato ad finem, vt suprà declaraui in quæst. de praxi: loquitur ergo Doctor hîc de fine ex natura rei, ad quem alia ex natura rei ordinantur, siue de fine præexistente, & non de fine acquisibili per operationem. Et primum effectiuum est simpliciter ex natura rei infinibile quacunque ratione finibilitatis, &c. *Primum effectiuum est simpliciter incausabile.*

c *Tertia conclusio.* Suprema natura est aliquid actu existens: & probatur sic: Cui repugnat esse ab alio, si potest esse, potest esse à se: ergo erit à se: sed primo eminentissimo repugnat esse ab alio, aliàs non esset primum eminentissimum: ergo, &c. & deducatur hæc consequentia, vt priùs.

SCHOLIVM.

In hoc 2. articulo ponit duas conclusiones, 1. primum efficiens, esse primum, id est, vltimum finiens, quia cùm sit perfectissimè agens propter finem, debet habere perfectissimum finem. 2. illud ipsum, esse primum eminens, quia est causa æquiuoca omnium causatorum.

QVantum ad secundum articulum, dico, quòd ista triplex primitas, quæ est sparsim probata de ista quiditate, competit eidem quiditati: quod ostenditur duabus conclusionibus sequentibus. *Primitates efficie. eminen. & finis esse simul.*

Prima est ista: Quòd primum efficiens est vltimus finis.

Secunda est: Quòd primum efficiens est primum eminentia; ita quòd iste articulus habet duas conclusiones. Prima probatur sic: quia omne per se efficiens, agit propter finem, & prius efficiens agit propter finem priorem: ergo primum efficiens agit propter vltimum finem: sed propter nihil aliud à se principaliter, & vltimatè agit: qui nihil aliud à se potest esse finis eius, ergo agit propter se, sicut propter vltimum finem, ergo primum efficiens est vltimus finis. *Secundo Physi. text. 49. Secundo Topicorum cap. 19.*

Secunda conclusio huius articuli probatur sic: Primum efficiens non est vniuocum respectu illarum naturarum effectarum, sed æquiuocum: ergo eminentius, & nobilius eis, ergo primum efficiens est eminentissimum.

COMMENTARIVS.

1. *Causa æquiuoca est nobilior suo effectu.*

QVantum ad secundum articulum. Hæc litera huius articuli clara est; & circa finem articuli præsupponit vnum probandum diffusè *in 4. distinct. 12.* Quia causa æquiuoca est essentialiter nobilior suo effectu: cùm ergo primum effectiuum sit causa effectiua æquiuoca omnium causatorum, & hoc mediatè, vel immediatè; sequitur, quòd essentialiter erit eminentius eis, & per consequens inter omnia entia simpliciter erit eminentissimum, & hoc est quod Doctor intendit in hoc articulo.

SCHOLIVM.

In hoc 3. artic. probat ens, cui triplex primitas prædicta competit, esse tantùm vnum, quatuor rationibus, sed 1. probat esse, necesse esse, tum quia est incausabile, tum etiam, quia nihil potest esse ei incompossibile.

19. QVantum ad [a] tertium articulum dico, quòd non tantùm ista triplex primitas sic inest eidem naturæ, quòd cui vna inest, insunt aliæ: sed etiam est ibi talis identitas, quòd primum efficiens est tantùm vnum secundùm quiditatem, & naturam.

Ad quod ostendendum ostendo, primò quandam conclusionem præambulam, secundò principale.

Præambula est, quòd efficiens, quod est primum triplici primitate ostensa, est ex se necesse esse. Probatio, quia est penitus incausabile, nam contradictionem includit, aliquid esse prius eo in genere causæ efficientis, vel finis: & per consequens in genere cuiuscunque causæ: ergo est omnino incausabile.

Nihil incõpossibile enti quod est à se inesse potest.

Ex hoc arguo sic: Nihil potest non esse, nisi cui aliquid incompossibile positiuè, vel priuatiuè potest inesse, sed ei, quod est à se, & penitus incausabile, non potest aliquid inesse, quod sit ei incompossibile positiuè, vel priuatiuè: ergo, &c. Maior patet, quia nullum ens potest destrui nisi per incompossibile sibi positiuè, vel priuatiuè. Minor probatur, quia illud incompossibile, aut potest esse à se, aut ab alio: si à se, ergo est à se, ergo duo incompossibilia sunt simul, vel neutrum erit, quia vtrunque destruit *esse* alterius. Si ab alio, contrà; nulla causa potest destruere aliquod ens propter repugnantiam sui effectus ad illud, nisi suo effectui det perfectius & intensius *esse*, quàm sit *esse* alterius destructibilis: nullius autem entis ab alio est nobilius *esse* à sua causa, quàm sit *esse* entis à se, quia omne causatum habet *esse* dependens, sed quod est ex se, habet *esse* independens.

Vnitas naturæ primæ probatur.

Ex hoc vltrà [b] ad propositum, probatur vnitas naturæ primæ, quod est principale intentum in isto tertio articulo, & ad hoc adduco tres rationes. Prima est talis; quia si duæ naturæ sint necessariæ esse, aliquibus rationibus propriis realibus distinguuntur, & dicantur *A*, & *B*, istæ rationes aut sunt rationes formaliter necessariò essendi, aut non. Si sic, & præter hæc illa duo per illud in quo conueniunt, sunt formaliter necessaria; ergo vtrumque duabus rationibus formalibus erit *necesse esse*, quod est impossibile, quia cùm neutra illarum rationum per se includat aliam, vtrâque illarum circumscriptâ esset *necesse esse* per alterum, & ita esset aliquid *necesse esse* per illud, quo circumscripto, non minùs esset *necesse esse*. Si verò per illas rationes, quibus formaliter distinguuntur, neutrum formaliter sit necesse, ergo illæ rationes non sunt formaliter rationes necessariò essendi, & ita sequitur, quòd neutrum includitur in *necesse esse*, quia *necesse esse* nihil includit, quod non sit *necesse esse*.

Text. 10.

Secundò probatur idem [c], quia duæ naturæ eminentissimæ, non possunt esse in vniuerso, ergo nec duo prima effectiua. Probatio antecedentis, *quia species se habent sicut numeri*, ex 3. Metaph. Et per consequens si duæ non possunt esse in eodem ordine, multò magis nec duæ possunt esse primæ, vel duæ eminentissimæ.

12. Met. text. vlt. Eiusdẽ effectus nõ possunt esse duæ causæ totales. Scot. 2. dist. 3. q. 4. n. 4.

Hoc patet [d] tertiò per rationem de ratione finis, quia duo fines vltimi, si essent, haberent duas coordinationes entium ad se, ita quòd ista entia ad illa nullum ordinem haberent, quia nec ad finem illorum. Nam quæ ordinarentur ad vnum finem vltimum, non possunt ordinari ad alium, quia eiusdem causati duas esse causas totales, vel perfectas in eodem ordine, est impossibile. Tunc enim esset aliquid in aliquo ordine per se causa, quo non posito nihil minus esset id perfectè causatum: ordinata ergo ad vnum finem nullo modo ordinantur ad alium, nec per consequens, ad illa, quæ ordinantur ad alium, & ita ex his, & illis non fieret vnum vniuersum.

Hoc etiam quartò confirmatur in communi, quia nulla duo possunt esse terminantia totaliter dependentiam alicuius eiusdem, quia tunc illud terminaret dependentiam,

quo

quo subtracto non minùs terminaretur illa dependentia, & ita non esset dependentia ad illud. Sed ad efficiens eminens, & ad finem dependent alia essentialiter: ergo nullæ duæ naturæ possunt esse primò terminantes alia entia, secundùm istam triplicem dependentiam præcisè: est ergo aliqua vna natura terminans entia secundùm istam triplicem dependentiam, & ita habens istam triplicem primitatem, ergo, &c.

COMMENTARIVS.

1\. a QVantum ad tertium articulum. In isto articulo Doctor intendit duo probare. Primò ponit vnum præambulum, scilicet quòd primum effectiuum est omnino necesse esse, & probat, ibi: *Ex hoc arguo sic.* Et ratio stat in hoc, quòd nihil potest destrui nisi per aliquod sibi incompossibile positiuè, vel priuatiuè. Exemplum primi: Albedo non potest destrui, nisi per nigredinem, quæ est sibi incompossibilis positiuè. Et licèt albedo posset à Deo destrui sine positione nigredinis in subiecto, vt patet à Doctore *in* 4. *dist.* 43. tamen posito, quòd sit aliquid, quod nullo modo possit destrui, nisi per aliquod incompossibile sibi, sicut priuatio non potest destrui, nisi per habitum, tanquam per aliquod positiuum incompossibile sibi: illud non posset destrui, nisi per positiuum illud. Exemplum secundi: Visio non destruitur, nisi per cæcitatem, quæ est sibi incompossibilis priuatiuè. Si ergo primum effectiuum potest non esse; hoc erit per aliquod sibi incompossibile priuatiuè, vel positiuè, & certum est quòd priuatiuè nihil est sibi incompossibile (vt patet) quia priuatio est in subiecto apto nato; sed in primo effectiuo non est aliquod subiectum, quod sit receptiuum habitus, & priuationis, quia primum effectiuum nullo modo est compositum, vt patuit suprà. Esset enim necesse, quòd si entitas primi effectiui, posset destrui priuatiuè, quòd talis priuatio in aliquo reciperetur, quod est impossibile. Nec est destruibile per aliquod sibi incompossibile positiuè, quod posset sibi inesse; & probo per omnia incompossibilia positiua: puta contrariè, relatiuè, disparatè, & huiusmodi, & incompossibile dicatur *A*, illud *A* non potest destruere *B* positiuè, nisi positiuè insit. Nam albedo non potest destruere nigredinem, nisi insit habenti nigredinem. Sic *A* non potest destruere *B*, nisi insit enti, in quo est ipsum *B*, & tunc quæro, aut *A* est à se, & cùm *B* sit à se, & *A* non potest destruere *B*, nisi *A* insit, & si sic, alterum inconuenientium sequitur, vel quòd duo omnino incompossibilia sint simul, quod est impossibile, vel quòd neutrum eorum sit, quia vtrumque destruit *esse* alterius cùm sint æqualis virtutis, quia vtrumque à se, & hæc incompossibilitas positiua debet intelligi incompossibilitas formalis; sicut duæ formæ formaliter repugnant inter se: ita quòd non possint esse simul in eodem: eo quòd vna formaliter expellit aliam, vt patet de contrariis. Si verò dicatur quòd *A* est incompossibile *B*, non formaliter, sed virtualiter: de qua incompossibilitate virtuali patebit infrà, in responsione ad primum argumentum principale huius q. & in 4. d. 49. q. 12. Et sic dicimus, quòd *A* est incompossibile *B* virtualiter, quia habet in virtute sua aliquem effectum, qui formaliter est incompossibilis ipsi *B*, sicut dicimus, quòd aqua virtualiter est incompossibilis caliditati, quia virtualiter continet frigiditatem, quæ est incompossibilis formaliter caliditati: & hoc est quod dicit Doctor hîc: Aut *A*, per effectum ipsius potest destruere ipsum *B*, qui effectus sit formaliter incompossibilis ipsi *B*, & hoc non, quia effectus *A* est simpliciter imperfectior ipso *B*, & imperfectius non potest destruere perfectius, & sic patet litera Doctoris.

Quomodo destruitur aliquid positiuè. & aliquid priuatiuè.

Primum effectiuum est omnino necesse esse.

Aqua virtualiter est incompossibilis caliditati.

b Secundò principaliter Doctor probat, quòd tantùm sit vnum primum effectiuum, ibi: *Ex hoc vltrà ad propositum.* Et in ista ratione supponit vnum, quòd quæcunque differunt, per aliud differunt adinuicem, & per aliud conueniunt: patet, quia Franciscus, & Ioannes differunt per differentias indiuiduales, & conueniunt in humanitate. Si ergo essent duo prima necesse esse, quæ dicantur *A*, & *B*, differrent, & conuenirent, & tunc quæro, aut *A*, & *B*, sunt simpliciter primò diuersa, aut sunt verè differentia? non primo modo, quia duæ naturæ perfectæ non possunt esse primò diuersæ, vt patebit infrà d. 3. Si secundo modo: tunc *A* differt à *B* per aliquam rationem formalem, quæ dicatur *C*, & conuenit cum *B* per aliquid aliud à *C*, & illud dicatur *D*, & certum est, quòd illud, in quo conuenit, non includit formaliter illud, per quod differt, nec è contra, vt patet de animali, & rationali. 2.

Quærit modò vltrà Doctor, aut *C* & *D*, sunt necesse esse, quæ formaliter differunt ad inuicem, aut non. Si primo, ergo *A* erit necesse esse per duas rationes formales necessariò essendi, & sic circumscripto *D*, erit necesse esse per *C*, & ex alia parte non erit necesse esse circumscripto *D*, cùm sit ratio formalis necessariò essendi, & sic *A*, erit necesse esse, & non necesse esse. Si secundò, scilicet si *A* & *B*, sunt possibilia tantùm, vel vnum illorum, ergo *A* non erit necesse esse, quia nihil erit necesse esse per aliud possibile, quod in sua ratione formali includitur. Et hoc est quod dicit Doctor in ista ratione.

Contra hanc rationem arguit vnus Doctor. Primò sic, quia Deus, & creatura conueniunt in ente, & differunt suis propriis rationibus: ergo si ratio Doctoris esset bona, includeret duas rationes formales, & tunc illæ, aut sunt necesse esse, aut possibiles, & arguatur vt Doctor arguit. Secundo arguit in hoc, quod dicit Doctor, quòd ille duæ rationes formales formaliter differunt, sed in Deo sunt plura formaliter distincta secundùm Scotum *in primo dist.* 8. *quæst. pen.* & etiam secundùm ipsum Ocham, relatio, & essentia differunt formaliter in Deo, & tunc arguatur vt priùs; aut illa formaliter distincta sunt rationes formales, necessariò essendi, aut non: & sic arguatur vt priùs. 3.

Ockã in 1. d. 2. q. 10. instat contra Doct.

Pro responsione ad argumenta istius Doctoris præmitto aliqua. Primò, quòd essentia *A*, & *B*, à qua abstrahitur ens commune, est in actualissima existentia, quæ existentia est de essentia *A*, & *B*, vt patet à Doctore, *præsenti dist. quæst.* 1. *& in Quodlib. quæst.* 1. Primum enim effectiuum, scilicet *A*, & similiter aliud primum effectiuum, scilicet *B*, habent aliam, & aliam entitatem actualissimam,

Pro responsione nota.

lissimam, & perfectissimè existentem: & nullo modo realiter contractam: vt patebit infrà à Doctore *dist. 5. & 26.* & istæ duæ entitates, siue naturæ actualissimæ: aut sunt eiusdem speciei specialissimæ, aut alterius speciei. Non secundò, quia vna species necessariò est perfectior alia essentialiter: vt patet 8. *Metaph.* quia formæ se habent sicut numeri: & sic vna illarum esset eminentior essentialiter, & si sic, esset contra præsuppositum: quod est, quòd ista duo *necesse esse* sint simpliciter eminentissima. Si primò: stat argumentum Doctoris, quia istæ duæ naturæ realiter conueniunt in aliqua natura specifica: sicut dicimus quòd natura Socratis, & natura Platonis conueniunt in humanitate, & vltra hoc differunt per suas differentias, & sic Socrates constat per suam humanitatem, & differentia indiuidualem. Sic in proposito natura *A*, conuenit quiditatiuè cum natura *B*. & vltra hoc differt ab ipso *B*, non per id, quo conuenit: sed per aliquam rationem formalem, distinguentem *A*, à *B*, & tunc stat argumentum Doctoris.

Vna species est perfectior alia essentialiter.

Secundò præmitto, quòd licèt à natura *A* & à natura *B* possit abstrahi conceptus communis entis, qui tamen conceptus est posterior ipso *A*. & *B*, & per consequens nullo modo est ratio constituendi *A*, & *B*, vt patet. & quòd talis conceptus sit posterior, patebit infrà à Doctore *d*. 8. & sic nullo modo est ratio constituendi prius: non sic est de conceptu specifico, quia talis præsupponit naturam communem indiuiduis, & priorem ipsis: vel est ipsa natura, sic essentialiter prior. Et sic si darentur duo prima effectiua, scilicet *A* & *B*, illa de necessitate conuenirent in aliqua natura communi priore *A* & *B*. & distinguerentur per *C*. & *D*. & cùm vna ratio non includat formaliter aliam, si illæ rationes sunt necesse esse: tunc argumentum Doctoris stat in suo robore.

4. *Obiectio.* Si dicatur hîc, quòd non sequitur quòd *A* erit necesse esse duplici necessitate: quia necessitas præsupponit entitatem: sed ipsum *A* habet *esse* per istas duas rationes formales, quæ sunt rationes formales necessariò essendi: ita quòd sicut vna non dicit totam entitatem ipsius *A*, sequitur, quòd nec etiam necessitatem simpliciter ipsius *A*, sicut si homo diceretur habere necesse esse, saltem secundùm quid, non diceretur necesse esse per rationem animalis: quia si sic, posset argui, vt Doctor arguit, quòd duplici necessitate esset necesse esse: sic in proposito.

Responsio. Dico, quòd etsi necessitas præsupponat entitatem, tamen sicut est impossibile aliquid esse ens duplici entitate, & vltimata, sic est impossibile aliquid esse simpliciter necesse esse duplici necessitate simpliciter: quia circumscripta vna, adhuc esset necesse esse per aliam: & ex alia parte non esset necesse esse, quia esset circumscripta ratio simpliciter necessariò essendi: in proposito, istæ entitates, quæ constituunt ipsum *A* sunt simpliciter necesse esse, sicut & ipsum *A*. quia quod est necesse esse in primo ente, est ibi necesse esse in vltima necessitate. Non enim dantur gradus ibi necessitatis, secundùm quos vna dicatur maior, & altera minor, & ideò stat argumentum Doctoris, quòd si *A* esset necesse esse illa duplici necessitate circunscripta vna, &c. Et sic concedo, quòd si animal est simpliciter ratio necessariò essendi homini, & similiter rationale, tunc homo existens necesse esse ista duplici necessitate simpliciter, & vltimatè: per impossibile circunscripta vna, etiam necesse esse, & non necesse esse: sic dictum Doctoris de necessitate primi effectiui debet intelligi.

Sed occurrit difficultas duplex. Prima in hoc quod dixi secundùm Doctorem, quòd conceptus entis est posterior entitate primi effectiui: si sic, videtur sibi contradicere: quia ipse vult *in 1. d. 3. & d.* 8. quòd prædicetur in *quid*; & si sic, tunc sequitur, quòd est prior illo quiditatiuè, & de quiditate eius. 5.

Dico, quòd ille conceptus ex hoc potest dici de quiditate, & prior, quia sumitur ab entitate diuina quiditatiua: tamen in se ille conceptus entis est posterior, nec dicit aliquid pertinens ad quiditatem Dei. Et ex hoc quod dixi possunt solui multæ obiectiones.

Secunda difficultas est, an cóceptus entis sit posterior creatura: cùm etiã sumatur à tali creatura.

Dico secundùm aliquos exponentes Doctorem, quòd conceptus entis, qui est prædicabilis de Deo, & creatura in *quid*, est simpliciter prior omni creatura, cùm talis conceptus primò sumatur ab essentia primi effectiui: potest tamen dici quodammodò posterior, prout à creatura abstrahitur: propriè tamen prædicatur in *quid* de creatura, vt prior. Posset tamen dici, quòd conceptus entis ex natura rei non est prior quiditatiuè, & essentialiter creatura, nec propriè de quiditate eius, & hoc ex natura rei, sed quia abstrahitur ab ipsa creatura quiditatiuè, ideò prædicatur in *quid* d illa

Ex his patet responsio ad primum argumentum Ocham: quia etsi Deus, & creatura conueniant in conceptu entis, non tamen ille conceptus, cùm sit posterior Deo, potest dici ratio necessariò essendi ipsius, &c. Si etiam *A* & *B*, essent duæ naturæ, specie distinctę (quod non credo esse verum, vt patebit per argumentum Doctoris *præsenti d. q. illa, An tantùm sit vnus Deus*: quod etiam argumentum recitat magister Ocham, vbi suprà acceptando illud tanquam verum, & affirmando quod *A* & *B*, non differunt specie, quia vnum esset perfectius alio essentialiter, sed differunt solùm numero: vide ibi) adhuc argumentum Doctoris concluderet, quia *A* de necessitate haberet vnam realitatem, qua conueniret cum *B*, & aliam, qua differret à *B*, quæ realitates essent priores ipso *A*: & tunc formetur argumentum, vt priùs de illis realitatibus.

Si dicatur, quòd hoc videtur sequi, vt comparatur ad creaturam: quia certum est, quòd habet aliquid, in quo conuenit cum creatura, quia ens prædicatur in *quid* de vtroque: vt patet à Doctore infrà *d. 3. q. 8.* & etiam habet aliquid, quo differt à creatura, vt manifestum est: & sic formetur argumentum de illis realitatibus vt priùs. 6. *Obijcit contra se.*

Solutio. Dico breuiter quòd si *A*, conueniat cum creatura in aliquo conceptu, non tamen conuenit cum ipsa in aliqua realitate: vt patet à Doctore *d.* 8. & sic *A* seipso differret à creatura.

Obiectio. Si dicatur, saltem illud à quo accipitur conceptus entis, in quo conuenit cum creatura, differt ab illo, à quo accipitur ratio differentiæ, qua differt à creatura: & sic formetur argumentum vt priùs de illis duobus.

Responsio. Essentia diuina seipsa tantum realiter differt à creatura. Respondeo, quòd si singularitas essentiæ diuinæ esset extra illam formaliter, fortè argumentum haberet aliqualem apparentiam; sed essentia diuina est de se formaliter hæc: vt patet infrà *d. 5. quæst. 2. & 26.* Et sic dico quòd essentia diuina

seipsa

ſeipſa tantùm realiter differt à creatura, & conceptus entis accipitur ab ipſa, vt eſt formaliter hæc, qui conceptus, vt dixi ſuprà, eſt poſterior ipſa.

Reſponſio ad arg. Ocham.

Ad aliud argumentum illius dico breuiter de attributis, quòd etſi formaliter ſint neceſſe eſſe: ita quòd ſapientia ſit neceſſe eſſe ſimpliciter, alia neceſſitate formaliter à bonitate, tamen non ſequitur, quòd circunſcripta vna illarum, ipſe Deus eſſet neceſſe eſſe, & non neceſſe eſſe, quia ſicut entitas Dei nullo modo eſt ab entitate attributorum, cùm ſit prior illis, vt patet à Doctore *in primo, & in Quodlib.* ita nec neceſſitas Dei eſt ab illis: imò ſi, per impoſſibile, omnia attributa diuina eſſent circunſcripta, ita eſſet neceſſe eſſe, ſicut ipſis non circunſcriptis. Ratio ergo concluderet contra Doctorem, ſi huiuſmodi attributa eſſent rationes neceſſariò eſſendi ipſius Dei, quod non eſt verum: imò, etſi ipſa attributa ſint formaliter neceſſe eſſe, originaliter tamen, & propter realem identitatem, quam habent cum eſſentia ab ipſa ſunt neceſſe, vt patet infrà *diſt.* 8. *quæſt. pen. & in Quodlib.* Quod dicit ipſe de eſſentia, & relatione patebit, infrà *præſenti d.* quòd relatio non eſt formaliter neceſſe eſſe, ſed tota neceſſitas illius eſt propter identitatem realem cum eſſentia diuina.

Attributa nō ſunt rationes eſſendi ipſius Dei.

Et quando dicit Ocham, *ubi ſup.* quòd ſi eſſentia eſt neceſſe eſſe, & relatio ſimiliter: ergo datur ibi aliqua compoſitio eſſentiæ, & relationis, cùm eſſentia ſit prior relatione, & per conſequens videtur quòd ſit in potentia ad illam.

Dico, dato quòd relatio eſſet formaliter neceſſe eſſe, adhuc eſſentia diuina non eſt aliquo modo in potentia ad illam, cùm ſit ſimpliciter in vltima actualitate, & magis relatio dicitur eſſe in actu per eſſentiam; quàm è contra, & de hoc vide diffuſè Doct. *in* 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 2. *& diſt.* 26. *& in Quodlib.* Et ſic patet qualiter argumentum Doctoris eſt euidens.

Relatio magis eſt in actu per eſſentiam quàm è conuerſo.

7. Secundò principaliter arguit Doctor probando, quòd non poſſunt eſſe plura prima effectiua, ibi: *Secundò probatur idem, quia duæ naturæ*, &c. Et ratio ſtat in hoc, quia ſicut vnitas addita numero variat ſpeciem, (patet quia ſi ternario additur vna vnitas, erit numerus quaternarius, & alia ſpecies à ternario, & perfectior) ſic in gradibus perfectionalibus, & ſpecificis. Nota tamen quòd quidam ſunt gradus perfectionales indiuiduorum, id eſt, conſequentes *eſſe* indiuiduale, & talis gradus additus alteri non variat indiuiduum: patet, quia ſi albedini vt duo, addatur alius gradus, erit eadem albedo, ſed perfectior. Alij ſunt gradus perfectionales ſpecifici, id eſt, vltimatè conſtituentes aliquid in *eſſe* ſpecifico, vt vltima differentia hominis: etſi illi vltimæ differentiæ adderetur vnus alius gradus ſpecificus, vel ipſi homini, iam non eſſet homo, ſed alia ſpecies perfectior homine. Iſti enim gradus ſemper variant ſpecies, quibus adueniunt: ita quòd de neceſſitate vna erit perfectior alia. Si ergo repugnat duas naturas non vltimatè perfectas eſſe æquales in perfectionibus ſpecificis diſtinctis, à fortiori repugnat, quòd dentur duæ naturæ eminentiſſimæ ſpecie diſtinctæ, quæ omninò eſſent æquales.

Differentia inter gradus indiuiduales & ſpecificos.

8. Si dicatur quòd illæ duæ naturæ eſſent eiuſdem ſpeciei, & ſolo numero differrent. Tunc primum argumentum de neceſſe eſſe euidenter concludit, vt patuit ſuprà, & vltra hoc eſt argumentum Doctoris infrà *præſenti diſt. & 2. quæſt. Quodlib.* quòd ſi aliqua natura communis compatitur ſecum plura indiuidua, quantum eſt ex parte ſua poteſt eſſe in infinitis, & ſic concludit Doctor ibi: *Quòd actu eſſent infiniti dij*: vide ibi, & præſertim *in Quodlib. quæſt.* 2. vbi diffuſè pertractat illam propoſitionem.

Obiectio. Reſponſio.

d *Hoc patet tertiò per rationem de ratione finis.* Et ratio ſtat in hoc, ſupponendo quòd tantùm ſit vnum vniuerſum, quod ab omnibus conceditur, & tota coordinatio entium vniuerſi eſt tantùm ad vnum finem, vt patet 12. *Metaphyſ.* Sed ſi eſſent plura prima, eſſent plures fines vltimi, & æquè perfecti: ergo eſſent duæ coordinationes entium in vniuerſo. Probatur conſequentia, quia vltimus finis terminat coordinationem entium vniuerſi, & alius, qui etiam ponitur vltimus finis, aut terminat eandem coordinationem, aut aliam: ſi ſecundò, habetur propoſitum, quòd erunt duæ coordinationes entium in vniuerſo, quod eſt contra propoſitum. Si primo, ergo ſequitur, quòd idem ens ſimpliciter poteſt ſimul habere duos fines, ſiue duas cauſas finales totales, quod eſt impoſſibile, quia ſi *A* habet neceſſariò duas cauſas totales, ſequitur ipſum eſſe, & non eſſe: ſic quia poſita vna cauſa totali alicuius, ponitur illud, & ipsâ remotâ, remouetur; & poſita alia idem ponitur: ergo idem ſimul eſſet ordinatum ad finem vltimum, & non eſſet ordinatum, & loquor de cauſa totali eiuſdem ordinis.

Vnum tātum eſſe principiū.

Pro cuius intelligentia dico, quòd cauſa efficiens eiuſdem ordinis, & totalis eſt illa, quæ eſt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, & æquè perfecta: & dicitur totalis, quia ad ſui cauſalitatem nihil indiget: & ſic duo ignes æquè perfecti, reſpectu ignis generandi, dicuntur duæ cauſæ in genere cauſæ efficientis eiuſdem ordinis, & totales, quia vtraque eſt per ſe ſufficiens ad generandum eundem ignem: non enim ſunt cauſæ partiales illius, nec etiam vna in cauſando dependet eſſentialiter ab alia, cùm ſint eiuſdem ſpeciei. Cauſæ verò efficientes, vel finales alterius ordinis ſunt cauſæ alterius ſpeciei, & per conſequens alterius perfectionis eſſentialis: & dicuntur totales, quia quælibet per ſe eſt ſufficiens cauſare effectum in ſuo ordine, id eſt, quòd ad cauſandum non requirit aliquid, quod ſit eiuſdem ſpeciei. Quando tamen ſunt alterius ordinis, & ad inuicem eſſentialiter ordinatæ, & totales, vna non poteſt immediatè cauſare effectum, non concurrente alia: non quòd illa alia det, vel ſuppleat quouis modo cauſalitatem alterius (æquè enim perfectè in ſua ſpecie cauſat homo effectum, ſicut prima cauſa in ſuo ordine, ſiue ſpecie: & æquè homo dicitur cauſa totalis illius effectus ſicut prima cauſa) ſed quia inter illas eſt ſimpliciter eſſentialis ordo: ſic quòd talis effectus præſupponat neceſſariò talem ordinem eſſentialem: ideò vna non poteſt illum effectum cauſare, non concurrentibus omnibus eſſentialiter ordinatis ad illum effectum: ita quòd quælibet per ſe, vt totalis cauſa in ſuo ordine attingat illum effectum, licèt illa attingat illum in virtute alterius, & dependenter. 9.

Nec credo eſſe verum, quod aliqui aſſerunt, quòd cauſæ eſſentialiter ordinatæ concurrant ad effectum tantùm partialiter. Si enim partialiter tantùm, ſequeretur, quòd prima non produceret effectum, vt totalis cauſa: de hoc aliàs. Nec valet dicere, quòd ſi *A* eſt à *B*, *C*, *D*, vt à tribus cauſis tota 10.

Cauſa eſſentialiter ordinata nō concurrit ad effectum partialiter.

totalibus, quòd *A* esset, & non esset, quia posita causa totali alicuius effectus, ponitur effectus, & ipsa remota, non ponitur. Posito ergo *B*, ponitur *A*, remoto *B*, remouetur *A*, & ex alia parte posito *C* ponitur *A*, ergo *A* simul esset, & non esset.

Dico quòd hoc non sequitur de causis essentialiter ordinatis, quia *B* etsi sit causa totalis, & æquè perfecta in suo ordine sicut *C*, & *C* in suo, tamen est impossibile *B* causare circunscripto *C*, & *D*, propter ordinem essentialem earum, ita quòd effectus, scilicet *A*, non tantùm dependet in suo *esse* à *B*, *C*, *D*, vt à causis totalibus alterius ordinis, sed dependet inquantum vna agit in virtute alterius, esset tamen impossibile, quòd idem effectus dependeret à duobus ordinibus causarum essentialiter ordinatarum, quia posito vno ordine causarum respectu effectus *A*, statim ponitur *A*, & ipso remoto, remouetur: & posito alio ordine, ponitur *A*, ergo *A* simul esset, & non esset: & sic debet Doctor intelligi. Similiter est impossibile quòd idem effectus sit à duabus causis totalibus eiusdem ordinis, siue eiusdem speciei: puta quòd Ioannes sit à Francisco, & Antonio, vt à duabus causis totalibus, quia benè sequitur Ioannem fore simul, & non fore, quia posito Francisco, ponitur, non posito, non ponitur: & posito Antonio, ponitur. Si tamen inter Franciscum & Antonium esset ordo essentialis, quod est impossibile, Ioannes simul esset ab illis. Ad propositum, si essent duo fines vltimi, illi essent eiusdem ordinis, & speciei, & perfectionis: & sic idem simul esset ordinatum ad finem vltimum, & non ordinatum, quia posito vno, esset actu ordinatum ad illum, & alio remoto, non esset ordinatum. Et ex hoc patet confirmatio sequens, quia nulla duo possunt esse per se terminantia alicuius eiusdem, si illa duo sunt terminantia eiusdem ordinis, & eiusdem rationis; & arguatur vt priùs.

Idem effectus non potest esse à duabus causis totalibus. *Quia idem simul esset, & non esset.*

SCHOLIVM.

Post ostensas proprietates relatiuas efficientiæ, finalitatis, & eminentiæ primi entis, hic ostendit illud esse actu infinitum, procedendo secundùm tres dictas proprietates, sed vt præambulum primò probat, primum efficiens esse intelligens & volens. 1. quia natura est agens propter finem, quatenus dirigitur à cognoscente. 2. ipsum agens primum agit propter finem. 3. aliquid causatur contingenter: ergo primum efficiens sic causat: ergo volens.

20. *Ens infinitum in actu existere.*

OStenso *esse* de proprietatibus relatiuis primi entis: vlteriùs ad ostendendum infinitatem illius primi, ac per consequens *esse* de ente infinito, procedo sic:

Primò ostendo, quòd primum efficiens est intelligens, & volens, ita quòd sua intellectio est infinitorum distinctè, & ipsa est sua essentia, & quòd sua essentia est repræsentatiua infinitorum distinctè, & ex hoc secundo, tanquam ex quodam medio, adiuncto tamen cum aliis mediis, concludetur sua infinitas. Quòd autem sit intelligens, & volens, arguo sic:

Ratio 1. text. 66. text. 49. 61. & 75.

Primum agens est per se agens, quia *Omni causa per accidens prior est aliqua causa per se*, 2. Physic. Sed omne agens per se agit propter finem, ex 2. *Physic.* vbi hoc Philosophus vult de natura, de qua minùs videtur: ergo primum agens agit propter finem.

Agētia naturalia an agant propter finem.

Et ex hoc arguitur dupliciter. Primò sic; omne agens naturale, præcisè consideratum, ex necessitate, & æquè ageret, si ad nullum finem ageret, sicut si esset independenter agens; si ergo non agit nisi propter finem, hoc est, quia dependet ab agente amante finem. Tale autem, à quo dependet tota natura in agendo, non videtur esse nisi primum efficiens: ergo, &c.

12. Met. in fine.

Secundò principaliter arguitur sic: Si primum agens agit propter finem, aut ergo finis ille mouet primum efficiens, vt amatus actu voluntatis, aut vt tantùm naturaliter amatus. Si amatus actu voluntatis, habetur propositum; si tantùm amatus naturaliter, hoc est falsum, quia non amat naturaliter alium finem à se, vt graue centrum, & materia formam: tunc enim esset aliquo modo ad finem, quia inclinatus ad illum. Si autem tantùm amat naturaliter finem, qui est ipse, hoc nihil est, nisi ipsum esse ipsum: hoc enim non videtur saluare rationem causæ in ipso.

Item arguitur, quasi confirmando rationem iam factam. Primum efficiens dirigit effectum suum ad finem: ergo vel naturaliter dirigit, vel cognoscendo, & amando illum finem. Non naturaliter, quia non cognoscens nihil dirigit nisi in virtute cognoscentis: *Sapientis enim est prima ordinatio*, 1. Metaph. sed primum efficiens in nullius virtute dirigit sicut nec causat, tunc enim non esset primum: ergo, &c.

Item, tertiò arguitur sic: Aliquid causatur contingenter: ergo prima causa contingenter causat: ergo volens causat. Probatio primæ consequentiæ, quælibet causa secunda causat inquantum mouetur à prima; ergo si prima necessariò mouet, quælibet necessariò causat; ergo si aliqua secunda causa contingenter mouet, & prima contingenter mouebit, quia non causat secunda causa nisi in virtute primæ causæ inquantum

tum mouetur ab ipsa. Probatio secundæ consequentiæ: Nullum est principium operandi contingenter: nisi voluntas, vel aliquid concomitans voluntatem, quia quodlibet aliud agit ex necessitate naturæ, & ita non contingenter: ergo.

COMMENTARIVS.

1. *Rationes probantes infinitatem primi effectiui.* OStenso esse *de proprietatibus*, &c. Doctor in isto articulo intendit quædam præambula, quæ multùm faciunt ad probandum infinitatem primi effectiui. Primum præambulum est, quòd primum effectiuum est intelligens, & volens, & *Prima ratio.* probat tribus rationibus. Prima ibi: *Primum agens est per se agens.* Et ratio principaliter stat in hoc: Omne agens per se independenter propter finem est cognoscens, & volens; sed primum effectiuum est huiusmodi. Maior probatur ibi: *Omne agens naturale præcisè*, &c. Probat ergo maiorem ex hoc, quòd si esset aliquod agens naturale præcisè consideratum ex necessitate agendi, si illud agens ageret independenter, æquè ageret, etiam si propter nullum finem ageret: Ignis enim vt simpliciter consideratus ex necessitate naturali agendi, ita calefaceret combustibile, etiamsi propter nullum finem ageret. Si ergo ignis agit propter finem, ex hoc agit, quia in agendo dependet ab aliquo amante cognoscente illum finem. Probatur, quia omne agens propter finem, agit ex appetitu finis 2. *Physic.* sed nunquam posset appetere finem, nisi ille finis esset præcognitus, & amatus, vel ab ipso agente propter finem; vel ab aliquo à quo dependet in agendo, & sic patet illa maior. Minor probatur, quantum ad primam partem, scilicet quòd primum, est per se agens, quia si est primum agens simpliciter, sequitur quòd est per se agens, quia si esset per accidens agens, non esset primum agens: patet, quia causa per accidens, semper reducitur ad aliquod agens per se, vt patet 2. *Physicorum.*

2. *Secundò principaliter arguitur.* Et ratio stat in hoc, ex quo primum efficiens, agit propter finem: ergo inquantum amat finem, quia causa finalis mouet efficiens ad producendum effectum, inquantum est amata ab ipso efficiente: aut ergo inquantum amata actu voluntatis, & si sic, ergo primum efficiens est intelligens, & volens, quia voluntas non fertur, nisi in præcognitum. Si verò, vt amata tantùm amore naturali, tunc quæro, aut primum efficiens naturaliter amat alium finem à se, ita quòd aliud à primo efficiente, vt amatum amore naturali, moueat primum efficiens ad efficiendum aliquem effectum: & tunc esset imperfectio in ipso, quia naturaliter inclinaretur ad aliquid aliud à semetipso, vt ad finem: & sic esset aliquo modo ens ad finem. Si verò tantùm naturaliter amat finem, qui est ipse, id est, aut ipsemet, vt amatus amore naturali à seipso mouet seipsum ad producendum effectum, & hoc nihil est, nisi ipsum esse *Amor naturalis quid sit.* ipsum: patet, quia amor naturalis nihil est, nisi natura, quæ sic amat: vt patet à Doctore *in 4. distinct.* 49. & hoc non saluat rationem causæ finalis, quia causa finalis, vt causa finalis, vt amata mouet efficiens ad producendum aliquid.

3. *Primum dubium. Amor concupiscentiæ quid sit.* Sed in hoc occurrunt aliquæ difficultates. Primò, quia sicut dicit Doctor *in 2. dist. 6. quæst. 2. & prolog. quæst. de subiecto Theologiæ, & in primo d. 1. & in 4. dist. 49 & alibi*, quòd amor concupiscentiæ, qui est amare aliquid, non propter se, sed propter aliud, de necessitate præsupponit amorem amicitiæ, qui est amare aliquid propter se. Amans ergo aliquid propter seipsum, ordinando illud ad se: talis amor præsupponit amorem suimet: eodem modo dico de amore naturali, quia aliquando agens naturale producit aliquem effectum, quem amat amore naturali propter semetipsum amatum amore naturali: patet, quia multa agentia naturalia, quæ esse suum amore naturali amant: ideò producunt quantum possunt illa, quæ possunt conseruare esse suum, & sic non videtur inconueniens, quòd idem amatum amore naturali à seipso moueat seipsum ad producendum effectum. Secundò dicit Doctor suprà *d. 1. quæst.* 4. quòd efficiens naturale (hoc est agens de necessitate naturæ) si est per se efficiens, causa finalis mouet ipsum metaphoricè de necessitate naturæ, id est, vt amata necessariò ab efficiente amore naturali. Sustinendo ergo opinionem Philosophorum, quòd primum agens agat de necessitate naturæ, sequitur, quòd agit effectum propter aliquem finem necessariò amatum: & non est verisimile, quòd agat propter alium finem à semetipso. Tertiò, quia hoc idem videtur sequi de amore elicito à voluntate: sustinendo, quòd inter essentiam diuinam, & voluntatem diuinam, & dilectionem eiusdem, non sit aliqua distinctio extra intellectum, vt est quasi communis opinio: tunc si voluntas diuina producit aliquid ad extrà: ergo propter finem amatum, & non nisi propter essentiam diuinam, vt amatam actu voluntatis, & essentia diuina est idem penitùs, quòd voluntas diuina, & amor diuinus: ergo nihil aliud est nisi ipsam esse ipsam. *Secundum dubium.* *Item aliud.*

4. *Responsio.* Respondeo generaliter ad ista argumenta, præsupponendo, quod dixi suprà, quòd agens per modum naturæ, si non est intelligens, neque volens, æquè ageret, si propter finem non ageret, sicut si propter finem ageret: ergo si per se agens, vt huiusmodi, agit propter finem, ex hoc agit, quia in agendo dependet ab aliquo cognoscente, & amante talem finem, & si talis finis cognosceretur, nihil ageret propter finem. cùm ergo primum agens agat propter finem, & in agendo à nullo dependeat, sequitur quòd cognoscit, & amat primum finem actu elicito voluntatis, qui sequitur cognitionem, & non amore naturali, qui nullo modo sequitur cognitionem: vt patet à Doctore in 1. *Metaph. suæ.*

Ad primum. Respondeo ergo ad primum argumentum, & concedo, quòd aliquod agens naturale producit aliquem effectum propter seipsum amatum amore naturali, quia ordinat illum tantùm ad sui conseruationem. Et sic non sequitur quòd si producit effectum propter seipsum amatum amore naturali, quòd ipsum tantùm sit ipsum, & non sit causa finalis; quia propter conseruationem sui esse naturaliter amatam, producit effectum: & hoc sufficit ad rationem causæ finalis: sed in primo effectiuo hoc non sequitur, quia à nullo est dependens, nec penitùs indiget aliquo ad sui conseruationem, cùm sit simpliciter necesse esse: & ideò ipsum amare se amore naturali nihil aliud est, *Primum effectiuũ est simpliciter necesse esse ergo aliquod non indiget ad sui conseruationem.*

est, nisi ipsum esse ipsum: imò, vt sic amatum nihil penitùs produceret.

5. Dico secundò, quòd agens naturale posset esse causa finalis vt amatum amore naturali, quia omne tale habet naturalem inclinationem ad perfectionem suam, vel intrinsecam, vel extrinsecam, ordinando illam ad seipsam sic amatam: sicut lapis producit motum deorsum ad centrum, & suo modo quietem in centro ordinando centrum, vt bonum extrinsecum, & quietem in centro, vt bonum intrinsecum ad seipsum, vt amatum amore naturali: & sic non sequitur, quòd si producat aliquid propter seipsum amatum amore naturali, quòd ipsum sic amatum non sit causa finalis: sed non est sic in primo agente, quia primum agens non habet naturalem inclinationem ad aliquod obiectum extra vt bonum sibi extrinsecum, nec ad operationem aliquam circa aliud à se, vt bonum intrinsecum; sed tantùm habet naturalem inclinationem ad seipsum, & ideò ipsum sic amatum à semetipso amore naturali nihil aliud esset, nisi ipsum esse ipsum, & sic non haberet rationem causæ finalis.

6. Ad secundum argumentum. Dico primò, quòd non est simile de agente secundario, & de agente primo, propter causas supradictas. Dico secundò, quòd si primum agens producit aliquid de necessitate ad mentem Philosophorum, producit illud propter finem de necessitate amatum, & hoc amore elicito. Et dicit Aristoteles quòd voluntas primi si produceret aliquem effectum immediatè, de necessitate ordinaret illum ad essentiam suam, amore elicito necessariò amatam, & hoc patet in confirmatione sequenti in hoc, quòd dicit, *primum dirigere*, &c. Nam si per impossibile primum non esset intelligens, neque volens, cùm tantùm se amaret amore naturali, & ad nihil aliud inclinaretur: nihil penitùs produceret. Et si dicatur, quòd ex quo primum de necessitate producit effectum immediatè secundùm mentem Philosophorum, vt patet à Doctore infrà *dist. 8. quæst. vlt. & 7. quæst. Quodlib.* ergo videtur, quòd necessariò inclinetur ad illum, & per consequens illum amabit amore naturali, & si sic, eodem modo sequitur, quòd producit illum propter seipsum amatum amore naturali. Dico, quòd inclinatio naturalis, vel est ad *esse* suum, vel ad aliquam perfectionem sui *esse*, vt patere potest à Doctore *in* 4. 49. *dist.* modò nullum creatum pertinet ad *esse*, siue ad conseruationem primi effectiui: nec potest esse aliqua perfectio ipsius, neque intrinseca, neque extrinseca: & sic ad nihil aliud extra se, naturaliter inclinatur: & licèt producat illum de necessitate naturæ, hoc non erit ex inclinatione ad illum; sed ex summa perfectione ipsius, quæ necessariò redundat, & communicatur alteri, vt patet per Doctorem infrà *distinct.* 8. *quæst. vlt.* exponentem dictum Auicennæ. Et ex his patet responsio ad tertium argumentum.

7. Tertiò principaliter arguit Doctor ibi: *Item, tertiò arguitur sic.* Et ratio stat in duobus dictis. Primum, quòd aliqua causa secunda producit aliquem effectum contingenter: intelligendo *contingenter* ad vtrumlibet, quia scilicet est in potestate sua illum producere, & non producere. Aliter si omnis causa secunda produceret effectum suum de necessitate, tunc omnia euenirent de necessitate, & sic non oporteret consiliari, & huiusmodi: vt inquit Aristoteles 1. Periherm. Secundum dictum est, quòd secunda causa producit effectum in virtute primæ causæ: ita quòd prima causa attingit illum effectum: imò magis quàm secunda causa, quia in libro de Causis, *Prima causa plus influit in effectum quàm secunda*, & non sustinendo illam opinionem, quàm Doctor improbat *in* 2. *dist.* 37. quæ dicit, quòd voluntas creata est totalis, & immediata causa sui effectus, & Deus causat tantùm mediatè: sed dicitur agere in virtute primæ, quia in *esse*, & in *conseruari* dependet à prima. His dictis declaratis, patet argumentum Doctoris, quia si impossibile est secundam causam agere effectum, nisi inquantum mouetur à prima, siue in virtute primæ, sequitur, quòd si secunda causa contingenter agit quòd prima causa magis contingenter agit, cùm in agendo dependeat à prima.

In ista tamen ratione occurrunt duo dubia. Primum in hoc, quod dicit, quòd secunda causa, non causat nisi inquantum mouetur à prima. Et in hoc videtur sibi contradicere, quia *in dist.* 1. *quæst.* 1. *quarti*, vult expressè, quòd secunda causa in agendo nihil penitus recipiat à prima, & tamen impossibile est aliquid moueri ab alio: nisi saltem motum recipiat. Si tantùm localiter mouetur, vel si alio modo mouetur, tunc recipiet aliquod absolutum, quia motus ex 5. *Physic.* est tantùm ad Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, & *Vbi*. *Primum dubium.*

Secundum dubium est in hoc, quod dicit: quòd secunda agit in virtute primæ, & per consequens cùm secunda agat aliquid contingenter: sequitur quòd etiam prima contingenter agit, quia ex quo prima causa priùs agit, quàm secunda, aut ergo in illo priori attingit effectum secundæ causæ, aut non. Si primo modo, ergo cùm secunda causa in illo priori nihil agat: & si in aliquo signo posteriori agit ad illum effectum, sequitur quòd idem erit bis productum. Si secundo modo, ergo prima causa nihil agit, quia agere ad effectum est attingere illum. 8. *Secundum dubium.*

Ad primum dubium dico, quòd causam secundam moueri à prima in agendo, non intelligitur propriè moueri, quia argumentum benè concluderet. Sed intelligitur moueri ex hoc, quod dicit ordinem inferiorem ad primam causam: ita quòd impossibile est, ipsam agere, prima non agente. *Responsio ad primum.*

Secundò dico, quòd secundam causam moueri à prima, potest dupliciter intelligi. Primò, quòd in se moueatur. Secundò, quòd nihil potest agere respectu effectus, siue mouere: nisi prima causa simul agat, vel moueat ad eundem effectum. Et isto secundo modo verum est dictum Doctoris. Sed vt sic nihil recipit in se. *Causam moueri à prima dupliciter potest capi.*

Ad secundum dubium dico breuiter, quòd prima causa non agit in aliquo priori; sed simul cum secunda causa. Et si dicatur, quia in lib. de Causis dicitur, quòd prima causa prius agit quàm secunda: Dico quòd sic debet intelligi *prius*, id est, perfectius; vt patet à Scoto *in* 2. *distinct.* 37. quia prima causa independenter agit, & secunda dependenter, & ibi vide singularem glossam de ista materia.

***

SCHO

SCHOLIVM.

Contra illud, ex contingentia rerum colligi Deum causare contingenter, ponit tres instantias, quas soluit & redarguit Philosophum in hoc errantem.

Contra istam responsionem instatur. Et primò contra primam consequentiam arguitur sic: quia nostrum velle posset adhuc aliquid contingenter causare, & ita non requiritur, quòd prima causa illud contingenter causet. 11. *Impugnatio primæ consequentiæ.*

Item, Philosophus antecedens concessit, scilicet quòd aliquid contingenter causatur, & negauit consequens intelligendo de velle Dei, scilicet quòd prima causa contingenter causet: posuit enim non propter contingenter Deum velle contingentiam in inferioribus, sed ex motu, qui necessariò causatur inquantùm vniformis, sed difformitas sequitur in partibus eius, & ita contingentia. *1. & 8 Physic. 1. de Gener. 12. Met. & in de Bona fortuna.*

Contra secundam consequentiam, si causat contingenter, ergo volens: ista consequentia nón videtur tenere, quia aliqua naturaliter mota possunt impediri, & ita oppositum contingenter, & violenter potest euenire.

Ad primum dicendum est, quòd si Deus est primum mouens, vel efficiens respectu voluntatis nostræ, idem sequitur de ipsa quod de aliis: quia siue immediatè necessariò moueat eam, siue aliud immediatè, & illud necessariò motum necessariò mouet voluntatem, quia mouet ex hoc, quòd mouetur, sequitur tandem, quòd proximum voluntati necessariò moueat voluntatem, etiam si illud proximum sit ipsamet voluntas, & erit volens necessariò, & ita necessariò volet. Et sequitur vlteriùs impossibile, quòd necessariò causat quodlibet causatum, & non est aliquid contingens. *Ad rationē primam. De hoc inf. Scot. d. 39. Vide Scot. 4. d. 13. q. 1. ar. 3. quomodo causa 2. mouet vt mota? & 4. dist. 43. q. 3. quòd nihil recipit à prima quo moueatur.*

Ad secundum dico, quòd non voco hîc *contingenter causatum*, quodcunque non necessarium, vel non sempiternum, sed cuius oppositum posset fieri, quando illud fit: ideò dixi, *aliquid contingenter causatur*, & non dixi, *aliquid est contingens*. Nunc dico, quòd Philosophus non potest negare consequens, saluando antecedens per motum, quia si iste totus motus necessariò est à causa sua, quælibet pars eius necessariò causatur, quando causatur, & ineuitabiliter, ita quòd oppositum non posset tunc, nec aliter causari: & vlteriùs, quod causatur per quamcunque partem motus, necessariò causatur, & ineuitabiliter. Vel igitur nihil fit contingenter, id est, euitabiliter causatur, vel primum sic causat immediatè, quod posset etiam non causare.

Ad tertium dico, quòd si aliqua potest impedire istam, hoc non potest nisi in virtute superioris causæ, & ita superior in virtute superioris, & sic vsque ad primam causam, quæ si immediatam causam sibi necessariò mouet, vsque ad istam, erit necessitas: ergo necessariò impediet, & per consequens non potest alia causa nunc causare. *Scot. 2. dist. 25. & d. 37. q. 1. Ad 3.*

Sic ergo videtur triplici via ostensum, quòd primum agens est intelligens, & volens: quarum prima est, quòd natura agit propter finem, & non nisi quia dependens, & directa à cognoscente finem.

Secunda est, quòd ipsum primum agens agit propter finem.

Tertia, quòd aliquis effectus contingenter fit quando causatur.

COMMENTARIVS.

1\. Contra *istam rationem* instatur. Primò contra primam consequentiam, quia per nostrum velle posset aliquid contingenter causari: & ita non requiritur, quòd prima causa illud contingenter causet.

Item, Philosophus antecedens concessit, scilicet quòd aliquid contingenter causatur: & negauit consequens, intelligendo de velle Dei, scilicet quòd prima causa contingenter causet: posuit enim contingentiam in inferioribus: non propter hoc quòd Deus contingenter velit, sed ex motu, qui necessariò causatur inquantùm vniformis: sed difformitas sequitur in partibus eius, & ita contingentia.

Contra secundam consequentiam, si causat contingenter: ergo volens. Ista consequentia non videtur tenere, quia aliqua naturaliter mota possunt impediri: & ita oppositum contingenter, & violenter potest euenire. Et nota, quòd dicit de vniformitate motus, &c. Nam motus primi mobilis, qui est ab Oriente in Occidentem, qui alio nomine vocatur motus diurnus, semper est vniformis, & simpliciter inuariabilis. Et primum mobile mediatè mouetur à prima causa: & immediatè ab aliqua Intelligentia, vt patet 8. *Physic. tex. com.* 78. Et quòd hæc sit intentio Aristotelis, videlicet quòd mouens infinitum moueat cœlum mediatè: & mouens finitum immediatè: patet per Comment. 12. *Metaphysic comment.* 41. & respectu istius motus nulla sit contingentia in effectibus: sed contingentia in effectibus accidit in difformitate motus: & difformitas accidit in aliis partibus cœli, vt patet de motu Solis. Vnde Aristoteles *primo de Generatione: Sol in circulo obliquo*, id est, in Zodiaco, *secundùm, quod est in alio, & alio signo, vel gradu: vel in minuto talis signi est causa diuersorum effectuum.* Secundùm enim Philosophum, prima difformitas est in partibus alicuius sempiterni: licèt sit vniformis secundùm totum: quia enim motus ille est vniformis, *Motus cœli est vniformis secundùm se totum, non secundū partes.*

ex vniformi habitudine mobilis ad mouens. Ideò habet partes nouas difformes, & ex hac difformitate partium potest vlteriùs sequi alia difformitas, vel varietas in substantiis genitis illo modo, & sic à causis vniformibus, puta ab Intelligentia, & cœlo se vniformiter habentibus, causatur primò aliquid vniforme constans ex partibus difformibus, vt motus: & mediante illo alia difformitas simpliciter. Hæc Scotus in 4. dist. 48. q. 2.

2. *Ad primum dicendum est.* Dicit Doctor quòd tenendo, quòd Deus sit primum mouens, respectu voluntatis nostræ, idem sequitur de ipsa voluntate quod de aliis: quia siue immediatè necessariò moueat eam, siue mediatè: sic intelligendo quòd si *A* necessariò mouet *B*, & *B* necessariò motum mouet *C*; quia motum tamen ab *A* sequitur quòd *B* necessariò moueat *C*. Dicit ergo Doctor quòd si Deus mouet immediatè voluntatem necessariò ad actum suum, sequitur quòd ipsa necessariò moueat seipsam ad actum suum. Et cùm dicit, quòd si *Deus est primum mouens respectu voluntatis*, id est, posito quòd si sic, quia adhuc non determinauit, an voluntas nostra sit immediata, & totalis causa sui actus, non concurrente voluntate diuina, hoc enim determinabitur *in 2. d.* 37. vbi probat duabus rationibus ipsam concurrere ad omnem effectum voluntatis nostræ. Hoc ergo posito, sequitur intentum. Supponit etiam in ista ratione ordinem essentialem causarum, licèt hîc non probet illum; imò in suis Theorematibus dicit quòd non potest probare ordinem essentialem esse in efficientibus, vt patet in propositione, siue conclusione, siue Theoremate 16. & ibi dicit, *non potest probari, Deum coagere omni causa secunda aliqua actione propria sibi.*

Ad secundū dico. Hîc Doctor facit differentiam, quòd aliud est contingenter causari: & aliud est aliquem effectum esse possibilem, id est, non esse sempiternum. Nam *contingenter causari* propriè est, quando effectus fit tunc, quando potest fieri: quia causa etiam, vt causat, est prior effectu: vt patet à Doct. *in 2. d.* 1. Causa verò naturalis, quando causat effectum, sic de necessitate causat illum, quòd talis effectus non potest non fieri: potest tamen dici contingens, quia in se non est necessarius, & sempiternus: sed non potest dici contingenter productus, quia non potuit non causari, stante perfecta dispositione causæ, & passi.

Contingenter causari quid.

Nunc dico, quòd Philosophus, &c. Sensus huius literæ est, quia secundùm Arist. 12. Met. *Intelligentia applicata orbi suo necessariò mouet illū:* ergo ille motus erit simpliciter necessarius: & sicut totus est simpliciter necessarius: ita & quælibet pars eius, cùm totum non possit esse necessarium, partibus non necessariò existentibus. Et sic illa pars motus in circulo obliquo: vel alibi, necessariò causabit effectum, cùm sit agens merè naturale: siue motus causet, siue natura, cuius est talis motus, vt puta natura Solis, quod magis videtur. Non enim credendum est motum causare substantiam: sed quia per motum Sol fit in alia, & alia parte circuli obliqui: quia in vna parte signi potest esse causa generationis alicuius effectus: & in alia parte non poterit esse causa generationis eiusdem: & tamen ipse Sol de necessitate causat. 3.

Motus nō potest substantiam causare.

Ad tertiū dicit: quòd si aliqua causa potest impedire, &c. Pono enim, quòd cōiunctio Iouis, & Saturni in aliquo gradu Cancri (concurrente particulari causa) sit causa alicuius effectus, totus iste ordo causarum erit virtute causæ superioris, & tandem primæ. Si modò esset alia coniunctio, puta Solis cū Marte in aliquo signo, & gradu posset vna cum causa particulari impedire actionem primæ coniunctionis, producendo effectū oppositū effectui producendo à prima coniunctione: hoc non esset, nisi in virtute causæ superioris, necessariò mouētis illas causas ad talem effectū oppositum: & illa superior in virtute superioris, & tandem in virtute primæ: & sic si ille effectus impeditus fuerit, erit primò à causa prima: & hoc est quod dicit.

Sic ergo videtur triplici via ostensum esse: quòd primum agens est intelligens, & volens. Nota tamē, quòd fortè istæ non sunt rationes demonstratiuæ, quia Doctor in suis Theor. Theor. 14. sic dicit: *Non potest probari Deum esse sapientem, vel intelligentem.* Et commētando illam propositionē dicit: *& per consequens nec præscientem, nec prædestinantem, nec per artem, siue per ideas, siue quocunque modo intellectualiter aliquid producentem.* Deinde ponit aliam propositionem. *Non*, inquit, *probari Deum esse volentem.* Et in comm. suo, *nec per consequens amantem, nec iustum, nec misericordem, nec per consequens iudicem meritorum, vel demeritorum.* Hæc ille. Et ideò istæ rationes Doctoris sunt multùm ponderandæ, nec dicit illas esse demonstratiuas, tamen sunt multùm efficaces. 4.

SCHOLIVM.

Ponit secundam conclusionem præambulam, ad ostendendam infinitatem primi entis, scilicet eius volitionem, & intellectionem respectu sui, non esse aliud ab ipso. Primò, quia causalitas primi finis, respectu primi efficientis, est incausabilis, & necesse esse. Secundò, ex duplici loco Arist. Tertiò, ratione D. Thomæ, & Ægidij, quam reiicit, & infert quatuor corollaria.

22. *Resolutio rationum conclus. 1.*

NVnc vlteriùs, [a] quo ad conclusiones præambulas ad infinitatem, probo secundò, quòd eius intellectio, & volitio non est aliud ab essentia eius. & primò de volitione sui ipsius, vt obiecti sic: Causalitas, & causatio causæ finalis, est simpliciter prima secūdùm Auic. 6. *Met.* dicentem, quòd *si de qualibet causa esset scientia, illa, quæ esset de causa finali, esset nobilissima.* Ipsa enim quantum ad causalitatem præcedit causam efficientem, quia mouet eam ad agendum, & ideò causalitas primi finis, & eius causatio est penitus incausabilis, secundùm quamlibet causationem in quolibet genere causæ. Causalitas autem primi finis est mouere efficiens primū, sicut amatū ab ipso: quod est idem, quod primum efficiens amare primū finem, quia nihil aliud est obiectum amari à voluntate, quàm voluntatem amare obiectum: ergo primū efficiens amare primum finem est penitus incausabile, & ita ex se necesse esse, & ita erit idem naturæ primæ, & quasi conuertitur ratio

Cap. vlt.

ex

ex opposito conclusionis. Quia si primum amare est aliud à natura prima, ergo est causabile, & per consequens effectibile; ergo ab aliquo per se efficiente amante finem: ergo primum amare se esset causatum ab aliquo amore finis, priore isto causato, quod est impossibile. Hoc ostendit Aristoteles 12. *Metaph.* de *intelligere* primi. Primò, quia aliter primum non erit optima substantia, quia per *intelligere* est honorabile. Secundò, quia aliàs esset laboriosa eius continuatio, quia si non est idem illi, erit in potentia contradictionis ad illud: ad illam autem potentiam sequitur labor secundùm ipsum.

Text. 51. Nota rationē Phil. de potentia cōtradictionis tā propinqua quàm remota contra proteruientes.

Istæ rationes [b] Philosophi possunt declarari. Prima sic: Cùm omnis entis in actu primo perfectio vltima sit in actu secundo, quo coniungitur optimo, maximè si sit actiuum, & non tantùm factiuum: omne autem intellectuale est actiuum, & prima natura est intellectualis ex * præmissa: sequitur, quòd vltima eius perfectio sit in actu secundo: ergo si ille actus non sit eius substantia, substantia eius non erit optima, quia aliud est suum optimum.

* Aliàs *præmissis.*

Secunda ratio [c] potest declarari sic: Potentia solummodo receptiua, est potentia contradictionis; cùm ergo hæc non sit huiusmodi: ergo, &c. Sed secundùm Aristotelem, nec ista est ratio demonstratiua, sed tantùm probabilis.

9. Metaph. text. 17.

Aliter ostenditur propositum [d] ex identitate potentiæ, & obiecti in se sic; Potentia, & obiectum sunt idem, ergo actus est eis idem.

Th. 1. parte sum. q. 14. art. 4. & 1. dist. 35. q. 1. soluendo 3. art. & Ægid. Quodl. 3. q. 10.

Sed consequentia non valet. Instantia, Angelus intelligit se, & amat se, & tamen actus Angeli amandi, & intelligendi non sunt idem substantiæ eius.

Hæc conclusio secunda, videlicet, quòd essentia Dei eadem sit, quòd volitio sui ipsius, secunda est ex corollariis. Nam sequitur primò, quòd voluntas est idem primæ naturæ: quia velle non est nisi voluntatis: ergo illa voluntas cuius est velle incausabile est incausabilis: ergo, &c.

Similiter velle intelligitur quasi posterius voluntate: si igitur velle est idem illi naturæ, multo magis voluntas.

Secundò sequitur, quòd intelligere se est idem illi naturæ, quia nihil amatur nisi cognitum: ergo si amare se est ex se necesse esse, sequitur quòd intelligere se, est ex se necesse esse. Et similiter intellectio est quasi propinquior illi naturæ, quàm velle.

Tertiò sequitur, quòd intellectus est idem illi naturæ, sicut priùs de voluntate, & velle argutum est.

Quartò sequitur, quòd ipsa ratio intelligendi se, sit idem sibi, quia necesse est rationem intelligendi esse ex se necesse esse, si *intelligere* sit necesse esse. Ratio enim intelligendi se, quasi præintelligitur ipsi *intelligere.*

COMMENTARIVS.

1. SEcundum præambulum ad infinitatem primi effectiui ostendendam, est quòd intellectio, & volitio primi effectiui nō est aliud ab essētia ipsius.

Deus dicitur causa finalis, vt est actu amatus à voluntate sua.

a Et probat ibi: *Nunc vlterius.* Et ratio ista stat in hoc: patet quòd Deus dicitur causa finalis, vt est actu amatus à voluntate sua: & causatio causæ finalis est metaphoricè, siue intentionaliter mouere voluntatem suam ad producendum esse effectum: ergo ad hoc quòd voluntas diuina producat effectum, necessariò præsupponit causalitatem vltimi finis, & eius causationem, id est, quòd necessariò præsupponit amorem finis, aliter non produceret propter finem, tunc arguitur sic: Omne simpliciter incausabile, & improducibile necessariò est idem primo effectiuo (patet suprà, quia omne tale est simpliciter independens & est à se: & probatum est, quòd tantùm est vnum primum incausabile) sed amor quo voluntas diuina amat Deum, est huiusmodi: patet, quia si ille amor est causatus, ergo est causatus à voluntate diuina: ergo ab ipsa amante Deum: ergo ille amor causatus præsupponit alium amorem, respectu finis amati: vel ergo erit processus in infinitum in amoribus, quod est inconueniens, vel standum est ad primum amorem, quo voluntas diuina amat Deum, & sic erit penitus incausabilis, & independens, & vt simpliciter idem, quod primum effectiuum: & sic patet sensus huius rationis.

Hoc ostendit Arist. 12. Metaph. & infrà: *Istæ rationes Philosophi possunt declarari.* 2.

Potentia duplex.

b Pro declaratione huius literæ supponenda est primò differentia potentiæ actiuæ, & factiuæ. Nam *potētia actiua* propriè dicitur illa, cuius opus recipitur in illa. Et *factiua*, cuius opus recipitur in materia extrinseca. Exemplum primi: Intellectus est potentia actiua; quia operatio intellectus, puta intelligere, recipitur in ipso intellectu. Exēplum secūdi: Ignis est potētia factiua, quia productū ab igne recipitur in materia extrà: sed de differentia ista patebit infrà *præsenti d. p. 2.* & diffusiùs patet à Doct. *in Quodl. q. 13.* & vide quę ibi prolixè exposui. Intellectus ergo propriè dicitur potentia actiua.

Actus primus quid. Actus secundus.

Secundò dicit, quòd vltima perfectio entis in actu primo est in actu secundo, vt vnitur optimo. Actus primus est principium operationis. Actus verò secundus est ipsa operatio, & potētia operatiua nō potest vniri optimo obiecto, nisi mediante operatione sua: vt patet de potentia visiua, quæ nullo modo vnitur perfectissimo visibili, nisi mediante visione illius. Ideò Doctor vult *in 1. d. 1. q. 1.* quòd duplex est perfectio potētiæ operatiuæ: vna extrinseca, quæ est obiectum perfectissimum illius potētiæ; alia intrinseca, quę est operatio optima, qua potentia attingit tale obiectum. Et sic

Duplex est perfectio potentia operatiuae. potentiam vniri obiecto, mediante operatione, nihil aliud est, nisi ipsam attingere obiectum per operationem: vt patet à Doct. *in Quodlib.q.*13.*& in* 4.*dist.*49. Et sic perfectio optima perfectissimae potentiae est operatio perfectissima illius, & talis dicitur esse, quae terminatur ad optimum: & sic vltima perfectio intellectus diuini erit cognitio essentiae diuinae. Si ergo talis cognitio esset realiter distincta ab intellectu diuino, siue ab ipso Deo, tunc optimum illius essentiae esset aliud: quod est inconueniens, quia sequeretur quòd substantia primi posset existere sine sua vltima perfectione, vt posset probari per propositionem Doctoris *in* 1.*d.*1.*q.*1.*& in* 2.*d.*12.*q.*2. videlicet absolutum prius alio, & realiter distinctum ab illo potest esse sine posteriori, &c.

2. *Apparēs contradictio.* In ista tamen litera Doctoris videtur quòd sibi contradicat. Primò in hoc, quod dicit intellectum esse potentiam actiuam. Nam infrà *parte secunda huius dist.* productum in *esse* simpliciter ab intellectu diuino non est in ipso intellectu: ergo non est potentia actiua. Similiter expressè vult *in* 2.*d.*9. de locutione Angelorum, quòd intellectus vnius Angeli potest causare actum intelligendi, in intellectu alterius Angeli, & similiter speciem intelligibilem: patet etiam de intellectu diuino, qui actu suo producit obiecta secundaria in esse secundùm *quid:* vt patet à Doctore *in primo dist.*3. *quaest.*4.*&* 35.*dist.*36. *&* 43. *& in secunda distinct.*1. *quaest.*1. & diffusè *in Quodlib.quaest.*14. & tamen illa obiecta secundaria non sunt formaliter in intellectu diuino.

Responsio. Respondeo, quòd non habeo pro inconuenienti eandem potentiam respectu diuersorum terminorum diuersimodè appellari. Nam si terminus productus est extrà, ipsa potentia dicetur productiua: vt enim intellectus producit aliquid, quod verè recipitur in materia extrinseca, respectu illius, potest dici potentia factiua, vt verò producit aliquid quod nō recipitur formaliter in ipso intellectu, nec in aliqua materia extrinseca; sed illud productum erit in se subsistens: tunc dicitur potentia productiua: vt patet à Doctore infrà *parte* 2.*huius d.* vt verò producit aliquid, vel quasi producit: quod tantùm est in ipso formaliter dicitur potentia operatiua, siue actiua: vnde Doctor infrà *part.* 2. *& d.* 1. *quaest.*1. *secundi*, vult expressè, quòd intellectus dicatur ex parte intellectionis potentia operatiua, & respectu Filij producti in diuinis, potentia productiua.

3. *Dubium.* Secunda difficultas est in hoc quod dicit, quòd vltima perfectio primi entis est in actu secundo, quo coniungitur optimo. Non enim aliquid vnitur alteri, nisi includat relationem, qua formaliter dicitur vniri terminatam ad illud, cui vnitur, & coniungitur. Vnde Doctor expressè *quaest.* 13. *Quodlib.* vult quòd operatio beatifica includat de necessitate relationem realem terminatam ad obiectum, vt existens est. Et in hoc videtur sibi contradicere, quia quaest. praeallegata vult, quòd actus beatificus intellectus diuini nullam relationem includat terminatam ad ipsam essentiam, quae est obiectum beatificum, & non tantùm relationem realem: sed nec etiam relationem rationis: & tamen hîc concedit, quòd verè vnitur, & coniungitur obiecto optimo, &c,

Solutio. Regula. Respondeo, quòd quando est vnio inter aliqua realiter distincta, & habentia *esse* realis existentiae includunt relationem realem, & quando est inter extrema habentia *esse* secundùm *quid*: vel saltem vnum illorum: tunc non est necesse, quòd includant relationem realem, vt patet de cognitione abstractiua, quae vnitur obiecto habenti *esse* tantùm secundùm *quid*: vt patet à Doctore *q.*13. *Quodlib.* Quando verò est inter extrema sic realiter eadem, quòd vnum illorum vnitiuè est in alio secundùm omnimodam identitatem realem, tunc ibi nulla est relatio, nec realis, nec rationis. Et sic actus beatificus intellectus diuini nullam relationem includit ad essentiam, vt obiectum beatificum, vt Doctor exponit 13. *quaest. Quodlib.* Hîc ergo debet intelligi vnio potentiae ad obiectum prò vnione fundamentali, scilicet quòd ipsa potentia per operationem absolutā verè attingit optimum obiectum: sicut etiam Doctor vult expressè *in* 4.*dist.*10.*&* 49.*& q.*13. *Quodlib.* quòd vltima perfectio potentiae intellectiuae est illa, quâ vnitur optimo: & illam vocat operationem absolutam: & si ad ipsam consequatur aliqua relatio ad obiectum, ex hoc est, quia talis operatio realiter distinguitur ab obiecto: & sic patet quomodo non est contradictio.

c *Secunda ratio.* Quia dixit Aristoteles quòd si *intelligere* primi esset aliud ab ipso, esset laboriosa eius continuatio, & Doctor vbi suprà, assignat rationem, quia potentia solummodo receptiua est potentia contradictionis, vt patet: quia si tantùm se habet receptiuè, sequitur quòd nullam necessitatem dicat respectu recepti: vt patet à Doct. *in prolog. quaest. de subiecto Theologiae*, & sic intellectus primi posset esse aliquando intelligens: & aliquando non; & hoc est quod dicit. 4.

Aliter ostenditur propositum. Hîc ponit rationem D. Thom. *in* 1. *dist.*3. & Ægid. *dist.*2. *primi*, & ratio stat in hoc, quia obiectum, & potentia intellectiua sunt idem: ergo intellectio, quà talis intellectus intelligit illud obiectum. Doctor dicit hanc rationem non concludere: & patet instantia de intellectu Angeli, & eius essentia, quae quamuis sint realiter idem, non tamen intellectio realiter identificatur illis.

e *Haec conclusio secunda*, &c. Primò sequitur quòd voluntas sit idem essentiae diuinae. Tum, quia si *velle* est simpliciter incausabile, vt suprà patuit, ergo à fortiori, & voluntas, cuius est tale *velle*: si enim posterius est simpliciter incausabile, ergo & priùs: cùm ergo sit tantùm vnum simpliciter incausabile, vt suprà patuit, sequitur, quòd si voluntas sit incausabilis, quòd illa erit realiter ipsa prima natura omnino incausabilis. *Secundò sequitur quòd* intelligere primi respectu sui *sit idem illi natura:* quia simpliciter necesse esse patet, quia si velle sit necesse esse, à fortiori intelligere, cùm omnino praesupponatur ipsi *velle*; sed tantùm est vnum necesse esse, vt suprà patuit: si *intelligere* sit necesse esse, erit realiter ipsa prima natura, qui est simpliciter necesse esse. Tum etiam, quia *intelligere* videtur propinquius naturae diuinae, quàm *velle*. ergo si *velle* est idem illi, à fortiori, & *intelligere*. Tertiò sequitur, quòd intellectus sit idem illi naturae, & arguatur sicut suprà argutum est de voluntate & *velle*. Quartò sequitur, quòd ipsa ratio intelligendi sit idem sibi: quia illa necessariò praesupponitur intellectioni, & volitioni, & accipit *rationem intelligendi* pro formali ratione causandi, vel quasi causandi intellectionem in ratione formali obiecti intelligibilis, quicquid sit illa.

SCHO

SCHOLIVM.

Tertia conclusionis praambula, velle, & intelligere alia à se, non esse accidens primo enti. Primò, quia omnia vult propter finem vt causa per se: ergo ea intelligit. Secundò, aliàs sui intellectio esset sibi accidens. Tertiò, perfectior intellectio esset potentia receptiua imperfectioris intellectionis. Quartò, intelligere primi entis; est perfectissimum: ergo vnum omnium intelligibilium. Quintam rationem aliorum reiicit.

OStenso [a] de *intelligere se*, & *velle se*, quòd sint idem essentiæ primi, ostendo propositum generaliùs, scilicet de omni *intelligere*, & *velle* ipsius respectu aliorum, quòd sint essentiæ primi idem, & sit conclusio ista tertia ad infinitatem præambula. Nullum *intelligere* potest esse accidens primæ naturæ. Probatio, quia de ista natura primò ostensum est, quòd ipsa est primum effectiuum: ergo ex se habet, vnde possit quodcunque causabile causare circunscripto quocunque alio, saltem vt prima causa illius causabilis: sed circunscripta cognitione illius non habet vnde possit illud causabile causare, ergo cognitio cuiuscunque alterius non est aliud à natura sua. Probatio vltimi assumpti, quia nihil potest causare nisi ex amore vltimi finis velit illud, quia non potest taliter esse per agens, quia nec ageret propter finem: ipsi autem *velle* alicuius propter finem præintelligitur, *intelligere* illud, ergo ante primum signum, in quo intelligitur causans, siue volens *A* necessariò præintelligitur intelligens *A*, & ita sine hoc non potest per se efficere, & ita de aliis. 23. *12. Metaph. tex. com. 51. concl. 3.*

Secundò probatur idem, quia omnes intellectiones eiusdem intellectus habent similem habitudinem ad intellectum identitatem essentialem, vel accidentalem, sicut patet de omni intellectu causato, & eius intellectionibus, quia videntur perfectiones eiusdem generis; ideò si aliquæ habent receptiuum, & omnes: & si aliqua est accidens, & quælibet; sed aliqua non potest esse accidens in primo, ex præcedente conclusione, quia non intellectio suiipsius, ergo nulla est sibi accidens. *In originali est vacat secundùm Mauritiũ quoad hanc rationem.*

Tertiò sic: [b] *Intelligere*, si potest esse accidens, reciperetur in intellectu, vt in subiecto: ergo & in illo *intelligere*, quod est idem intellectui, & ita perfectius *intelligere* erit in potentia receptiua respectu imperfectioris, quod est absurdum.

Quartò sic: Idem [c] *intelligere* potest esse plurium obiectorum ordinatorum: ergo quantò perfectius, tantò plurium; ergo perfectissimum, quo impossibile est perfectius intelligi, erit idem omnium intelligibilium. *Intelligere* primi sic est perfectissimum, ergo idem est omnium intelligibilium, & illud, quod est sui, est idem sibi, ex propositione præcedente, ergo, & *intelligere* omnium est idem sibi.

Quintò posset [d] sic argui: Iste intellectus non est nisi quoddam *intelligere*, sed iste intellectus est idem omnium, ita quòd non potest esse alius alicuius alterius obiecti: ergo nec *intelligere* aliud, ergo idem est *intelligere* omnium.

Sophisma est Accidentis ex identitate aliquorum inter se, absolutè, concludere identitatem respectu tertij, respectu cuius extraneantur, vt patet à simili. *Intelligere* est idem quod *velle*, si ergo *intelligere* ipsum est alicuius, ergo ipsum *velle* erit eiusdem, non sequitur: sed tantummodo sequitur, quòd *velle* est aliquid, quod est eiusdem, quia *intelligere* est aliquid eiusdem, ita quòd diuisim inferri potest, non coniunctim propter accidens. *Alexand. de Alex. lib. 1. dist. 35. q. 2. soluẽdo art. 2. Sophisma accidentis quid?*

Item, intellectus [e] primi habet vnum actum adæquatum sibi, & coæternum, quia *intelligere* se, qui actus est idem sibi; igitur non potest habere alium; sed consequentia non valet: exemplum de beato, qui simul videt Deum, & alia, etiamsi videat Deum secundùm vltimum capacitatis suæ, sicut de anima Christi ponitur, adhuc potest videre aliud.

Item arguitur, intellectus iste habet in se per identitatem perfectionem maximam intelligendi: ergo & omnem aliam. Respondetur, non sequitur, quia alia, quæ minor est prima, potest esse causabilis, & ideo differre ab incausabili, maxima autem non potest.

COMMENTARIVS.

1. a OStenso de intelligere se, & velle se. *Hîc Doctor intendit probare quòd intellectio primi effectiui respectu aliorum intelligibilium à se, sit eadem cum ipso: & probat, quia nullum *intelligere* primi, est accidens sibi, quod si esset distinctum realiter, de necessitate esset accidés, vt patet de omni alio *intelligere*. Probo autem quòd nõ possit esse aliud à primo. Et præsuppono quòd primum effectiuũ possit realiter causare hominem: certũ est quòd non posset illũ causare, nec volũtas illũ velle, nisi præintelligeretur, vt patet. Quæro tũc, aut intellectio hominis est idem cum

primo effectiuo; aut est aliud. Si primum, habeo tunc propositum: si secundum, ergo illud *intelligere* erit causabile, quia omne aliud à primo effectiuo est causabile: sed voluntas non posset illud velle, nisi præintelligeretur: & tunc quæro de illa alia intellectione, aut est idem, aut aliud. Si primum, ergo & prima intellectio erit idem, cùm non sit maior ratio de secunda, quàm de prima. Si secundum, tunc erit processus in infinitum in intellectionibus respectu eiusdem hominis causabilis: vel standum ad primam intellectionem hominis: & sic formetur ista ratio sicut illa de *velle* primi effectiui: licèt Doctor hanc rationem nõ sic expresse ponat in ista litera: formetur ergo sic, exponendo literam Doctoris. Primum effectiuum, ex quo est omnino incausabile, habet ex se, hoc est ex natura propria, vnde possit causare quodcunque causabile: saltem vt prima causa illius causabilis: quia secundùm Philosophos, non posset causare effectum imperfectum secunda causa non concurrente. Habet ergo ex se posse causare vt prima causa omne causabile, circũscripto quocunque alio, quòd non est idem sibi, vt patet: sed circunscripta cognitione causabilis, non posset illud, vt prima causa causare, vt patet in litera: ergo sequitur, quòd talis cognitio sit idem primo effectiuo.

Expositio literæ.

Sed in hoc videtur sibi contradicere, quia expresse vult *in 1. dist. 39. & 40.* & magis expresse *in Quodlib. q. 14.* quòd voluntas diuina priùs vult, & determinat de quocunque causabili illud fore, quàm intellectus diuinus cognoscat illud: ergo circunscripta cognitione huius, *Franciscus est producibilis ad extra secundùm esse existentiæ*, adhuc voluntas diuina potest illud producere.

Apparens expressa contradictio.

Responsio. Respondeo breuiter, quòd Doctor in locis supradictis benè concedit quòd voluntas diuina priùs determinat de propositione contingenti: & pòst intellectus cognoscit illam: & quantum ad hoc non prærequiritur cognitio illius cõtingentis: sed cognitio terminorum propositionis contingentis, de necessitate præcedit determinationem voluntatis diuinæ: nisi enim Franciscus vt cognitus, & existentia Francisci vt cognita, essent præsentia voluntati diuinæ, nũquam voluntas diuina posset determinare, quòd Franciscus actu existat, & sic dictum Doctoris in isto loco debet intelligi de cognitione terminorum complexionis cõtingentis, quod illa circunscripta, &c.

Difficultas. Secundò, occurrit dubium in ista consequentia. Primum effectiuum non habet ex se, vnde possit causare: puta causabile, *A* circũscripta cognitione ipsius *A*: ergo talis cognitio non est aliud à primo effectiuo: tum, quia non sequitur, Angelus non potest causare, puta *A*, circunscripta cognitione ipsius *A*: ergo talis cognitio est idem cũ ipso *A*, imò secundùm Theologos realiter distinguitur: tum etiam posito, quòd impossibile sit primum effectiuum non habere cognitionem lapidis: non sequitur, quòd talis cognitio sit idem cum primo effectiuo: quia diceretur, quòd talis impossibilitas non esset ex ratione intrinseca talis entitatis: sed magis ex ratione extrinseca, quia de necessitate causat illam: & hoc patet à Doctore *in 2. distinct. 1. quæst. 5. respondendo ad quæstionem.*

3.
Responsio. Ad primum argumentum respondeo, quòd ratio Doctoris concludit in primo effectiuo: quia volitio alicuius causabilis de necessitate præsupponit cognitionem eiusdem: & cùm talis volitio sit idem cum primo effectiuo, vt patuit suprà magis, sequitur quòd talis intellectio præsupposita sit idem. Vel sic, & magis ad propositum literæ, si talis intellectio est aliud à primo effectiuo, & ipsa circunscripta, est impossibile primũ effectiuum posse causare aliquod causabile: ergo si causando aliquod causabile necessariò prærequiritur talis cognitio, vt alia à primo effectiuo, sequitur quòd primum effectiuum in causando dependet ab aliquo ente creato: vel in genere causæ efficiẽtis, sustinendo, quòd cognitio obiecti partialiter cõcurrat ad actũ voluntatis: vt patet *in 2. d. 25.* vel vt à causa *sine qua non*: vt patet vbi suprà: & vtrũque est simpliciter inconueniens: quia primũ effectiuum posse ex se causare omne causabile, vt prima causa à nullo alio à se dependet. Si dicatur, quòd nõ potest in effectum imperfectum sine secunda causa: ergo aliquo modo dependet ab illa in causando. Negatur consequẽtia: quia in ordine primæ causæ nullo modo dependet à secũda. Non enim habet à secũda, nec vt à causa effectiua; nec vt à causa *sine qua non*, vt sit prima causa, & agat omnino independenter. Et ex his patet solutio ad secundum.

Cognitio obiecti partialiter cõcurrit ad actũ volũtatis.

b *Tertiò sic.* Hìc Doctor deducit ad hoc inconueniens: quòd si *intelligere* primi, respectu alterius obiecti à se non esset idem, tunc reciperetur in intellectu ipsius: & cùm *intelligere* primi respectu suiipsius sit idem realiter cum ipso intellectu; tunc illud aliud *intelligere* reciperetur in primo *intelligere*: quod est inconueniens. 4.

Sed dubitatur in ista consequentia: quia nõ videtur sequi, quòd si prima intellectio sit realiter idem cũ intellectu primi effectiui, & secunda intellectio recipitur in tali intellectu; ergo recipitur in prima intellectione: & patet instãtia. Intellectio, qua intelligo lapidẽ, recipitur immediatè in intellectu meo: sed voluntas est idem realiter cum intellectu: vt patet à Doctore *in 2. d. 16.* ergo intellectio recipitur in voluntate. Non sequitur, quia si sic, voluntas formaliter intelligeret. *Difficultas.*

Præterea, accidens recipitur in creatura; & relatio creaturæ ad Deum est idem realiter cum illa: ergo recipitur in illa: hoc est manifestè falsum.

Dico, quòd non haberem pro inconuenienti, quòd voluntas sit realiter receptiua intellectionis, cùm sit eadem res, quæ intellectus. Et cùm infertur, ergo intelligit. Conceditur, sic, quòd realiter intelligat: quia ipsa realiter est res, quæ est intellectus: sed non conceditur, quòd formaliter intelligat; vel quòd formaliter sit receptiua intellectionis, quia sumpta secundùm suã formalitatem distinguitur à formalitate intellectus: vt patet à Doct. *in 2. d. 16.* Et non est inconueniens, quòd aliquid eiusdem generis cum alio sit receptiuũ alterius generis: sed benè esset valdè inconueniens, quòd aliquid eiusdem generis; imò eiusdẽ rationis sit receptiuũ alterius eiusdem generis: & quòd denominetur ab illo. Sic est in proposito de *intelligere* primi effectiui, respectu suimet: & de *intelligere* eiusdẽ, respectu aliorũ: sequeretur enim quòd sicut intellectus primi verè intelligit: sic & primũ *intelligere* si esset receptiuum secundi *intelligere*, quòd intelligeret: quod est valdè absurdum. *Responsio.*

Ad aliud de relatione dico, quòd hæc esset vera realiter: *relatio est alba*: quia realiter est res, quæ est alba: formaliter tamen non esset vera: quia formaliter distinguitur à creatura: vt patet à Doctore *in princ. d. 1.* Et vltra nullo modo esset eiusdem generis: esset benè valdè inconueniens quòd sit receptiua alicuius eiusdem generis.

Si dicatur, Nónne aliqua creatura quæ realiter *Obiectio.*

in

includit relationem ad creatorem, vt eandem sibi est realiter pater: ergo paternitas recipitur in tali relatione, quæ sunt eiusdem generis.

Responsio. Dico, quòd paternitas est de genere relationis: sed relatio creaturæ ad creatorem in nullo genere continetur: sed est simpliciter transcendens, vt dicit Doctor in secundo, & credo in quarto. Ad euitandum ergo hoc inconueniens, videlicet quòd aliquid eiusdem generis sit receptiuum alterius eiusdem generis simpliciter conceditur quòd intelligere respectu aliorum in primo effectiuo sit idem cum ipso.

5. *In Deo est tantum vnū intelligere respectu omnium.* c *Quartò sic.* Hîc probat, quòd tantùm sit vnum *intelligere* primi effectiui, respectu omnium: & dicit, quòd vnum *intelligere* potest esse plurium obiectorum ordinatorum: patet, quia vna intellectione intelligo propositionem, & terminos propositionis: & quantò *intelligere* est perfectius, tantò erit plurium obiectorum: cùm ergo *intelligere* primi sit simpliciter perfectissimum, ergo erit omnium obiectorum, & sic tantùm erit vnum *intelligere* primi: & cùm intelligere se in primo ente sit idem: ergo *intelligere* respectu aliorum erit idem cum primo ente: cùm sit penitus idem *intelligere*, quod *intelligere sui*.

d *Quintò posset sic argui.* Hîc recitat vnam rationem Magistri Alex. de Alexand.

Sophisma est accidentis. Et declaratur sic ista litera per exemplum: animal & homo sunt idem absolutè, quia homo est animal: & tamen non sequitur, si animal est genus, ergo homo est genus; quia homo, & animal, vt animal prædicatur de homine, extraneantur ipsi generi; quia genus non conuenit animali: vt animal prædicatur de homine: sed tantùm in suppositione simplici: & vt sic non prædicatur de homine. Sic in proposito intellectus est quoddam intelligere: sed intellectus est idem omnium intelligibilium: ergo & intelligere. Non sequitur, quia intellectus, & ipsum *intelligere*, vt prædicatur de intellectu extraneantur huic, quod est esse omnium intelligibilium. Accidit enim intellectui, quòd sit intelligere, quod est omnium. Similiter est de *intelligere*, & *velle*: valet enim diuisim sic, *intelligere* est idem, quod *velle*, puta *intelligere* Dei, & *velle* ipsius: ergo si *intelligere* terminatur ad *A*, & *velle* terminatur ad *A*, non sequitur coniunctim, id est, quòd vtrunque terminetur ad *A*, sed benè sequitur diuisim, id est, quòd *velle* est aliquid, quod terminatur ad *A*, quia *velle* est ipsum *intelligere*, quod terminatur ad *A*. Et sic patet ista litera.

Genus non conuenit animali, vt animal prædicatur de homine, sed tantū in suppositione simplici.

e *Intellectus primi.* Alij probant aliter, scilicet quòd sit tantùm vnum *intelligere* primi, respectu omnium: quia intellectus primi habet vnum actum, &c. Dicit Doctor quòd non sequitur: patet, quia licèt *intelligere* primi adæquatur ipsi intellectui diuino: & essentiæ diuinæ, scilicet intensiuè: quia illa intellectio tanta est, quantum obiectum est intelligibile: & ideò non potest habere aliam respectu talis obiecti: non tamen adæquatur extensiuè, scilicet quòd non possit habere aliquam aliam respectu alterius obiecti. Et patet per exemplum Doctoris, quia intellectus beati habet actum adæquatum, scilicet visionē Dei: *adæquatum* dico intensiuè: quia perfectiorem: nec æquè perfectam habere potest: & tamen cum hoc stat, quòd etiam videt alia: & hoc est, quia visio Dei non adæquatur sibi extensiuè, & si fortè intensiuè, ponendo quòd videat Deum secundùm totam capacitatem illius intellectus, id est, quòd habeat tantam visionem intensiuè, quanta potest creari: sicut patet de intellectu animæ Christi, de quo vide Doctorem *in 3. dist.* 14. quæ etiam alia obiecta videt alia intellectione, realiter distincta à visione beatifica. 6.

Quomodo intellectus beati habeat visionem Dei.

f *Item arguitur.* Alij arguunt ad idem: quia *intellectus primi habet in se per identitatē*, scilicet realem, *perfectionem maximam intelligendi*, scilicet intellectionē, qua se intelligit, quæ est perfectissimā intellectio: *ergo habet per identitatē omnem aliā*, scilicet aliorū obiectorum. Dicit Doctor quòd non sequitur, quia maxima intellectio est simpliciter incausabilis: & per consequens idē, quia nō possunt esse duo incausabilia perfectissima, vt sup. patuit: minor verò intellectio, puta intellectio lapidis, est verè causabilis: ergo potest esse alia ab illa maxima.

SCHOLIVM.

Quarta conclusio præambula, primum ens intelligere semper distinctè, necessariò, & prius naturaliter, quàm alia à se sint. Prima, & tertia pars patent, quia suum intelligere est idem sibi. Secunda patet, quia est perfectionis, distinctè cognoscere. Quarta patet, quia est causa per cognitionem omnium aliorum à se.

QVarta conclusio [a] principalis præambula de intellectu, & voluntate Dei ad infinitatem probandam sit ista: Intellectus primi intelligit semper, & distincto actu, & necessariò, quodcunque intelligibile, priùs naturaliter, quàm illud sit in se. Prima pars probatur, scilicet quòd possit intelligere quodcunque intelligibile sic Hoc enim est perfectionis in intellectu, posse distinctè, & actu cognoscere quodcunque intelligibile. Imò hoc posse est necessarium ad intellectus rationem, quia omnis intellectus est totius entis communissimè sumpti, vt declarabitur *in dist.* 3. Nullam autem intellectionem potest habere intellectus primi non candē sibi, ex proxima conclusione: ergo cuiuslibet intelligibilis habet *intelligere* actuale, & distinctū, & hoc idem sibi, & ita semper, & necessariò. 14. *Conc.* 4. *Quæst.* 3.

Secunda pars, videlicet de prioritate probatur sic: Quia quidquid est idem primo, est *necesse esse*, sicut patuit priùs, sed *esse* aliorum intelligibilium non est *necesse esse*: *necesse* autem *esse* ex se est prius natura omni non necessariò.

Quia dat primū esse diminutum Scot. 2. d. 1. q. 1.

Aliter probatur, quia *esse* cuiuslibet alterius à se, dependet ab ipso sicut à causa, & vt causa est alicuius causabilis, necessariò includitur cognitio eius ex parte causæ: ergo illa cognitio illius, prius est naturaliter ipso *esse* cogniti.

Arg. à cognitione artificis.

Vtraque etiam pars conclusionis probatur aliter, quia artifex distinctè cognoscit omnia

omnia agenda, antequam fiant, aliter non perfectè operaretur, quia cognitio est mensura, iuxta quam operatur: ergo Deus omnium producibilium à se, habet notitiam distinctam actualem, vel saltem habitualem priorem eis.

Scot. 1. Met. q. 5. Contra istam instatur [b] de arte, quia ars vniuersalis sufficit ad vniuersalia, vel singularia producenda: ergo, &c.

Responsio aliorum. Potest dici, quòd hoc est propter imperfectionem cognitionis artificis creati. Vide in *Theor. propositione 3. & super 7. Metaphysic. quæst. 15.*

COMMENTARIVS.

1\. *Ægid. de Roma, Quodl. 3. q. 10.* a QVarta conclusio est: quòd intellectus primi intelligit semper, *& etiam prius naturaliter, quàm illud intelligibile sit in se*, scilicet in actuali existentia. Prima particula, scilicet quòd *intelligat semper:* patet, suprà, quia intellectio primi respectu omnium intelligibilium est eadem sibi: ergo semper: & sic etiam patet tertia particula, scilicet *necessariò:* quia si primum est necesse esse, & intellectio omnium intelligibilium est eadem sibi, ergo erit necesse esse. Secunda particula patet: quia nulla imperfectio ponenda est in primo vt ab omnibus conceditur: & quicquid ibi ponitur, ponitur sub ratione perfectissima: modò intelligere aliquid confusè est imperfectionis: & intelligere distinctè perfectionis: ergo si *intelligere* respectu omnium intelligibilium sit in intellectu primi, omnium erit distinctissimè. *Intelligere cõfusè dicit imperfectionem.* Quarta particula, scilicet *quòd tale intelligere sit prius obiecto intellecto producto ad extra in esse reali* (quod dico: quia fortè non est necesse, quòd prius intelligatur antequam producatur ab intellectu diuino in *esse* diminuto, siue obiectiuo, vt exposui in 2. distinct. 1. quæst. 1.) probatur tripliciter. *Obiectum intelligitur antequam sit.* Primò, quia *intelligere* respectu omnium, est necesse esse, vt suprà patet: ergo prius ipso causato, quod tantùm habet esse possibile.

Secundò, quia omne aliud à primo, dependet à primo, vt à causa, vt suprà patet: sed primum non est sufficiens causa alicuius, nisi præintelligat illud, vt suprà patet: ergo cùm causa formaliter sumpta sit naturaliter prior effectu: & etiã quodlibet necessariò requisitum ad causam, sequitur quòd intellectio effectus sit prior naturaliter ipso effectu. Tertia ratio probat secundam, & quartam particulam, quia artifex perfectus distinctè cognoscit omnia agenda, antequam fiant: aliter non perfectè operaretur, quia cognitio artificis est mensura, siue exemplar, iuxta quod operatur, id est, cui conformatur in operando: vt patet *in quæst. de praxi:* quia habitus perfectè practicus, perfectè dirigit, & cum ipso non stat error: & per consequens distinctè dictat de operabili: quod non est, nisi talis notitia esset distincta. Cùm ergo Deus sit omnium artifex, & perfectissimum: sequitur quòd omnia priùs, & distinctè cognoscat, quàm producat. *Artifex perfectus cognoscit omnia distinctè, antequam fiant. Cognitio eius est mensura, iuxta quam omnia operatur.*

b *Contra istam.* Hæc litera ponit exemplum. Dico tamen, quòd non concludit contra istam tertiam rationem: quia ars vniuersalis non sufficit ad singularia producenda: vt patet à Doctore *in primo Metaph. quæst. 5.* & per Philosophum *in Prolog. Metaphysic.* vbi vult, quòd expertus certiùs operetur circa singulare, artifice inexperto, &c. *Ars vniuersalis nõ sufficit ad singularia producenda.*

Sed in hoc, quod dicit, quòd omnis intellectus est ipsius entis communissimè sumpti, videtur sibi contradicere: quia *in Quodlib. quæst. 14.* expresè tenet, quòd intellectus creatus habet tantùm ens creatum pro obiecto adæquato. *Apparens cõtradictio.*

Dico, quòd loquitur ibi de obiecto attingibili b intellect cre ex causis nat ralib : hîc autem loquitur de obiecto, ad quod intellectus habet naturalem inclinationem, à quocunque causetur cognitio talis obiecti: vt satis exposui *in quæst. 1. Prol.* & etiam patet expresè in Quodl. vbi suprà. Sequentia clara sunt. *Solutio.*

SCHOLIVM.

Positis quatuor conclusionibus præambulis, ostendit primi entis infinitatem quatuor viis. Prima est efficientiæ. Secunda, efficientiæ cognoscentis distinctè. Tertia, finalitatis. Quarta, eminentiæ. Et primò, probat infinitatem efficientiæ, per locum Aristotelis de infinitate effectuum, in quos potest primum agens, item quia habet omnium causarum virtutem, quod variè explicat, & arguit. adducit rationem Henrici, eamque reiicit.

25\. OStensis [a] igitur his præambulis arguo infinitatem quatuor viis.

Primò, per viam efficientiæ, vbi probatur propositum dupliciter. Primò, quia ipsum est primum efficiens omnium.

Secundò, quia est sic efficiens, puta distinctè cognoscens omnia factibilia.

Tertiò, ostenditur infinitas per viam finis.

Quartò, per viam eminentiæ.

Text. 78. & vlt. Text. 41. & 42. Hẽr. quodl. 4. q. 3. Primam viam ex parte efficientis tangit Philos. 8. *Physic. &* 12. *Metaph.* & arguit sic: *Primum mouet motu infinito*; ergo habet potentiam infinitam. Hæc ratio [b] coloratur quantùm ad antecedens sic; quia æquè concluditur propositum si possit mouere per infinitum, sicut si moueret per infinitum, quia æquè oportet ipsum esse in actu: sed illud posse patet de primo quantùm est ex se. Licèt ergo primum non moueat motu infinito, sicut Aristoteles probat, tamen si accipiatur antecedens illud, quòd quantùm est ex parte sua potest sic mouere, habetur antecedens verum, & æquè sufficiens ad inferendum

pro

propositum. Consequentia probatur sic, quia si ex se, & non virtute alterius mouet motu infinito: ergo non ab alio accipit sic mouere, sed in virtute sua actiua habet totum effectum suum simul, quia independenter: sed quod simul habet in virtute infinitum effectum, est infinitum: ergo, &c.

Aliter probatur prima consequentia sic: Primum mouens simul habet in virtute sua omnes effectus possibiles produci per motum; sed illi sunt infiniti, si potest motus esse infinitus: ergo si mouet in infinitum, est infinitum.

Contra istas declarationes rationis Aristotelis instatur, quidquid sit de antecedente. *1. Eth. c. 7.* Consequentia prima non videtur benè probari; non primo modo, quia duratio maior nihil perfectionis addit: nam albedo, quæ vno anno manet, non est perfectior, quàm si tantùm vno die maneret: ergo motus quantæcunque durationis non est perfectior, quàm motus vnius diei; igitur ex hoc, quòd agens habet in virtute sua actiua simul mouere motu infinito, non concluditur maior perfectio hîc, quàm ibi, nisi quòd agens diutiùs mouet, & ex se, & ita esset ostendendum, quòd æternitas agentis concluderet eius infinitatem, aliàs ex infinitate motus non posset concludi eius infinitas. *An maior duratio augeat perfectionem?*

Tunc ad formam illius argumenti, vltima propositio illius colorationis negatur, * nisi de infinitate durationis. ** Aliàs declarationis.*

Secunda declaratio [b] consequentiæ etiam improbatur: quia non maior perfectio intensiua concluditur ex hoc, quòd agens eiusdem speciei, quotcunque plura potest producere successiuè quamdiu manet, quàm si tantùm vnum, vel duo produceret; quia quod potest in tempore vno, in vnum tale, potest eadem virtute in mille talia, si in mille temporibus maneat: non est autem possibilis apud Philosophos infinitas, nisi numeralis effectuum producibilium per motum, scilicet generabilium, & corruptibilium, quia in speciebus finitatem ponebant: ergo non magis sequitur infinitas intensiua in agente ex hoc, quòd potest in infinita numero successiuè, quàm ex hoc, quòd in duo tantùm posset, quia est possibilis infinitas numeralis secundùm Philosophos. 26 *Plura producere successiuè an dicat maiorem perfectionem?*

Si quis autem alius probet [c] infinitatem specierum possibilem, probando aliquos motus cœlestes esse incommensurabiles, & ita nunquam posse redire ad vniformitatem, etiamsi in infinitum durarent, & quòd infinitæ coniunctiones speciе: causarent infinita generabilia specie: de hoc, quidquid sit in se, nihil tamen ad intentionem Philosophi, qui infinitatem specierum negaret.

Vltima [d] probabilitas, quæ occurrit pro consequentia Aristotelis declaranda, est ista. Quidquid potest in aliqua multa simul ita perfectè, sicut in quodlibet eorum seorsum, quorum quodlibet in causa requirit aliquam perfectionem sibi propriam, illud concluditur esse perfectius ex pluralitate talium, ex hoc, quòd potest in plura, & per consequens infinitum si simul potest in infinita; & vlterius, si natura effectus non permittat simultatem eorum, tamen causa quantùm est ex se posset simul in infinita: adhuc sequitur, quòd sit infinitum ex infinita pluralitate talium, & ita videtur de primo agente esse concedendum, quòd si posset causare infinita simul, quòd esset virtus eius infinita; & per consequens si simul haberet virtutem causandi infinita; ita quòd quantùm est ex se posset simul producere, licèt natura effectus non permittat, adhuc sequitur infinitas virtutis eiusdem. Hæc consequentia vltima probatur, quia potens causare simul album, & nigrum, non est minùs perfectum, si non potest ea simul causare: quia ista non sunt simul causabilia: quia hæc non simultas est ex repugnantia eorum; & non ex defectu agentis, quia agens simul habet virtutem respectu amborum, si illa ex se essent compossibilia. Sit igitur illa maior, quodcunque agens habet virtutem, quæ quantùm est de se posset in infinita simul, licèt incompossibilitas effectuum impediat, ista simul poni, tale agens est infinitæ virtutis, primum est huiusmodi: ergo, &c. Maior est declarata iam, quia pluralitas talium concludit maiorem perfectionem in causa, quæ quantùm est ex se potest simul in illa, ergo infinitas illorum, in quæ potest quantum ex se simul, concludit infinitam eius virtutem. *Agens quo in plura simul potens an eo perfectius?* *De hoc Scotus 2. d. 3 q. 10. latè & Quodl. 12.*

Ex istis [e] potest propositum sic ostendi. Si primum haberet omnem causalitatem omnis causæ possibilis formaliter, & simul, licèt non possent causabilia simul poni in *esse*, esset infinitum: quia simul, quantùm est ex se, posset infinita producere; & posse simul plura, concludit maiorem potentiam intensiuè: ergo si habet perfectius, quàm si haberet omnem causalitatem formaliter, magis sequitur infinitas intensiua: sed habet omnem causalitatem cuiuscunque rei, secundùm totum quod est in ipsa, & hoc eminentiùs, quàm si esset in ipso formaliter; ergo est infinitæ potentiæ intensiuè. 27. *Aliàs minor probatur si primum.*

Licèt ergo omnipotentiam propriè dictam secundùm intentionem Theologorum, tantummodò creditam esse, & non naturali ratione credam cuidam posse probari, sicut dicetur

dicetur *dist.* 42. probatur tamen infinita potentia, quæ simul quantùm est ex se, habet eminenter omnem causalitatem, qua simul posset in infinita, si simul essent factibilia.

Si obiicitur, [f] primum, non posse ex se simul in infinita, quia licèt habeat eminentiùs omnem causalitatem causæ secundæ, quàm sit in causa secunda: tamen non potest ex se in effectus omnium causarum secundarum, quia non est probatum, quòd sit totalis causa infinitorum.

28. Hoc nihil obstat, quia si causa primò haberet simul vnde esset totalis causa, hoc est, vnde esset formaliter causa sicut est prima, nihil perfectius esset, quàm nunc sit, quando habet vnde sit prima causa tantùm. Tum [g] etiam, quia illæ secundæ non requiruntur propter perfectionem addendam in causando, quia tunc remotius à prima causa esset perfectius, quia perfectiorem requireret causam: sed si requiruntur causæ secundæ cum prima secundùm Philosophos, hoc est propter imperfectionem effectus, vt prima cum alia causa imperfecta possit causare imperfectum, quod secundùm ipsos non potest immediatè causare. Tum etiam; [h] quia totæ perfectiones causarum secundarum eminentiùs sunt in primo, quàm si ipsæ formaliter sibi inessent, si possent inesse. Quod probatur, quia causa secunda proxima primæ, totam perfectionem causatiuam habet à sola prima: ergo totam perfectionem illam eminentiùs habet prima causa, quàm causa secunda habens formaliter ipsam. Consequentia patet, quia prima respectu illius causæ secundæ est totaliter causa, & æquiuoca. Similiter arguitur de tertia causa respectu secundæ, vel respectu primæ: si respectu primæ, habetur propositum: si respectu secundæ, sequitur secundam eminenter continere totalem perfectionem, quæ est formaliter in tertia: sed secunda habet à prima, quòd sic continet perfectionem tertiæ ex præostensis: ergo prima eminentiùs habet continere eminenter perfectionem tertiæ, quàm secunda habeat: & sic de omnibus causis, vsque ad vltimam concluditur, primam habere eminenter totalem perfectionem causatiuam omnium, & perfectiùs, quàm si haberet causalitatem omnium formaliter, si esset possibile: & sic videtur dicto modo posse concludere ratio Aristotelis de potentia infinita, quæ fuit suprà in principio huius viæ posita, quæ accipitur ex 8. Physic. & 12. Metaph.

Causa 2. secundū Phil. requiritur propter imperfectionē effectus 12. Met. text. 41.

Tex. comm. 78. & 79.

ADDITIO.

Iuxta dictam probationem, qua ex infinitate effectuum, in quos simul potest ipsum primum quantùm est ex se, concluditur infinitas virtutis primi, vel virtutem eius infinitam, potest accipi similis de infinitate causarum secundarum sic. Quòd si primum haberet in se formaliter causalitates omnes secundas cum causalitate prima esset infinita virtutis aliquo modo, quia quantum est ex se posset in infinita: ergo multò magis est infinita si habet illas causalitates secundas eminentiùs, quàm formaliter.

Potens in plura perfectius, quàm potēs in pauciora examinatur.

Sed ad istas duas probationes consequentiæ Aristotelis potest responderi. Ad primam concedo, quòd vbi quodlibet plurium requirit aliquam perfectionem propriam formaliter, vel virtualiter in causa, potens in plura est perfectius, quàm potens in pauciora, quia ad minùs plures perfectiones formales, quæ forent propriæ illis pluribus habentur virtualiter in tali, & quod plures perfectiones virtualiter habet, est perfectius simpliciter, & quod infinitas est infinitum. Sed si siue simul, siue successiuè posset causa in plura, quorum non quodlibet requireret propriam perfectionem formalem, vel virtualem in illa causa, non ibi ex pluralitate posset concludi maior perfectio Sic diceret Philosophus in proposito, quia infinita, in quæ potest primum, quantum est ex se, tantùm poneret infinita numeraliter, finita autem secundùm specificas differentias, & naturas, nunc autem sola distinctio naturæ specificæ in effectu requirit aliquam perfectionem formalem, vel virtualem in causa, non autem distinctio numeralis.

Per idem ad secundam probationem, quia causæ secundæ non sunt infinitæ specie secundùm Aristotelem, ideò habens virtutem omnium illarum non concluditur esse infinitum intensiuè.

Impugnatio dicti primi, & secundi.

Contra primum; potentius est, quod potest in plura simul, quàm quod in pauciora, etiamsi sint eiusdem speciei: ergo quod simul potest ex se in infinita, est infinita potentiæ.

Contra secundum; si omnes causalitates secundæ essent formaliter in prima, esset in ea aliqua infinitas virtualiter, saltem extensiua: ergo si sunt eminentiùs in ea, erit ibi aliqua infinitas, sed non extensiua, quia hoc tollitur per eminentiam, propter quam sunt vnitiuè sine distinctione: ergo tunc esset alia infinitas, quàm extensiua, & ita infinitas intensiua.

Scot. 2. d. 3. q. 10.

Ad primum, oportet negare antecedens, & quòd simultas nihil facit ad maioritatem potentiæ, sicut si circa hunc ignem essent specificè infinita corpora in debita approximatione, in omnia simul ageret, sicut modò agit in infinitas partes vnius corporis specificè circundantis.

Ad secundum, concluderet, quòd Sol esset infinitus, imò quæcunque causa perpetua, quæ potest in infinita indiuidua successiuè: ideò argumentatio, licèt videtur probabilis, necessariò est

est sophistica. Respondeo ergo sic, quòd ista propositio, cui innititur ratio, est falsa, quæcunque ponerent in se infinitatem extensiuam, ipsa vbi habentur eminentius ponunt aliquam infinitatem intensiuam, falsa est. Ratio, quia eminentiùs possunt haberi in causa æquiuoca. Nec ista potest probari per istam, quia vbi sunt sine omni infinitate, non sunt eminenter respectu suorum infinitorum. Hæc enim est falsa, quia eminentia facit vnitatem, & ideò non tollit infinitatem materialem extensiuam, quæ fuit, nec tamen in causa ponit infinitatem intensiuam formalem, quia finita formalitas, sufficienter continet eminenter infinita materialiter, & extensiuè.

Iuxta [i] istam viam efficientiæ arguitur, quòd primum habeat potentiam infinitam, quia creatiuam: nam inter creationis extrema infinita est distantia. 29.

Her. quodl. 4. q. vlt. & Ric. de Mediavilla in 2. dist 1. art. 4. quæst. 4. 6. Met. c. 2.

Sed hoc antecedens [k] ponitur tantùm creditum, vt *non esse* quasi duratione præcedit *esse*, vt tamen quasi natura secundùm viam Auicennæ *non esse* præcedit *esse*. Antecedens ostenditur, quia saltem prima natura post Deum est ab ipso, & non à se, nec accipit *esse* aliquo præsupposito: ergo illud creatur: sed sic accipiendo priùs natura tam *non esse*, quàm *esse*, non sunt ibi extrema mutationis, quam causet illa virtus, nec illud effici requirit mutari.

De hac Scotus 2. d. 1. q. 2. & 4. d. 43. q. 2. latè.

Sed quidquid sit de antecedente, consequentia non probatur; quia quando inter extrema nulla est distantia media, sed ipsa dicuntur præcisè distare ratione extremorum inter se, tanta est distantia, quantum est maius extremum. Exemplum, Deus distat in infinitum à creatura etiam suprema possibili, si qua daretur, non propter aliquam distantiam mediam inter extrema, sed propter infinitatem vnius extremi. Ita contradictoria non distant per aliqua media, quia contradictoria sunt immediata, ita, quòd quantumcunque parum recedit aliquid ab vno extremo, statim est sub altero, sed distant propter ipsa extrema inter se. Tanta est igitur ista distantia, quantum est illud extremum, quod est perfectius: illud est finitum: ergo, &c.

Tanta est distantia inter extrema non habētia medium positiuū, quanta est perfectio nobilioris extremi, de quo 4. d. 1. q. 1.

Confirmatur: quia posse totaliter super terminum positiuum huius distantiæ, est posse supra distantiam, siue super transitum ab vno extremo in aliud extremum: ergo ex posse super istum transitum, non sequitur infinitas, nisi sequatur ex posse totaliter super terminum eius positiuum, talis terminus est finitus: ergo, &c.

Cōtradictoria distant in infinitū, explicatur.

Quod autem dicitur communiter contradictoria distare in infinitum, potest sic intelligi, id est, indeterminatè, quia sicut nulla est ita parua distantia, quæ non sufficiat ad contradictoria, ita nulla est ita magna, etiam si esset maior maxima possibili, quin ad illa contradictoria se extendant. Est igitur eorum distantia infinita, id est, indeterminata ad quamcunque magnam, vel paruam. Ex tali enim infinitate distantiæ non sequitur consequens de infinita potentia intensiua, sicut nec sequitur ad minimam distantiam in qua saluatur sic infinita distantia: quod enim non sequitur ad antecedens, non sequitur ad consequens.

COMMENTARIVS.

1. *Infinitas quatuor viis ostēditur ex parte efficientis.*

a OStensis igitur his præambulis. Et præmitto vnum, videlicet posito quòd infinitas intensiua non repugnet esse in entibus: quia hoc demonstratiuè sciri non potest, sed tantùm per quasdam persuasiones: vt patet à Doctore arguendo ad quartam viam: tunc rationes Doctoris concludunt infinitatem de primo effectiuo. Ex hoc præsupposito patet, qualiter multi reprehendentes Doctorem, & nitentes soluere rationes, quas facit de infinitate primi effectiui, & credentes, ipsum velle demonstratiuè, & absolutè hoc probare via naturali, non ita perfectè intelligunt sensum Doctoris. Stante ergo illo præsupposito, quòd infinitas non repugnat in entibus, probatur ipsa infinitas: primò ex parte efficientis. Et arguit sic: *Primum mouet motu infinito: ergo habet potentiam infinitam.* Hoc dictum Aristotelis 8. Physic. text. comment. 78. & 12. Metaphysic. text. comment. 41. & 42. diuersimodè exponitur.

Henr. quodl. 4. q. 3.

a *Hæc ratio coloratur*, &c. *quia æquè oportet ipsum esse in actu:* patet, quia perfectio agentis non est ex hoc, quòd actu agit, sed ex hoc quòd habet potentiam ad agendum: & in hoc ista opinio benè dicit: nec improbatur à Scoto stante hoc. Probatur consequentia: si primum potest mouere motu infinito (actu enim non mouet motu infinito, vt probat Philosophus 8. *Physic. text. comm.* 78.) ergo si ex se, & non virtute alterius mouet motu infinito: ergo in virtute sua habet totum effectum simul, & independenter, & sic habet in virtute sua infinitos effectus: patet, quia habet in virtute sua omnem effectum, natum causari per infinitum motum, & per infinitum tempus: tales sunt infiniti, quia generatio perpetua est, & infinita, si motus primi mobilis est infinitus. Si ergo primum habet in virtute sua infinitum effectum, id est, infinitos effectus per motum producendos: & sic successiuè in infinitum, sequitur, quòd primum erit infinitum. Et sic patet ratio huius opinionis. Si tamen sic intelligat per *infinitum effectum* infinitos effectus successiuè per motum producendos: vt tenet opinio immediatè sequens. Si verò intelligat per *infinitum effectum*, ipsum motum infinitum duratione, tunc Doctor improbat illam consequentiam, scilicet, quòd non sequitur: potest mouere motu infinito, id est, motu durante in infinitum: ergo est infinitæ

infinitæ virtutis: non ſequitur, quia duratio maior non facit rem perfectiorem: ergo primum ita erit perfectum producendo effectum, durantem tantùm per horam; ſicut ſi produceret, vt durantem perpetuò. Nihil ergo concluditur, niſi quòd primum mouens diutiùs mouet, & ex ſe: ſed ex hoc non concluditur infinitas ipſius: niſi dicatur, quòd ſi ex ſe mouet motu infinito, quòd erit æternus: & quia æternus, ideò infinitus: ſed hoc eſt probandum, ſcilicet quòd per æternitatem poſſit concludi infinitas intenſiua.

Duratio maior non facit rem perfectiorem.

2. b *Secunda declaratio conſequentiæ.* Contra ſecundam expoſitionem, ſcilicet de effectibus infinitis, patet quòd non concludit: quia virtus quæ poteſt producere effectum perfectum vt duo, in vno tempore, poteſt in alio producere ſimilem effectum: & per conſequens tanta eſt perfectio in producendo vnum in vno tempore; ſicut producendo mille æqualis perfectionis, cùm primo in mille temporibus: perfectio enim agentis attenditur in hoc, quòd poteſt producere perfectiorem effectum; & quantò perfectiorem intenſiuè; tantò agens perfectius: modò in indiuiduis eiuſdem ſpeciei non eſt ordo eſſentialis: non enim vnum eſt eſſentialiter perfectius alio, vt patet per Philoſophum 3. *Metaph. text. comm.* 11. Sed infinitas non eſt, niſi in indiuiduis eiuſdem ſpeciei, inter quæ eſt ordo accidentalis, ſed non in ſpeciebus: quia non poſſunt eſſe infinitæ ſpecies, nec actu, nec potentia: quia vna eſſentialiter eſt perfectior alia; ergo in infinitum perfectior erit infinita intenſiuè: & per conſequens non cauſata: quia repugnat infinito poſſe cauſari. Hæc patent ſubtiliter à Doctore in 2. lib. Metaphyſicæ ſuæ.

In indiuiduis eiuſdē ſpeciei non eſt ordo eſſentialis.

Non poſſunt eſſe infinitæ ſpecies, nec actu, nec potentia.

3. c *Si quis autem alius probat infinitatem ſpecierum.* Pro intellectione huius literæ declaro vnum, videlicet ſi omnia corpora cœleſtia poſſent redire ad vniformitatem, puta cœlum ſtellarum inceperit moueri in primo gradu Arietis: & ſic conſequenter omnia corpora inferiora in eodem gradu, tamen quia corpora inferiora perficiunt curſum ſuum, tranſeundo circulum obliquum diuerſimodè, vt patet: quia Sol in vno anno, Luna in vno menſe, & ſic de aliis: & ſi omnia iſta corpora ſimul poſſent redire, ita quòd in principio Arietis omnia coniungerentur: non poſſent eſſe infinitæ ſpecies: quia ſecundùm Ptolemæum redirent omnes effectus priores: quia redeunte eadem cauſa redit idem effectus. Si verò iſti motus eſſent incommenſurabiles, id eſt, quòd corpora iſta nunquam ſimul coniungantur, puta in principio Arietis, ergo erunt infinitæ coniunctiones: puta, quia Sol tantùm perficit curſum ſuum in vno anno, & Saturnus in triginta annis, poteſt coniungi cum Saturno in eodem ſigno, gradu, & minutis toties quòd contingit pertranſire Zodiacum: ita quòd aliquando coniungitur in principio Arietis, aliquando in Cancro: & ſic de aliis Planetis, & ſic patet quomodo poſſunt eſſe infinitæ coniunctiones, ſpecie diſtinctæ: & ſic cauſarent infinitos effectus ſpecie diſtinctos.

Nota.

Optima ſpeculatio.

4. d *Vltima probabilitas.* Probatio ſtat in aliquibus præſuppoſitis. Primò, quòd cauſa æquiuoca eſt eſſentialiter perfectior effectu: vt probat ſubtiliter Doctor *in* 4. *d.* 12. Secundò, quòd effectus perfectior æquiuocè productus requirit neceſſariò cauſam perfectiorem. Tertiò, quòd ſpecies ſunt ſicut numeri, vt patet 8. *Met. text. com.* 10. ita quòd vna ſpecies ſemper addit gradum perfectionis ad aliam: non enim poſſunt eſſe duæ ſpecies æqualis perfectionis. Si ergo vna cauſa quantùm in ſe eſt poteſt producere mille ſpecies, erit perfectior illa, quæ tantùm poteſt centum: quia quælibet requirit ſpecialem perfectionem in cauſa: ergo ſi aliqua poteſt ſimul producere infinitas, quantùm in ſe eſt, erit actu infinita. Licèt enim ſit impoſſibile eſſe infinitas ſpecies, nec actu, nec potentia, vt probat Doctor *in* 2. *Metaph.* propter incompoſſibilitatem talium effectuum, tamen ſi principium poteſt, in quantùm in ſe eſt, illas producere, erit æquè infinitum: quia iſta impoſſibilitas non erit ex parte primi effectiui, ſed ex parte effectuum. Sed primum effectiuum eſt huiuſmodi: hoc tamen Doctor iſta ratione non probat. Vult ergo quòd conſequentia iſta: *Primum mouet motu infinito, ergo eſt infinitum*, aliquo modo teneat, ſpecialiter tenet, quia primum poteſt producere infinita ſimul, quantùm in ſe eſt, quorum quodlibet requirit ſpecialem perfectionem in cauſa productiua.

e *Ex iſtis poteſt propoſitum ſic oſtendi.* Hæc ratio tenet ſupponendo vnum, ſcilicet Cauſabilia licèt ſimul non poſſint poni: ſi tamen ſint talia, quòd virtualiter contineantur in aliqua cauſa: ita quòd quodlibet cauſabilium requirat ſpecialem perfectionem in cauſa, & infinita talia poſſint in cauſis contineri. Sed hîc fortè eſt dubium, ſcilicet quòd infinita cauſabilia, quorum quodlibet requirit ſpecialem perfectionem in cauſa, poſſint contineri in aliqua vna cauſa: vel in pluribus. Et ſi ſint talia cauſabilia, licèt actu non poſſint eſſe ſimul, tunc ratio Doctoris concludit, & ſtat in hoc; valet quòd continentia virtualis, vel eminentialis eſt perfectior: vel ſaltem æquè perfecta continentia formali. Ex hoc enim Sol dicitur perfectior, quia virtualiter continet calorem, quàm ſi formaliter eſſet calidus, & ſic perfectius eſt primo effectiuo, quòd virtualiter contineat cauſalitatem omnis cauſæ ſecundæ, quàm ſi formaliter haberet illam: cùm ergo primum effectiuum, ex quo eſt eminentiſſimum, & ſimpliciter independens: & omnis cauſa ſecunda in agendo dependeat ab illo, vt ſuprà patuit: ſequitur quòd omnis cauſalitas ſecunda virtualiter, vel eminenter continetur in primo effectiuo, & cauſalitates cauſæ ſecundæ ſunt infinitæ, ſaltem ſucceſſiuè; ergo continens illas virtualiter, erit infinitæ virtutis, quia perfectio agendi ſumitur ex hoc, quòd agēs poteſt, & nō ex hoc, quòd actu agat, vt patet à Doct. 7. q. quodl. & ſic ſtat ratio Doctoris. 5.

Dubium.

Continentia virtualis eſt perfectior formali.

f *Si obycitur.* Doctor facit vnam inſtantiam, probando, quòd licèt primum virtualiter, & eminenter contineat cauſalitatem omnium ſecundarum cauſarum, non tamen ſequitur, quòd ſimul poſſit producere infinita cauſabilia, quia oportet probare, quòd ſit totalis cauſa omnium illorum, quod tamen non probatur: diceretur enim quòd licèt homo dependeat à primo effectiuo vt à cauſa prima: non tamen, vt à cauſa totali: quia ad productionem hominis, requiritur etiam alia cauſa maximè proxima, quia homo dependet ab homine, vt à cauſa proxima.

Homo dependet à primo effectiuo vt à cauſa prima, dependet autem ab homine, vt à cauſa proxima ſent. diſt. 2. q. 8.

Reſpondet dicens primò, quòd hoc nihil obſtat, quia ſi cauſa prima haberet ſimul, vnde eſſet totalis cauſa, &c. Poſſet etiam formari iſta ratio, ſicut & ratio prima de infinitis effectibus, ſolo numero diſtinctis, quòd ſi æquè perfectè poteſt ſimul producere infinitos, ſicut quemlibet ſeorsū, quòd erit infinitum, vt infrà patet reſpondendo ad obiectiones Achilini, & Franciſci Mayronis 6.

1. *Sent.*

1. *Sent. d. 2. quæst.* 8. vide ibi. Id est, quòd prima causa inquantum prima, si includeret in se formaliter omnem causalitatem causæ secundæ, esset formaliter causa totalis omnium: quia haberet in se causalitatem ignis, hominis, & huiusmodi, tamen non esset perfectior quàm nunc, vt est prima causa, id est, vt continet virtualiter omnem causalitatem secundam, id est, vt sit illud, in cuius virtute omnis causa secunda agit.

Deus nō producit immediatè suos effectus, quia determinauit producere omnia mediantibus causis secundis.

g *Tum etiam, quia ille secunda causæ*, &c. Sensus est: si enim causæ secundæ requirerentur ad maiorem perfectionem habendam in causando, tunc sequeretur, quòd effectus, qui distantiùs causatur à prima causa, id est, ad quem possibiles secundæ causæ concurrunt, esset perfectior, quod est falsum, immò effectus, qui esset immediatè à prima causa, secundùm viam Philosophorum, esset perfectissimus, quia effectus imperfectus non potest immediatè esse à prima causa. Nam imperfectio est à causis secundis, vt patuit suprà. Philosophi enim volunt, quòd primum effectiuum agat quicquid agit de necessitate naturæ, ergo producit effectum perfectum quantum potest, & sic ab ente perfectissimo agente secundùm totam virtutem suam, non potest immediatè esse imperfectio effectus; & si aliquis effectus est imperfectus, erit à secunda causa, & non à prima, videlicet quòd quamuis ille effectus sit à prima causa, sicut à secunda, imperfectio tamen tantùm secundæ causæ attribuitur.

Opinio Philosophorum de primo effectiuo, si aliquis effectus est imperfectus, illa imperfectio secundæ causæ debet attribui, nunquam primæ.

7. h *Tum etiam, quia tota perfectiones causarum secundarum*. Pro intelligentia huius literę pono tale exemplum, quòd ad causandum puta *G*, requirantur istæ causæ specie distinctæ, scilicet *A*, vt prima, *B* vt secunda, & sic deinceps, *C* tertia, &c. & quòd in *B* sit formaliter perfectio causandi vt quatuor, puta ad causandum *G* calidum vt quatuor, sit calor in *B* vt quatuor, & in *C* sit calor vt tria; si totus iste calor ponatur formaliter in *A*, videlicet calor vt septem, quid erit perfectius, an habere in virtute sua totum ipsum calorem, & esse id, in cuius virtute *B* & *C* agunt, quàm tantùm habere in se formaliter illum calorem? Certum est, quòd primum arguit maiorem perfectionem: quia vt sic non tantùm erit causa æquiuoca respectu *G* & respectu *B*, quæ semper est perfectior effectu: sed etiam erit illud in cuius virtute *B* & *C* agunt: sed si poneretur formaliter in *A*, tunc *A*, ratione illius caloris esset tantùm causa vniuoca: & hoc est quod dicit Doctor.

8. *Achelinus Bononien.* Sed aliqui in hoc passu dicunt rationes Doctoris per viam efficientiæ non concludere infinitatem intensiuam de primo effectiuo. Tum, quia ad concludendam talem infinitatem oporteret concludere, quòd infinitæ species sint possibiles: & quòd virtualiter contineantur in primo, quia quælibet species requirit aliam, & aliam perfectionem in agente. Sed Philosophi negarent infinitatem specierum esse possibilem, neque simul, neque successiuè.

Infinitas specierū secundū Philosophum est impossibilis, indiuidua sunt infinita successiuè.

Si diceretur, quòd si darentur infinita indiuidua in actu, puta infiniti homines: tunc essent infinitæ perfectiones in actu, & æquiuocæ continerentur in primo effectiuo: & sic posset concludi infinitas primi effectiui.

Franc. Mayronis in conflatu.

Vnus Doctor satis subtilis respondet, quòd perfectio indiuiduorum, aut mensuratur penes distantiam à non gradu speciei, & tunc conceditur antecedens, & negatur consequentia. Aut mensuratur penes distantiam à non gradu perfectionis, & tunc conceditur consequentia, scilicet quòd primum esset infinitæ virtutis: negatur antecedens, scilicet si infiniti homines existerent, infinitæ perfectiones essent.

Sed quicquid sit de ista responsione, dubium nullo modo euacuatur: quia effectus æquiuocus de necessitate arguit perfectionem in causa, loquendo de effectu absoluto: & posito quòd duo homines sint æquales in perfectione, & quòd tanta perfectio requiratur in productione vnius, quanta in productione alterius: & sic eadem virtus vt 8. quæ requiritur ad productionem vnius, est sufficiens ad productionem alterius: & sic eadem esset ratio producendi, etiam infinitos homines. 9.

Improbatio eiusdem. Effectus æquiuocus arguit perfectionem in causa.

Sed difficultas stat in hoc, an maior perfectio requiratur in agente, quando producit duos effectus simul æquè benè, & æquè perfectè, sicut si tantùm vnum produceret: quia si duos potest producere simul æquè benè, sicut & quemlibet seorsum: sequitur quòd simul posset producere infinitos æquè benè, sicut vnum illorum; & quòd hoc sequatur aliàs probaui exponendo *quæst.* 10. *dist.* 3. *secundi*. Sed hoc videtur inconueniens: & sic patet quòd responsio huius Doctoris non euacuat difficultatem. Et ex hoc patet responsio illorum minùs quàm sufficiens: quòd licèt posset producere infinitos effectus successiuè: ergo & simul: & tamen non esset infinitæ virtutis: quia si calori apponerentur successiuè in infinitum calefactibilia, causaret infinitos calores successiuè: ergo quantum est ex parte sua, & simul causaret: patet, quia causato primo calore, non aduenit sibi noua perfectio, ad causandum secundum calorem.

Respondeo, quòd quamuis in causatione secundi caloris non adueniat calori causanti, nec requiratur noua perfectio: tamen si posset causare duos calores simul ęquè perfectè, sicut & vnum illorum: dico, quòd requireretur maior virtus: & sic si non esset impeditus, cùm sit agens naturale, æquè benè causaret infinitos, sicut & vnum illorum; sed quia experimentaliter videmus, quòd non ita æquè benè simul causat duos, amoto quocunque impediméto, sicut vnum illorum, signum est, quòd maior virtus requiritur: & si infinitos æquè benè, infinita virtus requiritur. Nec iudicio meo, ad euitandum infinitatem, non valent istæ instantiæ de Sole, si duraret in infinitum, causaret effectus infinitos: & cùm habeat totam virtutem simul, virtualiter continet illos simul. Et similiter intellectus noster potest partialiter producere infinitas intellectiones successiuè, & semper remanet eadem virtus; ergo simul virtualiter continet illas, & tamen non est formaliter infinitus. 10. *Responsio.*

Patet responsio ex supradictis, quòd tantùm continet illos successiuè, & si contineret duos æquè benè, & æquè perfectè, sicut vnum illorum, esset maioris perfectionis: & sic non oporteret recurrere ad vitandas istas instantias, quòd secunda causa in alio, & in alio instanti habet aliam, & aliam virtutem à Deo: vt patet per Augustinum 8. *super Genesim*. Et de hoc vide Scotum *in* 2. *dist.* 1. *&* 2. *& quæst.* 12. *quodlib.* Et sic respectu alterius, & alterius effectus, erit alia, & alia virtus: sed sic non erit de primo effectiuo: sed patet ex supradictis, quòd si eam eadem virtute posset producere infinitos effectus successiuè: non tamen sequitur, quòd simul.

i *Iuxta istam viam.* Hic Doctor adducit rationes quorundam ad demonstrandum infinitatem primi effectiui, & probant sic primò: Primum effectiuum habet virtutem creatiuam: ergo est infinitæ potentiæ: patet consequentia, quia inter extrema creationis, scilicet *esse* & *non esse* est distantia infinita.

6. *Deum de nihilo aliquid creare dupliciter intelligitur.*

k *Sed hoc antecedens.* Pro ista litera nota quòd hoc antecedens, scilicet, quòd *Deus potest creare*, id est, de nihilo aliquid facere: si exponatur sic, quòd potest facere aliquid de nihilo, vt ly *nihil* præcedit duratione ipsum *esse*: tunc est tantùm creditum: quia Philosophi simpliciter negarent aliquid de nouo posse fieri ex nihilo. Nam quicquid de nouo fit, quod non sit sempiternum, nec necesse esse, de necessitate erit à secunda causa, concurrente tamen prima: & secunda causa semper præsupponit materiam in sua actione.

Si dicatur quòd anima intellectiua est immediatè à Deo, & de nihilo, & de nouo producitur: vt patet per Philosophos, ergo verè creatur.

Dico, quòd non verè creatur, quia anima intellectiua nō alia actione producitur in *esse*, quàm producatur totum compositum; vt aliàs exposui in 2. & diffusiùs exponetur *in* 4. *dist.* 43. vbi ista materia copiosè pertractatur à Doctore. Aut exponitur sic, vt ly *nihil* præcedit *esse* in aliquo instanti naturæ tantùm, non durationis: tunc secūdùm Auicennam hoc antecedens non erit creditum: quia secunda intelligentia est sic causata à prima: & sic *non esse* ipsius in aliquo instanti naturæ præcessit *esse*: intelligendo tamen de instanti naturæ priuatiuè, non positiuè, vt habet exponi infrà *dist.* 8. *quæst. vlt. & clariùs declarat Doctor in* 2. *d.* 1. *quæst.* 2. Nam si in instanti naturæ positiuè *non esse* præcederet *esse*: sequeretur quòd etiam præcederet duratione, vt aliàs exposui suprà *dist.* 3. *tertij Sent.* Sed hoc non sequitur accipiendo tantùm priuatiuè: & sensus est, quòd si in instanti *A*. Intelligentia secunda non haberet *esse*: *non esse* quantum est ex se præcederet ipsum *esse*: accipiendo ergo hoc antecedens sic: Aliquid producitur de *non esse* ad *esse*: ergo creatur: negatur consequentia: quia creare propriè requirit extrema mutationis, id est, quòd mutetur de *non esse* prius duratione ad *esse* posterius duratione, & quando *non esse* non præcedit duratione ipsum *esse*: ibi nulla est mutatio, siue nouitas. Hoc etiam patet de filio Dei. Nam *non esse* eius prius origine præcessit *esse* eius, quia tamen non præcedit prius duratione: ideò non dicitur mutari, nec creari.

Non esse præcedis esse priuatiuè, non positiuè.

SCHOLIVM.

Ostensa infinitate primi entis per viam efficientiæ, probat eandem per secundam viam cognitionis distinctæ. 1. *quia cognoscit simul infinita, omnia scilicet quæ nos successiuè cognoscere possumus.* 2. *ratio cognoscendi primi entis, id est, obiectum, seu natura sua, est infinitorum distinctè.* 3. *causa secunda, nihil perfectionis cognoscibilitatis addit natura prima.*

30. *Supponit omnia à Deo intelligi, quod probat inf. d. 3. q. 4. & d. 39. & 30. & 2. d. 1. q. 1.*

OStenso proposito [a] per viam primæ efficientiæ per rationem Philosophi, quia illa prima efficientia infert infinitatem.

Sequitur secunda via, ex hoc, quòd est intelligens distinctè omnia factibilia, vel intelligibilia, vbi arguo sic: Intelligibilia sunt infinita, & hoc actu, in intellectu omnia intelligente: ergo intellectus illa simul actu intelligens est infinitus: talis est intellectus diuinus, vt suprà probatum est in conclusionibus de *intelligere* primi.

Anima Christi fortè videt infinita secūdùm Scot. 3. d. 14. q. 2. tamen id nō habet ex se.

Huius Enthymematis probo antecedens, & consequentiam. Antecedens sic [b]: quæcunque sunt infinita in potentia, ita quòd accipiendo alterum post alterum nullum possunt habere finem, illa omnia si simul actu sunt, sunt infinita actu: intelligibilia sunt infinita in potentia respectu intellectus creati; satis patet, & in intellectu increato sunt simul omnia intellecta actu, quæ à creato sunt successiuè intelligibilia; ergo sunt ibi actu infinita intellecta. Huius Syllogismi maiorem sic probo; licèt satis euidens videatur, quia omnia talia acceptibilia, quando sunt simul existentia, aut sunt actu infinita Si actu finita; ergo accipiendo alterum post alterum, tandem possunt omnia esse accepta actu, ergo si non possunt omnia actu esse accepta, si actu simul sunt, sunt actu infinita. Consequentiam [c] primi Enthymematis sic probo; quia vbicunque pluralitas requirit, vel concludit maiorem perfectionem quàm paucitas, ibi infinitas numeralis concludit infinitam perfectionem.

De ratione intelligendi formali, & virtuali, id est specie intellig. Scot. quodl. 14.

Exemplum, posse ferre decem maiorem perfectionem requirit virtutis motiuæ, quàm posse ferre quinque, ideò posse ferre infinita concludit infinitam virtutem motiuam, ergo in proposito, cùm *intelligere A*, sit aliqua perfectio, & *intelligere B*, sit alia perfectio, nunquam idem *intelligere* erit ipsius *A*, & *B*. æquè distinctè, vt duo *intelligere* essent, nisi imperfectionem duorum *intelligere* in illo vno eminenter includantur, & sic de tribus, & sic vltrà de infinitis.

Essentia diuina est ratio intelligēdi sui, & omnium intellectui suo, sed nullius intellectui creato. Scot. quodl. 14. & 14. & 2. d. 3. q. 9.

Consimiliter etiam [d] de ipsa ratione intelligendi arguetur sicut de intellectu, & actu argutum est; quia maior perfectio concluditur in ratione intelligendi ex pluralitate illorum, quorum est ratio intelligendi distinctè, quia oportet quòd includat eminenter perfectiones omnium propriarum rationum intelligendi, quarum quælibet secundùm propriam rationem aliquam perfectionem ponit: ergo infinitatem concludunt infinita.

Secundò, iuxta [e] istam viam de *intelligere* primi, propositum sic ostendo: causa prima,

ma, cui secundùm vltimum suæ causalitatis causa secunda aliquid perfectionis addit in causando, non videtur sola posse sine secunda ita perfectum effectum causare, sicut ipsa cum secunda; quia causalitas sola primæ causæ diminuta est respectu causalitatis ambarum; ergo illud, quod natum est esse à causa secunda & prima simul, sit multò perfectiùs à sola prima, causa secunda nihil perfectionis addit primæ: sed omne finitum omni finito additum, addit aliquam perfectionem: ergo talis prima causa est infinita.

Ad propositum, notitia cuiuscunque obiecti nata est gigni ab ipso sicut à causa proxima, & maximè illa, quæ est visio, siue intellectio intuitiua; ergo si illa alicui intellectui inest sine actione quacunque talis obiecti, sed tantummodo ex virtute alterius obiecti prioris, quod natum est esse causa superior respectu talis cognitionis: sequitur, quòd illud obiectum superius est infinitum in cognoscibilitate, quia inferius nihil sibi addit in cognoscibilitate; tale obiectum superius est natura prima, quia ex sola præsentia eius apud intellectum primi, nullo alio obiecto concausante, est notitia cuiuscunque obiecti in intellectu eius, sicut probabatur suprà in conclusionibus de *intelligere* primi. Igitur nullum aliud intelligibile aliquid sibi addit in cognoscibilitate; ergo est infinitum sic: ergo & in entitate, quia vnumquodque sicut ad *esse* se habet, sic ad cognoscibilitatem *ex 2. Metaphysic.* Text. 4.

COMMENTARIVS.

1. *Scotus hic probat aliquod ens esse infinitum.*

a Ostenso *proposito.* Hîc Doctor intendit probare infinitatem primi effectiui, ex hoc, quòd distinctè intelligit omnia intelligibilia: & dicit plura in ista litera, ex quibus infert propositum. Primum est ibi: *Intelligibilia sunt infinita, & hoc actu in intellectu omnia intelligente.* Hanc propositionem probat parum infrà ibi: *Antecedens sic.*

b *Quæcunque sunt infinita in potentia*, &c. Hîc vult probare, quòd infinita intelligibilia actu sunt in intellectu diuino: & probatio stat in hoc: quia intellectus creatus potest successiuè infinita intelligere, accipiendo vnum post aliud, puta, si generatio indiuiduorum in infinitum continuaretur, & intellectus creatus in infinitum duraret, posset infinita indiuidua successiuè intelligere: & sic in tali intellectu non essent simul actu omnia intelligibilia, nec actu simul omnia intellecta; sed benè in intellectu diuino sunt actu infinita intelligibilia simul, & etiam infinita intellecta, quæ tamen successiuè sunt in intellectu creato.

2. c Secundum est ibi: *Consequentiam primi enthymematis sic probo.* Infert ergo Doctor quòd *intelligere* primi effectiui, ex quo est actu infinitorum intelligibilium sit infinitæ perfectionis, & hoc est, quod dicit in ista litera.

Nota tamen quòd quando dicit quòd *infinita intelligibilia sunt actu in intellectu diuino, puta infiniti homines, vel infiniti lapides*: hoc non debet intelligi quòd sint ibi intelligibilia ex natura rei: quia sola essentia diuina est sic intelligibilis ab intellectu diuino; quoniã intelligibile propriè ex natura rei semper præcedit actũ intelligendi: quia tale pertinet ad memoriam, quæ est productiua actus. Sunt enim omnia intelligibilia creata actu intelligibilia per actum intellectus diuini, quòd enim lapis dicatur esse intelligibilis, hoc habet ab actu intellectus diuini: quia ante illũ actum nullum *esse* habet, nec simpliciter, nec secũdùm quid, nec possibile, vt diffusè patet à Doctore *in 1. d. 3. q. 4. d. 35. 36. dist. 43. & in 2. d. 1. q. 1. in quodlib. 14 &* diffusiùs *quæst.* 15. & sic quia omnia intelligibilia actu intellectus diuini simul producuntur in esse tali: & quia illa sunt infinita, vt dixi suprà, sequitur quòd infinita intelligibilia actu sunt in intellectu diuino, & actu sunt cognita. Vt verò ista intelligibilia comparantur ad intellectum creatum, sunt ibi intelligibilia ex natura rei, cùm præcedant actum intellectus creati, & possunt pertinere ad memoriam productiuam verbi, siue intellectionis perfectæ, vt patet à Doctore *in 1. dist. 3. quæst. 2. & 27. dist. & in quodlib. quæst. 15. & in 2. dist. 3. in materia de cognitione Angelorum.* Item in hoc quod dicit Doctor quòd *intellectus diuinus actu intelligit infinita*: licèt multi credentes sequi viam Aristotelis dicant primum effectiuum nihil intelligere extra se, tamen Doctor pro nunc supponit, quòd perfectissimè intelligat omnia intelligibilia: & aliqualiter probat in prologo in illa quæstione, *An Theologia sit de omnibus entibus.* Sed diffusè hoc patet in primo *dist. 3. quæst. 4. dist. 15. & 30. & 39. in 2. dist. 1. quæst 1. & in quodlib.* *Intellectus diuinus actu intelligit infinita.*

Istis præsuppositis patet, quòd intellectio primi effectiui est formaliter infinita: & arguo sic: Continens virtualiter, vel eminenter infinitas perfectiones, est formaliter infinitum: sed intellectio primi effectiui, vt est infinitorum intelligibilium continet eminenter infinitas intellectiones: patet, quia quodlibet intelligibile natum est intelligi propria intellectione ab intellectu creato, & illa dicit perfectionem cùm sit entitas absoluta de Prædicamento Qualitatis, vt patet subtiliter à Doctore *quæst. 13. quodlib.*

Circa hoc tamen occurrit difficultas: quia tunc videtur sequi quòd visio animæ Christi, quæ simul potest esse infinitorum obiectorum, vt patet à Doctore *in 3. dist. 14. quæst. 2.* possit esse formaliter infinita. Dico, quòd hoc non sequitur: quia non necessariò ex perfectione sua esset obiectorum secundariorum, posset enim esse visio vnius obiecti tantùm, & non alterius: sed visio diuina ex perfectione sua est necessariò sui, & aliorum: & sic respondet Doctor *in 3.* vbi suprà. 3. *Diffi. de visione animæ Christi.* *Responsio.*

Sed ista responsio videtur contradicere probationi, quia probat *intelligere* primi esse infinitum. In tertio enim dicit, quòd ex perfectione sua necessariò est aliorum, & per consequens infinitorum: & hîc dicit quòd ideò est infinitæ perfectionis, quia est infinitorum obiectorum.

Dico, quòd non est contradictio aliqua, si rectè intelligatur. Nam quando dicit *in tertio*, quòd ex perfectione talis actus, de necessitate est aliorum obiectorum, sic debet intelligi, quòd ille actus etiam per possibile, vel impossibile, circumscripto omni alio intelligibili à se, nullam imperfectionem includit: immò summam perfectionem, *Videtur contradictio. Solutio.*

ctionem, cùm *intelligere* primi, quod est optimum ens, sit penitus idem cum ipso primo: & ex tali perfectione sequitur quòd sit omnium intelligibilium; ita quòd si darentur aliqua intelligibilia, & nòn esset illorum, ad ipsum concomitaretur aliqua imperfectio, vt patebit *in primo dist.* 39. Hîc verò probat perfectionem primi *intelligere* tantùm à posteriori. Sicut etiam probatur perfectio primi effectiui sic: Infinita producibilia possunt simul produci à primo effectiuo: ergo est infinitæ perfectionis. Sic similiter infinita intelligibilia simul actu sunt intellecta per *intelligere* primi: ergo illud est infinitum.

4. *Obiectio.* Si dicatur, quòd hæc probatio videtur à priori, quia per causam: tum, quia actus intelligendi specificatur ab obiecto, vt patet à Doctore *in primo, d.* 3. *quæst.* 7. Tum etiam, quia obiectum concurrit actiuè ad intellectionem, vt patet à Scoto *in prolog. q.* 1. *& vlt. & dist.* 3. *q.* 7. *& alibi sæpè.*

Solutio. Dico breuiter, quòd hoc verum est de obiecto ex natura rei, pertinente ad memoriam, quod est motiuum intellectus; sed huiusmodi intelligibilia, respectu intellectus diuini, non sunt obiecta ex natura rei: nec per consequens possunt mouere intellectum diuinum. Sola enim essentia diuina mouet intellectum diuinum (loquendo de motione tantùm extensiua, quia non propriè mouet) ad cognitionem sui, & aliorum, vt clarè patet ex Doctore *in prologo quæst. penult. & dist.* 20. *primi.* *Sola essentia diuina mouet intellectum diuinum, quomodo.*

Dubium. Secundò dubitatur, quia non videtur sequi, quòd si *intelligere* primi est infinitorum obiectorum: ergo est infinitæ perfectionis. Sicut etiam secundùm multos, non sequitur: primum effectiuum, vt causa æquiuoca simul virtualiter continet infinitos homines: ergo est infinitæ perfectionis? non sequitur, vt dixi suprà. Oporteret ergo hîc probare quòd *intelligere* primi virtualiter continet, vel eminenter infinitas intellectiones, quarum quælibet specialem includit perfectionem in *intelligere* primi: & hoc non potest esse, nisi illæ intellectiones specie distinguantur. Nam si tantùm numero, videtur sequi quòd si *intelligere* primi sit perfectum vt 8. & perfectè sit vnius hominis, ita videtur quòd etiam infinitorum hominum: patet, quia intellectio, puta Francisci, nata est esse vt quatuor: & similiter Ioannis vt quatuor, & sic de aliis; non sic quando specie distinguũtur: quia vna necessariò est perfectior alia.

Responsio. Respondeo pariformiter ad dicta superiùs, quòd maior perfectio requiritur in aliqua intellectione, quæ ex natura sua æquè distinctè, & æquè perfectè simul est duorum obiectorum, solo numero differentium, sicut est vnius tantùm; & si infinitorum æquè perfectè, erit infinitæ perfectionis: quamuis ergo vnum *intelligere*, quod potest esse plurium obiectorum, non æquè perfectè sicut vnius tantùm, non requirat necessariò maiorem perfectionem; non tamen sic est, quando ita benè, & ita perfectè, & ita distinctè est plurium, sicut vnius tantùm; in proposito autem *intelligere* primi æquè benè, & æquè perfectè, & æquè distinctè est infinitorum intelligibilium solo numero differentium, sicut vnius tantùm, ergo.

5. *Alia responsio.* Dico secundò, quòd non haberem pro inconuenienti, quòd *intelligere* primi sit actu infinitorum obiectorum specie differentium, etiam sustinendo viam naturalium: quia in numeris est processus in infinitum: & quilibet numerus specie distinguitur ab alio numero; & cùm infiniti numeri sint successiuè intelligibiles ab intellectu creato, infinitæ erunt species numerorum actu intelligibiles: immò actu intellectæ ab intellectu diuino. Sed hoc differatur vsque ad *dist.* 39. huius primi. Vide tamen quæ exposui in secundo Metaph. Doctoris, scilicet quomodo intelligitur, quòd non possunt esse infinitæ species: nec simul, nec successiuè: quia in infinitum, perfectior esset formaliter infinita: & an hoc intelligatur de speciebus numerorum.

d *Consimiliter etiam de ipsa ratione intelligendi;* &c. Hîc Doctor intendit probare, quòd etiam ratio intelligendi respectu intellectus diuini sit formaliter infinita. Sed primò declaro quid sit ratio intelligendi: eodem modo potest declarari ratio intelligendi, sicut declaratum est de ratione formali subiecti. Quando hîc dicit. *Ratio formalis intelligendi debet sic accipi: videlicet pro ratione formali obiecti intelligibilis: sicut dicimus, homo est obiectum intelligibile.* Si quæratur, quæ est ratio formalis constituendi ipsum in tali *esse*? Oportebit dicere, quòd erit quiditas propria. Ratio ergo formalis intelligendi est ratio formalis obiecti intelligibilis: & hoc potest dupliciter intelligi conformiter ad obiectum. Primò dicitur ratio formalis repræsentatiua obiecti, id est, quæ facit obiectum esse præsens potentiæ in ratione obiecti. Sicut dicimus, quòd species intelligibilis est ratio formalis repræsentandi hominem, in ratione obiecti intelligibilis, & hoc in cognitione abstractiua: in cognitione verò intuitiua, dicimus, quòd ratio formalis repræsentatiua hominis, erit propria existentia hominis, vel fortè propria quiditas hominis: in *esse* tamen reali, non autem in *esse* obiectiuo, siue secundùm quid: de hoc vide quæ prolixè tractaui in quodl. vbi de hac materia sunt singularia dubia. 6. *Ratio formalis intelligendi quid sit.*

Nota tamen, quòd ratio repræsentandi est duplex, tam in cognitione abstractiua, quàm in cognitione intuitiua: videlicet formalis, & virtualis: vt patet à Doctore *quæst.* 14. *quodlib.* Formalis in cognitione abstractiua est species intelligibilis causata ab obiecto, cuius est, vel à phantasmate illius. Virtualis est species intelligibilis, causata ab aliquo, virtualiter continente entitatem obiecti, cuius est talis species. Sed formalis in cognitione intuitiua est propria entitas (sub ratione, quâ actu existit) obiecti intuitiuè cognoscibilis. Sed virtualis est entitas virtualiter, siue eminenter continens entitatem alterius obiecti, intuitiuè cognoscibilis: quia tunc immediatè potest causare cognitionem intuitiuam talis obiecti, & sic essentia diuina est ratio formalis, non tantùm repræsentatiua sui in ratione obiecti, sed etiam cuiuscunque alterius, tam respectu cognitionis abstractiuæ, quàm intuitiuæ: sic tamen intelligendo, quòd respectu intellectus sui, ex natura sua, est tantùm sui repræsentatiua: & hoc solum respectu cognitionis intuitiuæ: respectu verò intellectus creati essentia diuina, nec sui, nec alterius est repræsentatiua, vt patet à Doctore *quæst.* 14. *&* 19. *quodlib.* Sed sola voluntas diuina potest ipsam perfectè repræsentare tam in cognitione abstractiua, causando speciem intelligibilem in intellectu creato: vt patet in Angelis, de qua specie Doctor *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. quàm etiam in cognitione intuitiua: & tunc dicitur repræsentare in cognitione intuitiua, quando actu causat visionem illius in intellectu creato, & sic 7. *Ratio repræsentandi est duplex. Notitia verò abstractiua est rei absentis.* *Quomodo essentia diuina sit ratio formalis.*

sic intellectus creatus habet ipsam essentiam præsentem, non in se, & absolutè, sed vt visam, vt patet à Scoto *in quodlib. quæst.* 14. *&* 18.

8. *Intellectus creatus habet essentiam diuinam præsentem, non in se, & absolutè, sed vt visam.*

Secundò principaliter ratio intelligendi, siue ratio obiecti intelligibilis, potest accipi pro ratione formali, productiua actus intelligendi: & hæc ratio posset pariformiter distingui, sicut prima: sed breuitatis causa hoc relinquo: vtraque tamen ratio includit perfectionem aliquam. Posset ergo argui infinitas essentiæ diuinæ, primò, ex hoc, quòd est ratio formalis repræsentandi infinita obiecta in cognitione abstractiua: quia quantum est ex parte sua, posset causare infinitas species intelligibiles infinitorum hominum: & sic esset formaliter infinita. Probat enim Doctor *in 2. dist. 3. quæst. 9.* contra Henricum quòd si aliquis habitus esset repræsentatiuus infinitorum obiectorum, esset formaliter infinitus. Secundò, probatur idem ex hoc, quòd est ratio formalis cuiuscunque obiecti intelligibilis, quantum ad hoc, quòd potest causare cognitionem tam abstractiuam, quàm intuitiuam cuiuscunque intelligibilis, & formetur ratio, vt priùs.

e *Secundò iuxta istam viam.* Tota ista ratio stat in hoc: Potens causare cognitionem infinitorum obiectorum, quorum quodlibet requirit aliquam perfectionem (dicit specialem perfectionem, vt est ratio formalis causandi intellectionem sui in aliquo intellectu) est perfectionis infinitæ, & hoc si potest causare æquè distinctè, & æquè perfectè, sicut obiecta illa possent causare: sed essentia diuina in intellectu diuino est huiusmodi, quia actu producit, siue quasi producit, non tantùm cognitionem sui, sed simpliciter cognitionem omnium intelligibilium. Hæc est manifesta ex supradictis.

9. Sed dubitatur, quia ex hoc videtur posse concludi, quòd intellectus creatus sit formaliter infinitus, sicut aliqui contra Doctorem instant: quia supponendo, quòd dicit Doctor *in dist.* 3. *quæst. 7. primi, & in* 15. *quæst. quodlib.* quòd intellectus concurrat actiuè ad cognitionem omnium obiectorum, etiam specie differentium, loquendo pro nunc de obiectis creatis: tunc sic si ponerentur in vniuerso infinitæ species intellectiones illarum essent specie distinctæ, vt patet; & essent infinitæ, si actu intelligerentur illæ species, ita quòd quælibet concurrerent ad sui cognitionem: ergo videtur quòd intellectus creatus virtualiter contineat infinitas intellectiones specie distinctas, & sic formaliter infinitus.

Dico, quòd si contineret, vt causa totalis posset concludi infinitas illius: sed tantùm continet vt causa partialis.

Si dicatur quòd saltem continet illas, vt causa principalis. Concedo, comparando intellectum ad obiecta imperfectiora: quia si obiectum esset perfectius intellectu, esset principalis causa intellectionis: vt patet à Doctore *in primo dist.* 3. *quæst.* 1. tunc vltrà, si continet vt causa principalis: ergo videtur quòd sit infinitus. Patet consequentia, quia entitas specifica intellectionis principaliter erit ab intellectu, cùm sit causa principalis.

Dico primò, quòd non est verum, nisi de causa totali. Secundò dico, quòd quamuis intellectus sit principalis causa intellectionis, & quantum ad substantiam illius, & quantum ad intensionem: tamen vnitas specifica intellectionis est principaliter ab obiecto, vt patet à Doctore *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 7. vbi vult quod intellectio specificetur ab obiecto: immò vult expresse Doctor *in* 2. *dist.* 25. *& in* 3. *dist.* 21. *& in* 4. *dist.* 49. quòd alia, & alia præsentia obiecti causat alium, & alium actum, specie distinctum. Nam si obiectum est in se præsens, causat cognitionem intuitiuam: si verò est tantùm præsens in specie intelligibili, causat cognitionem abstractiuam, quæ cognitiones specie distinguuntur: vt patet à Doctore *dist.* 25. *secundi.* & tamen semper remanet idem intellectus respectu vtriusque intellectionis: specificatio ergo intellectionis est ab ipso obiecto principaliter. Hoc vide clariùs *in secundo dist.* 2. *quæst.* 10.

SCHOLIVM.

Probat infinitatem per tertiam viam finis, quia voluntas nostra aliquid maius, omni finito appetit, & si infinitum esset oppositum suo obiecto, id est, bono, illud odiret naturaliter, sicut odit non esse, secundùm August. quod tamen est contra experientiam.

Tertia via ex parte finis arguitur sic: Voluntas nostra omni finito aliquid maius potest appetere, & amare, sicut intellectus intelligere, & quod plus est, videtur inclinatio naturalis ad summè amandum bonum infinitum. Nam inde arguitur inclinatio naturalis ad aliquid in voluntate, quia ex se sine habitu promptè, & delectabiliter vult illud voluntas libera. Ita videtur, quòd experimur de actu amandi bonum infinitum: immò non videtur voluntas in alio perfectè quietari, & quomodo illud non naturaliter odiret si esset oppositum sui obiecti, sicut naturaliter odit *non esse*, secundùm Augustinum *de lib. arbit. cap. 2.* Videtur enim quòd si in infinitum repugnaret bono, quòd nullo modo voluntas quietaretur in bono, sub ratione infiniti, nec in illud faciliter tenderet, sicut nec in repugnans suo obiecto. 31.

Confirmatur ista ratio in sequenti via per simile de intellectu.

COMMENTARIVS.

1. *Tertia via.* Hîc Doctor per rationem finis probat primum effectiuum esse infinitæ perfectionis: & ratio stat in hoc, quia appetitus naturalis nullo modo est ad impossibile, vt patet à Doctore *in* 1. *d.* 45. sed voluntas naturalis, naturaliter appetit infinitum bonum, vt patet: quia dato quocunque bono infinito, non summè quietatur: nam si bonum infinitum non esset conueniens voluntati naturali, statim illud refugeret, cuius oppositum experimur. Dicit etiam loquendo de voluntate rationali: sic experimur in nobis, quòd sine quocunque habitu, acquisito,

vel infuso, valde delectabiliter appetit, & vult actu elicito in ente infinito quietari: quia dato quocunque ente finito, adhuc delectabiliter appetit infinitum.

Nec iudicio meo soluunt rationem Doctoris illi, qui dicunt respondendo ad hanc rationem, quòd oportet priùs probare ens infinitum esse possibile, ad hoc vt appetitus naturalis possit illud appetere; & similiter cùm dicunt de appetitu rationali, quòd ratio non concludit, quia voluntas potest esse impossibilium, vt patet 3. *Ethic. cap. 5.* & hoc expresſè vult Doctor *in 2. dist. 6. & in 4. dist. 49.* De appetitu naturali non est necesse probare illi, an appetibile ab ipso sit possibile, cùm talis appetitus simpliciter præcedat omnem cognitionem, vt patet à Doctore *in primo Metaph. & in 2. & in 4. Sent.* Præterea, cùm inclinatio naturalis sit maior quacunque inclinatione cuiuscunque habitus: vt patet *in 4. dist. 49.* & valde inclinamur ad bonum infinitum: sequitur quòd tale bonum est possibile in rerum natura. Et cùm vltrà dicunt, quòd etiam voluntas rationalis est impossibilium: verum est, loquendo de volitione conditionata, siue de volitione non efficaci, vt Doctor declarat *in 2. dist. 6. & in 4. dist. 48.* sed loquendo de volitione sequente syllogismum practicum, siue de volitione efficaci non est respectu impossibilium, vt probat vbi suprà. Cùm ergo intellectus, ex natura intellectus habeat ens, inquantum ens, pro obiecto adæquato, saltem ad quod naturaliter inclinatur, vt patuit *in quæst. 1. prolog.* & Doctor etiam declarat *in 14. quodlib.* Cùm intellectus ergo non abhorreat bonum infinitum: immò delectabiliter illi assentiat: sequitur quòd voluntas sequendo talem cognitionem intellectus in volendo, huiusmodi bonum non erit respectu impossibilis, sed respectu possibilis.

SCHOLIVM.

Probat infinitatem per quartam viam eminentiæ. Primò, omni finito non repugnat dari maius; sed eminentissimo maius esse repugnat. Secundò non repugnat infinitas enti: ergo eminentissimum, habet eam. Tertiò non repugnat infinitas quantitati molis. Quartò intellectus non refugit ab infinito, sicut audiens à disconuenienti sono: ergo conuenit suo obiecto. Quintò, quia summum cogitabile, seu cognoscibile existit.

Quarta via ab eminentia. QVarta via ex parte [a] eminentiæ arguo sic: Eminentissimo incompossibile est aliquid esse perfectius, sicut priùs patuit: finito autem non est incompossibile aliquid esse perfectius, quare, &c. Minor probatur, quia infinitas non repugnat enti: omni finito maius est infinitum, quare, &c.

Aliter arguitur, & est idem: Cui non repugnat infinitas intensiuè, illud non est summè perfectum, nisi sit infinitum: quia si est finitum, potest excedi, vel excelli, si infinitas sibi non repugnat: enti autem non repugnat infinitas: ergo perfectissimum ens est infinitum. Minor huius consequentiæ, quæ etiam in præcedenti argumento accipitur, non videtur à priori posse probari, vel ostendi: quia sicut contradictoria ex rationibus propriis contradicunt, nec potest per aliquid manifestius hoc probari: ita non repugnantia ex rationibus propriis non repugnant: nec videtur posse ostendi, nisi explicando rationes ipsorum: ens autem per nihil notius explicatur: infinitum intelligimus per finitum, & hoc vulgariter sic expono: Infinitum est, quod aliquod finitum datum secundùm nullam habitudinem finitam præcisè excedit, sed vltra omnem habitudinem assignabilem excedit adhuc. Sic tamen propositum suadetur, sicut quodlibet ponendum est possibile, cuius non apparet impossibilitas, ita & compossibile, cuius non apparet incompossibilitas: hìc nulla apparet incompossibilitas, quia de ratione entis non est finitas, nec apparet ex ratione entis, quòd sit passio conuertibilis cum ente: alterum enim istorum requiritur ad repugnantiam prædictam: passiones verò primæ entis, & conuertibiles, satis videntur sibi notæ inesse.

Contradictoria quomodo contradicunt. 3. Physic. t. 65. Quid sit infinitum? Infinitas nō est de ratione entis.

Secunda persuasio Scoti. Item, sic suadetur [b]: Infinitum suo modo non repugnat quantitati, id est, in accipiendo partem post partem: ergo nec infinitum suo modo repugnat entitati, id est, in perfectione simul essendo.

3 c. 3. Physic. t. 31. Item, si quantitas virtutis est simpliciter perfectior quàm quantitas molis: quare erit possibilis infinitas in mole, & non in virtute? sed si est possibilis, est & actu, sicut patet ex tertia conclusione suprà, de primitate effectiui.

Item, quare intellectus, cuius obiectum est ens, nullam inuenit repugnantiam intelligendo aliquod infinitum? immò videtur perfectissimum intelligibile. Mirum est autem, si nulli intellectui talis contradictio patens fiat circa eius primum obiectum, cùm discordia in sono ita faciliter offendat auditum: si enim est disconueniens, statim percipitur, & offendit, cur nullus intellectus ab intelligibili infinito naturaliter refugit, sicut à non conueniente, immò suum obiectum primum destruente?

Per illud potest colorari illa [c] ratio Anselmi de summo cogitabili, *Prosol. 1.* & intelligenda est eius descriptio sic, Deus est, quo cogitato sine contradictione maius cogitari non potest, sine contradictione. Et quod addendum sit, *sine contradictione*, patet: nam

nam in cuius cogitatione includitur contradictio, illud dicitur non cogitabile: quia tunc sunt duo cogitabilia opposita, nullo modo faciendo vnum cogitabile, quia neutrum determinat alterum. *Incogitabile quid dicatur.*

Summum cogitabile [d] prædictum, sine contradictione esse in re, probatur, primò, de *esse* quiditatiuo, quia in tali cogitabili summo summè quiescit intelligens: ergo in ipso summè est ratio primi obiecti intellectus. Scilicet, entis, & hoc in summo. & arguitur vltrà, quòd illud sit loquendo de *esse* existentiæ: quia summè cogitabile non est tantùm in intellectu cogitante, quia tunc posset esse, quia est cogitabile possibile, & non posset esse: quia repugnat rationi eius esse ab alia causa, sicut patuit priùs in secunda conclusione de primo effectiuo. Maius igitur cogitabile est, quod est in re, quàm quod est tantùm in intellectu. Non est autem hoc sic intelligendum, quòd idem, si cogitetur, per hoc sit maius cogitabile si existat: sed omni, quod est in intellectu, tantùm maius est aliquod cogitabile, quod est in re, vel quod existit.

Vel aliter [e] coloratur sic, maius cogitabile est, quod existit, id est, perfectius cognoscibile, quia visibile, siue intelligibile intellectione intuitiua: quod autem non existit, nec in se, nec in nobiliori, cui nihil addit, non est intellectualiter visibile: visibile autem est perfectius cognoscibili non visibili, sed tantùm intelligibili abstractiuè, ergo perfectissimum cognoscibile existit. De differentia intellectionis intuitiuæ, & abstractiuæ, & quomodo intuitiua est perfectior, tangetur *distinct.* 3. & aliàs quando locum habebit. *Intuitiua & abstractiua quomodo differunt? Quæst. 3. & 4. vide in 1. dist. 3. q. 9. & in 4. d. 14. q. 3. & in quodlib. q. 6.*

COMMENTARIVS.

1. a *QVarta via ex parte eminentiæ.* Hæc ratio stat in vno principali, videlicet quòd infinitas intensiua non repugnat entitati; quo præsupposito, sequitur quòd primum eminentissimum non erit perfectissimum ens, nisi sit infinitum, quia finitum potest excedi ab infinito, & sic non erit perfectissimum, & patet litera. Et quòd infinitas non repugnet entitati, Doctor sic persuadet ibi: *Minor huius consequentiæ*, &c. Et dicit primò, quòd non potest ostendi à priori, quòd infinitas competat enti, vel quòd non repugnet entitati: patet in simili, quia sicut repugnantia ex suis rationibus propriis repugnant, nec possunt per aliquid manifestius probari (patet de contrariis, quare enim duo contraria repugnant simul in eodem, hoc non potest probari per aliquid notius, quàm per rationes terminorum, vt puta, quia albedo est talis naturæ, & nigredo talis, quòd ad inuicem repugnant in eodem:) sic non repugnantia, siue compossibilia, non videntur per aliquid notius probari quàm per rationes terminorum, puta, quia hoc est tale, & illud tale: ens autem per nihil notius explicatur: & infinitum intelligimus per finitum, vt patet in litera: & sic deducit principale intentum: quia omne compossibile est ponendum, cuius non apparet incompossibilitas: sed quòd entitati competat infinitas, non apparet aliqua incompossibilitas: quia si aliqua appareret, maximè hoc esset; vel quia finitas est de ratione entis; vel passio conuertibilis cum ente: quòd sit de ratione entis, hoc non videtur, quia tunc non oporteret insistere, an aliquod ens sit infinitum, quia manifestum esset quodlibet ens esse simpliciter finitum: nec est passio entis, vt patet, quia passiones entis conuertibiles cum illo sunt naturaliter notæ, vt patet de vnitate, bonitate. &c.

2. b *Item suadetur sic: infinitum*, &c. Si intelligit, quòd infinitum contrariè actu non repugnet quantitati molis: hoc est impossibile, secundùm ipsum, *in 2. Metaph. sua.* Si autem loquitur de infinito contrariè in magnitudine, & hoc de possibili: ita vt infinitum possit fieri additio in magnitudine: adhuc (loquendo secundùm intentionem Philosophi) tale infinitum non potest esse, quia secundùm ipsum, quantam magnitudinem contingit esse in potentia, tantam contingit esse in actu: vt patet 3. *Physic. text. comm.* 69. Loquendo verò secundùm Theologos, adhuc est dubium si quantitas per diuinam potentiam possit augeri in infinitum: quia sicut forma intensibilis non potest intendi in infinitum, vt dicit Doctor *in* 3. *d.* 13. ita fortè videtur quòd magnitudo non possit in infinitum augeri: si enim in infinitum posset augeri, actu simul posset à Deo produci, sicut etiam probat Doctor vbi suprà de forma intensibili, quòd si posset in infinitum intendi, possent simul produci actu infinita intensiuè. Si verò loquitur de infinito in quantitate, & hoc secúdùm multitudinem; patet, quòd tale potest esse in potentia tantùm, vt probat 2. *Metaph.* ita quòd accipiendo vnam partem alicuius quanti continui post aliam, semper restat extra aliquid accipiendum in infinitum, & hoc loquendo de partibus secundùm proportionem; quia quodlibet continuum est diuisibile in infinitas partes proportionales. De hoc vide, quæ exposui super secundo *d.* 2. *q.* 9. *& super* 2. *Metaph. Doctor.* Sicut ergo quantitati non repugnat infinitas secundùm partes proportionales; ita entitati non repugnat infinitas intensiua, & secundùm gradus perfectionales.

Vel breuiter dicendum, quòd hîc si loquitur de infinito contrariè in quantitate molis, & de infinito in actu, quòd non loquitur secundùm opinionem propriam, & hoc sequendo viam Philosophi: imò simpliciter vult *in* 2. *Metaph.* quòd tale infinitum sit impossibile in actu, & fortè etiam in potentia: tamen secundùm multos, qui volunt, quòd forma intensibilis potest intendi in infinitum, etiam quantitas augmentabilis posset augeri in infinitum. Et sic applica persuasionem sequentem. Vltima persuasio fortè est melior: quia si infinitum intensiuè esset simpliciter impossibile, esset multùm disconueniens intellectui; imò statim apprehenso illo, dissentiret intellectus: tamen oppositum experimur, quòd scilicet suo modo delectabiliter assentit illi. 3.

c *Per illud potest colorari illa ratio.* Hic Doctor exponit

exponit illam auctoritatem Anselmi, quæ talis est: *Deus est, quo maius cogitari non potest*; & exponit sic: *Deus est* vnum cogitabile, & quòd debeat addi *sine contradictione*, patet, quia si tale cogitabile includeret contradictionem, sicut dicimus de Chimæra: tunc non esset vnum cogitabile, cùm vna pars non possit contrahere aliam, cùm sint omnino incompossibiles, vt patebit infrà *in d. 3. in quæst.* de vestigio Trinitatis.

4. d *Summum cogitabile prædictum*, &c. Hîc probat Doctor quòd illud cogitabile summum sit in re. Et primò quantum ad *esse* quiditatiuum, siue quantum ad *esse* obiectiuum, quod idem est: quia in tali ente quiditatiuo summè quiescit intellectus: loquendo de cognitione abstractiua, quæ cognitio abstractiua terminatur tantùm ad ens in *esse* obiectiuo, siue quiditatiuo: non ad ens, inquantum existit, vt patet à Doctore in multis locis. Secundò probat, quòd illud summum habeat verùm *esse* existentiæ: quia si illud summum tantùm haberet *esse* in intellectu cogitante, esset contradictio. Patet, quia illud est magis perfectum, quod est in re, quàm illud, quod tantùm habet *esse* in intellectu cogitante, vt patet. Summum ergo cogitabile à nullo potest causari, & à nullo dependet: & ex alia parte si tantùm esset in intellectu cogitante, tunc dependeret à tali intellectu, quod est contradictio. Vltimò infert de summo cogitabili.

e *Vel aliter coloratur*: & ratio stat in hoc, quòd illud est perfectius cognoscibile, siue cogitabile, quod potest cognosci cognitione intuitiua, quàm illud, quod tantùm potest cognosci cognitione abstractiua: sed cognitio intuitiua terminatur ad rem existentem, inquantum existens: ergo summum cogitabile erit actu existens.

SCHOLIVM.

Adducit rationem, qua D. Thom. probat infinitatem ex immaterialitate, eámque efficaciter & clarè refutat.

33. VLtimò ostenditur propositum ex negatione causæ intrinsecæ: quia forma finitur per materiam: ergo, quæ non est nata esse in materia, est infinita.

Thom. 1. p. q. 7. art. 1. Hæc ratio nihil valet, quia secundùm ipsos Angelus est immaterialis, ergo in natura erit infinitus: nec possunt dicere, quòd *esse* Angeli finiret eius essentiam: quia (secundùm eos) *esse* est accidens essentiæ, & posterius naturaliter: & sic in primo signo naturæ essentia secundùm se, vt prior, videtur esse intensiuè infinita, & per consequens in secundo signo naturæ non erit finibilis per *esse*.

Breuiter respondeo ad argumentum, quòd quælibet entitas habet intrinsecum sibi gradum suæ perfectionis, in quo est finitum, si est finitum: vel infinitum, si est infinitum: si ergo sit finitum, non per aliud ens finitatur.

Et cùm arguitur. Si forma finitur ad materiam, ergo si non est ad illam non finitur; fallacia est Consequentis. Corpus finitur ad corpus, ergo si non est ad corpus, est infinitum, vltimum cœlum ergo erit infinitum. Sophisma est tertij Physicor. (*Text. 31. & 74.*) Quia sicut priùs, corpus in se finitur, quàm finiatur per aliud corpus, ita forma finita in se priùs finitur, quia est talis natura in entibus, quæ finitur, quàm finiatur per materiam: nam secunda finitas præsupponit primam, & non causat eam, ergo in primo signo naturæ, est essentia Angeli finita: ergo non finibilis per *esse*, ergo in secundo signo non finitur per *esse*.

Breuiter dico, vnam propositionem, quòd quæcunque essentia absolutè finita, in se est finita, vt præintelligitur omni comparatione sui ad aliam essentiam.

COMMENTARIVS.

V*Ltimo.* Hîc Doctor inducit rationem alterius Doctoris, qua nititur probare primum esse infinitum. Et ratio stat in hoc, scilicet quia Deus non est causa intrinseca formalis, nec est compositum ex materia, nec est in materia: ergo est infinitum. Patet consequentia, quia si esset in materia, terminaretur ad ipsam, & finiretur per ipsam, id est, quod includit materiam includit limitationem: ergo per locum ab oppositis, quod non includit materiam, nec est natum esse in materia, erit illimitatum & infinitum intensiue: Deus est huiusmodi. Dicit quòd hæc ratio non concludit: & patet instantia de Angelo, qui secundùm D. Thomam est simpliciter immaterialis, & tamen non est infinitus. Nec Thomas potest dicere, quòd licèt Angelus sit immaterialis: tamen est finitus in entitate: quia essentia Angeli finitur per eius *esse* existentiæ. Contra hoc arguit Doctor, quia *esse* existentiæ secundùm eum, est realiter distinctum ab essentia, & est posterius ipsa essentia, & accidens essentiæ: ergo essentia Angeli in illo priori, cùm sit simpliciter immaterialis, esset infinita formaliter: & per consequens non erit finibilis per aliquid posterius. Quod enim formaliter est tale, per nullum posterius potest fieri non tale. Dicit ergo quòd quælibet entitas habet intrinsecum sibi gradum suæ perfectionis, in quo est finitum, si est finitum, vel infinitum si est infinitum: & tale per nullum sibi posterius variatur. Et quod dicit infrà de fallacia Consequentis. Corpus finitur ad corpus: ergo quod non est ad corpus, est infinitum: dicitur quòd est fallacia Consequentis: vt patet tertio Phys. *text. c. 31. & inde*: non enim sequitur: Omne corpus terminatum ad corpus est finitum: ergo corpus quod non terminatur ad corpus erit infinitum: non sequitur: & patet instantia, quia primum cœlum non terminatur ad corpus secundùm superficiem conuexam: & tamen non est infinitum: & est simile ac si argueretur: Omne animal est substantia: ergo quod non est animal non est substantia. Lignum non est animal, ergo non erit substantia.

SCHO

SCHOLIVM.

Epilogat pulcherrimè suo ordine, quæ dicta sunt in vtroque articulo quæst.1. & soluit argumenta.

EX prædictis patet solutio quæstionis: nam ex primo articulo habetur, quòd aliquod ens est simpliciter primum triplici primitate, scilicet efficientiæ finis, & eminentiæ,& ita simpliciter primum, quod est impossibile aliquid esse prius. & in hoc probatum est *esse* de Deo, quantùm ad proprietates respectiuas Dei ad creaturam, vel inquantum terminat respectus,& dependentias creaturarum ad ipsum. 34.

Ex secundo articulo habetur quadruplici via, quòd illud primum est infinitum.

Primò,videlicet,quia primum efficiens.

Secundò, quia primum cognoscens omnia cognoscibilia:& propter secundam viam præmittebantur conclusiones quatuor de *intelligere* primi.

Tertiò,quia finis vltimus.

Quartò,quia eminentissimum.

Iuxta primam viam exclusa est quædam via inutilis de creatione.

Iuxta secundam tangitur alia via de perfectione primi obiecti in intelligibilitate.

Iuxta quartam exponitur ratio Anselmi, *Prosologio* 2. quæ stat in hac propositione, *quo maius cogitari non potest,illud est.*

Vltimò excluditur via inutilis ex immaterialitate inferens infinitatem. Itaque iunge conclusiones duorum articulorum principalium sic: Aliquod ens tripliciter primum in entibus exstit in actu:istud tripliciter primum in entibus est infinitum:ergo aliquod infinitum ens actu existit. & in hoc probatum est *esse* de Deo quantùm ad illud absolutum,quod est primum perfectione omnium à nobis conceptibilium de Deo, sicut dicetur 3.*dist.quæst* 1. & per consequens probatum est esse Deum, quantùm ad conceptum perfectissimum conceptibilem,vel possibilem à nobis haberi de Deo.

Ad primum argumentum primæ quæstionis principale, dico, quòd causa infinita actiua ex necessitate naturæ,non compatitur sibi aliquod contrarium, siue sit ei contratrarium formaliter,scilicet secundùm aliquod, quod conuenit sibi essentialiter:siue virtualiter, scilicet secundùm rationem effectus sui, quem virtualiter includit. Vtroque enim modo impediret quodlibet incompossibile suo effectui, sicut argutum est prius. Deus autem est liberè,& voluntariè agens respectu omnium, quæ sunt extra ipsum, & ideò compatitur malum. 35. *Ad arg. 1. in prin.q.1.*

Contra:Nunquid Philosophi [a] ponentes Deum agere ex necessitate naturæ non ponebant esse aliquid malum in vniuerso?

Respondeo,sicut patuit probando Deum esse agens per cognitionem,non potuerunt saluare aliquod malum posse fieri contingenter in vniuerso, sed tantùm quòd vnus ordo causarum produceret aliquod,quod esset receptiuum alicuius perfectionis,alius autem ordo de necessitate produceret oppositum illius perfectionis: ita quòd illa perfectio,quæ posset tunc induci concurrentibus omnibus causis, licèt absolutè productum ab aliquibus,consideratum secundùm rationem suæ speciei,esset receptiuum illius perfectionis, cuius oppositum necessariò euenit. Quid autem [b] Philosophi possunt dicere de libero arbitrio nostro,& malitia moris,dicendum est aliàs. *Quare in collationibus,& in quodl. q. 7. & vlt.& infr. d.8.q. final. & d. 39.& in 2. d.14.& 25. & 28. & alibi, scilicet in 2. probatione consequentia principalis formata.*

Ad secundum dico,quòd consequentia non valet. Ad probationem consequentiæ, dico, quòd non est similis incompossibilitas dimensionum in replendo locum,& essentiarum in simul essendo: non enim vna entitas sic replet totam naturam entitatis, quin cum ista alia entitas possit stare. Hoc autem non debet intelligi de repletione locali, sed quasi commensuratione essentiali: sed vna dimensio replet eundem locum secundùm vltimum capacitatis suæ; & ideò aliud non potest esse cum eo replens locum, sed benè posset esse cum eo aliud corpus non replens locum: itaque vna entitas simul potest esse cum alia, sicut posset respectu loci,cum corpore replente locum,aliud corpus esse, non replens locum. Similiter,alia consequentia non valet, quia corpus infinitum, si esset cum alio, fieret totum maius vtroque ratione dimensionum; quia dimensiones alterius corporis essentialis à dimensionibus corporis infiniti, & eiusdem rationis cum eis,& ideò totum maius esset,propter diuersitatem dimensionum, & totum non maius,quia dimensio infinita non potest excedi. Hic autem tota quantitas infinitæ perfectionis, nullam recipit additionem in ratione talis quantitatis, ex coëxistentia alicuius finiti secundùm talem quantitatem. *Quare ens infinitũ patitur aliud ens & corpus infinitũ non compateretur aliud?*

Ad

6. *Ad 2.* Ad tertium argumentum dico, quòd consequentia non valet, nisi illud quod demonstratur in antecedente, à quo alia separantur, sit finitum. Exemplum: si esset aliquod *vbi* infinitum per impossibile, & corpus infinitum repleret illud *vbi*; non sequeretur, hoc corpus est hîc, ita quòd non alibi: ergo est finitum secundùm *vbi*, quia ly, *hîc*, non demonstrat nisi infinitum. Ita secundùm Philosophum, si motus esset infinitus, & tempus infinitum, non sequitur: iste motus est in hoc tempore, & non in alio: ergo est finitus secundùm tempus. Ita ad propositum, oportet probare illud, quod demonstratur per hoc, esse finitum, quod si assumatur, petitur conclusio in præmissa.

Ad vltimum dico c, quòd Philosophus infert moueri in non tempore ex hoc antecedente, quòd potentia infinita est in magnitudine, & intelligit in consequente moueri propriè, vt distinguitur contra mutationem: & hoc modo consequens includit contradictionem, & etiam antecedens secundùm eum. Qualiter autem teneat hæc consequentia, sic declaro; Si est infinita potentia, & agit ex necessitate naturæ: ergo agit in non tempore, quia si agat in tempore, sit illud tempus *A*, & accipiatur alia virtus finita, quæ agat in tempore finito, & sit illud tempus *B*: augmentetur autem virtus finita secundùm proportionem illam, quæ est *B* ad *A*, puta si *A*, est centuplum, vel millecuplum, ad *B*, accipiatur virtus, quæ sit centupla, vel millecupla ad illam virtutem finitam datam: igitur illa virtus sic augmentata mouebit in *A*, tempore, & ita illa, & infinita mouebunt in æquali tempore, quod est impossibile, si virtus infinita mouet secundùm vltimum potentiæ suæ, & necessariò.

Vide 4. Physic. text. 73. & 8. Physic. text. 79. & ad finem 7. Physicor.

Explicat id, virtus infinita si esset, moueret in non tempore, procedere de motu proprio & à corpore. Causa successionis in motu.

Ex hoc igitur, quòd virtus illa est infinita, sequitur, quòd si agat ex necessitate naturæ, agit in non tempore. Ex hoc autem, quod ponitur in antecedente, quod est in magnitudine, sequitur; quòd si agat circa corpus, quòd propriè moueat illud corpus, quia virtutem in magnitudine, vocat Philosophus virtutem extensam per accidens: talis autem si ageret circa corpus, habet partes illius corporis diuersimodè distantes respectu eius: puta vnam partem corporis propinquiorem, & aliam remotiorem; habet etiam resistentiam aliquam in corpore, circa quod agit. quæ duæ causæ, scilicet resistentia, & diuersa approximatio partium mobilis ad ipsum mouens, faciunt successionem esse in motu, & corpus propriè moueri: ergo ex hoc quòd in antecedente illo ponitur virtus in magnitudine, sequitur quòd propriè mouebit; & ita iungendo ista duo simul, quod est *infinitum*, & *in magnitudine*, sequitur quòd propriè mouebit, & in non tempore: quod est contradictio: sed istud non sequitur de virtute infinita, quæ non est in magnitudine; ipsa enim licèt in non tempore agat, si necessariò agat, quia hoc sequitur ad infinitatem: tamen non propriè mouebit, quia non habebit in passo illas duas rationes successionis: non igitur vult Philosophus, quòd infinita potentia propriè moueat in non tempore, sicut argumentum prætendit: sed quòd infinita potentia in magnitudine propriè moueat, & in non tempore, quæ sunt contradictoria. Et ex hoc sequitur, quòd antecedens includit contradictoria, scilicet quòd virtus infinita sit in magnitudine.

Sed tunc est dubitatio, cùm potentiam motiuam primi ponat infinitam, & naturaliter agentem, videtur sequi, quòd necessariò ageret in non tempore: licèt non moueat in non tempore: imò, tunc nihil mouebit, propriè loquendo. Et quòd hoc sequatur, patet: quia istud priùs probatum fuit per rationem potentiæ infinitæ necessariò agentis. Respondet Commentator 12. *Metaph.* quòd præter primum mouens, quod est infinitæ potentiæ, requiritur mouens coniunctum potentiæ finitæ, ita quòd ex primo mouente sit infinitas motus, & ex secundo, sit successio, quasi aliter non posset esse successio nisi concurreret illud mouens finitum, quia si solum infinitum ageret, ageret in non tempore.

Istud improbabitur *dist. 8. quæst. vlt.* Vbi in hoc arguetur contra Philosophos, qui ponunt primum agere ex necessitate quodlibet, quod immediatè agit; sed Christianis non est argumentum difficile, quia dicunt Deum contingenter agere. Ipsi enim possunt faciliter respondere, quia si virtus infinita necessariò agens agat secundùm vltimum sui, & ita in non tempore, quidquid immediatè agit, non tamen virtus infinita contingenter, & liberè agens. Sicut enim in potestate eius est agere, & non agere: ita in potestate eius est agere in tempore, & agere in non tempore, & ita facile est saluare primum ens mouere corpus in tempore, licèt sit infinitæ potentiæ: quia non necessariò agit secundum vltimum potentiæ suæ, quantum scilicet posset agere, nec in tam breui tempore, in quo breuiori non posset agere.

COMMEN

COMMENTARIVS.

1. AD *primum argumentum huius quæstionis principale.* Respondetur ibi: *Ad primum argumentum*, & responsio facilis est.

a *Contrà. Nunquid Philosophi*, &c. Dicit Doctor quòd Philosophi sic ponentes, non potuerunt saluare aliquòd malum fieri contingenter in vniuerso, vt suprà patuit, arguendo quòd voluntas diuina quicquid vult ad extrà, contingenter vult, vt patebit *dist. 8. quæst. vltima primi, & in secundo dist. 1. quæst. 1. & 37. dist & in 2. quæst. quolib.* Sed quomodo malum contingat in vniuerso secundùm Philosophos (loquendo semper de malo, vt est priuatio alicuius perfectionis, quod est malum naturæ) dicerent Philosophi, quòd quando essent duo ordines causarum agentium de necessitate naturæ, tunc si aliquid natum esset recipere aliquam perfectionem naturalem ab vno ordine causarum: & de necessitate reciperet, cùm ageret de necessitate, nisi impedimentum esset: si alius ordo fortior de necessitate produceret oppositum illius perfectionis, tunc malum contingeret. Exemplum: si Luna, & Sol, & aliqua stella fixa, vt coniunguntur in aliquo puncto: puta Cancri, si non impediantur, de necessitate producent aliquam perfectionem: sed si alius ordo causarum fortior, puta, Mars, Saturnus, & Venus, vt coniunguntur in aliquo signo Zodiaci: & talis ordo esset fortior, & natus de necessitate produceret in eodem susceptiuo oppositum perfectionis alterius ordinis: si tunc produceret, tunc malum naturæ contingeret in vniuerso.

b *Quid autem Philosophi possunt dicere de libero arbitrio nostro*, &c. Hoc diffusè habet pertractari *in 2. dist. 37.*

c *Ad vltimum dico.* Nota hanc responsionem quæ stat in ista consequentia: Virtus infinita est in magnitudine: ergo mouet in non tempore: tam antecedens, quàm consequens includunt contradictionem: de antecedente patet, quia si est virtus infinita, certum est, quòd mouebit corpus in instanti, in quo est talis virtus: & ex alia parte, quia est in corpore, siue in magnitudine corporis extensa per accidens: mouebit illud in tempore propter duas causas: quia habebit vnam partem corporis propinquiorem, & aliam remotiorem. Secundò, quia tale corpus aliqualiter resistit sibi: sed ista duo, scilicet resistentia, & diuersa approximatio partium mobilis ad ipsum mouens, faciunt successionem esse in motu, & corpus propriè moueri: ergo ex hoc, quòd in antecedente illo ponitur virtus in magnitudine, sequitur quòd propriè mouebit: & ita iungendo ista duo simul: *quod est infinitum*, & *in magnitudine*: sequitur quòd propriè mouebit, & in non tempore: quod est contradictio: quia motus propriè dictus de necessitate est in tempore: quia ergo virtus in magnitudine mouebit in tempore: & quia infinita mouebit in non tempore: & sic contradictio in tali antecedente: similiter, patet contradictio in consequente, videlicet, ergo mouebit in non tempore. Nam, quòd motus sit in non tempore, est implicatio contradictionis: quia omnis motus fit in tempore: sed non sequitur hoc de virtute, infinita, & non in magnitudine: quia illa potest agere in instanti: non tamen mouere in instanti: quia est implicatio contradictionis. Sequentia clara sunt, & si quid difficultatis est, clarè exponetur infrà *d. 8. quæst. vlt.* 2.

QVÆSTIO III.

An tantùm sit vnus Deus?

Alensis 1. *part. q* 14. *memb.* 2. *& q.* 23. *memb.* 2. D. Thom. 1. *contra Gent. cap.* 13. *&* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *&* 1. *part. quæst.* 103. *art.* 3. Henric. *quodl.* 4. *quæst. vlt.* D. Bonau. *hîc quæst.* 1. *art.* 1. Varro *hîc quæst.* 1. Suares *in Met. disp.* 39. *sect.* 2. Bellar. *lib.* 1. *de Christo cap.* 3. *vide* Scotum 2. *Met. quæst.* 4. 5. *&* 6. *&* 8. *Physic. q.* 6. Durand. 1. *dist.* 2. *quæst.* 1.

QVÆRITVR tertiò an sit tantùm vnus Deus. Et quòd non arguitur, primæ ad Corinth. 8. *Si quidem sunt domini multi, & dij multi.* 1. *Arg.* 1.

Item sic: Deus est, ergo dij sunt. Probatur consequentia, quia singulare & plurale idem significant, licèt differant in modo significandi: ergo includunt idem prædicatum proportionaliter acceptum: ergo sicut singulare includit singulare, ita plurale includit plurale. *Arg.* 2.

Præterea secundò, quia sicut Deus est quo maius cogitari non potest: ita dij sunt, quibus maiores excogitari non possunt: illa autem quibus maiora cogitari non possunt, sunt in effectu, quia videtur, quòd si non essent in effectu, maiora possunt eis cogitari. *Arg.* 3.

Præterea: Omne ens per participationem, reducitur ad ens tale per essentiam: sed indiuidua in quacunque specie creata, sunt entia per participationem; alioquin non essent multa: ergo reducuntur ad aliquid tale per essentiam: ergo est aliquis homo per essentiam, & aliquis bos per essentiam: sed quidquid est per essentiam, & non per participationem, est Deus: ergo, &c. *Arg.* 4. * *al. aliquid.*

Præterea. Plura bona sunt meliora paucioribus bonis: sed quæcunque meliora sunt ponenda in vniuerso: ergo, &c. *Arg.* 5.

Contra Deuter. 6. *Audi Israël, Dominus Deus tuus vnus est.* Et Isaiæ 3. *Extra me non est Deus.*

SCHO

SCHOLIVM.

Reijcit Varronem dicentem, vnitatem Dei ratione naturali non esse demonstrabilem, septem viis, & primò ex parte intellectus infiniti, quia cognoscit omnia perfectissimè, sed vnus Deus non cognosceret alterum Deum sic, quia non per naturam cognoscentis; quia non continet alterum Deum, nec per naturam alterius, quia actus cognitionis esset posterior & dependens ab extrinseco. Secundò actus, non potest habere duo obiecta adæquata, sed Deus est adæquatum sui actus.

2. *Guilielm. var. lib. 1. dist. 2. q. 1. Deum esse vnum non posse demõstrari.*

IN ista quæstione [a] conclusio est certa. Sed dicunt aliqui, quòd hæc conclusio non est demonstrabilis, sed tantùm accepta per fidem, & ad hoc auctoritas Rabbi Moysi *lib. 3 cap. 6.* quòd vnitas Dei accepta est à lege.

Hoc etiam arguitur per rationem, quia si per rationem naturalem posset cognosci Deum esse vnicum: ergo posset naturaliter cognosci Deum ex se esse singularem: ergo posset cognosci naturaliter singularitas Dei, & essentia Dei vt singularis: quod falsum est, & contra prædicta *in quæstione de subiecto Theologiæ.*

Videtur tamen, quòd ista veritas possit ratione naturali ostendi: & hoc sumendo viam.

Primò ex infinito intellectu.

Secundò ex infinita voluntate.

Tertiò ex infinita bonitate.

Quartò ex ratione infinitæ potentiæ.

Quintò ex ratione infiniti absolutè.

Sextò ex ratione *necesse esse.*

Septimò ex ratione omnipotentiæ.

Impugnat Guil. Var.

Prima via [b] ex parte intellectus infiniti arguitur primò sic: Intellectus infinitus cognoscit quodcunque intelligibile perfectissimè quantum est intelligibile in se, quia totum ens: nam intellectus finitus hoc potest, licèt non perfectissimè, nec simul: ergo si sint duo dij, sint *A*, & *B*. *A* ergo cognoscet *B* perfectissimè, quantum, scilicet *B* est cognoscibile, sed hoc est impossibile. Probatio, quia aut cognoscit *B* per essentiam *B*, aut non: si non, & *B* est cognoscibile per essentiam: ergo *A* non cognoscit *B* perfectissimè, quantum scilicet *B* est cognoscibile: nihil enim cognoscibile per essentiam perfectissimè cognoscitur, nisi cognoscatur per essentiam suam, vel per aliquid perfectiùs includens essentiam suam, quàm ipsa sit in se: essentia autem *B* in nullo perfectiùs includitur, quàm in *B*, quia tunc *B* non esset Deus. Si autem cognosceret *B* per essentiam ipsius *B*: ergo actus ipsius *A* est posterior naturaliter essentia ipsius *B*: & ita *A* non est Deus. Quod autem actus ipsius *A* sit posterior ipso *B*, probo, quia omnis actus cognoscendi, qui non est idem obiecto, est posterior obiecto. Neque enim prior, neque simul natura est actus cum obiecto alio ab actu, quia tunc actus posset intelligi sine obiecto, sicut è conuerso.

Si darentur duo Dij, alter non cognosceret alterum.

Si dicas quòd *A* intelligit *B* per essentiam ipsius *A*, quæ simillima est ipsi *B*, aut quòd *A* intelligit *B*, in ratione speciei communis ipsi *A*, & ipsi *B*.

Contrà. Neutra responsio saluat, quòd *A*, intelligat *B*, perfectissimè & per consequens non est Deus, quia cognitio alicuius in simili tantùm, siue in vniuersali, non est cognitio perfectissima & intuitiua ipsius rei in se, & ita non cognoscit *B* intuitiuè & perfectissimè, quod est propositum.

Secundò ex [c] parte intellectus arguitur sic. Actus aliquis non potest habere simul duo obiecta adæquata: *A* est obiectum adæquatum suæ intellectioni, & *B* esset adæquatum eidem, si posset intelligere simul perfectè *A* & *B*: ergo impossibile est quòd *A* intelligat vnicâ intellectione simul perfectè *A*, & *B*, si *A* habet duas intellectiones realiter distinctas: ergo non est Deus. Maior patet, quia alioquin actus adæquaretur alicui obiecto, quo subtracto non minùs quietaretur potentia, & adæquaretur, & ita frustrà esset tale obiectum.

COMMENTARIVS.

1. a IN *ista quæstione.* Hìc recitat opinionem Guillelmi Varronis, qui dicit, quòd tantùm esse vnum Deum est tantùm per fidem acceptum: sed Doctor septem viis probat tantùm esse vnum Deum: ita, quòd via naturali hanc conclusionem demõstrat.

b *Prima via ex parte intellectus infiniti.* Hæc ratio satis clara est in litera. & quando dicit Doctor quòd cognoscere aliquid per essentiam: sic debet intelligi, quòd essentia sit ratio formalis cognoscendi: & sic erit ratio formalis mouendi intellectum ad sui cognitionem, & hoc patet à Doctore *in 2. dist. 3. quæst. 8.* Vbi quærit an Angelus

Prima.

Cognoscere per essentiã.

Angelus possit se cognoscere per essentiam suam: & sic si *B* possit cognosci ab *A* per essentiam *B*, tunc *B* saltem partialiter causaret in *A* cognitionem sui: quod patet à Doctore vbi supra, quia aliquid cognosci per essentiam propriam, est saltem partialiter causare cognitionem sui intellectu cognoscente: & sic sequitur quod dicit Doctor quòd cognitio, qua cognoscitur *B*, est naturaliter posterior ipso *B*, quia causata ab ipso *B*, & ita *A* non erit Deus: quia tunc esset in potentia receptiua ad cognitionem *B*, quia talis cognitio non esset idem quod Deus, neque esset idem cum *B*. Et quod tangit infrà ibi: *Quòd autem actus ipsius* A *sit posterior ipso* B. Hìc dicit, quòd si talis actus cognoscendi non esset naturaliter posterior obiecto, sed esset prior, vel simul natura, tunc talis actus posset intelligi sine obiecto: sicut etiam obiectum sine actu.

Sed in hoc videtur sibi contradicere, quia in *quæst.14. quodlib.* vult quòd aliquis potest cognoscere actum beatificum, & tamen non cognoscit obiectum beatificum.

2. Item in quæst. 13. vult quòd actus cognoscendi sit qualitas absoluta, licèt includat aliquam relationem ad obiectum: sed talis qualitas potest esse sine tali relatione: ergo & sine obiecto. Dico, quòd hìc nulla est contradictio, quia quando Doctor dicit quòd si actus esset simul naturâ, vel prior naturâ obiecto, posset esse sine tali obiecto, non sic debet intelligi, quòd actus causatus non possit in aliquo intellectu conseruari, saltem à prima causa sine obiecto: quia Deus omnem intellectionem saltem obiecti creati posset conseruare ipsis obiectis destructis: sed debet intelligi, quòd talis actus posset habere verum *esse*, obiecto non concurrente ad tale *esse*: quia si simul naturâ, nullo modo posset causari ab ipso obiecto, nec vt à causa totali, nec partiali: quia causa etiam quando causat, semper est prior naturâ causato, vt patet à Doctore *in 2. dist. q. 3. & 15. dist.* ergo si actus cognoscendi *B* est simul naturâ cum *B*, non dependeret in esse ab ipso *B*.

Si dicatur, quòd non est necesse dependere ab ipso *B* in *esse*, quia non omnis actus cognoscendi dependet in *esse* ab obiecto, cuius est actus: patet, quia intellectus diuinus cognoscit creaturam, & tamen talis cognitio non dependet à creatura, nec quasi dependet: sed ille actus est ab essentia diuina virtualiter, vel eminenter continente creaturam.

Concedo, quòd aliquis actus potest causari aliunde ab obiecto, cuius est: sed tunc tale obiectum virtualiter, vel eminenter continetur in causante actum: sed in proposito *B* nec actualiter, nec eminenter continetur in *A*, quia tunc esset imperfectius *A*, & per consequens non esset Deus, & sic patet ratio Doctoris.

3. *Ocham in 1. q. quodl. instat contra Doctorem.* Ad istam tamen rationem respondet Ocham *in 1. quæst. quodlib.* Et primò dicit, quòd quando Doctor dicit, quòd intellectus est infinitus, hoc est tantùm creditum, & non naturali ratione ostensum.

Responsio. Sed hoc nihil contra Doctorem, quia hoc posito, adhuc sequitur intentum Doctoris, quia si *A* & *B* essent duo Dij, vtrumque esset perfectissimum ens: ita quòd nec *A* esset perfectius *B*, nec è contra: & hoc posito statim stat ratio Doctoris, vt patet intuenti.

Idem Ocham. Ideò Ocham dat aliam responsionem, & dicit quòd etiam posito, quòd sit formaliter infinitus, adhuc est tantùm creditum, quòd *A* cognoscat *B* perfectissimè: quia diceret Philosophus, quòd Deus nihil extra se cognosceret.

Confutatio. Deum cognoscere aliquid extra se. Sed iudicio meo videtur esse notum, & apud Aristotelem & Commentatorem, & multos alios, quòd Deus cognoscat aliquid aliud extra se. Tum, quia ipse 12. *Metaph. t. c. 51.* concludit, quòd est intelligens. Tum, quia in causis essentialiter ordinatis, necessè est primam causam simul agere: sed non, nisi cognoscẽdo, & amando. Tum, quia causa superior agit propter finem superiorem, scilicet ordinando effectum ad finem superiorem: quod non potest esse, nisi cognosceret ista inferiora.

Item, ad hoc faciunt rationes, quas Doctor facit *quæst. 1. huius dist.* quando probat, quòd primum effectiuum est intelligens, & volens. Verum tamen est, quòd non cognoscit aliquid extra se ipsum: ita quòd recipiat cognitionem ab obiecto extrà: quia tunc talis intellectus vilesceret: sed quia hoc requirit diffusum tractatum, pro nunc omittatur, & sic patet quòd *A* perfectissimè cognoscit *B*.

Dat etiam Ocham aliam responsionem, dicens, quòd ratio Doctoris non concludit, quando quærit, aut *A* cognoscit *B* per essentiam *B*. Dicit Ocham, quòd ly *per* potest dicere circunstantiam obiecti cogniti per talem cognitionem, sic intelligendo, quod *B* est obiectum cognitionis ipsius *A*, siue terminans huiusmodi cognitionem, & in hoc verum dicit: aut ly *per essentiam* dicit circunstantiam causæ efficientis: & hoc modo negat quòd *B* possit causare huiusmodi cognitionem in intellectu *A*, & si talis cognitio causaretur, conceditur esse posterior ipso *B*.

Sed iudicio meo non soluit rationem Doctoris, quia, vt dicit Doctor, nihil perfectissimè cognoscitur, nisi cognoscatur per essentiam propriam, vel per aliquid virtualiter, vel eminenter continens illud: sed *B* non continetur in *A*. Et vltrà, nam causans cognitionem propriam alicuius obiecti non potest causare, nisi virtualiter contineat entitatem talis obiecti, vt patet à Doctore *in 1. d. 3. quæst. 1. & dist. 8. & in 2. dist. 3. quæst. 10. & in quodl. quæst. 14.* Nec valet dicere, quòd notitia *A* æquiualet notitiæ propriæ, & simplici ipsius *B*, vt dicit Ocham, ita quòd *A* per suam vnicam cognitionem, & simplicem potest æquè sufficienter iudicare inter *A* & *B*, sicut si *A* haberet vnam propriam cognitionem, quâ cognosceret se, & aliam, quâ cognosceret *B*. 4.

Certum est, quòd hoc non valet. Tum, quia huiusmodi cognitionem non cognosceret perfectissimè ipsum *A*, quia talis cognitio, nec virtualiter, nec eminenter posset includere cognitionem propriam *B*: sicut dicimus, quòd cognitio Dei æquiualet omni cognitioni simplici creaturarum: hoc ideò est, quia virtualiter, & eminenter continet huiusmodi cognitionem, & non posset continere, nisi creaturæ eminenter continerentur in essentia diuina: sed *B* non contineretur in *A*, & per consequens nec cognitio propria *B* contineretur in cognitione propria ipsius *A*.

Hanc etiam rationem Doctoris nititur soluere R. Magister Alphonsus Tolet. & dicit *A* cognoscit *B*, sed non per essentiam ipsius *B* cogniti, sed per essentiam ipsius *A*: & ad probationem Doctoris, quando dicit, quòd nihil cognoscitur perfectissimè, nisi cognoscatur per essentiam suam: vel per aliquid includens essentiam suam perfectiùs, quàm ipsa sit in se ipsa. Dicit, *Alph. Tol. in 1. d. 2. q. 1. art. 2.*

quòd hoc eſt falſum: quia licèt quod cognoſcitur perfectiùs quàm in ſe ipſo, neceſſariò cognoſcatur per aliquid repræſentans eſſentiam ſuam perfectiùs, quàm ipſa ſit in ſe ipſa: ſicut patet de cognitione, quâ creatura cognoſcitur in Verbo: ad cognoſcendum tamen aliquid ita perfectè ſicut cognoſcitur in ſe ipſo, ſufficit, quòd cognoſcatur per aliquid repræſentans eſſentiam ſuam, ita perfectè ſicut ipſa eſt in ſe ipſa, & ſic eſſet in propoſito; hæc ille. Et addit, dicens: poſſet etiam concedi, quòd vnus Deus cognoſcit alium per eſſentiam Dei cognitam. Et quando dicitur, quòd omnis actus cognoſcendi, qui non eſt idem obiecto, eſt poſterior obiecto, non eſt verum ſi ſit idem alteri obiecto, quod non eſt poſterius illo, & ſic eſſet in propoſito.

Improbatio. Sed ſalua ſemper reuerentia tam reuerendi Magiſtri. Dico primò, quòd eſt impoſſibile vnum Deum perfectè repræſentare in ratione obiecti intelligibilis alium Deum, niſi virtualiter, & eminenter contineat illum; & hoc patet tam in repræſentatiuo ſecundùm *quid*, quàm ſimpliciter. Dicimus enim, quòd ſpecies intelligibilis hominis repræſentat ipſum hominem in ratione obiecti intelligibilis: licèt, vt ibi, habeat tantùm *eſſe* ſecundùm *quid*: nihil tamen poſſet cauſare ſpeciem intelligibilem ipſius hominis, ſi non contineret virtualiter, vel eminenter entitatem ipſius, vt patet. Nam eſſe rationem repræſentandi aliquid in ratione obiecti intelligibilis dicit perfectionem, maximè ſi tale repræſentatiuum eſt virtualiter, vel eminenter repræſentatiuum: patet etiam in repræſentatiuo ſimpliciter, quod eſt in cognitione intuitiua: quia nihil poteſt eſſe ratio formalis repræſentandi aliquid in ratione obiecti intelligibilis intuitiuè: (ita quòd faciat tale obiectum eſſe actu intelligibile in potentia propinqua intuitiuè) niſi contineat in ſe entitatem illius virtualiter, vel eminenter. Hoc ſubtiliter patet à Doctore *in* 2. *d.* 3. *quæſt.* 10. & vide ibi ſingularem Gloſſam. Si ergo in propoſito vnus Deus eſſet ratio formalis repræſentandi alium Deum in ratione obiecti intelligibilis intuitiuè, contineret illum virtualiter, vel eminenter.

Species intelligibilis repræſentat hominem.

Eſſe rationem repræſentandi aliquid in ratione obiecti intelligibilis, dicit perfectionem.

6. Secundò dico, quòd etiam poſito, quòd *A* eſſet ratio formalis repræſentandi *B* in ratione obiecti intelligibilis intellectui ipſius *A*. Quæro tunc, cùm ipſum *B* ſit præſens intellectui *A* ante cognitionem ipſius *B* à quo immediatè cauſatur talis cognitio? Si ab eſſentia *B*; ſtat ratio Doctoris, ſi ab ipſo *A*, ergo *A* continet virtualiter, vel eminenter ipſum *B*, quia continens notitiam diſtinctam alicuius obiecti, neceſſariò virtualiter, vel eminenter continet ipſum obiectum, vt patuit ſuprà. Nunquam enim Deus poſſet cauſare in intellectu diuino diſtinctam notitiam hominis, niſi virtualiter, vel eminenter contineret ipſum hominem. Licèt enim aliqua ſubſtantia ſit perfectior accidente, & per conſequens licèt homo ſit perfectior cognitione aſini, nunquam tamen poſſet cauſare immediatè diſtinctam cognitionem aſini, niſi entitatem aſini virtualiter, vel eminenter contineret: & ſingularem rationem huius vide in Scoto *quæſt.* 14. *quodlib.*

Homo eſt perfectior cognitione aſini.

Alia confutatio Alph. Et ad aliud, quod vltimò dicit Magiſter Alphonſ. concedendo, quòd *A* poteſt cognoſcere *B* per eſſentiam ipſius *B* cogniti, &c. Et poſt dicit, quòd talis cognitio (etiam poſito quòd non eſſet idem cum ipſo *B*, dummodo ſit idem cum *A*) non erit naturaliter poſterior *B*. Hoc totum conceditur: poſito quod talis cognitio ſit idem cum *A*: ſed hoc indiget probatione, quia quæro quid intelligis per eſſentiam ipſius *B*? ſi intelligis quod *B* per eſſentiam ſuam cauſat totaliter, vel partialiter cognitionem ſui in intellectu *A*, eſt impoſſibile quòd talis cognitio ſit idem, quod *A*, quia ſi ſic, tunc ipſum *A* eſſet in ſe cauſatum à *B*, vel vt à cauſa totali, vel vt à partiali. Si verò intelligis per eſſentiam *B* terminatiuè tantùm, id eſt, quòd talis cognitio terminetur ad eſſentiã *B*, hoc eſt valde impropriè dictum: & etiã hoc poſito, adhuc ſtat principalis difficultas, cùm cognitio (per Aug. 8. *de Trin. c. vlt.*) ſit à cognoſcente, & cognito: à quo ergo cauſatur talis cognitio? certũ eſt, quòd vel ab obiecto cognito: vel ab alio virtualiter, vel eminenter continente obiectum cognitum, & ſic ſequitur idem, quod priùs.

c Deinde Doctor probat principale intentum alia ratione ſumpta ex parte intellectus infiniti, ibi: *Secundò ex parte intellectus arguitur ſic.* Et quando dicit, quòd idem actus non poteſt habere duo obiecta adæquata: poteſt ſic exponi, quòd non poſſit habere duo obiecta adæquata in ratione motiui, & hoc verum eſt, quia tunc ſimul dependeret in *eſſe* à duobus obiectis, & ſic vno circumſcripto ſimul eſſet, & non eſſet; eſſet quidem poſito vno à quo dependet in *eſſe*, vt ab obiecto totali, & non eſſet, alio circunſcripto, à quo dependet in *eſſe*, vt ab obiecto totali, ſiue adæquato. Sequeretur etiam, quòd idem actus eſſet ſimpliciter cauſatus, & non cauſatus: eſſet quidem cauſatus, vt eſt ab alio Deo cognito, & non eſſet cauſatus, vt eſt à primo Deo cognoſcente, quia tunc diſtingueretur realiter ab ipſo, cuius oppoſitum probatum eſt ſuprà. 7.

Quomodo idẽ actu non poteſt habere duo obiecta.

Vel poteſt ſic exponi, quòd idem actus poteſt terminari ad duo obiecta adæquata, & ſic dependere à duobus obiectis adæquatis in ratione termini, & hoc ſimiliter eſt impoſſibile, quia tunc idem actus ſimul terminaretur adæquatè, & non terminaretur adæquatè, circumſcripto vno illorum obiectorum, & arguatur vt ſuprà Sequeretur etiam, quòd vt terminaretur ad eſſentiam Dei cognoſcentis, non includeret aliquam relationem, nec realem, nec rationis, propter realem identitatem ipſius actus, & eſſentiæ, vt patet à Scoto *in quodl. quæſt.* 13. vt verò terminaretur ad alium Deum, vt ad obiectum adæquatum, neceſſariò includeret relationem realem ad ipſum, quia cognitio intuitiua, vt terminatur ad obiectum actu exiſtens, & realiter diſtinctum, includit relationem realem ad illud, vt probat Doctor *q.* 13. *quodlib.* & ex hoc ſequerentur multa inconuenientia: vt patet intuenti.

Idem actus poteſt terminari ad duo obiecta adæquata.

Vel tertiò poteſt ſic exponi, quòd aliquis intellectus vno, & eodem actu poteſt adæquatè quietari in duobus obiectis adæquatis in ratione quietatiui: & hoc eſt impoſſibile, quia circunſcripto vno illorum, adæquatè quietaretur, & non quietaretur, & formetur ratio, vt ſuprà. Similiter ſequeretur, quòd vt quietaretur in eſſentia ſua, nullam relationem, nec rationis neceſſariò includeret, vt patet à Scoto in quodlib. vbi ſuprà, vt verò in alio quietaretur, neceſſariò includeret relationem realem ad illud, vt patet à Scoto *vbi ſuprà.*

Aliquis intellectus eodẽ actu poteſt adæquatè quietari in duobus obiectis adæquatis.

Ex his patet quòd reſponſio Magiſtri Gull. Ocham ad argumentum Doctoris in quæſt. 1. quodl. non euacuat, nec ſoluit. Dicit enim ipſe quòd 8.

Reſponſio Ocham non ſatisfacit.

quòd idem actus non potest habere duo obiecta adæquata secundùm prædicationem, potest tamen habere duo obiecta adæquata secundùm perfectionem, & sic esset in proposito; & dicit, quòd huiusmodi obiecta sufficienter quietarent, sed non respondet ad difficultates suprà expositas, vt patet in litera sua. Magister tamen Alfonsus Toletanus loco præallegato dat duas responsiones.

1. Responsio Al. Prima, quòd Deus cognosceret illum alium Deum non per essentiam alterius Dei: sed per propriam essentiam: & sic perfectissimè in essentia sua cognosceret alium Deum: & sic ille alius Deus non esset obiectum adæquatum. Sed ista responsio suprà est improbata. *2. eiusdem responsio.* Dat aliam responsionem, quòd si vnus Deus cognosceret alium Deum per essentiam alterius Dei: quòd ille actus cognoscendi non haberet duo obiecta adæquata: siue intellectus vnius Dei non haberet duo obiecta adæquata, sed aliquid commune vtrique Deo esset obiectum adæquatum.

Ratio Doctoris adhuc stat. Sed patet, quòd ista responsio nõ infringit rationem Doctoris. Tum, quia loquendo de obiectis quietatiuis, certum est quòd illud commune non est adæquatum quietatiuum, quia nec perfectissimum, vt patet: cùm ergo vterque Deus esset summè perfectus, ita adæquatè vnus esset quietatiuus sicut & alius. Tum etiam, quia loquendo de obiecto motiuo, certum est quòd intellectus diuinus non habet aliquod commune: vt patet per communiter Doctores, & suprà ostensum *in q. penult. Prolog.* & sic non posset euadere, quin isti duo dij essent obiecta adæquata in ratione motiui. Et vltrà posito, quòd obiectum adæquatum intellectus diuini esset aliquod commune, adhuc stat argumentum Doctoris, quia illud commune non moueret intellectum ad cognitionem aliquam, sed contenta sub tali communi. Quæro tunc an eadem cognitio diuina possit simul esse à duobus obiectis contentis: si sic, ergo eadem erit causata, & incausata; dependens, & independens: vt dixi suprà; si non, sed alia, & alia respectu alterius, & alterius Dei, ergo vnus Deus habebit duas cognitiones, realiter distinctas: & sic non esset Deus, vt dicit Doctor. Et multa alia possent adduci, & elici ex supradictis contra responsionem istorum, quæ breuitatis causa omitto.

SCHOLIVM.

Secundò probat vnitatem Dei ex parte voluntatis infinitè rectæ. Primò, hæc diligit omne diligibile, quantum meretur; ergo voluntas vnius Dei diligeret alterum infinitè, sed magis tenetur se diligere, quàm aliud, cuius non est pars, nec effectus. Secundò, si vnus vtitur alio, inordinatè facit, si fruitur eo, ergo Beatus in duobus, quorum neuter dependet ab alio, & altero destructo, non minùs esset Beatus.

QVantum ad secundam viam arguitur sic.

Voluntas infinita est recta, ergo diligit quodlibet diligibile, quantum est diligibile. 3. *Si essent duo Dij, vnus nõ posset amare alterum.* Si igitur *B* est alius Deus, est diligibilis in infinitum, cùm sit bonum infinitum, & infinitè à voluntate potente sic diligere: ergo voluntas *A* diligit *B* infinitè: sed hoc est impossibile, quia *A* naturaliter plus diligit se quàm *B*: probatio, quodlibet enim naturaliter plus diligit esse suum, quàm esse alterius, cuius nihil est, vt pars, vel effectus: *A* autem nihil est ipsius *B*, nec vt parrs, nec vt effectus, ergo plus diligit *A* se naturaliter, quàm ipsum, *B*: sed voluntas libera quando est recta, conformatur voluntati naturali, alioquin voluntas naturalis non esset semper recta: ergo *A* si habet voluntatem liberam rectam, actu elicito plus diligit se, quàm *B*: ergo non *B* infinitè.

Secundò sic de voluntate.

Aut *A* fruitur *B*, aut vtitur; si vtitur eo, ergo *A* habet voluntatem inordinatam; si fruitur *B*, & fruitur *A*: ergo *A* est Beatus in duobus obiectis, quorum neutrum dependet ab alio, quia sicut *A* est Beatus in se, sic & in *B*: sed consequens est impossibile, quia nihil potest esse Beatum actu in duobus obiectis beatificantibus totalibus. Probatio, quia vtroque eorum destructo, nihilominus esset Beatus: ergo in neutro est beatus: videtur etiam rationabile, quòd quietatum in vno obiecto adæquato, non possit in obiecto alio quietari.

COMMENTARIVS.

1. Q*Vantum ad secundam viam*, quæ sumitur à volũtate infinita. Hæc ratio clara est: & quod dicit Doctor ibi, quòd *quodlibet naturaliter plus diligit* esse *suũ, quàm* esse *alterius, cuius nihil est, vt pars, vel effectus*. Hoc dicit, quia aliter qui dicunt, quòd pars naturaliter plus diligit *esse* totius, quàm suum *esse* proprium quod est *esse* partis: licèt Doctor hæc improbet *in 3. dist. 17.* & quòd effectus naturaliter plus diligit *esse* causæ, quàm *esse* proprium, quod tamen improbat vbi suprà; tamen ad excludendum omnium instantiam dicit Doctor, quòd nisi sit pars, vel effectus, plus diligit *esse* suum: sed si essent duo dij, vnus non esset pars, nec effectus alterius.

Item, quod dicit ibi: *Sed voluntas libera quando est recta conformatur voluntati naturali.* videtur contrarium dicere alibi: vt patet in 2. dist. 6. quæst. 2. & 49. quarti, & etiam 50. Imò voluntas recta, & libera ad hoc, quòd sit recta, oportet in multis agere contra suum appetitum naturalem, & velle contrarium naturali inclinationi: vt patet in multis. *Apparens cõtradictio.*

Dico, quòd aliud est loqui de voluntate recta per essentiam, cuiusmodi est sola voluntas Dei, *Concordatia.*

quæ est regula omnis rectitudinis creatæ: vt patet à Doctore *quæst. vlt. prolog. & d. 44. primi, & alibi sæpè*. Et aliud est loqui de voluntate creata, quæ ad hoc vt dicatur recta, oportet conformari regulæ voluntatis diuinæ, siue determinationis diuinæ: vt patet à Scoto in pluribus locis. Voluntas secundo modo accepta potest agere contra suam inclinationem naturalem; imò & tenetur agere, quando voluntas diuina sic, & sic determinauit: tenetur enim velle mortem, quando Deus vult ipsam mori; & tamen inclinatio sua naturalis est totaliter ad oppositum. Sed loquendo de prima voluntate tenetur conformari suæ inclinationi naturali: cùm vtraque sit rectissima, vna in esse naturæ, scilicet inclinationis naturalis: alia in esse actus liberè eliciti: & sic patet ratio Doctoris, quomodo voluntas vnius Dei tenetur plus diligere se, quàm alium Deum, & si non plus diligeret, non esset rectissima. Cùm ergo teneatur diligere alium Deum amore infinito, & plus se teneatur diligere, sequitur quòd dabitur amor maior infinito, quod est impossibile.

Volitas creata tenetur agere aliquando cõtra inclinationẽ naturalem.

2. *Alfons.* Ad hanc rationem respondet Magister Alfons. vbi suprà, quòd natura perfectissima non plus tenetur diligere se, &c. quia in statu beatifico propter eius perfectionem tantùm gaudet quilibet Beatus de bono alterius, quantum de proprio, & per consequens tantùm diligit ipsum.

Confutatio. Sed hæc euasio non concludit contra rationem Doctoris. Tum, quia si vnus tantum diligit bonum alterius, quantum bonum proprium; hoc erit, vt conformetur voluntati diuinæ sic determinanti. Tum etiam, quia vnus Beatus plus diligit bonum suum intensiuè, quàm bonum alterius: imò ad hoc tenetur, licèt extensiuè posset plus diligere bonum alterius, si in re sit maius: sed hoc requirit prolixiorem expositionem, & ideò differatur vsque ad dist. 50. quarti.

Vnus Beatus plus diligit bonum suum intensiuè, quàm bonum alterius.

Ocham q. 1. quolib. Guill. verò Ocham aliter respondet. Et primò dicit, quòd non est notum naturaliter Deum diligere aliquid extra se. Sed hoc suprà improbatum est.

Aliter respondet, quòd non est demonstratum, quòd vnus Deus diligat infinitè alium Deum: quia non potèst demonstrari, quòd vterque sit infinitus intensiuè.

Hæc responsio non soluit rationem Doctoris quia posito quòd vterque Deus non sit infinitus, vterque tamen est summè perfectionis possibilis simpliciter: & sic sequeretur, quòd vnus summè teneretur diligere alium, & quia magis tenetur diligere se ipsum: ergo posset dari dilectio maior summa, quod est impossibile. *Improbatio.*

Ideò aliter respondet, quòd ista propositio: *quilibet naturaliter tenetur plus diligere se, quàm alia*: est vera si naturaliter diligit se, alia verò liberè: Deus autem secundùm Philosophos omnia naturaliter diligit. *Idẽ Ocham.*

Dico, quòd etiam Philosophi concederent, quòd liberè diligeret se, & alia: quia secundùm eos, est intelligens, & volens, vt probatum est suprà: licèt cum dilectione libera stet necessitas dilectionis: & quòd possit stare diffusè, patebit à Doctore *quæst. 16. quolib.* sed dilectio naturalis in proposito non est actus voluntatis liberè elicitus: sed est sola inclinatio naturalis: de qua hîc Doctor loquitur. Et ideò Deus magis inclinatur ad *esse* suum, quàm ad *esse* alterius Dei: & per consequens magis tenetur diligere se actu elicito: & sic stat ratio Doctoris. *Improbatio.*

Ideò dat etiam aliam responsionem, quòd dato quòd *A* liberè diligat *B*, adhuc voluntas libera conformatur voluntati naturali: aliter enim voluntas nostra, &c. Sed patet responsio in exponendo rationem Doctoris.

Secundò sic de voluntate. Aut *A* fruitur *B*, &c. Hæc ratio patet ex se, & ex supradictis: licèt Ocham nitatur soluere eam: & quia solutio est eadem cum solutione ad secundam rationem primæ viæ: ideò hîc pariformiter dicatur contra responsionem Ocham, sicut ibi responsum est.

SCHOLIVM.

Tertiò probatur ex ratione infiniti boni, quia voluntas ordinata amaret duo infinita bona, plus quàm vnum, & sic non quietaretur in vno infinito. Quartò, probatur ex infinita potentia. Primò, quia non possunt esse duæ causæ totales eiusdem in eodem ordine. Secundò, idem non potest essentialiter à duobus primò excedi, vel ad duos primos fines ordinari.

4. *Plura infinita perfectiora sunt vno infinito.* De tertia via, scilicet, de ratione infiniti boni, arguo sic: Voluntas ordinata potest appetere maius bonum, & magis amare maius bonum; sed plura bona infinita si sint possibilia, plus bonitatis includunt quàm vnum infinitum: ergo voluntas ordinatè posset plus amare plura bona infinita, quàm vnum, & per consequens in nullo vno bono infinito quietaretur: sed hoc est contra rationem boni, quòd sit infinitum, & non quietatiuum cuiuslibet voluntatis.

Idẽ effectus nõ potest esse à pluribus causis totalibus. Scot. hîc & 5. q. 1. & infrà d. 3. q. 6. & 4. d. 10. q. 2. & latè 3. d. 1. q. 2. ad 2. Quantum ad quartam [a] viam, scilicet, de infinita potentia arguo sic: Non possunt esse duæ causæ totales eiusdem effectus, in eodem ordine causæ; sed infinita potentia est causa totalis respectu cuiuslibet effectus in ratione primæ causæ: ergo nulla alia potentia potest esse causa in ratione causæ primæ respectu alicuius effectus: & ita nulla alia est causa infinita in potentia. Primam propositionem probo, quia tunc aliquid esset causa alicuius à quo illud non dependeret. Probatio *A* nullo aliquid dependet essentialiter, quo existente nihilominus esset: sed si *C* habet duas causas totales *A* & *B*, & in eodem ordine causæ: vtrolibet eorum non existente, nihilominus esset ipsum *C* ab altero eorum: quia non existente *A* nihilominus erit *C* ab ipso *B*, & non existente *B*, nihilominus erit ipsum *C*, quia ab ipso *A*.

Iuxta idem arguitur de vnitate cuiuscunque primi, in quacunque primitate prædicta,

dicta, nihil enim excessum exceditur à duobus primò ipsum excedentibus: & nihil finitum essentialiter ordinatur ad duos primos fines: esset enim aliquid ad finem, quo non existente, nihilominus esset finitum, vt priùs argutum est: & esset aliquid excessum essentialiter ab aliquo, quo non existente nihilominus haberet essentiale excedens, quo mensuraretur essentialiter, & à quo acciperet suam perfectionem essentialiter, quod est impossibile: ergo impossibile est alicuius finiti duos fines primos esse, vel alicuius excessi duo prima eminentia esse.

COMMENTARIVS.

Ocham nititur soluere rationem Doctoris.

a QVantum ad quartam viam. Hæc via est satis clara. Et Ocham respondet ad hanc rationem, vbi suprà, videlicet, quòd causa totalis potest dupliciter intelligi. Primò, quòd illud dicatur causa totalis, quo posito, omni alio circunscripto, potest effectus sufficienter produci: & illo modo causa totalis dicitur causa efficiens. Secundò, dicitur causa totalis illud, quod potest aliquem effectum sufficienter producere, & sine quo non potest talis effectus produci, & isto modo causa totalis, & causa præcisa idem sunt. Primo modo, idem effectus simul potest esse à duabus causis totalibus: sicut idem calor numero potest simul produci à Sole, & ab vno igne, vel à duobus ignibus.

Rationes Ocham cõtra Doctorẽ nihil perficiunt.

Sed, iudicio meo, hoc videtur simpliciter impossibile, vt patet in litera Doctoris, quòd idem calor sit totaliter à duobus ignibus simul, quia circunscripto vno, adhuc ille calor esset ab alio igne, & ex alia parte non esset circunscripto alio igne, à quo essentialiter dependet.

Hîc respondet Ocham, quòd ille calor adhuc esset, circunscripto illo igne, & illo posito. Et cùm dicitur, quòd non esset, circunscripto illo igne. Dicit, quòd hoc verum esset si essentialiter dependeret ab igne circunscripto: sed essentialiter non dependeret: quia sufficienter esset ab igne non circunscripto.

Sed hoc videtur simpliciter contra rationem, quòd vnus, & idem effectus sit totaliter à duabus causis: quia vel vna illarum nihil produceret; vel idem bis produceretur: quòd enim duæ actiones totales in eodem ordine causarum terminentur ad eundem effectum, videtur omnino contra rationem, cùm effectus per vnam actionem totalem simpliciter capiat totum suum *esse*: ergo vel alia superflueret, vel idem bis caperet *esse*. Multæ aliæ rationes possent adduci, quas relinquo aliis peritis lectoribus.

Impossibile est vnum effectũ totaliter esse à duabus causis.

Iuxta idem. Hæc ratio similis est rationi præcedenti, & eodem modo formetur.

SCHOLIVM.

Quintò probatur vnitas Dei ex ratione infiniti absolutè, quia perfectio numerabilis in diuersis, maior est in pluribus, sed infinita nequit esse maior. Probatur sextò ex ratione necesse esse. 1. quia necesse esse, esset plurificabile, in indiuidua, & essent infinita necessaria, quia in his idem est esse, & posse. 2. vel essent necesse esse, per id in quo conueniunt, & per ea in quibus differunt, vel in altero tantùm, sed nihil horum dici potest.

DE quinta via dico, quòd infinitum absolutè, non potest excedi, & arguo sic: Quæcunque perfectio potest numerari in diuersis, plures perfectiones habet in pluribus, quàm in vno: sicut dicitur 8. *de Trin. cap* 1. ergo infinitum in pluribus omnino numerari non potest. 5.

De sexta via [a], primò arguo sic: Species plurificabilis in indiuiduis, non determinatur ex se ad certum numerum indiuiduorum: sed quantum est ex se, compatitur infinitatem indiuiduorum, sicut patet in speciebus omnibus corruptibilibus: ergo si ratio *necesse esse*, sit plurificabilis in indiuiduis, non determinat se ad certum numerum, sed compatitur infinitatem, quantùm ex se est, sed si possent esse infinita *necesse esse*, sunt infinita *necesse esse*: consequens est falsum: ergo antecedens ex quo sequitur.

In necessariis idem est esse & posse.

Secundò arguo [b] sic, iuxta istam viam: Si sunt plura *necesse esse*, aliquibus perfectionibus realibus distinguuntur: sint perfectiones istæ *A* & *B*, tunc sic, aut ista duo distincta per *A*, & *B*, sunt formaliter *necesse esse* per *A* & *B*, aut non; si non, ergo *A* non est formalis ratio necessariò essendi; nec *B*; ergo per consequens nec includens *A* est *necesse esse*. Probatio, quia includit aliquam entitatem, quæ non est necessitas formaliter essendi, nec necessaria ex se, si autem illa sint formaliter *necesse esse*, per *A* & *B*, & præter hæc vtrumque est necesse per illud in quo conuenit vnum cum alio: ergo vtrumque habet in se duas rationes, quarum vtraque formaliter est necesse esse: sed hoc est impossibile, quia neutra illarum includit alteram: vtralibet igitur illarum circunscripta, esset tale *necesse esse* per reliquam, & ita esset aliquid formaliter *necesse esse* per rationem aliquam, quâ circumscriptâ nihilominus esset *necesse esse*, quod est impossibile.

COMMENTARIVS.

a *De sexta via.* Hanc rationem cum instantiis contra eam vide in 2. quæst. quolib. vbi Doctor eam prolixè declarat, & omnes instantias contra eam soluit, & ex dictis ibi patebit, quòd responsio, quam facit Ocham contra istam rationem, non soluit ipsam.

b *Secundò arguo sic.* Hæc ratio exposita est suprà præsenti dist. quæst. 1. art. 3. Et ibi patent solutiones contra instantias factas ab Ocham in primo dist. secunda, & in quolib. quæst. 1. & similiter ad instantias Magistri Alfons. in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 3.

SCHOLIVM.

Septimò probat ex ratione omnipotentiæ, quia si quod vnus Deus vellet esse, posset alter destruere, ille non esset omnipotens, si non posset, alter esset nullipotens.

6. *42. d. huius primi, & in quodl. q. 7. & in Theorematibus tractatu propositionũ creditarum. Omnipotentia Theologicè est posse omne non necessarium se solo producere, quod Philosophi Deo denegarunt.*

De septima via, scilicet de omnipotentia videtur, quòd illa non per rationem naturalem demonstrabilis, quia omnipotentia (vt aliàs patebit) non potest concludi ratione naturali, vt Catholici credunt omnipotentiam, nec concluditur ex ratione infinitæ potentiæ. Tamen ex omnipotentia credita arguitur sic propositum: Si *A* est omnipotens, ergo potest facere circa quodcunque aliud, ipsum *esse*, vel *non esse*, & ita posset destruere. *B*, & ita fieret. *B*, nullipotens, ergo. *B* non est Deus.

Ista ratio non valet, quia *B*, non est obiectum omnipotentiæ ipsius *A*, quia omnipotentia pro obiecto respicit possibile: *B* autem ponebatur necessarium sicut *A*.

Ideò ex omnipotentia credita arguitur aliter sic, declarando rationem Rich. 2. *de Trinit. cap. vlt.* Omnipotens sicut suo velle potest producere omne possibile, ita suo nolle potest impedire, vel destruere omne possibile, si iam habet esse *A*: ergo omnia possibilia potest suo velle, in esse producere: non autem est necesse quòd *B* velit omnia illa esse, sed potest nolle illa esse quæ *A* vult: quia voluntas *B*, se habet contingenter ad illa, quæ vult *A*, sicut voluntas *A*, ad illa quæ *B* vult; si est Deus. Si autem *B* nolit illa esse, ergo nullum eorum est: igitur si sint duo omnipotentes, vterque illorum faceret alterum nullipotentem, non destruendo illum, sed faciendo vel prohibendo per suum nolle *esse* volitorum ab alio.

** Al. supponendo.*

Quòd si dicas * somniando, quòd concordant in voluntate sua, quamuis de hoc nulla sit necessitas, sed quasi fecerunt pacta.

Adhuc probo, quòd neuter eorum erit omnipotens. Nam si *A* est omnipotens, potest producere suo velle quodcumque aliud possibile volitum à se. Ex hoc sequitur, quòd *B*, nullum eorum potest producere suo velle, & ita non est omnipotens.

Quòd hoc sequatur patet ex quarta via: quia impossibile est duas causas esse totales vnius effectus: quia ex quo causatus est ab vna, impossibile est, quòd sit ab alia.

Secundùm Damascen. Mag. seno. D. Thom.

Argumenta quædam aliorum ad conclusionem prædictam nolo hîc adducere, quibus non oportet inniti: quia sunt solubilia, & æquè forsan concludentia vnum esse Angelum in vna specie, si Angelus est simplex in essentia sua: aut si concludunt, non tamen ex naturaliter nobis notis: nec oportet illa adducere vt soluenda, quia non sunt contra conclusionem, quam teneo.

COMMENTARIVS.

Omnipotẽtia impropriè dicta potest via naturali demonstrari. Obiectũ omnipotentiæ est ens causabile, id est, creatura.

De septima via. Dicit Doctor quòd loquendo de omnipotentia, vt Theologi loquuntur, scilicet, quòd primum possit in omnem effectum immediatè, ita quòd possit producere omne producibile, nulla causa secunda concurrente, sicut exponit Doctor *in isto 1. dist. 42.* & diffusiùs *in quolib. quæst. 7.* hoc modo accipiendo *omnipotentiam*, negarent Philosophi primum effectiuum esse omnipotens: quia non concederent effectum imperfectum posse immediatè produci à primo effectiuo: vt suprà exposui in q. 1. præsentis distinctionis. Sed hoc tantum est creditum, quo credito posito, aliqui sic arguunt: Si *A* est omnipotens, ergo potest destruere alium Deum, scilicet *B*. Dicit Doctor quòd hæc ratio non valet: quia omnipotentia respicit tantùm possibile, vt clarè ostendit *in isto 1. d. 20. & 42. & 7. quæst. quol.* vide ibi. Reliqua litera clara est vsque in finem articuli.

TEXTVS.

7. *Rationes pro Guil. var. dissoluuntur.*

Ad illa [a], quæ sunt pro alia opinione respondeo ad auctoritatem Rabbi Moysi: dico, quòd populus Iudaicus fuit rudis & pronus ad idololatriam: ideò indiguit instrui per leges de vnitate Dei: licèt per rationem naturalem poterat demonstrari, ita etiam acceptum est à lege, quòd Deus sit, Exodi tertio. *Ego sum qui sum.* Et Apostolus ad Hebræos dicit, quod *oportet accedentem ad Deum credere: quia est*; & tamen non negatur

11. cap.

Deum

Deum esse, esse demonstrabile: ergo pari ratione negandum non est posse demonstrari *Deum esse vnum*, licèt acceptum sit à lege. Illa etiam, quæ possunt demonstrari, vtile est communitati tradi per viam auctoritatis, & propter negligentiam communitatis in inquirendo veritatem & propter impotentiam intellectus, & propter errores inquirentium per demonstrationem, quia veritatibus suis multa falsa permiscent, vt dicit Aug. 18. *de ciuit. Dei*, & ideò quia simplices sequentes tales demonstrationes, benè possent dubitare, cui esset assentiendum. ideò tuta est via & facilis & communis, auctoritas certa, quæ non potest fallere, nec falli.

Quare expedit reuelari, quod potest demonstrari? Cap. 41.

Ad secundam rationem de singulari, dico, quòd aliud est singularitatem esse conceptam vt obiectum, vel vt partem obiecti: aliud est singularitatem esse præcisè modum concipiendi, siue sub quo concipitur obiectum.

Exemplum, cùm dico, *plurale est singulare*, obiectum conceptum est *pluralitas*: sed modus concipiendi, id est, modus, sub quo concipitur, est *singularitas*. Ita in intentionibus Logicis, cùm dico singulare est vniuersale, quod concipitur est *singularitas*: sed modus concipiendi, sub quo concipitur, est *vniuersalitas*, quia quod concipitur, vt concipitur, habet indifferentiam ad plura. Ita dico in proposito, quòd essentia diuina potest concipi vt singularis, ita quòd singularitas sit concepta, vel vt obiectum, vel vt pars obiecti: nec tamen sequitur, quòd essentia posit cognosci vt singularis, ita quòd singularitas sit modus concipiendi. Cognoscere enim sic aliquid vt singulare, est cognoscere illud *vt hoc*, sicut album videtur *vt hoc*: & hoc modo (vt prædictum est) non cognoscitur essentia diuina sub ratione singularis; & ideo in argumento est fallacia figuræ dictionis, commutando rem in modum.

Plurale est singulare quo sensu?

Ad rationes principales. Ad primam dico, quòd Apostolus loquitur de idolis, & ideo de Diis nuncupatiuè, & subdit ibi. *Nobis autem vnus est Deus*, quia *omnes dij gentium dæmonia*.

Arg. 1. Psalm. 95.

Ad [b] secundam dico, quòd consequentia non valet, quia Numerus non est talis modus significandi grammaticaliter, quales alij modi grammaticales, qui præcisè dicunt modum concipiendi rem absque aliquo reali correspondēti tali modo concipiendi: nec dicunt aliquid in re, à quo moueri posit intellectus ad talem modum concipiendum: sed Numerus verè includit rem substratam, vnde sequitur: *homines currunt*, *ergo plures homines currunt*. sed non est sic de aliis consignificatiuis Nominis, vel Verbi, quia non sequitur, *Deus est generis masculini*, *ergo Deus est masculus*; quia ad masculinitatem sufficit aliquid in re, à quo iste modus concipiendi posit accipi, puta actiuitas.

Modus cōcipiendi grammaticalis duplex.

Quare Deus est masculini generis, cùm non sit masculus, tamē nō potest esse pluralis numeri quin sit plures?

Dico igitur, quòd illud subiectum, *dij*, conceptum sub modo plurali includit contradictionem, quia modus concipiendi repugnat ei, quod concipitur sub modo. Cùm igitur probatur consequentia, quia idem includit singulare & plurale, dico, quòd singulare includit illud sub modo concipiendi conuenienti ipsi concepto, sed plurale includit illud sub modo incompossibili illi concepto, & ideò illud singulare includit rationem quasi in se veram, provt includit conceptum & modum concipiendi: plurale autem provt includit illa, includit rationem quasi in se falsam, & ideò non sequitur, quòd plurale sit verum de plurali, sicut singulare de singulari; quia de eo cuius ratio est in se falsa, nihil est verum.

Per idem patet ad aliam probationem, quo maius cogitari non potest, quia non sunt dij cogitabiles sine contradictione, quia modus repugnat rei conceptæ, & ideò maior est glossanda sicut priùs in quæstione præcedenti: ad veritatem autem propositionis requiritur, quòd ratio subiecti sit in se vera, & non includat contradictionem, sicut dictum est in quæstione secunda huius distinctionis.

Ad 2.

In quarta via.

Ad tertium dico, quòd maior propositio non est prima, sed reducitur ad istam, *omne imperfectum reducitur ad perfectum*: & quia omne ens per participationem est imperfectum, & tantùm illud ens est perfectum, quod est ens per essentiam: ideo sequitur propositio illa maior de participatione.

Omne imperfectum reducitur ad perfectum explicatur.

Hæc autem maior, de imperfecto, sic habet intelligi, aliquid est imperfectum secundùm perfectionem simpliciter, quæ non necessariò habet imperfectionem concomitantem, quia non includit in se limitationem, vt *hoc bonum*, *hoc verum*, *hoc ens*: & huiusmodi imperfectum reducitur ad perfectum eiusdem rationis, scilicet *bonum*, *ens*, *verum*, quæ important perfectiones simpliciter. Aliquid autem est imperfectum secundùm perfectionem non simpliciter, sed secundùm perfectionem, quæ de ratione sui includit limitationem; & ideo necessariò habet imperfectionem annexam, vt *hic homo*, & *hic asinus*; quod igitur imperfectum est primo modo, reducitur ad perfectum simpliciter secundùm

Imperfectū secundùm imperfectionem simpliciter vocat,

quod secundùm suam rationẽ non est sub genere, vt hoc ens, hoc iustum, &c. imperfectũ secundùm quid, quod est sub aliquo genere, vt hoc brutum, quia irreducibile ad primum perfectum.

perfectionem illius rationis: quia aliquid secundum illam rationem potest esse simpliciter perfectum: quod autem est imperfectum secundo modo, non reducitur ad aliquid perfectum simpliciter secundùm perfectionem eiusdem rationis, scilicet ad rationem specificam: quia enim ista imperfectionem includit, ideò secundùm illam non potest esse aliquid perfectum simpliciter propter limitationem, sed reducitur ad aliquid perfectum simpliciter, æquiuocum eminenter includens illam perfectionem: & ideò bonum imperfectum reducitur ad perfectum bonum: sed sic lapis, qui est imperfectus, non reducitur ad lapidem perfectum simpliciter, sed ad summum ens, & ad summum bonum, quæ includunt virtualiter illam perfectionem.

Ad 4. Ad vltimum dicitur, quòd plura bona finita sunt meliora paucioribus bonis finitis, non autem plura bona infinita.

Bonau. d. 1. præsenti. q. 1. Ad 5.

Sed hoc non videtur respondere ad argumentum, quia quæcumque si essent meliora videntur ponenda in entibus esse, & maximè in ente supremo, quod est necesse esse: quia ibi quidquid posset esse bonum, est, & necesse est ibi esse: sed plura bona infinita si essent meliora: videtur igitur, quòd plura bona infinita sunt ponenda in natura summi boni.

Ad istud respondeo. Quòd cùm dicitur in maiori, illa quæ si essent, essent meliora, sunt ponenda ibi: dico, quòd aut per ly, *si*, implicatur positio possibilium, aut positio incompossibilium: si primo modo, dico, quòd maior est vera, & minor falsa; quia implicatio illa in minori non est possibilium, sed incompossibilium: si autem ly, *si*, implicet positionem incompossibilium, minor est vera, & maior falsa, quæ enim non essent meliora nisi ex positione incompossibilium, non essent meliora, nec etiam sunt bona, sicut illud, quod non est nisi ex positione incompossibilium omnino non est: sicut nec illud est, à quo illud dependet.

COMMENTARIVS.

1. a *AD illa quæ sunt pro alia opinione respondeo ad auctoritatem Rabbi Moysi.*

Hìc Doctor respondet ad argumenta facta pro opinione Gul. Varronis posita suprà: & responsio ad auctoritatem clara est in litera.

Singulare potest capi tripliciter.

Ad secundam rationem de singulari. Pro expositione huius literæ: nota, quòd *singulare* potest tripliciter accipi. Primò vt est secunda intentio, scilicet vt est quædam prædicabilitas tantùm de vno solo; siue vt est vna secunda intentio nata tantùm applicari alicui de se ipso, tantùm potente prædicari. Secundò pro fundamento talis secundæ intentionis: puta pro Francisco. Tertiò, pro ratione indiuiduali determinatiua naturæ ad singularitatem, quæ est quidam actus adueniens naturæ, faciens ipsam esse singularem, de qua singularitate patebit *in isto primo dist. quinta, quæstio. secunda, & 26. dist.* sed clarius & prolixius *in secundo, dist. 3.* Tunc dico, quòd singulare primo modo sumptum, scilicet pro secunda intentione potest in se concipi, & tunc est obiectum conceptum: potest etiam concipi sub modo vniuersali, vt dicendo *singulare est vniuersale.* Nam hoc quod dico prædicari de vno solo tantùm: est commune ad hoc prædicari de vno solo, & ad hoc prædicari de vno solo: & sic de aliis. Prædicari autem prædicatione signata, per se competit secundis intentionibus, & per accidens primis intentionibus: vt patet à Doctore in suis vniuersalibus: & isto modo ibi obiectum conceptum est singulare: sed modus concipiendi est vniuersale: quia sub modo vniuersali concipitur. Si verò *singulare* primo modo sumptum accipiatur simul cum fundamento, puta cum Francisco: tunc totum obiectum conceptum est Franciscus cum singularitate primo modo sumpta: & singularitas illa est pars conceptus. Si verò accipiatur tantùm Franciscus pro obiecto concepto: tunc singularitas primo modo sumpta est modus concipiendi: quia cùm dico *Franciscus est singulare:* sensus est, quòd concipio Franciscum sub modo singularitatis.

Prædicari prædicatione signata per se competit secundis intentionibus, & per accidens primis. G. B. Regula pulcherrima scitu.

Sic dico in proposito de essentia diuina, si concipitur essentia diuina: vel potest concipi, vt obiectum conceptum: & tunc via naturali tantùm concipitur in vniuersali, & nullo modo, vt hæc. Si verò concipiatur singularitas primo modo sumpta, quæ prædicatur denominatiuè de essentia diuina: & de qualibet re singulari, tunc ipsa singularitas est obiectum conceptum: & vt sic est communis omni enti singulari. Si verò concipiatur, vt pars concepti, puta concipiendo aliquam essentiam primam singularem: hoc potest esse. Si verò conciperem essentiam singularem sub modo singularitatis, id est, sub propria singularitate, & sub propria incommunicabilitate ad plura: in quibus diuidatur, hoc non est possibile via naturali: sed fit fallacia, vt patet. Nam arguendo sic: Franciscus potest cognoscere *A* singulare, ita quòd singularitas ipsius *A* sit concepta, vt obiectum, vel pars obiecti: ergo potest cognoscere *A* sub modo singularitatis, seu sub ratione formali singularitatis. Non sequitur: sed fit fallacia figuræ dictionis commutando rem in modum. 2.

Propositio est vera, sed si dicit modũ concipiendi incõpossibilem, est falsa.

b *Ad secundam dico,* Hæc respõsio stat in hoc, quòd numerus non dicit præcisè modum significandi grammaticaliter, quales alij modi grammaticales: vt masculinum, & fœmininum, &c. quæ præcisè dicunt modum concipiendi rem absque aliquo reali correspondenti tali modo concipiendi. patet in isto exemplo: *Deus est generis masculini,* licèt enim Deus concipiatur sub isto modo: non tamen Deus est masculus: sed numerus singularis, vel pluralis, non tantùm dicit modum concipiendi rem, sed oportet quòd ipsa res concepta 3.

cepta correspondeat modo tali. Nam cùm dico, *homines currunt*, est numeri pluralis: hic numerus pluralis, qui est modus concipiendi rem sub modo pluralitatis habet conceptum sic in re: ideò hæc esset falsa: *Homo est numeri pluralis*; quia modus repugnat rei conceptæ: sic est in proposito: nam cùm dico, *dij sunt numeri pluralis:* dico, quòd ille modus repugnat huic concepto, quia impossibile est, quòd sint duo dij in re: & sic plurale hoc modo includit rationem in se falsam: cùm enim dico, *Deus est singularis numeri:* hæc ratio est in se vera: quia includit rem, scilicet Deum, & modum sibi conuenientem, qui est numerus singularis: cùm verò dico, *dij sunt pluralis numeri:* hæc ratio est in se falsa: quia includit rem simpliciter incompossibilem, est enim incompossibile esse plures Deos: ideò non sequitur, quòd si *singulare* primo modo possit verè prædicari de singulari: quòd etiam plurale possit verè prædicari de plurali, quando res pluralis est incompossibilis, vt in proposito.

4. Ad tertiam rationem responsio satis clara est. Et cùm dicit *de perfectione simpliciter*, &c. Vnum tantùm nota pro nunc: quia infrà in præsenti dist. parte 2. quæst. 1. illius partis in responsione ad illam quæstionem diffusè pertractabitur de perfectione simpliciter. Hìc tamen pro ista litera Doctoris nota, quòd passiones entis conuertibiles cum ipso: vt *vnum*, *verum*, *bonum*, &c. & similiter omnia transcendentia, quæ dicunt perfectionem, & ex sua ratione formali nullam necessariò includunt imperfectionem: vt intellectus, voluntas, sapientia, spiritus, substantia, transcendens: & huiusmodi: omnes istæ perfectiones dicuntur perfectiones simpliciter: quia eis non repugnat infinitas, vel in se, vel in suis inferioribus. Patet quia datur infinitum bonum, infinitus spiritus: & sic de aliis. Omnia verò entia de se limitata, vt sunt omnia Genera, & contenta in eis, non possunt esse perfectiones simpliciter: quia in se, & in suis inferioribus repugnat infinitas, vt patet: quia impossibile est ens limitatum esse infinitum intensiuè: ideò reductio ad huiusmodi entia, non est reductio ad simpliciter perfectum: sed reductio ad entia primo modo, puta hoc ens ad ens: vel hoc bonum ad bonum: & huiusmodi, est reductio ad simpliciter perfectum: cùm ens, & bonum dicantur perfectiones simpliciter modo præexposito, & patet litera Doctoris.

c *Ad vltimum dicitur.* Aliqui respondent ad hoc argumentum: videlicet, quòd plura bona finita sunt meliora paucioribus: sed non plura bona infinita: quia illa sunt impossibilia.

Sed hoc non videtur respondere ad argumentum. Et vt ista litera clarè intelligatur, formetur sic argumentum: Quæcunque plura bona, si essent meliora, ponenda essent in vniuerso: sed si essent plura infinita, essent plura bona meliora: ergo plura infinita, essent ponenda in vniuerso.

Respondeo quòd si ly *si* replicat incompossibile, maior est falsa: quia cùm plura incompossibilia non possint esse, ergo nec meliora: & minor est vera, id est, si plura bona infinita essent compossibilia, essent meliora. Si verò ly *si* replicaret compossibilitatem, maior est vera, id est, quæcunque plura bona si essent compossibilia essent meliora, & illa essent ponenda: ne vniuersum careat sua perfectione: & minor est falsa, scilicet: sed plura bona infinita essent compossibilia. Et sic finis huius primæ partis præsentis distinctionis. Sequentes quæstiones pertinent ad Trinitatem personarum.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm cum vnitate essentiæ stet pluralitas personarum?

Alensis 1. *part. quæst.* 14. *m.* 5. D. Thom. 1. *part. quæst.* 39. *art.* 2. D. Bonau. *hîc art.* 1. *quæst.* 2. Richard. *art.* 1. *q.* 1. *& art.* 2. *quæst.* 2. Henr. *quodlib.* 6. *quæst.* 1. *& quodlib.* 2. *quæst.* 6. Suares 1. *part. tract.* 3. *l.* 4. *cap.* 1. Bellarm. *l.* 2. *de Christo cap.* 1. *vide* Scot. 5. *Met. quæst.* 1. *in Theor.* §. non potest probari.

1. *Circa secũdam partem huius dist. in qua Magister agit de pluralitate personarũ, & productione earũ quærũtur 4. primum est, vtrum cum vnitate diuinæ essentiæ simpliciter stet pluralitas personarum?*

CIRCA secundam partem huius dist. quæritur primò. Vtrùm possibile sit cum vnitate essentiæ diuinæ, stare pluralitatem personarum.

Quòd non, quia quæcunque vni, & eidem simpliciter, sunt simpliciter eadem, inter se sunt eadem simpliciter. Dicitur, *simpliciter*, ad excludendum identitatem secundùm *quid*, quia si sunt eadem eidem non simpliciter, sed secundùm *quid*, vel si eidem simpliciter, sunt eadem solùm secundùm *quid*: non oportet illa esse simpliciter eadem, sed personæ diuinæ sunt simpliciter, & omnino idem essentiæ diuinæ, quæ in se & omnino est simpliciter eadem: ergo, &c. Maior patet, tum quia per eam tenet omnis forma Syllogismi perfecti, quæ forma de se est euidens: quia in præmissis notantur extrema in medio coniungi, & ex hoc solùm concluditur identitas extremorum inter se in conclusione: tum quia oppositum prædicati destruit subiectum: quia si non sunt eadem omnino inter se, non sunt simpliciter eadem alicui eidem simpliciter. Minor probatur, quia essentia diuina propter summam simplicitatem est quidquid habet, secundùm Magistrum *dist.* 8. & secundùm Augustinum 11. *de ciuit. cap.* 10. similiter alia pars minoris patet: quia ipsa est in se omnino simplex & indiuisibilis, ergo, &c.

7. Top. c. 3. & 1. Elenchorum c. 4. & 1. Phys. text. 17. & 4. Met. t. c. 3. & primo priorũ implicitè habetur & cõmuniter allegatur.

Secundò sic: essentiale [b], & accidentale diuidunt totum ens. Quidquid ergo est in aliquo, aut est idem sibi essentialiter, aut accidentaliter, sed quod distinguit personas non est *Arg. 2.*

est

est accidentale essentiæ, (quia nihil sibi accidit) ergò est sibi idem essentialiter: sed quod essentialiter est idem essentiæ, multiplicato illo multiplicatur essentia; ergo si sunt plures personæ, sunt plures essentiæ.

2. *Arg. 3.* Tertiò sic: Nihil est ponendum in entibus, & maximè in summo bono, quo non posito, nihil perfectionis deficit in vniuerso: sed aliqua persona diuina non existente in diuina essentia, nihil perfectionis deesset in vniuerso: ergo pluralitas talium non est ponenda in Deo. Probatio minoris: si secunda persona non esset, quidquid perfectionis esset in ea, esset in persona alia, & ita nihil perfectionis deesset in vniuerso, si ipsa non esset: quia quidquid perfectionis simpliciter est in vna, est in alia: ergo subtractâ vnâ, & manente alia, nihil perfectionis tollitur ab vniuerso.

Instantia. Dices quòd sub omni modo, quidquid perfectionis est in vna, est in alia.

Contra, iste modus habendi vel essendi, aut est perfectio, aut non: si sic, erit in Deo, & per consequens persona prima non erit simpliciter perfecta, quæ non habebit illum modum. Si non, ergo stat argumentum, quòd non manente secunda persona, manet tota eius perfectio in persona prima: ergo nihil perfectionis deperditur ab vniuerso, amota persona secunda.

Arg. 4. Item quartò. Si sunt plura *necesse esse*, quæro quibus formaliter distinguuntur? sint *A* & *B*, sed quod plura sint *necesse esse*, includit contradictionem: quia aut illæ rationes, quibus distinguuntur, sunt *necesse esse*, & necessitates essendi; & tunc erunt duo *necesse esse*, quæ etiam conueniunt in *necesse esse*: & per consequens per *necesse esse*, non distinguuntur. Si autem illæ rationes sunt possibiles; ergo illa quæ istis distinguuntur, non sunt *necesse esse*.

COMMENTARIVS.

a Primum argumentum. *Quæcunque vni & eidem*, &c. debet sic intelligi: vt aliqua sint eadem simpliciter inter se, si sunt eadem propter identitatem in tertio, duo requiruntur; Primò requiritur, quòd illud tertium sit vnum ens simpliciter, & non secundùm *quid*: sicut est vnum in essentia simpliciter, vel vnum in natura simpliciter; vel vnum in supposito simpliciter. Exemplum primi, & secundi, vt natura, puta hominis singularis, & actu existens. Exemplum tertij, vt suppositum talis naturæ. Exemplum quando est vnum tantùm secundùm *quid*, vt homo in *esse* diminuto, vel in *esse* cognito, vel opinato. Secundò requiritur quòd illa duo, quæ sunt eadem in tertio, sint simpliciter eadem illi, & non secundùm *quid*. Exemplum de *simpliciter*. Si Franciscus esse vnum, siue idem simpliciter cum hac natura humana, actu existente (*idem*, dico, essentialiter, vel realiter) & similiter Ioannes hoc modo esset idem; tunc inter se essent idem essentialiter, & secundùm *esse* existentiæ. Similiter si essent idem homini in *esse* reali, & quiditatiuo, essent simpliciter idem inter se. Exemplum de *secundùm quid*, vt albedo & dulcedo sunt idem lacti tantùm secundùm *quid*: & sic inter se erunt idem tantùm secundùm *quid*: nam in lactè tantùm sunt idem accidentaliter. Et ideò Aristoteles 1. *Elench.* dicit quòd hæc regula patitur instantias duas, quas ibi facit: & hoc quia non possumus concludere identitatem simpliciter aliquorum inter se, quando sunt idem alicui, quod in se secundùm quid, & quando sunt idem illi tantùm secundùm quid. Et per hanc regulam priùs expositam, tenet omnis forma Syllogismi perfecti. Quia enim homo & risibile sunt simpliciter idem animali rationali, quod est vnum simpliciter; per illud tertium concluditur risibile de homine.

b Secundò principaliter arguitur, quòd vnitas essentiæ non sit in pluribus suppositis; quia si esset in illis, esset per proprietates vltimatè constituẽtes talia supposita, quæ proprietates sunt in essentia diuina, vt infrà patebit, *dist. 5. q. 2.* & tunc quæro, aut sunt ibi essentialiter idem, aut accidentaliter, non datur medium. Non primò, quia multiplicato illo, quod est idem essentialiter essentiæ, multiplicatur essentia. Non secundò, quia nihil est accidens essentiæ diuinæ.

c Tertiò, *Nihil est ponendum in entibus*, &c. Minor patet, quia secundâ personâ non posita, nihil perfectionis deficit in vniuerso: quia tota perfectio saluatur in prima: ergo secunda persona non est ponenda: ergo sufficit quòd essentia sit tantùm in vno supposito. Nec valet dicere quòd si secunda persona non esset, non haberetur perfectio, sub omni modo, quo posset haberi: quia hoc nihil est. Talis enim modus habendi non est perfectio aliqua, quia tunc primæ personæ deficeret aliqua perfectio.

Quartò & vltimò, arguitur per rationem ducentem ad impossibile: quia sequeretur quòd vna persona esset necesse esse, quia in ipsa essent plures necessitates essendi: quia esset necesse esse per id quo conuenit cum alia persona, scilicet per essentiam, & per id quo distinguitur ab alia persona, scilicet per proprietatem, & sic arguatur vt suprà argutum est de vnitate Dei.

SCHOLIVM.

Positis quatuor argumentis pro parte falsa, ponit rationem ad oppositum, & rem tractat. q. 7. vbi § ad primam quæstionem *n. 38. soluit argumenta huius quæstionis.*

Ratio ad oppos. AD oppositum, illud est possibile, quod non includit contradictionem: sed non includit contradictionem, quòd si vna essentia in tribus personis: quia contradictio est

est secundùm idem: hîc autem non est contradictio secundùm idem, quia hîc est vnitas essentiæ, & Trinitas personarum relatiuarum: ergo, &c.

QVÆSTIO V.

Vtrùm in Deo sint tres personæ, non plures, nec pauciores?

Alensis 1.*p.q.*14.*m.*5.D.Thom.1.*p q.*27.*art.*5.*&* *q.*30 *art.*2.Henr.*quodl.*6.*q.*1.Rich.*hîc art.*2.*q.*2.D.Bonau. *q.*4.Suar.1.*p tract.*3.*lib.*1.*cap.*10. Bellarm.*lib* 1.*de Christo,cap.*1.*&* *lib.*2.*cap.*8.*vide* Scot. 9.*Met.quæst.*10. Mayron.1.*dist.*2.*quæst.*9.Durand.*dist.*2.*quæst.*4.

IVXTA hoc quæro. *Vtrùm sint tantùm tres personæ in essentia diuina?* Et arguo quòd non. 1.

Primò sic: Relationes oppositæ sunt æqualis dignitatis: ergo si relatio primi producentis tantùm constituit vnam personam, correspondebit sibi alia relatio tantùm constituens personam vnam productam: & ita tantùm erit vna persona producta. *Arg. 1.*

Præterea, Duabus relationibus productorum correspondent duæ producentium, & æquè distinguuntur ista extrema inter se, sicut illa inter se; ergo si istæ duæ relationes constituunt duas personas, & aliæ duæ constituent alias duas, & ita erunt quatuor personæ diuinæ. *Arg. 2.*

Præterea, Potentia finita durans in infinitum, posset habere effectus infinitos, sicut patet de Sole secundùm viam Philosophi 2 *de Generatione:* ergo potentia infinita potest habere infinita producta simul. Consequentia probatur, quia quòd potentia finita simul potest, in tot, in quot successiuè, hoc est propter finitatem, propter quam pro nunc adæquatur sibi iste effectus: ergo potētia infinita in quot potest successiuè, in tot potest simul. *Arg. 3.*

SCHOLIVM.

Pro parte falsa ponit tres rationes; prima probare nititur esse pauciores; aliæ duæ, esse plures. Sed tantùm esse tres, probat ex Scriptura, de quo infr. q.7. §. ad 2 q. n. 34. *vbi etiam soluit hæc tria argumenta.*

OPpositum, videtur Matth. vlt. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* & primæ Ioannis quinto: *Tres sunt qui testimonium,* &c. & Augustinus, de Fide ad Petrum, capitulo secundo, & ponitur in litera. *Ratio ad oppos.*

QVÆSTIO VI.

Vtrùm essentia diuina stare posit in aliquo producto?

ET quia pluralitas diuinarum personarum declaratur ex productione, ideò quæro de productione in natura diuina. 1.

Circa productionem personarum diuinarum per quā declaratur pluralitas ipsarū, quæruntur duo: primū. Vtrū in diuinis possit esse aliqua productio intrinseca? vel vtrum cum essētia diuina possit stare in aliquo & ipsū esse productum?

Primò in communi: *Vtrùm essentia diuina posit stare in aliquo, & ipsum esse productum.* Arguo, quòd non, primò sic? Nullum productum est ex se necessarium, sed quidquid subsistit in essentia diuina, est ex se necessarium: ergo, &c. Probatio maioris per quinque vias.

Primò, quia nihil simul est ex se necessarium & ab alio: sed quod est productum, si est necessarium, est necessarium ab alio: ergo non à se. Maiorem huius Prosyllogismi probo. Quia si est necessarium ex se, ergo est necessarium, circumscripto omni alio; si autem est necessarium ab alio, non est necessarium illo circunscripto.

Secundò probatur prima maior, quia omne productum possibile fuit produci, alioquin impossibile produci esset productum: ergo omne productum aliquam possibilitatem includit, & omnis possibilitas repugnat necessariò ex se: ergo, &c.

Tertiò sic: Terminus productus est aliquo modo posterior producente, quia non potest intelligi productio sine aliquo ordine priori & posteriori, in illo priori, in quo producens intelligitur, non intelligitur productū, quia tunc nō esset prius: ergo intelligitur in illo priori productū non esse, & in signo posteriori, intelligitur esse, ergo mutatio.

Quartò probatur, quia essentia diuina circunscripta productione, non habet illud productum. Habet enim illud productum per productionem; ergo per illam fit essentia diuina de non habente illud, habens illud, & ita mutatio. 2.

Quintò,

Quintò, quia generatio videtur esse essentialiter mutatio, sicut species essentialiter in-includit genus: productio autem adesse per modum naturæ est generatio; igitur illa non potest intelligi sine mutatione.

Arg. 2. Secundò ad principale sic: Si est productum, ergo dependet: consequens est falsum, ergo antecedens. Probatio consequentiæ, quia si nullo modo dependet productum à producente; ergo vtrumque ex æquo haberet naturam, & ex hoc vltrà, non magis præexigeret productum ad sui productionem, & *esse*, quòd producens præhaberet suam naturam, quàm è conuerso, quod est contra naturam productionis.

Arg. 3. Tertiò principaliter sic, quia aliæ mutationes, quæ non ponunt de ratione sui tantam imperfectionem, quantam ponit generatio, non possunt esse in diuinis: ergo nec generatio. Consequentia patet, quia remouetur à Deo quidquid est imperfectionis. Probatio antecedentis, quia latio & alteratio secundùm Arist. 8. *Phys.* non ponunt tantam imperfectionem, quantam ponit generatio, quia multa entia perfecta possunt alterari, vel localiter ferri, quæ non possunt generari: sed non conceditur in Deo loci mutatio, vel alteratio, ergo nec generatio.

Vbi probat motum cœli localem & alibi.

SCHOLIVM.

Post tres rationes adductas pro parte falsa, adducit auctoritatem ad oppositum, & q seq. ante alias quæstiones, hanc resoluit, & eius argumentis satisfacit, incipit ibi §. quia sicut dixi num. 3.

Ratio ad oppos. AD oppositum est August. 4. de Trinit cap. 21. *Pater est principium totius diuinitatis*, non nisi per productionem; ergo, &c.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm in Deo sint duæ productiones, nec plures?

Alensis 1. *p. q.* 42. *m.* 2. *& q.* 47. *m.* 7. *rat.* 3. D. Thom. 1. *p. q.* 27. *art* 5. *vbi eius exp.* Henric. *quodlib.* 6. *q.* 1. *& in sum. art.* 37. *q.* 7. D. Bonau. *hic q.* 4. Richard. *art.* 2. *q.* 1. Marsil. *q.* 6. Gabr. 1. *d.* 7. *q.* 2. *art.* 1. *&* 2. Suares 1. *p. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 9. Bellarm. *lib.* 2. *de Christo per totum.* Scot. *quodlib.* 2.

Arg. 1. IVXTA hoc quæro in speciali, *Vtrùm sint ibi tantùm duæ productiones intrinsecæ*? Quòd non, arguo sic: quia vnius naturæ videtur esse vnus modus communicandi, secundùm Auerroëm 8. *Physic com.* 46. quod probatur per rationes suas ibidem. Prima, quia scilicet alterius materiæ est altera forma, alioquin non esset forma propria huius materiæ, & tunc quodlibet generaretur ex quolibet, & tũc vltrà, materiæ vniuersaliter essent otiosæ, & superfluæ. Sed materiæ correspondentes diuersis agentibus, & producentibus, sunt alterius & alterius rationis, quod patet in generatione per propagationem & putrefactionem; quia propagatum generatur ex semine, aliud non, sed ex alio corpore putrefacto.

Secundò arguitur ex opposito inserendo, quòd eadem species tunc esset à natura & à casu: ex quo infertur, quòd homo posset generari à semine asini, & ex infinitis materiis. Probatur autem primum consequens esse inconueniens, quia quod fit à casu, est oppositum ei, quod fit à natura.

Et præterea secundò, nulla species est à casu, quia quæ eueniunt à casu, sunt monstruosa: hoc totum est manifestum per se. Sed si natura haberet diuersos modos communicandi, tunc secundùm vnum modum communicandi posset aliqua species esse à natura, & secundùm alium modum communicandi, posset esse à casu.

Arg. 2. Præterea, arguitur sic; ex commento illo; generabile hoc generatur æquiuocè non ex semine: aut ergo de necessitate: aut vt in pluribus; aut vt rarò. Si de necessitate æquiuocè generatur: igitur nunquam ex semine, quod est falsum. Si autem vt in pluribus, æquiuocè de putrefactione generatur, ergo naturaliter: quia quæcunque vt in pluribus accidunt, naturaliter accidunt: ergo naturaliter generatur æquiuocè: & vlteriùs sequitur, quòd vt rarò propagetur ex semine, quod falsum est. Si autem vt rarò, generatur æquiuocè, sed quæ rarò eueniunt, casu eueniunt, & casualiter, & quæ casualia sunt, monstruosa sunt, & quæ sunt huiusmodi, non sunt eiusdem speciei, & hoc & illud; ergo natura non est communicabilis nisi vno modo.

Vide 4. de Generatione animaliũ.

2.
Arg. 3. Item, arguitur pro conclusione Commentatoris: *quia diuersorum motuum speciæ, sunt diuersi*

diuersi termini specie. 5. *Physic.* ergo si communicationes, vel productiones sunt alterius rationis: ergo & termini. *Text.31.& inde,& specialiter tex. 48.& infr. Text. 49.*

Quòd non tantùm sint duæ probo, quia Philosophus 2.*Physic.* distinguit naturam & intellectum tanquam diuersa principia actiua; vtriusque autem ratio verè inuenitur in Deo, quia neutrum includit imperfectionem: & ad intra, quia neutrum est productiuum ad extra: ergo præter productionem voluntatis, erunt duæ aliæ productiones ad intra.

Hoc etiam confirmatur per Philosophum 9. *Metaph. cap.*2. vbi videtur expresse dicere, quòd potentia rationalis valet ad opposita, quia scientia est oppositorum: sed si intellectus ex natura sui est indeterminatus ad opposita, & natura est determinata ad vnum: ergo intellectus habebit aliam rationem principij quàm natura. *Text.3.*

Præterea, potentia voluntatis est libera, ergo & productio eius est libera: ergo non determinatur ad vnum: sed ex libertate sua potest esse ad opposita; sed tantùm creatura est possibilis esse & non esse, non autem persona diuina: ergo voluntas est tantùm principium producendi creaturam, non personam diuinam. *Argum.4.*

Ad oppositum, si non sunt tantùm duæ personæ productæ: ergo erunt plures personæ quàm tres, vel pauciores quàm tres, quod est falsum. Illæ ergo auctoritates, quæ ostendunt tantùm tres esse personas in diuinis, ostendunt quòd sunt tantùm duæ personæ productæ. *Ratio ad oppositum.*

COMMENTARIVS.

SVPER quæstionem quartam Doctor quærit quatuor. Primò, *An possibile sit cum vnitate essentiæ diuinæ stare pluralitatem personarum.* Secundò, *An sint tantùm tres personæ in essentia diuina.* Tertiò, *An essentia diuina possit stare in aliquo, & ipsum esse productum.* Quartò, *An sint tantùm duæ productiones intrinsecæ.* Et primò respondet ad tertiam quæst. & primò declaro titulum quæstionis: in qua quæritur, *An essentia diuina possit stare in aliquo, & ipsum esse productum.*

Pro cuius intellectione præsuppono aliqua. Primò, quòd essentia diuina ex semetipsa est in Patre, id est, quòd proprietas constituens primam personam, sine quacunque productione immediatè oritur ab essentia diuina, & est ratio formalis, constituens primam personam in *esse* personali, & hoc diffusè patebit in isto primo *dist.* 28.

Secundò suppono, quòd essentia diuina non potest esse terminus formalis alicuius productionis; nisi per veram productionem sit communicata alicui supposito, accipienti *esse* per productionem, quod clarè patebit infrà *dist.* 5. *quæst.*2. *& 16.dist.* Et quia suppositum productum, cui essentia diuina communicatur, realiter distinguitur à supposito producente: quærit Doctor quomodo essentia diuina, cùm sit singularissima, & perfectissimè existens in prima persona, eadem possit communicari alteri supposito, realiter distincto à prima persona, quin & ipsa, vt in secunda persona realiter non distinguatur à seipsa, vt in prima persona, quia vt in prima persona est ratio formalis communicandi seipsam per productionem, & in secunda persona est terminus formalis, siue terminus communicatus per productionem: cùm in creaturis semper ratio formalis producendi aliquid, realiter distinguatur à termino formali productionis, siue à termino formali communicato producto per rationem formalē producendi, vt patebit infrà: & ideò Doctor priùs declarat productionem esse possibilem in diuinis, quam probat multiplici ratione.

SCHOLIVM.

Respondet primò ad quæstionem sextam, in diuinis esse productionem, probat quadrupliciter. 1. quia principium ex ratione sua formali productiuum, in quocunque est à se, & perfectissimè, productiuum erit: intellectus habens obiectum præsens est tale: ergo, & idem de voluntate, ponit tres instantias, contra hanc rationem. 1. quòd procedit de intellectu perfectibili. hanc reiicit, quia esse perfectibile est per accidens, & imperfectionis in principio productiuo, quod exemplo declarat, & sic non tollit quod est per se, & perfectionis, ab intellectu Dei. 2. instantia, quòd frustrà in Deo esset notitia genita, quia cognoscit omnia per ingenitam, reiicitur: quia agens perfectissimum non ex necessitate, sed ex plenitudine perfectionis agit; & ideò dicitur agens ex liberalitate secundùm Anic. 3. instantia, quia impossibile est, post productum adæquatum, amplius producere: sed in intellectu paterno est quasi productum adæquatum, quia ante Filium videt omnia. 2. Intellectus non est potentia factiua: ergo extra se non producit. Respondet Scot. ad primum, esse ad oppositum, quia principium manet productiuum, donec actu habeat adæquatum productum, & non sufficit quasi productum, quod verè est improductum. Ad secundum, potentia omnis productiua, potest producere in quocunque receptiuo proportionatè approximato, & si producibile aptum non sit recipi in alio, producetur per se subsistens, si potentia est perfectissima, & sic est hic.

3. Quia, ficut dixi [a], pluralitas declaratur ex productione, ideò primò respondeo ad quæstionem de productione, quæ est tertia in ordine: & dico, quòd in diuinis est, & potest esse productio. Quod probo sic: Quidquid de ratione sua formali est principium productiuum sufficiens, illud in quocunque est à se, & sine imperfectione, in eo est principium productiuum: istud [b] totum, scilicet intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi præsens, ex ratione sua formali, est principium productiuum notitiæ genitæ: ergo in quocunque est illud, scilicet intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi præsens, ibi erit principium productiuum notitiæ genitæ, & hoc secundùm proportionem suæ perfectionis: sed in Deo est illud secundùm veram rationem sui, ergo verè est ibi productio notitiæ genitæ.

Ad qu. 6. Maurit. dicit quòd istã rationẽ cancellauit Doctor in lib. suo, loco cuius manu sua scripsit.

ADDITIO.

Aliter potest argui sic: Quidquid de ratione sua formali est principium producendi, illud in quocunque est à se, in eo est principium perfectè producendi: sed memoria perfecta, siue quod idem est explicando, intellectus habens obiectum intelligibile sibi præsens, ex ratione sua formali est principium productiuum notitiæ genitæ, & patet quòd memoria talis est in aliqua persona diuina & à se, quia aliqua est improducta, ergo illa persona poterit per tale principium perfectum perfectè producere.

Vel sic potest argui: Omne suppositum habens à se quodcunque sufficiens principium producendi, potest producere productum adæquatum illi principio: aliquod suppositum diuinum habet à se principium quodcunque sufficiens producendi, quod est memoria perfecta: igitur, &c. Maior & Minor declarantur consequenter.

Vlteriùs consequenter arguo; nulla productio, per memoriam perfectam potest esse perfecta, nisi sit notitia adæquata illi memoriæ, siue illi intellectui respectu talis obiecti: memoriæ autem siue intellectui personæ diuinæ, cùm sit infinita, nulla notitia adæquatur respectu diuinæ essentiæ infinitæ vt intelligibilis, nisi infinita, quia intellectus ille est comprehensiuus illius obiecti infiniti: igitur aliqua persona diuina per memoriam potest producere notitiam infinitam. Sed illa erit in natura diuina, quia nihil aliud est infinitum: ergo in diuinis per memoriam potest esse productio ad intra. Sed si potest esse, igitur est, tùm quia ibi omne poßibile est necessarium, tùm quia illud principium est productiuum per modum naturæ: igitur necessariò agit. Consequentia patet, quia non potest impediri, nec ab aliquo alio dependet in agendo. Omne enim agens ex neceßitate naturæ, necessariò agit; nisi impediatur, vel ab alio dependeat in agendo. Maior primi Syllogismi apparet, quia quòd principio productiuo ex se non conueniat, quòd in illo sit productiuum, non potest esse nisi propter alterum duorum, vel propter imperfectionem eius in illo, vel quia vt in illo acceptum est per productionem adæquatam illi principio, sicut est de potentia generatiua, si sit in Filio, & vi spiratiua, si sit in Spiritu sancto. Vtrunque autem istorum excluditur, per hoc quod dicitur in maiori à se, quia nihil habet à se principium productiuum, nisi habeat illud sine imperfectione, & etiam non communicatum per productionem competentem tali principio. Maior secundi Syllogismi, quæ fuit minor primi Syllogismi, probatur, quia omni memoriæ creatæ hoc competit, non autem vnde creata siue imperfecta, quia imperfectio nunquam est ratio producendi, siue communicandi esse, quia hoc competit ex perfectione, non ex imperfectione. Conclusio absolutè illata, scilicet quòd memoria in prima persona diuina est principium communicandi sibi, concludit propositum, quia non est principium nisi per modum naturæ. Talis autem productio n n est nisi ad intrà.

Assignatio causæ singularis qualiter habens principiũ agẽdi non agit.

Alio modo concludit magis propositum, quia est principium productiuum notitiæ genitæ, igitur ad intra. Et tunc debet maior sic accipi: quidquid de ratione sua formali est principium alicuius, secundùm rationem eius formalem, in quocunque illud est à se, illud est principium productiuum talis.

Tertio modo maximè concludit propositum maior secundi Syllogismi, quia declaratur sic: Sicut non est perfecta memoria respectu alicuius intelligibilis, nisi illud obiectum sit præsens in ratione actu intelligibilis quantum potest esse præsens vt intelligibile illi: ita non est perfecta proles talis memoriæ, nisi sit actualis notitia tanta illius obiecti, quanta potest competere tali intellectui respectu obiecti, & illam voco adæquatam intellectui respectu talis obiecti, igitur in quocunque est istud, quod est intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi præsens, ibi est productiuum notitiæ genitæ: sed in Deo est istud secundùm veram rationem sui: igitur illi conuenit productiuum notitiæ genitæ.

Idem potest argui de voluntate, quia voluntas habens obiectum actu cognitum sibi præsentatum ex ratione sua est productiua amoris perfecti producti.

Contra istam [c] rationem insto, vt declaretur, & maiorem quidem rationis concedo; sed ad minorem diceretur, quòd illud totum non est ex se principium productiuum, sed tantùm quando intellectus potest habere ex se notitiam productam. Hoc autem est, quando

quando potest habere notitiam * aliam à se, quâ perficiatur: intellectus autem diuinus non potest habere notitiam distinctam à se, quâ perficiatur, & ideò non videtur, quòd ibi debeat poni principium productiuum. ** Aliàs extra se.*

Et confirmatur ista ratio: primò, quia notitia genita frustrà poneretur. Secundò, quia impossibile est eam poni.

Primum probatur: In nobis est necessaria notitia genita, quia per eam intellectus perficitur, qui sine ea esset imperfectus: intellectus autem infinitus, licèt habeat obiectum sibi præsens, tamen non formaliter perficitur per notitiam genitam, sed per notitiam ingenitam eandem sibi realiter, qua etiam formaliter intelligit.

Secundum, scilicet impossibilitatem, probo dupliciter. Primò, quia productiuum, vel producens habens productum adæquatum, non potest aliud producere: ergo cum totum illud, intellectus habens obiectum actualiter sibi præsens, habeat in intellectu paterno notitiam ingenitam sibi adæquatam quasi productam ex se, quia aliquo modo secundùm rationem intelligendi, posterior est tali præsentia obiecti, videtur quòd nullam virtutem vlteriorem habeat ad producendam notitiam distinctam aliam ab ista.

Secundò probatur, quia intellectus est potentia actiua, non factiua, vt dicitur 9. *Metaph.* igitur si potest producere productum, potest producere in se illud, & non extra se, alioquin non haberet rationem actiui, vt distinguitur contra rationem factiui: iste igitur intellectus, qui non potest producere notitiam in se, non potest producere aliquam notitiam, vt videtur. *Text. 16.*

4. Istas rationes excludendo, confirmo ratione, & ad excludendum responsionem ad minorem in se dico, quòd intellectus noster respectu genitæ notitiæ habet potentiam receptiuam, & ista potentialitas est imperfectionis, quia est potentialitas passiua. Nihil autem facit hoc ad rationem principij productiui, quia nulla imperfectio formaliter est de ratione principij productiui, & maximè quando principium productiuum potest in se esse perfectum. Habet etiam intellectus noster rationem principij productiui respectu notitiæ genitæ, & hoc est ex perfectione eius, quatenus actus primus virtualiter continet illum actum secundum, primum istorum, scilicet recipere intellectionem: patet, quia conuenit intellectui possibili. De secundo non est ita certum an conueniat possibili vel agenti: de hoc aliàs inquiretur, nunc autem hoc indistinctè acceptum de intellectu, quod est principium productiuum notitiæ genitæ, satis puto verum. Et declarabitur *d. 3. p. 3. q. 2.* & intellectus sic est in Deo, quia habet intellectum secundùm omnem rationem intellectus, quæ non ponit imperfectionem. Tunc arguo sic: Quandocunque [d] in aliquo concurrunt duo per accidens, scilicet ratio agendi & patiendi, vbi illud, quod est ratio agendi, est per se: si separetur à ratione patiendi, & ponatur per se, nihil minùs est ratio agendi, quod patet ex 2. *Phys.* de Medico sanante se, si separetur medicina ab infirmitate, nihil minùs erit ratio sanandi: igitur si separentur prædicta duo in intellectu ab inuicem, remanente eo, quod erat per se ratio principij productiui, adhuc erit ratio producendi quantumcunque non sit ibi potentialitas passiua receptiua. *Ratio receptiui est imperfectionis in nostro intellectu, ideò in Deo non est.* *In Quodlib. q. 15. & 5. reportationum d. 35. & in q. collationum q. 7. vel 9.* *Text. 3. & 86.*

Exemplum huius patet [e], quia si in intellectu nostro esset concreata, vel substantialis notitia sui, secundùm quòd quidam intelligunt Augustinum de notitia * condita, 14. *de Trin.* tunc licèt intellectus non possit habere notitiam genitam qua cognoscat se formaliter, tamen in alio intellectu, puta Angelico, vel humano beato in patria, posset gignere notitiam sui in ratione obiecti, quia sic *gignere* competit sibi vnde est in actu, licèt non sit receptiuus. *Hen. Quodlib. 9. q. 15. Varro lib. 1. dist. 3. q. 1. c. 7. & c. 12.* ** Aliàs abdita.*

Tamen si potest habere aliquod obiectum actu intelligibile sibi præsens, potest aliquam notitiam gignere in passo approximato, si quod tale sit, aut per se stantem, si haberet virtutem gignendi aliquid per se stans; ergo ab intellectu diuino circunscripta ratione receptiui notitiæ, si remaneat ratio productiui notitiæ, & hoc per se stantis, poterit talis notitia gigni, licèt non recipiatur in intellectu, qui est principium gignendi.

Ex hoc patet, quòd glossa illius minoris nulla est. Ad confirmationem illius [f] glossæ per *frustrà*, dico quòd in omni ordine agentium, præcipuè vbi principium actiuum de se non est imperfectum, est status ad aliquod principium actiuum simpliciter perfectum, quod scilicet agens agit ex plenitudine perfectionis, & dicitur agens ex liberalitate secundùm Auic. 6. *Metaph. cap. vlt.* nullum autem agens agit liberaliter propter hoc, quod ex actione sua expectat perfici: sicut enim in actibus humanis liberalis est ille, qui agit non expectans redditionem, ita simpliciter agens dicitur liberale, eo quòd nullo modo perficitur à productione, vel producto. *Quis dicendus liberalis.*

Hoc maximè verũ est secundùm Theologos, non autem Philosophos, vt patet 12. Metaphys. secundùm Arist.

Ex hoc arguitur sic; in omni genere principij productiui non includentis imperfectionem, possibile est stare ad aliquod primum simpliciter perfectum: sed intellectus est tale principium & voluntas similiter: ergo in isto genere potest stari ad aliquod simpliciter perfectum, sed nihil est simpliciter perfectum agens, quod non agit liberaliter, secundùm prædictum modum.

Ergo hîc est aliquod agens liberaliter modo prædicto. Igitur in genere principij productiui est aliquod principium tale, quod nullo modo perficitur per suam productionem, talis est intellectus habens obiectum sic sibi præsens, & nullus alius est nisi ille, qui non recipit nec perficitur per intellectionem, quam gignit, siue quæ virtute eius

5. gignitur: ergo non oportet intellectum omnem producere notitiam, vt ea perficiatur, sed oportet esse aliquam priorem producentem non perfectibilem per productum. Et cùm dicitur, tunc erit frustrà, non sequitur. Nam erit summum bonum, sed non est productum à producente, vt producens per ipsum perficiatur, sed ex plenitudine perfectionis producentis.

Cùm autem arguitur [g] pòst de impossibilitate, duco ad oppositum: quia etsi aliquod obiectum præsens memoriæ Patris habeat ibi aliquam notitiam actualem Patris quasi productam, non tamen habet notitiam adæquatam in Patre productam: nulli autem principio productiuo ex se tollitur producere vt est in aliquo, nisi intelligatur illud principium producere, vel produxisse aliqua productione adæquata virtuti talis principij productiui; & ideò quantumcunque memoria vt in Patre habeat quasi productum, adhuc potest producere productum. Sed verum est quòd cùm habuerit productum adæquatum, non poterit aliud producere.

Accidẽtale est potentia, esse actiuam vel factiuã. Scot. Quodlib. 13. Scot. 2. d. 9. q. 2. quòd Angelus potest producere intellectionẽ, ibid. §. ad quæst.

Cùm arguitur vlteriùs de actiuo & factiuo, dico, quòd istæ differentiæ sunt accidentales potentiæ productiuæ, scilicet actiua, vel factiua. Vniuersaliter enim omnis potentia ex se productiua alicuius receptibilis in aliquo, in quolibet receptiuo proportionato, & approximato producit, vel potest producere illud producibile. Quòd si producibile non sit natum in aliquo recipi, potentia productiua producit illud, & non in aliquo, sed per se subsistens, si tamen sit potentia productiua sufficiens ad producendum nullo alio præsupposito. Ita est in proposito, quòd Pater habet notitiam genitam non agendo, id est, non producendo aliquid in se: nec faciendo, id est, producendo aliquid distinctum essentialiter extra se: sed quia productum in nullo natum est recipi, & intellectus est principium productiuum sufficiens, quia infinitum, ideò producit notitiam genitam in se subsistentem, quæ est persona.

Et ita responsiones ad instantias sunt declarationes primæ rationis, & per consequens etiam propositi principalis.

COMMENTARIVS.

1. a QVia sicut dixi, &c. Et antequam exponam rationes Doctoris, præmitto vnum, quòd hîc non intendit probare Trinitatem personarum via naturali, vt aliqui volunt imponere, & vt Alfonsus *in primo distinct. 2.* & similiter Ocham, & multi alij. Doctor enim præsupponit productionem personarum esse possibilem in diuinis, tanquam articulum fidei: huiusmodi tamen possibilitatem per has rationes intendit persuadere, tam fideli, quàm infideli: nec intendit hoc demonstrare via naturali, quia statim sibi contradiceret. Nam expressè *quæst. 14. Quodlib.* prolixè declarat quomodo est impossibile cuicunque intellectui creato, etiam Angelico, posse naturaliter cognoscere distinctè ipsam Trinitatem. Hoc idem *in 2. dist. 3. quæst. 9.* Si tamen sint aliquæ rationes possibiles ad hoc persuadendum: præcipuè sunt istæ positæ à Doctore, quæ ita subtiles sunt, quòd videntur concludere euidenter propositum, & ex hoc multi moti sunt ad imponendum ei, quòd his rationibus intendat naturaliter demonstrare Trinitatem personarum, non intelligentes mentem ipsius: ideò incipiamus declarare has rationes, quarum prima ponitur ibi: *Quia sicut dixi*, &c.

Prima ratio est hæc: *Quicquid de ratione sua formali est principium productiuum*, &c. Sed quia minor quantum ad omnes terminos, infrà in ista quæstione, respondendo ad quædam dubia, diffusè declaratur, pro nunc omitto illam; sed declaro maiorem, quæ continet multas particulas. Prima ibi: *Quicquid de ratione sua formali est principium productiuum.* Quia tota perfectio, & ratio producendi est à principio formali: sequitur, quòd illud tale ex sua ratione formali, & quiditatiua habet, quòd dicatur principium formale producendi. Exemplum, dicimus, quòd calor, puta in ligno dat ipsi ligno, vt possit calere: & ideò dicitur, quòd calor est ratio formalis calefaciendi, & quòd sic sit ratio formalis calefaciendi est ex sua ratione formali, & quiditatiua: sicut etiam dicimus, quòd albedo det homini esse album: vel sit ratio formalis, quâ homo dicatur albus, hoc est de sua ratione formali, & quiditatiua: quòd ergo aliquid sit alteri ratio formalis agendi, puta supposito, in quo est, hoc habet ex sua ratione formali, & quiditatiua.

Sequitur in litera. *Illud in quocunque est à se*, &c. 2.
In ista maiori Doctor intendit loqui de productione,

ctione, quæ est in aliquo, sine imperfectione, id est, quæ terminantur ad aliquod in se verè subsistens. Si enim producens esset in potentia receptiua respectu producti, sicut intellectus noster respectu intellectionis, quam producit: ibi productio esset cum imperfectione, quia cum potentialitate recipiendi terminum productum. Si etiam productum reciperetur in materia extrinseca: sicut ignis producit calorem in ligno, adhuc productio esset cum imperfectione, quia non posset habere productum perfectum: sed esset cum potentialitate ad recipi in materia extrinseca. Intelligit ergo quòd respectu productionis, perfecta ratio formalis producendi sit in aliquo supposito, sine omni imperfectione, & sit producti perfectè in se subsistentis: cuius producti terminus formalis non recipiatur in aliquo, sicut est in generatione naturali, qua generatur compositum: vbi terminus formalis, scilicet forma, quæ est pars compositi, recipitur in materia. Et quod addit *à se*: intendit simpliciter, quòd tale principium productiuum non præhabeat productum, tanquam terminum sibi adæquatum. Nam in Filio in diuinis, est idem simpliciter principium productiuum, quod in Patre, quia simpliciter eadem memoria fœcunda, quæ est principium productiuum Filij: vt patebit *in præsenti quæstione*, & tamen Filius, mediante illo principio, non potest producere alium Filium, quia huiusmodi principium, vt in Filio, præintelligitur habere productum sibi adæquatum, scilicet ipsum Filium. Et si in Filio non haberet terminum sibi adæquatum, etiam in illo esset verè productiuum alterius notitiæ genitæ. Et quia Pater habet illud principium à se, ideò in illo priori per illud potest producere: cùm illo priori, vt in Patre non habeat productum sibi adæquatum. Et si fieret instantia de Spiritu sancto, quia Filius habet principium producendi Spiritum sanctum non à se, sed à Patre: ergo Filius non potest producere Spiritum sanctum, quod est falsum. Ideò dixi, quòd Doctor per illud *à se* principaliter intendit excludere, quòd illud principium non præintelligatur, in quo est habere productum, vt sibi adæquatum: & sufficit sibi exemplificare per illud *à se*, quod clarum est in Patre respectu Filij. Et ex his patet, quòd instantia, quam facit Alphonsus Toletanus *in* 1. *dist*. 2. *quæst*. 1. *art*. 3. & similiter ad instantiam quam facit Ocham *in* 1. *dist*. 2. & sic patet ista maior.

3. b Sed minor est ibi: *Istud totum, scilicet intellectus habens obiectum*, &c. Ad hanc minorem respondet Alphonsus vbi suprà, quòd Philosophi hoc negarent, nec hoc potest demonstrari via naturali. Dico, quòd nec Doctor intendit hoc demonstrare naturaliter, sed quantum possibile est hoc persuadere, quia si memoria nostra fœcunda potest esse principium formale productiuum notitiæ genitæ, cui accidit, vt recipiatur in ipso producente: à fortiori in diuinis memoria fœcunda poterit esse principium producendi notitiam genitam per se subsistentem.

c *Contra istam rationem insto*. Hîc Doctor adducit aliquas rationes contra minorem primæ rationis: & hoc, vt illa minor magis enucleetur, & prima ratio satis clara est. Ad istam primam rationem respondet Doctor ibi: *Istas rationes excludendo confirmo rationem*. Et dicit, quòd intellectus noster, respectu notitiæ genitæ dicit rationem receptiui, & rationem productiui. Primum est imperfectionis, quia dicit potentialitatem respectu notitiæ à qua perficitur. Secundum est perfectionis, quia ratio productiui vt huiusmodi, non includit necessariò aliquam imperfectionem: quia si sic, non posset reperiri in primo ente, vt suprà declaraui in prima quæstione huius distinctionis. Et quòd intellectus noster dicat rationem productiuam, respectu notitiæ patebit infrà *dist*. 3. *quæst*. 7. Et an hoc conueniat intellectui agenti, vel possibili, non est necesse hîc declarare; sed *in Quodlib. quæst*. 15. prolixè declarabit: vbi videtur declinare ad hoc, quòd tam possibilis, quàm agens sit productiuus: agens tamen principaliter, & possibilis minùs principaliter: quia ergo intellectus noster de necessitate includit imperfectionem, cùm sit ens limitatum: ideò imperfectionis est, quòd sit receptiuus alicuius imperfectionis: licèt perfectionis sit, quòd sit productiuus eiusdem. Cùm ergo intellectus diuinus sit perfectissimus, & formaliter infinitus, & similiter essentia diuina, vt suprà probatum est quæstione 1. præsentis distinctionis: sequitur, quòd nulla potest ibi esse imperfectio, & per consequens non potest esse in potentia receptiua alicuius notitiæ, qua perficiatur, sicut est intellectus noster, & ex alia parte ipsa memoria fœcunda Dei est ratio formalis producendi notitiam sui. Probo, quia hoc competit memoriæ nostræ, & hoc est perfectionis non includentis necessariò imperfectionem: ergo talis ratio producendi perfectissimè reperitur in memoria diuina, & quia non potest producere illam notitiam in seipso, quia tunc intellectus diuinus esset in potentia receptiua ad illam; sequitur ergo, quòd poterit ipsam producere, vt per se stantem, siue in se subsistentem, & talis notitia genita in diuinis nihil aliud est realiter, & formaliter, nisi idem, quod Filius, siue Verbum in se subsistens, & nulli inhærens, nec aliquid perficiens: sed res in se perfecta, & perfectè in se subsistens, realiter distincta à supposito diuino producente, non realiter tamen distincta à principio productiuo, quod est intellectus, & essentia diuina, vt aliqualiter patuit suprà, & magis patebit infrà.

Memoria fœcunda Dei est ratio formalis producendi notitiã sui.

d *Quandocunque in aliquo concurrunt duo per accidens*. Hîc Doctor intendit probare, quòd si illud, quod est ratio producendi, verè separetur ab illo, quod est ratio patiendi, cui accidentaliter coniungitur, ipsum separatum adhuc erit verè ratio producendi: & patet de Medico sanante se 2. *Physic. text. comm*. 2. *&* 86. quia si infirmitas separetur à Medico, quæ est ratio patiendi, adhuc medicina, siue ars medicinæ in Medico erit ratio sanandi, vt patet, quia mediante illa poterit alium sanare, quia accidit Medico, vt Medicus est, quòd sit infirmus. Cùm ergo in diuinis ratio producendi notitiam genitam necessariò sit separata à ratione patiendi, sequitur quòd intellectus diuinus, qui est ratio producendi huiusmodi notitiam, quamuis non sit receptiuus eiusdem, & per consequens nec ratio patiendi ab illa, quia hæc sibi repugnant: tamen adhuc est perfectissima ratio producendi notitiam genitam, & hoc est, quod dicit. 4.

Si dicatur hîc, vt multi dicunt, quòd intellectus diuinus est benè ratio non propriè producendi, sed quasi producẽdi notitiam essentialem, quæ tamen

tamen non dicitur verè producta, quia non distinguitur realiter à supposito habente talem intellectum; sufficit enim intellectui diuino quòd habeat notitiam, qua perfectissimè intueatur essentiam suam.

Intellectus diuinus est ratio producendi.

Contrà, quia adhuc stat ratio Doctoris, quia si intellectus noster est simpliciter ratio producendi notitiam essentialem, & hoc perfectionis est, non includentis necessariò aliquam imperfectionem: multò magis intellectus diuinus (in quo omnis perfectio, quæ non necessariò includit imperfectionem, perfectissimè, & formaliter reperitur) poterit esse ratio producendi, non dico secundùm *quid*, sed simpliciter notitiam essentiæ diuinæ, & sic cùm talis notitia sit verè producta, erit necessariò in se subsistens, vt patuit suprà.

8. *Exemplum huius patet*, &c. Exemplum hoc est valde ad propositum, quia posito quòd anima habeat notitiam sui concreatam, & per consequens ingenitam, tamen si ipsa anima potest habere aliquod obiectum, puta actu intelligibile; & aliquod passum sibi approximatum: puta, quòd ipse intellectus, & ipsa anima in ratione obiecti intelligibilis, sint perfectè præsentes alteri intellectui, licèt non possit producere notitiam sui in se, cùm habeat illam, vt concreatam: tamen erit ratio producendi notitiam sui in alio intellectu, in quo potest recipi, & hoc diffusè patebit *in 2. distinct. 9.* de locutione Angelorum. Nam ibi habetur: posito quòd Angelus perfectè cognoscat se tantùm approximatus intellectui alterius Angeli: ipse Angelus in ratione obiecti, potest causare notitiam sui in intellectu alterius Angeli: vt diffusè ibi glossaui. Sic dico in proposito, quòd quamuis intellectús diuinus habeat notitiam ingenitam essentiæ diuinæ, habens tamen essentiam diuinam, vt obiectum præsens, in ratione intelligibilis poterit verè producere notitiam, ita quòd essentia diuina concurrat in ratione obiecti: talis notitia erit verè genita, & non poterit esse formaliter in supposito producente illam per intellectum, cùm habeat aliam ingenitam, qua perfectissimè cognoscit essentiam: nec talis notitia poterit recipi in alio intellectu creato, vt patet, quia talis notitia erit adæquata essentiæ diuinæ formaliter infinita, de qua producitur: & sic infinita, vt patet *præsenti dist.* & infrà *dist.* 10. *&* 38. *& in 2. dist. 1. quæst. 1. & in Quodlib. & alibi sæpè.* Modò notitia infinita non potest recipi in intellectu limitato, & finito: ergo talis notitia genita erit per se subsistens, quod est propositum, & sic debet intelligi litera Doctoris.

9. *Ad confirmationem illius glossæ*, &c. Confirmatio illius rationis erat ista, quia si in diuinis poneretur notitia genita, frustrà poneretur, quia notitia ponitur ad hoc vt intellectus perficiatur tali notitia, vel vt suppositum habens intellectum perficiatur illa notitia: & in nobis intellectus noster verè perficitur notitia genita, quia realiter distinguitur ab illa, & est in potentia receptiua ad illam: sed si notitia genita poneretur in diuinis, intellectus diuinus, vel suppositum habens huiusmodi intellectum, non posset perfici ab illa, quia tunc esset in potentia receptiua ad illam, quia esset realiter distincta à tali supposito; sed suo modo intellectus diuinus, vel suppositum habens intellectum, dicitur perfectus per notitiam ingenitam eandem sibi realiter: & sic patet quòd talis notitia genita frustrà poneretur in diuinis.

f Ad hanc ergo instantiam, siue ad confirmationem respondet Doctor ibi: *Ad confirmationem illius glossæ.* Et responsio est, quòd in omni genere principij non includentis imperfectionem principij est status ad aliquod simpliciter perfectum. Et dicit *non includentis imperfectionem,* quia aliqua includunt imperfectionem, scilicet illa quæ agunt dependenter: & similiter illa, quæ perficiuntur actionibus suis, & hoc, vel in se formaliter, vt intellectus noster, & aliæ potentiæ cognitiuæ, & appetitiuæ in rebus: vel in suo simili, vt homo producit hominem, vt conseruetur species humana, saltem in suo simili; vel si tale principium est pars vniuersi, tunc producendo aliquam speciem in vniuerso, per quam ipsum vniuersum sit perfectius perficitur, cùm sit pars vniuersi, quia quantò totum est perfectius, tantò partes sunt perfectiores: omnia ista agentia includunt imperfectionem.

Homo producit hominem, vt conseruetur species humana.

Aduerte etiam, quòd hæc propositio fortè potest intelligi ex parte producti, scilicet quòd in omni ordine principiandi non includentis imperfectionem, nec ex parte principij, nec ex parte principiati, est status ad vnum simpliciter perfectum, scilicet tam principium quàm principiatum. In proposito tamen magis videtur regula applicari primo modo. Et dicit quòd tale principium simpliciter perfectum agit ex plenitudine perfectionis, id est, quòd est tantæ perfectionis, quòd suam perfectionem alij communicat quantum potest. Et dicitur agens ex liberalitate secundùm Auicen. *6. Metaph. cap. vltimo*, & sic Pater in diuinis producendo Filium erit summè liberalis, accipiendo *liberalitatem* pro hoc solo, quod communicat suam perfectionem, quantum potest Filio, nihil ex tali communicatione expectando: non quòd communicet ex liberalitate, quæ est actus voluntatis, quia producit Filium per modum naturæ, & non per modum voluntatis, vt infrà patebit: nisi dicatur, quòd Pater benè producit Filium volens: non quòd voluntas sit principium formale productiuum Filij, vt patet infrà *dist. 6.* 10.

In proposito tamen accipitur *liberalitas summa* pro communicatione, quâ aliquid communicatur alteri, non expectando ex tali communicatione, quo perficiatur, siue modò illa communicatio sit per modum naturæ, qualis est generatio Filij; siue per modum voluntatis, qualis est spiratio Spiritus sancti. Tunc vltrà ad propositum; sed intellectus, & voluntas sunt principia non includentia imperfectionem, & hoc loquendo de intellectu, & voluntate transcendenter, quia vt sic, nullam includunt imperfectionem: quia si sic, tunc intellectus diuinus esset imperfectus: & non loquendo de intellectu limitato, qualis est omnis intellectus creatus. Si ergo intellectus, vnde intellectus, est agens non includens imperfectionem, ergo in rerum natura erit in existentia reali, aliquis intellectus perfectissimè actiuus, & talis erit, qui erit productiuus alicuius per se stantis, cui communicabit seipsum perfectissimè, & tale productum erit notitia genita non perficiens intellectum, sed per se stans. Hoc idem dico de voluntate.

Nota etiam cùm dicit *esse standum ad aliquod simpliciter primum perfectum:* non debet intelligi, 11.
quòd stetur præcisè ad actum simpliciter perfectum, quia sunt duo principia simpliciter perfecta & prima, scilicet voluntas diuina, & intellectus:

lectus: sed debet intelligi in eodem ordine, puta in ordine agentium per modum naturæ, status est ad vnum simpliciter primum perfectum: & talis est intellectus diuinus, & similiter in ordine agentium per modum voluntatis, status est ad primam voluntatem simpliciter perfectam: vel sic, in ordine agentium per modum libertatis, status erit ad vnum simpliciter primum perfectum. Et sic patet ista ratio Doctoris.

Cùm autem arguitur pòst de impossibilitate. Nunc Doctor respondet ad secundam partem illius confirmationis. Prima pars erat, quòd talis notitia genita poneretur frustrà, quæ soluta est. Secunda pars, quòd erat impossibile ponere talem notitiam genitam, quæ impossibilitas duplici ratione probatur ibi. Prima stat in hoc, quòd ex quo intellectus diuinus habet notitiam essentiæ diuinæ, quasi productam: & talis notitia in ratione quasi producti adæquatur intellectui diuino, vt principio quasi productiuo: si sic, ergo non potest habere vlteriorem notitiam genitam essentiæ diuinæ, quia illa alia esset sibi adæquata in ratione producti, quod videtur impossibile. Secunda ratio impossibilitatis erat, ibi: *Secundò probatur, quia intellectus est potentia actiua, non factiua,* &c. & per consequens non potest producere huiusmodi notitiam, quia tunc esset receptiuus eiusdem: & sic esset in potentia receptiua, quod est impossibile, quia hoc esset imperfectionis.

Intellectus est potētia actiua, non factiua.

12. Ad istas duas rationes respondet Doctor. Ad primam, ibi: *Cùm autem arguitur pòst de impossibilitate.* Et ratio stat in hoc, supponendo vnum, quòd sicut impossibile est idem principium quasi productiuum notitiæ genitæ, habere duo quasi producta sibi adæquata, siue duas notitias, quasi productas, respectu eiusdem obiecti sibi simpliciter adæquatas, sic est impossibile idem principium verè productiuum habere duo verè producta, puta duas notitias verè productas simpliciter sibi adæquatas, respectu eiusdem obiecti. Sed non est impossibile, quòd si habet vnam quasi productam sibi adæquatam, quòd non possit habere aliam verè productam sibi adæquatam, & ideò argumentum est ad oppositum, quia stante prima quasi producta, adhuc est principium verè productiuum alicuius notitiæ verè productæ.

Ad secundam rationem respondet, ibi: *Cùm arguitur vlteriùs de actiuo, & factiuo.* Et nota hanc responsionem: dicit enim Doctor quòd potentiæ verè productiuæ accidit quòd dicatur actiua, vel quòd dicatur factiua, quia hoc non est ex ratione formali potentiæ productiuæ: sed accidit sibi ex aliquo posteriori, quia si effectus productus natus sit tantùm recipi in ipso producente, dicitur potentia productiua actiua. Si verò effectus productus tantùm sit natus recipi in materia extrinseca, dicitur potentia productiua factiua. Nam potentia productiua habet tantùm productum pro termino, & tantùm respicit illum, quòd modò productum recipiatur in ipso producente, vel in materia extrinseca, hoc non est ex ratione formali producti, vt producti, vel producentis, vt producentis; sed ex ratione accidentali. Et vide Doctorem *in quæst. 13. Quodlibetorum*, vbi diffusè declarat differentiam potentiæ actiuæ & factiuæ. Si verò potentia productiua habeat productum in se subsistens, ita quòd in nullo recipiatur: tunc talis potentia tantùm dicitur productiua, & sic est in proposito, quia memoria fœcunda in diuinis est tantùm productiua notitiæ genitæ, quia talis notitia genita non est nata recipi in aliquo, tanquam in subiecto: sed erit in se verè subsistens, & sic patet ista responsio, quam benè nota. Stat ergo ratio prima Doctoris in robore suo, & rationes positæ contra fuerunt pro maiori declaratione minoris primæ rationis.

Notitia genita est verè in se subsistens.

SCHOLIVM.

Probat secundò in Deo esse productionem, quia obiectum habens esse secundùm quid, & differens ab intellectu, producit: ergo & obiectum simpliciter, & secundùm se præsens, ac indistinctum ab intellectu, quia ista duo sunt perfectionis, & illa imperfectionis: tertiò, sicut necessitas est perfectionis in ente, ita & in quodlibet diuidente ens, quod non includit imperfectionem; productiuum est tale: ergo. Quartò natura limitata fundat relationes oppositas secundi modi, verbi gratiâ, voluntas respectu motiui & mobilis: ergo in natura infinita possunt esse relationes producentis & producti, quæ sunt eiusdem modi.

Secundò principaliter [a] ad conclusionem principalem arguo sic: obiectum vt est in memoria producit seipsum, vt est in intelligentia: vel est ratio producendi seipsum, vt est in intelligentia. quod autem obiectũ habeat esse vtrobique secundùm *quid*, vel ab eis differens, hoc est imperfectionis, quia si memoria esset perfecta & intelligentia perfecta, obiectum esset simpliciter vtrobique idem vtrique: ergo ablata omni imperfectione reseruando illud quod est perfectionis simpliciter, obiectum idem simpliciter memoriæ, gignet aliquid in intelligentia, cui est simpliciter idem, quod est propositum. 6.

Præterea tertiò [b] sic: In qualibet conditione entis, quæ non est ex ratione sua imperfecta, necessitas est simpliciter perfectionis: igitur in productiuo; quia illud non dicit ex se imperfectionem.

Probatio antecedentis, quia sicut necessarium est conditio perfectionis in ente inquantum ens: ita etiam est perfectionis in quolibet diuidente ens, quod non est ex se necessariò imperfectum, siue limitatum: sicut enim quando ens diuiditur per opposita, alterum diuidentium est perfectionis in ente, alterum imperfectionis: ita in quolibet, quod est imperfectionis cuiuslibet diuisionis, illud membrum, est possibile. Quod est imper

Loquitur de diuisione entis quanti de qua Quodlib. 5. Producibile tamen non dicit imperfectionem, si est necessarium, non possibile, aliàs Filius imperfectus esset.

Dist. 8. q. vlt. & dist. 29. & 30. huius, & alibi sæpè.

7.

De hoc infrà d. 5. q. 7. ad rat. Goffred.

Text. 20.

imperfectionis, alterum est necessarium, quod est perfectionis: producens autem, inquantum tale, non includit imperfectionem: ergo non est producens perfectum in ratione producentis, nisi sit necessariò producens: producens autem primum non potest esse necessariò producens aliud à se, & *ad extra*, sicut dicetur *distinct.* 8. *quæst. vltima*; ergo *ad intra*.

Similiter arguitur de productione naturali, quia productio naturalis est prima productio: ergo competit primo producenti: non autem competit primo producenti *ad extra*, vt patebit aliàs: ergo *ad intra*.

Præterea quartò sic [c]: Relationes oppositæ de secundo modo relatiuorum possunt competere eidem naturæ limitatæ, sicut eidem voluntati competit ratio motiui & mobilis, quando voluntas mouet se; sed relationes producentis & producti, licèt magis repugnent quàm relationes mouentis & moti, tamen sunt relationes eiusdem modi, secundùm Philosophum 5. *Metaph. cap. de ad aliquid*, ibi enim pro exemplo ponit, calefactiuum & calefactibile, pro primis: Patrem & Filium, siue genitum, & eum, qui genuit pro secundis: ergo relationes producentis, & producti sunt compossibiles in eadem natura.

Confirmatur ratio, quia sicut [d] voluntas est quodammodo illimitata quatenus fundat relationes oppositas, ex hoc, scilicet quòd virtualiter continet illud, ad quod formaliter habendum est in potentia: ita multò magis essentia simpliciter illimitata, potest simpliciter fundare relationes oppositas eiusdem modi, licèt magis repugnantes, quales sunt relationes producentis, & producti: plùs enim excedit infinitas diuinæ essentiæ illimitationem qualemcunque cuiuscunque creati, quàm repugnantia quarumcunque relationum secundi modi, excedat repugnantiam quarumcunque aliarum eiusdem modi.

Confirmatur etiam [e] ratio, quia omnia relatiuè opposita æqualiter includunt contradictionem: sed aliqua secundi modi non includunt contradictionem: igitur nec alia.

COMMENTARIVS.

1. *Quot modis accipitur intelligentia.*

a Secunda ratio principalis, qua Doctor probat productionem esse in diuinis, est ibi: *Secundò principaliter ad conclusionem*, &c.

Et pro intelligentia huius rationis, quæ est satis difficilis, aliqua sunt notanda. Primò declarabo terminos: postea declarabitur ratio de verbo ad verbum. Dico ergo, quòd *Intelligentia* aliquando accipitur pro portione superiori intellectus, quæ tantùm respicit æterna, & sic Angeli dicuntur Intelligentiæ, vt vniti æternis per actum intelligendi. Aliquando accipitur pro intellectu informato cognitione obiecti. Aliquando pro cognitione sola producta. Et hoc dupliciter, scilicet vel pro notitia, siue cognitione producta, non in se subsistente; sed tantùm habente *esse* in intellectu producente, & realiter perficiente ipsum, cuiusmodi est in nobis, vel pro notitia in se subsistente, & per se stante: & talis intelligentia accipitur in proposito, quæ nihil aliud est, nisi Filius, siue Verbum diuinum.

Secundò est notandum, quòd *memoria* aliquando accipitur pro potentia memoratiua, quæ est intellectus: vt patet à Doctore *in quarto dist.* 45. & hoc modo non accipitur hìc. Aliquando accipitur pro principio productiuo notitiæ actualis, & sic memoria includit tantùm intellectum, & obiectum perfectè præsens, vt duo principia partialia respectu notitiæ genitæ, & insimul sunt vnum totale, & tale propriè dicitur memoria.

Tertiò est notandum, quòd differentia est inter principium productiuum *quod*, & principium productiuum *quo*, & hoc loquendo in diuinis ad intrà. Nam principium productiuum *quod* semper distinguitur realiter à producto: vt Pater in diuinis, qui est principium *quod*, distinguitur realiter à Filio, Principium verò *quo* (quod est ipsa memoria) tantùm distinguitur, vel ratione, vel ex natura rei à Filio, & idem principium *quo*, vt in Patre est ratio communicandi se Filio. Eadem ergo memoria, vt in Patre dicitur principium communicatiuum sui, & vt in Filio dicitur communicatum: & in diuinis inter communicans, & communicatum tantùm est distinctio rationis.

Quartò est notandum, quòd in nobis obiectum aliquando tantùm habet *esse* in intellectu, & in notitia eiusdem obiecti secũdùm *quid*, quia quando est præsens intellectui tantùm per speciem intelligibilem: tunc est præsens tantùm secundùm *quid*, & similiter quando intelligitur, vt sic præsens habet *esse* secundùm *quid* in tali cognitione abstractiua, & vltra hoc semper est differens, vel ab vtroque, quando obiectum non est ipsemet intellectus; vel saltem à notitia intuitiua, quæ semper distinguitur realiter ab obiecto. Si verò obiectum sit in se præsens, tam intellectui, quàm notitiæ productæ, habebit *esse* simpliciter ibi: cùm non sit ibi secundùm similitudinem tantùm, sed secundùm propriam exstientiam: tamen habet *esse* differens realiter, vel ab vtroque, quando scilicet ipse intellectus non est obiectum sui, vel saltem à notitia intuitiua, quæ semper distinguitur realiter: in Deo autem essentia diuina & est perfectissimè præsens intellectui paterno, & perfectissimè existens in intelligentia, id est, in Verbo diuino, & non realiter differens nec ab intellectu paterno, nec ab intelligentia, scilicet à Filio, siue Verbo: imò, vt in Verbo, dat *esse* simpliciter illi. Dicit ergo sic: *Obiectum, vt in memoria*, id est, vt pars memoriæ (quæ, vt dixi, consistit ex intellectu & obiecto præsente:) *Producit seipsum, vt est in intelligentia*, id est, quòd communicat seipsum, *vt est in intelligentia*, id est, 2.

vt

vt est in Verbo, habet *esse* propriè communicatum, & in Patre est ratio communicandi se, & hoc est quod dicit, *Vel est ratio producendi seipsum, vt est in intelligentia*, referendo scilicet quòd vt est in Patre, est ratio communicandi, & vt in Filio, habet *esse* communicatum.

Sequitur: *Quòd autem obiectum*, &c. Clarum est ex dictis, *quòd si memoria esset perfecta* (quæ tunc est, quando scilicet obiectum, & intellectus sunt simpliciter idem, & obiectum perfectissimè præsens intellectui) *& intelligentia perfecta*, id est, notitia genita, siue Verbum, siue Filius; quæ notitia tunc est perfecta, *quando obiectum est simpliciter idem*, cùm tali notitia genita. *Ergo ablata omni imperfectione*, &c. *obiectum simpliciter idem memoria gignet*, id est, quòd intellectus, & obiectum, vt sunt simpliciter idem constituentia perfectissimam memoriam, *gignet*, id est communicabit, vt partiale communicatiuum *aliquid*, id est, seipsum, *in intelligentia*, id est, in Filio, siue Verbo: *cui* Filio, siue intelligentiæ, *est simpliciter idem. Et sic habeo propositum*, quòd est ibi productio, quia essentia diuina non posset communicari Filio, nisi per productionem Filij, sicut nec natura humana potest communicari, puta Francisco, nisi producendo suppositum, cui communicetur, & sic patet euidentia argumenti.

3. *Duplices sunt passiones entis.* b Tertia ratio principalis est ibi: *Præterea tertiò sic: In qualibet conditione entis*, &c. Pro intelligentia huius literæ, præmitto aliqua. Primò, quòd conditiones entis, de quibus Doctor nunc intendit, sunt communiter passiones disiunctæ ipsius entis: quarum quædam includunt perfectionem sine imperfectione aliqua; quædam verò necessariò includũt imperfectionem. Exemplum primi: *Causatiuum, productiuum, independens, infinitum intensiuè*, & huiusmodi: patet, quòd ista non includunt necessariò aliquam imperfectionem, aliàs non essent formaliter, & perfectissimè in primo ente. Exemplum secundi: *Causabile, dependens, finitum positiuè*, necessariò includunt imperfectionem: ideò istæ non possunt formaliter esse in primo ente. Secundò præmitto quod dicit Doctor quòd quando ens diuiditur per opposita: alterum diuidentium est perfectionis in ente; alterum imperfectionis. Hoc dictum non debet absolutè intelligi, quia non verificatur in multis diuidentibus ens per opposita: patet, quia *productiuum* dicit perfectionem simpliciter, & tamen *producibile* non necessariò includit imperfectionem: patet de Filio Dei, qui est verè producibilis. Aliqui ergo exponentes Doctorem in isto passu dicunt, quòd hoc non debet intelligi de euidentibus ens per oppositum relatiuum, sed de diuidentibus ens per oppositum contrariè, contradictoriè, & priuatiuè, quia tunc communiter vnum diuidentium est perfectionis simpliciter, aliud verò imperfectionis.

Deinde addit Doctor quòd in qualibet conditione entis, quæ non est ex ratione sua imperfecta, *necessitas* est simpliciter perfectionis: igitur inproductiuo, quia illud non dicit ex se imperfectionem: & patet, quia sicut *necessarium* est conditio perfectionis in ente, inquantum ens: ita etiam est perfectionis in quolibet diuidente ens: quod non est ex se necessariò imperfectum, siue limitatum. Sicut enim quando ens diuiditur per opposita, alterum diuidentium est perfectionis in ente; alterum imperfectionis: ita in quolibet, quod est imperfectionis cuiuslibet diuisionis illud membrum est possibile, quod est perfectionis est necessarium. *Producens* autem, inquantum tale, non includit imperfectionem, ergo producens non est perfectum, in ratione producentis, nisi sit necessariò producens. Producens autem primum non potest esse necessariò producens aliud à se ad extrà: ergo ad intrà, quod est propositum.

In ista litera sunt multa dubia. Primò in hoc, quod dicit, quòd *in diuidentibus ens immediatè communiter vnum membrum est perfectionis, & reliquum imperfectionis*. 4. *Primum dubium.*

Contrà: primò, quia ens prima sui diuisione diuiditur per quantum, & non quantum: vt patet à Doctore *in Quodlib. q. 3.* & tamen ens non quantum nullam imperfectionem dicit, vt patet de relationibus diuinis secundùm ipsum.

Secundò, si ens quantum ex se nullam includit imperfectionem, sed tantùm perfectionem, ergo quodlibet ens quantum erit perfectionis simpliciter, & sic lapis erit perfectionis simpliciter. *Item aliud.*

Respondeo ad primum, quòd Doctor tantùm loquitur de diuidentibus ens quantum, vt patet. *Responsio.*

Dico ad secundum, quòd lapis potest considerari dupliciter. Primò, vt suppositum substantiæ limitatæ, & sic repugnat sibi perfectio simpliciter. Secundò, vt suppositum entis quanti, & sic non repugnat sibi perfectio simpliciter, quia nec enti quanto: hoc patet à Doctore *præsenti dist. p. 2. q. 1. & dist. 8. & in Quodlib. q. 5.* *Responsio ad aliud.*

Secundò dubitatur circa eandem conclusionem, quia *productiuum*, & *producibile* diuidunt immediatè ens quantum, & tamen *producibile* non necessariò includit imperfectionem. patet de Filio Dei. Secundò *causatiuum* vniuocè, & *causabile* vniuocè diuidunt ens transcendenter, & tamen *causabile* vniuocè est tantæ perfectionis, quantæ *causatiuum*, cùm sint eiusdem naturæ. *Secundum dubium.* *Item aliud.*

Respondeo ad primum, quòd producibile, vt producibile includit imperfectionem, cùm semper includat possibilitatem. Et cùm dicis de Filio Dei, dico, quòd vt est suppositum producibilis non repugnat ei aliqua imperfectio: vt verò est suppositum in natura diuina, nullam includit imperfectionem. Accidit enim producibili, vt producibile, quòd sit suppositum in natura diuina: sicut etiam homini, inquantum suppositum substantiæ genericæ non repugnat esse insensibilem, vt suppositum tamen naturæ intellectualis repugnat sibi. Dico secundò, quòd productiuum, aut comparatur ad producibile alterius naturæ, aut ad producibile eiusdem naturæ singularis. Secundò modo producibile est eiusdem perfectionis: nec hoc modo sunt propriè diuidentia ens quantum. Primo modo necessariò includit imperfectionem. *Responsio.*

Ad aliud dico, quòd causabile, posito quòd sit eiusdem naturæ specificæ cum causatiuo, semper includit imperfectionem, quia possibilitatem, & potentialitatem, & dependentiam. *Responsio.*

Secundò principaliter dubitatur circa aliud dictum Doctoris, videlicet quando dicit suprà in prædicta litera, quòd *in qualibet conditione entis, quæ non est ex ratione sua imperfecta, necessitas est simpliciter perfectionis*. Ista litera potest habere duplicem sensum, primum quòd illud, quod non includit imperfectionem aliquam, sit formaliter necessarium in se. Secundum, quòd illud, quod

quod nullam imperfectionem includit in ratione superaddita entitati perfectæ: sicut esse productiuum, causatiuum, quæ nullam imperfectionem includunt: ita quòd productiuum includit necessitatem producendi,&c.

Dubium. Contra primum sensum occurrit dubium, quia relatio in diuinis nullam includit imperfectionem, & tamen non est formaliter necesse esse: sed tantùm identicè, ex hoc, quòd identificatur cum essentia diuina, vt patebit infrà *præsenti distinct.*

Responsio. Dico, quòd dictum Doctoris debet intelligi, quod illud includit perfectionem non includendo necessariò imperfectionem: modò relatio diuina, & si nullam includat imperfectionem formaliter, tamen non includit aliquam perfectionem formaliter.

Alf. Tol. Contra secundum sensum arguit Alfonsus Tol. *in primo distinct.* 2. & dicit, quòd ista positio est nimis periculosa, quia tunc sequeretur, quòd cùm Deus sit perfectissimum productiuum, necessariò produceret creaturam, quod est inconueniens.

6. Dico breuiter, quòd dictum Doctoris debet sanè intelligi: & verum est, quòd ex quo esse productiuum dicit perfectionem, sine imperfectione aliqua includit necessitatem producendi; sed non sequitur modò: includit necessitatem producendi, ergo includit respectu cuiuscunque producibilis. Sufficit enim, quòd perfectissimum productiuum includat necessitatem producendi, saltem respectu alicuius producibilis: sicut etiam dicimus, quòd perfectissima voluntas de necessitate includit actum amoris, sed non circa quodcunque amabile, sed tantùm circa summum amabile, vt probat Scotus infrà *dist.* 10. *& in Quodlib. quæst.* 16. Dico secundò, quòd productiuum, quod ex se nullam includit imperfectionem, dicit necessitatem producendi. Hoc verum est, vt comparatur ad productionem, quæ nullam imperfectionem includit tam ex parte principij productiui, quàm ex parte producti, cùm ergo in entibus reperiatur summum productiuum, ergo & summa productio: sed non potest esse summa productio, nisi terminetur ad summum producibile: cùm productio capiat denominationem à producto. Et sic tale productiuum includit necessitatem producendi: & sic debet Doctor intelligi. Vt verò productiuum comparatur ad productionem necessariò includentem imperfectionem ex parte producti, patet quòd non includit necessitatem producendi, & sic vt productio diuina comparatur ad creaturam, necessariò includit imperfectionem ex parte creaturæ: & ideò Doctor optimè se limitat in litera, quando dicit, quòd non est producens perfectum in ratione producentis, nisi sit necessariò producens: producens autem primum non potest esse necessariò producens aliud à se: ex hoc dicit, quia talis productio necessariò includeret imperfectionem: vt verò comparatur ad intrà, nullam imperfectionem includit.

Obiectio. Si dicatur, quòd prima causa secundùm Philosophos necessariò producit aliud à se, & tamen talis productio non erit perfectissima, imò includit imperfectionem cùm terminetur ad productum limitatum, & dependens. Dico secundùm Doctorem infrà *dist.* 8. *quæst. vltima, &* 2. *dist.* 1. *q.* 3. quòd est implicatio contradictionis, primam causam producere, aliud de necessitate naturæ.

c Quarta ratio principalis Doctoris est ibi: 7.
Præterea quartò sic: Relationes opposita.

Pro intelligentia literæ nota, quòd eadem natura creata potest fundare in se aliquas relationes secundi modi, quæ ponuntur 5. Metaphysicæ, cap. de *Ad aliquid*, vt sunt omnes relationes, quæ non requirunt naturam esse communicatiuam in se, & communicatam; siue quæ non requirunt naturam esse rationem formalem communicandi se alicui supposito, & eandem esse terminum formalem productionis suppositi, quod idem est, quod eandem naturam esse actu communicatam: sed tantùm istæ relationes respiciunt aliquid aliud à natura, vt productum ab illa, & receptum in illa: sicut sunt multæ relationes mouentis, & mobilis, quæ possunt fundari in eodem simpliciter, sed respectu tertij: sic intelligendo, quòd idem non potest mouere se absolutè: sed sic intelligendo, quòd idem, vt comparatur ad effectum, quem producit, & ad quem est in potentia receptiua: & sic idem potest esse fundamentum relationis mouentis, & mobilis. Nam vt producit effectum in seipso, tunc habet relationem mouentis: vt verò recipit illum, habet relationem mobilis: & sic duæ relationes verè reales secundi modi possunt fundari in eadem natura.

Si dicatur, quòd relationes reales oppositæ sunt inter extrema realia realiter distincta: sed idem realiter non potest distingui à seipso: ergo, &c. Dico, quòd hæc materia requirit prolixiorem tractatum: ideò differatur vsque ad distinctionem 27. huius primi: vbi Doctor aliqualiter pertractat hanc difficultatem, & aliqualiter exposui super 25. distinctionem secundi. Sed pro nunc sufficiat, quòd duæ relationes oppositæ secundi modi, possunt fundari in eadem natura, vt relationes mouentis, & mobilis: non tamen relationes producentis, & producti, possunt fundari in eadem natura creata, quia eandem naturam posse fundare huiusmodi relationes, est ipsam per productionem esse sui communicatiuam, siue rationem formalem communicandi se alicui supposito, & similiter per productionem esse actu communicatam. Nam inquantum fundat relationem producentis, est esse communicatiuam, siue rationem formalem communicandi se; & inquantum fundat relationem producti, est ipsam esse communicatam producto, & tunc de necessitate erit in duobus suppositis: quia, vt communicatiua sui, erit in supposito producente, & vt communicata, erit in supposito producto: modò vna natura numero in creaturis non potest esse in duobus suppositis, & hoc propter imperfectionem, & limitationem talis naturæ.

8. His declaratis infert Doctor intentum principale, videlicet quòd eadem natura diuina potest immediatè fundare relationes producentis, & producti: & est quodammodò argumentum à fortiori. Nam si natura creata eadem potest fundare duas relationes oppositas secundi modi, licèt cum imperfectione naturæ, quia imperfectionis est fundare relationem mouentis, & mobilis: quia vt fundat relationem mobilis includit potentialitatem receptiuam alicuius secundùm quòd formaliter dicitur mobilis. Cùm ergo relationes producentis, & producti, quæ pertinent ad eundem modum relatiuorum non includant ex se aliquam imperfectionem in fundamento:

mento: sequitur à fortiori, quòd natura diuina, quæ est perfectissima, poterit immediatè fundare relationes producentis, & producti: & si sic, sequitur, quòd productio erit in diuinis.

d *Confirmatur ratio.* Hæc est bona confirmatio, & stat in hoc: infinitas diuinæ essentiæ, siue illimitatio eiusdem, incomparabiliter plus excedit quamcunque aliam illimitationem, quàm repugnantia quarumcunque relationum secundi modi excedat repugnantiam quarumcunque aliarum eiusdem modi.

Vt hoc intelligatur, pono dictum Doctoris *in 25. dist. 1. & alibi*, quòd aliquæ relationes non sunt repugnantes, neque in eadem natura, neque in eodem supposito, vt relationes mouentis, & moti: quia idem suppositum numero potest mouere se, vt probat Doctor *in isto primo dist. 3. quæst. 7. & in 2. dist. 2. quæst. 10.*

Fundare relationem mouentis & mobilis quomodo dicat imperfectionem.

Aliæ sunt relationes, quæ non repugnant in eadem natura, sed benè in eodem supposito, vt relationes producentis, & producti, quæ possunt immediatè fundari in natura diuina: sed non in eodem supposito, quia relatio producentis fundatur in producente, & relatio producti in producto.

Aliæ sunt relationes eiusdem modi, repugnantes in eodem supposito, & in eadem natura numero, vt relationes causantis, & causati: & hoc, quia causa semper producit aliud in natura: suppositum enim causatum, dicit simpliciter aliam naturam, saltem numero distinctam à natura suppositi causantis. Omnes istæ relationes pertinent ad secundum modum. Repugnantia ergo relationum causantis, & causati est maior repugnantia, quàm repugnantia relationum producentis & producti; & mouentis, & mobilis: patet, quia relationes causantis, & causati, repugnant in eodem supposito, & in eadem natura: relationes verò producentis, & producti repugnant tantùm in eodem supposito, & non in eadem natura, & relationes mouentis, & mobilis adhuc minùs repugnant, quia non repugnant, nec in eadem natura, nec in eodem supposito.

Dicit ergo Doctor quòd illimitatio essentiæ diuinæ plus excedit omnem aliam illimitationem, (cùm in infinitum excedat, nam inter finitum, & infinitum est distantia simpliciter infinita, vt patuit suprà à Doctore q. 1. præsentis d.) quàm repugnantia relationum secundi modi excedat repugnantiam aliarum relationum eiusdem modi: hoc patet. Si ergo natura creata, quia aliqualiter illimitata, potest fundare relationes oppositas secundi modi, vt relationes mouentis, & mobilis, quantò magis natura diuina, quæ est in infinitum illimitatior omni illimitatione creata, poterit fundare relationes producentis, & producti, quæ (vt dixi) ex sua ratione formali non repugnat simul esse in eadem natura, licèt repugnet simul esse in eodem supposito, & hoc est, quod Doctor intendit.

e *Confirmatur etiam ratio, &c.* Hîc quidam sic exponunt, quòd relationes secundi modi æqualiter contradicunt: sed non æquè distant, dicentes quòd inter contradictoria est maior, & minor distantia. Sed quicquid sit de ista distantia parum curo. Dico tamen, quòd dictum Doctoris sic debet intelligi, quòd omnes relationes secundi modi æqualiter contradicunt: patet de omnibus, quia sicut impossibile est quòd idem, sub eadem ratione, & respectu eiusdem, *sit causa, & causatum*, & efficiens & effectum; sic est impossibile quòd idem, sub eadem ratione, respectu eiusdem, sit mouens & mobile: licèt enim idem realiter possit esse mouens, & mobile; non tamen idem sub eadem ratione, & respectu eiusdem: patet, quia voluntas, vt est mouens, accipitur, vt est in actu virtuali: vt verò est mota, accipitur vt est in potentia formali, siue receptiua effectus producti; sed est impossibile quòd eadem, vt in actu virtuali, sit mouens, & mota. 9.

Et quod dicit, *Sed aliquæ relationes secundi modi non includunt contradictionem.* Hoc non debet referri ad eundem modum contradictionis, quem posuit, quia æqualiter omnes repugnant: sed magis debet referri ad fundamentum absolutum, videlicet quòd aliquæ relationes, quæ includunt contradictionem: respectu vnius, & eiusdem, & sub eadem ratione considerata: non tamen includunt contradictionem, quin possint fundari in eadem natura numero, vt relationes mouētis, & mobilis non contradicunt in eadem natura: ergo nec relationes producentis, & producti contradicunt in eadem natura, licèt in eodem supposito: aliquæ tamen magis repugnant, & minùs repugnant, vt dixi suprà, & sic patent rationes Doctoris, quæ sunt valde singulares.

SCHOLIVM.

Adducit rationis Henrici Richard. Victor. Bonau. quas patenter ostendit, non declarare propositum, per manifestius fideli, vel infideli, quia assumunt minùs nota.

ARguit aliter [e] quidam Doctor sic: Prima persona constituitur per relationem ad secundam, & non nisi per relationem originis: ergo oportet ponere in diuinis diuersa supposita, quorum vnum sit ab alio. Prima propositio probatur, quia prima persona est relatiua ad secundam, etsi non constitueretur per illam relationem, ergo accideret sibi relatio illa, quia adueniret illi personæ constitutæ, quod est inconueniens. *Henric. Quodlib. 6. q. 1.*

Secundò arguit sic: Virtus summè actiua summè se diffundit: sed non diffunderet se summè, nisi produceret aliquod summum, quod non fit, nisi communicando alicui summam naturam: ergo, &c.

Arguunt alij per rationem boni, quia bonum est de se communicatiuum; ergo summè bonum summè communicatiuum: non nisi ad intrà, quia nihil aliud potest esse summum bonum. Similiter arguitur de ratione perfecti, quia *perfectum est quod potest producere sibi simile*, ex 1. *Metaph & 4. Meteor.* ergo primum agens, quod est perfectissimum, potest producere sibi simile: sed perfectius est, quod potest producere sibi simile *Ric. 5. Tri. & Bonau. dist. præsenti quæst. 2. In proœmio. Text. com. 54.*

ſimile vniuocè, quàm æquiuocè: quia productio æquiuoca eſt imperfecta: ergo,&c.

Iſtæ rationes non declarant propoſitum per manifeſtius,neque fideli, neque infideli. Prima, quando accipit,quòd prima perſona conſtituitur per relationem, ſi vult perſuadere infideli,accipit minùs notum principali propoſito. Minùs enim notum eſſet tali, ſcilicet infideli, per ſe ſubſiſtens, conſtitui per relationem quàm productionem in diuinis eſſe. Si etiam [f] vult perſuadere fideli,adhuc procedit ex minùs noto,quia quòd productio ſit in diuinis, eſt euidens, quòd ſit articulus fidei: non autem eſt ita euidens,hoc eſſe articulum fidei,quòd prima perſona conſtituatur per relationem.Et cùm probatur, quia aliter illa relatio aduenirет perſonæ conſtitutæ,& ita illa relatio eſſet accidens.Probatio non videtur valere,quia ſimili modo poſſet argui de ſpiratione actiua,de qua omnes tenent quòd non conſtituit perſonam, nec tamen eſt accidens, quia perfectè eſt eadem fundamento, quod eſt eſſentia in perſona.

De hoc latè Scot. infrà d.26.

8. Et cùm arguitur vltrà, quòd diſtinctio non eſt ibi,niſi per relationes originis; hæc non eſt ita manifeſta ſtatim ex fide ſicut concluſio,quam intendit oſtendere: nec etiam eſt neceſſaria ad propoſitum in communi. Quia & ſi aliter eſſet ibi diſtinctio, poſſet tamen ſaluari origo.

Et cùm ſecundò arguitur, quòd ſummè actiuum eſt ſummè diffuſiuum ſui.

Reſponſio,quòd verum eſt quantùm poſſibile eſt aliquid diffundi,ſed oporteret probare quòd poſſibile eſſet aliquid diffundi ſiue communicari in vnitate naturæ.

Per idem ad tertium de ratione boni, quia oporteret probare, quòd communicatio eiuſdem rei,vel naturæ, eſſet poſſibilis, quia ad impoſſibile includens contradictionem, non eſt potentia,nec communicatio bonitatis.

Similiter ad quartum, perfectum eſt natum producere ſummum ſibi ſimile. Verum eſt ita ſummum ſibi ſimile ſicut poteſt produci. Oportet igitur probare, quòd ſummè ſimile vniuocè, id eſt,in vnitate naturæ, eſſet producibile.

COMMENTARIVS.

ARguit aliter quidam Doctor ſic,&c. Hîc introducit aliquas rationes aliorum,quibus probat productionem eſſe in diuinis. Prima ratio eſt iſta: Prima perſona conſtituitur per relationem ad ſecundam: & ratio clara eſt:ſimiliter rationes ſequentes. Sed, quia iſtæ rationes non videntur multùm efficaces nec fideli,nec infideli,ideò Doctor ſoluit illas,ibi: *Iſtæ rationes non declarant propoſitum per manifeſtius*. Et patet, quia infideli eſſet minùs notum aliquod per ſe ſubſiſtens conſtitui in *eſſe* tali per relationem, quàm productionem eſſe in diuinis: patet, quia Philoſophi dicerent eſſe ſimpliciter impoſſibile, & magis impoſſibile aliquod ſuppoſitum eſſe per ſe ens,ſiue per ſe ſubſiſtẽs per aliquam relationem, quàm quòd natura diuina per productionem ſit cõmunicata alicui ſuppoſito. Nam ſola ſubſtantia ſingularis eſt per ſe ſubſiſtens,vt etiam præſcindit ab omni accidente. Et hîc quidam volunt dicere, quòd Doctor intendebat per rationes priùs factas oſtendere ſiuè demonſtrare Philoſophis Trinitatem perſonarum: ſed, vt dixi, ſuprà *in princ. quæſtionis* tantùm intendebat adducere fortiores perſuaſiones, ſi quæ eſſent, & ita rationes Doctoris magis perſuaderent infideli productionem diuinam, quàm rationes hîc poſitæ.

Scotus ſoluit rationes Henrici, & diſt. Bonauenturæ non tanquam falſas, ſed quia non videntur multũ efficaces.

Ocham in 1. & 14. Quodlib. & alſ. tel.

f *Si etiam vult perſuadere fideli*. Certum eſt quòd illa ratio procedit ex minùs noto: eſt enim magis notum productionem eſſe in diuinis, cùm ſit ſimpliciter articulus fidei, quàm perſonam conſtitui per relationem. Non enim eſt articulus fidei, quòd perſona ſit ſimpliciter conſtituta per relationem, & faciliùs ſuſtineri poteſt, quòd eſt conſtituta per abſolutum, qui per relationem, vt diffuſè patebit in iſto primo *diſt*. 26. Et an conſtituatur perſona per relationem originis ad aliam perſonam, hæc materia plenè tractatur à Doctore *in primo diſt*. 28. *& in Quodlib. quæſt*. 4. tota litera ſequens eſt in ſe clara, vt patet intuenti.

SCHOLIVM.

Poſitis his quatuor rationibus,quibus non intendit demonſtrare Trinitatem(vt aliqui putant) ſed perſuadere, non eſſe impoßibilia quæ fides docet, ſupponendo articulum de Trinitate (quam naturaliter docet eſſe incognoſcibilem Quodlib. 14. & 2. d. 3. q. 9.) ſoluit argumenta q. 6. ſeu 3. 2. part. & certè rationes adeò efficaces ſunt,vt multos conuincant,ſed ſolubiles ſunt à peritis.

9. TEnendo [a] quatuor igitur rationes primas,& præcipuè duas primas,pro concluſione affirmatiua quæſtionis reſpondeo ad argumenta in oppoſitum.

Argum. 1. q. 6. ſeu 2. part. Quomodo Filius eſt neceſſarius ex ſe, & ex Patre?

Ad primum, negando maiorem. Cùm probatur primò per neceſſarium ex ſe, & ex alio: dico,quòd ſi idem genus cauſæ importetur per hæc duo *ex ſe*,& *ex alio*,verum eſt, quòd nihil ſic eſt neceſſarium ex ſe, & ex alio: ſi autem aliud genus cauſæ importetur, puta per illud, *ex ſe*, cauſa formalis, & per illud *ab alio*, cauſa effectiua, vel productiua: non eſt incõueniens idem eſſe neceſſarium ex ſe vno modo,& ab alio,alio modo.Cùm probatur maior Proſyllogiſmi, dico, quòd neceſſarium ex ſe formaliter,non poteſt non eſſe circunſcripto quocunque alio,cuius circunſcriptio non includit incõpoſſibilitatem

ponendo

ponendo illud esse, sed ex se necessarium formaliter, sequitur posse non esse, circumscripto quocunque alio per impossibile; sicut ex vno impossibili posito, sequitur aliud incompossibile: ita de filio hoc declaratur per exemplum.

Philosophi ponentes creaturas necessariò producit, habent dicere, quòd ipsæ haberent entitatem, qua formaliter essent necessariæ, licèt in illa entitate dependerent à causa necessariò producente: Filius autem habet entitatem formaliter necessariam, & eamdem cum producente; creatura igitur si esset ex se necessaria, non posset non esse, circumscripto omni alio, cuius circumscriptio non implicat contradictionem: tamen circumscripta causa alia à se per incompossibile, posset non esse; Filius autem non posset non esse, circumscripto quocunque alio secundùm entitatem à producto, quia non potest non esse, nisi circumscripta persona producente, & producens non est aliud secundùm entitatem à producto. Vnde si Pater creaturam naturaliter produceret, & necessariò produceret eam formaliter necessariam, tamen non esset tunc necessaria tanta necessitate, quanta est nunc Filius necessarius. *Doctrina singularis & Aristotelica resolutio de intelligentiarum dependentia & productione, de qua vide Auerroem 7. Met. com. 31.*

Stat ergo de Filio quòd sit à se formaliter necessarius, & tamen ab alio producente, cum quo habet eandem entitatem necessariam.

Ad secundam probationem maioris dico [b], quòd *possibile* Logicum differt à *possibili* reali, sicut patet per Philosophum 5. *Metaph. capitulo de potentia.* Possibile Logicum est modus compositionis formatæ ab intellectu, illius quidem, cuius termini non includunt contradictionem: & ita hoc modo possibilis est hæc propositio, *Deum posse produci*, & *Deum esse Deum.* Sed *possibile* reale est, quod accipitur ab aliqua potentia in re sicut à potentia inhærente alicui, vel terminata ad illud sicut ad terminum: Filius autem non est possibilis possibilitate reali, nec possibilitate inhærente, nec terminata ad ipsum: quia possibilitas, siue actiua, siue passiua, est ad aliud in natura: sicut patet per definitionem potentiæ actiuæ & passiuæ 5. & 9. *Metaph.* quod est *principium transmutandi aliud, vel ab alio inquantum aliud:* tamen Filius est terminus potentiæ productiuæ, quæ abstrahit à ratione potentiæ effectiuæ. Et si illa potentia dicatur simpliciter potentia, terminus illius potentiæ potest dici simpliciter possibile: sed possibilitas illa non repugnat formaliter necessario, licèt possibilitas, de qua Philosophi, loquitur de potentia actiua & passiua propriè, repugnat necessitati ex se. 10. *Ad prob. 1. arg. text. com. 17. Possibile Logicum & possibile reale quomodo differant? Quo sensu Filius dici potest possibile?*

Ad tertiam probationem cùm dicitur, [c] ibi est ordo: ergo intelligitur prima persona non intellecta secunda. *Ad prob. 3.*

Respondeo, quòd non necessariò prima intellecta, intelligitur secunda persona cum prima persona, si illa prima persona est absoluta. Sed non sequitur, quòd cùm prima persona intelligitur esse, secunda persona intelligatur non esse. Sicut non sequitur, illud animal quod est in homine intelligitur non intellecto rationali, igitur intelligitur non esse rationale. *De hoc infr. d. 26.*

Cùm autem infers mutationem ex terminis oppositis, accipis, ac si intelligeretur productum non esse, quando producens est. Abstractionem igitur sine mendacio, quæ est non considerando illud à quo fit abstractio, commutas in abstractionem mendacem, quę est considerando illud non esse, à quo fit abstractio. *2. Phys. tex. com. 18.*

Ad quartam probationem [d] dico, quòd illa persona non esset in essentia * sine productione: habet enim illam per productionem: non sequitur ergo, essentia de se non habet personam; ergo essentia de non habente fit habens: sed sequitur, ergo essentia de ratione sua non habet illam, vel non includit illam personam: quod patet, si persona est relatiua Probatio, quia tunc *est aliquid, excepto relatiuo*, secundùm Augustinum 7. *de Trin. cap.* 1. quia relatio non est de ratione absoluti. Ipsa, inquam, essentia habet illam productionem, siue per productionem habet personam, in qua subsistit, quæ tamen persona, vel productio non est de ratione essentiæ Non autem sequitur mutatio ex hoc, quòd aliquid inest alicui, quod non est de ratione eius: sed mutatio requirit, quòd aliquid insit alicui, cui priùs infuit oppositum, quod non habetur in proposito. 11. *Ad prob. 4. * al. essentiam. De hoc vide clarius primi d. 2. q. 2.*

Ad quintam probationem [e] dico, quòd in generatione in creaturis concurrunt duæ rationes: scilicet quòd ipsa est mutatio & est productio, vt est mutatio, est forma subiecti mutati, vt est productio, est termini producti vt via. Istæ rationes non includunt se essentialiter etiam in creaturis. Diuersa enim respiciunt primò, ergo sine contradictione potest intelligi ratio productionis, sine ratione mutationis: ita generatio transfertur ad diuina sub ratione productionis: licèt non sub ratione mutationis. *Ad prob. 2. De hoc infr. d. 5. q. 2. & d. 27. q. 1. Generatio an mutatio?*

Ad secundum principale [f] dico, quòd non sequitur, *est ab alio, ergo dependens.* cùm probatur, concedo, quòd æquè independenter est natura in producente & producto. Cùm arguitur ex independentia, quòd non est præexigentia. Nego consequentiam; 12. *Ad arg. 2. q. 6. Præexigentia non est dependentia.*

quia dependentia sequitur entitatem formalem dependentis ab illo, à quo dependet. Quando igitur habet eandem entitatem, non est ibi dependentia, potest tamen ibi esse præexigentia, si vnum suppositum habeat illud ab altero.

Ad vlt. Ad vltimum dico [g], quòd mutationes aliæ à generatione, ex ratione sua formali sunt imperfectiores generatione, quia termini inducti sunt imperfectiores, ex ratione terminorum inductorum imperfectorum habent maiores imperfectiones, quàm termini generationis: tamen aliæ mutationes quantùm ad illud, quod præsupponunt, non requirunt tantam imperfectionem in subiecto, quantam requirit generatio, & hoc vt est mutatio, quia generatio requirit in subiecto entitatem in potentia, & hoc ad esse simpliciter, aliæ mutationes non.

Quare Deo conuenit generatio, non latio, vel alteratio. Ad propositum applicando dico, quòd generatio non transfertur ad diuina secundùm illud, quod præsupponit generatio, puta subiectum mutabile, quod est imperfectionis: quia vt est mutatio, non est in diuinis; sed transfertur ad diuina inquantum generatio est productio sub ratione qua est productio termini, quia terminus eius est perfectior terminis aliarum mutationum. & sic benè potest per generationem accipi essentia tanquam terminus perfectissimus in diuinis, licèt non possit per aliquam aliam mutationem accipi aliquis alius terminus aliarum mutationum, quia hoc concluderet compositionem & imperfectionem: quia terminus cuiuslibet alterius mutationis esset accidens componibile cum subiecto.

COMMENTARIVS.

1\. *Necessarium in se potest dupliciter accipi.*

a *Tenendo igitur quatuor rationes primas*, &c. Nunc respondet ad argumenta principalia. Pro responsione primi nota quòd *necessarium in se* potest capi dupliciter. Primò quiditatiuè, & originatiuè, id est, quòd tale necessarium, est in se formaliter, & quiditatiuè necessarium, & etiam talis entitas sic necessaria à nullo originatur, nec producitur: & isto modo solus Deus dicitur necessarius: quia talis entitas necessaria est simpliciter incausabilis, vt suprà patuit *quæst.* 1. *huius, dist.* & hoc modo omnis persona diuina est sic necessaria originatiuè, accipiendo *originari* pro *causari*, non autem pro *produci*: quia omnes personæ sunt simpliciter incausabiles: patet, quia sunt eiusdem naturæ, quæ est omnino incausabilis: Filius tamen, & Spiritus sanctus sunt personæ productæ, non tamen causatæ: & sic sustinendo opinionem Philosophorum, quòd cœlum, & aliæ Intelligentiæ sunt necesse esse, & tamen causatæ: haberent dicere, quòd talia formaliter, & quiditatiuè dicerent entitatem necessariam: & hoc modo essent ex se necesse esse: non tamen dicerentur ex se necesse causatiuè, cùm talia sint verè causata: & sic sicut à primo effectiuo habent effectiuè entitatem, ita & necessitatem. In proposito de Filio Dei dicit Doctor quòd est formaliter ex se necesse esse, id est, quòd Filius Dei formaliter includit entitatem verè necessariam: non tamen est ex se necesse esse originatiuè, quia talem entitatem non habet à semetipso, sed habet à Patre ipsum producente. Hoc idem dico de Spiritu sancto.

Et addit vnum, quòd Filius Dei est magis necesse esse, quàm aliqua alia Intelligentia causata: quia vltra hoc, quòd sit necessariò productus, etiam formaliter includit eandem naturam, quam & Pater, à quo producitur: Intelligentia verò, etsi sit necessariò causata à primo effectiuo, tamen dicit aliam naturam specie distinctam à natura primi effectiui. Sed an sit possibile aliquid esse necessarium, & ab alio causatum, habet videri infrà *in isto* 1. *dist.* 8. *q. vltim. & in* 2. *d.* 1. *quæst.* 3. *& in quodl. q.* 7. vbi Doctor probat quòd est implicatio contradictionis aliquid esse necesse esse, & esse causatum. Sed difficultas est, ex quo Filius est ex se formaliter necesse esse, ergo constituentia Filium sunt rationes necessariò essendi Filium: & sic videtur quòd Filiatio, quæ est vltima ratio constituendi Filium, sit ex se necessarium, quod non videtur. Solutio huius difficultatis differatur vsque ad solutionem vltimi argumenti principalis ad primam quæstionem huius secundæ partis.

b *Ad secundam probationem maioris*. Nota in ista responsione, duplex esse *possibile*, scilicet possibile Logicum, & possibile reale. Primũ nihil aliud est, nisi non repugnantia terminorum: & sic dicimus Deũ esse Deum, est possibile: quamuis sit summè necesse esse. Secũdum, scilicet reale, dicit Doctor quòd *possibile reale* est, quod accipitur ab aliqua potentia in re, sicut à potentia inhærente alicui, vel terminata ad illud, sicut ad terminum. Et dicitur *possibile reale* accipi à potentia inhærente, id est, à potentia actiua transmutatiua, qua mediante dicitur aliquis posse transmutare aliud essentialiter à se distinctum. Et aliquando *possibile reale* dicitur posse transmutari ab alio essentialiter distincto. Loquendo de possibilitate reali primo modo, Filius non dicitur possibilis, cùm non sit potentia actiua transmutatiua. Nec secundo modo dicitur possibilis, quia non recipit suum *esse* ab aliquo essentialiter distincto: sed tantùm personaliter, videlicet à Patre, qui simpliciter habet eandem essentiam cũ Filio, licèt realiter, siue personaliter distinguatur à Patre. Et cõcedit Doctor quòd Filius est terminus productionis, siue generationis: & hoc modo potest dici possibilis. 2. *Duplex possibile, logicum & reale.* *Duplex possibile reale.* *Potentia duplex est.*

Sed in hoc videtur quòd Doctor sibi contradicat: quia tunc videtur, quòd non sit ex se formaliter necesse esse. Quia in cuius conceptu quiditatiuo nõ cadit *esse*, illud formaliter, & quiditatiuè, nõ est necesse esse; sed si Filius hoc modo sit possibilis: quia producibilis ab alio in suo conceptu quiditatiuo non includit esse. Hoc patet in simili, quia sustinendo secundùm opinionẽ Philosophorum, quòd secunda Intelligentia sit necesse esse: & cum hoc causata, & per consequens possibilis. Dicit Doctor *in d.* 8. *q. vlt.* arguendo sic pro Auicenna, si Intelligentia secunda est ab alio, ergo in conceptu eius quiditatiuo non cadit *esse*: ergo est *Quomodo filius Dei sit possibilis. Apparens contradictio.*

de

de se possibile esse, & non existens. Hoc idem *in* 2.*d.*1.*q.*2.& etiam patere potest *in d.*3. Dico, quòd quando Doctor dicit pro Auicenna quòd Intelligentia, quæ est ab alio, non includit in suo conceptu quiditatiuo *esse*, siue existens, non sic debet intelligi, quod *esse* Intelligentiæ non sit formaliter in illa: sed sic debet intelligi, quòd tale *esse*, siue existens, non habetur ab illa semetipsa, sed quia est capax talis *esse*, vt habeat illud ab alio, sequitur quòd non sit quiditatiuè illud: & sic Doctor intelligit. Pariformiter potest dici de Filio, quia tamen Intelligentia ex hoc, quòd habet tale *esse*, licèt ab alio communicatum, dicitur ex se necesse esse formaliter: sic dico de Filio.

3. *Responsio.* c *Ad tertiam probationem.* Respondet ad argumentum, dando duplicem responsionem, quarum vna non nominatur expresse, quando dicit quòd producens est priùs producto: transeat, quia concedo quòd saltem est prius origine. Et cùm infertur, ergo producens in illo priori potest intelligi esse, producto non intellecto. Dico, quòd si producens constituatur in *esse* per relationem ad productum (quod Doctor tenet, sustinendo quòd personæ constituantur per relationes: vt patet in 1. *dist.*28. *& in quodlib. quæst.*4.) tunc producens non potest intelligi, producto non intellecto. Alia responsio est ista, quæ patet in litera: videlicet, quòd si persona constituatur in esse per absolutum, quòd persona producens potest intelligi esse, producta non intellecta. Et cùm infertur: si persona producens potest intelligi esse, persona producta non intellecta, ergo persona producta potest intelligi non esse. Negatur consequentia: quia tunc in tali abstractione committitur mendacium: sicut hîc: potest intelligi homo non intellecta risibilitate: ergo homo potest esse sine risibilitate: sic est in proposito.

4. d *Ad quartam probationem. Dico, quòd illa persona*, &c. In ista litera debet accipi *persona* pro proprietate personæ: quia non dicimus propriè, quòd persona sit in essentia: sed quòd proprietas personalis est in essentia. Et cùm dicitur, quòd circunscripta productione: essentia diuina non habet productum, siue proprietatem hypostaticam ipsius producti: dicit, quòd essentia diuina non includit formaliter, & quiditatiuè proprietatem hypostaticam. Et sustinendo, quòd proprietas hypostatica sit relatio, per textum Augustini probat, quod essentia diuina non includit illam quiditatiuè, qui textus suprà expositus est, *dist.*1.*quæst.*2. *huius primi.* Si verò proprietas hypostatica sit quid absolutum, adhuc essentia diuina non includit illam quiditatiuè: quia talis proprietas ex sua ratione formali non dicit aliquam perfectionem quiditatiuè: & patebit à Doctore 26. *dist. huius primi.* Et infrà dicit Doctor quòd non sequitur mutatio sic arguendo: Essentia diuina de se formaliter, & quiditatiuè non includit proprietatem: & illam per productionem habet, ergo mutatur. Non sequitur, quia ad hoc, vt aliquid mutetur, requiritur quòd priùs fuerit sub opposito eius, ad quod dicitur mutari: sicut dicimus quòd materia mutatur à priuatione vnius formæ ad ipsam formam, id est, quòd priùs in aliquo instanti durationis fuerit sub priuatione: & pòst fiet sub forma. Nam si in eodem instanti, in quo priuatio nata esset inesse materiæ ab agente, forma produceretur in materia: tunc materia non diceretur mutari: quia in re priuatio non infuisset priùs duratione: licèt infuisset, nisi agens extrinsecum præuenisset producendo formam in ipsa materia. Sed de huiusmodi mutatione, vide bonam glossam quam feci super distin.3. tertij. & super dist.39. primi Doctoris. In proposito nunquam fuit aliquod instans durationis in quo essentia diuina non habuerit proprietatem hypostaticam.

e *Ad quintam probationem dico.* Nota pro sensu huius literæ. Nam in generatione in creaturis dicimus, quòd aliquid verè transmutatur à priuatione alicuius formæ ad ipsam formam: patet quando ex ligno generatur ignis: tunc materia ligni, quæ erat priuata forma ignis, verè transmutatur, siue mutatur à priuatione illius formæ ad ipsam formam: & sic generatio ignis includit mutationem aliquam, id est, materiam mutari à priuatione ad formam: & quia materia verè mutatur, sequitur, quòd ipsa est subiectum mutationis: & sic generatio sumpta pro mutatione est forma denominans ipsam materiam, siue subiectum generationis, & hoc est imperfectionis: quia si agens esset perfectissimum, posset ignem generare, sine mutatione subiecti. Quando verò accipitur generatio, vt est productio: tunc talis productio tantùm respicit productum pro termino: & non includit aliquod subiectum mutari. Et hoc modo generatio, vt est productio transfertur ad diuina, & sic Pater in diuinis verè producit Filium, non præsupponendo in tali productione aliquod subiectum, vel materiam priùs mutari: puta à priuatione ad formam: nihil enim ibi præsupponitur, nisi natura diuina: quæ in generatione Filij non est materia, nec quasi materia, nec potentia receptiua, nec quasi potentia receptiua: vt infrà Doctor declarat *d.*5.*q.*2.*& d.*27.*q.*1. 5.

f *Ad secundum principale.* Doctor hîc dicit, quòd quamuis Filius producatur à Patre, non tamen dependet à Patre: quia dependentia sequitur entitatem, videlicet quiditatiuam, id est, quòd omne dependens, propriè loquendo de dependentia, semper dicit aliam entitatem essentialem ab entitate illius, à quo dependet: & sic cùm Filius habeat eandem entitatem essentialem, quam Pater habet, scilicet naturam diuinam: ideò non dependet à Patre. 6. *Filius non dependet à Patre.*

g *Ad vltimum dico.* Licèt hæc litera sit clara. Nota tamen, quando dicit, quòd generatio est perfectior aliis mutationibus: vt enim generatio, & aliæ mutationes, scilicet alteratio, loci mutatio, augmentatio, & huiusmodi, comparantur ad terminum, à quo denominantur, generatio est perfectior: quia terminus est perfectior. Nam generatio ex quinto Physicorum, terminatur ad substantiam: & similiter ex septimo Metaph. terminatur ad compositum. Aliæ verò mutationes tantùm terminantur ad aliquod accidens: vt augmentatio ad quantitatem, alteratio ad qualitatem, loci mutatio ad *vbi*: vt verò generatio, & alię mutationes comparantur ad subiectum, in quo sunt: generatio, vt est mutatio, non vt est productio est imperfectior: quia supponit subiectum magis in potentia: patet, quia ipsa fundatur in materia, quæ est in potentia ad formam substantialem: & vlteriùs ad alias formas. Aliæ verò mutationes sunt in subiecto in actu: puta in composito, quod tantùm est in potentia ad formas accidentales: & loquor semper de generatione, vt est mutatio.

SCHOLIVM.

Ad quæstionem septimam, seu quartam secundæ partis, quæ est vltima, supposita veritate fidei, duas tantùm esse productiones, adducit modum dicendi Henrici asserentis, ideò duos esse actus notionales, quia fundantur super essentiales, qui tantùm sunt duo. Dicit Henricus *quando intellectus est sub suo actu simplici, id est, recto (qui secundùm ipsum totaliter causatur ab obiecto, quod improbat Scotus infr. d. 3. q 7.) quòd reflectit super se, & media illa notitia simplici, producit genitam, quod etiam tenet de verbo nostro quod improbat Scotus infr. d. 27. q. 1. eodem modo dicit de voluntate, quoad eius amorem productum, quem ipse vocat incentiuum, quamuis ponat quandam differentiam, vix intelligibilem inter has duas potentias quoad productionem notitiæ, & amoris, de quo Scot. infr. d. 5. q. 2.*

13. *Ad q. 7. Henricus quodlib. 6. quæst. 1. & quodl. 2. q. & in sum. art. 54.*

AD quæstionem quartam de numero productionum patet veritas, quia sunt tantùm duæ productiones. Sed hoc declaratur ab aliquibus sic: actus notionales fundantur super actus essentiales immanentes, sed tantùm sunt duo actus essentiales manentes intrà, qui sunt *intelligere* & *velle*: ergo tantùm sunt duo actus notionales, qui sunt productiui intrà.

Confirmatur ratio, quia actus [a] notionales fundati super actus essentiales æquantur eis, & ideò non possunt plurificari actus notionales fundati super eundem actum essentialem. & modus ponitur iste, & colligitur ex multis dictis opinantis sparsim in pluribus locis, quòd tam intellectus [b], quàm voluntas in quocunque habent esse propter separationem illorum à materia: postquam habuerint esse in actu suo primo simplicis intelligentiæ, aut volitionis, sunt supra se conuersiui, & super actus eorum simplices & super obiecta eorum per actus conuersiuos intelligendi & volendi.

Intellectus enim [c] non solùm intelligit verum simplici intelligentia, sed etiam intelligentia conuersiua intelligendo se intelligere, & conuertendo se super obiectum intellectum, & super actum simplicem intelligendi & super se intelligentem per actum suum conuersiuum, quia intellectus notitia secunda, quæ est in Verbo, non solùm scit & intelligit rem, sed sic scit & intelligit eam, vt sciat se scire, & intelligere eam.

Similiter [d] voluntas non solùm vult bonum simplici volitione, sed etiam volitione conuersiua volendo se velle, conuertendo se super obiectum volitum & super actum volendi simplicem & super se volentem per actum suum conuersiuum. sed ista conuersio partim vno & eodem modo conuenit intellectui, & voluntati; & partim alio & alio modo. Quod enim ambæ se conuertunt, vt sunt nudæ, puræ, & solæ potentiæ, hoc vno & eodem modo conuenit eis quantum est ex parte ipsarum se conuertentium. Ambæ enim se solas conuertunt sua vi actiua, quæ æqualiter eis conuenit, sed alio, & alio modo, quantum est ex parte obiectorum, ad quæ se conuertunt.

Intellectus enim postquam est conuersus ad illa, ad quæ conuersus est, se habet, vt potentiale quoddam & purum potentiale, & hoc quia intellectus nudus & purus natus est recipere ab illis, sicut proprium passiuum à suo proprio actiuo naturali; quod quidem actiuum est idem intellectus informatus notitia simplici, & hoc respectu formationis notitiæ genitæ declaratiuæ.

Voluntas [e] autem postquam est conuersa ad illa ad quæ conuersa est, se habet vt actiuum quoddam, & hoc vt voluntas nuda & pura nata exprimere de illis (sicut proprium actiuum de proprio passiuo, cuiusmodi est eadem voluntas informata amore simplici) amorem quendam incentiuum, qui est Spiritus sanctus in diuinis qui habet [f] *esse* à producentibus ipsum, non per informationem eius, de quo est quasi subiectiuè: nec per aliquam impressionem factam eidem secundùm modum, quo verbum, siue Filius procedit à Patre, per quandam quasi informationem, siue impressionem, factam intellectui paterno conuerso, vt sit sicut notitia declaratiua de notitia simplici: sed per quandam quasi excussionem, vel expulsionem, aut progressum: aut, magis propriè loquendo, per quandam expressionem producti de eo, de quo subiectiuè producitur.

Ex parte ergo intellectus causatur actus dicendi à notitia simplici in intellectu nudo conuerso supra se, & supra notitiam suam simplicem: ita quòd intellectus informatus notitia simplici, est principium actiuum & elicitiuum actus notionalis intellectus. Ipse autem nudus intellectus conuersus, non est nisi quasi principium passiuum, de quo, quasi de materiali, producitur verbum, quasi per impressionem.

Ex parte autem voluntatis causatur actus notionalis ab ipsa voluntate nuda conuersa supra se, & super amorem suum simplicem, & super ipsam voluntatem informatã amore simplici: ita quòd voluntas nuda conuersa est principium actiuum & elicitiuum actus

notionalis

notionalis voluntatis: ipsa verò voluntas informata amore simplici, est principium quasi passiuum, de quo, quasi de materiali, producitur Spiritus sanctus secundùm quandam expressionem.

Et hinc [g], apparet differentia intellectus vt intellectus, & intellectus vt natura, quia intellectus vt in Patre existens in actu intelligendi suam essentiam, quem actum ipsa essentia operatur in ipso intellectu suo, vt est quasi in potentia ad notitiam essentialem, secundùm rationem intelligendi, fœcundus est fœcunditate naturali ad producendum de seipso sibi simile, ad quod est quasi in potentia, per hoc quòd est actu sub illa notitia essentiali. Intellectus enim, vt est quædam notitia essentialis secundùm actum est natura & principium actiuum, quo Pater de eodem intellectu vt est intellectus purus, & tantùm intellectus vt de puro passiuo format notitiam, quæ est Verbum, quæ secundùm rem est eadem notitia cum illa, de qua formatur, differens solùm ab ea inquantum procedit ab ea vt manifestatiua & declaratiua ipsius.

Et per omnem [h] eundem modum debemus intelligere verbum formari in nobis. Cognitum enim primò sui simplicem notitiam imprimit intellectui nostro repræsentando se illi vt purè passiuo, & sub illa ratione, qua est intellectus; intellectus autem sic perfectus simplici notitia per obiectum cognitum, quod in se continet expressiuè, factus est fœcundus & principium actiuum vt natura imprimens in seipsum, vt intellectus tantùm & principium passiuum, ad formandum in se notitiam declaratiuam de notitia simplici; & secundùm hoc quando dicitur verbum formari per intellectum, & quòd intellectus sit in formatione eius actiuus, hoc intelligitur de intellectu actu informato simplici notitia. Per hanc enim vt per rationem formalem agendi, intellectus est principium actiuum, & necessariò prior est ratio eius vt intellectus est passiuus respectu notitiæ simplicis, quam recipit ab obiecto, quàm ratio eius secundùm quam est natura & actiuus per notitiam simplicem inhærentem: & ideò ordine rationis priùs habet *esse* vt est intellectus, quàm vt est natura, & fundatur actus notionalis, quem agit vt natura, super actum essentialem, quem patitur vt intellectus, scilicet super notitiam simplicem obiecti, quam recipit, vt est nudus.

COMMENTARIVS.

1. *Declaratio Henric.*

a AD *quartam quæstionem*, &c. ibi, *Confirmatur ratio.* Actus notionales sunt propriè proprietates personarum, sicut generatio actiua Patris; & generatio passiua Filij; & spiratio passiua Spiritus sancti. Et tenendo quòd persona constituatur per relationes, tunc generatio actiua Patris est proprietas ipsius, constituens ipsum Patrem: & in re nullo modo differt à paternitate. Hoc idem dico de generatione passiua Filij, & filiatione, vt clarè patebit infrà 28. *dist. & in quol. quæst.* 4. Potest etiam dici, quòd spiratio actiua sit actus notionalis, vt distinguitur contra actum essentialem. Essentiale enim in diuinis dicitur, quod est commune tribus. Et per oppositum, quod non est commune tribus, potest dici notionale: & de hoc vide Scotum 1. *quæst. quodlib.* & in hoc Doctor non contradicit Henrico. Sed quando dicit, quòd actus notionales fundantur super essentiales. hoc non est ad mentem Doctoris vt patebit: nisi sic intelligat, quòd actus notionales, puta generatio, & spiratio præexigunt actus essentiales, scilicet *intelligere*, & *velle*. Si enim sic intelligeret, non discordaret à Scoto, vt patebit infrà, sed hæc non est mens Henrici. Et cùm dicit, quòd actus notionales adæquantur actibus essentialibus. Si sic intelligat, quòd sicut intellectus diuinus habet tantùm vnum *intelligere*, respectu essentiæ, ergo tantùm vnam generationem; & similiter voluntas tantùm habet vnum *velle*, ergo tantùm vnum *spirare*. Hoc verum est, sed ipse Henricus non sic intelligit huiusmodi adæquationem: sed sic intelligit, quòd generatio adæquatur *intelligere* in ratione principij. Vult enim quòd *intelligere* Dei sit ratio formalis, & adæquata, respectu generationis Filij, vt infrà patebit: & sic cùm tantùm sit vna intellectio, tantùm erit vna generatio; licèt dicat, quòd *velle* non sit ratio producendi Spiritum sanctum, sed ipsa voluntas. Et Doctor hoc improbat inferiùs, scilicet quòd *intelligere* sit ratio formalis generandi Filium, vt patebit *in præsenti quæstione.* Hoc idem improbat *d.* 5. *q.* 2. *&* *d.* 6. & specialiter *in* 27. *d. q.* 1. *&* *in* 2. *d* 1. *q.* 1. *& similiter in quolib.*

Spiratio actiua quomodo notionalis. *Essentiale in diuinis quid.*

b *Tam intellectus, quàm voluntas in quocunque habet esse propter separationem illorum à materia*, id est, quòd sunt potentiæ immateriales, & in operando non indigent aliquo organo, sicut aliæ potentiæ: & quia immateriales, ideò sunt reflexiuæ super se, & super actus suos. 2.

Intelligere non est ratio formalis generandi filium. *Intellectus & voluntas sunt potentiæ immateriales in operando.*

Sequitur, *Postquam habuerit esse in actu suo primo simplicis intelligentiæ, aut volitionis*, id est, quòd intellectus dicitur esse in actu suo primo per simplicem intellectionem: & dicitur *simplex intellectio*, vt distinguitur contra intellectionem conuersiuam, & quia terminatur ad obiectum simplex, à quo totaliter causatur, vt vult ipse Henricus, vt infrà patebit *dist.* 3. *quæst.* 7. Hoc idem dico de volitione simplicis voluntatis. Et quod dicit, quòd per intellectionem simplicem habet *esse* in actu primo. Hoc ideò est, quia secundùm ipsum, vt infrà patebit, ipsa notitia simplex est actus primus, siue ratio formalis producendi Verbum: quicquid dicat de volitione, saltem hoc tenet de notitia simplici. Et quantùm ad hoc, quod dicit, quòd notitia simplex totaliter est ab obiecto, vel à phantasmate, improbatur à Doctore infrà *dist.* 3. *quæst.* 7. Et quod dicit quòd intellectio simplex est ratio formalis producendi verbum

verbum, etiam in nobis, improbat Doctor infrà, *dist.* 27.

Sequitur. *Sunt supra se conuersiua*, &c. Id est, quòd intellectus habita cognitione simplici obiecti, postea conuertitur supra se, seipsum cognoscendo, & super cognitionem simplicem, illam cognoscendo, & super obiectum cognitum relucens in cognitione simplici. Et in hoc Doctor sibi non contradicit.

c *Intellectus enim non solùm intelligit verum simplici intelligentia*, &c. In ista litera, Henricus vult, quòd Verbum dicatur esse à notitia simplici, & hoc postquam conuersus est ad ea, ad quæ conuertitur: tunc verbum causatur ab intellectu informato notitia simplici: ita quòd verbum est declaratiuum obiecti, & intellectus, vt informati notitia simplici, & verbum nihil aliud est, nisi quia scio me hoc scire, & hoc est quod dicit, quòd non solùm intelligit rem notitia simplici, sed etiam mediante notitia conuersiua: quia notitia secunda, siue conuersiua accipiendo in Ablatiuo, quæ notitia est in verbo, id est, ad quam immediatè sequitur verbum de re cognita: mediante ergo tali notitia secunda, scilicet conuersiua, non tantùm scit & intelligit rem, sed etiam scit se scire, & intelligere eam, totum hoc est benè dictum, excepto hoc, quòd verbum necessariò requirat notitiam conuersiuam, vt patet infrà à Doctore 27. *d.*

In quibus bene dicit Henricus.

3. d *Similiter voluntas non solùm vult bonum*, &c. Hæc litera clara est vsque ibi, *Sed ista conuersio partim vno, & eodem modo conuenit intellectui*, &c. Sententia huius literę est quòd intellectus habita notitia simplici obiecti, vi sua conuertit se supra se, & super intellectionem simplicem, & super rem cognitam. Similiter voluntas habita volitione simplici obiecti virtute sua conuertit se supra se, &c.

Voluntas & intellectus, vt comparantur ad obiecta differunt.

b *Sed alio, & alio modo quantum est ex parte obiectorum, ad quæ se conuertit.* Dicit, quòd voluntas, & intellectus, vt comparantur ad obiecta, ad quæ se conuertunt, differunt: quia intellectus vt nudus recipit notitiam genitam ab obiecto, ad quod se conuertit, & à seipso, vt informato notitia simplici: ita quòd intellectus, vt formatus notitia simplici, & obiectum, ad quod intellectus virtute sua se conuertit, sunt actiua notitiæ genitæ: ita quòd ipsam imprimunt in intellectu nudo, id est, quòd ipse intellectus, vt recipit notitiam genitam à seipso, vt informato notitia simplici, & ab obiecto modo præexposito, consideratur vt nudus, & vt quoddam purum potentiale.

Quomodo ipsa volitio simplex res volita, & ipsa, vt volens se habent vt materia. Quid sit amor incentiuus.

e *Voluntas autem postquam conuersa est*, &c. Sententia huius literæ est, quòd voluntas postquam virtute sua conuersa est super seipsam volentem, & super volitionem simplicem, & super rem volitam: ipsa voluntas, vt nuda se habet purè actiuè in productione Spiritus sancti: sed ipsa volitio simplex, & res volita, & ipsa vt volens, se habet quasi materia, id est, quòd voluntas, vt nuda de seipsa volente, & de volitione simplici, & re volita, producit amorem incentiuum, id est, Spiritum-sanctum. In productione verò Filij fit modo contrario: quia intellectus intelligens notitia simplici: & ipsa notitia simplex, & essentia cognita non se habet vt quasi materia, sed sunt verè productiua notitiæ genitæ: & intellectus vt nudus se habet merè passiuè. Sequitur,

f *Qui habet esse à producentibus ipsum non per informationem eius, de quo est quasi subiectiuè, nec per aliquam impressionem factam eidem*, id est, quòd Spiritus sanctus, qui habet *esse* à producentibus ipsum, scilicet à voluntate nuda, quæ est ratio producendi ipsum, habet dico *esse* non per informationem eius, de qua est, quasi subiectiuè: quia Spiritus sanctus est de voluntate, vt informata volitione simplici, vt de quasi materia prima, vt dicit suprà. Non tamen ille Spiritus sanctus subiectatur ibi, nec imprimitur in ipsa voluntate, vt informata amore simplici: *sed per quandam quasi excussionem*, &c. id est, quòd quamuis voluntas, vt nuda producat Spiritum sanctum de se ipsa, vt informata amore simplici vt de quasi subiecto: non tamen producit illum ita, quòd subiectetur in tali voluntate: sed magis exprimit illum, vt per se stantem, & nullo modo receptum in tali voluntate.

Opin. Henr. Spiritus sanctus est de voluntate, vt informata volitione simplici.

Econtrariò est de notitia genita, quæ producitur ab intellectu informato notitia simplici de ipso intellectu, vt nudo, vt de quasi materia, & imprimit ibi per quandam informationem: ita quòd talis notitia genita non dicitur propriè per se stare: sed esse in intellectu nudo tamquam in subiecto. Et tota litera sequens patet vsque ibi. *Et hinc apparet differentia intellectus, vt intellectus, & intellectus vt natura.* 4.

Ista litera stat in duobus dictis: quando accipitur intellectus, vt intellectus, accipitur vt merè passiuè se habet tam respectu notitiæ simplicis, quàm respectu notitiæ genitæ: respectu enim vtriusque tantùm passiuè se habet: sed intellectus vt natura accipitur vt est principium actiuum, vel productiuum Verbi. Et quia, vt dixi suprà, notitia simplex est ratio formalis producendi, &c. tunc intellectus, vt informatus tali notitia simplici, quia vt sic est verè productiuus ratione notitiæ simplicis: ideò sic dicitur intellectus, vt natura, cùm *Natura sit quadam vis insita rebus ex similibus similia procreans.* Dicit etiam in ista litera, quòd notitia simplex, & notitia genita, siue verbum, sunt vna res secundùm rem: sed tantùm differt verbum à notitia simplici, quia verbum procedit ab ea vt declaratiua eius, verbum enim tantùm valet, sicut, scio me hoc scire.

Natura quid.

5. g Expono tamen aliqualiter hanc literam de verbo ad verbum. Cùm dicit: *Et hinc apparet differentia intellectus, vt intellectus, & intellectus vt natura.* Vocat intellectum vt intellectum, ipsum intellectum, vt nudum, & merè passiuum: & intellectum vt natura, vocat intellectum informatum notitia simplici obiecti. Sequitur declaratio quid sit intellectus, vt nudus, & vt natura: Dicit enim *quia intellectus vt in Patre existens in actu intelligendi suam essentiam*, id est, simplici notitia essentiæ: *quem actum*, siue quam notitiam *operatur ipsa essentia in ipso intellectu suo:* vt talis intellectus *est quasi in potentia*, scilicet receptiua *ad notitiam essentialem:* siue notitiam simplicem ipsius essentiæ: & vocat notitiam essentialem, quia est communis omnibus personis: & vt distinguitur à notitia notionali, quæ est Verbum diuinum.

Intellectus, vt intellectus quid.

6. *Secundum rationem intelligendi*, id est, secundùm illam notitiam essentialem ipse intellectus Patris est *fœcundus*, *fæcunditate naturali* (nam est fœcunditas per modum naturæ, & fæcunditas per modùm voluntatis: & dicitur aliquid fæcundum, quando est principium productiuum dispositum, & non impeditum) *ad producendum de seipso*, scilicet intellectu nudo: & per impressionem, vt

Notitia notionalis dicitur verbum diuinũ. Duplex fæcunditas.

vt dixi suprà aliquid sibi simile: *ad quod*, scilicet principium formale productiuum: (quod est ipse intellectus formatus notitia simplici) *est quasi in potentia receptiua*, id est, quòd intellectus nudus est quasi receptiuus notitiæ genitæ, ab ipso intellectu formato: qui intellectus formatus dicitur principium productiuum: *per hoc quòd est actu sub illa notitia essentiali*: quia illa notitia, (vt dixi suprà) est ratio formalis producendi notitiam genitam secundùm ipsum Henricum.

Notitia essentialis est ratio formalis producendi notitiam genitam.

7. *Intellectus enim, vt est quadam notitia essentialis*, id est, vt est habens talem notitiam: *secundùm actum*, id est, per illam est in actu principiandi: quia secundùm illam dicitur *natura, & principium actiuum*: quo principio, scilicet actiuo *Pater de eodem intellectu*, scilicet nudo, & puro: *& vt est tantùm intellectus* (quod idem est quòd esse nudum) *vt de puro passiuo*, siue receptiuo: vt dixi suprà, *format notitiam*, id est, gignit notitiam, quam recipit in ipso intellectu nudo: & talis notitia *est verbum: quæ secundùm rem est eadem notitia cum illa de qua formatur*: siue, quæ est principium formale producendi: quæ est notitia essentialis, siue simplex: & differt tantùm secundùm rationem, vt dixi suprà.

Quomodo verbum nostrum producitur in nobis.

h *Et per omnem eundem modum*. Hîc declarat, quomodo verbum nostrum producitur in nobis: & vult quòd eodem modo producatur, sicut & diuinum. *Cognitum enim*, id est, obiectum cognoscibile, *primò simplicem sui notitiam imprimit*, scilicet intellectui *repræsentando se illi, vt purè passiuo*, id est, quòd obiectum imprimit intellectui nostro, vt purè passiuo notitiam sui simplicem, per quam ipsum obiectum est actu præsens intellectui: quia intellectio est similitudo obiecti cuius est.

Intellectio est similitudo obiecti, cuius est.

Sequitur. *Intellectus autem sic perfectus notitia simplici obiecti* (& talis notitia secundùm ipsum, vt infrà patet *præsenti quæst. & dist. 27. quæst.* 1. est notitia confusa obiecti) siue formatus tali notitia *per ipsum obiectum cognitum*, siue cognoscibile (quia obiectum, vt cognitum non causat notitiam: sed vt cognoscibile) *quod* obiectum cognitum continet ipse intellectus formatus notitia simplici: *continet* dico, non per impressionem: quia obiectum cognitum non recipitur formaliter in intellectu cognoscente: sed *continet expressiuè*, id est, quòd intellectus formatus tali notitia est suo modo declaratiuus, & expressiuus sui obiecti, & talis intellectus sic formatus factus est fœcundus, &c. Applica sequentia sicut priùs de formatione verbi Dei.

Obiectum cognitum non recipitur formaliter in intellectu cognoscente, sed expressiuè.

Doctor tamen improbat primò, quòd verbum nostrum sic producatur, vt ipse ponit, vt patebit infrà *dist.* 27.

In quibus Scot. improbat Henric.

Secundò, improbat quòd voluntas de seipsa, vt informata amore simplici de quasi subiecto, vel materia producat Spiritum sanctum, vt patebit infrà *dist. 5. quæst.* 2. admittit tamen quòd ipsa est principium formale productiuum Spiritus sancti, saltem partiale: vt patebit infrà à Doctore *dist.* 10. *quæst.* 1.

Tertiò, improbat, quòd intellectus, vt informatus notitia simplici dicatur natura: accipiendo *naturam*, vt est ratio formalis producendi per modum naturæ: vt patet *in ista quæst. & dist. 6. &* 7. *&* 13. *&* 17. & alibi.

Quartò, improbat, quòd intellectus Patris, vt nudus informetur notitia genita: vt patet *in præsenti quæst. & d. 5. quæst.* 2. ex intentione, *& dist.* 27. *huius, quæst.* 1.

Quintò, improbat quòd intellectus nudus sit, de quo producatur verbum, siue per impressionem, siue non per impressionem: vt patet infrà *d. 5. quæst.* 2.

Sextò, quando dicit quòd intellectus virtute sua se conuertit suprà se, &c. Si hoc intelligat, quòd cognitio conuersiua sit totaliter causata ab intellectu obiecto non concurrente: vel aliquo alio vice obiecti: non tenetur apud Doctorem, vt patet ex intentione *in quodlib. quæst.* 14. & aliqualiter *quæst.* 15. Hoc idem dicerem de voluntate, tenendo illam opinionem quòd obiectum, vel cognitio obiecti sit causa partialis volitionis: de quo *in 2. dist.* 25. & sic patet positio huius Doctoris, quam benè nota.

SCHOLIVM.

Tres articulos Henrici refutat. 1. est, quòd dum intellectus, vt nudus consideratur, & conuersus supra intellectum formatum notitia simplici, formatur ab eo notitia genita. Hanc reiicit, quia cùm conuersio sit suppositorum, si esset Filij, essent duæ personæ ante generationem. Si Patris tunc eius intellectus formaretur notitia genita, quia est passum proportionatum respectu intellectus formati, vt obiecti præsentis.

ISta opinio [a] ponit tres articulos, quos non credo esse veros. 14.

Impugnat Henricum.

Primus est, quòd quando intellectus, vt nudus, conuersus supra intellectum formatum notitia simplici, formatur ab eo notitia genita, hoc improbo sic.

In procemio Metaphys.

Intellectus non conuertitur, nisi vt est in aliquo supposito, quia conuersio ponitur actio, & actiones sunt suppositorum. Tunc quæro cuius suppositi, vel cuius personæ est, vt conuertitur super intellectum formatum? quia si vt conuertitur est personæ Filij, & præcedit per te ista conuersio generationem Verbi: ergo ante generationem Verbi sunt duæ personæ, quod est hæreticum.

Si autem [b] vt conuertitur super intellectum formatum, est ipsius Patris, tunc arguo sic: Cuius est, vt conuertitur, eius est, vt notitia genita formatur, vt probabo: igitur intellectus, vt est Patris, formatur notitia genita: ergo notitia genita est ipsius personæ Patris, quia cuius personæ est intellectus, vt formatus, eiusdem est notitia qua formatur.

Assumptum [c] probandum probo sic: cuius est, vt conuertitur super intellectum formatum, eius est vt habet intellectum formatum pro obiecto actu præsente: ergo eius est, vt ab illo obiecto formatur. Probatio huius consequentiæ: Passiuum proportionatum, dispoſi

dispositum, & approximatum actiuo sufficienti, proportionato, natum est immediatè perfici ab illo actiuo, per Phil. 9. *Metaph. cap.* 4. *quoniam autem possibile,* &c. Tunc enim est aliquid in potentia proxima, quando nihil oportet addi, subtrahi, vel minui, ad hoc, quòd actus insit. Intellectus autem [d] nudus vt conuersus, & habens intellectum formatum, vt obiectum præsens, est passiuum dispositum proportionatum, & approximatum intellectui formato, vt obiecto sufficienter actiuo: ergo intellectus nudus, vt conuersus, nulla facta variatione circa ipsum esse subsistentiæ, vel cuiuscunque entitatis, vt sic formatur notitia genita, & sic probatur prima consequentia.

Text. 10. & 12. *Quādo aliquid est in potentia proxima?*

Hîc posset poni vna responsio quòd intellectus nudus, videlicet de quo formatur notitia genita, communicatur Filio per actum producendi notitiam genitam, per hoc, quod de seipso actualiter formatur illa notitia, siue ex hoc, quòd est quasi materia informata notitia genita, habet esse in persona genita.

Sed contra istam responsionem sunt duo argumenta prima, quæ ponentur *distinctione* 5. *quæst. vltima* contra opinionem de quasi materia, quæ ibi specialiter improbabitur.

Additio. *Conuersionem illam non esse necessariam, nec omnino dari.*

Si per conuersionem nihil intelligitur esse in intellectu, quod non intelligeretur ibi esse non intellecta conuersione: igitur conuersio nihil est ibi Si autem aliquid intelligitur esse in intellectu, quod sine ipsa non intelligeretur, quæro quid? non præsentia obiecti, non perfectio potentiæ, non tandem determinatio potentiæ ad actum, vel exercitium actus, sicut aliqui ponunt voluntatem in nobis conuertere intelligentiam ad memoriam: patet quòd voluntas non conuertit ad gignitionem Verbi diuini.

Item conuersio ista non est actio, qua est operatio: quia non intellectio, nec volitio, nec est actio productiua alicuius.

COMMENTARIVS.

1. a ISta opinio ponit tres articulos. Hîc Doctor primò improbat istam conclusionem, quòd intellectus, vt nudus, conuersus super intellectum formatum notitia simplici formetur ab eo notitia genita. Vt clariùs dicam hanc conclusionem, contra quam arguit Doctor notitia genita, siue Verbum in diuinis formatur, siue producitur ab intellectu Patris, vt informato notitia simplici: & hoc vt intellectus nudus priùs conuertitur super seipsum formatum: & talis notitia genita recipitur in intellectu nudo.

Improbatur positio Henri. Intellectum cōuerti super seipsum quid.

Contra hanc arguit Doctor ibi: *Hoc improbo sic.* Nam intellectum conuerti super seipsum formatum notitia simplici est ipsum se intelligere, vt habentem notitiam simplicem: & hoc cùm dicat actionem, erit alicuius suppositi. Quærit modò Doctor quod est illud suppositum, quod actione sua conuertit se super intellectum formatum notitia simplici. Certum est quòd non est suppositum Filij: patet, quia esset Filius ante Filium. Nam ista conuersio super intellectum formatum notitia simplici præcedit generationem Filij, vt suprà patet: ergo si intellectus vt in filio sic conuertitur: tunc erit filius ante filium.

b *Si autem vt conuertitur super intellectum formatum est ipsius Patris: tunc arguo sic: Cuius est,* &c. Tota ista ratio in hoc consistit: Si Pater mediante intellectu nudo conuertitur super intellectum formatum notitia simplici, scilicet vt productiuum notitiæ genitæ: productiuum dico ipsius notitiæ genitæ de intellectu nudo per impressionem ipsius notitiæ genitæ in intellectu nudo. (Nam propriè producere de aliquo per impressionem producti in illo, est ipsum productum formaliter inesse illi, de quo producitur: sicut de materia ligni producitur forma ignis, & recipitur formaliter in illa materia) est ipsum intellectum nudum, vt in Pàtre formaliter existentem suo modo recipere illam notitiam genitam, productam ab intellectu formato notitia simplici: quod in simili patet: si enim intellectus meus purè passiuè se haberet ad *A* obiectum, vt actiuum, tunc intellectus meus reciperet notitiam illius obiecti *A* tanquam à causa productiua illius notitiæ: & sic intellectus meus informaretur tali notitia, & per consequens esset formaliter intelligens per illam notitiam, in intellectu meo receptam. Sic est in proposito: si intellectus Patris, vt Patris habeat intellectum formatum notitia simplici, vt productiuum illius notitiæ, imprimendo illam in intellectu Patris vt Patris, ergo Pater formaliter haberet in se illam notitiam: & persona Filij esset formaliter in Patre, & per consequens Pater esset formaliter Filius: sicut paries habens formaliter albedinem, est formaliter albus. Et hic est sensus totius literæ. Hanc tamen vt clariùs intelligatur expono de verbo ad verbum.

Tunc arguo sic: Cuius est vt conuertitur, id est, cuius suppositi est intellectus nudus, vt conuertitur super seipsum formatum notitia simplici. Sequitur *eius est vt notitia genita formatur,* id est, intellectus nudus est eiusdem suppositi, inquantum ille intellectus tali notitia genita formatur. Ista propositio sic declarata, probatur à Doctore ibi. 2.

Hic exponitur litera.

c *Assumptum probandum, probo sic: Cuius est vt conuertitur,* &c. id est, cuiùs suppositi est, vt intellectus nudus conuertitur super intellectum formatum, eiusdem suppositi est intellectus nudus, vt habet intellectum formatum pro obiecto actu præsente: *ergo eius est, vt ab illo obiecto formatur,* id est, ergo eiusdem suppositi est intellectus nudus, vt ab illo obiecto, id est, ab illo intellectu formato notitia simplici, informatur, scilicet notitia genita.

Scot. contra Henric.

Sequitur. *Probatio huius consequentiæ*: videlicet quòd eiusdem suppositi est intellectus nudus, vt ab illo obiecto formatur: quia *Passiuum proportionatum dispositum,* &c.

d Sequitur parum infrà: *Intellectus autem nudus,* &c. Hoc patet per Henricum vbi suprà, qui vult quòd intellectus nudus, præmissa conuersione, fit passiuum naturale, respectu notitiæ genitæ

genitæ. Et ideò intellectus formatus notitia simplici est actiuum naturale, imprimens notitiam genitam in intellectu nudo conuerso.

Sequitur: *ergo intellectus nudus, vt conuersiu, nulla facta variatione circa ipsum esse subsistentia*, id est, circa ipsum suppositum subsistens, *vel cuiuscunque entitatis, vt sic formatur notitia genita.* Cùm ergo intellectus nudus, vt est Patris, conuertatur super intellectum formatum, vt passiuum ad actiuum, à quo recipit notitiam genitam: ergo in Patre erit formaliter notitia genita: & sic Pater formaliter erit filius. Patet consequentia, quia si in homine est formaliter quantitas, & albedo sit formaliter in quantitate, ergo homo erit formaliter albus: sic in proposito.

3. e *Hic posset poni vna responsio, quòd intellectus nudus* per hoc quòd de seipso actualiter formatur illa notitia, siue ex hoc, quòd est quasi materia informata notitia genita, habet *esse* in persona genita. Sed nota, quòd hæc responsio non euacuat argumentum Scoti, quia si intellectus, vt nudus conuertitur ad intellectum formatum notitia simplici, quæro cui personæ conuenit iste actus conuersiuus, aut personæ Filij, aut Patris? & arguo, vt priùs argutum est in argumento præcedente. Sed si absolutè diceret, quòd intellectus nudus, vt de quo formatur notitia genita, siue, vt suo modo recipiens notitiam genitam: siue se habens quasi materiam est Filij, id est, quòd vt est Filij habet illam notitiam, non loquendo de illa conuersione intellectus nudi super intellectum formatum. Si ergo Henricus sic intelligat dicit Doctor ibi: *Sed contra istam responsionem sunt duo argumenta prima, quæ ponentur, dist. 5. quæst. vlt.* &c. vide ibi, vbi diffusè probat, quòd essentia, siue intellectus diuinus tantùm habetur in Filio, vt terminus formalis generationis: ergo non potest ibi esse, vt materia, nec quasi materia: & per consequens, vt in Filio non formatur notitia genita: quia vt sic, haberet rationem materiæ, vel vt quasi materiæ, quod est impossibile, vt probat Doctor hîc, & hoc idem *in 27. distinctione huius quæst.* 1.

Hæc responsio non euacuat argumentum Scoti.

Essentia siue intellectus diuinus tãtùm habetur in Filio, vt terminus formaliter generationis.

SCHOLIVM.

Secundum articulum Henrici, quo asserit intellectum, vt informatum notitia actuali, elicere notitiam genitam, refutat. Primò, quia secundùm Augustinum Verbum gignitur à memoria, non ab intelligentia. Secundò, productio magis conuenit actui primo, quàm secundo. Tertiò obiectum, non actus in nobis gignit cum intellectu verbum. Quartò, verbum esset immediatius verbum intellectionis Patris, quàm essentiæ, & dandum esset prius verbum declaratiuum essentiæ. Quintò, si actualis intellectio Patris esset producta, produceretur virtute essentiæ, vel daretur processus, actus intellectus ante actum intelligendi.

SEcundus articulus est, quòd intellectus informatus notitia actuali essentiali, est principium actiuum, & elicitiuum notitiæ genitæ. 15.

Reprobat art. 2. Hen.

Hoc improbo sic [a]: Verbum non gignitur ab intelligentia, sed à memoria, secundùm Augustinum 15. *de Trinit. cap.* 7. ergo licèt in Patre concurrant memoria, intelligentia, & voluntas, pater non gignet verbum formaliter intelligentia, vt *quo*, sed memoria. Vt autem habet notitiam actualem quasi elicitam, & vt actum secundum, est in actu intelligentiæ, cuius est omne intelligere actuale: ergo vt sic non gignet verbum, sed vt est in actu memoriæ, id est, vt habet obiectum intelligibile præsens intellectui suo: in hoc enim intelligitur actus primus quasi præcedens actum secundum, qui est actu intelligere.

Secundò sic: productio [b] magis conuenit actui primo, vt principio productiuo, quàm actui secundo, quia operationes perfectæ de ratione sui sunt fines, & non sunt gratia aliorum finium: ergo intellectio, vt est operatio Patris non est ratio formalis productiua alicuius termini, sed tantùm actus primus, cuius virtute elicitur illa operatio, erit principium productiuum.

9. Metaph. text. com. 16.

Tertiò sic [c], si intellectio Patris actualis, est ratio formalis producendi verbum, adhuc obiectum, vt præsens intellectui Patris, vt habenti rationem memoriæ, erit principium prius productiuum notitiæ genitæ, quia in nobis apparet, quòd illud est natum immediatiùs gignere, quàm actus intelligendi: ergo aliquod verbum priùs erit genitum à Patre, vt à memoria, quàm vt ab ipsa intelligentia noscente.

ADDITIO.

Confirmatur, quia per te, essentia quasi operatur actum intelligendi essentialem in intellectu paterno: ipsa igitur vt præsens intellectui, est sufficiens principium quo, respectu intellectionis actualis, sed quòd non sit quasi principium respectu eius, vt in Patre, hoc est quia illa intellectio Patris est improducibilis: igitur respectu notitiæ actualis producibilis est ipsa simpliciter principium quo, & ita primum verbum non producetur per notitiam actualem, vel intellectionem actualem Patris, vt per rationem formalem productiuam, sed per ipsam memoriam. Præterea, omnis intellectio, cum eius esse sit in fieri, habet principium, vel quasi principium, cuius esse non sit in fieri, quia aliàs esset processus in infinitum: alicuius igitur intellectionis A. obiecti, puta primæ, necesse est principium, vel quasi principium, esse tantùm memoriam, ita quòd non hoc totum, intellectus intelligens, aliàs ista non esset prima intellectio: sed omnes intellectiones A. & in intellectu eiusdem rationis, sunt eiusdem rationis:

nis: quidquid autem est perfectum principium primi in specie, potest esse principium cuiuscunque & immediatè: igitur memoria perfecta potest esse immediatum principium, vel quasi principium omnis intellectionis A: igitur memoria Patris potest esse principium immediatum verbi, igitur necessariò est.

Contrà, igitur non sic memoria Filij ad intelligentiam Filij, sicut memoria Patris ad intelligentiam Patris.

16. Præterea, verbum [d] est illius immediatius verbum, à quo immediatiùs exprimitur: ergo si ratio elicitiua verbi sit actualis notitia, vt in intellectu Patris formato, sequitur quòd verbum sit immediatiùs verbum intellectionis Patris, quàm essentiæ Patris, quod videtur inconueniens: quia tunc esset aliud prius verbum, quod esset declaratiuum essentiæ Patris immediatè.

Vel oportet dicere, quòd illa essentia non posset declarari immediatè per aliquod
Cap. 10. verbum, quod videtur inconueniens: cùm secundùm Augustinum 15. *Trinit.* notitia formata ab ea re, quam memoria continemus, est verbum, primum obiectum memoriæ diuinæ est essentia, vt essentia.

Præterea [e]. Si actualis intellectio Patris esset genita, vel producta, produceretur virtute essentiæ, non vt iam cognita, sed vt prior omni cognitione: hoc patet, tum secundùm veritatem, quia aliàs esset processus in infinitum in actibus intelligendi: quia semper erit dare actum intellectus ante actum intelligendi: tum secundùm istum, quia suprà dixit, quòd in Patre actum intelligendi essentiam, operatur ipsa essentia in intellectu ipsius.

Ex hoc arguo sic: actualis notitia essentiæ non potest esse formaliter alterius rationis per hoc, quòd est ab alio communicata, & non ab alio sic communicata: quia tunc Deitas esset formaliter alterius rationis in personis, quia illam vna habet à se, & non alia: ergo & actualis notitia essentiæ est eiusdem rationis in Patre & Filio, quod igitur natum est esse principium, *quo* respectu vnius, si esset principiabile, idem erit principium respectu alterius si principiatur.

COMMENTARIVS.

1. SEcundus articulus est, &c. Quia dixit Henricus vbi suprà, quòd notitia simplex, siue essentialis in intellectu Patris est ratio formalis producendi notitiam genitam. Contra quem articulum arguit Doctor multis mediis.

a Primò ibi: *Hoc improbo sic.* Hæc ratio stat in hoc: Habens formaliter principium productiuum notitiæ genitæ, potest illo formaliter producere: sed Pater habet formaliter memoriam fœcundam, quæ est principium productiuum Verbi: patet per Augustinum, quia verbum gignitur à memoria: ergo Pater formaliter producit notitiam genitam memoria, vt principio productiuo, & non intelligentia, siue notitia simplici, quod idem est: & hic est sensus huius literæ.

Pater formaliter producit notitiam genitam memoria, non intelligentia.

Declaro tamen hanc literam cùm dicit ibi: *ergo licèt in Patre concurrant memoria, intelligentia & voluntas: Pater non gignet Verbum formaliter* intelligentia, vt *quo*. Formaliter enim generare vt *quo*, est in se habere formaliter principium, siue rationem formalem generandi: sicut dicimus ignis formaliter calefacit calore vt *quo*: quia habet in se formaliter calorem, qui est ratio formalis calefaciendi: sic Pater dicitur formaliter generare memoria vt *quo*, quia habet in se memoriam formaliter, quæ est principium generatiuum, siue ratio formalis generandi.

Quid sit generare vt quo.

Sequitur: *Vt autem habet notitiam actualem, est in actu intelligentia*, id est, quòd Pater per notitiam actualem est in actu intelligentiæ, id est, quòd tantùm per ipsam est formaliter intelligens omne intelligibile: & per consequens per ipsam non est formaliter producens Verbum: cùm talis notitia sit simpliciter finis potentiæ, propter hoc tantùm ponitur, vt per ipsam obiectum intelligatur, non vt per ipsam aliquid generetur. Sequitur: *sed vt est in actu memoria*, &c. Memoria enim apud Doctorem, vt infrà patebit, est intellectus habens obiectum perfectè præsens: & hoc in ratione intelligibilis, non vt actu intellecti: quia vt intellectus habet obiectum præsens in ratione intellecti, magis dicitur intelligentia, propter actualem intellectionem, quam habet: & vt sic non est verè productiuus: vt verò habet obiectum præsens, in ratione intelligibilis, hoc totum dicitur memoria: quia hoc totum est principium formale operandi, siue intelligendi: & est principium formale producendi Verbum: & hoc totum dicitur actus primus, respectu actus secundi. Actus enim primus, vt sæpè dictum est, est principium actionis, vel operationis: actus verò secundus est ipsa operatio, siue actio, siue generatio, & huiusmodi.

b *Secundò sic.* Secundò probat Doctor intentum, scilicet quòd notitia simplex non est principium productiuum filij: patet, quia principio productiuo correspondet productum, vt finis, siue terminus productionis: sed notitiæ simplici non correspondet aliquod productum per ipsam, vt finis, vel terminus productionis: patet ista, quia intellectio est vltimus terminus productus ab intellectu, & finis vltimus intentus ab intellectu, & ab obiecto. Intenditur enim ab intellectu talis notitia, vt per ipsam obiectum tantùm intelligatur: sed productio intenditur non vt ibi sistatur, sed vt per ipsam productum habeatur: & sic actus primus (cuiusmodi est memoria) est principium productiuum, & non actus secundus, cuiusmodi est intellectio. 2.

c *Tertiò sic.* Ista ratio stat in vno dicto, videlicet

delicet quòd habens principium productiuum, cui non correspondet productum adæquatum, potest illo producere: sed Pater habens intellectum, & obiectum perfectè præsens intellectui, habet principium formale productiuum Filij: ergo si Filius per tale principium non est productus: adhuc Pater illo principio potest producere. Si ergo per Henricum Pater producit Filium notitia simplici, vt principio productiuo: ergo Pater habet Filium ante Filium: quia memoria, vt memoria, est principium formale productiuum Verbi: vt patet per Augustinum, & experimentaliter patet in nobis: quia verbum nostrum (quod est intellectio perfecta obiecti) immediatè producitur à memoria, videlicet ab intellectu, & obiecto præsente, vt patebit infrà *dist.* 27. & multæ sunt auctoritates Augustini, quòd Verbum est à memoria, vt memoria. Si ergo secundùm Henricum ipsum Verbum potest esse à notitia simplici: & cùm etiam possit esse à memoria, vt dixi: ergo Pater habebit duo Verba, siue duos Filios: quorum vnum correspondet memoriæ, & aliud notitiæ simplici, quod est inconueniens: & hoc intendit Doctor in ista litera.

3. d *Præterea. Verbum est illius immediatius verbum.* Hic Doctor arguit contra Henricum deducendo ad vnum inconueniens: videlicet quòd Verbum esset immediatiùs expressiuum notitiæ simplicis, quàm essentiæ diuinæ: & quòd sit inconueniens, patet etiam in nobis: quia verbum nostrum, siue intellectio perfecta obiecti immediatè exprimit, & manifestat, declarátque ipsum obiectum, à quo specificatur: vt patet, & non dicitur exprimere, siue manifestare aliam notitiam obiecti. Sic in proposito notitia genita, secundùm communiter loquentes, dicitur immediatè expressiua obiecti, siue essentiæ diuinæ, siue memoriæ fœcundæ. Si ergo talis notitia genita immediatè exprimeretur à notitia simplici, vt à principio formali productiuo; tunc ab ipsa specificaretur, non à memoria fœcunda: & sic magis, & immediatiùs esset expressiua, & manifestatiua notitiæ simplicis, quàm obiecti, siue essentiæ diuinę. Nam quælibet notitia (propriè loquendo) est semper expressiua illius, à quo specificatur. Vnde notitia simplex dicitur immediatè declaratiua essentiæ diuinæ, cùm ab ipsa specificetur: vt patet à Doctore infrà *dist.* 27. Cùm ergo notitia genita apud omnes sit immediatè expressiua essentiæ diuinæ, siue memoriæ: sequitur quòd immediatè exprimitur ab illa, & non à notitia simplici.

e *Præterea, si actualis intellectio Patris.* Quintò, siue vltimò arguit Doctor contra Henricum. Et supponit duo in isto argumento. Primum, quòd actualis notitia est ab essentia diuina, vt à principio productiuo: quod etiam ipse Henricus concedit, vt suprà patuit: & patet etiam ratione, quia si actualis notitia simplex non esset immediatè ab essentia, sed ab alia notitia, tunc quæro de illa alia, aut est immediatè ab essentia, aut non: si primum, non est maior ratio de vna, quàm de alia: si secundum, ergo erit processus in infinitum in notitiis. Stat ergo, quòd notitia simplex sit ab essentia, siue à memoria. Secundò supponit, quòd notitia genita, & notitia essentialis sunt eiusdem rationis: patet, quia non variatur ratio formalis ex hoc quòd est esse communicatum, & non communicatum: quia tunc essentia diuina esset alterius rationis, vt in Patre, & vt in Filio: quia in Patre non est communicata per productionem: in Filio est communicata per generationem. Dicit ergo Doctor quòd si notitia simplex esset realiter distincta à Patre, talis notitia esset verè producta, & verè genita: ergo cùm essentia diuina sit principium formale productiuum notitiæ simplicis, quæ verè non principiatur: quia realiter non distinguitur à supposito principiante: adhuc esset principium productiuum eiusdem, si verè principiaretur: ergo notitia genita, quæ verè principiatur à Patre, est ab essentia diuina, siue à memoria fœcunda, vt à principio formali productiuo, & notitia simplici, vt dicebat Henricus.

Sed circa hoc quod dicit notitiam genitam, & notitiam simplicem esse eiusdem rationis, occurrunt aliqua dubia. Primò, quia notitia simplex est formaliter perfectio simpliciter: notitia verò genita non est formaliter perfectio simplex. Primum patet à Doctore infrà *præsenti dist. & dist.* 8. *& in quodlib. Item, in primo dist.* 1. *quæst.* 2. quia intellectus paternus est formaliter Beatus in visione Deitatis. Hoc idem *in quæst.* 14 *quodlib.* quæ visio est notitia ingenita, siue simplex: non potest autem esse beatus formaliter in aliquo, quod non est perfectio simpliciter. Patet etiam *in isto primo dist.* 2. *quæst.* 1. *& in quodlib. quæst.* 14. quòd *intelligere* Filij est optimum illius substantiæ: ergo. Secundum patet, scilicet quòd notitia genita non sit perfectio simpliciter formaliter: quia si sic, cùm ipsa necessariò includat relationem constituentem ipsam, ergo relatio includeretur formaliter in aliquo, quod est perfectionis simpliciter, quod est falsum. Tum, quia talis relatio nullam perfectionem dicit, illud modò, quod non dicit aliquam perfectionem, non est de formali ratione perfectionis simpliciter. Tum etiam, quia quicquid formaliter includitur in perfectione simpliciter, est perfectio simpliciter: vt patet à Doctore *in quodlib.* sed relatio non est perfectio simpliciter: vt probat Doctor *quæst.* 1. *quodlib.* ergo. Tunc vltrà: Quæ sic se habent, quòd vnum ex sua ratione formali est perfectio simpliciter, & aliud non: non sunt eiusdem rationis, vt patet: sed notitia genita, & notitia simplex sunt huiusmodi: ergo. Si verò dicatur, quod benè concludit, si notitia genita esset constituta per relationem: sed diceretur, quòd esset constituta per proprietatem absolutam. Sed hoc nihil est: quia adhuc talis proprietas nullam perfectionem diceret: vt patet à Doctore infrà *dist.* 26.

Secundò dubitatur, quia notitia ingenita est entitas absoluta: vt patet à Doctore *quæst.* 14. *quodlib. & dist.* 10. *quarti.* Sed notitia genita est entitas relatiua: modò absolutum formaliter, & relatiuum formaliter non sunt eiusdem rationis: ergo nec notitia genita, & ingenita.

Respondeo quòd dictum Doctoris habet sanè intelligi. Non enim vult ipse, quòd de facto notitia genita, & ingenita sint simpliciter eiusdem rationis, vt patet per argumenta superiùs facta: sed ex hoc dicuntur eiusdem rationis: quia si notitia simplex esset realiter distincta à supposito producente: tunc esset verè notitia genita, & eadem quæ nunc. Et similiter, si notitia genita nunc esset idem realiter cum producente, esset simpliciter eadem quòd notitia simplex: & ex hoc dicerentur eiusdem rationis. 5.

Sed quomodo est possibile, quòd idem, vt realiter distinctum dicatur verè genitum: & formaliter

liter relatiuum : & quòd non sit perfectio simpliciter : & quòd si illud idem esset realiter idem, quod dicatur absolutum, & perfectio simpliciter.

Dico breuiter, quòd notitia est realiter idem cum supposito producente, necessariò pullulat ab essentia diuina, vt perfectio simplex, & vt entitas absoluta: vt verò realiter distinguitur à supposito producente, necessariò producitur, vt entitas relatiua. Accidit ergo notitiæ diuinæ, quòd dicatur entitas absoluta formaliter: quia hoc habet propter identitatem realem cum supposito producente: accidit etiam, quòd dicatur entitas relatiua: quia hoc est propter realem distinctionem à supposito producente. Si dicatur, nonne paternitas est idem realiter cum supposito producente? Dico quòd sic: ergo erit entitas absoluta, &c. Dico quòd sunt aliquæ entitates quæ diuersimodè pullulant ab essentia diuina: quædam enim simpliciter pullulant vt entitas absoluta: & quædam vt entitas relatiua. Et si quæratur ratio diuersitatis, nulla alia est assignanda, nisi quia hæc est talis entitas, & illa talis: & sic notitia simplex est talis entitas, quòd vt est idem realiter cum supposito, necessariò pullulat ab essentia, vt entitas absoluta: ipsa eadem entitas, est talis entitas quòd distingueretur à supposito producente, esset verè si realiter genita, & verè entitas relatiua: & paternitas est talis entitas, quòd vt est idem realiter cum supposito Patris, oritur de necessitate, vt entitas relatiua: & est talis entitas, quòd si etiam esset distincta realiter, non esset verè genita, nec esset entitas absoluta: & sic patet ad difficultatem.

SCHOLIVM.

Ostendit falsum esse tertium articulum Henrici, probans conuersionem intellectus nudi, super se formatum, non esse necessariam, ad hoc, vt nudus formetur ab intellectu formato: quia intellectus Patris est principium naturale, respectu notitiæ genitæ, sicut respectu ingenitæ: ergo non requirit reflexionem ad producendum. Secundò, verbum Beatorum non petit talem reflexionem, aliàs haberet creatum pro obiecto. Ostendit etiam secundum articulum Henrici falsum esse in nobis, quia notitia confusa non potest esse principium notitiæ distinctæ, seu verbi, & illa esset simul cum verbo, vel produceret, quando non esset.

17. *Refellit tertiũ dictum Henrici.* Tertius [a] articulus est, quòd conuersio intellectus nudi super se formati, est necessaria ad hoc, vt intellectus nudus formetur ab intellectu formato.

Hoc non video, quia intellectus Patris habens obiectum sibi præsens, est naturale principium, non solùm operatiuum respectu intellectionis Patris, sed etiam productiuum respectu notitiæ genitæ. adhuc ergo circumscripta illa reflexione, esset principium productiuum.

Secundus [b] etiam articulus est falsus in nobis; tum, quia notitia confusa non potest esse principium elicitiuum notitiæ distinctæ, sicut nec imperfectum potest esse principium elicitiuum productionis alicuius perfecti: tum, quia illa notitia actualis confusa, esset simul cum notitia actuali distincta, & ita duo actus eliciti simul, vel actus confusus quando non esset, generaret actum distinctum: tum, quia omnis actus intelligendi secundus, est genitus à memoria, vt memoria est in actu primo proportionali sibi, puta perfectus à perfecto, imperfectus ab imperfecto, sicut *distinctione tertia* patebit.

Tertius [c] articulus etiam est falsus in nobis, quia verbum perfectissimum erit in patria secundùm Augustinum 15. *de Trinit.* & tamen non erit illud verbum genitum per actum reflexum, siue conuersiuum super actum primum, vt iste dicit, vt per illud sciat, quis scire vel intelligere. Quòd autem non erit notitia reflexa probatur, quia verbum perfectissimum creatum, non habet pro obiecto suo primo aliquod creatum, sed increatum. *Cap. 10.*

COMMENTARIVS.

1. a *Tertius articulus est.* Hîc instat contra tertium articulum, vbi Henricus vult quòd conuersio intellectus nudi super se formatum, est necessaria ad hoc, vt intellectus nudus formetur ab intellectu formato, id est, quòd intellectus formatus notitia simplici, non potest esse principium immediatè productiuum verbi, siue notitiæ genitæ, quæ dicitur propriè verbum, nisi priùs conuertatur super notitiam simplicem, & super obiectum cognitum, & super se cognoscentem. Doctor instat probando, quòd talis conuersio non est necessaria, quia sola memoria sufficit, quæ tantùm includit intellectum, & obiectum perfectè præsens: & sic intellectus Patris habens essentiam, vt obiectum intelligibile sibi præsens, est naturale principium, id est, principium per modum naturæ, non solùm operatiuum respectu intellectionis Patris, sed etiam productiuum respectu notitiæ genitæ, circunscripta illa reflexione: sola enim memoria perfecta sufficit.

b *Secundus etiam articulus est falsus in nobis.* Quia in secundo articulo dixit, quòd notitia simplex obiecti est principium productiuum verbi; & quia hoc etiam concedit de verbo nostro: & vult quòd notitia simplex obiecti confusa tamen, est principium productiuum notitiæ distinctæ eiusdem obiecti: & deducit ad alterum inconuenientium: videlicet, vel quòd simul in eodem intellectu respectu eiusdem obiecti esset cognitio confusa, & distincta; vel aliquid, quando non est, causabit: patet primum inconueniens, quia si notitia confusa causat notitiam distinctam, ergo in eodem instanti, quo causatur notitia distincta in eodem instanti est notitia confusa 2. *Notitia confusa non potest esse principium notitiæ distinctæ.*

patet:,

patet, quia causa etiam quando causat, adhuc est prior natura effectu, vt patet à Scoto *in 1.d.1.* Sicut etiam hoc idem exposui ibi *15.d.* Si verò in eodem instanti, quo est notitia distincta, non est notitia confusa: ergo notitia confusa causat distinctam, quando non est, sed de ista materia diffusiùs pertractat Doctor infrà dist. 17.

3. c *Tertius articulus etiam est falsus in nobis.* Quia Henr. dixit in 3. art. quòd verbum nostrum generatur per actum reflexum, siue conuersiuum super actum primum, vt per illud sciat quis se scire: & sic videtur quòd tale verbum habeat immediatè pro obiecto actum rectum, quo obiectum est sibi præsens. Exempli gratia, primò cognosco lapidem: secundò reflecto me super illam cognitionem, & super lapidem cognitum, & ex tali reflexione causatur verbum, per quod scio me scire lapidem: & sic illud verbum immediatè respicit primam cognitionem lapidis: sed hoc non est verum, quia in patria Beati habebunt perfectissimum verbum: ergo si illud verbum esset causatum per actum reflexum, tunc haberet visionem, quia videret Deitatem pro obiecto immediatè: & talis visio est quid creatum: ergo verbum terminaretur ad aliquod creatum: ergo non esset perfectissimum, quia verbum perfectissimum immediatè terminatur ad obiectum increatum: & sic patet improbatio opiunionis Henrici.

Beati in patria habebunt perfectissimũ verbũ, & tamen non actũ reflexum.

SCHOLIVM.

Sententia Scoti, productiones ideò non esse pauciores duabus, quia principia sunt duo, & immediatè opposita: nam alterum, scilicet intellectus, per modum naturæ determinatè inclinatur ad agendum; alterum liberè se determinat, scilicet, voluntas, & sic non possunt reduci ad aliquod vnum tertium, nec alterum ad alterum: quia imperfectius tantùm reducitur ad perfectius. Ideò etiam plures esse nequeunt, quia vtrumque principium habet productionem sibi adæquatam.

Dico tunc ad quæstionem, a quòd tantùm sunt ibi duæ productiones distinctæ secundùm rationes formales productionum, & hoc, quia sunt tantùm duo principia productiua, habentia formales rationes producendi distinctas. Quod probo sic: Omnis pluralitas reducitur ad vnitatem, vel ad paucitatem tantam, ad quantam reduci potest; ergo pluralitas principiorum actiuorum, vel productiuorum reducetur ad vnitatem, vel ad tantam paucitatem, ad quantam potest reduci: sed non potest reduci ad aliquod principium vnum productiuum aliud ab istis. Probatio, quia principia productiua, quæ sunt *natura, & voluntas*, habent oppositos modos principiandi, quia alterum inclinatur ex se ad agendum naturaliter, alterum liberè, & in potestate sua habet producere, ita quòd ad hoc ex se naturaliter non inclinatur. Si autem reduceretur ad aliquod vnum principium productiuum, illud haberet determinatè alterum modum principiandi alterius istorum principiorum. Vel enim esset productiuum ex se determinatè, & tunc per modum naturæ; vel non ex se determinatè, sed liberè, & ita per modum voluntatis. Ergo non possunt reduci ad aliquod principium, quasi tertium ab istis, quod scilicet in producendo neutrius istorum habeat rationem. Nec vnum istorum reducitur ad alterum, quia tunc alterum secundùm totum genus suum esset imperfectum, quod falsum est: quia cùm ex eadem perfectione conueniat vtrique esse principium operatiuum, & productiuum, & neutrum sit ex se imperfectum inquantùm est operatiuum; quia tunc non esset formaliter in Deo: ergo nec inquantùm est productiuum est imperfectum: ergo non possunt reduci ad paucitatem minorem, quàm ad dualitatem principij, scilicet productiui per modum naturæ, & principij productiui per modum voluntatis. Hæc autem duo principia secundùm rationes suas principiandi debent poni in primo, quia in ipso est omnis ratio principij, quod non reducitur ad aliud principium prius: igitur sunt tantùm duo principia productiua alterius rationis in primo productiuo. Hæc autem sunt productiua ad intrà. Probatio, memoria perfecta est productiua ad intrà per modum naturæ, ex solutione præcedente, quia intellectus perfectus, sicut inquantùm est potentia operatiua, natus est intelligere obiectum, quantùm est ipsum noscibile, ita inquantùm est potentia productiua notitiæ genitæ, natus est esse principium tantæ notitiæ, quanta potest esse obiecti: intellectus autem in primo, etiam vt est principium productiuum, est simpliciter perfectus.

18. Scoti opinio propria. Omnis pluralitas reducenda ad vnitatẽ, vel paucitatem possibilem. De hoc latè Scot. infrà dist. 13.

Quæstionis scilicet præcedentis.

Hoc etiam obiectum primum intellectus est infinitum intelligibile: ergo intellectus, vt est principium productiuum, natus est esse principium producendi notitiam infinitam. Similiter arguitur de voluntate respectu amoris obiecti infiniti. 19.

Vlteriùs sequitur, si non sunt ibi nisi duo principia productiua alterius rationis: ergo tantùm sunt duæ productiones numero. Probatio, quia vtrumque principium productiuum habet productionem sibi adæquatam, & coæternam: ergo stante illa non potest habere aliam.

De hoc quodl. 2.

Nota pro solutione huius quæstionis, sit hac propositio: Quidqu id rationis eiusdem existens ad ADDITIO.

ad plura eiusdem rationis se extendit, non determinatur ex se ad quot talia se extendit. Probatur, in habitudine naturæ communis ad supposita, & causa ad effectus. Ex hoc sequitur, quòd nec natura diuina inquantum communis determinat sibi numerum suppositorum, nec inquantum principium producendi, si est tale principium, determinabit sibi numerum principiatorum; igitur si est certus numerus personarum, erit, quia principium productiuum distinguitur.

COMMENTARIVS.

1. *In diuinis duas tantum esse productiones.*

a Dico tunc ad quæstionem. Hîc Doctor aliter probat, quòd tantùm sint duæ productiones in diuinis, & per consequens tantùm duæ personæ productæ: quia vni productioni adæquatæ correspondet vnum productum adæquatum. Nota tamen primò in ista litera, quòd illa propositio, scilicet, *Omnis pluralitas est reducenda ad vnitatem*, &c. potest multipliciter intelligi: vel scilicet quòd omnis pluralitas aliquorum eiusdem rationis, sit reducenda ad vnum eiusdem rationis: & sic non est vniuersaliter vera; patet, quia pluralitas indiuiduorum eiusdem speciei non reducitur ad vnum illius speciei: quia inter illa non est aliquis ordo prioris, & posterioris, nisi fortè per accidens. Nec similiter est vera in causatis, quòd pluralitas causatorum reducitur ad vnum causatum, &c. quia tunc idem reduceretur ad seipsum, vt patet: & posito quòd non reduceretur ad seipsum, adhuc talis pluralitas non reducitur ad vnum illius pluralitatis. Est tamen vera, quòd pluralitas omnium causatorum reducitur ad aliquod extra illam pluralitatem: quia ad vnitatem causæ, scilicet primæ, à qua dependet illa pluralitas. Est etiam propositio semper vera in essentialiter ordinatis, scilicet quòd omnis pluralitas essentialiter ordinatorum reducitur ad vnum primum illius pluralitatis: quia in essentialiter ordinatis non est procedere in infinitum; sed statur ad vnum primum, vt patet per Philosophum 2. *Metaph. text. com.* 5. & probat hoc ibi *text. com.* 6. & de hoc vide Doctorem *in* 2. *Metaph.* & quæ ibi exposui: & sic in causis effectiuis deueniendum est ad vnum primum effectiuum, & similiter in finibus, in mensuris, & huiusmodi. Est etiam vera in speciebus dicentibus formaliter perfectionem: nam pluralitas talium specierum reducitur ad vnam primam, cùm non sit procedere in infinitum in illis, vt probat Doctor *in* 2. *Metaph.* & vide quæ ibi notaui. Et dixi *de speciebus dicentibus formaliter perfectionem*, propter species numerorum, quia vna species dicitur perfectior alia, non simpliciter, & formaliter; sed quia continet materialiter plures vnitates, vt notaui super secundo Metaph. Doctoris.

Pluralitas omnis ad vnitatem reducenda, quo sensu.

Nota differentiā inter species numerorum, & alias species.

2. *Duo tantum sunt modi producēdi, vnus est naturæ, alter voluntatis.*

Duæ sunt reductiones.

Secundò nota, cùm dicit, quòd *pluralitas principiorum actiuorum, vel productiuorum reducitur*, &c. possunt esse duæ reductiones, vna respiciens modum indeterminatum producendi, scilicet, vel per modum naturæ, vel per modum voluntatis: alia respiciens modum determinatum producendi. Primo modo pluralitas omnium principiorum actiuorum, vel productiuorum reducitur saltem ad duo, non numeraliter, sed secundùm genus, scilicet ad principium actiuum, vel productiuum tantùm per modum naturæ, sub quo continentur omnia alia principia productiua per modum naturæ: reducitur etiam ad principium productiuum per modum voluntatis: sub quo continentur omnia principia productiua per modum voluntatis. Secundo modo erit reductio ad vnum numero, sic intelligendo: pluralitas omnium principiorum productiuorum per modum naturæ reducitur ad vnum principium primum per modum naturæ: & tale est essentia respectu intellectus diuini, vt probat Doctor *in Quodlib. quæst.* 14. *art.* 2. Et hoc loquendo de principio quasi productiuo, & partiali respectu primæ intellectionis diuinæ. Loquendo verò de principio, verè productiuo, quo producitur aliquid realiter distinctum, non ab illo principio, sed à supposito, habente illud principium: tale principium est ipsa essentia cum intellectu diuino. Similiter pluralitas omnium principiorum productiuorum per modum voluntatis: reducitur vltimò ad vnum primum, scilicet ad voluntatem diuinam, quæ sola primò, & perfectissimè agit liberè, & nullo modo per modum naturæ: & sic patet ista propositio.

Tertiò nota probationem: quâ probat, quòd necessariò sunt duo in genere, quia principiare per modum naturæ, & per modum voluntatis sunt modi simpliciter repugnantes in eodem omnino ex natura rei indistincto, ita quòd est simpliciter repugnans, quòd idem formaliter acceptum agat per modum naturæ, & per modum voluntatis: probat, quia principium per modum naturæ inclinatur ex se ad agendum naturaliter, id est, quòd præcisè agit secundùm impetum naturæ, ita quòd eius actio nullo modo est in potestate sua, nec intensio, nec remissio actionis: sed principium per modum voluntatis, tantùm liberè agit, & habet in potestate sua actionem, vt patet de voluntate nostra, & similiter de voluntate diuina ad extrà. Et licèt ad intrà sit principium necessariò productiuum: tamen cum tali necessitate stat libertas voluntatis: ita quòd nullo modo est productiua per modum naturæ. Et hoc magis patebit infrà *dist.* 10. & singulariter *in Quodl quæst.* 16. 3.

Quartò nota, cùm dicit, quòd intellectus inquantùm operatiuus, & inquantùm productiuus: hoc patet infrà, scilicet quomodo dicitur operatiuus, & quomodo productiuus. Nota etiam, quomodo est productiuus notitiæ infinitæ, vide glossam, quam feci super dist. 10. huius primi art. 1. 4.

Quid sit intellectus productiuus, & operatiuus.

Vltimò, infert Doctor propositum, scilicet quòd tantùm sint duæ personæ productæ, siue tantùm duæ productiones numero; quia ibi sunt tantùm duo principia productiua alterius rationis; quia vnum per modum naturæ, scilicet intellectus cum obiecto; & aliud per modum voluntatis, scilicet ipsa voluntas, & vtrumque habet productionem sibi adæquatam, ita quòd intellectus tantùm vnam, & voluntas tantùm vnam; ergo tantùm sunt ibi duæ productiones; & per consequens tantùm duo producta. Sed quomodo non possunt esse plures productiones eiusdem rationis, puta plures generationes, vel plures spirationes, patebit quæst. 2. Quodlib.

Tantùm esse duas personas productas, & vnā tantùm improductam.

SCHO

SCHOLIVM.

Ponit quinque instantias contra suam deductionem de productionibus, & remittit solutionem duarum vltimarum, cum vlteriori probatione conclusionis ad dist. 7. de quo etiam in Report. alias tres soluit.

OBiicitur [a] contra istam deductionem sic: Natura ex se est principium determinatum ad agendum: in diuinis autem intellectus vnde intellectus, non tantùm videtur esse principium determinatum ad agendum, sed etiam natura, vt est quodammodo prior intellectu, quasi radix, & fundamentum: sicut essentia quælibet videtur esse fundamentum potentiæ: ergo non tantùm intellectus, sed etiam ipsa essentia debet poni habere rationem principij illius, quod est natura, vt distinguitur contra voluntatem. 20. *Obiectio 1.*

Secundò, dubium est de istis actibus productiuis, quomodo sint istorum principiorum productiuorum, quorum sunt actus essentiales. Cùm enim actus distinguant potentias 2. *de Anima*, videtur quòd istis potentiis, quibus conueniunt actus essentiales, non competant actus notionales, siue productiui. *Obiectio 2. Text. comm. 33.*

Tertiò, probatio illa non videtur valere, quæ adducitur ad ostendendum dualitatem in principiis productiuis, non posse reduci ad vnitatem. Nam *principiare necessariò*, & *principiare contingenter* sunt oppositi modi principiandi, & diuersi, & tamen hæc dualitas reducitur ad vnitatem, & concedo, quòd illud vnum habet determinate alterum istorum duorum modorum, illum scilicet, qui est perfectior, & prior: ita diceretur in proposito; quòd ad principium, quòd est natura, (quia illud est prius in ratione principiandi, reducitur voluntas, licèt habeat oppositum modum principiandi. *Obiectio 3.*

Quartò, contra vltimam propositionem prædictæ deductionis arguo. Quæro enim vnde probatur illa propositio, quæ dicit, quòd stante vno actu adæquato potentiæ, ipsa non potest simul habere alium: si intelligat adæquatum secundùm extensionem, petitur principium: si secundùm intensionem, videtur falsum. Nam licèt visio Verbi adæquetur potentiæ intellectiuæ animæ Christi, tamen potest noscere etiam actu elicito aliud intelligibile à se. Patet etiam quòd Deus notitia adæquata intellectui suo secundùm intensionem, & tamen nouit alia à se. Si igitur ita est de actu adæquato potentiæ operatiuæ quòd compatitur alium, multò magis videtur de potentia productiua, quia eius productum, vel productio non est in potentia productiua, sicut operatio est in potentia operatiua. *Obiectio 4. De hoc Scot. quodl. 2. a. 3.*

Quintò sic, Principium non est principium, in quantum principiatum iam intelligitur positum in *esse*, sed inquantum est prius principiato; vt autem est prius principiato, non aliter se habet per hoc, quòd principiatum ponitur in *esse*; ergo si isto non posito, posset esse principium alterius, pari ratione videtur, quòd isto posito simul potest esse principium alterius: quia isto posito principium inquantum principium, hoc est, in quantum prius principiato, nullo modo aliter se habet. 21. *Obiectio 5.*

Solutio istarum duarum rationum vltimarum, & declaratio rationis illius, contra quam fiunt, & probatio conclusionis, ad quam illa ratio adducitur, videlicet, quòd sunt tantùm duæ productiones, dimittantur vsque ad dist. 7. q. illa, *An possent esse plures filij in diuinis?* *Quære primo reportationum dist. 2. & 7. q. illam, & in quodlib. q. 2. & in collationibus, & alibi.*

Ad primum respondeo, quòd hoc totum, (*intellectus habens obiectum actu intelligibile sibi præsens,*) habet rationem memoriæ perfectæ in actu primo, quæ scilicet est immediatum principium actus secundi, & notitiæ genitæ: in hoc autem principio, quod est memoria, concurrunt duo, quæ constituunt vnum principium totale, videlicet essentia in ratione obiecti, & intellectus, vt potentia, quorum vtrumque per se est quasi partiale respectu productionis adæquatæ huic totali principio.

Cùm igitur arguitur, quòd ratio naturæ non tantùm competit intellectui, sed essentiæ.

Respondeo quòd totale principium includens naturam vt obiectum, & intellectum vt potentiam habentem obiectum sibi præsens, est principium productiuum, quod est natura, & principium completum producendi per modum naturæ. Si enim essentia, vt obiectum non haberet rationem principij in productione Verbi, quare magis diceretur Verbum essentiæ, quàm lapidis, si ex sola infinitate intellectus, vt principij productiui posset produci Verbum infinitum, quocunque alio obiecto præsente.

Ad secundum dubium [b] dico, quòd memoria in Patre est principium operatiuum Patris, quo scilicet, vt actu primo, Pater formaliter intelligit, vt in actu secundo, est etiam eadem memoria Patri principium productiuum, quo Pater existens in actu primo, 22. *Ad obiectionem 2.*

Potentia operatiua & productiua simul, an prius sit operatiua. producit vt in actu secundo notitiam genitam, & actus primus prior est prioritate originis actu secundo: non fundatur igitur actus productiuus super actum essentialem, qui consistit in actu secundo, videlicet, qui est operatio, quasi super rationem formalem eliciendi illum actum secundum; sed quodammodo præexigit illum actum, quia actus primus, qui est operatiuus, & productiuus, est ratio perficiendi suppositum in actu secundo, qui est operatio suppositi, in quo est quodam ordine priùs antequam intelligatur produci illud quod producitur: operans enim; & producens per idem principium priùs est operans, quàm producens. Exemplum, si *lucere* poneretur aliqua operatio in luminoso, & *illuminare* poneretur productio luminis à luminoso, lux in luminoso esset principium *quo*, & respectu operationis, quæ est *lucere*, & respectu productionis, quæ est *illuminare*. Nec tamen *lucere*, quod est operatio, esset ratio formalis illuminationis, quæ est productio: sed esset ibi ordo quasi effectuum ordinatorum ad eandem causam communem amborum, à qua immediatiùs procedit vnus effectus, quàm alius. Ita in proposito, ad eundem actum primum, qui est memoria Patris, ordinem quendam intelliguntur habere *intelligere*, quod est operatio Patris, & *dicere*, quòd est producere Patris respectu notitiæ genitæ, non talem tamen ordinem, quod *intelligere* Patris sit causa, vel principium elicitiuum *dicere* Verbi: sed quòd immediatiùs *intelligere* sit quasi productum à memoria Patris, quàm *dicere*, vel quàm Verbum sit productum ab eodem. Non igitur est ibi talis ordo, qualem ponit opinio prior, in ratione obiecti præsuppositi, vel in ratione principij formalis agendi, sed tantùm ordo prior quasi producti ad productum, respectu eiusdem principij communis, ad quasi productum, & verè productum.

Quis ordo inter intelligere & dicere Patris.

23. *Vtrùm intelligere & dicere sint eiusdem rationis.* Et tunc ad illud *secundi de Anima* de distinctione potentiarum per actus, potest dici, quòd *quasi producere*, & *producere*, sunt actus eiusdem rationis. Si enim illud quod non producitur, sed quasi producitur, esset realiter distinctum à producente, esset verè productum: igitur quod modò sine productione insit, tamen virtute principij, quod esset productiuum eius, si posset distingui, & pro tanto dicatur quasi productum, non variat formaliter actum ab illo, quo produceretur si esset producibile.

Alia responsio esset de intellectu [d] agente, & possibili, sed modò transeo, quia non dixi adhuc cui intellectui conuenit producere notitiam, vt principio partiali, hoc dicetur infrà, sed nunc de intellectu indistinctè locutus sum.

Dist. 3. q. 2. vel 9. & quodlibeto 15. & in q. collationũ, & libro de Anima, & alibi. Ad obiect. Ad tertium dico, [e] quòd quando duo principia habent modos oppositos principiandi, quorum neuter importat aliquam imperfectionem: neuter reducitur ad alterum, vt ad prius natura, licèt posset ibi esse aliqua prioritas quasi originis: nunc autem neutrum istorum principiorum includit aliquam imperfectionem, non magis inquantum productiuum, quàm inquantum operatiuum: nec ergo vnum ad alterum reducetur, vt ad prius natura, nec ambo ad tertium propter idem, quia neutrum est imperfectum; & etiam quia illud tertium esset principium secundùm rationem alterius istorum, quia inter ista non est medium in principiando, & ita si ambo reducerentur ad tertium, vnum reduceretur ad aliud, & idem ad seipsum.

COMMENTARIVS.

1. a OBiicitur contra istam deductionem. Intendit Doctor probare primò, quòd sint tria principia productiua in diuinis: duo per modum naturæ, scilicet essentia diuina, & intellectus: & aliud per modum libertatis, scilicet voluntas. Si ergo sunt tria principia productiua, ergo & tres productiones: & cùm cuilibet productionum correspondeat productum, erunt tria producta: & hoc est, quod intendit probare per istam rationem primam. Ad istam primam rationem respondet, ibi; *Ad primum respondeo, quòd hoc totum*, &c. Et dicit, quòd intellectus, & essentia sunt duo principia partialia per modum naturæ, & integrant vnũ totale: & sic tantùm est vnum principium per modum naturæ, & litera clara est.

Vnũ est principium per modum naturæ.

Secundò, arguit contra hoc, quod dixit, quòd sunt duo actus productiui, scilicet productio filij per modum naturæ: & productio Spiritus sancti per modum libertatis: & argumentum stat in hoc; quomodo est possibile, quòd intellectus habeat duos actus diuersarum rationum, quorum vnus dicatur productiuus, siue productio, & aliud dicatur operatiuus, siue operatio: quæ est ipsa intellectio? quia tunc videretur, quòd intellectus esset duæ potentiæ; quia potentiæ distinguuntur per actus 2. *de Anima, text. comment.* 33. Hoc idem dico de actu productiuo voluntatis, & de actu operatiuo, qui dicitur *velle*: ergo videtur, quòd istæ duæ potentiæ habeant tantùm actus operatiuos, siue essentiales, scilicet *velle*, & *intelligere*. Et nota istum terminum *de actu productiuo*: dicitur enim generatio actus productiuus, non quòd sit ratio formalis producendi, quâ suppositum verè producit: sed est id, quo suppositum producens formaliter producit. Et pro maiori intelligentia, nota quòd vtimur istis vocabulis diuersimodè, scilicet esse *producens*, & esse *productiuum*. Primum tantùm competit supposito, quia tantùm illud producit, vel generat.

Actus productiuus quid sit.

Esse producens, & esse productiuum differunt.

Secundum tantùm competit rationi formali pro

producendi, quæ dicitur potentia productiua. Exemplum: Pater producit Filium: memoria fœcunda est potentia productiua, qua mediante Pater producit. Aliquando accipitur potentia productia tantùm formaliter: & tunc nihil aliud est, nisi productio relatio: & dicitur potentia productiua, non quòd sit ratio formalis producendi, sed quia terminatur ad productum. Istæ ergo propositiones sunt veræ, Pater producit Filium mediante memoria fœcunda, vt principio formali fundamentali, & absoluto. Alia, Pater producit Filium productione relatione, vt principio tantùm formali, quo denominatur actu producens: sicut dicimus, quòd Franciscus est similis Petro albedine, vt principio fundamentali similitudinis: & dicitur similis similitudine, vt principio tantùm formali.

Potentia productiua formaliter quænam dicatur.

Quomodo Pater producat Filium memoria fœcunda.

2. Argumentum secundum, scilicet quòd non debeant poni isti actus productiui, est ibi: * *Secundò, dubium est de istis actibus productiuis.*

* num. 20.

Memoria in Patre est principiū operatiuū Patris.

b Respondet Doctor, ibi: *Ad secundum dubium dico, quòd memoria in Patre est principium operatiuum Patris*, &c. Pro intelligentia huius literæ, præsuppono primò, quòd actus primus, quo suppositum agit, est forma, quæ est principium productiuum alicuius: & actus secundus est actus productus, vel ipsa productio: ita quòd suppositum non dicitur actus primus propriè, quamuis dicatur producere; sed tantùm ratio formalis procendi existens in supposito dicitur actus primus: quia suppositum mediante illa producit. Secundò dico, quòd memoria fœcunda in Patre, quæ est intellectus, & essentia diuina, perfectè præsens in ratione obiecti intelligibilis, est principium operatiuum respectu intellectionis: quia intellectio propriè dicitur operatio, quæ est finis potentiæ operantis: dicitur etiam principium productiuū, respectu productionis Filij: non quòd talis productio sit vltimus finis principij productiui: sed est productum per talem productionem: & sic vt est principium operatiuum Patris, est id, quo Pater, vt actu primo formaliter intelligit, vt in actu secundo, id est, est id, quo mediante, vt actu primo Pater formaliter intelligit, vt in actu secundo, id est, quo Pater habet intellectionem, vt actum secundum: & sensus breuis est, quòd memoria fœcunda, vt principium operatiuum est actus primus Patri, quo mediante habet intellectionem, siue operationem, vt actum secundum: hoc idem dico, vt est principium productiuum, est id, quo Pater, vt actu primo producit, vt in actu secundo, id est, ipsa memoria, vt est principium productiuum est Patri actus primus, quo mediante producit in actu secundo, id est, quo mediante habet productionem, vt in actu secundo: & illa productio terminatur ad notitiam genitam: & sic patet sensus istius literæ.

Actus primus operatiuus, productiuus est prior actu secundo.

c *Et actus primus prior est prioritate originis actu secundo*, id est, quòd memoria vt principium operatiuum est prius origino ipsa operatione: & vt principium productiuum est prius origine ipsa operatione: & vt principium productiuum est prius origine productione, & producto. Sequitur: *Non fundatur igitur actus productiuus super actum essentialem, qui consistit in actu secundo:* videlicet quæ est operatio. Dicit Doctor, quòd quamuis generatio Filij præexigat necessariò cognitionem essentiæ in intellectu Patris, non tamen illa cognitio est ratio formalis producendi Filium, vt dicebat Henricus, sed est ipsa memoria fœcunda; imò si, per impossibile, non esset talis cognitio, adhuc intellectus Patris, vt habens essentiam perfectè præsentem in ratione obiecti intelligibilis, esset principium verè productiuum: sunt ergo isti actus, scilicet actus operatiuus, & actus productiuus quasi effectus ordinati eiusdem causæ: ita quòd actus operatiuus prius est, quàm actus productiuus: & tamen vterque ab eadem memoria: & exemplum patet in litera, quæ clara est.

Sed oritur vna difficultas in hoc, quod dicit, quòd actus primus est prior origine actu secundo: puta, quòd memoria productiua in Patre est prior origine ipsa productione. Videtur enim quòd sibi contradicat, tenendo quòd personæ constituantur in *esse* per relationes: vult enim ipse expresè *in 18.d.1.q.vlt.* quæ est tertia in ordine, *& 4.q.Quodl.* quòd Pater cõstituatur in *esse* personali per paternitatē: & per ipsum Doctorem idem est Patrem constitui in *esse* personali per paternitatem, sicut & per generationem actiuam, cùm sint penitus idem. Si ergo principium productiuum, siue generatiuum est prius origine generatione: ergo suppositum habens illud principium, quo verè generat, erit prius origine ipsa generatione: ergo Pater, qui est suppositum generans per tale principium, erit prior origine ipsa generatione actiua; & sic constitutum essentialiter erit prius origine constitutiuo essentialiter, quod non est intelligibile. 3.

Difficultas.

Principium productiuū est prius orig.ne generatione, id est, productione actiua.

Respondeo primò, quòd quando dicit, quòd productiuum in diuinis est prius natura productione, & sic ex argumento facto Pater erit prius origine productione. Dico, quòd potest exponi de productione passiua: & sic nulla est difficultas: quia etiam Pater, inquantum Pater, in diuinis est prior origine Filio, & similiter Pater, inquantum generans, est prius origine genito, vt potest deduci ex dictis Doctoris *in 1.dist.26. & 28. & in Quodl.q.* 4. Secundò dico, quòd benè principium productiuum est prius origine productione actiua, quâ constituitur Pater in *esse* personali. Et cùm dicitur quòd Pater generat filium, vt habens tale principium productiuum, concedo: sed postea negatur, quòd Pater sit prior origine productione actiua.

Solutio.

Si dicatur, generatio actiua necessariò præsupponit principium productiuum, & suppositum producens secundùm illud principium.

Instantia.

Dico, quòd benè generatio actiua præsupponit principium productiuum, scilicet memoriam fœcundam: non tamen præsupponit suppositū producens: & hoc patet à Scoto expresè *in quodl.q.4. in responsione ad primum argumentum*, vbi dicit, quòd actio necessariò præsupponit *esse* simpliciter: non autem *esse* incõmunicabile, præcipuè quando suppositum incommunicabile constituitur in tali *esse* per huiusmodi actionem. Sic est in proposito de generatione in diuinis: quia ipsa generatio verè præsupponit *esse* simpliciter, scilicet memoriam fœcundam: sed non præsupponit suppositum incommunicabile: quia per illam generationem tale suppositum constituitur in *esse*.

Responsio.

Sed contra hoc. Videtur enim quòd Doctor sibi contradicat in hoc, quod dicit, quòd generatio actiua non præsupponit suppositum generans: quia in isto 1.dist.7. dicit expresè, quòd gerundiuum constructum cum potentia, notat actum, vt egredientem ab eodem supposito, cui attribuitur potentia: hæc sunt verba formalia Doctoris. Cum ergo memoria fœcunda sit potentia generandi ipsi 4.

Apparēs contradictio.

ipsi Patri: vt patet à Doctore in pluribus locis: ergo generare est actus egrediens à supposito, habente talem potentiam generandi: ergo præsupponit suppositum: & ideò dicit quòd memoria fœcunda non est potentia generandi filio: quia tunc actus generationis actiuæ intelligeretur à supposito filij egredi.

Concordatia. Respondeo, quòd Doctor in eadem distinctione in responsione ad primum argumentum factum contra primam opinionem, dicit, quòd generatio actiua, quando respicit principium productiuum, per se existens, potest immediatè elici à tali principio, cuiusmodi est Deus: & concordat cum hoc, quod dicit in quol. vbi suprà. Nec vult Doctor in illa dist. 7. primi, quòd generatio præsupponat suppositum generans, cùm in eadem quæstione contrarium dicat. Dico ergo, quòd actum generationis egredi à supposito, potest dupliciter intelligi. Primo modo, quòd verè sit à supposito. Alio modo, quòd egrediatur à principio productiuo, vt actu existente in supposito. Primo modo non egreditur à Patre, sed benè secundo modo: quia memoria fœcunda, à qua immediatè pullulat generatio actiua constituens Patrem in *esse* personali, primò inest Patri, & per Patrem inest Filio.

Actû generationis egredi à supposito dupliciter potest intelligi.

Sed si quæratur, si à memoria fœcunda immediatè pullulat generatio actiua; ergo in eodem instanti erit Filius: & per consequens Pater, vt prior origine non producit Filium: imò nec diceretur generare formaliter.

Dico, quòd illa generatio pullulat à memoria fœcunda, vt posterior origine: & in eodem instanti originis constituit Patrem in *esse* personali: sed in eodem instanti originis, quo constituit Patrem, non habet productum: sed in alio instanti posteriori originis: & sic Pater formaliter generat, vt prior origine: & dicitur generare formaliter per generationem actiuam, constituentem ipsum in *esse* personali: & hoc modo dictum Doctoris in dist. 7. primi, debet intelligi de actu egrediente à supposito, &c.

5. d *Alia responsio esset de intellectu agente, & possibili*, quia si agens esset productiuus, & possibilis operatiuus, patet quòd actus producendi conueniret intellectui agenti, & actus operandi intellectui possibili: & sic isti duo actus distinguerent intellectum agentem, & intellectum possibilem, à posteriori tamen.

Tertiò arguit contra illud, quod dixit, scilicet quòd pluralitas principiorum non potest reduci ad vnitatem principiandi: & argumentum est ibi: *Tertiò, Probatio illa non videtur valere, quæ adducitur ad ostendendum dualitatem*, &c. Et ratio stat in hoc: quia licèt principiare contingenter, & principiare necessariò sint oppositi modi principiandi, tamen hæc dualitas potest reduci ad vnitatem. Posito enim quòd aliqua creatura principiet necessariò, & alia contingenter, tamen hæc dualitas reducetur ad vnitatem, & illud vnum necessariò principiabit.

Nota, & benè. e Respondet Doctor ibi: *Ad tertium dico.* Et responsio satis clara est: quæ stat in hoc, quòd quando vnus modus principiandi est imperfectior, potest reduci ad modum principiandi perfectionem: & patet, quia modus principiandi per modum naturæ in creaturis, propter sui imperfectionem reducitur ad modum principiandi contingenter in diuinis, qui nullam includit imperfectionem: & patet, quia modus principiandi in creaturis essentialiter dependet à modo principiandi contingenter in Deo: vt patet à Doctore ex intentione *præsentis dist. quæst.* 1. *& infrà dist.* 8. *quæst. vlt. & in* 2. *dist.* 1. *& in Quodl. quæst.* 7. sed quando vnus modus principiandi nullam includit imperfectionem, & alius modus principiandi oppositus similiter nullam includit, vnus modus non potest reduci ad alium: & sic est in proposito, de modo principiandi liberè in diuinis, & de modo principiandi per modum naturæ. Et quod addit, quòd nec ambo possunt reduci ad vnum tertium modum propter duas rationes. Prima, quia isti modi includerent imperfectionem, si possent reduci, quod est contra suppositum. Secunda, quia ille tertius modus haberet tantùm vnum modum principiandi, scilicet vel per modum naturæ, vel per modum voluntatis, cùm ista sint immediata. Non enim potest dari aliquis modus principiandi, quæ non sit, aut per modum naturæ, aut per modum voluntatis; & tunc si ambo reducerentur ad tertium, vnum reduceretur ad aliud, & idem ad seipsum.

Quartò, principaliter arguit Doctor contra illud, quod dictum est priùs, quòd vtrumque principium productiuum habet productionem sibi adæquatam, & coæternam; ergo stante illa non potest habere aliam: quia si intelligat *adæquatum* extensiuè, tunc petitur principium, scilicet quia non probat hoc, sed supponit esse verum, quod tamen est dubium. Si intensiuè, adhuc non sequitur: quia licèt principium productiuum habeat productum adæquatum intensiuè: tamen stante illo producto potest habere aliud, vel æquè perfectum, vel minùs perfectum, sicut patet in causa vniuoca: quæ posito quòd producat vnum effectum sibi adæquatum intensiuè, adhuc potest habere alium similem: patet etiam, quia licèt visio Verbi adæquetur potentiæ animæ Christi (quia perfectior non potest haberi, tenendo quòd talis visio sit ita perfecta, quòd perfectior non potest creari, videtur tenere Doctor *in* 3. *distinct.* 14.) tamen potest noscere actu elicito aliud intelligibile: vt patet *in* 3. *dist.* 14. Similiter Deus nouit se notitia adæquata intensiuè, quia talis notitia est ita formaliter infinita, sicut Deus, vt suprà patuit *præsenti dist. q.* 3. & tamen nouit etiam alia à se, vt suprà patuit *præsenti dist. quæst.* 1. & magis patebit infrà *dist.* 39. ergo sic erit in proposito. 6.

Quintò arguit, & ratio stat in hoc: quia principium productiuum, vt tale, est prius principiato: imò quando actu principiat, adhuc intelligitur prius, vt patet subtiliter à Doctore *in* 2. *dist.* 1. *& dist.* 25. *& alibi*. Et vide quæ ibi exposui. Si ergo priùs, sequitur quòd non mutatur ratio principij, per hoc, quòd nunc habet productum: patet, quia ratio formalis prioris non mutatur per aliquod posterius: ergo si tale principium non haberet hoc principiatum, posset habere aliud, cùm habeat eandem rationem principij, quam priùs: ergo tale principium (si sit perfectum) si potuit habere aliud principiatum, puta *B*, si non fuisset principiatum *A*, videtur quòd simul possit habere *A* & *B*, vt duo principiata, cùm per *A* principiatum non tollatur à principio ratio principiandi.

Doctor remittit se ad dist. 7. huius primi. Quia tamen ibi non soluit has duas rationes expressè, imò clariùs possunt solui ex dictis in quæst. 2. quodl. aliqualiter soluo eas. Ad primam, 7.

quæ

quæ est quarta in ordine, dico quòd genitum adæquatur principio productiuo intensiuè: quia est ita perfectum, cùm includat eandem perfectionem, imò sibi communicatur tota perfectio principij productiui, adæquatur etiam extensiuè. Cùm dicitur, quòd hoc non probat. Dico, quòd hoc ostendit infrà *distinct.* 7. *in Quodl. quæst.* 2. vbi hoc probat, & argumento ostensiuo, & argumento ducente ad impossibile, vide ibi, & quæ ibi exposui.

Ad secundum, dico breuiter, quòd principium productiuum eiusdem rationis in diuinis: est ita præcisè principium respectu illius productionis, quòd si non esset illius præcisè, nullo modo posset esse alterius: & illa productio Filij est ita necesse esse in diuinis, quòd si illa præcisè non esset, esset simpliciter impossibile posse esse aliam, vt subtiliter ostenditur à Doctore *in q.* 2. *Quodlib.* Et sic dico, quòd tale principium productiuum (quamuis sit prius producto) sic præcisè determinatur ad illud productum, quòd simpliciter repugnat ei posse habere aliud productum: etiam posito, quòd non haberet prius productum. Cùm ergo dicitur, quòd cùm sit prius, non variatur ratio principij productiui. Dico, quòd licèt in se non varietur, tamen in illo priori non habebit rationem principij productiui, respectu alterius producti: cùm sit determinatum ad tale productum. De hoc vide singularia Doctoris *in Quodlib. quæst.* 2. & aliqualiter infrà *distinct.* 7. & præcipuè aliqua à me ibi exposita.

SCHOLIVM.

Instat quadrupliciter contra id quod asseruit, scilicet intelligentiam non esse productiuam Verbi, & soluit instantias.

Contra ista instatur, [a] & primò sic: Intelligentia est in Patre sub propria ratione intelligentiæ, & propria perfectio intelligentiæ, vt intelligentia, est Verbum: ergo Verbum est in intelligentia Patris, vt Patris est, quod est negatum. 24.

In aliquibus originalibus ista quatuor instantia ponuntur suprà ibi. Tertius articulus, &c. cõtra Henr. arguendo.

Præterea, Augustinus 15. *de Trinit. cap.* 13. *Verbum est visio de visione*, ergo actualis notitia est ratio gignendi Verbum.

Præterea, non videtur differentia inter memoriam, & intelligentiam in Patre: ergo non videtur aliud esse, improbare Patrem, vt intelligentiam esse principium Verbi, & Patrem, vt memoriam: idem igitur approbas, & improbas.

Quarta instantia est, quare Pater isto actu producit notitiam genitam, & non illo, non videtur ratio, cùm vterque sit actus secundus, & principietur virtute eiusdem actus primi.

Ad primum dico, [b] quòd Pater formaliter est memoria, intelligentia, & voluntas. Augustinus 15. de Trinitate, cap. 7. siue 14. de paruis. *In illa Trinitate quis audeat dicere Patrem, nec seipsum, nec Filium, nec Spiritum sanctum intelligere, nisi per Filium, vel diligere nisi per Spiritum sanctum? Per se autem meminisse tantummodò, vel sui, vel Filij, vel Spiritus sancti*, sequitur: *Quis hæc in illa Trinitate vel opinari, vel affirmare præsumat? si enim solus ibi Filius intelligat, vt intelligentia sit & sibi, & Patri, & Spiritui sancto, ad illam absurditatem reditur, quòd Pater non sit sapiens de se, sed de Filio.* Hæc ille.

Ad inst. 1. Si intelligatur quod Pater est formaliter quidditatiuè intelligẽtia, hæc non erit attributũ, sed idem ac vita intellectualis: si formaliter denominatiuè, attributũ erit & vtroque modo defendi potest hæc doctrina, vide Scot. quodl. 1.

Intelligit igitur, quòd Pater formaliter est memoria sibi, intelligentia sibi, & voluntas sibi, & in hoc est dissimilitudo inter personas, & partes imaginis in nobis secundùm ipsum. Cùm igitur dicitur, proprius actus intelligentiæ est Verbum. Nego, imò de ratione Verbi est, quòd sit notitia genita. Dices, [c] sufficit, quòd sit notitia declaratiua: nego, intelligendo per *declaratiuum*, relationem rationis, vt est intelligibile ad intellectum: talis enim relatio est notitiæ declaratiuæ actualis Patris, quâ Pater formaliter intelligit, ad notitiam habitualem Patris, vt est memoria, ita quòd obiectum præsens intellectui Patris declaratur æquè perfectè per notitiam actualem Patris, sicut per notitiam actualem, quæ est Filius; & tamen notitia actualis Patris non est Verbum, quia nihil potest esse formaliter in Patre, nisi non genitum.

Cùm verò dicitur [d] secundò, quòd est notitia de notitia.

Ad inst. 2.

Respondeo, quod ipsemet Augustinus exponit se 15. de Trinit. cap. 11. *Simillima est visio cogitationis, visioni scientiæ*: & eodem cap. 11. siue 32. de paruis *Tunc enim est verbum simillimum rei notæ, de qua gignitur, & imago eius, quando de visione scientiæ visio cogitationis exoritur.* Istæ constructiones sunt intransitiuæ. Nam sicut visio cogitationis nihil aliud est, quàm cogitatio, ita visio scientiæ nihil aliud est, quàm scientia: idem est igitur dicere, de visione scientiæ nasci visionem cogitationis, quod de scientia nasci cogitationem: scientia autem est forma habitualis perficiens memoriam, secundùm eundem 15. de Trin. cap. 15. vbi dicit, *Si potest esse in anima scientia sempiterna, sempiterna non potest esse eiusdem scientiæ cogitatio.* Illud *sempiternum* secundùm eum pertinet ad memoriam, *non sempiternum* ad intelligentiam: nihil igitur aliud vult dicere visionem de visione, notitiam de notitia, nisi actum secundum, qui est visio, vel cogitatio 25.

Verbum est visio de visione, explicatur.

 in

in intelligentia nasci de actu primo, qui est in memoria, quæ est visio habitualis, vel scientia, secundùm eum.

Ad inst. 3. Differentia rationis in causis sufficit quandoque ad differentiã realem in effectibus.

Ad tertiam instantiam, [e] cùm dicitur de differentia memoriæ, & intelligentiæ; dico, quòd illi aduersarij non ponunt differentiam realem inter intellectum, & voluntatem Patris, & tamen habent concedere tantam differentiam, quòd alterum potest esse principium elicitiuum alicuius productionis, cuius alterum non potest esse principium elicitiuum formale. Filius enim producitur formaliter per modum naturæ, sed non producitur formaliter per modum voluntatis: igitur licèt non differant realiter memoria, & intelligentia Patris, est tamen tanta differentia inter illa, quòd alterum posset poni principium elicitiuum alicuius productionis, cuius reliquum non ponatur principium elicitiuum formale. Talis differentia patet secundùm Augustinum 15. *de Trinitate*, *cap.* 8. & vbi priùs. Talis est enim, quòd si Pater esset memorialiter noscens, non autem intelligens, non esset perfectus, secundùm Philosophum 12. *Metaph.* non obstante illa identitate memoriæ ad intelligentiam, siue recordationis ad intellectionem.

Tex. comm. 51.

26. Ad quartam instantiam dico, [f] quòd hæc est immediata contingens, *calor calefacit*, & ista est immediata necessaria, *calor est calefactiuus*, quia inter extrema neutrius istorum inuenitur aliquod medium. Ita dico, quòd ista est per se, *operatio inquantùm operatio, est non productiua*, quia operationes vt operationes sunt fines, & perfectiones operantis: productio autem, vt productio est, non est perfectio producentis, sed habens terminum productum extra essentiam producentis, vel saltem non includitur formaliter in persona producentis.

Ad inst. 4. Operatio qua talis nõ est productio. 9. Met. tex. com. 16.

Quare igitur actus secundus, [g] quo Pater intelligit, vel operatur formaliter non producit?

Respondeo, quia illud *intelligere* ex ratione sua est *operari* Patris, & non est *producere*, productione autem, siue dictione producit, sicut aliquid calefactione calefacit formaliter, cuius non est alia causa prior. Quod autem dicis, idem esse principium istorum duorum actuum, non altercando modò de intellectu agente, & possibili, potest concedi, quòd ex plenitudine perfectionis potest competere alicui, quòd operetur, & producat aliquid aliud à se, magis tamen hoc patebit quando dicetur, quòd *dicere* non est aliquis actus intelligendi formaliter, est tamen aliquis actus intellectus: nullus autem actus intelligendi formaliter est productiuus, sed aliquis alius actus formaliter naturaliter præcedens, vel subsequens potest esse productiuus, qualis est actus dicendi.

Vide clariùs infrà dist. 3. 12. & 27. & quodl. 14. & 15.

COMMENTARIVS.

1. a VLtimò Doctor adducit aliquas instantias contra multa dicta in ista quæstione, quæ instantiæ sunt ibi: *Contra ista instatur, & primò sic: Intelligentia est in Patre.* Hìc arguit contra vnum dictum superiùs contra Henricum: dicebat enim Doctor si intellectus nudus, vt Patris, conuertitur super intellectum formatum, &c. ibi deducebat, ergo notitia genita, siue Verbum esset formaliter in Patre, quod est falsum: sed hìc probat isto argumento, quòd Verbum sit formaliter in Patre, & probat sic: Intelligentia est formaliter in Patre: & intelligentia est Verbum: ergo Verbum est formaliter in Patre.

b Ad hanc rationem respondet ibi: *Ad primum dico.* Sententia huius literæ est, quòd Pater habet in se formaliter memoriam, intelligentiam, siue notitiam simplicem, & voluntatem; quæ omnia dicunt perfectionem, & eadem sunt formaliter in Filio, & Spiritu sancto. Non enim Pater intelligit per Filium, nec diligit per Spiritum sanctum, quasi Filius sit formaliter intellectio Patris, & Spiritus sanctus sit formaliter amor Patris: sed intelligit per intelligentiam formaliter sibi inexistentem, quæ non est notitia genita, & amat per amorẽ sibi formaliter inexistẽtem, qui amor non est formaliter Spiritus sanctus: & probat per auctoritatem Augustini, quæ clara est, ibi: *Intelligit igitur, quòd Pater formaliter est memoria sibi*, id est, quòd memoria est formaliter in Patre. & sic intelligentia, & voluntas, siue volitio: & hæc omnia sunt formaliter in Filio, & in Spiritu sancto, cùm dicant perfectionem simpliciter.

Quomodo Pater non intelligat per Filium.

Sequitur in litera: *Et in hoc est dissimilitudo inter personas, & partes imaginis in nobis secundùm ipsum:* patet, quia imago in nobis (vt patebit infrà *dist. 3. quæst. vlt.*) habet tres partes, scilicet memoriam perfectam, comprehendendo etiam voluntatem, quæ attribuitur Patri, & habet intelligentiam perfectam, quæ attribuitur Filio; & amorem perfectum, qui attribuitur Spiritui sancto: sed non sequitur, quòd omnis perfectio, quæ est in vna parte imaginis, sit in alia formaliter, sicut est in personis diuinis; nec similiter dicimus, quòd secunda pars imaginis sit formaliter memoria: nec formaliter voluntas, siue amor: nec similiter dicimus, quòd voluntas, siue amor, sit formaliter memoria, & intelligentia: sicut dicimus in diuinis, quòd Filius est memoria sibi, intelligentia sibi, & voluntas sibi: hoc idem dicimus de Patre, & Spiritu sancto.

Dissimilitudo imaginis in personis diuinis, & in nobis.

c Dices, *Sufficit quòd sit notitia declaratiua.* Dicerent isti, quòd ex quo Verbum est declaratiuum obiecti, vel memoriæ, cuius est: videtur quòd notitia actualis, cùm sit verè declaratiua memoriæ, 2.

Henric. suprà.

memoriæ, siue obiecti intelligibilis, cuius est, sit verbum.

Sententia literæ. Respondet Doctor negando ibi: *Nego intelligendo*, &c. Sententia huius literæ est, quòd notitiam esse declaratiuam memoriæ Patris, siue essentiæ diuinæ, vt præsentis intellectui Patris, potest dupliciter intelligi. Vno modo, quòd *declarare* dicat tantùm relationem rationis, qua relatione, Pater mediante tali notitia declarat essentiam, & sic intellectio simplex est perfectè declaratiua. Alio modo, vt dicit relationem realem ad personam dicentem: ita quòd talis notitia non tantùm includit relationem declarantis ad obiectum declaratum: sed etiam includit relationem realem ad personam dicentem, siue exprimentem: & talis notitia propriè dicitur Verbum diuinum. Alia verò notitia simplex, & si dicat relationem rationis ad obiectum declaratum: & quantum ad hoc posset dici Verbum, quia tamen non dicit relationem realem ad aliquam personam dicentem, siue exprimentem: ideò non dicitur propriè verbum, de quo in præsenti loquimur: & de hac materia prolixiùs declarat Doctor *infrà d.17. q.2.*

* num. 14. Secundò principaliter arguit * contra aliud dictum superiùs: videlicet quòd notitia simplex, & actualis non potest esse ratio formalis producendi notitiam genitam: & hîc probat contrarium per dictum Augustini 15. de Trinit. quòd *Verbum est visio de visione*: ergo visio, siue actualis notitia, est ratio formalis producendi visionem, siue notitiam genitam.

3. *Visio capitur multipliciter.* d Respondet Doctor, ibi: *Cùm verò dicitur secundò: quòd est notitia de notitia.* Sensus literæ est, quòd visio potest capi dupliciter. Vno modo actualiter, scilicet pro notitia actuali simplici. Alio modo habitualiter, & hoc dupliciter, scilicet, vel pro habitu infuso, siue acquisito ex pluribus actibus; vel pro ipsa memoria fœcunda. Debet ergo sic intelligi, in nobis visio obiecti, siue actualis notitia illius est verè producta de visione habituali: accipiendo visionem habitualem pro memoria fœcunda. Et quòd Augustinus sic intelligat probat per aliud dictum Augustini, ibi: *Tunc enim est verbum simillimum rei notæ, de qua gignitur*, supple in ratione obiecti intelligibilis, *& imago eius*, supple ipsius obiecti intelligibilis, *quando de visione scientiæ visio cogitationis exoritur*: & dicit Doctor, quòd istæ constructiones sunt intransitiuæ. Nam visio scientiæ est ipsa scientia: & visio cogitationis est ipsa cogitatio: & accipitur ibi *scientia habitualis*, non pro habitu infuso, vel acquisito ex pluribus actibus sciendi, sed pro memoria fœcunda, quæ dicitur scientia habitualis ex hoc, quòd sicut habens habitum scientiæ, causatum ex frequentatis actibus, faciliter potest exire in actum sciendi: ita habens memoriam fœcundam (quod est habere obiectum perfectè præsens intellectui) promptè, & expeditè potest producere Verbum, quod erit imago, & similitudo obiecti præsentis in memoria: & sic patet quòd quando Augustinus dicit *visio cogitationis exoritur de visione scientiæ*: sensus est, quòd cogitatio in nobis, siue actualis notitia in nobis propriè dicitur verbum, quando exoritur de visione scientiæ, id est, de scientia habituali, scilicet de ipsa memoria fœcunda, cuius memoriæ ipsa cogitatio, siue verbum, est similitudo, & imago: pariformiter est dicendum de Verbo diuino, quod exprimitur de scientia Patris, id est, de memoria ipsius Patris. Sequentia clara sunt.

Et quod ibi dicit: *Si potest esse in anima scientia sempiterna*, &c. Hoc debet intelligi de scientia habituali, quæ est in memoria, & accipit ibi *scientiam habitualem* pro obiecto perfectè præsente intellectui, quod obiectum sibi præsens dicitur esse in memoria: quia vt sic, pertinet ad memoriam fœcundam: & obiecto sic perfectè præsenti magis attribuitur ratio memoriæ, quàm intellectui, quamuis vtrumque sit pars memoriæ, quia notitia est propriè declaratiua, & manifestatiua ipsius obiecti, cùm principaliter specificetur ab ipso, vt suprà exposui. Et quòd Augustinus accipiat scientiam sempiternam pro memoria, patet parum infrà per expositionem Doctoris. Nota etiam, cùm dicit *scientia sempiterna*, non debet intelligi scientia habitualis sempiterna propriè, nisi accipiendo *sempiternum* pro *coæterno*: & hoc quando anima est sibi præsens, siue intellectui suo in ratione obiecti intelligibilis actu: quia vt sic est pertinens ad memoriam: & licèt sit semper præsens entitatiuè, quia idem realiter quòd intellectus: non tamen est præsens, saltem pro statu isto in ratione obiecti actu intelligibilis; vt patet suprà *quæst. 1. Prolog.* Et ideò Augustinus loquitur conditionaliter cùm dicit, *si potest esse in anima scientia sempiterna*, &c. Et posito quòd sit, tamen intelligentia, id est, actualis intellectio eiusdem animæ non erit sempiterna: patet, quia actu non semper se intelligeret. Sed quicquid sit, sufficit quòd habetur ab Augustino quomodo accipit aliquando *scientiam* pro obiecto præsente intellectui: & hoc in ratione obiecti actu intelligibilis. — 4. *Scientia habitualis.*

Tertiò principaliter arguit Doctor contra idem, ibi: *Præterea. Non videtur differentia inter memoriam, & intelligentiam in Patre.* Argumentum stat in hoc, ex quo memoria, & intelligentia Patris sunt penitus eadem res: quomodo est possibile, quòd memoria sit ratio producendi: & non intelligentia? — 5. *An sit differentia inter memoriã, & intelligentiã in Patre.*

e Respondet, ibi: *Ad tertiam instantiam: illi aduersarij*, scilicet tenentes, quòd propter opus intellectus nulla est distinctio inter intellectum, & voluntatem, vt magis patebit infrà *distinct. præsenti, quæst. 1. huius partis secundæ, & distinct. 8. quæst. penult.* adhuc isti habent concedere tantam distinctionem inter intellectum, & voluntatem, vt intellectus dicatur principium productiuum Filij, & non Spiritus sancti, & similiter voluntas principium productiuum Spiritus sancti, & non Filij: si enim essent penitus idem esset impossibile, quòd si intellectus est principium Filij, quin etiam, & voluntas. Sic dicit in proposito de memoria, & intelligentia: quòd posito quòd non distinguantur realiter, id est, præter opus intellectus, vt accipit hoc realiter: adhuc etiam secundùm istos erit saltem per intellectum tanta distinctio, quòd vnum erit ratio formalis producendi, & nõ aliud. Et ista responsio Doct. est, tenendo opinionem, scilicet quòd nulla sit distinctio præter opus intellectus. Tamen respondendo secundùm opinionem propriam, & secundùm veritatem, habet dicere quòd intellectus & voluntas distinguuntur saltem ex natura rei; aliter intellectus non esset realiter principium productiuum filij, & Spiritus sancti. Si enim essent penitus idem præter opus intellectus, si vnum ex natura rei est principium alicuius, & reliquum erit similiter ex natura rei: sed hoc magis patebit infrà *distinct. 8. quæst. penult. & dist.* — *Quomodo distinguantur intellectus, & voluntas.*

& dist. 13. *& alibi sæpè*: sic est dicendum de memoria, & intelligentia: quòd ita distinguuntur, quòd aliquid conuenit vni, quod non alteri. Et probat per Augustinum 15. de Trinit. cap. 8. Talis est enim scilicet distinctio, quòd si Pater esset memorialiter noscens, non autem intelligens, non esset perfectus, id est, quòd si Pater haberet tantùm scientiam habitualem, accipiendo *scientiam habitualem* pro memoria (vt dixi suprà) & non haberet intelligentiam, id est, notitiam actualem obiecti relucentis in memoria, tunc Pater esset imperfectus, vt patet per Philosophum 12. *Met. text. comm.* 51. quia per actum secundum, siue per notitiam actualem coniungitur optimo, vt suprà patuit *quæst.* 1. *huius dist.* exponendo dictum Philosophi: patet ergo quomodo memoria, & intelligentia non sunt penitus idem; quia per memoriam solam non dicitur ita perfectus, sicut per intelligentiam.

6. *Quare pater actu productiuo, & nō operatiuo producit notitiam genitam.*

Quarta instantia est, quare Pater isto actu, scilicet productiuo, producit notitiam genitam, & non illo, scilicet operatiuo, non videtur ratio: cùm vterque sit actus secundus, & principietur virtute eiusdem actus primi; quia tam intellectio actualis, quàm generatio Filij est à memoria fœcunda Patris, vt à principio formali productiuo, vt suprà patuit.

Propositio cōtingens immediata.

f Respondet Doctor, quòd sunt aliquæ propositiones contingentes immediatè, sicut ista, *calor calefacit*: & licèt calor necessariò calefaciat, quando est præsens passo: dicitur tamen contingens, quia est de actuali operatione, quæ non semper necessariò inest: & dicitur immediata: quia non potest probari per aliam, vt patet: sed hæc est immediata necessaria, scilicet, *calor calefactiuus*, cùm non possit probari per aliam: & hoc fortè accipiendo *calorem* pro ratione formali caloris, si habet aliquam; & tunc hæc esset mediata, & illa immediata, scilicet *A est calefactiuum*. & accipit *A* pro rationi formali, & quiditatiua ipsius caloris: & hoc patet, quia passio est demonstrabilis de subiecto: & rationi formali subiecti inest immediatè: vt patet à Doctore suprà *præsenti dist. quæst.* 2. Sic dico in proposito: hæc est per se, & immediata, scilicet *operatio, vt operatio est, non est productiua*: patet, quia ipsa est finis potentiæ operatiuæ, & perfectio operantis; nam operans per suam operationem perficitur formaliter: & hoc si operatio realiter distinguatur, sicut patet in nobis de intellectu, qui perficitur sua operatione, scilicet cognitione, & similiter de aliis potentiis, siue cognitiuis, siue appetitiuis: modò productio non est formaliter perfectio producentis, patet, quia tunc Deus perficeretur formaliter producendo creaturam, & similiter Pater in diuinis formaliter perficeretur generatione Filij: sed ipsa productio tantùm habet productum extra essentiam, seu entitatem producentis, id est, quòd tantùm terminatur ad productum extra essentiam producentis, id est, realiter distinctum à producente; & hoc modo accipitur hîc *extra essentiam*; vel saltem non includitur formaliter in persona producentis. Hîc tamen nota, quòd productio in nobis, si capitur pro respectu producentis ad productum, talis respectus est formaliter in producente; sed est posterior producto: accipiendo *productum* pro re verè producta, vt exposui *in* 2. *distinct.* 1. Si verò accipitur productio, vt prior producto, & non pro respectu producentis, talis productio in se nihil est, *producere* enim nihil aliud est, nisi quòd habens principium productiuum immediatè ponit productum in *esse*, ita quòd nullo mediante, ponitur productum; & tunc talis productio, sicut in se nihil est formaliter, ita nec in alio, quod benè nota. Et sic productio isto secundo modo nihil est formaliter in persona producente. Et si accipitur primo modo, nihil est in persona producente, supple perficiens ipsam, sicut operatio perficit.

Productio vt posterior producto, est relatio: sed vt prior nihil est.

Productio quid sit.

Operari formaliter quid.

g *Quare igitur actus secundus, quo pater intelligit, vel operatur formaliter* (operari formaliter est habere in se formaliter operationem) *non producit?* Dicit, quòd non est assignanda alia ratio, nisi quia intelligere ex ratione sua formali est operari Patris, & non producere, & patet litera. Et responsio clara est in litera, & similiter quarta instantia cum sua responsione. Nunc sunt soluenda argumenta principalia.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta principalia 7. quæstionis posita, num. 1. *& primò tria argumenta quibus Commentator probat vnius natura, vnum tantùm esse communicandi modum, & habet pulchram doctrinam physicalem, de generatione, & motu.*

27. *Ad arg. q. 7. seu 4. Ad vnumquodque igitur, &c. Quære Auicennā 15. de Animalibus, & in tract. de diluuiis ad hoc. Generantur animalcula vniuocè, & æquiuocè.*

AD primum argumentum [a] principale dico, quòd Auerr. *in comm* 46. 8. *Physic.* cuius text. incipit, *Vtrùm autem vnumquodque*: non loquitur expressè nisi de homine, & quoad hoc contradicit Auic. sicut ipse dicit ibidem. imposuit autem Auic. quòd posuerit, quòd homo potuerit generari æquiuocè, & tunc conclusio Auerroïs vera est. Nihil enim generabile vniuocè potest generari æquiuocè, nisi sit ita imperfectum, quòd causa æquiuoca, siue vniuoca sufficiat ad generationem eius, & ideò imperfecta entia, possunt generari æquiuocè, & vniuocè, perfecta autem non. Tamen rationes Auerroïs videntur concludere non tantùm de homine, sed de quacumque specie naturaliter generabilium, & si hoc intendat, conclusio eius est falsa, & rationes non concludunt.

Quòd conclusio sua sit falsa, [b] patet per Augustinum 3. *de Trinc.* 4. & ratio Augustini ibidem est, quia generatum per putrefactionem propagat alia iterū propagantia, propagantia autem sunt vniuoca generatis à se, ergo propagata, & generata per putrefactionem, sunt vniuoca. Quòd si negat Auerr. assumptum de apibus, & de animalibus consimilibus, non potest negare de plantis; quia æquiuocè genitæ, hoc est non ex semine, postea producunt vniuocè semen, ex quo generantur plantæ aliæ eiusdem speciei.

Con

Contradicit etiam ei Aug. in Epistola ad Deo gratias, *vbi dicit: Multa genera animalium sine parentibus ex terra procreantur, quæ tamen pariunt coëundo ipsa etiam sui similia: ne propter diuersitatem natiuitatis intersit aliud ad naturam eorum, quæ procreata sunt ex terra, & eorum, quæ ex illis coëuntibus orta sunt: similiter enim viuunt, & moriuntur, quamuis dissimiliter nata sunt.*

Et Ambrosius de Incarnatione Verbi in fine. Sed & ipsemet contradicit sibi ipsi, in aliis locis, de hac conclusione: nam de generatione accidentium æquiuoca patet per ipsum *secundo de Cælo & mundo com.* 42. vbi concedit, quòd in accidentibus, non semper est generatio ab vniuoco, & ponit exemplum de calore: patet enim quòd calor generatur æquiuocè ex motu, & concursu radiorum, & etiam à calore vniuocè. *Accidentia vniuocè, & æquiuocè generantur.*

In substantiis etiam patet, quia ignis generatur æquiuocè & vniuocè: quòd æquiuocè, patet tertio de Cæl. & mun. Et Auer. com. 56. *Exitus ignis à lapide non est de capitulo translationis: sed de capitulo alterationis, hoc est, non generatur per lationem, sed per alterationem* generatur etiam per motum localem, *ex* 12. *Metaph. com.* 18. *& primo Meteororum* de generatione impressionum ignitarum. *Item vespæ, & apes.*

Item patet de animalibus, quòd multa generantur æquiuocè. 12. *Metaph. com.* 18. Vespæ videntur fieri de corporibus equorum mortuorum, & apes de corporibus vaccarum [c]. 28.

Quòd autem omnia prædicta generata æquiuocè sint eiusdem speciei cum generatis vniuocè, probatur, quia habent operationes easdem: & circa eadem obiecta, & ab eisdem conseruantur, & ab eisdem corrumpuntur. Eosdem enim habent motus siue quantum ad sursum, siue quantum ad deorsum, siue quantum ad motum progressiuum, & eadem organa motus progressiui. Ex vnitate autem motus concludit Aristoteles 1. *de Cæl. & mun.* vnitatem naturæ. & Commentator ibidem *com.* 8. motus vnus non prouenit nisi ex vnitate naturæ habent etiam hæc, & illa membra eiusdem speciei, & *membra leonis non differunt à membris cerui, nisi quia anima ab anima*, primo de Anima. Et generaliter quæcunque media possunt concludere vnitatem specificam, siue sumpta ex accidentibus, siue sumpta ex operibus, concludunt propositum de vniuocatione generatorum sic, & sic in vnitate specifica. *Generata vniuocè sunt eiusdem speciei cum æquiuocis.* *Comm.* 53.

Contradicit etiam sibi [d] Magister suus 7 *Metaph.* vbi vult, quòd sicut aliqua eadem fiunt ab arte, & à casu, quando principium est simile in materia, illi, quod esset principium motus factionis, si idem fieret ab arte; ita vult, quòd quædam naturalia fiunt à natura, & à casu, & quædam non. & ibidem Auerroës, & incipit text. *Ergo sicut dictum est*, vult quòd illa possunt generari sine semine æquiuocè, in quorum materia potest induci virtute cœlesti aliqua virtus similis virtuti seminis in propagatis. Patet igitur multipliciter oppositum conclusionis Auerroïs, si generaliter, & virtualiter intelligatur. rationes etiam suæ non concludunt. *Tex. comm.* 22. 23. & 31. *Comm.* 31. 29.

Ad primam respondeo [e], quòd materia secundùm Philosophum primo Physic. & 5. Metaph. est, *ex qua fit res cùm insit*: additur, *cùm insit*, ad differentiam oppositi, ex quo transmutato, & corrupto fit res, non autem inest rei factæ. Si ergo accipit, quòd forma eiusdem rationis, est materia eiusdem rationis, propriè loquendo de materia, quæ est pars rei inexistens, concedo: sed si accipiat *materiam* pro opposito, ex quo corrupto generatur oppositum, nego. Ignis enim eiusdem speciei generatur, siue ex terra corrupta, siue ex aëre corrupto: in propagatis autem, & putrefactis est materia eiusdem rationis primo modo, sed non secundo modo. *Tex. comm.* 82. *tex.* 2. & 4. *Vnius materia vna forma quomodo.*

Ad secundam dico, [f] quòd non dicitur aliquid fieri raró, vel vt in pluribus, quia ipsum in se contingat frequenter, vel raró: frequentiùs enim lapis cadens frangit caput, quàm Luna eclipsetur: sed ista differentia debet intelligi per comparationem alicuius effectus ad suam causam, & dicitur ille effectus eueniens in maiori parte, qui habet causam determinatam ad suum euentum, quæ vt in pluribus producit effectum. Raró dicitur euenire, quando non habet causam suam determinatam ad suum euentum, sed tantùm prouenit ex aliqua causa ordinata ad alium effectum, impedita tamen ab illo effectu, ad quem ordinatur, & tamen ex tali impeditione prouenit istud raró. Accipitur etiam *raró*, vel vt in pluribus, prout disiungit inter opposita contradictoria, non prout inter disparata disiungit. *Ad arg.* 2. *quid raró dicitur euenire.* *Hac intellige pro notitia.* *Philos.* 2. *Physic. de casualibus, & fortuit. effectibus text. com.* 48. *& inde.*

Cùm igitur arguitur: [g] generabile hoc si generatur æquiuocè, vel non ex semine, aut igitur ex necessitate, aut vt in pluribus, vel raró ex necessitate: Concedo, quòd non, aut in maiori parte, vel raró concedo, quòd in maiori parte comparando ad causam determinatam: & etiam vt est disiunctio inter contradictoria, comparando, scilicet effectum æquiuocum ad causam æquiuocam sub disiunctione ad contradictoria, licèt rariùs eueniat *Scot. agit de casu latè* 2. *Physic. text* 49. *& inde, & ibi q.* 10. 11. & 12.

eueniat hoc, quòd generetur non ex ſemine, quàm quod generetur ex ſemine, vt videlicet, comparantur ad inuicem duo diſparata.

Quòd autem primo modo eueniat vt in pluribus probatur: ita enim per ſe eſt Sol cauſa ordinata ad generandum non ex ſemine, ſicut propagans eſt cauſa ordinata ad generandum illud ex ſemine. Si inſtatur hîc, quòd ſi ſecundo modo raro euenit, ergo caſu: non ſequitur. & tamen ita arguit vlteriùs de caſualitate, provt caſualia dicuntur illa, quæ eueniunt tantùm ex cauſa alterius effectus impedita, & ideò, vt dicit, caſualia ſunt monſtruoſa, & non perfecta in aliqua ſpecie: quia, propriè loquendo, caſualia non eueniunt ab aliqua cauſa ordinata, ſed cauſa ordinata ad productionem alterius, impedita producit caſuale.

30. Cùm arguitur,[h] tertiò de motu, & termino.

Ad 3. Reſpondeo, quòd iſta propoſitio, *Motuum differentium ſpecie, ſunt termini ſpecie differentes*, non eſt immediata, ſed dependet ex aliis duabus.

Motus diſtincti ſpecie an habeant terminos ſic diſtinctos? de quo Scot. 5. Phyſic. text. 30. & inde.

Prima eſt; motuum differentium ſpecie ſunt fluxus differentes ſpecie, vel formæ, ſecundùm quas ſunt fluxus, differunt ſpecie.

Secunda eſt: Forma fluens, vel forma ſecundùm quam eſt fluxus, eſt eiuſdem rationis cum forma terminante. Vbi autem altera iſtarum duarum eſt falſa, propoſitio aſſumpta eſt falſa. Ita eſt in propoſito, quòd forma inducta per productionem, cuiuſmodi eſt eſſentia, non eſt eiuſdem rationis cum forma, quæ eſt fluens, vel ſecundùm quam eſt fluxus, cuiuſmodi eſt productio.

Quòd autem ſit falſa, quando alterum illorum eſt falſum, patet, quia idem *vbi* poteſt acquiri per motum circularem, & rectum, qui etiam motus ſunt alterius ſpeciei, & incomparabiles, ſecundùm Philoſophum 7. *Phyſic.* hoc autem eſt, quia forma, quæ eſt terminus fluxus, non habet diſtinctionem ſpecificam ſicut illa forma, quæ eſt fluens, vel ſecundùm quam eſt fluxus. Qualitercunque ſit de[i] exemplo, forſan oportet ibi exponere Philoſophum, & tenere quòd *vbi* fluens ſecundùm circulum, & lineam rectam, ſint eiuſdem rationis, inquantùm *vbi* fluens, licèt rectum, & circulare, quæ accidunt lineæ, ſeu magnitudini, ſuper quam mouentur, non ſint eiuſdem rationis; & ideò quo ad illa ſit incomparabilitas, non autem quo ad *vbi*, & *vbi* fluens per ſe: & ideò nec quo ad motus per ſe, ſaltem illud, ad quod hoc exemplum adducitur, verum eſt, quòd forma fluente exiſtente alterius rationis à forma terminante, non oportet ex diſtinctione motuum diſtinctionem concludere terminorum: in propoſito autem productio eſt alterius rationis ab eſſentia terminante, vt à termino formali accepto per eam, quia productio eſt relatio, eſſentia autem ad ſe; & ideò pluralitas productionum non concludit diſtinctionem formalem terminorum ipſarum.

Text. 21.

Motus circularis, & rectus an diſtincti ſpecie?

31. Sed adhuc[k] videtur remanere difficultas iſtorum argumentorum Auerroïs, licèt enim eadem natura poſſit communicari vniuocè, & æquiuocè, non tamen ab aliquo eiuſdem ſpeciei, ſed ab indiuiduo vnius ſpeciei tantùm vniuocè communicatur, æquiuocè autem à cauſa ſuperiore: natura autem diuina non communicatur ab aliqua cauſa ſuperiore, ſed tantùm ab aliquo in eadem natura: ergo videtur quòd natura illa non habeat communicationem niſi vnius rationis.

Cauſa notabilis cõmunicationis naturæ. Suppoſitum creatũ vno tantùm modo cõmunicat naturã: cur non ſit diuinum?

Reſpondeo,[l] Natura creata non poteſt communicari, niſi communicatione vnius rationis à ſuppoſito illius naturæ: & ratio eſt, quia effectus non excedit cauſam: effectus autem communicatus tali ſuppoſito eſt natura; ergo oportet quòd principium communicandi ſit natura, quia nihil perfectius ipſa natura eſt in tali ſuppoſito communicante, nec aliquid æquè perfectum naturæ; natura autem eſt principium communicatiuum vnius rationis: ergo ſuppoſito agenti virtute naturæ competit communicatio tantùm vnius rationis.

Oppoſitum eſt in propoſito, quia ſuppoſitum iſtius naturæ poteſt habere principia alterius rationis in producendo, quorum vtrumque ſit æquè perfectum cum natura, & ideò vtrumque poteſt eſſe principium communicandi naturam: & ita hîc poteſt eſſe duplex communicatio ab illis ſuppoſitis, quæ ſunt huius naturæ.

2. diſt. 16. Si inſtetur hîc, quòd duplex eſt principium operandi in nobis, ſcilicet intellectus, & voluntas, æquè perfectum ipſi naturæ, quia idem formæ ſecundùm vnam opinionem de potentiis animæ.

32. Reſpondeo, Vlterior[m] ratio eius, quòd ſupponitur hîc de duplici principio communicandi naturam in diuinis, non autem in creaturis, & poteſt eſſe talis: Licèt in nobis ſit duplex principium operatiuum, voluntas, & intellectus, & ambo ſint perfecta, & poſſint habere perfectas operationes ſibi adæquatas in ratione operationis, non tamen habent operationes adæquatas ſibi in eſſe: hoc eſt, licèt per intellectum noſtrum poſſumus

mus habere intellectionem ita perfectam, sicut aliqua potest naturæ nostræ competere, non tamen intellectio ista erit perfectum ens vt natura, quia intellectio adæquata intellectui, vt potentiæ, vel obiecto in ratione operationis non est adæquata intellectui, vel obiecto in esse. Intellectus igitur, & voluntas in creatura, etsi sint principia producendi operationes adæquatas sibi in ratione operationis, non tamen in esse, & per consequens multò magis nec realiter adæquatas naturæ, cuius sunt intellectus, & voluntas. Ita potest argui de quibuscunque principiis productiuis in creaturis, quorum distinctio stat in eodem supposito alicuius naturæ. In diuinis autem quia principium operatiuum non tantùm æquatur naturæ in ratione principij operatiui, sed etiam in essendo, operatio etiam æquatur principio operatiuo, & hoc in essendo, & per consequens æquatur naturæ. Similiter ergo, quia principium productiuum æquatur naturæ in essendo, & ideò per ipsum potest communicari terminus formalis productionis adæquatus sibi & naturæ in essendo.

COMMENTARIVS.

1. a *AD primum argumentum principale.* Antequam Doctor soluat argumenta Auerroïs, quibus videtur probare, quòd est impossibile, quòd eadem natura possit communicari vniuocè, & æquiuocè. Primò declarat, quòd Auerroës *in 8. Physic. commento 46.* cuius textus incipit, *Vtrum autem vnumquodque mouentium, quæ non mouentur,* &c. videtur loqui de natura perfecta contra Auicennam, quia Auicenna videtur dicere quòd animal perfectum (cuiusmodi est homo, equus, & similia) potest vniuocè, & æquiuocè causari: ita quòd vnus homo potest causari vniuocè, scilicet per propagationem, vt quando causatur ab alio homine mediante semine: & alius homo potest causari æquiuocè non ab alio homine: sed ab alia causa æquiuoca, puta à Sole: & si Auerroës sic intelligat verum dicit, & Doctor in hoc ei non contradicit. Si verò intelligat, quòd etiam entia imperfecta non possunt generari vniuocè, & æquiuocè, quantum ad hoc Doctor ei contradicit: & probat quòd eadem natura potest communicari æquiuocè, & vniuocè: sic intelligendo, quòd natura specifica in vno indiuiduo potest esse per propagationem: & hoc quando generatur ab alio indiuiduo eiusdem speciei: sicut vnus mus generatur ab alio mure: & in alio indiuiduo potest esse æquiuocè, & non per propagationem: vt quando communicatur alteri indiuiduo eiusdem speciei ab alio alterius speciei: vt quando vnus mus generatur, puta à Sole mediante putrefactione alicuius, puta equi, vel alicuius alterius: & sic duo indiuidua eiusdem naturę specificæ, & imperfecta sic se habent, quòd vnum potest generari æquiuocè: hoc est, non ab aliquo eiusdem speciei: & aliud potest generari vniuocè, videlicet ab aliquo eiusdem speciei. Non autem sic debet intelligi, quòd vnum & idem numero possit æquiuocè, & vniuocè generari: quia hoc non pertinet ad intentionem quæstionis. Licèt non haberem pro inconuenienti, quòd si mus, qui nunc est generatus ab alio mure vniuocè; si fuisset generatus à Sole; adhuc etiam esset idem mus numero, qui nunc est, quando generatur ab alio mure: & hoc expresè patet à Doctore *in 2. dist. 20. quæst. 2.*

Quare Auicennam 15. de animalibus, & in tractatu de diluuiis ad hoc.

Scotus contradicit Auerroi.

2. b *Quia conclusio sua sit falsa.* Hîc Doctor per auctoritates, & rationes intendit probare, quòd eadem natura specifica, imperfecta tamen, possit communicari æquiuocè, & vniuocè: ita quòd vni indiuiduo ab alio alterius speciei, & sic æquiuocè: & alij indiuiduo ab alio eiusdem speciei, & sic vniuocè, vt suprà exposui. Probat primò per Augustinum, qui vult quòd generatum per putrefactionem, quod est æquiuocè generatum, propagat alia, quod est vniuocè generare: quia mus, qui generatur per putrefactionem, puta à Sole, propagat alium murem, id est, generat alium murem mediante semine: & tamen isti duo mures sunt eiusdem speciei: ergo.

Eadem natura specifica, imperfecta tamen potest communicari vniuocè, & æquiuocè.

Quia si negat Auerroës assumptum de apibus, &c. Quia fortè diceret, quòd omnes apes generantur per putrefactionem, & nulla per propagationem. Et similiter fortè diceret, quòd omnes mures generantur per propagationem. Dicit Doctor quòd saltem hoc non potest negare de plantis: quia experientiâ notum est, quòd vna planta generatur æquiuocè, & non ex semine: & tamen eadem producit semina, ex quibus generantur aliæ plantæ eiusdem speciei, cum planta generante per semina.

c *Contradicit etiam ei Augustinus.* Litera sequens est satis clara vsque ibi, *Quòd autem omnia prædicta generata æquiuocè sint eiusdem speciei cum generatis vniuocè*, hoc probat à posteriori. Dicimus enim quòd duo mures sunt eiusdem speciei: quia vnus habet similem operationem: & circa idem obiectum, & ab eodem nutritur, & conseruatur: & sic de aliis: ita tamen, quòd omnes istæ particulæ debent accipi collectiuè, & non diuisiuè, quia non sequitur, homo videt albedinem per potentiam visiuam: & similiter mus videt eandem per potentiam visiuam, & sic visio hominis videtur similis visioni muris: & tamen mus, & homo non sunt eiusdem speciei: & ideò oportet quòd omnes istæ conditiones, & plures aliæ collectiuæ accipiantur.

Rationes probantes genita ex putrefactione, & ex semine esse eiusdem speciei.

Item probat idem, quòd sint eiusdem speciei, ibi: *Habent etiam hæc & illa membra eiusdem speciei*, &c.

Sed hîc oritur vna parua difficultas: quia Doctor videtur expresè tenere, quòd multæ partes organicæ specie distinguantur ab inuicem: ergo si anima est ratio distinguendi vnam partem organicam ab alia: oportet ponere plures animas in pluribus partibus organicis. 3.

Difficultas.

Respondeo, quòd hoc dictum non debet sic intelligi: sed sic, quòd vna anima requirit alias, & alias partes organicas: vt puta anima hominis: & alia, puta anima equi requirit alias partes organicas specie distinctas à partibus organicis hominis: & sic debet intelligi, quòd membra leonis differunt à membris cerui, quia anima differt ab anima.

Responsio.

7. Metaph. com, text. 22, & 23. & 31. d *Contradicit etiam ſibi magiſter ſuus* 7. Metaph, vbi vult, quòd aliqua poſſunt generari ab arte, quæ erunt eiuſdem ſpeciei cum generatis à natura: & tamen ars, & natura diſtinguuntur ſpecie: puta quando materia eſt ſimilis, & ſimiliter diſpoſita per ingenium artis, & ita ſimiliter eſt diſpoſita per naturam: tunc poſſunt eadem fieri; ſupple ſi applicat ars materiam ſuis actiuis, & paſſiuis: ita benè producuntur naturalia, ſicut ſi à natura producerentur. Similiter vult Ariſtoteles vbi ſuprà quòd aliqua poſſunt fieri à caſu eiuſdem ſpeciei cum his, quæ fiunt à natura; patet: vt cum aliquid ſit ab arte, & à caſu, ſcilicet aliquis effectus poteſt produci ſecundùm propoſitum, & intentionem artificis: & alius effectus eiuſdem ſpeciei poterit produci à caſu: ſupple præter intentionem, & propoſitum artificis: & ex his patet, quomodo ſit poſſibile naturam eiuſdem ſpeciei imperfecta poſſe diuerſimodè, id eſt, æquiuocè, & vniuocè communicari indiuiduis eiuſdem ſpeciei.

4. e *Ad primum reſpondeo.* Primum argumentum quod facit Auerroës, quo probat, quòd natura eiuſdem ſpeciei non poteſt æquiuocè, & vniuocè communicari; quæ ratio eſt in principio quæſtionis. Et ratio ſtat in hoc. Ex quo materiæ diuerſæ neceſſariò correſpondent diuerſis agentibus; ſequitur quòd illæ materiæ ſint alterius ſpeciei: ergo & formæ, quæ ſunt in illis materiis, erunt alterius ſpeciei: patet, quia alterius materiæ eſt altera forma; & ſic alia materia habet aliam formam ſibi propriam; aliter tunc quodlibet generaretur ex quolibet, vt patet.

Reſpondet Doctor, & reſponſio ſtat in hoc, quòd accipiendo materiam, quæ realiter inexiſtit compoſito, verum eſt quòd materia eiuſdem ſpeciei habet formas eiuſdem ſpeciei; & materiæ alterius ſpeciei habent formas alterius ſpeciei.

Quomodo intelligitur, ignis fieri ex aëre. Si autem accipiatur *materia* pro oppoſito, ex quo tranſmutato corrupto fit res, & non ineſt rei: ſicut cùm dicimus, quòd ignis fit ex aëre, tanquã ex oppoſito, id eſt, quòd ignis agendo in aërem, tanquam in oppoſitum, corrumpit formam aëris, & in materia aëris producit formam ignis: & ſic intelligendo non eſt verum quòd formæ eiuſdem ſpeciei ſint à materiis eiuſdem ſpeciei: patet, quia ignis generatur ex aëre corrupto: & ſimiliter ex terra corrupta, &c.

5. Apparens cõtradictio. In iſta litera occurrit vna parua difficultas. Videtur enim ſibi Doctor contradicere, quia *in* 2. *diſt.* 14. vult quòd omnes materiæ ſint eiuſdem rationis, loquendo de materiis, quæ inſunt rei. Nam dicit ibi contra communem opinionem quòd ſi in cœlo eſſet materia, eſſet ſimpliciter eiuſdem rationis cum materia iſtorum inferiorum. Si ergo omnes materiæ ſunt eiuſdem rationis: ergo & formæ receptæ per dictum Doctoris.

Vnio dictorũ Scoti. Reſponſio eſt facilis, quia ibi loquitur de materia prima denudata ab omni forma, & ſic ſunt eiuſdem rationis; hîc verò loquitur de materia ſecunda, quæ eſt in vltima diſpoſitione ad recipiendam formam ſpecificam: ſicut dicimus, quòd materia receptiua animæ intellectiuæ eſt corpus organicum humanum: & materia receptiua formæ aſini erit tale corpus organicum: & quia huiuſmodi materiæ ſunt alterius rationis: ſequitur quòd forma hominis, & forma aſini ſunt alterius rationis: & quia omnia corpora humana ſunt eiuſdem rationis: ſequitur quòd omnes animæ intellectiuæ ſunt eiuſdem rationis. Sed tunc

Difficultas. poſtea eſſet alia difficultas, ſuſtinendo quòd cœlum ſit animatum anima intellectiua, cuius oppoſitum non probat Doctor, immò dubitatiuè de hoc loquitur, vt patet *in* 2. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. Si iſta eſt vera, quòd materiæ alterius rationis tantùm ſint receptiuæ formarum alterius rationis: cùm corpus cœleſte, & corpus humanum ſint alterius rationis, vt patet: ergo anima intellectiua informans corpus cœleſte, & anima informans corpus humanum, erunt alterius rationis: ſed de hoc aliàs, quia non eſt præſentis ſpeculationis.

His declaratis negatur iſta propoſitio: *Materia eiuſdem rationis ſunt tantùm ab agente eiuſdem rationis:* quia corpus vnius muris poteſt eſſe ab agente æquiuoco per putrefactionem: & corpus alterius muris poteſt eſſe ab agente vniuoco per propagationem: & ſic per illam propoſitionem Auerroïs, ſcilicet, materiæ alterius rationis ſunt ab agentibus alterius rationis: ergo, & materiæ eiuſdem rationis ſunt ab agentibus eiuſdem rationis: non ſequitur, vt patet per exemplum de mure.

f Secundum argumentum Auerroïs eſt ibi: *Secundò arguitur ex oppoſito inferendo, quòd eadem ſpecies tunc eſſet à natura, & à caſu.* Ad quod reſpondet Doctor ibi: *Ad ſecundum dico.* Et reſponſio ſtat in hoc: quòd non dicitur aliquid fieri à caſu ex hoc, quòd fit rarò: & non fieri à caſu ex hoc, quòd fit vt in pluribus. Ex hoc enim dicitur aliquid fieri à caſu, quia non habet cauſam determinatam, ſed fit præter intentum cauſæ: ſic intelligendo quòd illud dicitur fieri à caſu, vt comparatur ad aliquam cauſam intendentem aliquem effectum, à quo impeditur. Exemplum: Aliquis fodit terram, vt inueniat theſaurum: inuentio theſauri eſt effectus intentus: & fodiendo inuenit aquam, & inuentio aquæ non eſt effectus intentus à fodiente, ideò dicimus quòd inuentio aquæ fit à caſu: quia non habet ipſum fodientem, vt cauſam determinatam, id eſt, intendentem talem effectum: vt verò inuentio aquæ comparatur ad aliam cauſam, poteſt eſſe effectus intentus ab illa alia cauſa; & ſic reſpectu illius cauſæ non erit à caſu: ſed de iſta materia diffusè vide in Doctore *quæſt.* 21. *quæ eſt vltima quodlib.* Hoc eſt, quod Doctor dicit in iſta litera. Et quod dicit ibi parum infrà. Accipitur etiam rarò, vel vt in pluribus, prout disiungit inter oppoſita contradictoriè: non prout inter diſparata disiungit. Nam in diuiſione Philoſophi 2. *Phyſic.* quæ talis eſt: *omnis effectus vel ſit raro, vel vt in pluribus.* Membra diuidentia, ſcilicet *raro, & in pluribus* ſunt contradictoria, non diſparata, nec contraria: quia hoc, quod dico, *vt in pluribus:* tantùm valet ſicut ex determinata intentione: & hoc quod dico, *vt rarò*, tantum valet ſicut non ex determinata intentione: modò fieri ex determinata intentione, & fieri non ex determinata intentione, ſunt contradictoria: & cùm dico *effectus ſit vt in pluribus*, id eſt, ex determinata intentione, vel *effectus ſit rarò*, id eſt, non ex determinata intentione: & hoc modo *rarò, & vt in pluribus* dicuntur contradictoria: & ſic per ly *rarò* nihil poſitiuum intelligitur: patet; quia omne poſitiuum in effectu caſuali eſt ex determinata intentione naturæ, quod idem eſt, ſicut eſſe vt in pluribus. Si ergo *rarò*, & *vt in pluribus* eſſent diſparata, tunc *rarò* diceret aliquod poſitiuum, & illud eſſet ex determinata cauſa: & per conſequens, *vt in pluribus*. accipiuntur ergo tantùm contradictoriè. Sequitur,

6. Aliquid fieri à caſu quid ſit.

Contingens multiplex eſt. Plurimum, Raro, & æquale.

Raro fieri, vel vt in pluribus ſunt contradictoria.

g *Cùm igitur arguitur, generabile hoc si generatur æquiuocè,&c. concedo quòd in maiori parte,* id est, si quæratur, an genitum per putrefactionem, & per propagationem fiat ex necessitate, vel vt in pluribus, vel raro. Dicit Doctor, quòd tale non fit ex necessitate: & vltrà dicit, quòd si illud fiat ex intentione, fiet vt in pluribus: si verò non fit ex intentione, fit rarò.

Et etiam vt est disiunctio,&c. Dicit Doctor quòd etiam comparando effectum æquiuocum ad causam æquiuocam sub disiunctione, & contradictoriè: adhuc effectus æquiuocus fit vt in pluribus à causa æquiuoca. Istæ contradictoriæ sunt, *ex semine*, & *non ex semine*: vt effectus potest fieri naturaliter non ex semine: ita quòd ista est vera, *Effectus æquiuocus, vt in pluribus, fit non ex semine,* id est, quòd causa æquiuoca, non agens per semen, est causa determinata agens ex intentione, & proposito. Sequitur,

Licèt rariùs eueniat hoc quod generatur non ex semine, quàm quod generatur ex semine: vt videlicet comparantur ad inuicem duo disparata, id est, vt mus comparatur ad causam æquiuocam, & mus, vt comparatur ad causam vniuocam: causam æquiuoca, & vniuoca sunt duo disparata. Similiter effectus æquiuocus, & effectus vniuocus: non tamen vt comparantur ad inuicem, vnus dicitur æquiuocus, & alius vniuocus cùm sit in proposito eiusdem speciei: sed sic dicuntur, pro quanto comparantur ad causam æquiuocam, & vniuocam: isti duo effectus, vt comparantur ad suas causas, effectus æquiuocus rariùs eueniet: quia communiter sunt plures mures, qui generantur per propagationem, & vniuocè, quàm qui generantur sine propagatione, & æquiuocè: tamen effectus æquiuocus, vt comparatur ad effectum vniuocum: licèt dicatur fieri rarò in numero: non tamen dicitur fieri à casu: quia semper fit à causa determinata, intendente huiusmodi effectum: & sic, vt est disiunctio inter contradictoria fit vt in pluribus, vt suprà exposui.

h *Cùm arguitur 3. de motu & termino.* Deinde Doctor arguit, confirmando dictum Auerroïs, videlicet quòd duo effectus eiusdem speciei sic se habeant, quòd vnus illorum non potest produci æquiuocè, & alius vniuocè, sed vterque vniuocè: quia diuersorum motuum, siue diuersarum productionum specie sunt diuersi termini specie, siue diuersa producta specie 5. *Physic. text. com.* 31. *Iam*, inquit, *igitur alius specie denigratio, & dealbatio:* omnis autem dealbatio omni dealbationi idem secundùm speciem erit, & omnis denigratio omni denigrationi. Hoc idem *text. com.* 48. sed productio æquiuoca, & productio vniuoca differunt specie: ergo & producta differunt specie: & sic erit in proposito applicando ad diuina: quia productio Filij, & productio Spiritus sancti sunt simpliciter alterius rationis: vt patet à Doctore infrà *d.* 13. & prolixè 2. *quæst. quodl.* ergo Filius, & Spiritus sanctus sunt alterius speciei: & sic sunt diuersæ naturæ in illis: quod est falsum.

7. *Declaratio huius: motuũ specie differentium, &c.* Respondet Doctor. *Cùm arguitur 3. de motu, & termino.* Dicit quòd ista propositio *Motuum differentium specie sunt termini specie differentes:* non est immediata, sed dependet primò ab ista: videlicet, quòd *motuum differentium specie sunt fluxus differentium specie, vel formæ secundùm quas sunt fluxus differunt specie.* Exemplum: nam duæ calefactiones, quæ sunt fluxus formæ, dicuntur eiusdem speciei: quia formæ, secundùm quas sunt istæ calefactiones, siue fluxus sunt eiusdem speciei: patet. Secunda propositio est ista, quòd *forma fluens, vel forma, secundùm quam est fluxus, est eiusdem rationis cum forma terminante:* calefactio terminatur ad calorem in *esse* quieto, siue ad calorem permanentem: dicimus ergo, quòd duæ calefactiones sunt motus eiusdem speciei: quia & fluxus istarum sunt eiusdem speciei. Fluxus enim calefactione est acquisitio partis post partem: ita quòd semper includit respectum partis prioris ad partem posteriorem: & forma secundùm quam est fluxus est ipse calor, qui successiuè acquiritur: & terminus talis motus, siue calefactionis est calor in *esse* quieto, siue permanente: sed frigefactio, & calefactio differunt specie: quia termini ad quos sunt differunt specie: qui sunt calor, & frigus in *esse* quieto: & etiam fluxus differunt specie: quia formæ, secundùm quas sunt, differunt specie, scilicet frigus, & calor in *esse* successiuo: & sic stat, quòd diuersorum motuum specie distinctorum sunt diuersi termini: videlicet quando formæ, secundùm quas sunt isti fluxus, differunt specie, & termini, ad quos terminantur, similiter differunt specie.

Et hoc expresè intendit Philosophus, vbi suprà text. c. 48. *Dicitur*, inquit, *vnusquisque* supple motus *in quod mutat magis quàm ex quo, vt sanatio in sanitatem: ægrotatio autem in ægritudinem.* Et ibi Commentator. *Et quia*, inquit, *substantia motus est de natura cuius, ad quod est, non eius ex quo est: ideò motus denominatur ab illo, cùm dicitur quòd motus de albedine ad nigredinem est nigrificatio, non albificatio.* hæc ille. Licèt ergo generatio æquiuoca, & generatio vniuoca differant specie: non tamen sequitur, quòd termini differunt specie: quia non sunt eiusdem rationis cum generatione, sicut dicimus, quòd terminus calefactionis, & terminus frigefactionis differunt specie: quia sunt eiusdem rationis cum motibus, siue cum formis fluentibus: sed mus genitus æquiuocè non est eiusdem rationis cum generatione: quia natura muris est quid absolutum, & generatio propriè dicta quid respectiuum: & similiter mus genitus vniuocè non est eiusdem rationis cum generatione vniuoca propter causam supradictam. Hoc idem dico in diuinis, quòd quamuis productio Filij, & productio Spiritus sancti sint alterius rationis: non tamen Filius, & Spiritus sanctus sunt alterius rationis: quia terminus formalis productionis Filij (qui est essentia diuina: vt patebit infrà *dist.* 5. *q.* 1) non est eiusdem rationis cum productione, quæ est sola relatio. Hoc idem dico de Spiritu sancto. 8. *Generatio æquiuoca, & vniuoca differunt specie.*

Quòd autem sit falsa quando alterum illorum est falsum,&c. Hîc probat Doctor quòd ista propositio est falsa, *Motuum differentium specie sunt termini specie differentes:* & hoc quando altera illarum conditionum deficit: patet, quia idem *vbi* potest acquiri per motum circularem, & rectum, qui motus differunt specie: vt patet 7. *Physic. text. com.* 21. & litera clara est. 9.

i *Qualitercunque sit de exemplo.* Hîc dicit Doctor quòd quamuis hoc exemplum non sit fortè ad propositum: tamen illa propositio non est vera, nisi pro quanto dependet ex aliis duabus supradictis: & quòd exemplum non sit ad propositum, patet, quia exponendo Aristotelem diceretur, quòd motus circularis ad *vbi* est *vbi* fluens: & motus rectus ad *vbi* est similiter *vbi* fluens: modò *vbi* fluens, & *vbi* terminans, siue

siue *vbi* permanens, sunt eiusdem rationis: & per consequens motus circularis, & motus rectus, vt sunt quidam fluxus secundùm *vbi*, sunt eiusdem speciei: licèt rectum, & circulare, qui accidunt lineæ, seu magnitudini, super quam mouentur, non sint eiusdem rationis: & patet litera.

k *Sed adhuc videtur remanere difficultas istorum argumentorum.* Dicit Doctor, supponendo quòd Franciscus possit esse à causa æquiuoca, & Ioannes à causa vniuoca, non tamen ista duo indiuidua possunt fieri æquiuocè, & vniuocè ab aliquo eiusdem speciei: patet, quia causa æquiuoca producens Franciscum æquiuocè, esset superior, & perfectior tota natura humana, & sic de necessitate esset alterius speciei: sed in proposito Filius in diuinis, & Spiritus sanctus producuntur productionibus alterius rationis, vt dixi suprà: ergo natura diuina non potest communicari Filio, & Spiritui sancto à supposito eiusdem rationis: sed Pater est eiusdem rationis cum Filio, & Spiritu sancto (quia eiusdem speciei.) ergo non potest communicare naturam diuinam Filio, & Spiritui sancto productionibus omnino alterius rationis.

Responsio. l *Respondeo, natura creata non potest*, &c. Hæc est singularis responsio, quæ stat in hoc, quòd suppositum vnius naturæ creatę non potest communicare eandem naturam alteri indiuiduo æquiuocè: patet, quia si æquiuocè posset illam communicare: puta Francisco, tunc natura communicata, in Francisco esset essentialiter imperfectior, & alterius rationis à natura suppositi communicantis, vt patet: in diuinis verò est oppositum; quia etsi pater sit eiusdem rationis cum Filio, & Spiritu sancto: tamen includit principia alterius rationis æquè perfecta, scilicet intellectum, & voluntatem: & per consequens productiones secundùm intellectum, & voluntatem sunt alterius rationis: & sic idem suppositum potest communicare eandem naturam productionibus alterius rationis Filio, & Spiritui sancto. Non dico tamen, quòd Filius dicatur produci vniuocè, & Spiritus sanctus æquiuocè, cùm vterque sit eiusdem rationis cum Patre producente: sed benè verum est, quòd alia productione alterius rationis producitur Filius, & alia Spiritus sanctus: & hoc est propter diuersitatem principiorum.

m *Vlterior ratio eius quod supponitur hîc de duplici principio.* Hæc est ratio satis singularis, quare homo per intellectũ, & voluntatem non potest diuersimodè communicare naturã suam, & tamẽ Pater in diuinis, naturam, quam habet per intellectum, & voluntatẽ diuersimodè cõmunicat: ratio clara est in litera, nec indiget alia expositione.

SCHOLIVM.

Soluit alia argumenta principalia eiusdem quæstionis 7. probantia plures esse productiones duabus, seu non esse tantùm duo principia productiua in Deo.

33. *Ad arg. 3. in initio q.* Text. 49. *Philosophus de distinctione voluntatis ab intellectu parum loquitur. Causa quæ est ad opposita per modum naturæ non potest exire in actum, nisi determinetur à causa libera, & talis est intellectus secundũ Phil.* Text. 10. *Vide Scot. quod 16. Prohæresis electio. Optimum exemplum. Quomodo volũtas determinat intellectum ad cognitionem vide Scot. 2. d. 42. q. 4. ad q. 1.*

AD argumenta quæ probant [a], quòd non sunt tantùm in Deo duo principia productiua.

Cùm primò arguitur de natura, & intellectu, quòd sunt duo principia productiua distincta per Philosophum 2. *Physicor.*

Respondeo, quòd Philosophus parum locutus est de voluntate, vt distinguitur contra intellectum, sed communiter in ratione principij actiui coniunxit intellectum ad voluntatem, & ideò *in secundo Physic.* vbi distinguit ista principia actiua in naturam & intellectum, non debet intelligi, vt intellectus distinguitur contra voluntatem, vt patebit statim. Sic enim concurrit cum voluntate, constituendo idem principium respectu artificialium. Hoc patebit respondendo ad instantiam Philosophi de 9. *Metaph.* Ad quam [b] dico, quòd intellectus comparatur ad suam naturam, & ad suam propriam operationem, cuius est principium elicitiuum, & productiuum aliquo modo, & comparatur ad operationes aliarum potentiarum, respectu quarum est potentia directiua, vel regulatiua: si primo modo accipiatur, dico, quòd est merè natura & in eliciendo, & in producendo Quemcunque enim actum intelligendi producit cum obiecto præsente in memoria, merè naturaliter producit, & quamcunque operationem operatur, merè naturaliter operatur. Voluntas autem respectu operationis propriæ vt productiua, habet oppositum modum producendi: & hoc satis apparet per Philosophum 9. *Metaph. cap.* 4. vbi tractat quomodo potentia rationalis, & irrationalis reducuntur ad actum, & arguit quòd potentia rationalis, quæ ex se est ad opposita, non potest ex se exire in actum: tunc enim simul exiret in opposita, quia simul est oppositorum: & ex hoc concludit, quòd præter illam potentiam rationalem, oportet ponere aliam potentiam rationalem determinatiuam, per quam determinetur, & illa determinata, potest exire in actum: & ex hoc sequitur quòd intellectus si est oppositorum, sic est oppositorum per modum naturæ, quòd quantùm est de se necessariò est oppositorum: nec potest se determinare ad alterum illorum, sed requirit alterum determinans, quod liberè potest exire in alterum oppositorum, hoc est appetitus secundùm eundem, vel prohæresis. Exemplum, Sol habet virtutem producendi opposita, scilicet liquefactionem, & coagulationem; vnde si essent duo passa approximata, quorum alterum esset liquefactibile, & alterum coagulabile, Sol de necessitate naturæ haberet elicere illos duos actus in illis, & si idem esset approximatum, quod simul natum esset recipere opposita ista,

Sol

Sol de necessitate simul produceret opposita, vel neutrum: est ergo potentia Solis merè naturalis, licèt oppositorum, quia est illorum merè ex se, ita quòd non potest determinare se ad alterum tantùm. Talis potentia est intellectus, vt intellectus est præcisè respectu oppositorum intellectorum, & non est ibi aliqua determinatio ad alterum tantùm illorum, & non ad reliquum, nisi quatenus voluntas concurrit. Philosophus autem communiter loquitur de intellectu, secundùm quòd cum voluntate constituit vnum principium respectu artificialium, & non vt est naturaliter eliciti[u]us suæ operationis, & ideò est quòd aliquando contra naturam distinguit intellectum, aliquando artem, aliquando propositum, idem intelligens per omnia.

Philosoph. communiter sumit intellectum, vt facit vnum voluntate, aliquando vt distinguitur contra naturā, artem, propositum. De hoc vide 1. dist. 2. quæst. 1.

Cùm vltimò dicitur de voluntate, quòd est principium respectu creaturarum; dico, quòd per prius naturaliter voluntas Dei est principium productiuum alicuius producti sibi adæquati, quàm sit productiuum non adæquati, adæquatum infinitum est infinitum, & ita creatura est secundarium volitum, & productum à voluntate Dei.

COMMENTARIVS.

1\. a *AD argumenta quæ probant, quòd non sunt tantùm in Deo duo principia productiua.* Ista argumenta sunt suprà in principio quæstionis, ibi: *Quòd non tantùm sint duo probo:* quia Philosophus 2. Physic. text. com. 49. *Sunt*, inquit, *propter hoc quæcunque ab intellectu vtique aguntur, & quæcunque à natura.* hæc ille. Distinguit ergo naturam, & intellectum, tanquam diuersa principia actiua: vtriusque autem ratio, scilicet intellectus, & naturæ inuenitur in Deo: quia neutrum includit imperfectionem: ergo sunt tria principia productiua, scilicet intellectus, voluntas, & natura diuina.

Confirmatur per Philosophum 9. Metaph. text. com. 3. *Palam quia & potentiarum alia esse irrationales, alia cum ratione:* ipsum infrà, *& quæ quidem cum ratione omnes contrariorum sunt eædem:* & hoc probat, quia *scientia est oppositorum: causa autem, quia ratio est scientia: ratio autem eadem ostendit rem, & priuationem.* hæc ille. Hîc arguit, quòd ex quo intellectus est indeterminatus ad opposita, & natura est determinata ad vnum: ergo intellectus habet aliam rationem principij, quàm natura: & sic natura, & intellectus sunt duo principia, & voluntas aliud: ergo & principales productiones quàm duæ.

2\. Pro intellectione huius literæ, in qua respondet ad argumentum, & confirmationem. Primò nota, quòd quando Aristoteles distinguit agens in naturam, & intellectum: per agens per intellectum non excludit voluntatem. Artifex enim agit à proposito, siue per intellectum: ita quòd intellectus concurrit ad agendum cum voluntate: quod potest dupliciter intelligi, vel quòd actus intellectus sit partialis causa actus voluntatis, quo vult aliquid; vel quòd talis actus intellectus sit directiuus voluntatis in operationem. Primus sensus potest stare tenendo opinionem quam suprà dixi, quæ ponitur *in 2. dist. 25.* quòd cognitio obiecti sit partialis causa actus voluntatis. Si secundus sensus teneatur, verus est, & magis ad proprium, vt satis patuit suprà *in quæst. de praxi.* Et sic quando dicimus, quòd intellectus concurrit cum voluntate, altero istorum modorum debet intelligi, vel vtroque modo: videlicet quòd talis cognitio non tantùm sit directiua in praxim: sed etiam, quòd sit causa partialis praxis. Idem est ergo simpliciter apud Aristotelem agere per intellectum, & agere à proposito: agere per voluntatem, & agere per potentiam rationalem: de quo vide diffusè *in quæst. 16. quodlib.*

Intellectum cócurrere ad agendum cū voluntate dupliciem habet sensum.

b Secundò nota ibi: *Ad quam dico, quòd intellectus comparatur ad suam naturam*, &c. Hîc dicit Doctor in sententia, quòd intellectus, vt comparatur ad suam primam operationem, puta ad operationem, quæ præcedit actum voluntatis, est merè agens à natura: & de necessitate naturæ agit, quando obiectum est præsens: quia tunc sunt duæ causæ partiales integrantes vnam totalem, & agentem simpliciter de necessitate naturæ, de quibus infrà *d. 3. q. 7. & 8.* Vt verò comparatur ad actum voluntatis, non dicitur sic agens à natura: vel per modum naturæ, quia aliquando actus intellectus est imperatus à voluntate, non quòd ille actus eliciatur à voluntate, sed ex hoc dicitur imperari; aut quia firmat intellectum in cognitione obiecti: & tunc talis cognitio sic firmata à voluntate intenditur: aut quia remouet intellectū ab vno obiecto cognito, & conuertit ad aliud obiectum: & sic dicitur imperare illum actum; quo intellectus conuertitur ad aliud obiectum cognoscendo illud: sed de hoc diffusè *in 2. d. 42.* vbi singulariter hanc materiam pertractat.

Nono Metaph. cap. 6. text. 10. Potentia rationalis propriè dicitur intellectus, & potentia rationalis participatiuè dicitur voluntas, vt patet à Doctore *in quodlib. quæst.* 16. Dicit ergo, quòd potentia rationalis non potest ex se exire in actum: quia tunc simul exiret in opposita: hoc manifestè patet, quia si in intellectu ponantur plures species intelligibiles, puta albi, nigri, calidi, frigidi, & huiusmodi, quantum est ex parte sua, exiret in cognitionem omnium obiectorum relucentium in illo per species intelligibiles: quia omnibus per modum naturæ cooperatur, vt particularis causa: & quantum est ex se simul omnia intelligeret, quod non est possibile pro statu isto (quicquid sit de statu alio, aliàs pertractabitur) & simul etiam exiret in oppositum illorum, vt suprà dixi: quia scientia ostendit rem, & priuationem eius. Si ergo intellectus determinatur ad aliud obiectum, aut hoc ideò est, quia species vnius obiecti intelligibilis fortiùs mouet, vt patebit infrà *dist.* 3. aut quia voluntas potest ipsum determinare ad aliud, & ad aliud obiectum: hoc tamen non debet sic absolutè intelligi: quia voluntas non posset determinare intellectum ad cognoscendum vnum obiectum, non priùs cognitum, cùm non habeat actum, neque elicitum, neque imperatum, nisi circa præcognitum: sed sic debet intelligi, quòd voluntas potest firmare intellectum in cognitione vnius obiecti: qui tamen intellectus, quantum est ex parte sua, exiret simul in omnia obiecta: vel

Quomodo intellectus determinatur ad vnum obiectum.

vel quia potest ipsum remouere à cognitione vnius obiecti, & conuertere ad cognitionem alterius: qui tamen intellectus, quantum est ex parte sua, nunquam remoueretur à cognitione illius obiecti, cùm sit agens merè naturale: & multa alia potest voluntas circa intellectum, quæ breuitatis causâ omitto: & sic voluntas determinatiua, intellectus dicitur potentia rationalis participatiuè tamen: & dico *determinatiua* modo præexposito: & intellectus dicitur potentia determinata rationalis per essentiam: & dicitur determinata modo præexposito.

Voluntas est rationalis participatiuè. *Intellectus verò per essentiam.*

51 Similiter si intellectus determinatur ad oppositum alterum, puta, quòd determinetur ad obiectum, vel ad priuationem ipsius, hoc erit à voluntate: quia ipse intellectus, quantum in se est, esset rei, & priuationis ipsius: & sic Philosophus concludit vbi suprà, quòd præter potentiam intellectiuam: quæ de se est oppositorum, oportet ponere aliam, scilicet appetitum. *Illa*, inquit, *contrariorum*, scilicet potentiæ rationales. *Quare, simul facient contraria*, scilicet si agerent approximata passiuo sine aliquo determinante, *hoc autem impossibile. Necesse ergo alterum aliquid esse, quod proprium est. Dico autem hoc appetitum, aut probaresim.* Hæc ille. Et ibi Commentator: *Hoc* inquit *principium, quod facit magis agere alterum contrariorum, est appetitus, & voluntas: appetitus enim cùm fuerit alterius contrariorum: tunc actio agentis pendet ex illo contrario: & similiter à voluntate.* Hæc ille. Ex quo patet, quòd voluntas determinat intellectum ad alterum oppositorum.

Et quod dicit in vltimo de voluntate productiua alicuius adæquati, &c. Diffusè pertractatur à Doctore *in 2. distinct. 1. quæst. 1. & in quodlib.*

SCHOLIVM.

Ad 2. quæst. 2 par. quæ est 5. huius dist. ostendit tres esse personas, duas productas, & vnam improductam, quia intellectus, vt est perfecta memoria, producit terminum adæquatum, ex quæst. 7. productus distinguitur à producente, non in natura, aliàs essent plures dij, quod improbatum est quæst. 3. ergo in persona. Eodem modo de voluntate argui potest. Quòd verò vna persona, per vtramque potentiam produci nequeat, patet: quia modi sunt oppositi, & eadem persona bis produceretur. Non esse plures productiones partim ostensum est quæst. præced. & latiùs infrà dist. 7. ostendetur.

34. AD secundam quæstionem, cùm quæritur de Trinitate personarum in diuinis. Respondeo, quòd sunt tantùm tres personæ in essentia diuina: quod probatur sic: sunt tantùm duæ productæ, & tantùm vna improducta: ergo tantùm tres sunt personæ.

Circa primam propositionem probo primò, quòd sint duæ productæ: secundò quòd non plures. Ad probandum quòd sunt duæ personæ productæ, primò probo, quòd est aliqua persona producta actu intellectus, & hoc sic: intellectus vt est perfecta memoria, id est, habens obiectum actu intelligibile sibi præsens, per aliquem actum sui est productiuus termini adæquati, scilicet infiniti ex præcedenti quæstione: nihil autem seipsum producit, *primo de Trinit.* Ergo quod producitur actu intellectus, aliquo modo distinguitur à producente, essentialiter non distinguitur; quia essentia diuina, & quæcunque essentialis perfectio intrinseca sibi, est indistinguibilis, ex quæstione de vnitate Dei: igitur distinguitur personaliter productum à producente: ergo est aliqua persona producta actu intellectus. Consimiliter arguitur de producto actu voluntatis.

Cap. 1.

Quòd autem persona producta actu isto, & illo sit alia & alia, probo: quia non potest eadem persona produci duabus productionibus totalibus sufficientibus: hæc autem productio alia est ab illa, ex quæstione præcedenti: ergo hac & illa non producitur eadem persona, sed duæ. Probatio maioris: si idem produceretur duabus productionibus totalibus; vtraque acciperet esse sufficienter; sed si sufficienter acciperet esse à producente hac productione, haberet suum esse perfectè, nulla alia productione posita: igitur non potest accipere esse per aliam productionem, quia tunc non esset sine illa.

Vna persona non potest duplici productione produci.

Vlteriùs, quòd non possunt esse plures personæ productæ quàm istæ duæ, probo sic: non possunt esse plures productiones intrà, quod aliqualiter suadebatur in quæstione præcedenti: sed differebatur vsque ad dist. 7. finaliter declarandum, hoc igitur sit certum nunc, quòd tantùm sunt duæ productiones intrà: nulla autem istarum potest terminari, nisi ad vnam personam: quia persona producta est terminus adæquatus illi productioni: ergo, &c.

COMMENTARIVS.

1. AD *secundam quæstionem cùm quæritur de Trinitate personarum in diuinis.* Hîc Doctor primò probat, quòd tantùm sint duæ personæ productæ. Secundò, quòd tantùm est vna improducta: & sic tantùm tres. Primum patet: & primò probat quòd vna sit producta per intellectum, & alia per voluntatem. Secundò, quòd persona producta per intellectum sit necessariò alia à persona producta per voluntatem. De primo patet, quia *intellectus, vt est perfecta memoria*, id est, *vt habens obiectum actu intelligibile sibi præsens* (dicitur *actu intelligibile*, & non vt *actu intellectum*, quia vt sic, non habet rationem principij productiui, cùm sic habeat tantùm esse diminutum, quia esse cogni

cognitum: sed præcisè, vt actu intelligibile, id est, vt sit in potentia proxima, & dispositum ad productum) *per aliquem actum sui*, id per actum productiuum, *est productiuus termini adæquati* (hîc accipitur *terminus adæquatus* nô pro termino formali, scilicet pro essentia tantùm, sed pro tota persona producta, quæ includit essentiam, & proprietatem: qui terminus adæquatus, siue totalis dicitur infinitus, eo quòd includit, vt terminum formalem, essentiam diuinam, formaliter infinitam) *nihil autem seipsum producit*, ex primo de Trinitate, *ergo quod producitur actu intellectus, aliquo modo distinguitur à producente*: non essentialiter, cùm producens, & productum habeant eandem essentiam: ergo realiter accipiendo *realiter* personaliter, vt patet respondendo ad argumenta principalia primæ quæstionis huius secundæ partis.

2. Et dicit, quòd distinguitur realiter à persona producente, & non à principio productiuo: quia hoc est speciale in diuinis, scilicet quòd principium productiuum non distinguatur realiter à producto: quia illud idem principium, quod est in Patre communicatur Filio: in creaturis autem semper principium productiuum realiter distinguitur à producto: & hoc magis patebit infrà *distinct. 5. quæst. 2. in solutione dubiorum.* Patet ergo quomodo est aliqua persona producta actu intellectus. Consimiliter arguitur de producto actu voluntatis: aliqualiter tamen differenter, quia hîc voluntas habet essentiam præsentem, non per proprium actum, sed per actum intellectus diuini, *actum* dico intelligendi: quia voluntas non potest habere aliquem actum, neque operatiuum, neque productiuum circa aliquod obiectum non præcognitum. An modò essentia priùs tamen cognita (non quòd *esse* cognitum sit ratio formalis principij productiui, sed quòd tantùm præexigatur, vt scilicet sit præsens per *esse* cognitum) concurrat cum voluntate ad productionem Spiritus sancti; an cognitio essentialis ipsius essentiæ concurrat; an sola voluntas sit totale principium productiuum Spiritus sancti, de hoc aliàs erit sermo, scilicet *dist. 10. huius primi. & quæst. 26. quolib.* sufficit pro nunc, quòd actu voluntatis, siue totaliter, siue partialiter, habetur aliquod productum.

Secundum huius primi membri, scilicet quòd persona producta actu intellectus sit alia à persona producta actu voluntatis. Probat Doctor quia priùs ostensum est, quòd tantùm sunt duæ productiones in diuinis. Si ergo persona Filij non esset alia à persona Spiritus sancti, sequeretur quòd eadem persona esset producta duabus productionibus totalibus, & sufficientibus, quod est impossibile: quia tunc posita vna productione, poneretur persona: & alia, per impossibile, circunscripta, non esset illa eadem persona: & sic simul esset, & non esset. Deinde probat, quòd non possunt esse plures, quàm duæ productæ: quia vt ostensum est suprà, tantùm sunt duæ productiones, scilicet vna per modum naturæ, & alia per modum voluntatis: & hoc magis patebit *in 7. d. huius*, & subtiliter probatur *in quolib. quæst. 2.* & vide quæ ibi exposui. Si ergo sunt duæ productiones, ergo tantùm duo producta: patet, quia vni productioni correspondet tantùm vnum productum: licèt enim idem principium formale productiuum possit habere plura producta, vt patet de Sole: non tamen eadem productione potest producere plura: quia vna productio est tantùm vnius producti.

3. Duæ sunt productiones.

Vni productioni correspondet vnũ productum.

SCHOLIVM.

Relectis & refutatis rationibus Henrici, probat vnam esse personam improductam. Primò, quia aliàs essent infinita. Nam quod potest esse in pluribus, quantùm est de se, potest esse in infinitis, & si est necesse esse, de facto ita est. Secundò, pluralitas vitanda est, nisi cogat necessitas. Tertiò essentia vna non habet ex se immediatè plures essendi modos. Soluit argumenta principalia huius q. 2. quæ est quinta dist.

NVnc restat probare [a] quòd vna tantùm sit non producta: vbi dicit vnus Doctor quòd illud ostenditur sicut ostenditur vnitas Dei. Hoc etiam probat per Hilarium *cap. 5. de Synodis*, vbi vult, quòd qui dicit duos innascibiles, confitetur duos Deos. 35. *Henricus quodlib. 6. q. 1.*

ADDITIO. *Item quodlib. 5 5 quæst. 2. vbi arguit ad oppositum, innascibilitates essent eiusdem rationis, & plures proprietates eiusdem rationis in eadem natura singulari, scilicet Deitate, quod est impossibile, siue fuerint absoluta, siue relatiua. Patet in creaturis. Item persona improducta est primum principium: ergo non plura prima principia. Item in solutione facit argumentum Richardi 5. Trinit. cap. 4. prima non ab alia est potens per essentiam: quia habet in se omne posse.*

*Ad primum, negationes eiusdem rationis sunt tot in isto, quot sunt * possibilia eiusdem. Innascibilitas est negatio, aliter relationes plures in eodem. 3. lib. d. 8.* * *al. positiua.*

Ad secundum, nunc tres personæ sunt vnum principium omnium aliorum.

Ad tertium, omne possibile respectu cuiuscunque possibilis. nec potest ista ratio colorari sicut coloratur illa de omnipotentia quæst. de vnitate Dei, patet quare non, &c.

Præterea arguit sic; plura supposita absoluta non possunt esse in hac natura, quia natura non est in pluribus suppositis absolutis sine diuisione naturæ: erunt igitur plura supposita relatiua: aut igitur relatione mutua inter se, aut ad alia: sed si plura essent supposita non producta, non distinguerentur relatiuè ad alia supposita, quia non relatione ad alia supposita producentia, quia nulla sunt ex hypothesi: nec ad producta, quia ad illa haberent relationem eandem, sicut modò Pater & Filius habent eandem relatio-

nem ſpirationis actiuæ ad Spiritum ſanctum: ergo relatione inter ſe diſtinguerentur, & hoc relatione originis, quod eſt propoſitum.

Contrà, iſtæ probationes non videntur ſufficientes. Prima non, quia vnitas Dei probatur ex hoc, quòd diuina infinitas non diuiditur in plures eſſentias. Non autem ita manifeſtum eſt, quòd ratio ingeniti, vel innaſcibilis non ſit in pluribus ſuppoſitis: tum, quia ratio innaſcibilis non dicit aliquam perfectionem ſimpliciter, ex qua perfectione ſimpliciter poſſit concludi vnitas innaſcibilis, ſicut ex perfectione infinita concluditur vnitas diuinæ eſſentiæ. Similiter auctoritas Hilarij [b], quam adducit, dicit, quòd ita eſt, non tamen probat eſſe ita.

Innaſcibilitas an dicat dignitatem. Scotus infrà d. 28. q. 2. art. 2.

36. Et cùm accipit in ratione ſua, quòd plures perſonæ abſolutæ non poſſunt eſſe in eadem natura, qualiter eſt hoc notius concluſione? Qui enim poneret plures perſonas ingenitas, non diceret eas formaliter conſtitui aliquibus relationibus: ergo accipere contra eum quòd non poſſunt eſſe plures perſonæ abſolutæ, videtur non accipere manifeſtius concluſione. Cùm vltrà dicitur, quòd non diſtinguuntur relationibus inter ſe, quia hoc non eſſet niſi per relationes originis; hanc conſequentiam oportet probare. Conceſſo enim illo, quòd non ſit diſtinctio niſi per relationes originis, citò haberetur propoſitum.

De hoc latè Scotus infrà diſt. 26. an perſonæ ſint abſolutæ?

Aliter perſuadeo [c] concluſionem intentam ſic; quidquid poteſt eſſe in pluribus ſuppoſitis, & non determinatur ad certum numerum ſuppoſitorum per aliud à ſe, quantùm eſt de ſe, poteſt eſſe in infinitis: & ſi eſt *neceſſe eſſe*, eſt in infinitis, quia quidquid poteſt ibi eſſe, eſt: ſed ingenitum ſi poteſt eſſe in pluribus ſuppoſitis, non determinatur ab aliquo in quot ſuppoſitis ſit, quia determinari ab alio ad eſſe in ſuppoſito, vel in ſuppoſitis, eſt contra rationem ingeniti: igitur de ratione ſua poteſt eſſe in infinitis, & ſi poteſt eſſe, eſt: quia eſſe ingenitum eſt ex ſe *neceſſe eſſe*: conſequens eſt impoſſibile, ergo illud, ex quo ſequitur.

Quia in æternis actus, & potentia ſimul ſunt 3. Phyſ. 32.

Secundò ſic, nunquam pluralitas ponenda eſt ſine neceſſitate: nulla autem neceſſitas, nec ad ſe, nec ad extrà, cogit plures eſſe innaſcibiles: ergò eſt tantùm vnus.

Tertiò, quia eſſentia vna actu exiſtens non videtur ex ſe immediatè habere plures modos eſſendi: oppoſitum ſequitur ſi plura eſſent ſuppoſita ingenita, non autem ſequitur modò; quia eſſentia diuina non habet plures modos eſſendi immediatè ſine productione, ſed tantùm vnum modum eſſendi ſine productione, & alios duos, mediantibus productionibus.

37. Ad argumenta [d] principalia. Ad primum cùm arguitur, æquè nobiles ſunt, ergo tot: fallacia eſt figuræ dictionis, commutando *quale* in *quot*. & ratio defectus conſequentiæ eſt iſta: non enim eſt propter nobilitatem, vel ignobilitatem relationis, vel rationis principij, vel principiati, quòd multiplicetur, vel non multiplicetur: ſed de ratione principij eſt vnitas, licèt in principiatis poſſit eſſe pluralitas, quia ſemper eſt reductio pluralitatis ad vnitatem. & ideò ſtante æquali nobilitate poteſt eſſe multiplicatio, vel diſtinctio in relationibus productorum, licèt non in relationibus producentium à ſe.

Ad arg. 1. quæſt. 1.

Cum vnitate principij ſtat pluralitas principiati.

Ad 2.

Alia eſt reſponſio, quia licèt ibi quælibet relatio vnius rationis ſit de ſe *hæc*, tamen à pluribus relationibus productiui poteſt forſan abſtrahi vnum commune, puta productiuum; & ita à pluribus relationibus producti poteſt abſtrahi vnum commune, puta productum: etſi igitur eſt vna relatio in communi, ſi eſt commune abſtrahibile, quæ dicitur in communi relatio perſonæ producentis, ſunt tamen duæ relationes, producentis ſic, & ſic, ſicut duæ correſpondentes eis, producti ſic, & ſic.

Ad ſecundam rationem [e] concedo quòd relationibus ex parte producentium, vel productiui, correſpendent relationes ex parte productorum, & tot; ſed non ſequitur, ſi relationes producti diſtinguuntur ſic, vt ſint in diſtinctis ſuppoſitis: ergo & relationes producentis. Cuius ratio aſſignatur, quia relationes producti poſſunt diſtingui propter diſtinctas rationes producendi, quæ ſunt in producente, licèt ſit idem ſuppoſitum producens: ſicut productio artificialis, & naturalis diſtinguuntur per principia productiua, ſcilicet per artem, & naturam, licèt iſta concurrant in eodem ſuppoſito. Relationes autem producti non poſſunt ita concurrere in eodem ſuppoſito, & vna perſona, ſed ſunt diſtinctæ perſonaliter, quia productum eſt per ſe ſubſiſtens, & ſuppoſitum.

Alia ratio patet ex ſuperiori ratione, quia non poteſt idem produci duabus productionibus totalibus, licèt idem poſſit producere duabus productionibus totalibus, & ideò relationes producti non plurificantur in eodem, licèt relationes producentis poſſint plurificari.

Ad

Ad tertium [f], potentia finita non potest habere simul duos terminos adæquatos in *produci*, licèt possit habere vnum in *produci*, & alium in *producto esse*: potentia autem infinita habet terminum suum intra se semper in *produci*, & iste est adæquatus, & ideò non potest habere plures terminos. *Ad 3. Si semper homo generaret, non haberet nisi vnicum Filium, quare?*

COMMENTARIVS.

1. a NVnc restàt probare, quòd tantùm sit vna non producta. Hîc ostendit secundum principale. & primò recitat opinionem Henrici *quol.6. quæst.1.* quòd illud ostenditur, sicut ostenditur vnitas Dei. Hoc etiam ostendit per Hilarium cap.5. de Synodis. vbi vult, quòd qui dicit duos innascibiles confitetur duos Deos. Item, probat quia non sunt plura supposita absoluta: quia tunc natura diuina esset diuisa in illis: quia illa supposita absolutè non possent esse nisi tres substantiæ: erunt ergo plura relatiua, id est, plura supposita constituta in *esse* suppositali per relationem: aut ergo erunt constituta relatione mutua inter se, id est, quòd sicut Pater constituitur per paternitatem, ita & Filius per filiationem, quæ sunt relationes mutuæ: aut ad alia, scilicet supposita. Sed si essent plura supposita non producta, non distinguerentur relatiuè, id est, per relationes ad alia supposita: quia non per relationem ad alia supposita producentia: quia nulla sunt ex hypothesi, scilicet posito quòd sint plura non producta: illa non producta non sunt producibilia, quod tamen sequeretur, si distinguerentur per relationes ad alia producentia: tunc enim essent verè producta: sicut si Filius distinguitur filiatione à Patre producente, sequitur quòd Filius sit productus. Nec similiter illa plura non producta non distinguuntur per relationem ad alia producta: quia tunc haberent eandem relationem ad illa producta: quia si *A* & *B* sint producta à *C.* & *D*, tunc *C.* & *D*, referuntur eadem relatione ad *A.* & *B.* & si *C* & *D*, constituerentur in *esse* per relationes ad producta: tunc *C.* & *D* essent constituta eadem relatione: & per consequens, *C* & *D* essent simpliciter idem suppositum: quia haberent idem principium formale constitutiuum; & quòd *C* & *D* haberent eandem relationem, probat, quia Pater & Filius habent eandem relationem spirationis actiuæ ad Spiritum sanctum: ergo relatione inter se distinguerentur, id est, quòd prima persona præcisè distinguitur per relationem ad secundam, & secunda præcisè per relationem ad primam, & tertia per relationem ad primam, & secundam: quæ sunt relationes originis, id est, quæ notant, vel personam originare aliam, vel originari ab alia: & sic habetur propositum, quòd sit vna persona non producta, & sic patet ratio Henrici.

2. *Nota.* b *Similiter auctoritas Hilarij dicit, quòd ita est, non tamen probat ita esse.* quasi dicat: non sufficit dicere ita esse, nisi probet: ideò locus ab auctoritate debilis est: & maximè quando doctrina alicuius Doctoris non est in totum approbata ab Ecclesia, ita quòd contradicens illi de facto contradicat determinationi Ecclesiæ.

Ad rationem dicit Doctor quòd non plures esse personas absolutas non est magis notum conclusione, scilicèt quòd non sint plura ingenita: imò qui tenent personas constitui per absoluta, negant expressè posse esse plura ingenita: vt magis patet infrà *dist.20. & dist.28.* Nec sequitur diuisio naturæ in illis absolutis, vt patet *dist.26. huius.* Cùm vltrà accipit quòd illa plura ingenita non distinguuntur relationibus inter se: quia hoc non esset, nisi per relationes originis. Hanc consequentiam oportet probare, scilicet quòd non distinguantur, nisi per relationes originis. Hoc enim concesso statim haberetur propositum, vt suprà patuit. Sed qui diceret esse plura ingenita, haberet dicere, quòd constituerentur, non per relationes originis, sed per aliquid aliud: puta per negationem nascibilitatis. De hoc erit sermo infrà *d.28.q.vltima.*

c *Aliter persuadeo conclusionem intentam sic.* Et ratio stat in hoc, quòd quando aliquid potest diuidi in plura supposita eiusdem rationis: si non determinatur ad certum numerum suppositorum, per aliud à se quantùm est ex se potest esse in infinitis. Si ergo ingenitum potest esse in pluribus suppositis eiusdem rationis, cùm non possit determinari ad certum numerum suppositorum, cùm hoc sit contra rationem ingeniti, quòd sit determinabile ab alio: ergo in diuinis possunt esse infinita ingenita: & si possunt esse, necessariò actu sunt infinita: quia nihil est possibile in diuinis ad intrà, quin actu sit ibi necesse esse. 3.

Sed Ocham responderet hîc, sicut respondet *quæst.1. prologi 1.* quòd non est demonstrabile, quòd species plurificabilis non determinat se ad certum numerum indiuiduorum: quia non potest demonstrari, quin aliqua astra sint eiusdem speciei: & tamen illa, secundùm Philosophos determinant sibi certum numerum indiuiduorum sub qualibet specie, ita quòd per nullam potentiam possunt plura fieri sub illa specie. *Respondet Ocham ad rationem Doctoris.*

Sed hæc ratio non concludit, quia etsi plura indiuidua secundùm certum numerum contineantur sub aliqua specie, hoc non erit secundùm naturam illius speciei, sed per aliquod extrinsecum. Doctor autem loquitur quòd est ex se plurificabile in plura eiusdem rationis, ex se non determinatur ad certum numerum indiuiduorum: & si determinetur, hoc erit aliunde.

Deinde quando dicit Ocham, quòd non potest demonstrari, quòd aliqua species astrorum si potest esse in pluribus indiuiduis, quòd etiam possit esse in infinitis; haberet hoc probare, quòd non possit demonstrari: sed ista materia dimittatur vsque ad *quæst.2. quolib.* Scoti, quia ibi diffusè pertractatur: & clariùs patebit quòd responsio Ocham ad argumentum Doctoris non euacuat illud. Sequentia clara sunt.

d *Ad argumenta principalia.* Primum argumentum cum sua responsione clarum est. Et quod dicit de relationibus in communi, difficultas est, an à pluribus relationibus productiui possit abstrahi vnum commune, puta productiuum: & si sic, possumus dicere, quòd producens vna relatione refertur ad productum: sub qua tamen relatione in communi continentur duæ relationes producentis ad duo producta: & similiter à duabus relationibus productorum potest abstrahi relatio producti in communi, qua tamen continentur duæ relationes duorum 4.

duorum productorum. Et sic potest responderi ad argumentum: quòd sicut relatio producentis constituit ipsum producens in *esse* personali: ita relatio producti in diuinis constituit ipsum productum in communi: sed non sequitur modo de relationibus in particulari: quia duo producta constituuntur in *esse* per aliam, & aliam relationem: ergo & duæ relationes producentis constituunt aliud, & aliud producens, non sequitur: quia vna persona tantùm constituitur in *esse* per primam relationem originis, scilicet per productionem Filij.

5. e *Ad secundam rationem.* Dicit Doctor quòd relationes producti possunt distingui propter distinctas rationes producendi, quæ sunt in producente: licèt sit idem suppositum producens. Nam generatio passiua, & spiratio passiua distinguuntur per distinctas rationes producendi: istæ distinctæ rationes producendi sunt intellectus, & voluntas: & sic vna productio est per modum naturæ, quæ est ab intellectu: & alia quæ est per modum libertatis, est à voluntate: & istæ duæ relationes, sic distinctæ distinguunt etiam formaliter, & intrinsecè duo producta: & quæ sunt principia distinguendi formaliter, sunt etiam principia constituendi formaliter, vt patuit suprà *in quæst. de praxi.*

Quomodo distinguantur generatio passiua, & spiratio passiua.

Si dicatur, nónne etiam generatio actiua, & spiratio actiua distinguuntur? Dico, quòd sic. Et per quid distinguuntur.

Dico, quòd per intellectum, & voluntatem in Patre, & loquor semper de distinctione originatiua. Sicut enim generatio passiua, & spiratio passiua dicuntur distingui originatiuè, siue principiatiuè per intellectum, & voluntatem: formaliter verò seipsis distinguuntur: sic generatio actiua, & spiratio actiua. Sed vltrà non sequitur. Generatio actiua, & spiratio actiua distinguuntur propter diuersas rationes producendi: ergo constituunt aliud, & aliud suppositum. Non sequitur, quia illæ duæ relationes sunt formaliter in vno supposito: & similiter principia productiua sunt in eodem, & tantùm per primam suppositum constituitur in *esse*.

f *Ad tertium.* Quod dicit Doctor quòd ideò potentia infinita non potest habere plures terminos adæquatos, puta intellectus: quia semper habet vnum adæquatum in *produci*: & hæc est bona responsio. Sed posito per impossibile, quòd non habeat semper vnum adæquatum in *produci*: an possit habere plures terminos, vel plures productiones eiusdem rationis. Dico, quòd non, quia memoria fœcunda sic est determinata ad hanc generationem, vt hanc: quòd si, per impossibile, illa non esset, nullam aliam posset habere: vt patet subtiliter à Doctor *in q. 2. quolib.* 6.

SCHOLIVM.

Ad quartam quæstionem quæ est 1. 2. partis, constat ex quæstione præced. simul stare vnitatem essentiæ, cum trinitate personarum: hoc tamen vlteriùs declarat, & præmittens naturam & suppositum non se habere sicut vniuersale & singulare, nec sicut quo *&* quod, *probat essentiam diuinam esse communicabilem, quatuor rationibus. Prima, quia id conuenit naturæ creatæ. Secunda, est perfectio simpliciter: ergo compossibilis omni supposito. Tertia, non obstat, suppositum quod est ei idem realiter, esse incommunicabile. Quarta, anima rationalis sine sui extensione, vel distinctione, quia aliquo modo illimitata, potest perficere plures partes materiæ: ergo seclusa imperfectione, potest essentia diuina illimitata, dare esse diuinum pluribus sine sui diuisione.*

38. AD primam quæstionem [a] dico, quòd simul stant vnitas essentiæ, & pluralitas personarum, quod apparet ex solutione quæstionis præcedentis, quia simul est ibi pluralitas cum ista vnitate.

Ad quæst. 4. superiorem. seu 1. 2. part.

Ad hoc autem aliqualiter declarandum, notandum est, quòd sicut repugnantia repugnant ex suis propriis rationibus, ita non repugnantia sunt compossibilia ex propriis rationibus.

De hoc suprà q. 1. via 4.

Ad videndum autem istam compossibilitatem, videnda est ratio extremorum, scilicet naturæ, & suppositi. Vbi notandum [b], quòd natura non se habet ad suppositum sicut vniuersale ad singulare, quia in accidentibus inuenitur singularitas sine ratione suppositi, in substantia etiam: nostra enim natura atoma assumpta est à Verbo, secundùm Damascenum, non tamen suppositum nostræ naturæ: neque se habet natura ad suppositum sicut *quo* ad *quod.* Nam cuicunque *quo* correspondet proprium *quod*, vel *quis.* & ita sicut natura est *quo*, ita habet proprium *quod*, vel *quis*, quod non contrahitur ad suppositum. & sicut suppositum est *quod*, vel *quis*, ita habet suum *quo* proprium, quo subsistit, & tamen suppositum comitanter de necessitate est singulare, & etiam non potest esse *quo* respectu alterius, quia est subsistens, non potens esse actus alicuius subsistentis. Consistit ergo ratio suppositi in duplici incommunicabilitate.

Lib. 3. c. 2. Natura & suppositum non se habent vt quo & quod, de hoc Scotus infrà d. 4. q. 2.

Vbi sciendum [c], quòd communicabile dicitur aliquid, vel per identitatem, ita quòd illud cui communicatur sit ipsum, vel per informationem, ita quòd illud cui communicatur sit ipso, non ipsum. Primo modo vniuersale communicatur singulari: & secundo modo forma materiæ. Natura igitur quæcunque, & quantum est ex se, & de ratione naturæ est communicabilis vtroque modo, videlicet pluribus suppositis, quorum

Natura dupliciter est communicabilis: persona dupliciter incommunicabilis.

quorum quodlibet sit ipsum,& etiam,vt quo tanquam forma quâ singulare, vel suppositum sit ens quiditatiuè,vel habens naturam. Suppositum autem est incommunicabile duplici incommunicabilitate sibi opposita.

Ex his declaratur [d] propositum,& primò sic: natura quæcunque est communicabilis pluribus per identitatem: igitur natura diuina est communicabilis. Hoc etiam patet ex quæstione præposita. Non est autem diuisibilis,ex quæstione de vnitate Dei, igitur communicabiliter sine diuisione.

Hoc etiam arguitur [e] sic; Natura diuina & quidquid inest naturæ, vt natura est, est perfectio simpliciter: omnis perfectio simpliciter est communicabilis pluribus: ergo, &c. Minorem probo, *perfectio simpliciter est quæ melius est ipsum esse, quàm non ipsum.* Anselmus *Monol. cap.* 15. quod sic intelligitur, quòd perfectio simpliciter est melius, quocunque sibi incompossibili in quolibet supposito absolutè considerato, hoc est, non determinando in qua natura sit illud subsistens; sed si natura diuina determinaret se ad subsistentiam incommunicabilem, ipsa in nullo esset melior quocunque sibi incompossibili, nisi in illa subsistentia ad quam se determinaret: quia cuilibet alij subsistentiæ esset incompossibilis: igitur non esset perfectio simpliciter. 39.

Perfectio simpliciter quid?

Item perfectio simpliciter est, quantùm est ex se, quolibet sibi incompossibili, melior cuilibet supposito, absolutè sumpto, secundùm rationem suppositi, natura diuina non est sic melior, ex hypothesi; igitur, &c. Minorem probo, ipsa ex se determinat sibi vnicam subsistentiam: igitur ipsa in se est incommunicabilis cuilibet alteri subsistentiæ etiam præcisè acceptæ, vt est subsistentia altera, non considerando scilicet quòd sit in altera natura,& vltrà: igitur ipsa ex se non est melior alteri, vt est altera subsistentia. Probatur prima consequentia,quia sicut ex se determinat sibi vnicum, ita repugnat sibi quodlibet alterum incompossibile illi: ex hypothesi, natura diuina determinat sic, non tantùm subsistentiam, qua sit in vna natura, quia cum hoc staret trinitas; sed subsistentiam hanc vnicam,& vt hanc in ratione subsistentiæ, non concernendo tantùm,quia in hac natura.

Natura diuina non esset perfectio simpliciter si non posset esse in pluribus.

Secunda consequentia probatur,quia sicut est incompossibile huic,ita non est melius huic,quàm quodcunque sibi incompossibile.

Hoc etiam [f] arguitur ex parte rationis suppositi. Quia enim suppositum de ratione sui est incommunicabile simpliciter, & ideò ratio suppositi non est perfectio simpliciter, modo prædicto; non oportet illam rationem includere quamlibet rationem entis per identitatem, & ita potest stare alia ratio distincta suppositi. Si autem possunt stare duæ rationes distinctæ suppositi: igitur & duo supposita distincta, etiam sine diuisione naturæ:ergo,&c.

Hoc propositum quartò [g] declaratur ex infinitate, quæ est conditio naturæ, & hoc sic: Forma, quæ est aliquo modo illimitata in perficiendo materiam sine sui distinctione & extensione qualicumque, potest perficere plures partes materiæ. Exemplum: anima intellectiua,quæ non est limitata ad perficiendum hanc partem corporis organici sine sui diuisione & extensione qualicunque, vel per se, vel per accidens, potest perficere aliam partem corporis organici. Ista enim proprietas, videlicet quòd forma non distinguatur, & tamen perficiat plures partes corporis, vel materiæ, non competit animæ ratione imperfectionis: quia ipsa ponitur forma perfectissima inter omnes formas naturales: omnes autem aliæ imperfectiores carent isto gradu in perficiendo. Omnes enim limitantur ad perficiendum, nec perficiunt plures partes materiæ sine extensione per accidens: ex hoc arguo sic: si talis vnitas sit cum pluralitate, & non ex imperfectione illius, quod est vnum: igitur subtracto omni eo, quod est imperfectionis ex vtraque parte, potest stare perfecta vnitas cum pluralitate: sed quòd anima perficiat materiam,hoc est imperfectionis in ea:quòd etiam illa plura perfecta sint partes eiusdem totius,hoc etiam est imperfectionis. 40.

Anima sine sui extensione informat plures partes materiæ.

Si igitur tollatur ab anima,hoc, quod est perficere materiam,& à pluribus illis distinctis, hoc quod est esse partes vnius totius: remanebit forma habens perfectam vnitatem: sed non informans materiam, sed dans totale *esse:* & hoc pluribus distinctis, quæ non erunt partes vnius totius,sed erunt per se subsistentes: & tunc erit vna natura dans totale esse pluribus suppositis distinctis: ergo essentia diuina, quæ est penitus illimitata, à qua aufertur quicquid est imperfectionis, potest dare totale *esse* pluribus suppositis distinctis.

COMMENTARIVS.

1. a *AD primam quaestionem*, in qua quaerebatur, *An possibile sit cum vnitate essentiæ diuinæ stare pluralitatem personarum?* In ista quæstione Doctor declarat primò rationem suppositi:& deinde probat intentum principale.

Primum ibi: *Ad videndum autem istam incompossibilitatem videnda est ratio extremorum, scilicet naturæ, & suppositi.* Et vt ista litera clariùs intelligatur, præmitto aliqua. Primum: ista differunt inter se *indiuiduum*, siue *singulare*, quod idem est; *suppositum*, & *persona*. Indiuiduum propriè, siue singulare in creaturis est quid constitutum ex natura, & hæcceitate. ita quòd hæcceitas est quædam entitas positiua actualis, contrahens naturam ad *esse* singulare; siue ad *esse* incommunicabile vt *quod*: vt subtiliter patet à Doctore infrà *distinct. 5. quæst. 2.* & magis diffusè *in 2. distinct. 3. in quæstionibus de indiuiduatione.* Nam esse incommunicabile propriè vt *quod* est non habere aliquid inferius de quo possit prædicari in recto, siue prædicatione dicente, *hoc est hoc*: & hoc modo quodlibet singulare in quocunque Prædicamento est simpliciter incommunicabile *vt quod*, vt patet. Et dixi de singulari in creaturis: quia nulla natura creata est de se *hæc*: hoc est, ex sua ratione formali: sed est contrahibilis per aliam, & aliam hæcceitatem: vt clarè exposui *super dist. 3. secundi.* In diuinis verò non ponimus singularitatem posse determinare, vel contrahere naturam diuinam, vt dicatur singularis: quia ipsa de se, & de sua ratione formali est *hæc*: vt subtiliter patet infrà *d. 5. q. 2. & d. 26. & quæst. 1. quol.*

Differentia inter indiuiduum, suppositum, vel singulare, & personam.

Hæcceitas quid sit.

Incommunicabile vt quod.

Natura diuina de se, & de sua ratione formali est hæc.

2. *Dubium.* Sed si dicatur. ex quo singulare est incommunicabile vt *quod*. ergo essentia diuina erit incommunicabilis vt *quod*: quod est falsum: nam hæc est vera, *Pater est Deus: Filius est Deus, &c.*

Responsio. Respondeo, quòd ideò locutus sum de singularibus in creaturis, quia est impossibile dari aliquod singulare, quod sit communicabile pluribus singularibus: non sic est de essentia diuina, quæ est pluribus suppositis communicabilis, de quibus essentialiter prædicatur.

Obiectio. Si dicatur, nonne albedo est singularis? & tamen hæc albedo potest alteri communicari, vt *quod*? cùm hæc sit vera: *hic paries est albus hac albedine.* *Solutio.* Dico, vt dixi suprà, quòd cùm dico *singulare est incommunicabile vt quod*, debet intelligi quiditatiuè, & essentialiter, id est, quòd non possit communicari alteri, vt sit de essentia, & quiditate illius: non autem debet intelligi denominatiuè, & accidentaliter: & sic patet de ratione singularis.

Quid addit suppositum vltra singulare. Suppositum vltra singularitatem, qua est incommunicabile, vt *quod*: addit etiam negationem communicabilitatis vt *quo*, ita quòd suppositum propriè est incommunicabile, vt *quo*, & vt *quod*: dicit enim entitatem per se existentem, & subsistentem omnino incommunicabilem, & vt *quo*, & vt *quod*: sicut Franciscus, & Ioannes, hic lapis, & huiusmodi: & sic suppositum tantùm reperitur in prædicamento Substantiæ. Sed an vltra singularitatem, quæ est ens positiuum, ratio suppositi vltimata dicat aliquam entitatem positiuam constituentem in *esse* suppositali, an tantùm dicat negationem communicabilitatis, &c. Hoc diffusè exposui sustinendo vtranque partem super *quæst. 1. dist. 1. tertij*, & Deo duce subtiliter exponam in isto primo *dist. 23. vel 28.* quia ibi erit magis ad propositum: sed pro nunc sufficiat, quòd suppositum sit simpliciter incommunicabile, & vt *quo*, & vt *quod*, & quid sit communicari vt *quo*. Dico communicari propriè vt *quo*, contingit dupliciter. Vno modo perficiendo. Alio modo vt aliquid propriè vnitur alteri: non tamen perficiendo illud. Primo modo dicimus, quòd omnis forma partis, siue substantialis, siue accidentalis, potest communicari alteri, perficiendo illud: ita quòd sit actus informans, & perficiens: sicut dicimus quòd corpus est animatum hac anima: & hic paries est albus hac albedine. Secundo modo, vt aliqua natura singularis apta nata suppositari, vnitur alteri supposito: non tamen informando, aut perficiendo illud: sicut natura humana vnitur supposito diuino, ita quòd tantùm ibi sustentatur: sed nullo modo perficit illud: & sic dicimus, quòd Verbum est homo humanitate.

Communicari vt quo cõtingit dupliciter.

Natura humana vnitur supposito diuino, sed nullo modo perficit suppositum diuinum.

Si etiam natura humana singularis vniretur alteri supposito, puta alicui alij, non perficeret, neque informaret illud: repugnat enim naturæ singulari natæ suppositari in se: vel in se subsistere, quòd sit forma informans, siue perficiens aliud suppositum: vt patet à Doctore *quæst. 9. quolib.* Est tamen differentia inter illud, quod propriè communicatur vt *quod*: & ex consequenti communicatur vt *quo*: & inter illud, quod communicatur impropriè, vt *quod*, & impropriè vt *quo*. Quia primo modo illud quod communicatur vt *quod*, dicit totam essentiam illius, cui communicatur in concreto: & illud tale, vt dicitur communicari vt *quo*, dicit totam essentiam in abstracto: *totam* dico si est species specialissima; partem verò essentiæ, si est genus, vel differentia. Exemplum: Franciscus est homo quiditatiuè, & dicitur humanitate homo. Secundo verò modo illud, quod communicatur vt *quod* impropriè, non est de essentia; nec de quiditate illius, cui communicatur: & dicitur communicari vt *quod*; quando prædicatur de illo in concreto: & dicitur communicari vt *quo* impropriè, quando illud sumptum in abstracto non est de essentia, nec de quiditate illius. Exemplum, Franciscus est albus albedine: vel Verbum est homo humanitate: & de istis multa vide in expositione, quam feci super *1. quæst. dist. 1. tertij.* 3.

Differentia inter cõmunicari propriè vt quod, & quo, & impropriè.

Ex his patet differentia inter *singulare*, & *suppositum*: quia singulare potest communicari vt *quo*, differenter tamen: quia singulare quod est aptum natum per se subsistere, si communicatur alicui supposito vt *quo*: non tamen informat, nec perficit illud: singulare verò, quod non est aptum natum in se subsistere, si communicatur alteri vt *quo*, perficit, & informat illud: & sic omne singulare est communicabile vt *quo*: suppositum verò, nec vt *quo*, nec vt *quod* est aliquo modo communicabile. Sed *persona* vltra rationem suppositi addit, quòd sit alicuius intellectualis: ita quòd persona est suppositum in substantia intellectuali, & est incommunicabilis & vt *quo*, & vt *quod*: sicut Franciscus, vel Ioannes ita quòd Franciscus vt est suppositum substantiæ prædicamentalis, dicitur tantùm suppositum: vt verò consideratur, vt suppositum naturæ intellectualis, dicitur persona. 4.

Singulare, indiuiduum, suppositum, & persona differunt.

Suppositum naturæ humanæ consideratur dupliciter.

His

5. b His præmissis patet litera Doctoris. Quia tamen sunt ibi aliqua difficilia in verbis tantùm, declaro illa incipiendo ibi: *Vbi notandum quòd natura non se habet ad suppositum: sicut vniuersale ad singulare*, id est, quòd natura, vt singularis, siue contracta per singularitatem, & natura vt contracta ad suppositum, non sunt idem: patet, quia vnum potest reperiri sine alio, quia natura singularis potest reperiri sine ratione suppositi, vt patet in omnibus accidentibus, quæ sunt communicabilia vt *quo*: & patet etiam de natura nostra atoma, id est, singulari assumpta à Verbo, etsi communicetur vt *quo*: sed vbi est ratio suppositi, nullo modo est communicabile vt *quo*, nec vt *quod*. Vel sic, natura ad suppositum non se habet sicut vniuersale ad singulare, id est, quòd non eo modo distinguitur natura à supposito, sicut vniuersale à singulari: ita quòd suppositum dicat præcisè singulare: quia stat aliquid esse singulare, & non suppositum: vt hæc albedo est singularis, & non suppositum. Sequitur:

6. *Vnicuique quo, propriū correspondet suum quod.* *Neque se habet natura ad suppositum, sicut* quo *ad* quod, id est, quòd suppositum naturæ non dicitur proprium *quod* ipsius naturæ, & sic suppositum, & natura non dicuntur præcisè distingui vt *quo*, & vt *quod*, ita quòd suppositum sit proprium *quod*, vel *quis* ipsius. Nam cuicunque *quo* correspondet proprium *quod*, vel *quis*: sicut dicimus, quòd humanitati correspondet proprium *quod*: quod est homo, quia homo est humanitate homo. Sequitur,

Et ita sicut natura est quo, vt humanitas, vel Deitas: *ita habet proprium quod, vel quis*, vt homo, vel Deus. Sequitur,

Quod non contrahitur ad suppositum, id est, quòd illud *quod*, quod est proprium naturæ, non includit rationem suppositi. Nam Deus est proprium *quod*, vel *quis*, respectu naturæ diuinæ, vel Deitatis: vt patet à Doctore infrà *dist.* 4. *quæst.* 2. & tamen non est suppositum, nec includens rationem suppositi, & sic debet intelligi. Sequitur,

7. *Et sicut suppositum est* quod *vel* quis: *ita habet suum* quo *proprium, quo subsistit.* Exemplum. Hoc subsistens hac subsistentia subsistit; vel ratione hac formali subsistendi subsistit; vel hoc suppositum hac suppositalitate est suppositum; siue hac ratione suppositali est suppositum.

Suppositū includit duplex quo. Nota tamen, quòd suppositum includit duplex *quo*: cui correspondet proprium *quod*: vnum est ratio essendi quiditatiuè, & aliud est tantùm ratio subsistendi. Exemplum primi, hoc suppositum est homo humanitate. Exemplum secundi: hoc suppositum est suppositum suppositalitate. Sequitur,

Et tam suppositum concomitanter de necessitate est singulare: quia ratio formalis suppositi, tantùm inest naturæ singulari, vt exposui *in* 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. Sequitur,

8. *Quomodo dicatur aliquid communicabile propriè.* c *Et etiam non potest esse quo respectu alterius.* Et parum infrà ibi: *Vbi sciendum, quòd communicabile dicitur aliquid, vel per identitatem, ita quòd illud cui communicatur sit ipsum*, id est: quòd communicabile propriè vt *quòd* sic per identitatem communicatur, vt illud, cui communicatur, dicatur ipsum in recto quiditatiuè, & essentialiter: sicut dicimus, quòd homo communicatur Francisco vt *quod*: & tunc sensus est, quòd Franciscus est homo essentialiter, & quiditatiuè. Sequitur,

Vel per informationem, ita quòd illud, cui communicatur, sit ipsô, non ipsum, id est, quòd illud propriè communicatur, vt forma perficiens, dicatur *quo* respectu illius, cui communicatur, & non *quod*, sic intelligendo, quòd non sit ipse per identitatem essentialem, & quiditatiuam. Exemplum: Anima communicatur corpori, & sic est *quo* respectu corporis: non tamen est quod illius essentialiter, & quiditatiuè: quia hæc est falsa, quòd corpus sit anima: vel quòd corpus essentialiter, & quiditatiuè sit animatum. Sequitur, *Quomodo anima communicetur corpori.*

Natura igitur quæcunque, & quantùm est ex se, & de ratione naturæ, est communicabilis vtroque modo: videlicet pluribus suppositis: quorum quodlibet sit ipsum: & etiam vt quo, tanquam forma, non tamen informans: sed tanquam forma, qua singulare, vel suppositum sit ens quiditatiuè, & sic patet litera Doctoris.

d *Ex his declaratur propositum*, &c. Secundum principale in isto articulo est quòd natura diuina est communicabilis pluribus suppositis: ita quòd quodlibet sit ipsum, supple essentialiter, & quiditatiuè. videlicet quòd hæc sic vera: *Pater est quiditatiuè Deus*, & Filius similiter, & Spiritus sanctus. Et hoc probat tribus mediis, & vno exemplo. 9. *Natura diuina est communicabilis pluribus suppositis.*

Prima ratio stat in hoc, quòd quælibet natura est pluribus communicabilis per identitatem: ergo & natura diuina cùm sit perfectissima; & remouet vnum dubium: quia aliquis posset dicere, quòd est pluribus communicabile, est diuisum in illis: hoc patet, quia homo communicatur pluribus suppositis, & per consequens quot sunt supposita hominis, tot sunt realiter humanitates: oportet ergo quòd communicabile pluribus sit vniuersale. Hoc dubium remouet cùm dicit, quòd natura diuina est simpliciter indiuisibilis, cùm sit impossibile esse plures naturas diuinas, vt probatum est supra *in quæst.* 1. *præsentis d.* cùm ergo sit communicabilis, sequitur quòd erit communicabilis tantùm per identitatem: ita quòd sit simpliciter eadem in pluribus suppositis. *Essentia diuina est communicabilis tantùm per identitatem.*

10. *Perfectio simpliciter quod sibi vult.* e Secunda ratio est ibi: *Hoc etiam arguitur*, &c. Sed quia hoc argumentum concludit ex ratione perfectionis simpliciter. Vt clariùs intelligatur aliqualiter declaro quid sit perfectio simpliciter cùm dicit: quòd *quicquid inest naturæ diuinæ vt natura est, est perfectio simpliciter*, id est, quia natura diuina, vt sic est prior natura omnibus proprietatibus, quicquid inest in illo priori naturæ est perfectio simpliciter: & sic insunt sibi omnia dicentia perfectionem: nam omnis perfectio diuina est prior omni proprietate personali: vt patet à Doctore *quæst.* 1. *quodl.* & per consequens quicquid inest naturæ diuinæ, in illo priori naturæ est perfectio simpliciter. Post sequitur declaratio perfectionis simpliciter.

Vnde nota, quòd duplex est perfectio, scilicet *simpliciter*, & est illa quæ ex sua ratione formali excludit omnem imperfectionem. Alia est perfectio *limitata*, & dicitur illa, quæ ex sua ratione formali semper includit imperfectionem: vt omne ens creatum, & dependens ab alio, quodcunque sit illud. *Duplex est perfectio.*

Et nota, quòd illa res dicitur non includere ex sua ratione formali aliquam impefectionem: quæ vt in summo accepta excludit omnem imperfectionem, & realiter includit omnem perfectionem: vel saltem formaliter dicit perfectionem infinitam: & illa res dicitur ex sua ratione formali includere imperfectionem quæ in summo accepta adhuc includit imperfectionem *Declaratio perfectionis simpliciter.*

Exemplum primi: *Ens, vnum, verum, bonum, res, intellectus, voluntas, intellectio, volitio, sapientia*, & huiusmodi. Ista enim accepta in summo, vt puta, *Summa entitas, summa veritas*, &c. omnem excludunt imperfectionem, & omnem perfectionem simpliciter includunt, saltem per emmentiam. Exemplum secundi; natura Angelica, & natura humana etiam in summo accepta, non excedendo limites naturæ Angelicæ, semper includunt imperfectionem, quia limitationem & dependentiam.

11. Tertiò nota, quòd omnes perfectiones simpliciter sunt compossibiles in eodem realiter, hoc est de se notum, quia si detur infinitum ens, illud realiter erit infinitum bonum, infinitum sapiens, & huiusmodi. Similiter si detur infinitum bonum illud erit realiter infinitum ens.

Aliquid esse perfectionem alterius contingit dupliciter.

Quartò nota quòd aliquid esse perfectionem alicuius contingit dupliciter, aut vt est suppositum naturæ limitatæ, aut vt est suppositum naturæ omnino illimitatæ: puta entis, boni, veri, & huiusmodi. Primo modo aliqua perfectio limitata est melius tali supposito, quàm perfectio simpliciter in summo accepta: patet, quia melius est lapidem, vt est suppositum lapidis esse album, quàm sapientem; quia primum est perfectio sibi conueniens, & secundum est perfectio omnino repugnans: non enim dicitur aliquid esse melius per aliquod, quod omnino sibi repugnat. Secundo verò modo, vt est suppositum naturæ illimitatæ: tunc omnis perfectio simpliciter nata est competere illi: patet, quia melius est Franciscum, inquantum suppositum entis, esse substantiam infinitam, quàm finitam: patet, quia infinitas non repugnat entitati: nec per consequens alicui supposito entis, inquantum entis.

12.

Melius est ipsum quàm non ipsum, quomodo intelligatur.

Quintò nota quòd quando dicitur *perfectio simpliciter, est melius ipsum, quàm non ipsum*, &c. debet accipi ly *non ipsum* pro suo incompossibili: non autem pro contradictorio, vt notat Doctor *in quæst. 5. Quodlib.* Patet, quia melius est lapidem esse, quàm non esse, & tamen lapidem esse, non est perfectio simpliciter, sed limitata: incompossibile ergo est perfectioni simpliciter omne illud, quod ex sua ratione formali includit imperfectionem. Et sic dico, quòd omnis perfectio simpliciter est communicabilis cuicunque supposito naturæ omnino illimitatæ, transcendentis: patet, quia accipiendo quodcunque ens, vt suppositum entis, sibi non repugnat aliqua perfectio simpliciter, cùm etiam illa nullo modo repugnet entitati: *Perfectio ergo simpliciter*, scilicet excludens ex sua ratione formali omnem imperfectionem, & includens omnem perfectionem in summo, est melius ipsum, quàm non ipsum, siue quàm suum incompossibile, id est, est melius simpliciter ipsam esse in quolibet supposito absolutè considerato, quàm non esse, id est, melius est simpliciter suppositum habere illam, quàm suum incompossibile, quia habendo illam est melius simpliciter: habendo verò suum incompossibile, puta quodcunque ens limitatum non est melius simpliciter, sed tantùm secundùm *quid*, & limitatè.

His declaratis patet ratio Doctoris, quia ex quo natura diuina est perfectio simpliciter: si ipsa esset incommunicabilis, tunc non esset melius ipsam esse in quolibet supposito, quàm non esse, & sic non esset perfectio simpliciter, & patet ratio.

f Tertia ratio est ibi: *Hoc etiam arguitur ex parte rationis suppositi.* Et quod dicit ibi: *non oportet illam rationem includere quamlibet rationem entis per identitatem*, id est, quòd non oportet rationem suppositi includere quamlibet rationem entis per identitatem. Hoc dicit Doctor propter perfectionem simpliciter: quia perfectio simpliciter in quocunque est per identitatem realem, includit omnem entitatem, quæ est in illo: vel ipsa est inclusa realiter in omni alio quod est in illo. Exemplum, essentia diuina est perfectio simpliciter, & includit realiter quicquid est in Deo: & similiter sapientia diuina est idem realiter cum omni illo, quod est in Deo: ratio autem suppositi, puta Filij in diuinis, non includit realiter omnem entitatem, quæ est in Deo: patet, quia non includit realiter paternitatem, nec spirationem passiuam, cùm realiter distinguatur ab illis: ergo istæ tres rationes suppositales (cùm vna non includat aliam realiter) possunt esse ibi, scilicet in essentia diuina, vt realiter distinctæ: ergo & constituta per istas relationes suppositales, & sic patet, quòd non repugnat naturæ diuinæ simplicissimæ, perfectissimæ, & singularissimæ esse in pluribus suppositis, & hoc intendit Doctor in ista ratione. 13.

Essentia diuina est perfectio simpliciter.

g *Hoc quartò declaratur ex infinitate*, &c. Ista persuasio est per quoddam exemplum satis clarum, & ad propositum, & procedit à fortiori: quia scilicet essentia diuina est simpliciter illimitata, & hoc ratione suæ infinitatis. Dicit ergo: *anima intellectiua, quæ est aliqualiter illimitata in perficiendo partes corporis indiuisibiliter*, id est, quòd nullo modo extenditur, nec per se: *sicut quantitas quæ est per se*, id est, ratione sui præcisè extensa: nec per accidens, sicut albedo extenditur: quia ad extensionem quantitatis; & dicitur aliquid extendi per accidens dupliciter: vel quia recipit quantitatem; & sic forma substantialis corporalis, vt forma ignis, extenditur per accidens: vel quia recipitur in quanto, partibiliter tamen, ita quòd vna pars recepta potest signari in vna parte quanti: & alia in alia. Nullo istorum modorum anima intellectiua extenditur: imò tota, & indiuisibiliter est in qualibet parte corporis, & hoc modo dicitur aliqualiter illimitata, quia sine sui diuisione perficit plura perfectibilia. & notanter dicit *de anima intellectiua*, quia aliæ animæ fortè extenduntur per accidens secundùm multos, & præcipuè secundùm ipsum. Licèt etiam albedo cubitalis perficiat plures partes, tamen quia perficit illas partes tantùm secundùm aliam, & aliam sui partem, non dicitur aliquo modo illimitata, quia vna pars signata præcisè perficit illam signatam. 14.

Essentia diuina est simpliciter illimitata.

Duplex extensio per accidens.

Nota hic de anima sensitiua.

Dicit etiam Doctor quòd perficere plures partes sine sui diuisione, est simpliciter perfectionis: quia anima intellectiua ponitur forma perfectissima inter omnes formas naturales: non quòd sit producta ab agente naturali, dicitur naturalis, cùm à solo Deo immediatè producatur, vt patet per Philosophum 16. de Animalibus: sed dicitur naturalis, quia perficit corpus naturale, & quomodo, vide Doctorem *in 4. dist.* 43. 15.

Anima intellectiua immediatè producitur à Deo.

Dicit etiam quòd perficere materiam est imperfectionis; non est imperfectionis ex hoc solo, quòd perficit, sed magis concomitanter: quia forma perficiens materiam dependet à materia, & vltrà est pars alicuius compositi, & ista sunt

Quare dicatur naturalis.

sunt imperfectionis. Similiter partes corporis, vt partes, dicunt imperfectionem, vt patet infra *d.8. quæst.1. & etiam præsenti dist. quæst.1.* Si ergo tollatur à partibus corporis ratio partis: sed quòd sint per se supposita subsistentia in eadem natura: & similiter tollatur ab anima, quòd formaliter perficiat illas partes: & hoc per informationem, & inhærentiam, erit exemplum multùm ad propositum: quia tunc eadem natura numero erit communicata pluribus suppositis: ita quòd illa supposita erunt subsistentia in tali natura. Intelligendo etiam quòd illæ partes nullum *esse* supple quiditatiuum, & dicens perfectionem habeant in se, vltra ipsam animam: sed quòd tantùm includant proprietatem hypostaticam, qua subsistunt in tali natura: sicut etiam personæ diuinæ vltra essentiam, in qua subsistunt, nullum *esse* quiditatiuum dicens perfectionem includunt, sed tantùm proprietatem personalem: ita quòd ipsæ personæ dicuntur simpliciter habere *esse*, & totam perfectionem essentialem, quia habent essentiam diuinam. Sed dico etiam, quòd illæ partes corporis, quæ ponuntur per existere, & non partes alicuius: & quæ ponuntur subsistere in anima, debent intelligi, quòd nullum aliud *esse* includant præter proprietates: ita quòd præcisè illæ proprietates hypostaticæ sunt rationes subsistendi in natura ipsius animæ: aliter exemplum non esset non ad propositum: & hoc magis patebit *infrà distinct. 5. quæst. 1. & dist.26.*

16. *Prima difficultas circa rationes Doctoris.* Sed circa aliqua dicta Doctoris in istis rationibus superiùs positis, occurrunt aliquæ difficultates. Prima est in prima ratione Doctoris: vbi dicit, quòd *quæcunque natura est in pluribus communicabilis*: nam ex hoc videtur sequi, quòd natura Solis sit pluribus communicabilis, quod est contra mentem Philosophorum, & sic de aliis stellis. Sed de hac difficultate parum est curandum, quia apud Doctorem & apud communiter Theologos, non negaretur quicquid sit de mente Philosophorum; non enim est præsentis speculationis hoc pertractare. Sed maior difficultas videtur sequi, quia si natura diuina est pluribus communicabilis, quantùm est ex natura sua, sequitur quòd sit in infinitis suppositis communicabilis per argumentum Doctoris *in primo dist.2. quæst. 1. & in quodl. quæst.2. & alibi:* quod est indeterminatum ad plura eiusdem rationis, nisi aliunde determinetur, quantùm est ex parte sua, potest esse in infinitis: si ergo essentia diuina est indeterminata ad plura supposita, quantum est ex parte sua: ergo potest esse in infinitis, nisi aliunde determinetur: & si potest esse: ergo actu est. Hanc consequentiam vltimam facit Doctor vbi suprà.

Respondeo, quòd essentia diuina est simpliciter determinata ad certum numerum suppositorum: ita quòd est impossibile ipsam esse in pluribus, vel in paucioribus. Et cùm quæritur à quo determinatur? Dico, quòd propter duplicem rationem formalem producendi est tantùm in vno Filio, & tantùm in vno Spiritu sancto: ita quòd intellectus est ita determinatus ad hanc productionem Filij, quòd est impossibile habere aliam, etiam ipsa circumscripta. Hoc idem dico de voluntate, respectu productionis Spiritus sancti, & hoc patet subtiliter à Doctore *in 2. quæst. quodl.* & quia non potest esse in persona producta, nisi de necessitate sit in persona non producta: ideò tantùm est in tribus. Si quæratur, vnde est determinata tantùm ad vnam personam improductam, ita quòd non ad plures? Dico, quòd à semetipsa, quia est talis natura, quòd est simpliciter impossibile ipsam posse esse in pluribus suppositis non productis. Et de hoc patebit infrà *dist. 28.* Est etiam alia ratio, quæ est Doctoris *in 2. quæst. huius partis*, quare non potest esse in pluribus productis, quàm in duobus tantùm: quia illa producta sunt adæquata potentiis productiuis, & semper sunt in *produci*, & in *producto esse*: quod clariùs patebit infrà *dist.9.* 17. *Responsio.* *A quo determinatur essentia diuina.* *Quare essentia diuina nõ potest esse in pluribus productis.*

Secunda difficultas est in hoc, quòd dicit, quòd ex quo diuina natura est perfectio simpliciter, ideò potest esse in pluribus suppositis. Ex hoc videtur sequi, quòd possit esse in supposito lapidis per dictum Doctoris hîc: quia perfectio simpliciter est melius ipsum quàm non ipsum in quolibet supposito entis: quia entitati non repugnat infinitas, vt dixi suprà: ergo lapidi vt suppositum entis, non repugnat perfectio naturæ diuinæ, quod videtur inconueniens. *Secunda difficultas.*

Diceretur quòd non est inconueniens, & tunc sensus est, quòd huic supposito entis inquantum entis, non repugnat talis perfectio: sed benè repugnat lapidi, vt est suppositum lapidis. *Responsio.*

SCHOLIVM.

Quia difficillimum est, cum vnitate naturæ, plurificari supposita, nisi inter hæc extrema admittatur aliqua distinctio, probat ante opus intellectus admittendam aliquam distinctionem inter essentiam & personas. Primò, quia essentia est communicabilis, persona incommunicabilis. Secundò, Pater in primo signo originis, intelligit essentiam & personalitatem, vt diuersa, aut vt idem obiectum; si secundum, ergo sicut Deitas, ita personalitas erit communicabilis. Si primum, intentum, quia intuitiua Patris intellectio tendit in obiecta ex existentia in se, vel vt in aliquo eminenti contenta. Tertiò, sequeretur proprietatem Patris esse relationem rationis.

SEd hîc restat * vlterior difficultas: non enim videtur intelligibile, quòd essentia non plurificetur, & supposita sint plura, nisi aliqua distinctio ponatur inter rationem essentiæ, & rationem suppositi: & ideò ad saluandum istam compossibilitatem prædictam, oportet videre de illa distinctione. 41.

Et dico sine assertione, & præiudicio sententiæ melioris, quòd ratio, qua formaliter suppositum est incommunicabile, & ratio essentiæ, vt essentia, habent aliquam distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati & increati.

Esse cōmunicabile, & incommunicabile repugnat eidem formali.

Et probo sic [b], primum suppositum habet realiter entitatem communicabilem: alioquin non posset eam communicare: habet etiam realiter entitatem incommunicabilem: alioquin non esset positiuè, & in entitate reali suppositum: & intelligo sic realiter, quòd nullo modo per actum intellectus considerantis: imò quòd talis entitas esset ibi si nullus intellectus consideraret: & sic esse ibi si nullus intellectus consideraret, dico esse ante omnem actum intellectus: non est autem aliqua entitas ante omnem actum intellectus, ita quòd non per actum intellectus communicabilis: & aliqua entitas sic de se incommunicabilis, ita quòd sibi contradicat communicari, nisi ante actum intellectus.

Hoc est quòd non præcisè per *intelligere* sit aliqua distinctio inter hanc entitatem, & illam: ergo, &c.

Respōsio aduersariorū. Confutatio.

Si dicas [c], quòd ante omnem actum intellectus Patris, non est aliqua distinctio, sed est entitas omnino vnius, & eiusdem rationis.

Contrà, igitur entitatem istam vnius rationis totam communicat Pater, & ita nullam entitatem positiuam in se habet Pater, quam non communicat Filio: ergo communicat ei paternitatem sicut essentiam.

42. Secundò arguitur sic [d], distinctio vna in intellectu est penes diuersum modum concipiendi idem obiectum formale, & hoc siue concipiendo grammaticè, vt *homo*, & *hominis*, siue logicè, vt *homo*, & *humanitas*. Alia maior distinctio est in intellectu, concipiendo duobus actibus duo obiecta formalia, & hoc siue illis correspondeant diuersæ res, vt intelligendo hominem, & asinum, siue vna res extrà, vt intelligendo colorem, & disgregatiuum.

Et hoc arguo sic, Pater intelligens se in illo primo signo originis, aut intelligit essentiam, & *A* proprietatem, vt diuersa obiecta formalia, aut præcisè, vt idem obiectum sub alio, & alio modo concipiendi. Secundo modo non, quia tunc non esset maior differentia inter Deum, & relationem, quàm concipiendo Deum, & Deitatem, & ita non conciperet *A* proprietatem magis incommunicabilem, quàm Deitatem incommunicabilem. Nam homo non est incommunicabilis, si humanitas est communicabilis, nec è conuerso, ita in proposito. Similiter tunc non magis esset intellectus Patris in essentia diuina beatus, quàm in *A*, quæ dicitur proprietas Patris: nec magis in *A*, quàm in proprietate Filij, & ita in duobus obiectis, vt in proprietatibus Patris, & Filij primò esset beatus.

Hanc literā ponderabis propter notitiā intuitiuam Dei respectu omnium creabilium ab æterno ante ipsarū existentiam.

Et si detur primus modus, quòd paternus intellectus habeat essentiam, & *A*, tanquam duo obiecta formalia: tunc arguo sic: Intellectus ille nihil intelligit, nisi intuitiuè, quia, vt patebit *distinctione* 3. *quæstione* 3. omnis intellectio abstractiua, & non intuitiua, est aliquo modo imperfecta: cognitio autem intuitiua est obiecti, vt obiectum est præsens in existentia actuali, & hoc in se, vel in alio eminenter continente totam entitatem ipsius: ergo quæ cognoscuntur intuitiuè, vt obiecta formalia distincta, vel vnum eminenter continetur in alio, vel vtrumque secundùm propriam existentiam terminat actum, vt est eius. Nihil autem intrinsecum personæ diuinæ, propriè continetur in aliquo eminenter, quia tunc esset ens per participationem illius continentis: igitur quæcunque intrinseca sunt diuersa obiecta formalia intuibilia, secundùm propriam existentiam actualem terminant intuitionem, vt obiecta, & ita habent aliquam distinctionem ante actum intelligendi.

43. Si dicas [e], quòd essentia de se facit vnum conceptum in intellectu Patris, sed circa illam potest intellectus paternus facere diuersas rationes, & præcisè secundo modo distinguuntur essentia, & *A* in intellectu paterno, & non primo modo.

De intellectione intuitiua Patris. Scot. infra dist. 30.

Contrà, quidquid intellectus causat sine actione obiecti circa obiectum præcisè, hoc est virtute propria intellectus, & hoc loquendo de obiecto, vt habet esse cognitum in intellectu præcisè, & de intellectu vt considerans est, illud est præcisè relatio rationis: nunc autem illa ratio, quam facit essentia de se, patet quòd est absoluta: aliter non beatificaret intellectum Patris: ergo præter istam rationem absolutam, nulla est alia in re ante actum intellectus, aliàs haberetur propositum. Nulla etiam est alia per te in intellectu Patris, nisi per actum intellectus negotiantis, & non per impressionem factam ab obiecto, quia non imprimit per te, nisi vnum conceptum: ergo quælibet ratio alia à ratione absolutæ essentiæ, erit præcisè relatio rationis, ergo proprietas Patris, quæ est incommunicabilis, erit relatio rationis, quod est inconueniens.

COMMENTARIVS.

1. *Hic exponitur litera.*

a *SEd hic restat vlterior difficultas.* Hîc Doctor intendit probare, quòd inter essentiam diuinam, & proprietatem personalem sit aliqua distinctio, præter omnem actum intellectus, scilicet quòd nullo modo sit causata per actum collatiuum intellectus, nec alterius potentiæ. Expono tamen aliqualiter literam. Cùm dicit, quòd *sine assertione*, &c. Non debet intelligi, quòd hîc non sit determinata intentio Doctoris. Tum, quia istæ rationes concludunt euidenter propositum, supposito hoc articulo, quòd essentia est realiter in tribus suppositis, realiter distinctis. Tum etiam, quia *d.8.q.pen.* hoc asserit esse simpliciter necessarium: hoc idem in pluribus aliis locis.

Quomodo Pater habeat essentiam diuinam.

b Sequitur. *Et probo sic: primum suppositum,* scilicet Pater, *habet realiter.* id est, (præter omne opus intellectus) *entitatem communicabilem.* scilicet naturam diuinam, *alioquin non posset eam communicare*, nisi haberet in se eam formaliter: non enim habet eam virtualiter eo modo, quo causa habet effectum, si enim non haberet eam realiter, non esset realiter Deus: *habet etiam realiter entitatem* positiuam, entitatem *incommunicabilem*, scilicet proprietatem personalem, qua constituitur in *esse* personali, & incommunicabili: *alioquin non esset positiuè, & in entitate reali suppositum.* Et quomodo proprietas personalis, siue suppositalis in diuinis sit necessariò positiua, licèt in nobis tantùm dicat negationem, vide quæ exposui super 3. *d.* 1. *q.* 1. & aliqualiter infrà *dist.* 28. & sic patet ratio ista, quæ stat in hoc: quia si sunt penitus idem præter omnem actum intellectus, quod competit vni præter actum intellectus, siue ex natura rei, de necessitate competit & alteri: sed essentiæ diuinæ competit ex natura rei, vt sit communicabilis pluribus suppositis: & hoc repugnat proprietati personali: & similiter proprietati personali competit esse incommunicabile ex natura rei, & hoc repugnat essentiæ diuinæ: sequitur ergo quòd inter se distinguuntur aliqua distinctione, quæ non est per actum intellectus diuini, neque creati.

2. *Quomodo pater generet filium.*

c *Si dicas*, quod ante omne opus intellectus in patre nulla est distinctio essentiæ & proprietatis. Contrà; quia tunc Pater totum communicaret Filio: patet, quia Pater realiter, & præter omne opus collatiuum intellectus generat Filium: & in tali generatione realiter communicat ei naturam diuinam, quæ ponitur terminus formalis generationis, vt patebit infrà *dist.* 5. *quæst.* 1. si enim realiter non communicaretur per talem generationem, tunc in diuinis non esset generatio realis, & per consequens nec genitum reale: quæ omnia sunt absurda. Si communicatur natura diuina realiter Filio, & proprietas Patris præter omne opus intellectus, est idem naturæ diuinæ: ergo realiter Pater communicat proprietatem Filio: & sic Filius erit realiter persona Patris.

d *Secundò arguitur sic.* Pro intelligentia huius literæ nota, quòd distinctio in intellectu, quæ tantùm est penes diuersum modum concipiendi, idem tantùm dependet ab intellectu sic considerante: & in re nullam penitus præsupponit distinctionem: sed illa distinctio, quæ est in intellectu penes diuersa obiecta formalia, de necessitate præsupponit in re ante omnem considerationem, aliquam distinctionem illorum obiectorum formalium. Nota secundò, quòd obiecta formalia nata sunt concipi distinctis actibus intellectus, vt infrà patebit *dist.* 8. Nam quæ sic se habent, quòd sunt obiecta formalia, vnum distinctè potest concipi, alio non concepto: sed hoc diffusè pertractari habet infrà *d.* 8. *q.* 1. *in responsione ad primum argumentum principale.*

His declaratis infert Doctor principale intentum: videlicet quòd proprietas personalis, & essentia distinguantur ex natura rei; siue præter omnem considerationem intellectus. Et ratio stat in hoc: Pater in primo signo originis, in quo habet à se quicquid habet, & in quo est prior Filio, intelligit essentiam, quæ dicatur *A*, & proprietatem, quæ dicatur *B*, vt diuersa obiecta formalia modo præexposito: aut intelligit *A* & *B* vt idem obiectum formale, sed sub alio modo concipiendi, sicut naturam humanam sub modo concreti, vel abstracti. Si secundo modo, ergo *B* non erit ibi distinctum præter opus intellectus ab *A*, & sic ex natura rei: ita *B* erit communicabile sicut *A*, & per consequens persona Patris ex natura rei erit præcisè natura diuina, & sic Pater præter opus intellectus non erit distinctus à Filio: patet, quia si *B* est idem ex natura rei quod *A*, & *A* ex natura est ita in Filio, sicut in Patre, ergo Pater, & Filius ex natura rei nihil aliud includunt, nisi naturam diuinam, & sic Pater, & Filius sunt simpliciter idem inter se ex natura rei: & sic non erunt duæ personæ realiter distinctæ, cuius oppositum tenet Ecclesia. Si primo modo Pater intelligit *A* & *B* vt duo obiecta formalia, scilicet ex natura rei, sequitur quòd *A* & *B* erunt ibi actu existentia, & præter omne opus intellectus distincta. 3. *Quomodo proprietas personalis, & essentia distinguantur.*

Probat supponendo vnum, scilicet quòd cognitio intuitiua est existentis, vt existens in propria existentia, & præsentis in propria præsentia: vel præsens in alio, in quo virtualiter continetur: sicut creatura cognoscitur intuitiuè ab intellectu diuino: sed non vt in propria existentia, quia etiam cognouit ab æterno: sed sufficit quòd creatura virtualiter contineatur in essentia diuina: & tale virtualiter contentum non habet esse merè per opus collatiuum intellectus. Et quod dicit quòd continetur eminenter, siue virtualiter secundùm totam entitatem; hæc benè nota, quia nulla creatura continet aliam virtualiter, & eminenter secundùm totam eius entitatem: vt exposui suprà *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 10. In proposito tamen nihil est in Deo, quod virtualiter, siue eminenter contineatur in alio, etiam intrinseco ipsi Deo: quia tale sic contentum est ens per participationem, & per consequens includens limitationem. Stat ergo quòd *B* non continetur in *A*. Si ergo Pater intuitiuè intelligit *B* vt obiectum formale distinctum ab *A*, quòd *B* terminabit illam cognitionem intuitiuam secundùm eius propriam existentiam, & similiter *A* terminabit secundùm propriam existentiam, & per consequens *A* & *B* erunt ibi distincta præter opus intellectus. 4. *Solus Deus continetur virtualiter secundùm totam entitatem.*

Et nota ex ista litera quomodo est necesse concedere proprietates diuinas dicere ex natura rei aliam existentiam ab existentia naturæ diuinæ, & non est hoc inconueniens: esset tantùm inconueniens, si essent ibi tales existentiæ realiter distinctæ.

5. Dubitatur tamen in hoc, quod dicit, quòd intellectus Patris quicquid cognoscit, cognoscit intuitiuè, & cognitio intuitiua terminatur ad rem existentem, & præsentem in actuali existentia, & hoc in se, vel in alio eminenter continente totam entitatem ipsius. Nam relatio rationis perfectè cognoscitur ab intellectu diuino, & tamen non est præsens in actuali existentia, nec in se, vt patet; nec in alio continente eminenter, quia relatio rationis non potest eminenter contineri in alio, quia omne tale sic contentum est ens reale. Sed hanc difficultatem diffusè pertractabit infrà *dist.* 30.

Nota etiam in litera quomodo Doctor concedit expresè esse in Deo plura obiecta formalia ex natura rei: quæ secundùm propriam existentiam terminant cognitionem intuitiuam intellectus diuini, quæ tamen existentiæ licèt sint aliquo modo distinctæ præter omnem actum intellectus considerantis, tamen sunt vna res realiter, & essentialiter.

6. *Dubium.* Si dicatur, cùm paternitas, & filiatio sint realiter distinctæ, & terminent cognitionem intuitiuam secundùm propriam existentiam; ergo inter se verè realiter distinguuntur vt duæ res existentes, quod videtur inconueniens.

Responsio. Dico, quòd si sic concederetur, adhuc non esset inconueniens: quia cum essentia diuina dicunt vnam, & eandem existentiam realiter, licèt fortè formaliter distinctam. Dico secundò, quòd *res* aliquando accipitur pro essentia perfecta; siue pro aliqua natura dicente perfectionem: aliquando accipitur pro entitate conceptibili, & existente, nullam imperfectionem includente. Primo modo, paternitas, & filiatio sunt tantùm vna res, & vna existentia. Secundo modo, possunt dici plures res, id est, plures quiditates conceptibiles extra intellectum existentes, & sic *res* accepta pro quiditate simpliciter incommunicabili, non est inconueniens in diuinis esse plures res existentes secundùm propriam existentiam. *Res accipitur multipliciter.*

7. c *Si dicas, quòd essentia de se facit vnum conceptum in intellectu Patris*, &c. Essentiam de se facere vnum conceptum in intellectu Patris, nihil aliud est, quàm ipsam in ratione obiecti intelligibilis, quasi producere vnam cognitionem intuitiuam, immediatè repræsentantem essentiam diuinam. Et ista opinio dicit quòd intellectus Patris fabricat circa ipsam essentiam sic cognitam diuersas rationes, &c. Sed hæc positio clariùs habet perscrutari infrà *dist.* 8. *quæst.* 3. Nota tamen, quòd *conceptus* potest accipi, vel pro obiecto intelligibili: vel pro obiecto actu cognito; vel pro intentione: vt patet à Doctore in Theorematibus. Essentiam ergo de se facere vnum conceptum potest intelligi, quòd faciat vnam notitiam præcisè terminatam ad vnum conceptum ex natura rei, & ad vnum obiectum ex natura rei: vel si facit de se plures conceptus, id est, vnam notitiam, cùm tantùm sit vna in diuinis: terminatam tamen ad plures conceptus, id est, ad plura obiecta formalia ex natura rei. Et isto secundo modo intendit Doctor quòd Pater habet notitiam intuitiuam, & vnam tantùm terminatam: tamen ad plura obiecta formalia ex natura rei. Sed Henricus intelligit tantùm primo modo. Ideò Doctor instat contra ipsum ibi: *Contra quicquid intellectus causat sine actione obiecti circa obiectum.* *Cõceptus potest accipi tripliciter.*

8. Pro intelligentia literæ est notandum. Primò, quòd intellectus diuinus, & essentia diuina, possunt dupliciter considerari. Vno modo consideratur intellectus, vt intellectus, & vt pars memoriæ; & essentia consideratur, vt in ratione obiecti intelligibilis, & vt est pars memoriæ. Alio modo consideratur intellectus, vt actu intelligens, siue considerans essentiam; & essentia consideratur vt actu cognita ab intellectu diuino. Primo modo intellectus diuinus, & essentia diuina dicuntur principium operatiuum alicuius verè realis, puta cognitionis intuitiuæ, & similiter dicuntur principium productiuum alicuius suppositi verè realis, vt patuit suprà. Sed secundo modo non sunt principium, nec ratio formalis producendi aliquod reale: cùm vt sic, tantùm considerentur habere *esse* secundùm *quid*, siue diminutum; patet, quia cognitum inquantum cognitum, dicit tantùm relationem rationis: & similiter considerans inquantum considerans. Ex his infert Doctor. Si intellectus, vt considerans aliquid operatur circa essentiam, vt cognitam, in quantum huiusmodi, illud operatum erit tantùm ens rationis, & sic proprietas Patris erit relatio rationis: & per consequens vltimum constitutiuum Patris in *esse* personali erit tantùm ens rationis, quod est inconueniens, & hoc intendit Doctor in præsenti ratione.

Declaro tamen literam: cùm dicit ibi, *Quicquid intellectus causat sine actione obiecti circa obiectum præcisè*, &c. Hæc litera clara est ex suprà dictis. Sequitur, *Nunc autem illa ratio*, id est, conceptus, siue obiectum intelligibile, *quam facit essentia de se*, pro quanto ex natura rei est perfectè præsens intellectui suo in ratione obiecti actu intelligibilis. Potest etiam hîc accipi *ratio* pro notitia terminata ad conceptum, siue obiectum, & hoc dupliciter; vel vt terminatur præcisè ad vnum obiectum ex natura rei, & sic dicitur vna ratio, & formaliter, & terminatiuè: vt tenet Henricus; vel terminatur ad plura obiecta formalia ex natura rei, & sic tantùm erit vna formaliter, sed plures terminatiuè. *Ratio* primo modo, siue pro notitia, siue pro obiecto, *patet quòd est absoluta*, id est, quòd talis conceptus, quem facit essentia de se est verè absolutus: *aliter non beatificaret intellectum Patris*, supple vt in obiecto; intellectus enim Patris beatificatur in essentia, vt in obiecto: sed in cognitione essentiæ formaliter beatificatur cùm habeat illam in se formaliter. Sequitur, *ergo præter istam rationem absolutam*, siue conceptum essentiæ absolutum, *nulla est alia in re ante actũ intellectus: aliàs haberetur propositũ*, scilicet quòd essent plura obiecta formalia, siue plures conceptus præter omne opus collatiuum intellectus. Sequitur, *nulla etiam*, scilicet ratio, siue conceptus, *est in intellectu Patris, per te: nisi per actum intellectus negotiantis, & non per impressionem factam ab obiecto: quia non imprimit, per te*, scilicet ex natura rei, *nisi vnum conceptum* realem: quod potest intelligi, vel quòd obiectum non imprimit eandem notitiam, vt terminatam ad aliud obiectum formale ex natura rei: & sic erit alia notitia à notitia essentiæ, non alia formaliter, sed terminatiuè, vt suprà dixi. 9. *Declaratio literæ.*

Vel potest intelligi, quòd non imprimit in intellectu alium conceptum, siue obiectum: & hoc obiectiuè tantùm, non formaliter; siue per informationem: sic quòd virtute essentiæ ipsum imprimatur obiectiuè intellectui Patris, id est, quòd fiat præsens intellectui Patris in ratione obiecti actu intelligibilis: vel quòd virtute eiusdem 10.

essentiæ

essentiæ imprimatur obiectiuè aliud obiectũ formale, puta proprietas personalis, quæ dicatur *A*, id est, quòd virtute essentiæ *A* fiat præsens intellectui Patris in ratione obiecti actu intelligibilis, & hoc ex natura rei: modò per Henricum nullus conceptus habetur præter conceptum realem essentiæ diuinæ: *ergo qualibet ratio alia*, siue conceptus, *à ratione absoluta essentiæ, erit præcisè relatio rationis:* quod est inconueniens: quia tunc ratio proprietatis Patris erit tantùm relatio rationis, fabricata per actum collatiuum intellectus: & sic Pater ex natura rei erit præcisè natura diuina: & sic similiter Filius esset, & per consequens non erunt ibi tria supposita ex natura rei realiter distincta.

SCHOLIVM.

Posita quadruplici distinctione, ex reali, colligit hanc distinctionem. Primò, quia supposita non conueniunt & distinguuntur eodem: ergo essentia & personalitates non sunt idem, quia in illa conueniunt, in his distinguuntur. Non tamen admittit absolutè hanc distinctionem esse realem, sed rationis formalis, seu realitatum, vel virtualem: vel potiùs vult vocari non identitatem formalem, & explicat eam exemplis. Secundò, probat tribus aut 4. auctoritatibus Aug. eandem distinctionem formalem, de qua distinctione agit infrà d. 8. q. 3. & adduci possunt quæ habet d. 13. declarans per quid persona distinguantur, & d. 26. declarans per quid constituantur in esse incommunicabili, & d. 23. & 28.

SEcundò oportet [a] videre qualis sit ista differentia, quæ ponitur præcedere omnem actum intellectus.

Dico, quòd tam in rebus, quàm in intellectu differentia maior manifesta est, & ex illa frequenter concluditur differentia minor, quæ est immanifesta: sicut ex differentia creaturarum concluditur differentia idearum in intellectu diuino, sicut patet per August. 83. *quæstionum quæst.* 46.

In re autem manifesta est distinctio rerum, & hæc duplex, suppositorum scilicet, & naturarum, in intellectu, manifesta est differentia duplex, modorum scilicet concipiendi, & obiectorum formalium.

Ex his concluditur differentia hîc intenta, quæ est immanifesta, & nimirùm, quia minima in suo ordine, id est, inter omnes, quæ præcedunt intellectionem: concluditur autem ex differentia reali sic: Distinctio diuinorum suppositorum est realis: cùm igitur non possit idem eodem formaliter conuenire realiter, & differre realiter, concluditur aliqua differentia essentiæ, in qua supposita conueniunt, ab illis rationibus, quibus supposita distinguuntur. Similiter ex differentia obiectorum formalium, quorum neutrum continetur in aliquo eminenter, & hoc in intellectu intuitiuè considerante, concluditur aliqua differentia ante actum intellectus, eorum quæ cognoscuntur intuitiuè.

Nihil eodẽ conuenit & distinguitur ab alio.

Sed nunquid hæc [b] distinctio dicetur realis?

Respondeo, non est propriè realis actualis, intelligendo, sicut communiter dicitur realis actualis illa, quæ est differentia rerũ & in actu; quia in vna persona nõ est aliqua differentia rerum propter simplicitatem diuinam; & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis: quia nihil est ibi in potentia, quod non est in actu. Potest autem vocari differentia rationis, sicut dicit Doctor quidam, non quòd *ratio* accipiatur pro differentia formata ab intellectu, sed vt ratio accipitur pro quiditate rei secundùm quòd quiditas est obiectum intellectus: vel alio modo potest vocari differentia virtualis: quia illud quod habet talem distinctionem in se, non habet rem & rem, sed est vna res habens virtualiter, siue eminenter quasi duas realitates: quia vtrique realitati, vt est in illa re, competit illud proprium, quòd inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta. Ita enim hæc realitas distinguit, & illa non distinguit, sicut si ista esset vna res, & illa alia.

Var. lib. 1. d. 3. q. 2. Bonau. l. 1. d. 5. q. 1.

Vel vt propriissimè [c] dicatur, sicut possumus inuenire multos gradus in vnitate. 44.

Quinque gradus vnitatis assignantur.

In primo minima vnitas est vnitas aggregationis.

In secundo gradu est vnitas ordinis, quæ aliquid addit supra vnitatem aggregationis.

In tertio est vnitas per accidens, vbi vltra ordinem est informatio, licèt accidentalis vnius ab altero, eorum quæ sunt sic vnum.

In quarto est vnitas per se compositi ex principiis essentialibus per se actu & per se potentia.

In quinto est vnitas simplicitatis, quæ est verè identitas: quidquid enim est ibi, est realiter idem cuilibet, & non tantùm est vnum illi vnitate vnionis, sicut in aliis modis, ita adhuc [d] vltra omnes est identitas formalis.

Quid sit idẽtitas formalis declaratur.

Voco autem identitatem formalem vbi illud, quod dicitur sic idem, includit illud, cui sic est idem, in ratione sua formali, & per consequens per se primo modo. In proposito autem,

autem, essentia non includit in ratione sua formali proprietatem suppositi, nec è conuerso, & ideò potest concedi, quòd ante omnem actum intellectus est realitas essentiæ, quæ est communicabilis, & realitas suppositi, qua suppositum est incommunicabile, & ante actum intellectus hæc realitas formaliter non est illa, vel non est eadem formaliter illi, sicut priùs expositum est, quid est formaliter esse idem.

Nō admittit (vt videtur) essentiā & relationes formaliter distingui, sed non esse idē formaliter. infrà d.8.q.1. docet aliqua nō esse idem formaliter, tamen non esse distincta formaliter, scilicet rem & modum intrinsecum.

Nunquid igitur [e] debet concedi aliqua distinctio.

Respondeo, melius est vti ista negatiua, hoc non est formaliter idem, quàm hoc est sic & sic distinctum.

Sed nónne sequitur *A* & *B*, non sunt idem formaliter, ergo sunt formaliter distincta?

Respondeo, quòd non oportet sequi: quia formalitas in antecedente negatur, & in consequente affirmatur.

Breuiter igitur dico, omittendo illa verba de distione rationis & de distinctione virtuali: non quia sint malè dicta, sed quia non oportet eis vti, dico, quòd in essentia diuina ante actum intellectus est entitas *A*, & est entitas *B*, & hæc non est formaliter illa, ita quòd intellectus paternus considerans *A*, & considerans *B* habet ex natura rei, vnde ista compositio sit vera, *A* non est formaliter *B*, non autem præcisè ex aliquo actu intellectus circa *A* & *B*.

Ista differentia [f] manifestatur per exempla, primò, si ponatur albedo species simplex, non habens in se duas naturas, est tamen in albedine aliquid realiter, vnde habet rationem coloris, & aliquid vnde habet rationem differentiæ, & hæc realitas formaliter non est illa realitas, nec è conuerso formaliter; imò vna est extra realitatem alterius, formaliter loquendo, sicut si essent duæ res, licèt modo per identitatem istæ duæ realitates sint vna res. Hoc exemplum, licèt aliqualiter sit simile ad propositum, quantum ad hoc,

45. scilicet, quòd identitas realis non necessariò concludit identitatem formalem cuiuslibet, quod est in subiecto eodem, ad quodlibet quod est in ipso: non tamen est omnino simile, quia aliqua compositio est in albedine, licèt non rei & rei, tamen talis, qualis non conceditur in Deo, propter non identitatem formalem: vbi autem non identitas formalis aliquorum in eodem requirat aliquam compositionem & potentialitatem, & vbi non, dicetur *dist.* 8. *q.* de attributis, & in quæstione illa, *an Deus sit in Genere.*

Posset etiam poni exemplum de toto quantitatiuo, subtrahendo illa, quæ sunt imperfectionis, & ponendo illa, quæ sunt perfectionis: sed in pluribus esset dissimile quàm simile, ideò omittatur.

Ista autem distinctio [g], siue non formalis identitas, quæ probata est priùs per duas, vel tres rationes, potest etiam probari per duas, vel tres auctoritates August. 7. de Trinit. cap. 1. *Omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, est aliquid excepto relatiuo*, & ibid. *Si Pater non est aliquid ad se, non est omnino qui relatiuè dicatur ad aliquid* Est igitur essentia in re ad se, & non ad aliquid, & in re Pater inquantum Pater relatiuè dicitur: non est autem formaliter eadem entitas ad se, & non ad se: igitur, &c.

Item in eodem lib. cap 2. *Non eo verbum quo sapientia, quia verbum non ad se dicitur, sed tantùm relatiuè ad eum cuius verbum dicitur, sicut filius ad Patrem, sapientia verò eo quo essentia.*

46. Intelligit ergo Augustinus quòd sicut Pater non eo quo est Pater, est sapientia & essentia, ita non eodem est Pater & Deus.

August. expressè probat distinctionem formalem, varijs locis.

Et ex hoc concluditur capitulo decimoquarto, de minoribus, *Quapropter non quia Pater non est Filius, & Filius non est Pater, aut ille ingenitus, ille autem genitus, ideò non est vna essentia, quia his nominibus relatiua eorum ostenduntur. Vterque autem simul vna sapientia & vna essentia.* Est igitur secundùm ipsum talis non identitas relationis ad absolutum in diuinis, quòd si vnum erit *quo* respectu alicuius, alterum non erit *quo* respectu eiusdem: esse autem *quo* conuenit alicui secundùm eius rationem formalem: ergo vnum eorum non est de ratione formali alterius, sed extra eam; & per consequens non est idem formaliter alteri, quia sic suprà exposita est ratio eius, quod est non esse formaliter idem.

Et tamen ex hoc non sequitur simpliciter diuersitas, vel non identitas realis, essentiæ & relationis. Non enim illud quo Pater est Pater, est aliud ab essentia, sed idem secundùm Aug 11 lib. de Ciuitate Dei capitulo decimo. *Ideò simplex dicitur Deus, quoniam quod habet, hoc est, excepto quòd relatiuè quacunque persona ad alteram dicitur, nec est ipsa, sicut Pater habet Filium & non est filius*, sed quidquid habet Pater in se, ad quod per consequens non dicitur relatiuè, illud est ipse vera identitate, licèt non formali.

COMMEN

COMMENTARIVS.

1. *Omnia supposita realiter distinguuntur.* a *Secundò oportet videre qualis sit ista differentia.* Dicit duo. Primò quòd in rebus est differentia manifesta, scilicet suppositorum, & naturarum, id est, quòd omnia supposita realiter distinguuntur, ita quòd manifestum est, vnum suppositum esse aliud per realem identitatem: & similiter manifestum est, plures naturas verè reales posse esse eadem per realem identitatem, & ista non oportet probare, cùm experientiâ sint nota. Est etiam alia manifesta in intellectu considerante: & hoc est, vel modorum concipiendi eandem rem: sicut logicè consideratur *idem*, vel sub modo concreti, vel sub modo abstracti, vt *homo*, & *humanitas*: vel est obiectorum formalium ex natura rei, id est, quòd intellectus experitur se cognoscere aliud, & aliud obiectum; ita quòd cognitio eius non terminatur præcisè ad vnum obiectum: imò experitur quòd terminatur ad plura obiecta: quæ ex natura rei præcedunt eius cognitionem.

Quomodo creaturæ in intellectu diuino distinguuntur. Secundò dicit, quòd *ex differentia manifesta tam in rebus, quàm in intellectu, concluditur differentia immanifesta.* De differentia manifesta in rebus patet, quia ex differentia creaturarum concluditur differentia idearum in intellectu diuino: quia creaturæ, vt in intellectu diuino tantùm distinguuntur, vt habent *esse* cognitum: *esse* enim cognitum creaturarum dicitur idea: vt patet à Doctore infrà *dist. 35. 36. & 39.* Similiter ex distinctione reali suppositorum in Deo, quæ est manifesta fidelibus, concluditur minima præter opus intellectus hîc intenta, scilicet quòd essentia, & proprietas aliquo modo præter opus intellectus distinguuntur: patet, si Pater, & Filius realiter distinguuntur ratione proprietatum, quæ sunt rationes realiter distinguendi: etiam sunt realiter idem in essentia: patet, quia tantùm est vna essentia in illis: si ergo essentia est ratio, quâ Pater, & Filius conueniunt realiter, & proprietas est ratio, qua differunt ab inuicem realiter: ergo proprietas, & essentia aliquo modo distinguuntur præter opus intellectus: & si nullo modo distinguuntur, tunc sicut essentia ex natura rei est ratio conuenientiæ: ergo & proprietas, cùm sit penitus idem ex natura rei. Ex distinctione ergo suppositorum manifesta concluditur ista immanifesta. Similiter ex differentia manifesta obiectorum formalium in intellectu, quorum vnus non continetur in alio eminenter (quia tunc continens sufficeret sine contento, de quo *q. 4. quodl.*) concluditur, quòd talia obiecta præter omne opus intellectus aliquo modo distinguuntur: qualia sunt essentia diuina, & proprietas.

2. b *Sed nunquid hæc distinctio dicetur realis? &c.* Hæc litera sic declaratur: *Non est propriè realis actualis, sicut communiter dicitur realis actualis illa, quæ est differentia rerum, & in actu*, id est, quòd distinctio inter proprietatem, & essentiam, non est realis actualis, qualiter est inter veram rem & rem: quia si sic, tunc in eadem persona esset differentia rerum: & sic illa persona non esset simplicissima: patet, quia si paternitas esset verè alia res ab essentia, cùm paternitas fundetur in essentia, sequeretur compositio personæ ex pluribus rebus. Sequitur: *& sicut non est realis actualis: ita non est realis potentialis: quia nihil est ibi in potentia quod non est in actu.* Distinctio realis actualis est sicut inter Franciscum & Ioannem actu existentes: sed distinctio realis potentialis est sicut inter Franciscum & Ioannem in potentia existentes. *Distinctio realis actualis, & realis potentialis.* Sequitur: *Potest autem vocari differentia rationis* secundùm Varronem & D. Bonauenturam accipiendo *rationem* pro quiditate rei, *secundùm quòd quiditas est obiectum intellectus*, id est, quòd essentia, & proprietas dicuntur distingui ratione, quia sunt duæ quiditates conceptibiles: siue quia sunt duo obiecta formalia, distinctè conceptibilia: & sic *ratio* accipitur hîc pro quiditate conceptibili. Sequitur, *vel alio modo potest vocari differentia virtualis*, &c. Vult dicere, quòd in vna persona potest esse differentia virtualis, siue distinctio, quando continet in se plures realitates: dicimus enim quòd in eodem homine est distinctio virtualis, quia continet in se realitatem animalis, & rationalis, quæ distinguuntur præter opus intellectus: sic in proposito in persona Patris, quæ est tantùm vna res, est distinctio virtualis essentiæ, & proprietatis, quæ non sunt duæ res, cùm paternitas non dicatur vera res, sed magis realitas, &c.

c *Vel vt propriissimè dicatur.* Hîc Doctor facit duo. Primò distinguit modos *vnitatis.* Secundò intendit declarare principale intentum, videlicet qualis sit distinctio inter essentiam, & proprietatem: & hæc litera clara est vsque ibi: *In quinto est vnitas simplicitatis, quæ est verè identitas: quicquid enim est ibi, est realiter idem cuilibet.* 3.

Si hoc intelligatur provt verba sonant, tunc paternitas erit eadem realiter filiationi, cùm omnia in diuinis sint vnum vnitate ista simplicitatis. *Dubium.*

Dico, quòd sunt idem realiter, quia sunt simpliciter eiusdem essentiæ, & naturæ: non autem sunt idem realiter, id est, suppositaliter, siue personaliter. *Responsio.*

Si dicatur, quòd tunc erit maior identitas simplicitatis inter attributa, quàm inter personas, & sic non erunt vnum perfectissima simplicitate. *Obiectio.*

Dico, quòd ad perfectissimam identitatem simplicitatis non requiritur omnimoda identitas, quia tunc non diceretur propriè identitas aliquorum: nisi inter illa esset aliqualis distinctio: identitas enim aliquorum præsupponit ipsa ab inuicem aliquo modo differre. Ad perfectissimam ergo identitatem simplicitatis sufficit identitas realis illorum, ita quòd quodlibet cuilibet sit perfectè idem realiter: accipiendo *realiter* modo præexposito. *Solutio.*

Vel potest dici ad dictum Scoti quòd essentia est simpliciter idem cuilibet existenti in ipsa, & quòd vna persona diuina est vna vnitate simplicissima, alia ab vnitate alterius personæ: & sic vna persona est realiter idem cuilibet existenti in ipsa. Non enim est inconueniens ponere in diuinis plures vnitates simplicissimas, puta vnitatem Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & vnum realiter distinctum ab alio: respectu tamen essentiæ diuinæ omnia sunt vnum vnitate simplicissima. *Item alia solutio.*

d *Ita adhuc vltra omnes est identitas formalis*, &c. Ex hac litera manifestè patet quòd inferius est idem formaliter superiori: superius autem non est idem formaliter inferiori: quia superius non includit in sua ratione formali inferius, sed benè contrà. Et sic, secundùm aliquos totum essentiale, 4.

essentiale, vt humanitas, est idem formaliter partibus essentialibus, vt animæ intellectiuæ, & corpori organico, & non è contra. Multa tamen sunt dicenda de identitate formali, & de distinctione formali, quæ omnia reseruo vsque ad *dist.8. q.pen.* vbi agitur de distinctione formali attributorum: sed pro nunc sufficiat scire quid sit identitas formalis, vt intentum Doctoris manifestum fiat: videtur enim declinare ad hoc, quòd essentia, & proprietas distinguantur formaliter; quia nec essentia includitur quiditatiuè in proprietate: nec proprietas in essentia, vt patet: & licèt hîc non ita expresse dicat ipsas distingui formaliter, alibi tamen expresse dicit, vt pòst videbitur.

5. e *Nunquid igitur debet concedi aliqua distinctio.* Dicit Doctor hîc, quòd magis debemus dicere, paternitas & essentia sunt non idem formaliter, quàm quòd distinguantur formaliter. Et si inferatur, si non sunt idem formaliter, ergo distinguuntur formaliter. Negat hoc, dicens quòd formalitas in antecedente negatur, & in consequente affirmatur: quia vt infrà patebit *dist.8.q.2. in responsione ad primum argumentum principale*, aliqua non sunt idem formaliter, & tamen non distinguuntur formaliter: vt gradus intrinsecus non est idem formaliter cum eo, cuius est, & tamen non sequitur, ergo distinguitur formaliter: quia cùm dico *A* & *B* distinguuntur formaliter, dico quòd *A* dicit distinctam formalitatem à formalitate *B*, ita quòd *A* & *B* sint duæ formalitates. Modò gradus intrinsecus non dicit aliquam formalitatem distinctam; ideò non sequitur, non sunt idem formaliter, ergo distinguuntur formaliter. Nam in antecedente negatur formalitas: supple negatur quòd *A* & *B* sint duæ formalitates: in consequente verò affirmatur formalitas, supple quòd *A* & *B* sint duæ formalitates distinctæ ab inuicem; & sic patet litera.

6. f *Ista differentia manifestatur per exempla.* Hîc Doctor intendit declarare quomodo est possibile, quòd in vna re non composita possint esse plura, quæ ab inuicem distinguantur præter opus intellectus, sic tamen quòd inter se, & cum illa re simplici sint realiter idem: & patet de albedine, quæ est forma simplex: nam in ipsa est aliquid, à quo accipitur ratio coloris, & aliquid à quo accipitur ratio disgregatiui, & non dico (vt aliqui) quòd ab vno gradu albedinis accipiatur ratio coloris, & ab alio ratio differentiæ, quia non credo hoc esse ad mentem Doctoris, quia si accipiatur albedo in vno tantùm gradu perfectionali, adhuc in ipsa reperitur aliquid, à quo accipitur ratio coloris, siue generis; & aliquid, à quo accipiatur ratio differentiæ: ita quòd illa duo, à quibus accipiuntur genus, & differentia, præter omne opus intellectus distinguuntur: ita quòd vnum non includunt formaliter in alio, nec è contrà. Sed hæc diffusiùs patebunt infrà *dist 8.quæst.2.* sed pro nunc sufficiat habere quomodo in vna re simplici possunt esse plures formalitates, siue realitates.

7. g *Ista autem distinctio, siue non formalis identitas.* Hîc Doctor probat intentum, quòd scilicet proprietas personalis, & essentia distinguuntur formaliter, vel saltem non sunt idem formaliter: & probat per auctoritates Sanctorum, quæ omnes auctoritates stant in isto præsupposito, quòd quando aliqua sunt simpliciter idem præter opus intellectus, quod competit vni ex natura rei competit & reliquo, & è contra, vt dixi suprà. Prima ergo auctoritas Augustini, quæ stat in hoc, quòd essentia est quid absolutum: & paternitas est essentialiter relatio: ergo si sunt penitus idem, essentia erit essentialiter, siue formaliter relatiuum: & paternitas erit similiter formaliter ens absolutum.

Et hæc auctoritas Augustini exposita est suprà *d.1.q.2.* Secunda est August.7.de Trin.c.2. vel 12. *Non eo verbum*, inquit, *quo sapientia: quia verbum non ad se dicitur*, id est, non est entitas absoluta, sed relatiua: quia verbum relatiuè ad eius cuius est verbum dicitur, id est, relatiuè dicitur ad personam dicentem, scilicet ad Patrem. Idem enim in sunt *Verbum, Filius, genitum*, differunt tantùm vel nomine, vel ratione: *Verbum* relatiuè dicitur ad personam verbantem: vt infrà patet dist. 27. *Filius* relatiuè ad Patrem dicitur, *genitum* relatiuè ad personam gignentem; habetur ergo quòd Filius, siue Verbum, formaliter dicitur relatiuum, & relatiuum includit relationem, qua formaliter dicitur relatiuum, & absolutum, in quo fundatur talis relatio, quæ ab inuicem distinguuntur.

Si ergo *verbum non eo verbum, quo sapientia*, id est, non eodem dicitur verbum, quo dicitur sapientia: sequitur, quòd illo, quo dicitur verbum formaliter, scilicet relatio (supponendo quòd personæ constituantur in *esse* personali relationibus, quod differatur vsque ad *d.26.* huius) non sit idem ex natura rei cum illo, quo dicitur sapientia. Dicitur autem verbum sapientia ipsa essentia diuina, & hîc accipitur *essentia* pro omni eo, quod est perfectio simpliciter: quæ pro nunc importat idem, quòd essentia, non faciendo pro nunc distinctionem aliquam ex natura rei inter essentiam, & attributa: quia tunc erit sermo infrà *dist. 8. quæst. pen.* ergo persona Verbi est ibi ex natura rei: & per consequens, quæ constituunt ipsam, sunt in illa ex natura rei; constituitur autem essentia diuina, & proprietate personali relatiua: ergo præter omne opus intellectus essentia, & proprietas distinguuntur. Ex his etiam patent auctoritates sequentes, quæ simili modo exponantur.

Occurrit tamen vna difficultas. Quomodo est possibile, quòd paternitas, & filiatio distinguantur realiter ab inuicem; & tamen sint idem realiter essentiæ diuinæ singularissimæ: quia per dictum Doctoris *in responsione ad primum argumentum principale præsentis quæst.* expresse habetur, quòd eo modo, quo personæ diuinæ, siue proprietates personales, sunt idem in essentia, eo modo sunt idem ad inuicem, & in essentia sunt idem realiter, vt patet; ergo adinuicem. 8. *Difficultas.*

Dico breuiter, quòd maior est distinctio inter paternitatem, & filiationem, quàm inter paternitatem, & essentiam; quia paternitas, vt comparatur ad essentiam, propter infinitatem essentiæ transit in identitatem realem ipsius: vt verò comparatur ad filiationem, dico quòd non potest transire in realem identitatem; quia nec filiatio est formaliter infinita: nec similiter paternitas: vt probat Doctor *in quodlib.quæst.5.* Si enim per impossibile istæ proprietates non includerentur in essentia, essent omnino distinctæ: quia nec paternitas esset ratio alicuius conuenientiæ cum filiatione, nec è contra: sunt enim primò diuersa, vt patebit infrà *dist.13.& 26.* Et benè nota hanc responsionem, quia facit ad multa in ista materia. *Responsio.*

Nota

9. *In 1. dist. 16. conclus. 3.* Nota tamen quòd Gregorius de Arimino ponit, quòd diuinæ personæ non distinguuntur personaliter aliquibus proprietatibus hoc modo acceptis, scilicet aliquibus proprietatibus, quæ sint ipsarum personarum transitiuè: & hoc pro entibus aliquibus sibi propriis incomplexè significabilibus, pro quibus termini complexi possunt personaliter, seu significatiuè supponere: & sic supponentes esse subiecta propositionum, quomodo nonnulli opinantur proprietates personarum, dicentes quòd in Patre est aliqua entitas communis sibi, & Filio & Spiritui sancto, scilicet essentia diuina; & aliqua entitas non illis communis, sed sibi propria, quam vocant paternitatem, & hanc dicunt esse proprietatem eius. Et similiter in Filio opinantur esse aliquam entitatem sibi propriam, vtpotè filiationem: & in Spiritu sancto spirationem. Et hæc est positio Scot. vt patet præsenti dist.

Secundò concedit Gregorius quòd diuinæ personæ distinguuntur proprietatibus intransitiuè: intelligendo illas proprietates, vt sit constructio intransitiua, cùm dicitur *proprietates personarum*, id est, proprietates, quæ sunt personæ, videlicet pro aliquibus tantùm complexè formaliter, vel æquiualenter significantibus, quomodo dicit Augustinus *de fide ad Pet.* & ponitur à Magistro *dist. 16.* quòd proprium est Patris, quòd vnum Filium genuit: & proprium est Filij, quòd de essentia Patris natus est: & proprium Spiritus sancti, quòd solus de Patre, filióque procedit. Constat autem quòd talia propria non sunt aliquæ entitates secundùm se extra animam propriæ personis: non enim est entitas aliqua, *Pater vnum filium genuit:* nec etiam *filius nascitur ex patre.* Nam quamuis Filius sit vna res, & natiuitas vna res, & similiter Pater, quæ significantur per terminos huius complexi: *Filius nascitur ex Patre:* non potest tamen dici, quòd hoc totum *Filius nascitur ex Patre*, sit aliqua res, nisi fortè materialiter, & non significatiuè sumeretur istud dictum. Cùm ergo dicitur, quòd proprietas Patris est quòd vnum genuit filium; aut quòd filius nascitur ex eo: non denotatur quòd aliqua entitas extra animam existens sit propria Patri: sed tantummodò quòd ille solus genuit filium, & quod idem est, quòd ex eo nascitur tantùm filius: & hoc modo pater, & filius distinguuntur ab inuicem. Et multa alia dicit pro ista positione, sed pro nunc ista sufficiant ad propositum nostrum.

10. Et probat quod dicit primò, scilicet quòd non sint dabiles aliquæ tales proprietates personales incomplexæ extra animam existentes: vt paternitatem in persona Patris, extra animam distinctam ab essentia. Et probat sic primò, quia vel tales entitates essent extrinsecæ personis, vel intrinsecè inclusæ in eis: non primò modo, quoniam ipsæ essent per se subsistentes, & per consequens essent personæ: tunc vltrà sequitur quòd in diuinis essent ad minùs sex personæ: vel essent personis inhærentes, vel insistentes, sicut formæ in materiis, quod est impossibile in Deo, qui nulli subsistere potest: vt dicit August. 7. *de Trinitate.* Sed nec potest dici, quòd sint aliquæ entitates intrinsecè inclusæ in personis: secundùm quem modum imaginari videntur, quicunque tales proprietates ponunt in personis. Hoc autem esse impossibile probatur multipliciter.

Primò quidem per expressam determinationem Ecclesiæ, *extra de sum. Trin. & fid. Cath. cap. Damnamus*, vbi dicitur: Pater ab æterno filium generando suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse testatur: *Pater quod dedit mihi maius est omnibus:* at dici non potest, quòd partem substantiæ illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit, cùm substantia patris indiuisibilis sit, &c. Patet ergo, quòd sine vlla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit: & ita Pater, & Filius habent eandem substantiam: & sic eadem res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus ab vtroque procedens. Cùm ergo (vt profitetur Ecclesia) Filius totam substantiam Patris sine diminutione acceperit: manifestè patet quòd nullam entitatem in se habet sibi propriam Pater, quam Filio generando non dederit. Nec potest dici, quòd quamuis totam sine diminutione Patris substantiam Filius generando acceperit, non tamen accepit omnem entitatem Patris: quoniam non illam propriam, quam vltra communem essentiam Pater includit. Tum, quia non minùs est, indiuisibilis, & omnino simplex persona Patris, quàm sit essentia communis: & per consequens iuxta determinationem Ecclesiæ, impossibile est quòd partem sui, scilicet communem essentiam Filio dederit, & partem aliam sibi retinuerit: ergo sine diminutione Filius totam entitatem Patris accepit: nulla ergo entitas est in Patre, quæ non sit in Filio. Tum, quia stultissimum est imaginari, quòd in Patre sit aliqua entitas, quæ non sit substantia, vel de substantia eius: sic enim esset ei accidentalis, vel extranea: ergo si totam substantiam Patris accepit filius, omnem entitatem Patris habet Filius. *Prima ratio Gregorij.*

11. *Secunda ratio.* Secundò, si essent in personis tales proprietates, tunc non eadem res esset Pater, & Filius, & Spiritus sanctus (vt dicit Ecclesia) quoniam illo posito non solùm essentia communis est Patri, sed ipsa simul cum illa propria entitate Patris, quæ non est in Filio: & per consequens non eadem res, quæ est Pater, est Filius.

Tertia ratio. Tertiò, sequitur quòd essentia diuina non est Pater, nec è contra, cuius oppositum etiam tradit Ecclesia: vbi suprà, dicens quòd vna quædam summa res est incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, quod veraciter est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, scilicet tres simul personæ, ac singillatim quælibet earundem: & ideò solummodò est Trinitas, non quaternitas: sed quælibet trium personarum est illa res: videlicet substantia, essentia, seu natura diuina. Consequentia probatur ex hoc quòd nullum includens plura, est aliquid illorum: & similiter nullum illorum est ipsum, sed ipsius est, transitiuè loquendo, & illud includens est ex eo: sicut anima non est homo, sed hominis: nec homo est anima, sed ex anima: simili modo probari potest quòd essentia non esset Filius, nec Spiritus sanctus, nec è contrà.

12. *Quarta ratio cum sequentibus.* Quartò, si quælibet habet aliquam propriam entitatem præter communem entitatem, quæ est Deus, sequitur, quòd quælibet persona, præter diuinitatem communem, habet etiam propriam diuinitatem: & sic in Trinitate erunt quatuor diuinitates, vna communis, & tres propriæ, & vna persona erit alius Deus ab alia propter illam propriam entitatem, scilicet diuinitatem, quam sola includit. Hæc autem omnia sunt erronea. Consequentia probatur ex eo, quòd impossibile est esse in Deo aliquam entitatem, quæ non sit Deus:

Deus: alioquin sequeretur, quòd persona non esset Deus, sed eius pars esset Deus.

Item, omnis entitas: quæ non est Deus, vtique est creatura, iuxta illud Augustini 1. de Trinitate. *Omnis substantia, quæ Deus non est, creatura est: & quæ creatura non est, Deus est:* & constat quòd *substantiam* pro essentia, vel entitate ponit, sicut dicimus, quòd substantia albedinis est alia à substantia nigredinis: alioquin non sufficienter probaret intentum, scilicet quòd Filius est Deus. Hoc etiam modo Augustinus super illud Psalm. 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia:* pro entitate accipit *substantiam:* vnde ait: *Omnia enim substantia sunt eo ipso, quòd sunt natura: quæ nulla sunt in substantia, omnino nihil sunt.* Si ergo aliqua entitas esset in persona, quæ non esset Deus, iam persona composita esset ex Deo, & creatura, quod blasphemum est dicere.

Item, Hugo de Sacramentis lib. 1. *Omne, quod in Deo est, aliud quàm Deus esse non potest:* sed si illa entitas propria est Deitas, & per positionem non est illa diuinitas communis: ergo est alia diuinitas propria, & patet consequentia. Si verò diceretur, quòd illa entitas propria non est entitas distincta modo aliquo à Deitate communi, sed est ipsa, tunc sequitur quòd nulla pluralitas entitatum est in personis, & per consequens non est in ea aliquid, quo conuenit cum alia persona, & aliquid aliud, quo distinguitur ab ea.

13. Item, quòd nulla proprietas est in persona, vel est personæ, transitiuè loquendo, quâ distinguatur ab alia persona, sed ipsamet persona nulla plura, quoquomodo includens, seipsa primò iuxta sensum suprà positum distinguitur ab alia: & sic habetur propositum.

Quintò, secundùm hanc viam, sequitur, quòd nulla persona sit summè simplex: quod est error. Consequentia probatur, quia secundùm hoc quælibet persona habet in se aliquid, quod ipsa non est: nec è contra: sed est aliquid eius. Simplex autem nihil, quod ipsum non sit, habet in se: vnde propter istam causam Magister determinat, quòd proprietas personæ est ipsa persona, *dist.* 23. 1. *lib.* *Nota.*

Et aduertendum est, quòd omnes præmissæ rationes procedunt contra quamlibet opinionem, ponentem aliquam proprietatem, modo suprà posito: siue illa proprietas vocetur *res:* siue *formalitas*, vel *quiditas*, vel *modalitas*, vel alio quolibet nomine: dummodo aliqua pluralitas, & distinctio ponatur intra personam diuinam, quæ omnia nomine *entitatis* intelligo significari.

Pro hac conclusione sunt Sanctorum auctoritates. Ait enim Hilarius tertio de Trinit. propè finem *Audis, Ego, & Pater vnum sumus: vnum sunt, scilicet is, qui est, nihil habens: quod non sit etiam in eo, à quo est.*

Item, idem 7. de Trinit. *Indico quid sunt, scilicet Pater, & Filius, cùm vnum ex vno est: quia neque vnus vni aliud per generationem, quàm quod suum est dedit; neque vnus ab vno per natiuitatem obtinet, quàm quòd vnus.*

Item, Isidorus de summo bono lib. 1. ait. *Ideò vnum sunt Pater, & Filius: quia nihil habet Pater, quod non habeat Filius.* Insuper August. de sum. Trinitat. loquens de verbo consubstantiali. *Et idem verbum* (inquit) *hæc veritas est: quoniam quicquid est in ea scientia, de qua genitum est, etiam in ipso est.* Scientia autem de qua est genitum, est Pater, vt vbi patet. Quicquid ergo est in patre est in eius verbo. Ex quibus omnibus patet, quòd nihil omnino, aut entitas aliqua est in Patre, quæ non sit in Filio: nec è contra. Quod etiam huiusmodi verba Filij confirmant Ioan. 16. dicentis: *Omnia, quæcunque habet Pater mea sunt*, & proinde cantat Ecclesia: *In Patre totus Filius, & totus in verbo Pater.* Non ergo in personis diuinis, præter communem essentiam, sunt aliquæ speciales, & propriæ entitates cogitandæ: vt est ex dictis ostensum. Cui quoque consonat dictum Hugonis lib. 1. de Sacramentis dicentis: *Nihil aliud esse, quàm essentiam vnam, quam confitemur.* *Nulla entitas est in Patre, quæ non sit in Filio.*

Deinde arguit contra se, primò per illud verbum Præfationis: *In personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas:* ex quo patet, quòd proprietas est aliqua entitas: alioquin non esset in personis: & non est entitas, quæ est persona: quia nihil est in se ipso: ergo est entitas personæ. 14.

Secundò, si proprietas personæ non sit aliqua entitas propria, & partialis personæ: tunc non esset vna proprietas, seu notio communis Patri, & Filio, cuius oppositum dicit Magister *d.* 29. *primi*, & patet consequentia, quia nulla persona communis est Patri, & Filio.

Respondet ad primum, quia illa auctoritas in sententia nullo modo est contra propositum. Et dicit, quòd illa verba accipiuntur impropriè. Sicut etiam dicitur: *& in maiestate adoretur æqualitas:* non enim est ibi æqualitas aliqua entitas distincta: & similiter, nec vnitas est aliqua entitas distincta, cùm dicitur, & *in essentia vnitas.* Et dat alias expositiones, quæ non sunt multum necessariæ pro nunc, quia idem concludunt in rem.

Ad secundum, negat consequentiam: quia pari modo probaretur, quòd essentia, cùm sit communis tribus personis, esset partialis entitas ipsarum: sicut ergo essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: sic illa communis notio (si ponatur) est Pater, & Filius: & non aliqua partialis entitas ipsarum. Et hoc intelligo, si loquamur de notione, prout est aliquid incomplexè significabile, modo supradicto. Si verò de communi notione loquamur, vt est aliquid significabile complexè tantùm, tunc non valet consequentia: quia notio sic sumpta non est aliqua entitas, existens in persona: imò nec aliqua entitas omnino. Hæc Gregorius.

Huic conclusioni Gregorij posset multis mediis instari, sed pro nunc sufficiant omnia illa media, quibus Scotus probat proprietatem hypostaticam distingui ex natura rei ab essentia: quæ media partim ponuntur in præsenti quæst. & infrà *d.* 8. *q.* 3. *& alibi.* Possunt etiam adduci omnia illa media, quibus Doctor probat per quid personæ distinguuntur ab inuicem: vt patet infrà *dist.* 13. Possunt iterum adduci omnia media, quibus probat per quid personæ constituuntur in *esse* reali, & incommunicabili, siue personali, quæ ponuntur infrà *distinct.* 26. Item possunt adduci omnia media, quibus probat personas constitui in *esse* personali, quæ ponuntur infrà *dist.* 23. *&* 28. *& in quodl. quæst.* 4. Hæc omnia omitto, quia principalis intentio 15.

est

est respondere argumento Gregorij contra Doctorem subtilem.

Respondeo ad rationes Gregorij ad primam. Respondeo ad rationes Gregorij. Ad primam dico, quòd proprietates illæ sunt intrinsecæ personis, & intrinsecè constituunt personas, & cùm probat impossibilitatem per illud cap. *Damnamus*, patet quòd non est contra nos: quia vult quòd Pater generando Filium, non det ei partem substantiæ Patris, sed totam substantiam, & certum est quòd illud cap. loquitur de natura diuina, quæ est tota in tribus, & sic per generationem Pater communicat illam Filio, & hoc probat per illud Ioan. 5. *Pater quod dedit mihi maius est omnibus:* quòd tantùm potest intelligi de natura diuina, quæ est terminus formalis generationis Filij, vt infrà probat Doctor *d. 5. q. 1.* & ibi multa exposui de ista materia. Tum etiam, quia Magister vult *d. 5. primi*, quòd Filius sit genitus de substantia Patris: & patet quòd ly *substantia* tantùm accipitur pro natura diuina: quia Magister vult ibi quòd sit genitus de substantia Patris, id est, vt consubstantialis Patri, vt exponitur ibi à Doctore. Non ergo accipit ibi cap. illud *substantiam* pro omni entitate incommunicabili. Non enim talis entitas incommunicabilis dicitur substantia, accipiendo, provt hîc accipitur à Magistro, & ab Ecclesia, quia accipitur *substantia* pro entitate Deitatis, quæ est vltima perfectio quiditatiua personarum: modò entitas personalis, siue proprietas, non est aliqua perfectio, nec quiditatiua, nec attributalis, cùm per ipsam, persona distinguatur à persona: aliqua perfectio esset in vna persona, quæ non in alia: ergo talis entitas nec dicit perfectionem, nec imperfectionem, vt patet à Doctore in pluribus locis. Imò illud cap. est magis contra Gregorium, quia si vult, quòd Pater generet Filium realiter, ergo Filius per generationem accipit aliquod *esse* reale: aliter non esset persona ex natura rei: quæro tunc, quod *esse* reale accipit à Patre? aut *esse* quòd est Pater, loquendo de totali *esse* reali tantùm: si sic, ergo Pater generat seipsum realiter, quod est impossibile: ergo per illud cap. habetur, quòd Pater generando Filium, tantùm communicat Filio essentiam diuinam, & omnem entitatem, quæ est perfectio simpliciter, & non proprietatem, quâ pater est pater realiter.

16. *Ad secundam. Personas esse eandem rem potest intelligi dupliciter.* Ad secundam, cùm dicit, quòd si essent in personis tales proprietates, tunc non eadem res est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vt dicit Ecclesia. Dico, quòd istas tres personas esse eandem rem, potest dupliciter intelligi. Primò, quòd sint eadem natura diuina, siue eadem essentia; vel perfectio essentialis diuina essentialiter, & realiter. Secundò, quòd sint eadem natura diuina omnibus modis ex natura rei, ita quòd paternitas sit formaliter essentia diuina, & è contra. Primo modo, conceditur quòd sunt eadem res: & sic Sancti intelligunt & Ecclesia, nec alium sensum habere potest, saluando realem productionem in diuinis, & realem distinctionem personarum, & vnitatem essentiæ diuinæ, vt posset euidenter per multas rationes probari. Secundo modo, dico, quòd non sunt eadem res formaliter, quia nec Pater dicitur formaliter essentia diuina, vt patebit infrà *dist. 4. quæst. 2. & dist. 5. quæst. 1. & 2. & dist. 26.* Et sic concedo, quòd Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vltra essentiam diuinam (quâ dicuntur vna res realiter, & essentialiter, & quâ dicuntur Deus) includunt aliquas proprietates ex natura rei formaliter distinctas ab essentia diuina, vt patet infrà *dist. 8. quæst. 3.* Vel saltem distinctas ex natura rei; vel non idem formaliter, vt patet hîc præsenti quæst. à Doctore, quibus etiam proprietatibus personæ realiter distinguuntur ab inuicem, accipiendo *realem distinctionem* secundùm quòd exposui in responsione ad primum argumentum principale præsentis quæstionis.

Ad tertium, quando dicit, quòd tunc essentia diuina non esset Pater, nec è contra. Respondeo, quòd essentiam diuinam esse Patrem, potest dupliciter intelligi: vel per identitatem realem, vel formalem. Primo modo, dico quòd essentia diuina est Pater prædicatione identica, vt patet infrà à Doctore *dist. 4. quæst. 1.* Accipiendo tamen *Patrem* substantiuè, non adiectiuè: essentia enim diuina, nec prædicatione identica, nec formali est Pater, accipiendo *Patrem* adiectiuè, vt subtiliter probat Doctor infrà *dist. 5. quæst. 1.* Et similiter concedo quòd Pater est essentia diuina prædicatione tantùm identica, & accipiendo *Patrem* substantiuè, non autem adiectiuè, vt patet à Doctore infrà *dist. 5. quæst. 1.* Sed accipiendo secundo modo, dico, quòd Pater, nec adiectiuè, nec substantiuè est formaliter essentia, nec è contra, vt patuit suprà. Et cùm dicitur per illud cap. quòd *vna quædam summa res est*, &c. Concedo, quòd tres personæ sunt ipsa natura diuina, siue ipse Deus realiter, & essentialiter: non tamen omnibus modis est eadem ex natura rei, & sic debet intelligi. *Ad tertiam, essentiã diuinam esse Patrem potest intelligi duobus modis.*

Ad quartam, quando dicit quòd si persona habet aliquam propriam entitatem, præter communem quòd tunc sequitur, quòd quælibet persona, præter diuinitatem communem, habet etiam propriam diuinitatem, & sic in Trinitate essent quatuor diuinitates. Dico primò, quòd miror quòd tam excellens Doctor inferat hanc consequentiam, quia secundùm Magistrum (vt patet d. 5.) *In diuinis est res, quæ non est genita, sed generans, & res tantùm genita, & res tantùm spirata; & res nec generans, nec genita, nec spirans, nec spirata, quæ est essentia diuina*; & tamen non sequitur, quòd illæ res, quæ est generans, &c. dicant propriam diuinitatem, distinctam à diuinitate communi, quia illæ tres res sunt realiter, & essentialiter natura diuina: non tamen sequitur quòd formaliter, vt patet per illud cap. *Damnamus*, vbi Papa contradicit Ioachim dicenti Magistrum Petrum esse hæreticum: *Nos autem sacro approbante Concilio credimus, & confitemur cum Petro, scilicet quòd vna summa res est essentia, vel natura diuina, quæ nec generat, nec generatur, & tamen non sequitur, quòd sit quaternitas: quia illa tres res Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sunt illa vna res: quaternitas autem non esset, nisi esset quartum realiter distinctum à tribus.* Apparet ergo, quòd consequentia, quam infert Gregorius, non est multùm, nec satis euidens. 17. *Ad quartam.* *Vide hic Bargium, tutem quaternitatem.*

Respondeo ad argumentum, negando consequentiam: supponit enim manifestè falsum, videlicet quòd proprietas personæ sit entitas, pertinens ad perfectionem quiditatiuam, quod non est dicendum. Si enim esset aliqua perfectio quiditatiua diuina, illa esset diuinitas, quia ibi nulla est perfectio quiditatiua, nisi Deitas, vel diuinitas; aliæ perfectiones sunt perfectiones attributales. Sed nos ponimus huiusmodi

entitates dicere, nec perfectionem, nec imperfectionem, vt suprà dixi: sunt enim proprietates incommunicabiliter existendi. Et ideò non sequitur quòd sint entitates diuinæ propriæ personis. Sicut etiam non sequitur Petro, & Ioanni vltra humanitatem, quæ est entitas quiditatiua, sunt proprietates, quibus personaliter, vel suppositaliter, vel indiuidualiter distinguuntur: ergo huiusmodi proprietates sunt humanitates formaliter: non sequitur, sed tantùm fortè sequitur, quòd sunt humanitas realiter, non formaliter. Sic istæ proprietates in diuinis sunt diuinitas realiter, & essentialiter: non tamen sequitur, quòd formaliter.

18. *Aliquid esse Deum potest intelligi duobus modis.* Ad aliud quando dicit, quòd omnis entitas, quæ non est Deus, est creatura. Respondeo, quòd aliquid esse Deum potest dupliciter intelligi. Primò, quòd omnis entitas, quæ non est realiter Deus, est creatura. Secundò, quòd omnis entitas, quæ non est formaliter Deus, vel quæ ex natura rei non est omnibus modis idem quòd Deus, est creatura. Primo modo, posset concedi, quia omnis entitas, quæ est verè realiter distincta à Deo, non est Deus, & per consequens est creatura: sed isto modo non dicimus, quòd huiusmodi proprietates sint entitates, sic distinctæ à Deo, & per consequens sint creaturæ: sunt enim ipse Deus realiter, & essenialiter, licèt non formaliter. Secundo modo, negatur quòd omnis entitas, quæ non est formaliter Deus, sit creatura, est enim realiter Deus. Primo modo intelligit Augustinus, non secundo modo, qui ponit huiusmodi proprietatem distingui à Deo vt patet, quia non eo Pater est Deus, quo Pater est Pater, vt expositum est in præsenti quæst. Et per idem patet ad illud Hugonis, cùm dicit, quòd *Omne, quod in Deo est, aliud esse non potest quàm Deus*; verum enim dicit, quòd omne tale est realiter, & essentialiter tale; non tamen vult quòd sit formaliter tale, vel omnibus modis ex natura rei sit Deus. Et sic patet quid Augustinus, & Hugo intelligant.

19. *Cum summa simplicitate stat distinctio præter opus intellectus.* Ad aliud de simplicitate, dico præmittendo aliqua. Primò, quòd summa simplicitas non dicit ex sua ratione summam identitatem, excludendo omnem distinctionem: imò cum summa simplicitate stat aliquorum distinctio, vt magis infrà patebit *dist. 5. quæst. 2. & dist. 8. quæst. pen. & dist. 26. & in Quodlib.* Si enim cum summa simplicitate non staret aliqua distinctio, præter opus intellectus, nullo modo posset saluari distinctio personarum cum vnitate naturæ diuinæ. Secundò præmitto, quòd simplicitas opponitur compositioni, & *compositio* potest accipi, vel *ex his*, vel *cum his*, & omne compositum *ex his* de necessitate includit plura: quorum vnum est potentia, vel quasi potentia, & aliud est actus, vel quasi actus. Similiter omne componibile alteri, vel habet rationem actus informantis, vel rationem materiæ informabilis. Tertiò præmitto, quòd vbi aliqua duo ad inuicem comparantur; ita quòd vnum transit in perfectam identitatem alterius (loquendo de identitate reali) nunquam illa componunt aliquid, quia vt sic, vnum non dicitur actus informans respectu alterius, vt patebit infrà à Doctore *dist. 5. quæst. 2. & dist. 26.* Quartò præmitto, quòd quando sunt aliquæ duæ entitates, comparatæ ad inuicem, quarum vna sit in vltima actualitate, ita quòd sibi repugnat formaliter posse vlteriùs contrahi, vel determinari, & alia, non habet rationem actus informantis, siue perficientis, sed tantùm est ratio, qua aliquid dicatur subsistere incommunicabiliter in aliqua natura: nunquam ex his potest fieri compositio, nec quasi compositio, vt subtiliter patet à Doctore infrà *dist. 5. q. 2. & d. 26. & in Quodlib.*

Istis præmissis patet responsio, quòd non sequitur personam diuinam non esse summè simplicem, quia nullo modo est composita, nec quasi composita ex essentia, & proprietate. Tum, quia ibi proprietas transiit in perfectam identitatem realem essentiæ diuinæ. Tum, quia essentia diuina ex se est simpliciter in vltima actualitate, & proprietas nullo modo nata est esse actus, nisi hypostaticus, vt infrà patebit, *locis preallegatis*. Et cùm dicit, quòd persona habens in se aliquid, quod ipsa non est, non est summè simplex. Dico, quòd hoc non sequitur, nisi vbi non est ipsum realiter, & essentialiter. Si enim non est ipsum formaliter, & tamen est ipsum verè realiter: tunc non sequitur compositio, imò stat summa simplicitas. 20.

Ad auctoritates. Primò ad illam Hilarij, patet quòd illa auctoritas tantùm loquitur de entitate pertinente ad perfectionem, cuiusmodi non est proprietas personalis, & sic Filius nihil habet pertinens ad entitatem perfectionalem, quin illa eadem entitas sit etiam in Patre, à quo est Filius, & sic hoc modo Pater, & Filius vnum sunt, non tamen dicit quòd sint vnum in proprietatibus, quibus constituuntur in *esse* reali personali, & quibus ab inuicem Pater, & Filius realiter distinguuntur.

Ad Isidorum de summo bono, concedo similiter quòd Pater, & Filius idem sunt, vel sunt vnum, scilicet secundùm omnem perfectionem, siue quiditatiuam, siue attributalem, & sic nihil pertinens ad huiusmodi perfectionem habet Pater, quod non habeat Filius, & sic debet intelligi: non enim vult, quòd sint vnum in persona, imò sunt distinctæ personæ: ergo præter illud, in quo sunt vnum, includunt aliquas entitates suppositales, siue personales, quibus realiter distinguuntur. *Quomodo Pater & Filius sunt vnũ, & non vnum.*

Ad auctoritatem Augustini, dico, quòd scientia, de qua Filius est genitus, est ipsa memoria Patris, vt patet à Doctore *præsenti d. & infrà d. 6. &* 27. & hæc memoria est in Filio, vt patet infrà d. 7. & falsum est quòd Pater sit illa scientia formaliter. Ad omnia alia patet responsio. 21.

Deinde arguit Gregorius de Arimino contra Scotum, probando quòd proprietas personalis non distinguitur ex natura rei ab essentia, in *primo dist.* 33. & 34. sic dicens: Hæc opinio, quæ est in suis verbis propriis recitata, sic apparet, tam ex rationibus eius recitatis, quàm ex dictis eiusdem alibi suprà in d. 28. cùm de attributis diuinis ageretur insimul recollectis: ponit ex natura rei distingui essentiam à proprietate, sic quòd in persona diuina sunt aliqua plura inter se distincta ex natura rei, ante omnem operationem intellectus creati, vel increati, quæ plura aliquádo vocat realitates, vbi suprà; aliquando entitates, vt *d. 2. q. vlt.* aliquando verò formalitates, sed vbi constat de intellectu, non est cura de nomine. Hac tamẽ pluralitate non obstante, dicunt tam essentiam, quàm personam esse summè simplicem, propter perfectionem: imò, vt alibi dicunt, perfectissimam identitatem proprietatis ad essentiam, & è conuerso. Conclusio ista videtur mihi falsa, & incompossibilis istis aliis simul dictis. Vnde probo primò, *Arguit Greg. Arim.*

quòd

quòd huiusmodi distinctio, vel pluralitas non est compossibilis cum simplicitate essentiæ, quod ex dictis illiusmet opinantis ostendo.

Primò sic: Entitas communicabilis Patris, scilicet essentia diuina, est summè simplex, vt dicunt, & verum est: ergo ipsa est omne quod ipsa habet, ad quod non dicitur relatiuè. Patet consequentia per eos suprà. Sed (vt dicunt) ipsa habet istas entitates incommunicabiles, quas vocant proprietates personales, cùm omnes fundet, nec ad eas dicitur relatiuè: ergo ipsa est quælibet illarum ex natura rei, aut si non sint essentia, ipsa non erit summè simplex.

Confirmatur, quia sicut ipsemet dicit *in hac dist. 33. quæst. 2. in Repor. Paris.* contra opiniones duas, quarum vna posuit inter essentiam, & proprietatem distinctionem realem, non simpliciter, sed rei absolutæ & rei relatiuæ: alia verò distinctionem modalem, quam pro tanto (vt isti referunt) dicebat posse vocari realem, quia non erat per operationem intellectus: sic oportet saluare simplicitatem diuinam: vt ratio, quæ est causa simplicitatis in persona, ponat habens esse id, quod habetur. Ex quo sequitur necessariò, quòd si formalitas communicabilis habet formalitatem, vel entitatem incommunicabilem (vt dicunt) quòd ipsa sit illa, vel ipsa non est simplex.

22. Secundò probo, quòd talis distinctio repugnet simplicitati personæ per rationem eorum ibidem contra dictas opiniones, quæ talis est: Ex quibuscunque qualitercunque distinctis ex natura rei est aliquid vnum: alterum eorum est actus, & alterum potentia: si ergo essentia, & relatio distinguantur qualitercunque ex natura rei, & ex eis est persona, alterum erit actus, & alterum potentia, & per consequens persona ex natura rei erit composita compositione, quæ destruit simpliciter eius simplicitatem: hæc omnia verba sua sunt.

Deinde exquisitè probat illam maiorem, quam probationem non oportet nunc recitare hîc. Nulla argumẽtatio, vel declaratio alia est opportuna ad ostendendum incompossibilitatem secundùm dicta eorum, aut etiam falsitatem conclusionis in se, cùm expressè dicant, quòd si qualitercunque distinctio est, aut sit ex natura rei inter proprietatem, & essentiam, persona non erit simplex simpliciter, sed composita compositione, quæ destruit eius simplicitatem. Cùm ergo (secundùm ipsos, & secundùm veritatem persona sit summè, & simpliciter simplex) sequitur quòd nulla omnino est ex natura rei distinctio.

Præterea. Ad idem arguo sic: Pater habet in se aliquam entitatem communicatam Filio, & aliquam entitatem non communicatam Filio: ergo Pater non est omnino simplex. Antecedens (licèt sit falsum) est datum ab opinante in prima responsione facta suprà, & consequentia tenet per Concilium *extrà de sum. Trinit. & fid. cath. Damnamus,* sicut suprà patet *dist. 26. conclus. 3 illius quæst.*

Tertiò, arguo contra conclusionem in se ex dictis opinantis, & probo per aliam rationem, quam suprà facit contra prædictam opinionem, quæ est talis de verbo ad verbum: *Omnis res (accipiendo rem generalissimè) habens distinctionem ab alia re qualitercunque, aut est ens informans, aut informatum, aut per se existens, nec informans, nec informatum. Si ergo relatio sit res distincta ab essentia, aut ergo sic, vel sic: non primo, vel secundo modo, quia sic vel esset actus, vel potentia respectu essentia, & per consequens faceret compositionem in persona. Si verò sit res tertio modo, scilicet per se subsistens, sequitur quòd proprietas per se subsistit sicut persona: & sic persona non includeret essentiam, vt aliquid sui, sed tantùm relationem: quod est impossibile.* hæc ipse. Ex quibus patet quòd (cùm accipiat *rem* generalissimè, & qualitercunque distinctam ab alia) sequitur quòd proprietas non est realitas, vel entitas, aut formalitas, vel modalitas, aut quouis alio modo nominaretur ex natura rei distincta ab essentia: saltem si argumentatio eorum bona sit, cùm *res* generalissimè accepta dicatur de qualibet entitate.

Vnde eadem argumentatio potest fieri. Posito hoc termino *entitas*, vel hoc termino *formalitas* loco huius termini *communis res.* 23.

Confirmatur, quia si non sic intelligant, vt dicatur quòd non valet argumentatio contra ponentes relationem non esse propriè rem, sed modalitatem rei: contra quos ista argumenta valent.

Præterea, ista formalitas relationis præcisè secundùm se est distincta ab essentia ex natura rei; & cum hoc (vt dicunt in quæst. proximè allegata) est sibi eadem perfectissima identitate, ac si non distingueretur ab ea: ergo secundùm argumentationem eius contra Præpositiuum dist. 26. ipsa non est ab essentia se tota primò diuersa, sed aliquo sui conuenit cum illa, & aliquo sui distinguitur: ergo per secundam suam rationem nunc suprà allegatam, habet in se aliqua distincta ex natura rei, & sit *A* id, quo ista formalitas est eadem essentiæ, & sit *B* id, quo distinguitur ab ea, & tunc de *B* præcisè sumpto quæro, vtrùm sit aliquo modo idem essentiæ ex natura rei, vel non. Si non, ergo persona includens *B* & essentiam, non est simplex, quia secundùm illos non saluatur simplicitas personæ, nisi propter perfectissimam identitatem eorum quæ includit. Et postea de ipso *B* quæretur, an sit informans, vel informatum, aut per se subsistens, sicut statim ipsi arguebant. Si verò sit aliquo modo idem ex natura rei ipsi essentiæ, ergo aliquo sui est idem, & aliquo sui distinguitur, sicut priùs, & sic in infinitum, vel oportet dare aliquid in persona, quod nullo modo erit idem ex natura rei ipsi essentiæ, & per consequens persona non erit summè simplex, quod est erroneum; & contra eos. Plura alia ex dictis eorundem possent adduci repugnantia istis, sed dicta sufficiant.

Respondeo ad primum. Cùm dicit, quòd essentia diuina propter sui simplicitatem est omne, quod ipsa habet, ad quod non dicitur relatiuè. Dico, quòd hoc potest dupliciter intelligi. Primò, quòd sit pura paternitas (ad quam essentia non dicitur relatiuè) ex natura rei, accipiendo *ex natura rei* pro vera identitate reali. Secundò, quòd sit paternitas ex natura rei, id est, quòd sit eadem omnibus modis præter omne opus intellectus collatiui. Primo modo, essentia diuina est paternitas, quia ipsa paternitas transit hoc modo in perfectam identitatem realem, propter infinitatem, & simplicitatem essentiæ diuinæ, vt patet à Scoto *in primo dist. 5. quæst. 2. & dist. 16. & in Quodlib.* & sic prædicatione identica conceditur ista: *Essentia est paternitas*, vt patet à Doctore *in primo dist. 5. quæst. 1. & alibi.* Et hoc modo non conceditur ista: *Essentia est Pater*, accipiendo *Patrem* adiectiuè, vt patet à Doctore *in isto*

24. *Responsio ad argumenta Gre. de Ari.*

Ista est vera, essentia est paternitas, & tamen ista est falsa, essentia est Pater.

isto primo dist. 5. quaest. 1. Non enim Pater potest prædicari de ipsa identicè, cùm vt sic, adiectiuè sumptus, sit tantùm natus prædicari formaliter: nec etiam est vera formaliter, quia tunc esset vera in primo modo dicendi per se, vt patet à Scoto *vbi suprà*, & vide ibi, quæ exposui. Secundo modo dico, quòd paternitas non est ex natura rei essentia, nec è contra: quia paternitas, vt paternitas, non transit in essentiam diuinam in istam identitatem realem, quia tunc omnibus modis paternitas, & essentia essent idem præter opus intellectus collatiui, quod non concedimus. Sunt enim distinctæ realitates, licèt non distinctæ res: imò sunt simpliciter vna res realiter. Et cùm infert, ergo si istæ proprietates sunt distinctæ ex natura rei ab essentia diuina, essentia non erit perfectè simplex. Hoc habet probare. Stat enim cum perfectissima simplicitate distinctio aliqua, præter omne opus intellectus, vt infrà patebit à Doctore *dist. 5. quaest. 2. & dist. 26.* & vide quæ ibi exposui, & difficultates, quas ibi adduxi. Ad hoc enim vt esset aliqualis compositio, oporteret quòd proprietas aliquo modo diceretur actus perficiens, vel informans essentiam diuinam: non enim determinat essentiam, sed tantùm hypostasim. de hoc vide Scotum *vbi suprà*.

Quomodo stat distinctio cũ summa simplicitate.

Ad confirmationem illam dico (vt dixi suprà) quòd formalitas communicabilis habet formalitatem incommunicabilem, & eo modo, quo habet, eo modo est illa. Et concedo, quòd habet ipsam ex natura rei, accipiendo *ex natura rei* realiter: non autem accipiendo *ex natura rei*, sicut exposui suprà secundo modo, & est eadem responsio cum priori, vt patet.

Ad secundum, quo probat quòd talis distinctio repugnat simplicitati personæ per rationem eorum *in Repor. dist. 33. quaest. 2.* Dico primò quòd (vt patet ibi) non vult Doctor quòd huiusmodi distinctio repugnet simplicitati, cùm ipse respondendo ad quæstionem illam, concedat expressè huiusmodi distinctionem. Facit enim ibi aliqua argumenta contra huiusmodi distinctionem, quæ alibi præsupponit soluta, vt in primo *d. 2. part. 1. q. 1. dist. 5. q. 2. d. 26. & alibi.*

25. Ad tertium respondeo, vt suprà responsum est ad secundum argumentum, quòd illa argumenta ibi facta in Reportatis, quamuis ibi non soluat, præsupponit tamen alibi in simili esse soluta: aliter sibi contradiceret in præsenti dist. & infrà *dist. 8. q. 3.* vbi in responsione cuiusdam argumenti, dicit quòd necesse est proprietatem hypostaticam distingui formaliter ab essentia diuina: vide ibi. Et sic ad mentem huius Doctoris potest faciliter responderi. Primò, quòd licèt proprietas non sit informans, nec informata, nec per se subsistens: est tamen ratio formalis per se subsistendi, & talis non dicitur propriè actus alicuius, vt patet subtiliter à Scoto *in primo dist. 26. & dist. 5. quaest. 3.*

26. Potest secundò dici simul ad secundum & tertium argumentum, quòd Scotus accipit *rem, vt* distinguitur contra *modum rei*, & sic relatio in diuinis non potest dici *res*, sed magis *modus rei:* de quo modo vide Doctorem *in Quodlib. quaest. 3.* & sic conceditur quoad secundum, quòd ex quibuscunque, scilicet rebus, qualitercunque distinctè ex natura rei est aliquid vnum, alterum est actus, & alterum est potentia: sed postea negatur, quòd relatio, & essentia sint res huiusmodi: sed essentia est vera res, & relatiò modus rei. Et similiter quoad secundum, conceditur quòd omnis res, accipiendo *rem* generalissimè, vt *res* generalissimè accepta distinguitur contra *modum rei*, aut est ens informans, aut informatum, aut per se existens: sed negatur quòd hoc modo relatio sit res, sed tantùm est modus rei: & maximè quando est talis modus rei, quòd nullo modo potest esse perfectio alterius. Et cùm dicit Gregorius quòd *res* generalissimè accepta dicitur de qualibet entitate: negatur quòd hoc modo dicatur de entitate accepta pro modo rei.

Quomodo relatio in diuinis nõ sit res.

Ad vltimum dico, quòd paternitas se tota distinguitur ab essentia, quia formalitas paternitatis in nulla realitate quiditatiuè conuenit cum essentia diuina, licèt realiter sit idem cum essentia diuina: sicut etiam in nobis vltima differentia se tota distinguitur quiditatiuè ab eo, cuius est vltima differentia, licèt sit realiter eadem cum eo. Et sic in proposito, licèt paternitas secundùm totam suam entitatem realem transeat in identitatem realem cum essentia diuina, & sit idem quòd essentia diuina: non tamen transit formaliter, siue secundùm identitatem formalem: eadem enim entitas secundùm se tota est realiter essentia diuina, & eadem simpliciter est distincta formaliter: nec enim imaginor in paternitate duas realitates, & quòd secundùm vnam dicatur idem realiter cum essentia diuina, & secundùm aliam distinguatur formaliter ab essentia diuina: sed est vna entitas simplicissima, quæ, vt comparatur ad essentiam diuinam, dicitur realiter, & identicè essentia diuina: non tamen dicitur formaliter essentia diuina. Et patet quomodo falsum est, quod assumit, scilicet quòd proprietas aliquo sui distinguatur ab essentia diuina, & aliquo sui conueniat cum essentia, & sic non oportet procedere in infinitum. Et sic patet responsio ad rationes Gregorij.

Nunc restat respondere ad rationes opinionis recitatæ. Ad primam cùm dicitur, quòd essentia est vna realiter: proprietates sunt plures realiter realitate relatiua: ergo differunt. Respondeo primò, quòd si argumentum esset efficax, probaret quòd essentia non esset realiter proprietates, quod est hæreticum & contra ipsummet Doctorem in verbis sine medio præcedentibus, vbi ait: *Est ergo essentia diuina paternitas, & quæcunque alia proprietas, & è conuerso: licèt non formaliter.*

Greg. de Ari. respondet rationibus Scoti.

Ad argumentum tamen dico, quòd sicut essentia est vna substantiandi essentia realiter, ita proprietates sunt vna essentia realiter, & sicut proprietates sunt plures, non quidem essentialiter, sed plures proprietates realiter, ita essentia est plures proprietates realiter, licèt non sit plures essentiæ, & ita si suppleantur propositiones, addendo suis adiectiuis sua substantiua, sicut oportet in isto argumento, & multis aliis circa istam materiam, patebit quòd non concludunt.

Ad aliam cùm dicitur, quòd Pater habet rem communicabilem, & rem incommunicabilem, &c. Istud argumentum etiam probaret quòd non esset eadem res, nec eadem essentia, quia sicut dicunt quòd non est eadem realitas, quæ est communicabilis, & quæ est incommunicabilis realiter: sic nec eadem res est, quæ est communicabilis, & quæ incommunicabilis: similiter nec eadem essentia: & tamen constat quòd proprietas

prietas est res, & essentia quædam. Dico ergo ad argumentum, quòd antecedens est falsum, & vt apparet, non benè consonum fidei, propter illam partem, quæ dicit, quòd Pater habet aliquam rem, vel realitatem, vel aliquam entitatem (non curo de nomine) non communicatam Filio: nam manifestè repugnat expresè determinationi Ecclesiæ in illo cap. *Damnamus*, vt in 3. conclusione quæst. circa dist. 26. in prima responsione illius quæst. patet euidenter. Et si arguatur contra hoc, quia si sic: sequitur, quòd Pater communicat Filio paternitatem. Dico, quòd hoc consequens potest habere duplicem sensum. Vnus est, quòd communicauit Filio entitatem illam, quæ est paternitas, & sic concedo illud. Alius est, communicauit Filio paternitatem, id est, communicauit, quòd Filius esset Pater, & iste sensus est falsus, nec sequitur ex primo, qui verus est, & quem omnes habent concedere: sicut omnes concedunt, quòd communicauit essentiam, quæ est paternitas.

Patrem communicasse Filio paternitatem, duobus modis intelligi potest.

27. Ad aliud, dicendum quòd Pater nullo sui transitiuè conuenit, aut distinguitur à Filio, sed seipso primò conuenit essentialiter cum Filio, & distinguitur personaliter ab eodem, sicut ibidem ad eandem rationem clariùs est responsum.

Ad aliud dico, quòd assumptum fundamentum illius rationis, scilicet beatus intuẽdo Deum videt Deitatem distinctam à proprietate, est falsum: imò videt eam penitus indistinctam, sicut est in rei veritate, & ideò rationi, quæ super hoc fundatur, non oportet vlteriùs respondere.

Ad primam auctoritatem: *Omnis essentia, quæ relatiuè dicitur*, &c. Dico primò, quòd falsè additur ibi ly *aliud*: nihilominus, siue sit, siue non, auctoritas non est contrà, quia non aliud vult Augustinus, nisi quòd omnis essentia, quæ dicitur aliquid relatiuè: dicitur etiam aliquid ad se, vt dictum est suprà de relationibus quæst. 1. Et cùm dicitur, quòd in re est essentia, quæ est ad se, & non ad aliquid, & Pater dicitur relatiuè; sed non est formaliter eadem entitas ad se, & non ad se. Dico primò, quòd ita potest argui, quia non eadem entitas est realiter ad se, & non ad se, & sic si argumentum valeat, valebit illud ad probandum quòd non sunt vna res. Secundò dico, quòd istud contradicit auctoritati allegatæ, quæ dicit, quòd omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, est aliquid, &c. Et si Pater non esset aliquid ad se, &c. ergo essentia esset aliquid ad aliud, & aliquid ad se, alioquin non omnis res, quæ dicitur relatiuè, esset aliquid ad se, vt dicit auctoritas. Dico ergo, quòd auctoritas est expresè ad oppositum eius, ad quod adducitur, & est pro conclusione, quam teneo. Nam ex ea patet (vt suprà dist. 30. est diffusiùs declaratum) quòd omnis entitas mundi, quæ est relatiua, vel aliquid ad aliud, quòd ipsa est ad se. Sic in proposito dico, quòd Pater est Pater ad aliquid, siue relatiuè, sed cum hoc est diuinitas non ad aliquid, sed ad se. Similiter essentia est essentia ad se, & non ad aliquid, & est Pater ad aliquid, & non ad se, nec propter ista oportet ponere aliquam distinctionem in Patre; quoniam etsi aliqua entitas relatiua poneretur in illo præter essentiam commuem, adhuc illa esset entitas quædam, & essentia. Et constat quòd non diceretur entitas, vel essentia relatiuè, vt ibi suprà ostensum est ex intentione Augustini ibidem.

Et notandum, quòd vbi Sancti dicunt aliquid esse, vel dici ad se, aliquid verò ad aliquid: illud potest intelligi de terminis illis *absoluto*, & *relatiuo*, & est sensus quòd ille prædicatur de aliquo ad aliquid: ille autem non ad aliquid, sed ad se absolutè: cum hoc autem stat, quòd prædicentur de eodem. Potest etiam intelligi de rebus, pro quibus termini tales supponunt, vel verificantur. Et tũc cùm dicitur de aliquo, quòd est ad aliquid, debet intelligi, quòd est Pater ad aliquid, verbi gratia: cùm dicitur, quòd Pater est ad aliquid, debet intelligi, quòd est Pater ad aliquid. Et cùm dicitur quòd aliquid est ad se, debet intelligi, quòd est ipsum ad se, verbi gratiâ: si dicatur quòd homo est ad se, intelligendum est quòd homo est homo ad se. Sed patet quòd simul cum hoc, quòd homo est homo ad se, etiam est Pater ad aliquid, & cum hoc quòd Deus est creator ad aliquid, est etiam Deus, & spiritus ad se, nec sequitur (sicut patet ad bonum intellectum) non est Deus ad aliquid: ergo non est ad aliquid. 28.

Nota.

Ad aliam auctoritatem eiusdem dico, quòd ly *eo*, & *quo*, possunt dupliciter accipi. Vno modo secundùm quòd sunt pronomina, quæ possunt pro aliquibus entitatibus extra animam supponere, quomodo accipit argumentum, & tunc dico quòd non sic accipit Augustinus cùm ait, quòd *Filius non est eo verbum, quo sapientia*, quia hoc esset prorsus falsum, quoniam Filius vnica simplicissima entitas est, & ea est Sapientia, & Verbum, & Filius, & omne quod est, & ideò sic acceptis illis vocabulis verè dicitur, quòd *Filius est eo verbum, quo sapientia*, id est, ea entitate est verbum, qua est sapientia. Et similiter è conuerso ea entitate, qua est Verbum, est sapientia: propter quod secundùm hanc acceptionem etiam verè dicitur, quòd eo est sapientia, quo verbum. Alio modo ly *eo*, & *quo* possunt accipi, vt sunt coniunctiones, & hoc dupliciter. Nam aliquando sic acceptæ sumuntur, vt æquiualent dictioni, in qua est nota reduplicationis, vt *inquantum*, & *secundùm quòd*, & huiusmodi. Et sic reddunt propositionem reduplicatiuam, & secundùm hunc modum istæ duæ æquiualent: *Homo inquantum animal est sensibilis*, & *homo eo, quo est animal est sensibilis*, ita quòd ly *quo* ponatur ad terminum reduplicatum. Alio modo possunt accipi, vt sunt coniunctiones causales æquiualentes istis, *ideo*, & *quia*, & eodem modo reddentes propositionem causalem. Et hoc modo istæ duæ æquiualent: *Homo eo, quo est animal est sensibilis*, & *Homo, quia est animal est sensibilis*.

Eo, & quo possunt intelligi dupliciter.

Nunc ad propositum dico, quòd Augustinus accipit in verbis allegatis ly *eo*, & *quo*, primo modo, scilicet vt habent vim reduplicandi, & idem valet ista: *Filius non eo est verbum, quo est sapientia*, quòd & ista, *Filius non inquantum sapientia est verbum*, & hæc est vera, quia sua opposita est falsa, scilicet hæc, *Filius inquantum sapientia est verbum*, quoniam tunc sequitur, quòd Pater esset verbum, cùm Pater sit sapientia. Et eodem modo accipit ly *eo*, & *quo*, cùm ibidem ait, quòd *eo sapientia, quo essentia*. Nam istis vocabulis acceptis contractè ad essentiam, & sapientiam Dei: hæc est vera; *Filius inquantum est essentia est sapientia*. Et quia Pater est essentia, & ambo vna essentia: ideò concludit in fine præcedentis capituli per istud medium quòd Pater, & Filius sunt vna sapientia, & ne quis putaret quòd sicut sunt vna sapientia, sic essent vnum Verbum, cùm ipsum 29.

Verbum sit sapientia: ideò ait, quòd Filius, non inquantum sapientia, est verbum: hoc expressè est intentio sua in illo cap. sicut patet diligenter aduertenti. Et quamuis (vt puto) iste fuerit intellectus Augustini, posset tamen intelligi, & benè, secundo modo: etiam vt ly *eo*, & *quo* teneantur causaliter, vt essent nota causalitatis præcisè. Et tunc esset sensus, quòd Filius non præcisè quia est sapientia, est Verbum, & hoc est verum, quia tunc Pater (cùm sit sapientia) esset Verbum. Sed ad hunc sensum non videtur posse intelligi quod sequitur, scilicet *sapientia verò eo, quo essentia*. Non enim quia essentia, ideò sapientia, non plusquam è contra, ideò essentia, quia sapientia, vt videtur: & ideò præcedens modus conuenientior est. Ex neutro autem istorum modorum exponendi dictum Augustini, sequitur quòd Filius aliquo alio extra animam sit sapientia, & alio sit verbum, sicut concludere nititur argumentum: sicut non sequitur quòd albedo aliquo alio extra animam sit ens, & alio sit albedo, quamuis vtroque modo ista sit vera: *Albedo non inquantum ens est albedo*, & similiter ista, *Albedo non inquantum color est albedo*, & tamen non per aliud à parte rei est color, & per aliud est albedo.

30. *Rationes Greg. de Ari. nō cōcludunt contra Scot.* Nunc ostendendum est responsiones Gregorij non euacuare rationes, quas facit Scotus, præcipuè in Reportatis *dist.* 33. *quæst.* 1. Et prima ratio Scoti est, quia Pater ex natura rei in primo signo originis habet rem communicabilem, vt essentiam, & rem incommunicabilem, vt proprietatem, & hoc ex natura rei; aliter non esset persona ex natura rei, sed realitas communicabilis ex natura rei, & realitas incommunicabilis ex natura rei non sunt eadem realitas ex natura rei, vt patet: ergo. Et hoc argumentum est idem in sententia cum illo primo facto præsenti distinct. à Doctore. Cùm ergo Gregorius dicit quòd si argumentum Doctoris esset efficax, probaret quòd essentia non esset realiter proprietas. Dico, quòd non sequitur, quia paternitas, cùm sit eadem res cum essentia realiter tantùm, non formaliter, benè sequitur quòd sicut essentia est realiter communicabilis, quòd etiam paternitas sit realiter communicabilis, cùm sit vna res realiter: non tamen sequitur quòd paternitas sit formaliter communicabilis, & essentia formaliter incommunicabilis, cùm non sint vna formalitas: quod tamen sequeretur, si essent vna formalitas: sicut etiam sequitur in nobis: homo est realiter *Nota hoc exemplum.* capax beatitudinis, & similiter risibile, siue relatio creaturæ ad Deum, cùm sint vna res realiter, non tamen sequitur: homo formaliter est capax beatitudinis: ergo & relatio ipsius ad Deum: sunt enim distinctæ formalitates. Cùm ergo essentia diuina sit ex sua ratione formali communicabilis, & proprietas ex sua ratione formali sit incommunicabilis, & hoc præter omnem operationem intellectus, sequitur quòd non sunt idem ex natura rei, siue formaliter.

31. Et quando respondet ad argumentum Doctoris, quòd essentia est plures proprietates realiter, licèt non sit plures essentiæ: non soluit argumentum, quia cùm dicitur, essentia est paternitas realiter, quæro, aut inter essentiam, & paternitatem nulla est distinctio, præter omnem actum negociatiuum intellectus, & statim sequitur quòd ita præter opus intellectus est paternitas communicabilis, sicut essentia, aut inter ipsas est aliqualis distinctio, præter omne opus intellectus, & tunc habetur intentum. Et certè argumentum Scoti non potest solui.

Similiter cùm dicit, quòd hoc argumentum: *Pater habet rem communicabilem, & rem incommunicabilem*, &c. Probaret quòd non esset eadem res, nec eadem essentia, quia sicut non est eadem realitas, quæ est communicabilis, & quæ est incommunicabilis realiter, sic nec eadem res, quæ est communicabilis, & quæ est incommunicabilis, similiter nec eadem essentia.

Respondeo, quòd si accipiendo *realiter* propriè, essentia esset realiter communicabilis, & paternitas realiter incommunicabilis, tunc essentia non esset realiter paternitas. Esset enim implicatio contradictionis, si realiter non distinguerentur, & ideò dixi priùs, quòd accipiendo *realiter* propriè, vt distinguitur contra *modum rei*, vel vt distinguitur contra *formaliter*, quòd essentia est realiter incommunicabilis, quia vt sic, est ipsa res realiter, quæ paternitas, & similiter paternitas est realiter communicabilis, quia vt sic, est realiter res, quæ est essentia. Sed apud Doctorem non sequitur tale inconueniens, qui concedit quòd essentia ex sua formali ratione est communicabilis, & paternitas ex sua formali ratione est incommunicabilis, & sic essentia non est formaliter paternitas, vel non est adæquatè ipsa paternitas ex natura rei.

Et quando respondet ad argumentum, &c. 32. quòd hoc concedere, scilicet quòd Pater habet aliquam realitatem non communicatam Filio, videtur repugnare determinationi Ecclesiæ in illo cap. *Damnamus. extrà de sum. Trin. & fid. Cathol.* vbi dicitur: *Pater ab æterno Filium generando suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse testatur, Pater quod dedit mihi maius est omnibus.* & dici non potest, quòd partem substantiæ illi dederit, & partem ipse sibi retinuerit, cùm substantia Patris indiuisibilis sit, vtpote simplex omnino; sed nec dici potest, quòd Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quòd non retinuerit ipsam sibi, alioquin desiisset esse substantia. Ex his patet, quòd Pater non habeat sibi aliquam entitatem propriam, quam non dederit Filio.

Respondeo cum supportatione tanti viri, quòd non rectè intelligit illud capitulum. Loquitur enim, quòd Pater dedit omnem substantiam Filio, quod conceditur; sed ista proprietas Patris non est substantia, vt patebit infrà *dist.* 26. & 25. Dico etiam, quòd tantùm loquitur de entitate pertinente ad perfectionem, vt patet cùm dicit, *Quod dedit mihi Pater maius est omnibus*, quod principaliter intelligitur de essentia diuina, & secundariò de attributis, vt infrà patebit à Doct. *dist.* 5. *q.* 2.

Et si arguatur contra Gregorium, si paternitas est penitus idem cum essentia, ergo Pater communicauit Filio paternitatem. Dicit quòd Patrem communicare Filio paternitatem verum est, sic intelligendo, quòd communicauit illam entitatem, quæ est paternitas, quia essentiam diuinam, quæ est paternitas. Sed certè hic sensus videtur omnino includere repugnantiam, quia quæro, aut paternitas ex natura rei tantùm dicit

dicit essentiam, aut vltra essentiam, aliquam formalitatem, vel realitatem, vel modum rei, quo vltimatè dicatur Pater. Si secundo modo, habetur propositum, quòd illam non communicauit Filio, quia tunc Filius esset Pater formaliter. Non primo modo, quia tunc Pater non distingueretur realiter à Filio: patet, quia est simpliciter eadem essentia: si ergo Pater tantùm ex natura includit essentiam, & Filius ex natura rei tantùm includit essentiam: ergo Pater, & Filius sunt penitus idem ex natura rei, quòd est contra Sanctos, & contra determinationem Ecclesiæ in illo cap. *Damnamus*, vbi patet quòd in diuinis sint tres personæ ex natura rei, & non per actum negociatiuum intellectus. Et multa alia possent adduci inconuenientia.

33. Ad secundam responsionem ad secundum argumentum Scoti, quod fuit tale, quòd secundùm aliquid sui conuenit realiter cum aliquo, & per aliquid sui realiter differt ab illo, habet in se aliqua distincta ex natura rei: sed Pater conuenit realiter cum Filio per essentiam, & realiter distinguitur ab eodem per proprietatem relatiuam; ergo in Patre relatio, & essentia distinguitur ex natura rei. Dicit Gregorius quòd seipso distinguitur, & seipso est idem Filio.

Sed hæc responsio non potest stare Quia quæro, quid dicit Pater, quo est idem Filio? aut tantùm essentiam, & sic esset ratio distinguendi, quod est impossibile: aut vltra essentiam dicit aliquam proprietatem, & tunc stat argumentum Scoti, vt patet. Ad responsiones, quas dat ad auctoritates, quæ ponuntur præsenti distinctione. Cùm dicit, quòd ita potest argui, quòd non eadem entitas est realiter ad se, & non ad se, & sic si argumentum valeat valebit, illud ad probandum quòd non sunt vna res.

Dico primò, quòd non est simile, quia diceretur, quòd realiter esset ad se, & non esset realiter ad aliud, quia relatio transit in identitatem realem essentiæ, non è contra. Essentia enim propter sui infinitatem realiter continet omnem relationem diuinam, non è contra, vt patet à Doctore in simili *in 2. dist. 16.* hoc idem patet in isto primo *dist. 5. quæst. 2. & in Quodlib.* & sic, realiter loquendo, erit tantùm ens ad se: non sic sequitur in proposito, quia non transit in identitatem formalem, & hoc modo posset etiam dici de communicabili, & incommunicabili, de quo suprà.

Essentia quomodo contineat omnem relationem.

Dico secundò, quòd si loquimur de re propriè, sic intelligendo, eadem res secundùm totam entitatem realem est absoluta, & secundùm totam est relatiua: statim sequeretur quòd essent distinctæ res propriè dictæ, & hoc modo non potest intelligi de essentia, & proprietate. Sed accipiendo *rem* pro formalitate, hæc est vera, quòd paternitas secundùm totam suam entitatem est ad aliud, & essentia secundùm totam suam entitatem est ad se. Hoc idem dico de communicabili, & incommunicabili: non enim paternitas secundùm totam entitatem, quâ dicitur vera res, est incommunicabilis, quia tunc essentia diuina esset incommunicabilis: sed benè conceditur, quòd paternitas secundùm totam suam entitatem, quâ dicitur formaliter paternitas est incommunicabilis, & sic essentia, & paternitas non dicunt eandem formalitatem, licèt dicant eandem rem. Et similiter paternitas secundùm totam rem, quâ dicitur res realiter, & propriè non est ad aliud, quia vt sic, non distinguitur ab essentia, sed tantùm secundùm suam formalitatem.

Quomodo essentia est communicabilis, & paternitas incommunicabilis.

Ad aliud, quod addit in sententia, quòd idem simpliciter potest dici ad se, & ad aliud, vt cùm dicitur quòd *Pater est ad aliquid*, debet intelligi, quòd Pater est ad aliquid. & cùm dicitur, quòd *aliquid est ad se*, debet intelligi, quòd est ipsum ad se: verbi gratiâ, si dicatur quòd homo est ad se, intelligendum est, quòd homo est homo ad se, sed simul cum hoc, quòd homo est homo ad se, est etiam homo ad aliquid: sic in proposito de Patre in diuinis, potest dici ad se, & ad aliud, &c. 34.

Sed ista responsio est manifestè falsa, quia vt sic, nulla relatio posset distingui à suo subiecto, quod isti concedunt. Ideò pro nunc dimittatur ista materia, vsque ad distinctionem primam secundi, vbi probabitur quòd multæ relationes realiter distinguuntur à suis fundamentis. In proposito tamen de Patre in diuinis hoc sustineri non potest, scilicet quòd Pater ex natura rei tantùm dicat essentiam diuinam. Tum, quia nulla esset realis distinctio inter personas, cùm omnes personæ tantùm ex natura rei dicant essentiam. Tum, quia omnes personæ essent æquè communicabiles ex natura rei: patet, quia nihil ex natura rei includunt, nisi essentiam diuinam, per te: modò essentia diuina est formaliter communicabilis. Tum, quia non posset saluari productio in diuinis: patet, quia si Pater ex natura rei tantùm dicit essentiam diuinam, quæro quid generet Pater? Si personam Filij, quæro quid dicat persona Filij ex natura rei, cùm ipse sit persona ex natura rei? Si dicit tantùm essentiam diuinam, & eandem quam Pater dicit, ergo in re essentia diuina erit generans, & genita: & sic à seipsa erit ex natura rei distincta, cùm nihil gignat seipsum, *ex primo de Trinitate.* Et multa alia in inconuenientia possunt adduci, quæ relinquo aliis.

An relatio distinguatur à suo fundamento.

Et ex his patet, quid dicendum ad omnia sequentia istius Doctoris, procedunt enim omnia ex hoc, quòd vult, quòd Filius sit vnica simplicissima entitas, & illa est sapientia, & Filius, & Verbum, & omne quod est, & sic cùm dicitur, *Non eo est Filius, quo sapientia*, distinguit de ly *eo*, & *quo*, sed quia hæc omnia procedunt ex falso fundamento, non oportet hîc multùm immorari, vt patet. Ex his potest faciliter responderi ad omnes obiectiones, quas faciunt alij contra Scotum, & quomodo responsiones eorum non euacuant rationes Scoti, vide positionem Ocham *Quodlib.* 1. *q.* 2. & aliqualiter in primo *d.* 2. & similiter vide positionem Alfon. & Ioannis Anglici, & multorum aliorum.

Quidam nouus expositor sancti Thom. parte prima quæst. 39. artic. primo, nititur soluere rationes Scoti, probantes proprietatem personalem distingui ex natura rei ab essentia diuina, & tantùm respondet ad duas, scilicet ad istam: *Pater secluso opere intellectus habet entitatem communicabilem, & entitatem incommunicabilem*, &c. Secunda est: *Pater intelligens in primo signo originis à se, aut intelligit essentiam, & proprietatem, puta paternitatem, vt duo obiecta formaliter distincta, aut non: si sic habetur intentum: quia cognitio intuitiua est rei secundùm esse præsens in se: si non, ergo distinguuntur tantùm in modo concipiendi:* 35.

Caiet. nititur soluere rationes Scoti.

ergo ex distinctione inter ea non est hoc communicabile, & hoc incommunicabile. & tenet sequela, *quia distinctio secundum modum concipiendi nihil facit in re.*

Respondet præmittendo aliqua, scilicet quòd sicut in Deo secundùm rem, siue in ordine reali, est vna res non purè absoluta, nec purè respectiua, nec mista, aut composita, aut resultans ex vtraque; sed eminentissimè, &, formaliter habens, quòd est respectiuè, imò multarum rerum respectiuarum, & quòd est absolutè: ita in ordine formali, seu rationum formalium (secundùm se, non quoad nos loquendo) est in Deo vnica ratio formalis, non purè absoluta, nec purè respectiua, nec purè communicabilis, nec purè incommunicabilis; sed eminentissimè, & formaliter continens quicquid absolutè perfectionis est, & quicquid Trinitas respectiua exigit: oportet autem sic esse, quia cuilibet simplicissimæ rei secundùm se maximè vni oportet respondere vnam adæquatam rationem formalem: alioquin non esset per se primò vnum intelligibile, à quouis intellectu.

36. *Verbum Dei vnicum tantùm est.* Confirmatur, quia Verbum Dei vnicum tantùm est. Constat enim Verbum, si perfectum est, adæquare id, cuius est: fallimur autem, ab absolutis, & respectiuis ad Deum procedendo, eo quòd distinctionem inter absolutum, & respectiuum, quasi priorem re diuina imaginamur, & consequenter illam sub altero membro oportere poni credimus, & tamen est totum oppositum: quoniam res diuina prior est ente, & aliis differentiis entis, est enim super *ens*, & super *vnum*. Et propterea quemadmodum virtutes inferiores, non vt dearticulatæ, ac distinctæ inter se ad vnam Solis virtutem etiam formaliter eleuantur: multò magis absolutum, & respectiuum ad vnam rem, & rationem formalem diuinam eleuantur. Hoc præmisso respondetur ad primum argumentum Scoti, negando consequentiam. Ad probationem eius negatur assumpta conditionalis. Ex hoc enim quòd est vnius rationis in se, non sequitur: ergò tantùm communicabilis, vel tantùm incommunicabilis: sed stat, quòd sit & communicabilis, & incommunicabilis, & hoc propter infinitatem illius rationis formalis: nec est mirabilius vnicam rationem formalem habere vtrunque, quàm vnicam rem: imò illud secundùm rectam Philosophiam sequitur ex hoc posito per fidem.

Ad secundum argumentum dicit, quòd Pater in primo signo originis non intelligit essentiam, & paternitatem, vt duo obiecta formalia secundùm se, sed vt vnum formaliter, & multa virtualiter, vt patet ex dictis: non tamen ita, quòd in illa summa re, atque ratione formaliter, paternitas, & essentia sint virtualiter; sed ita, quòd sint formaliter, & realiter: sed distinctio earum est virtualiter, quia ita ibi sunt, ac si essent distinctæ. Et rursus, quia ita exercet propria vtriusque, ac si essent distinctæ. Vnde Scotus errauit, dimittendo hunc modum loquendi, & introducendo, vt propriissimum alium de distinctione formali ex natura rei. Nouus si quidem hic modus alienus valde est à diuinitatis eminentia formali. hæc ille.

37. *Cõtra Thom. Caiet.* Respondeo primò ad modum ponendi istius expositoris præmittendo aliqua. Primò, quòd omnis perfectio, etiam in creaturis, quæ non necessariò includit imperfectionem, ponitur formaliter in Deo vt sapientia, intellectus, & huiusmodi; perfectio verò, quæ necessariò includit imperfectionem, puta limitationem, & dependentiam, vt homo, lapis, quantitas, & huiusmodi: non ponitur in Deo formaliter, sed tantùm eminenter, vel virtualiter: & sic omnes mundi perfectiones ad vnam rem perfectissimam reducuntur, & sic quæ sunt sparsa hoc modo in creaturis, sunt vnita in ipso Deo. Secundò præmitto, quòd quamuis omnis pluralitas reducatur ad vnitatem, (scilicet si talis pluralitas non includat repugnantem modum, & oppositum modum) tamen aliqua pluralitas, propter modum repugnantem, non potest reduci ad vnitatem. Exemplum primi: Omnis pluralitas imperfectorum reducitur ad vnum perfectissimum, & similiter omnis pluralitas dependentium reducitur ad vnum simpliciter independens, & sic de aliis. Exemplum secundi, pluralitas productiuorum, siue rationum formalium producendi, non potest reduci ad vnitatem vnius rationis formalis producendi, & hoc propter repugnantem modum producendi, vt patet de ratione formali producendi per modum voluntatis, quia isti duo modi sunt formaliter repugnantes, ideò non possunt reduci ad vnitatem, & hoc satis patet à Doctore præsenti dist. part. 2. quæst. vltim. & dist. 10. & in Quodlib. Et sic oportet ponere in diuinis duas rationes formales producendi, scilicet vnam per modum naturæ, qua producitur Filius, & aliam per modum voluntatis, qua producitur Spiritus sanctus, vt subtiliter patet à Doctore *in isto prim. vbi suprà, & dist.* 13. *& alibi sæpè.* *Duæ sunt rationes formales producendi in diuinis.*

Ex his infero, quòd omnis pluralitas distinctorum debet reduci ad vnitatem, nisi sit formalis repugnantia in illo vno. Et sic in primo non potest poni, nisi perfectissima vnitas essentialis omnium, quæ sunt in illo, & similiter perfectissima vnitas realis omnium existentium in illo. Non potest tamen poni perfectissima vnitas formalis omnium existentium in illo: præcipuè ponendo illud vnum esse perfectissimè in pluribus suppositis, realiter distinctis ab inuicem, & quòd sit in vno à se, & in alio per realem generationem. Et ideò omnis distinctio, quæ includit aliquam imperfectionem, remouenda est ab illo, & distinctio, quæ nullam ponit imperfectionem, quia nec compositionem, nec potentialitatem, nec propriè diuersitatem, imò magis ad declarandam infinitam perfectionem, videlicet quòd vna res simplicissima sit indiuisibiliter in tribus suppositis, talis distinctio ponenda est ibi. Et ideò videtur pura fictio, quòd Deus sit eminentissimè formaliter absolutum, & respectiuum, quia si sic, quæro quomodo saluatur, quòd vna persona realiter generet aliam realiter distinctam? quando enim Pater generat Filium, quæro pro quo supponit *Pater?* Si pro persona includente paternitatem, & essentiam, ita quòd paternitas non sit formaliter essentia, habetur propositum. Si pro essentia tantùm, quæro pro quo supponit *Filius*? certum est quòd pariformiter tantùm supponet pro essentia: ergo Pater non generat aliquod realiter distinctum: imò tantùm seipsum generabit. 38.

Et præterea, cùm suppositum propriè generet, non potest generare verè realiter, nisi sit suppositum ex natura rei, cùm ergo Pater realiter generet illud suppositum, non potest poni natura diuina,

diuina, cùm sit tribus communicabilis: ergo Pater vltra essentiam aliquid ex natura rei includit, per quod dicitur suppositum ex natura rei: ergo tale inclusum ex natura rei erit ab essentia distinctum, quia si nullo modo distinctum, ergo Pater tantùm erit essentia.

38. *Caietanus nõ soluit primũ argumentum Scoti.* Et ex his patet quòd responsio ad primum argumentum Scoti nihil valet: quia est impossibile (vt suprà exposui respondendo ad Gregorium) quòd idem ex natura rei, & præter omne opus intellectus sit formaliter communicabile, & incommunicabile: licèt non sit inconueniens concedere idem realiter esse incommunicabile, & communicabile: eo tamen modo, quo suprà exposui contra Gregorium. Et quod dicit, quòd non est mirabilius vnicam rationem formalem habere vtrunque, quàm vnicam rem: patet hoc non esse simile, quia esse incommunicabile ex natura rei secundùm suam rationem formalem importat aliquid, quod non importat esse communicabile, vt patet: licèt ergo incommunicabile transeat in perfectam identitatem realem in naturam communicabilem (vt suprà exposui) adhuc tamen potest saluari ex natura rei perfecta ratio huius, quod dico *incommunicabile.* Si verò transiret in perfectam identitatem formalem naturæ diuinæ, vel in omnimodam identitatem illius, præter omne opus intellectus: esset impossibile saluare ex natura rei in diuinis rationem incommunicabilis, & rationem communicabilis, vt patet: & sic patet, quòd ista mirabilitas, quam adducit iste nouus expositor, nihil est ad propositum, & minimè valet.

Nec secũdum. Ad illud quod dicit ad secundum argumentum, patet ex his, quæ suprà dixi, nullo modo soluere argumentum Scoti. Et quod dicit, quòd ibi dicitur distinctio virtualis ex hoc, quòd sunt ibi, ac si essent distincta. Miror quòd tam ingeniosus vir, & magister somniauerit hoc, quia si præter opus intellectus non esset ibi aliqualis distinctio: nescio quomodo poterit rectè saluare realem distinctionem personarum: nisi fingat, quòd ideò est ibi realis, ac si ibi esset, non quòd tamen ibi sit: sicut ponit de illa distinctione, quòd dicuntur virtualiter distincta, quia sunt ibi, ac si essent distincta, & sic esset facilè declinare omnem difficultatem. Et quod dicit: Scotus errauit dimittendo hunc modum loquendi, & introducendo alium modum. Ad hoc, silentium sit pro responsione. Sufficeret enim sibi respondere ad rationes Doctoris, licèt non posset illas euacuare, & non corripere tantùm Doctorem, cuius ego infelix non sum dignus sequi vestigia. Multa omitto contra istum expositorem, &c.

39. *Ocham quærit rationes Doct. soluere.* Insuper Ocham *Quodlib.* 1. *quæst.* 2. dicit, quòd in re nullo modo paternitas distinguitur ab essentia diuina. Distinguit tamen, dicens, quòd distingui ex natura rei potest dupliciter accipi. Vno modo propriè, & tunc illa distinguuntur, quæ sunt plura, quorum vnum non est realiter alterum. Alio modo impropriè, quando scilicet est aliqua ratio absoluta, quæ est plures res relatiuè, & est aliqua res, quæ est illa res absoluta, quæ est plures res relatiuè, & tamen ipsa non est plures res relatiuè. Vult dicere, quòd ideò essentia, & paternitas dicuntur distingui ex natura rei impropriè, quia essentia est aliqua res absoluta, quæ est plures res relatiuè, quia ipse est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, siue est paternitas, filiatio, & spiratio passiua: & paternitas est res relatiua, quæ est essentia diuina, & tamen ipsa paternitas non est filiatio, & spiratio passiua.

Hac distinctione præmissa, respondet ad omnes rationes in contrarium, quia si arguatur: Ex natura rei aliquid prædicatur de essentia, quod non prædicatur de paternitate: ergo paternitas, & essentia distinguuntur ex natura rei. Antecedens patet, quia de essentia prædicatur ex natura rei filiatio, & tamen non prædicatur de paternitate. Consequentia probatur, quia quæ possunt fundare duo contradictoria, præter opus intellectus, aliquo modo distinguuntur, præter opus intellectus: sed paternitas, & essentia sunt huiusmodi: patet, quia essentia est filiatio, paternitas non est filiatio: ergo.

Respondet ipse Ocham, negando consequentiam, quia non sequitur, aliquid verè prædicatur de paternitate: ergo Pater, & essentia distinguuntur, quia antecedens est verum, terminis supponentibus personaliter, & significatiuè: & consequens est falsum, terminis significatiuè acceptis, quia manifestum est, quòd aliquid verè prædicatur de isto termino *essentia*, vt stat personaliter, quod non prædicatur de paternitate, vt stat etiam personaliter, & tamen essentia, & paternitas, vt stant personaliter, non distinguuntur, quia denotaretur, quòd in re esset aliqua distinctio alia, quàm dicta sit: sed benè sequitur, quòd essentia supponit pro aliqua re, quæ est plures personæ; & paternitas supponit pro aliqua re, quæ non est plures personæ: tamen si essentia, & paternitas supponant simpliciter, vel materialiter in consequente: tunc consequens est verum, sicut antecedens, quia isti conceptus *essentia*, & *paternitas* distinguuntur realiter. Hæc ille.

Sed, iudicio meo, ista non possunt benè sustentari. Et primò quæro ab eo, quando concedit quòd paternitas, & filiatio hoc modo distinguuntur præter opus intellectus, quia essentia est tres personæ, & paternitas non est tres personæ. Si ipse intelligit, quòd detur aliqua distinctio, præter opus intellectus, minor vera distinctione reali, non est contra Scotum. Si verò intelligit, quòd nulla penitus detur, tunc videtur manifesta contradictio in dictis suis, scilicet quòd paternitas sit omnibus modis idem cum essentia, & similiter filiatio sit omnibus modis idem ipsi essentiæ, & quòd paternitas non sit filiatio, vt arguatur sic in forma: Quæ sunt omnibus modis idem, præter omne opus intellectus, ita quòd est impossibile imaginari aliquam non identitatem, quicquid conuenit vni præter opus intellectus, conuenit & alteri: sed, per te, paternitas, & essentia sunt huiusmodi: ergo si filiatio ex natura rei prædicatur de essentia, etiam ex natura rei prædicatur de paternitate: maior est manifesta, quia dat oppositum: statim sequitur quòd non sunt omnibus modis idem, & sic patet contradictio, ponere paternitatem esse penitus idem, quòd essentia, & non esse ex natura rei quicquid est essentia. 40. *Opinio Ochã.* *Quomodo sit vera ista propositio, vide Franciscum de May. dist. præsenti q. 14.*

Ad responsionem argumenti, dico quòd est implicatio, concedendo antecedens, & negando consequentiam: vt patet ex supradictis. Deinde quæro, cùm dico, essentia est filiatio: pro quo supponit, siue subiectum huius propositionis quid significat? certum est quòd naturam diuinam, & non conceptum. Deinde quæro, cùm dico paternitas est essentia diuina: pro quo supponit 41.

paternitas, vel quid importat significatiuè? Si aliquid distinctum ab essentia, & hoc præter opus intellectus, habetur propositum: & consequentia facta erit vera, aut tantùm essentiam diuinam: si sic, ergo paternitas est filiatio. Probatur sic: quæcunque supponunt simpliciter pro *A*, quicquid prædicatur de vno, prædicatur & de alio: sed paternitas, & essentia supponunt tantùm pro essentia, siue pro eodem supposito: si ergo filiatio prædicatur de essentia, necessariò prædicabitur & de paternitate. Videtur enim manifesta implicatio, quòd supponant simpliciter pro eodem, & quòd non recipiant prædicationem eiusdem. Nec valet dicere, quòd essentia supponat pro aliquo absoluto, quod est tres personæ, & paternitas supponat pro aliquo, quod non est tres personæ, & sic non supponunt pro eodem. Hæc euasio nulla est, quia semper quæro, vt priùs. Cùm dicis, quòd paternitas supponit pro aliquo, quod non est tres personę, quæro quid est illud, pro quo supponit? aut est aliquid ex natura rei distinctum ab essentia, & habetur propositum; aut est tantùm ipsa essentia, & sic idem quod prius. Et certè videtur omnino falsum, quod ipse concedit, respondendo ad vnum aliud argumentum: videlicet quòd subiecta istarum propositionum: *Essentia est tres personæ: Paternitas non est tres personæ*: similiter *essentia est filiatio: paternitas non est filiatio*: significent omnino idem, & quòd prædicata similiter non verificentur de paternitate, & filiatione: videtur enim simpliciter impossibile, quòd subiecta duarum propositionum sint omnino idem in essendo, & in significando, & quòd prædicta non ita verificentur de vno, sicut de alio.

Ex his omnibus quæ dixi in ista materia omnes obiectiones aliæ ipsius Ocham, vt suprà solui possunt. Et similiter omnes obiectiones aliorum, vt Alfonsi Toletani, Ioannis Anglici Bacchonis, & aliorum.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta principalia quæst. 4. quæ est 1. 2. part. in quorum solutionibus explicat multa scitu digna, circa hanc materiam, de vnitate & Trinitate diuina, tractans subtilissimè maximam illam. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quatenus videtur esse contra mysterium Trinitatis.

47. *Ad arg. 1. quæst. 4. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, explicatur optimè.*

AD primum [a] argumentum principale dicó, quòd maior sic est intelligenda, quæcunque aliqua identitate sunt eadem alicui, illa tali identitate inter se sic sunt eadem, quia non potest concludi aliqua identitas extremorum inter se, nisi secundùm illam identitatem, qua sunt eadem medio, & medium in se sic sit idem, & per hanc [b] propositionem, sic intellectam, tenet omnis forma syllogistica. Omissa [c] enim altera conditione, vel vnitatis medij in se, vel ex se, vel extremorum ad medium, non est Syllogismus, sed Paralogismus accidentis, cùm [d] accipitur in minori, quòd quidquid est in essentia diuina, est idem illi essentiæ, non est verum intelligendo de identitate formali, & ideò non potest concludi formalis identitas extremorum inter se; quandiu autem stat formalis distinctio relationum suppositi, stat formalis distinctio suppositorum.

Et si dicas [e], quòd saltem ex identitate reali eorum ad essentiam, concludam identitatem realem eorum inter se.

Quare ex identitate reali personarum ad essentiã, earum identitas inter se, non concluditur?

Dico, quòd essentia non habet identitatem talem vnicam, scilicet subsistentiæ, prout personæ, vel personalia, vt extrema, vniuntur in essentia, & ideò non potest concludi identitas subsistentis, vel subsistentiæ, per rationem identitatis eorum in essentia vt in medio.

Per hoc patet [f] ad talia Sophismata: *Hîc Deus est Pater, Filius est hîc Deus, ergo Filius est Pater*, quod confirmatur, quia medio existente hoc aliquid, necesse est extrema coniungi.

1. Priorum.

Respondeo, quòd sicut in creaturis commune se habet vt *quale quid*, singulare vt *hoc aliquid*, ita hæc essentia communis personis, habet rationem *qualis cuius*, & persona habet rationem *huius alicuius*. Medium ergo hîc est *quale quid*, & non *hoc aliquid*. Concluditur autem identitas extremorum in conclusione, ac si medium fuisset *hoc aliquid*; similiter ibi videtur [g] esse fallacia accidentis & consequentis, quia ly *Deus* accipitur in præmissis pro alio, & alio supposito.

Et similiter fallacia est figuræ dictionis commutando *quale quid* in *hoc aliquid*.

ADDITIO. *Alia responsio, vbi vnitas medij est illimitata respectu vnitatis extremorum. exemplum de vbicatis, & quantitatis limitatis, quæ sunt simul secundùm* vbi, *&* quando, *cum illimitato sic vel sic: non tamen sunt sic simul inter se. Aliud exemplum familiarius de anima intellectiua, & de hac parte carnis, & illa. Hæc responsio euadit, quando idem illimitatum est cum quo, vel in quo, non quando hoc est hoc, nisi deficiat medio vnitas requisita in se. sic dicit responsio Logica, quæ hîc intra habetur.*

48. Quòd si arguas [h]: *Deitas est Pater, Filius est Deitas*: ergo, &c.

Respondeo, licèt Deitas non supponat pro alio supposito in maiori, & in minori, tamen

tamen est ibi fallacia figuræ dictionis, commutando *quale quid* in *hoc aliquid*: nihil autem aliud est sic commutare, quàm ex vi illationis interpretari, illud habere rationem *huius alicuius*, quod habet rationem *qualis cuius*. Ita sic inferens suppositum de supposito interpretatur medium commune esse idem secundùm rationem existentiæ, vel subsistentiæ, quod falsum est. *Quid sit cōmutare quale quid in hoc aliquid?*

Quòd si [i] saltem arguas, extrema realiter esse idem inter se, quia etiam in medio sunt idem.

Concedo, quòd potest inferri identitas essentialis, non formalis, vel suppositiua, & ideò non debet inferri, quòd Filius est Pater, quia ibi denotatur, ex vi illationis & sermonis, identitas formalis, vel hypostatica: sed sic debet inferri, Filius est idem cum eo, quod est Pater, vel Filius est id, quod est Pater. *In huiusmodi Paralogismis committi solet triplex fallacia, scilicet accidentis mutando suppositionem medij, consequētis à destructione antecedentis ad destructionē consequētis, & figura dictionis, mutando quale quid in hoc aliquid. Vide Scot. super lib. Elench. q. 1. & q. 44. & seq.*

Quòd si adhuc confirmetur [k] illa maior argumenti principalis per hoc, quòd negare eam videtur destruere primum principium, ponendo scilicet affirmationem & negationem esse veras de eodem.

Respondeo, de aliquo habente veram identitatem, sed non tantùm vnicam realitatem formalem, necesse est idem ratione vnius realitatis verè prædicari formaliter de illa realitate, & de alia realitate formali, formaliter non prædicari, sicut albedo ratione alicuius realitatis, quam habet in se, conuenit cum nigredine, & ratione alterius non realiter conuenit, sed differt; nec affirmatio, & negatio de eodem ratione eiusdem realitatis formaliter dicuntur: ita hîc, Pater ratione essentiæ est idem quiditatiuè Filio, & ratione proprietatis non est idem formaliter, nec hypostaticè Filio: nec dicuntur affirmatio & negatio de eodem respectu eiusdem.

Si contra hoc arguas [l], quòd affirmatio differt ab affirmatione, cuius vnius negatio dicitur de alia, vel stat cum alia, quia neutrum est verum de affirmatione contradicente illi negationi: ergo si Deitas stat cum non Paternitate, puta in alia persona, scilicet Filij, ipsa Deitas differt à paternitate, quæ nunquam stat in eodem cum non paternitate.

Respondeo [m] maior posset concedi de non identitate formali, vel de non adæquata, quia vnum illorum non determinatur ad alterum, ex quo stat cum eius opposito, vel sub aliis verbis, de non identitate conuertibili & præcisa. Sed si maior accipiat distinctionem realem, simpliciter neganda est, sicut patet in albedine, accipiendo propriam realitatem vnde sumitur genus, illi ex se non repugnat differentia opposita, scilicet nigredinis, tamen realitati vnde sumitur differentia specifica albedinis, differentia nigredinis repugnat. & ista responsio debet intelligi quantùm ad secundam partem maioris, quæ dicit, quòd altera affirmatio stat cum negatione: sed prima pars maioris, quæ accipit, negationem de affirmatione dici, posset illa maior concedi, quoad illam partem, si intelligatur dici necessariò, & vniuersaliter, & per rationem propriam huius, de quo dicitur: & hoc quando contradictio illa, de qua est sermo, est realis, siue rei ad non rem, non autem rationis ad non rationem. Nam tunc non sequitur nisi distinctio rationis affirmationis ab affirmatione: applicando primam partem maioris, vt vera est, ad propositum, sequitur quòd Filius realiter distinguitur à Patre, non autem secundùm quòd Deus, vel Deitas; quia de Deo non dicitur, non Pater necessariò & vniuersaliter, nec per rationem subiecti, licèt secundùm aliquos dicatur particulariter ratione suppositi illius subiecti. 49.

Quòd si arguas, illud [n] quo Pater distinguitur à Filio, sit *A*, *A*, inquantum *A*, aut est idem essentiæ, aut aliud: si aliud, hoc est inconueniens: si inquantum *A* est idem: igitur inquantum distinguit, est idem, & per consequens essentia distinguit. 50. *Discussio doctrinalis excludens Sophisticas instantias.*

Respondeo & dico [o], quòd nec verum est *A*, inquantum *A*, est idem essentiæ; nec *A*, inquantum *A* est aliud ab essentia, & hoc intelligendo illud, quod sequitur reduplicationem *inquantum*, accipi secundùm rationem suam formalem, & cum hoc etiam esse rationem formalem inhærentiæ prædicati, sicut distinxi superiùs in talibus sermonibus in quæstione de vnitate obiecti fruibilis. Hoc etiam patet in exemplo; homo enim, & non homo sunt opposita immediata, & tamen formaliter de aliquo cum reduplicatione neutrum dicitur, sicut album, nec inquantum album est homo, nec inquantum album, est non homo. *Proprietas vt distincta ab essentia an sit aliud ab ea? Dist. 1. q. 2. soluendo 3. principale. vbi de reduplic.*

Et si dicas, idem & aliud circa ens sunt immediatè opposita.

Dico, quòd non sequitur, sunt immediatè opposita, ergo alterum prædicatur de quolibet cum *inquantum*, ita quòd ratio subiecti sit formalis ratio inhærentiæ alterius partis contradictionis; sed sufficit quòd alterum contradictoriorum verè insit cuilibet subiecto, licèt non per se ratione subiecti. *10. Met. text. 12.*

Si autem accipiatur ly, *inquantum*, primo modo: vt tantùm notet *A*, accipi secundùm suam rationem formalem.

Formaliter est idem, id est, secūdùm rationē formalem. non formaliter, id est, non dicitur in primo modo de essentia.

Dico, quòd *A*, quocunque modo formaliter acceptum, est idem essentiæ, licèt non sit formaliter idem essentiæ: sed tunc non sequitur, *A* formaliter acceptum est idem essentiæ *A*, formaliter distinguit: ergo essentia distinguit; sed est fallacia figuræ dictionis, commutando *hoc aliquid*, in *quale quid*.

Si adhuc instes [p] quia *A*, inquantum *A*, est ens, vel res: quæro quæ res, vel quod ens: si essentia, habetur propositum: si res, & non essentia, ergo alia res.

Respondeo, concedo, quòd est ens & res, & hoc vtroque modo accipiendo *inquantum*, quia si aliquod prædicatum per se primo modo inest alicui, inerit sibi eodem modo per se, siue illud subiectum sit res distincta à quocunque, quod est extra rationem eius, siue contineatur per identitatem in aliquo, quod est extra rationem eius: continentia enim talis non tollit rationem formalem, nec ea, quæ insunt primo modo per se.

Sed cùm quæris [q], quod ens? Dico, quòd ens quod est *A*, sicut si substantia est per se ens. Si quæras, quod ens, descendendo sub ente, est per se substantia, non aliud.

Vltrà si quæras, éstne per se essentia? Dictum est quòd non.

51. Si infers, ergo [r] est alia res, fallacia est consequentis. Non est per se hæc res, & est per se res, ergo est alia res: quia in antecedente negatur per se identitas, & in consequente identitas simpliciter sumpta, & ita destruitur antecedens.

Si obiicitur [s], est per se res, & non per se essentia, ergo per se alia res. Et vltrà, ergo alia res. Probatur prima consequentia. Nam circa ens, idem & aliud, sunt immediatè opposita, ergo si est per se res, est per se res eadem essentiæ, & ita per se essentia, vel per se alia res. Secunda consequentia probatur, quia *per se*, non est determinatio distrahens.

Præterea, probatur prima consequentia, & est ad principale. Si enim est per se res, aut per se res, quæ est essentia, aut per se res, quæ non est essentia. Si est per se res, quæ est essentia, ergo est per se essentia: si est per se res, quæ non est essentia, ergo est per se res al a ab essentia.

Præterea tertiò, essentia est per se res, & proprietas est per se res, & non sunt per se eadem res: ergo sunt per se duæ res, & ita vtrumque est per se res alia ab altera.

Varro. Ad primum [t] licèt posset conclusio primi argumenti distingui, quòd ibi esset alietas perseitatis, vel perseitas alietatis, & primo modo negaretur ly, *per se*, per negationem inclusam iu alietate: secundo modo affirmaretur, quia præcederet vim negationis, & per consequens primo modo conclusio primæ consequentiæ concederetur: sed tunc secunda consequentia peccaret secundùm consequens à destructione antecedentis. Secundo modo prima consequentia peccaret secundùm consequens.

Vide hic Tartar. & Leuchet. Tamen [u] quia non videtur benè logicè dictum, quòd negatio, si qua includatur in alietate posset aliquid attingere præter terminum respectus & formam, in qua, vel secundùm quam notatur esse alietas. nec videtur benè logicè dictum, quòd ly *per se*, quod dicit modum inhærentiæ, & per consequens determinat compositionem, possit negari per negationem aliquam in prædicato.

52. Ideò potest dici aliter, quòd in consequente primæ consequentiæ, tantùm potest haberi de vi sermonis vnus sensus, scilicet quòd hoc prædicatum, esse rem aliam ab essentia, per se insit proprietati: & iste sensus est falsus, quia sic benè sequitur falsum illud, quod infertur in secunda consequentia. Ideò simpliciter nego primam consequentiam, cùm duæ propositiones in antecedente sint veræ, & consequens falsum.

In oppositis immediatis cum determinatione sumptis non est necesse alterū verificari de quolibet, & idem est si sint contradictoria.

Ad probationem [x] consequentiæ dico, quòd *idem* & *aliud* non sunt immediata circa quodcunque prædicatum, vt per se dictum de subiecto: imò nec contradictoria sic sunt immediata; nec enim homo per se est albus, nec per se est non albus. Tamen inter contradictoria absolutè sumpta, vel absolutè dicta de quocunque, non est medium, ita si proprietas est res, est res eadem, vel alia. Verum est quòd eadem; sed tunc non valet consequentia, quòd sit per se eadem, vel alia.

Sensus compositus est, A est per se essentia, est per se non essentia, & vtraque est falsa quia essentia non

Ad secundum [y] antecedens, potest distingui secundùm compositionem, & diuisionem, & in sensu compositionis neutrum dandum est; sicut enim non est dandum, quòd sit per se essentia, vel per se non essentia: ita nec alterum membrum illius disiunctiuæ, cùm accipitur in sensu compositionis. Nec ex hoc negantur ambo contradictoria, quia si accipias de incomplexis, habetur quòd neutrum illorum dicitur per se de subiecto, hoc concedo. Si vis habere contradictoria complexa, dico, quòd erunt ista, aut proprietas est per se res, quæ est essentia, aut non est per se res, quæ est essentia, & hæc negatiua est vera. Sed non infertur: ergo est per se res quæ

quæ non est essentia: sicut non sequitur, homo non est per se albus, igitur per se est non albus. In sensu diuisionis danda est arffirmatiua pars disiunctiuæ, scilicet proprietas est per se res, quæ est essentia: sed non sequitur vltrà, ergo est per se essentia, quia ex identitate reali infertur identitas formalis. Nam antecedens in sensu diuisionis tantùm notat identitatem realem per ly, *quæ est*.

dicitur 1. nec 2. de A, nec 1 1 non essentia prædicatur de A, per se, aliàs nullo modo identitas cum essentia conueniret ei, ex Scot. 5. part. q. 1. de praxi.

Aliter potest distingui antecedens prædictum vt per implicationem illam, *quæ est*, intelligatur inhærentia formalis, vel tantùm identica. Primo modo neutra pars est danda, quia neutrum oppositorum per se inest illi rei, quæ per se dicitur de proprietate. Secundo modo est danda pars affirmatiua: sed non sequitur vlteriùs propositum propter positionem consequentis.

Hæc secunda distinctio [a] non habetur ex vi sermonis, quia illa compositio implicata, non determinatur per aliquid, quod notet eam dicere formalem inhærentiam, sed tantùm identicam.

Sensus diuisus est quasi copulatiuus, id est, A est per se res & illa est essentia. & hic verus est, quod intendit Scot.

Prima distinctio habetur ex vi sermonis, & licèt ly *quæ est*, non notet in sensu compositionis formalem inhærentiam, tamen ex vnitate extremi, vbi est quasi specificatiua & determinatiua constructio, habet essentiam* denominari per se inesse subiecto.

** al. denotari.*

Ad tertium patet. dicitur enim quòd nec per se sunt eadem res, nec per se duæ res: sed benè amoto illo syncategoremate, scilicet ly *per se*, affirmatiua est vera, scilicet sunt eadem res.

Aliter potest dici distinguendo de re & sensu vt priùs.

53. *Ad arg. 2. q. 4. super.*

Ad secundum principale dico, quòd *accidentale*, aut accipitur pro extraneo, aut accipitur pro eo, quod quasi perficit aliquid accidentaliter, quod præexistit in se perfectum. Si secundo modo, dico, quòd non omne ens omni enti, in quo est, est essentiale, vel accidentale. Est enim medium inter essentiale & accidentale, vt contrahens, sicut differentia contrahit genus, quæ nec est essentiale, nec accidentale, accipiendo hoc modo. Et sic in diuinis nihil est accidentale, sed præter essentiam est aliquid non essentiale. Si autem accipitur *accidentale* primo modo, quidquid non est de ratione eius formali, sed extraneum, licèt non propriè sic dicatur accidentale; sic differentia esset accidentalis respectu generis: & hoc modo accipit Philosophus *accidentale* pro extraneo in fallacia accidentis: sic potest dici accidentale alicui quidquid est ei extraneum, vt illud comparatur ad aliquod tertium, & isto modo non est inconueniens distinctiua personarum accidere essentiæ, quia sunt extra rationem eius.

Proprietates in Deo, accidentales & non accidentales dici possunt.

1. Elench. 2.

Ad 3.

Ad tertium dico, quòd si in maiori per illud, *si*, intelligatur conditio possibilis, maior est vera & minor falsa. Nulla enim positione possibili posita, potest deesse secunda persona in diuinis, quin summum bonum, & summa perfectio deesset si ipsa deesset. & si probes, quòd si illa deesset, summa perfectio esset in Patre; dico, quòd si illa deesset, summa perfectio deesset, & si illa deesset & Pater non deesset, summa perfectio adesset, & ita ipsam deesse & Patrem esse includit contradictionem. Si autem in maiori per ly, *si*, ponatur positio incompossibilis: dico, quòd maior est falsa, illud enim ponendum est in summo bono, quod non potest poni non esse sine positione incompossibilis.

Ad arg. vlt.

Ad vltimum dico, quòd illa ratio de *necesse esse*, debet sic intelligi, quidquid est ex se *necesse esse*, habet ex se esse actualissimum, ita quòd per nihil qualecunque aliud à se expectat aliquam actualitatem essendi: & ideò ex se est indiuisibile, quia si posset diuidi tunc ab illis, per quæ diuideretur, expectaret aliquam actualitatem essendi, quam haberet in illis diuisis, & oporteret illa distinguentia necesse esse, quòd essent formaliter necessitates essendi, quia essent vltimæ actualitates, & necessitates in illis diuersis *necesse esse*, sine quibus illa non haberent actualissimam entitatem: quia diuisibile non habet actualissimam entitatem, siue existentiam actualissimam, antequam intelligatur in aliquibus illorum, in quæ diuiditur.

Et per hoc tenet illa ratio superiùs posita in quæstione de vnitate Dei, ex ratione *necesse esse*, quæ tacta fuit quæstione prima huius secundæ distinctionis quòd *necesse esse* non diuiditur in plura: quia *A* & *B*. si non essent formaliter necessitates essendi, antequam intelligerentur in aliquo illorum, in quibus *necesse esse* diuiditur; cùm sint vltimæ actualitates, sine quibus illa actualitas communis non esset *necesse esse*, quia requireret aliquo modo aliquid aliud à se, per quod esset. Sed hoc non concludit de diuersis personis in eadem entitate necessaria. Nam illa entitas ex se necessaria, non expectat aliquam actualitatem ab ipsis distinguentibus personas: quia non diuiditur per illa distinguentia personas; & ita distinguentia personas non sunt quasi vltimæ actualitates, quibus talia entia existunt.

Quare necesse esse indiuisibile est in plura indiuidua, non tamen in plura supposita.

54. Cùm ergo arguitur. *A* & *B*, intelligendo hîc, per ipsa, duas proprietates personales, aut sunt formaliter necessitates essendi, aut non.

Concedi potest, quòd non sunt formaliter necessitates essendi: nec sequitur, igitur sunt possibiles: quia per identitatem sunt illa vna necessitas essendi, sed si *A* & *B* essent in diuersis, oporteret dicere quòd *A* & *B*, essent formaliter necessitates, vel entitates possibiles: quia non possent esse eædem alicui entitati ex se necessariæ. Illa enim entitas communis, cui essent eædem, esset quasi potentialis ad existendum, vt præintelligitur ante illam rationem contrahentem, vel diuidentem.

Contra hoc, ipsi *A*. inquantum *A*, aut repugnat posse deficere, aut non. Si sic, *A* ergo inquantum *A*, est necessarium, & ita cui inest formaliter, est ei ratio necessariò essendi. Si non, igitur per nihil aliud potest ipsi *A* præcisè inquantum *A*, repugnare: igitur per nihil tollitur, quin ipsi *A*, præcisè inquantum *A*, sit compossibile deficere: ergo semper præcisè sumptum est possibile deficere: ergo repugnat necessariò ex se.

Soluitur in additione. Quære solutionem ad hanc obiectionem.

ADDITIO. *Respondetur, quòd nec repugnat, nec non repugnat, cum ly* inquantum: *sed sine ly* inquantum, *dico, quòd non sunt possibiles ipsæ relationes, sed sunt necesse esse, & hoc per identitatem: sed non formaliter, nec non formaliter sunt possibiles. Relationes enim diuinæ abstrahunt à necesse esse, & possibili. Vel aliter posset dici, quòd vnicum est necesse esse radicale, & à se, de quo suprà, quæstione prædicta fuit sermo: plura autem sunt necesse esse formaliter ex se, licèt ab alio: quia quodlibet reale ad intrà & sic pluribus conuenit formalis necessitas essendi, quàm formalis infinitas. Vide quæst. 7. & 8. quodlibet. & 8. dist. huius primi, & c. 4. de primo princ. & dist. 18. infrà in vltimo loco videtur negare plura necesse esse. Sed est difficultas, non de re.*

COMMENTARIVS.

1. *Ad primum.* a AD *primum argumentum principale.* Nota, quòd Doctor loquitur præcisè de identitate extremorum, quam habent tantùm ratione medij. Et ideò quamuis paternitas, & filiatio in diuinis sint idem realiter essentiæ diuinæ: non tamen sequitur, quòd præcisè illa identitate sint idem inter se, cùm distinguantur realiter ab inuicem: sed quia sunt præcisè idem ratione essentiæ, ideò inter se habent identitatem essentialem, id est, quòd essentia est ita in Patre sicut in Filio. Et ideò concedimus, quòd Pater est ille idem Deus, qui est & filius. Concedimus etiam, quòd ratione Deitatis sunt vna res realiter: ratione tamen proprietatis distinguuntur realiter, siue personaliter: sunt etiam aliqua, quæ inter se sunt eadem realiter: quæ tamen non sunt eadem ratione alicuius medij, cui sint idem. Nam paternitas, & essentia diuina sunt eadem, quia vnum extremum, scilicet essentia, quia infinita includit aliud per realem identitatem. Patet ergo quòd loquitur hîc de identitate extremorum, quam habent ratione medij, cui sunt idem, non quòd sic sint idem inter se, sicut sunt idem illi medio, sed si inter extrema concluditur aliqua identitas ratione medij, habent illam tantùm, vt in illo medio, id est, eo modo, quo medium vnit extrema ad inuicem, eo modo sunt illa idem inter se: & non sequitur vlterior identitas. Sequitur,

2. b *Et per hanc propositionem sic intellectam, tenet omnis forma syllogistica:* quia vnum extremum concluditur de alio in conclusione ratione medij: quia enim homo, & risibile sunt idem rationali, risibile concluditur esse idem homini per rationale: nec concluditur quòd sic sint præcisè idem inter se, sicut sunt idem rationali, nam homo est idem rationali formaliter, & risibile realiter: sed concluditur identitas realis tantùm: quia per tale medium habent præcisè talem identitatem. Requiritur etiam, quòd medium sit vnum in se, quia si non esset vnum in se, id est, si non diceret vnum conceptum in se (sicut est terminus æquiuocus: qui non immediatè significat vnum conceptum: sed plures æqualiter) non posset concludi identitas extremorum ratione medij: sed syllogismus esset in quatuor terminis.

c Ideò Doctor dicit, quòd *omissa altera conditione*, scilicet vel vnitatis *medij in se*, *vel extremorum ad medium*, *non est syllogismus*, vult enim quòd vtraque conditio reseruetur: aliter committeretur Paralogismus accidentis, scilicet si extrema non sic essent idem medio. Posset etiam committi fallacia æquiuocationis, scilicet si medium non significaret vnum conceptum. Exemplum de paralogismo accidentis: *Animal est genus: homo est animal; ergo homo est genus*. Hic est paralogismus accidentis. Primò, quia *genus*, & *homo* non sunt simpliciter idem *animali*: imò, vt genus conuenit animali repugnat sibi quòd sit idem homini: & similiter, vt animal est idem homini, repugnat sibi genus. Secundò, quia etiam medium non est simpliciter idem in vtraque præmissa. Nam in prima accipitur tantùm animal in *esse* cognito: & nullo modo in *esse* essentiali: vt patet à Doctore in vniuersalibus. In secunda verò accipitur, vt habet verum *esse* essentiæ, & vt est in homine.

d *Cùm accipitur in minori*, &c. Dico, quòd Pater non est simpliciter idem formaliter essentiæ diuinæ: quæ in se est vnum formaliter: & similiter nec filius est sic idem. Nam Pater, & Filius inter se distinguuntur formaliter: & si essent idem formaliter illi, etiam inter se essent idem. Ideò nota quòd si inclusum in aliquo essentialiter esset idem formaliter includenti, tunc animal, & rationale cùm includantur essentialiter in homine, inter se essent idem formaliter, quod tamen Doctor negat & Aristoteles 3. *Metaph. text.* c. 10. Vbi vult, quòd genus, non prædicetur per se de differentia: nec è contra: ideò benè nota identitatem formalem quando dicit Doctor: *Voco autem identitatem formalem*, &c. 3.

Ratio quare animal non est idem formaliter homini.

e *Et*

e *Etſi dicas, quòd ſaltem ex identitate reali.* Nota de identitate reali, aut accipitur *identitas realis* quando ſunt vna res, puta vna eſſentia, vel vna natura, vel vna entitas perfecta, vel vna eſſentia perfecta, & realis. Hoc modo perſonæ ſunt idem realiter eſſentiæ diuinæ, & inter ſe: ſed accipiendo *idem realiter*, id eſt, ſuppoſitaliter, ſiue perſonaliter, etiam ſecundùm exiſtentiam perſonalem, ſiue ſuppoſitalem, dico, quòd Pater, & Filius non ſunt ſic idem eſſentiæ diuinæ: quia tunc eſſentia eſſet in ſe vna perſona, ſiue vnum ſuppoſitum.

4. *Declaratio literæ.* f *Per hoc patet ad talia ſophiſmata. Hic Deus eſt pater*, &c. & iſte eſt ſyllogiſmus reſolutorius.

Poteſt primò reſponderi: quia ſecundùm Philoſophum 1. *Prior.* Omnis talis ſyllogiſmus, cuius medium eſt hoc aliquid, non eſt bonus, niſi ſit reducibilis ad tertiam figuram per vniuerſalem propoſitionem: modò maior erit falſa, ſcilicet iſta: *omne quod eſt hic Deus, eſt Pater:* nam Filius eſt hic Deus, & non eſt pater. Dat Doctor aliam reſponſionem. Et primò dicit, quòd eſt fallacia figuræ dictionis, commutando *quale quid* in *hoc aliquid:* & licèt Deus non ſit propriè quale quid, ſcilicet vniuerſale cùm ſit ſimpliciter ſingularis: quia tamen eſt communicabilis pluribus, & vt *quo*, & vt *quod:* cuiuſmodi non eſt ſingulare in creaturis, ideò habet rationem *qualis quid*, & ſuppoſitum diuinum habet rationem *huius alicuius:* quia ſimpliciter incommunicabile: ideò concludendo in concluſione Filium eſſe Patrem ratione eſſentiæ, quæ habet rationem *qualis cuius*, id eſt, communis committitur fallacia figuræ dictionis: nunquam enim tenet talis ſyllogiſmus reſolutorius, niſi medio exiſtente incommunicabili, ſaltem vt *quod:* quale non eſt in propoſito: tenet enim per hoc, quæ vni, & eidem incommunicabili vt *quod* ſunt vnum incommunicabile vt *quod:* inter ſe ſic erunt idem.

Quid ſit cōmutare quale quid, in hoc aliquid.

5. *Exemplum.* g *Similiter ibi videtur eſſe fallacia accidentis*, &c. Exemplum. *Hic Deus eſt pater: hic Deus eſt Filius. ergo Filius eſt pater*, eſt enim fallacia accidentis, concludere identitatem inter ſe, propter identitatem in tertio, cui extraneantur; nam quia *pater*, & *Deus*, ſunt idem: concludere identitatem Patris, & Filij inter ſe, fit fallacia accidentis, nam quando dico, *hic Deus eſt pater. hic Deus & Filius:* ly *Deus* extraneatur filio: vt hic Deus eſt pater: quia in prima tantùm ſtat pro patre. Fit etiam fallacia conſequentis, ſcilicet à poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis: ſicut non ſequitur, animal eſt, ergo homo eſt. Sic in propoſito, minor identitas eſt ſuperius ad maiorem: ideò maior ſe identitas habet vt antecedens: & minor vt conſequens, non valet ergo, pater, & filius ſunt vnum eſſentialiter, quia ſunt vnus Deus: ergo ſunt vnum perſonaliter: non ſequitur, quia hæc eſt ſimpliciter maior vnitas.

6. h *Quòd ſi arguas. Deitas eſt pater, filius eſt Deitas, ergo filius eſt pater.* Hoc argumentum eſt aliud à primo, quia in primo *Deus* poteſt ſupponere pro pluribus ſuppoſitis, ideò habere rationem communis. Hîc autem *Deitas* non poteſt ſupponere pro aliquo ſuppoſito diuino, ergo ſaltem videtur valere hoc argumentum.

Reſpondet Doctor, quòd quamuis non ſupponat pro alio ſuppoſito in maiori, & in minori: quia tantùm ſtat pro ipſa Deitate, tamen adhuc habet rationem *qualis quid:* quia ipſa eſt verè communicabilis pluribus: fit ergo fallacia figuræ dictionis, commutando *quale quid* in *hoc aliquid:* & nihil aliud eſt commutari *quale quid* in *hoc aliquid*, quàm interpretari ex vi illationis illud habere rationem *huius alicuius*, quod habet rationem *qualis cuius*, id eſt, quòd concludendo extremum incommunicabile de extremo incommunicabili per medium communicabile, eſt interpretari tale medium eſſe incommunicabile: quia talia extrema non poſſunt vniri in concluſione, niſi per medium incommunicabile.

Commutari quale quid in hoc aliquid quid ſit.

Aduerte etiam quando Doctor concedit iſtam. *Deitas eſt pater:* quòd ly *pater* non poteſt accipi adiectiuè, quia tunc adiectiuum poſſet prædicari de vltimatè abſtracto: quod eſt contra Doctorem infrà, *diſt. 5. quæſt.* 1. accipitur ergo *per* ſubſtantiuè: & ſic eſt prædicatio non formalis, ſed identica. Et quomodo eſſet contra Doctorem patebit infrà, *d. 5. q. 1.*

i *Quòd ſi ſaltem arguas, extrema eſſe idem realiter inter ſe: quia etiam in medio ſunt idem:* hoc tenet per illam propoſitionem, ſcilicet, Quæ vni, & eidem ſunt realiter eadem, inter ſe ſic ſunt eadem, cùm ergo pater, & Filius ſint idem realiter Deitati, inter ſe erunt idem realiter: quod tamen eſt falſum, quia ſequeretur quòd Pater eſſet realiter Filius. Reſpondet quòd ſunt idem eſſentialiter, non ſuppoſitaliter, id eſt, quòd ſunt præciſè idem identitate tertij, id eſt, quòd ſicut Pater includit Deitatem realiter: ita filius includit eandem: & ita Filius eſt illud idem eſſentiale, quod eſt Pater, quia ſicut pater eſt realiter, & eſſentialiter Deus, ita & filius: & hoc eſt quod dicit: quòd Filius eſt idem cum eo, ſcilicet cum Deo, qui Deus eſt Pater, ſiue filius eſt ille idem Deus, qui eſt Pater. Licèt ergo Pater, & filius ſint idem eſſentialiter, pro quanto includunt eandem eſſentiam, & ſimiliter idem realiter, pro quanto includunt eandem rem eſſentialem, & dicentem perfectionem ſimpliciter, ſcilicet ipſam naturam diuinam: non tamen abſolutè ſunt idem realiter, accipiendo *realiter* ſuppoſitaliter, ſiue perſonaliter: patet, quia Pater, & filius vltra eſſentiam, quam includunt, & per quam ſunt idem, includunt etiam proprietates perſonales, quæ ab inuicem diſtinguuntur, & formaliter, & reaſter: patet, quia vna non includit aliam per identitatem, imò ſunt primò diuerſa in realitate, vt infrà patebit, *diſtinct.* 13. & *diſtinct.* 26. & ideò Pater, & filius ratione proprietatum diſtinguuntur realiter, ſiue ſuppoſitaliter. Licèt ergo ſint idem eſſentialiter ratione eſſentiæ æquè perfectè incluſæ in vtroque extremo, modo præexpoſito: non tamen ex hac identitate poteſt inferri identitas formalis, ſiue ſuppoſitalis, id eſt, quòd non poteſt inferri: quòd ſi Pater eſt idem Deus, qui & filius. ergo Pater eſt formaliter, vel realiter filius: quia Pater vltra eſſentiam includit proprietatem, per quam repugnat ſibi, quòd ſit realiter filius. 7.

Filius eſt idem cum Deo, & eſt idem Deus.

Quomodo diſtinguantur pater, & filius.

k *Quòd ſi adhuc confirmetur illa maior argumenti principalis, ſcilicet, quacunque vni, & eidem ſunt eadem*, &c. Quia negare eam, videtur deſtruere primum principium, ponendo negationem, & affirmationem eſſe veras de eodem: nam ponere *A* & *B* eſſe eadem realiter C, & negare eſſe eadem realiter inter ſe, eſt negare idem, & affirmare. Reſpondet Doctor quòd quando *A* & *B* includunt plura: ita quòd ſecundùm vnum conueniunt, & ſecundùm aliud differunt, 8.

possunt esse idem, & non esse idem: quia ratione vnius erunt idem, & ratione alterius non idem, vt patet de Francisco & Ioanne, quæ ratione humanitatis inclusæ in vtroque erunt idem in humanitate, saltem in communi: & ratione hæcceitatis erunt non idem. Similiter albedo ratione coloris, in quo conuenit cum nigredine, erit idem cum nigredine, & ratione disgregationis, in qua non conuenit cum nigredine, non erit idem. Sic in proposito, Pater ratione Deitatis, in qua conuenit cum Filio, erit idem Filio, & ratione proprietatis, in qua non conuenit cum Filio, non erit idem Filio, modò contradictoria sunt de eodem, & respectu eiusdem.

9. *Quomodo differat Deitas, & paternitas.* l *Si contra hoc arguas.* Adhuc instat, probando quòd saltem videtur sequi, quòd Deitas differat à paternitate, & intendit quòd formaliter, quod tamen non videtur verum, & intendit probare ex hoc, quòd si Pater, & Filius sunt idem in Deitate, & tamen inter se non sint idem, quòd ipsa Deitas non erit idem cum Patre, siue cum paternitate. Et probat sic: Affirmatio differt ab affirmatione, cuius vnius, scilicet affirmationis, negatio dicitur de alia, scilicet affirmatione: vel saltem talis negatio stat cum alia affirmatione: quia neutrum est verum de affirmatione contradicente illi negationi, id est, quòd neutrum istorum, scilicet *dicitur*, & *stat*, est verum de affirmatione contradicente. Exemplum est de Francisco & Ioanne, negatio Ioannis dicitur de Francisco: patet, quia Franciscus non est Ioannes, ideò affirmatio Ioannis de Francisco, quæ contradicit negationi Ioannis de Francisco, non dicitur de Francisco: quia hæc est falsa: *Franciscus est Ioannes*, nec etiam stat cum Francisco. Aliquando enim affirmatio stat cum affirmatione: & tamen non dicitur de ea, vt cùm aliqua ratione vnius sunt idem, & ratione alterius non sunt idem. nam affirmatio Filij, vt Deus in diuinis stat cum affirmatione Patris: patet, quia Filius est idem essentialiter quod Pater: vt suprà exposui, & tamen affirmatio Filij non dicitur de affirmatione Patris, quia hæc de rigore sermonis est falsa, *Pater est Filius:* quia hæc denotat identitatem formalem suppositorum. In proposito. Si affirmatio Deitatis stat cum non paternitate, puta in alia persona, scilicet Filij, idest, si affirmatio Deitatis, vt in Filio, stat cum negatione paternitatis, sequitur quòd ipsa Deitas differt à paternitate, quæ scilicet paternitas nunquam stat in eodem cum non paternitate: si enim non paternitas stat cum essentia, vt essentia est in Filio, sequitur quòd ipsa paternitas, siue affirmatio paternitatis, non stabit cum essentia, vt in Filio: quia si staret, sequeretur quòd affirmatio paternitatis, & negatio paternitatis simul starent cum essentia in eodem id est, vt in Filio, ergo essentia differt à paternitate. Et meritò arguit, scilicet de *stare*, & non de *dici:* quia etsi negatio paternitatis stet cum affirmatione Deitatis, vt in Filio, nunquam tamen conceditur de rigore, quòd negatio paternitatis dicatur de Deitate: quia Deus est pater: quia est simpliciter vera: si enim negatio paternitatis dicitur de Deo absolutè, de rigore sermonis ista esset vera absolutè. Deus non est pater.

10. *Nota hanc declarationem.* m *Respondeo, maior posset concedi.* Exemplum sit homo, & asinus, nam negatio contradictoria asini stat cum homine: quia hæc est vera: *Homo non est asinus:* ergo affirmatio asini de homine erit falsa, dicendo, *homo est asinus.* Et vt clariùs intelligatur, distinguo maiorem, aut ly *differt* accipitur propriè, vt importat distinctionem realem, vel essentialem; aut vt importat aliqualem distinctionem, puta formalem, vel ex natura rei; vel non identitatem omninò adæquatam. Primo modo, patet in exemplo de homine. Secundo modo, patet sic: Affirmatio, puta *hominis*, vt constituti differt ab affirmatione *rationalis*, vt constitutiui: quia negatio *rationalis* vt huiusmodi, stat cum *homine:* quia hæc est vera, *Homo non est rationalis*, vt constitutiuum est, & tamen non sequitur vltra quòd *homo* differat realiter à *rationali*, sed tantùm ex natura rei. Sic in proposito, affirmatio Deitatis, vt in Patre est, differt ab affirmatione filiationis, vt ipsa Deitas est in Patre. Nam, vt in Patre aliquid conuenit sibi, quod repugnat Filio, quia vt in Patre conuenit paternitas, quæ quidem paternitas repugnat Filio. *Paternitas conuenit patri, & repugnat filio.*

Similiter affirmatio Deitatis, vt in Filio differt ab affirmatione paternitatis, quia vt in Filio negatio paternitatis stat cum Deitate: & sic patet quomodo Deitas differt à paternitate, & filiatione, & hoc ex natura rei. Posset etiam Deitas differre à seipsa, non tamen ex natura rei, sed tantùm ratione, vt consideratur in Patre, & in Filio: quia affirmatio Deitatis vt in Patre differt ab affirmatione eiusdem vt in Filio, quia negatio Deitatis vt in Filio stat cum affirmatione eiusdem vt in Patre, quia hæc est vera: Essentia vt in Patre, est principium communicandi seipsam, & vt in Filio non est principium communicandi seipsam Filio, cùm ibi sit communicata, ideò ipsa differt aliquo modo in Filio, & in Patre.

Si verò accipiatur sic: Affirmatio differt ab affirmatione, cuius vna negatio dicitur de alia affirmatione: hoc est verum, quando dicitur vniuersaliter, & necessariò, & per rationem propriam subiecti: sicut negatio asini dicitur de homine, & vniuersaliter: quia hæc negatio competit omni homini, & per rationem formalem ipsius hominis, quia est talis entitas, quòd affirmatio asini simpliciter sibi repugnat: ergo negatio illius sibi necessariò, & vniuersaliter conuenit. Et quando est contradictio realis, siue rei ad non rem: vt in exemplo præfato de asino, & non asino. Et similiter affirmatio de qua affirmatur talis negatio est res, vt hîc; *homo est non asinus*, & sic homo realiter differt ab asino. Si verò contradictio esset tantùm rationis, puta entitas realis ad non ens rationis, vel affirmatio, de qua affirmatur negatio est rationis: & negatio realis: vel vtrunque ens rationis: semper affirmatio differt ab affirmatione tantùm ratione. Exemplum primi, vt negatio Generis dicitur de homine, ergo homo differt ab affirmatione Generis tantùm ratione. Exemplum secundi, negatio hominis dicitur de Genere secundæ intentionaliter sumpto, ergo Genus differt ab homine tantùm ratione. Exemplum tertij, negatio Generis dicitur de Specie, accipiendo vtrunque vt *quid:* ergo affirmatio Speciei vt *quid*, differt tantùm ratione ab affirmatione Generis vt *quid.* Applicando igitur primam partem, scilicet *dici de alio*, sic negatio Patris dicitur de Deitate, vt in Filio, quia hæ sunt veræ, Deus vt supponit pro Filio non est Pater: ergo affirmatio Deitatis, vt in Filio differt à Patre. Dico, quòd benè sequitur, quòd vt supponit pro Filio differt realiter à Patre: 11.

quia

quia Filius differt realiter à Patre: sed non sequitur, quòd Deus in se differat à Patre: quia negatio Patris non conuenit Deo necessariò, nec vniuersaliter: quia tunc Deus non posset stare pro Patre: neque per rationem Deitatis conuenit sibi negatio Patris: sed negatio Patris tantùm conuenit Deo, vt stat pro Filio.

Negatio Patris non conuenit Deo necessariò.

12. n *Quòd si arguas illud, quo Pater distinguitur à Filio*, &c. Deinde Doctor instat probando, quòd cum vnitate essentiæ non possit stare pluralitas personarum: quæ, scilicet personæ, sint realiter Deus, & quòd tamen abinuicem realiter distinguantur. Et quærit deducere ad hoc impossibile, scilicet quòd in diuinis erit aliqua entitas, verè alia ab essentia diuina; vel oportet dicere, quòd illa supposita non differant ab inuicem. Arguit ergo sic accipiendo *A*, pro proprietate Patris: aut *A* inquantum *A*, est idem essentiæ, aut aliud: si aliud, est impossibile: quia tunc essentia, & *A*. essent duæ res realiter distinctæ: si idem, sequitur quod *A*. inquantum distinguit, est idem, patet, quia *A*. distinguit Patrem à Filio: & *A* inquantum *A* est idem essentiæ: ergo *A* inquantum est idem essentiæ, distinguit Patrem à Filio: & per consequens essentia distinguit Patrem à Filio, quod est impossibile: quia essentiâ est ratio conuenientiæ: quâ pater conuenit cum Filio: ergo non est ratio distinguendi.

Inquantum potest duobus modis accipi.

o Respondet præmittendo vnum declaratum *supr. dist. 1. quæst. 2.* quod ly *inquantum* potest dupliciter accipi, scilicet reduplicatiuè pro quanto illud quod immediatè sequitur ly *inquantum* notatur esse causa immediata: quare prædicatum insit subiecto: vel specificatiuè tantùm, scilicet pro quanto illud, quod immediatè sequitur ly *inquantum*, notatur accipi secundùm suam rationem formalem: quæ tamen ratio non est causa inhærentiæ prædicati ad subiectum. Hoc præmisso, dicit duo. Primò quod *A*. inquantum *A* accipiendo ly *inquantum* primo modo, non est idem essentiæ, nec aliud: quia si *A* inquantùm *A*. hoc modo esset idem, sequeretur quod *A*. esset causa immediata, & præcisa identitatis essentiæ: & sic sequeretur, quòd *A* contineret essentiam per realem identitatem, quod est impossibile: imò è contrario, essentia, quia formaliter infinita continet per realem identitatem ipsum *A*, vt infrà patebit *distinct. 5. quæst. 2. & distinct. 8. quæst. pen.* Si etiam *A*. inquantum *A* esset aliud ab essentia, sequeretur quòd aut esset causa præcisa, & immediata, quare realis alietas inesset ipsi *A*, & sic esset simpliciter impossibile *A* esse realiter idem essentiæ. & hoc patet per exemplum: nam *homo*, & *non homo* sunt opposita contradictoriè: & de quolibet alterum verificatur absolutè: quia dato quocunque ente, aut est homo, aut non homo: & tamen non verificatur alterum oppositorum de quocunque ente cum ly *inquantum*, & hoc reduplicatiuè: patet, quia album inquantùm album, aut est homo, aut non est homo: si est homo, ergo homo necessariò inest albo: si non est homo, ergo homo nunquam poterit prædicari de albo, & sic nunquam aliquod album poterit esse homo. Exemplum etiam magis euidens est de albo, & non albo, quæ opponuntur contradictoriè: & alterum inest, puta homini: quia homo, aut est albus, aut non albus: non tamen inest, cum ly *inquantum*: si enim homo inquantùm homo esset albus, albedo necessariò inesset homini. Si etiam homo inquantum homo non est albus, sequitur quòd albedo nunquam poterit inesse.

Vide Antoniû Andreã. 1. met. q. 1.

Et per hoc patet ad illud quod sequitur, scilicet quòd licèt *idem*, & *aliud* sint immediatè opposita circa *ens*: scilicet quòd omne ens comparatum alteri, aut est idem, aut aliud, non tamen sunt immediatè opposita cum ly *inquantum*: vt suprà patuit: licèt enim *A* sit absolutè idem essentiæ, aut aliud, quia benè conceditur quòd est idem realiter: non tamen conceditur cum ly *inquantum* propter rationem supradictam: quia scilicet tunc *A* contineret necessariò essentiam per realem identitatem. Secundò principaliter dicit, quòd si accipiatur ly *inquantùm* tantùm specificatiuè, quòd *A*, quocunque modo acceptum formaliter: puta sub ratione sua formali, est idem essentiæ, id est, quòd identitas realis cum essentia non repugnat ipsi *A* formaliter accepto: & si non repugnat actu, est idem: quia quicquid ibi potest esse, necessariò est: sic etiam homo inquantùm homo: specificatiuè accipiendo *inquantum*, est albus, quia albedo potest inesse homini accepto secundùm rationem formalem hominis, &c. Addit tamen quòd *A* non est formaliter idem essentiæ, vt suprà patuit in corpore quæstionis. Sed tunc non sequitur, *A* formaliter, id est, in se formaliter acceptum est idem essentiæ: *A* formaliter distinguit: ergo essentia distinguit, sed est fallacia figuræ dictionis commutando *hoc aliquid in quale quid*: sicut suprà dixi. quando commutatur *quale quid* in hoc aliquid, interpretatur tale medium, scilicet *quale quid* habere rationem *huius alicuius*: sic similiter quando commutatur *hoc aliquid* in *quale quid*, interpretatur *hoc aliquid*, habere rationem *qualis cuius*. Sic est in proposito, quia essentia habet rationem *qualis cuius*: & illud quod personaliter distinguit, habet tantùm rationem *huius alicuius*: quia sola proprietas incommunicabilis distinguit personaliter: inferre ergo quòd essentia personaliter distinguit virtute alicuius proprietatis incommunicabilis, est interpretari illud quod habet rationem *qualis cuius*, id est, communicabilis, habere rationem *huius alicuius*, scilicet incommunicabilis; sicut est in illo syllogismo. 13.

p *Si adhuc instes.* Adhuc Doctor instat: probando, quòd essentia diuina non sit in tribus personis, realiter distinctis, ita quòd sint ibi plures proprietates personales aliquo modo, præter opus intellectus distinctæ: quod oportet concedere, si illæ personæ realiter distinguuntur, vt suprà patuit. Et tunc sic arguit de illis proprietatibus: & ponit exemplum de vna illarum, quæ dicatur *A*. quia *A* inquantum *A*. est res, vel ens: & hoc patet, & tunc quærit quod ens, aut est ens, quod est essentia: & sic habetur propositum, scilicet quòd essentia non erit in distinctis suppositis. Si verò est res, & non essentia: ergo *A* erit alia res ab essentia, quod est inconueniens. 14.

Arguit Scotus quòd essentia diuina non sit in tribus personis.

Respondet, quòd est ens, & res inquantùm *A*, accipiendo ly *inquantùm* tam specificatiuè, quàm reduplicatiuè. nam *A* includit quiditatiuè ipsum ens: vel est ens quiditatiuè. Et addit quòd quando aliquid est tale quiditatiuè, semper conuenit sibi: siue vt idem alteri, siue vt distinctum, sicut homo est quiditatiuè animal rationale, & semper est tale: siue *homo* consideretur, vt idem alteri, vel vt non idem: siue vt distinctus, ista enim præsupponunt semper quiditatem rei. Sic in proposito *A* est ens quidi-

tatiuè inquantùm realiter continetur in essentia: quia talis continentia realis non tollit ab *A*, suam propriam rationem formalem, & quiditatiuam; imò præsupponit eam. Priùs enim est res in se quiditatiuè, quàm dicatur esse idem alteri, vel non idem.

q *Sed cùm quæris quod ens est.* Dicit quòd est ens, quod est *A*. & hoc descendendo sub conceptu entis: sicut substantia est per se ens: & descendendo ad ens speciale, substantia est ens, quod est substantia,& sic de aliis:& hoc loquendo semper quiditatiuè. Deinde quærit ex quo *A* est per se ens quiditatiuè,an sit per se essentia? Dicitur quòd non:quia non est formaliter essentia, & quiditatiuè.

r *Si infers,ergo est alia res, est fallacia consequentis.* Non enim sequitur, si paternitas non est per se essentia,ergo est alia res.est enim fallacia Consequentis à negatione inferioris, siue antecedentis ad negationem superioris, siue consequentis. Nam esse idem alicui per se infert esse idem simpliciter, non ècontra: ergo non sequitur: non sunt per se eadem res. ergo non sunt simpliciter: sicut non sequitur, *homo* & *risibile* non sunt idem formaliter.ergo non sunt idem simpliciter? Sunt enim idem realiter.

15. s *Si obijcitur.* Doctor probat tribus rationibus quòd si paternitas non sit per se essentia, scilicet formaliter, quòd erit simpliciter alia res ab essentia. Primò sic: *A* est per se res,id est,formaliter,& quiditatiuè:& non est per se essentia, scilicet formaliter, & quiditatiuè: ergo erit per se alia res ab essentia: ergo est simpliciter alia res. Prima consequentia patet, scilicèt quòd sit per se alia res: quia *idem*, & *diuersum:*siue *aliud* sunt immediatè opposita circa ens, id est, quòd de quocunque ente alterum immediatè verificatur,scilicet vel quòd erit idem,vel aliud alteri. Si ergo *A* est per se res: aut ergo est per se eadem res essentiæ: aut per se alia res. Secunda consequentia patet, scilicet quòd si per se est alia res ab essentia, quòd erit simpliciter alia res: quia *per se* non est determinatio distrahens, vt patet, quia homo est per se aliud,& etiam simpliciter aliud ab asino.

Secundò probat primam consequentiam, scilicet primæ rationis, quæ erat ista: *ergo est per se alia res ab essentia:* & tamen hæc ratio est etiam ad principale, scilicet quòd vnitas essentiæ non sit in pluribus suppositis realiter distinctis: quia sequeretur quòd *A* esset simpliciter alia res ab essentia:& sic essentia non esset realiter quicquid est ibi. Arguit ergo sic: si *A* est per se res,scilicet formaliter,aut est per se res,quæ est essentia; aut per se res,quæ non est essentia:si primò,ergo *A* est per se essentia: si secundò, ergo est per se alia res ab essentia, & hæc secunda ratio differt à prima propter illam implicationem mediam,vt patebit respondendo ad istam secundam.

Tertiò arguit sic: Essentia est per se res formaliter, & quiditatiuè, & proprietas est per se res: & non sunt per se eadem res formaliter,vel realiter: ergo sunt duæ res, & sic vtraque est per se res alia ab altera.

16. t *Ad primum licèt posset conclusio,*&c. Ista differunt *alietas perseitatis*, *& perseitas alietatis:* quia cum in alietate includatur negatio, primo modo est negatio perseitatis:& est sensus.Quando dicitur paternitas est per se alia res ab essentia, id est, quòd paternitas non est per se eadem res cum essentia.Et cùm infertur in secunda consequentia, ergo est alia res, est fallacia consequentis à negatione antecedẽtis:& est sensus,nõ est per se eadem res cum essentia:ergo non est eadem res absolutè cum essentia: sed simpliciter alia, non sequitur.Secundo modo accipiendo,vt est perseitas alietatis,tunc est sensus.Quando dicitur,ergo paternitas est per se alia res ab essentia,id est, quòd paternitati conuenit per se esse aliã rem ab essentia,quod est falsum,quia tunc distingueretur verè realiter ab essentia,& hoc modo in prima consequentia est fallacia consequẽtis arguendo sic,Paternitas est per se res,quia est per se quędam relatio:& non est per se essentia,id est, quòd essentia non conuenit illi per se nec primo modo, nec secundo modo,ergo est per se alia res ab essentia,est enim sensus, Paternitas,& essentia in antecedẽte non sunt vna res per se,siue formaliter: ergo non sunt vna res realiter, & absolutè. Non sequitur à negatione antecedẽtis ad negationẽ consequẽtis.

Essentia & paternitas an sint vna res.

u *Tamen quia non videtur bene logicè dictum, scilicet quòd negatio, si qua includatur in alietate* (in alietate enim includitur non identitas) *posset aliquid attingere præter terminum respectus.* Terminus respectus alietatis est tantùm terminus sequens ipsam alietatem: & per consequens negatio inclusa in ipsa alietate tantùm habet vim super terminum sequentem,& non præcedentem. Ex quo ergo alietas sequitur ly *per se*,quod est modus cõpositionis, quia dicit prædicatum per se inhærere subiecto:malè distinguitur dicendo, quòd potest accipi,vt alietas perseitatis,vel perseitas alietatis. *Ideò potest dici aliter.*Dat Doctor responsionem secundùm propriam intentionem. Et dicit primò, quòd in hoc consequente: *ergo A est per se alia res ab essentia,*quod de vi sermonis tantùm potest haberi,scilicet esse rem aliam ab essentia per se inest *A*. quia ibi præcisè notatur perseitas alietatis: quia *per se* præcedit alietatem:quod tamen consequens est falsum: quia tunc essentia, nec per se, nec per accidens posset esse idem *A*,vel inesse ipsi *A*. Patet per propositionem Doctoris suprà *q. de praxi*, quando aliquid inest alicui per se, scilicet primo, vel secundo modo, oppositum eius nec per se,nec per accidens potest inesse. Ideò negat primam consequentiam:quia duæ propositiones in antecedente sunt veræ, & consequens falsum. Illæ duæ propositiones sunt istæ, prima, *A est per se res.*Secunda *A non est per se essentia*, & sunt veræ,vt suprà patuit.

x *Ad probationem*, illius primæ *consequentiæ* 17.
dicit, quòd *idem, & aliud,* cum ly *per se* non sunt opposita immediata, patet, quia datur aliquid, quod non est,nec hoc,nec illud. Homo enim nec est per se albus,nec per se non albus: quia si esset per se albus primo,vel secundo modo,oppositum nec per se,nec per accidens posset inesse.Similiter si esset per se non albus, non posset esse nec per se,nec per accidens albus: sic in proposito: *idem* enim & *aliud*,absolutè accipiendo, sunt benè opposita circa omne ens: sed non cum ly *per se*, nec cum ly *formaliter*. Et sic cùm infertur, *A* aut est per se res eadem cum essentia, aut est per se res non eadem, siue per se res alia ab essentia: dico quòd nec hoc,nec illud, propter rationem supradictam. Absolutè tamen dico, si quæritur *A* aut est res eadem cum essentia,aut alia.Dico,quòd eadem,scilicet realiter,non autem formaliter:& tũc non sequitur vltrà, si est eadem res cum essentia, quòd sit per se eadem res cum essentia,sed est fallacia consequentis à positione consequentis ad

positionem

positionem antecedentis. Nam *esse idem absolutè* est superiùs ad *esse idem per se:* ideò non sequitur, *A* est eadem res absolutè cum essentia: ergo est res per se.

18. y *Ad secundum, antecedens potest distingui,* &c. Cùm enim dicit in antecedente: Paternitas, aut est per se res, quæ est essentia; aut est per se res, quæ non est essentia. Si accipitur in sensu composito, vtraque est falsa; & est sensus: paternitas est per se essentia: paternitas est per se non essentia: & sicut non sequitur: homo aut est per se albus, aut est per se non albus, vtrunque enim est falsum: quia si esset per se albus, vel primo, vel secundo modo dicendi per se, nunquam posset esse non albus, nec per se, nec per accidens: similiter si esset per se non albus, nunquam posset esse albus: quia quando aliquid conuenit alicui primo, vel secundo modo, eius oppositum non potest sibi competere, nec per se, nec per accidens. Nec ex hoc negantur ambo contradictoria: quia ista non contradicunt: *homo est per se albus, homo est per se non albus*; sed benè ista contradicunt: *homo est per se albus; homo non est per se albus:* quia totum quod affirmatur in prima, negatur in secunda. Sed primo modo in prima affirmatur per se album: in secunda tantùm negatur album: & ly *per se* affirmatur. Exemplum in diuinis est in incomplexis, & in complexis. *Paternitas aut est per se essentia, aut est per se non essentia*, ista non contradicunt: sicut contradicunt, *paternitas est per se essentia: aut non est per se essentia:* & secundum est per se concedendum: quia essentia non conuenit paternitati, nec in primo, nec in secundo modo dicendi per se. Exemplum in complexis: *paternitas est per se res, quæ est essentia diuina: aut paternitas est per se res, quæ non est essentia diuina.* Ista non contradicunt: sed benè ista: *paternitas est per se res, quæ est essentia diuina: & paternitas non est per se res, quæ est essentia diuina:* & secunda est vera: quia essentia diuina non prædicatur per se de paternitate. Similiter in ista disiunctiua complexa: *paternitas est per se essentia diuina, aut paternitas non est per se essentia diuina:* secundum est verum, modo præexposito.

19. *Quomodo paternitas est per se essentia diuina.* *Sed non sequitur vlterius propositum propter positionem consequentis.* Non enim sequitur: paternitas est idem realiter, vel essentialiter cum essentia diuina: ergo est idem formaliter: vel essentia prædicatur de paternitate per inhærentiam realem: ergo & per inhærentiam formalem: quia est fallacia consequentis à superiori ad inferius affirmatiuè.

z *Hæc secunda distinctio non habetur ex vi sermonis.* Quia ly *quæ est essentia*, possit dicere inhærentiam formalem prædicati ad subiectum, vel identicam, non est ex vi illius implicationis: quia tantùm ex vi sua potest notare inhærentiam identicam prædicati ad subiectum, id est, quòd tantùm notat prædicatum esse idem subiecto aliquo modo, vel realiter, vel essentialiter, vel alio modo: sicut dicimus, quòd homo est per se res, quæ est risibilis. Et hoc si accipitur in sensu diuiso: quia sensus est, quòd homo est vna natura per se: quæ natura est risibilis; sic quando accipitur hæc in sensu diuiso: *paternitas est per se res, quæ est essentia:* sensus est, quòd paternitas est quædam res per se respectiua, quæ est essentia realiter. Quando verò ly *quæ* accipitur in sensu composito: licèt ex vi sua non notet inhærentiam formalem prædicati ad subiectum: tamen quia vnitur ly *per se* ex eadem parte extremi ratione coniuncti potest notare huiusmodi inhærentiam.

a *Ad secundum principale*, respondet Doctor quòd si accipiatur *accidentaliter* pro eo, quod est extra essentiam alicuius, sicut etiam differentia est extra conceptum generis: tunc insunt sibi accidentaliter: non tamen accidentaliter; sicut accidens dicitur inesse alicui habenti *esse* completum: & hoc magis patebit infrà *dist. 5. quæst. 2.* 20.

Dubium. Sed dubitatur in hoc, quòd dicit in argumento, scilicet quòd multiplicato eo, quòd est de essentia alicuius, multiplicatur ipsa essentia: quia sic arguam: proprietas est idem realiter essentiæ: ergo ipsa multiplicata realiter, multiplicatur essentia realiter: ergo sicut sunt tres proprietates realiter distinctæ, ita tres erunt essentiæ. *Responsio.* Dico breuiter, quòd hoc sic debet intelligi, quòd multiplicato illo secundùm quod sunt idem, vel realiter, vel essentialiter multiplicatur essentia: & sic quia personæ sunt præcisè idem ratione essentiæ: ideò non sequitur quòd multiplicatis personis multiplicetur essentia: quia tantùm sequitur, quando talis multiplicatio fit præcisè, secundùm illud, secundùm quod sunt idem: & quia secundùm essentiam sunt præcisè idem: igitur, &c.

b *Ad tertium.* Respondet Doctor quòd si in maiori, &c. formetur sic ratio; Quodcunque bonum si non esset, nihil perfectionis deficeret in vniuerso: necessariò non est ponendum: sed si secunda persona non esset, nihil deficeret in vniuerso: ergo secunda persona non est necessariò ponenda. Dicit ergo, quòd si in maiori intelligatur conditio possibilis, maior est vera, & minor falsa. Sensus maioris est: si possibile esset non esse tale bonum, &c. Conceditur: sed minor est falsa: quia non est possibile secundam personam non esse, etiam per quamcunque positionem possibilem, vt magis patebit *quæst. 2. quodlib.* Et addit quòd si secunda persona deesset, summum bonum deesset: quia secunda persona est simpliciter summum bonum, sicut & prima: & ideò si Pater esset, summum bonum esset, quia est summum bonum. Si autem ponatur conditio impossibilis: maior est falsa, & minor vera: patet de maiori, scilicet quodcunque bonum, si impossibile esset deesse, nihil perfectionis deesset vniuerso: quia tunc illud bonum pertineret ad perfectionem vniuersi: & minor vera: quia sensus est, si esset impossibile secundam personam non esse, aliqua perfectio non deesset vniuerso. 21. *Non est possibile secundam personam non esse.*

c *Ad vltimum.* Respondet primò, quòd illud argumentum suprà de vnitate Dei benè concludit: quia si sint duo Dij, puta *A* & *B*. erunt eiusdem speciei, vt ibi exposui: & vt etiam arguit Doctor: si ergo realiter conueniunt in natura diuina specifica, quæ diuiditur in eis: patet quia sunt duo Dij habentes aliam, & aliam naturam diuinam: sicut etiam Franciscus & Ioannes, qui realiter conueniunt in humanitate, habent aliam, & aliam humanitatem: & sic natura diuiditur non quòd detur natura specifica realiter communis pluribus, quæ pòst diuidatur in illis, sed intelligitur sic: quia natura Francisci vt prior singularitate est indifferens ad hanc singularitatem, & illam: & idem dico de natura Ioannis: & hoc modo dicitur communis & diuidi: vt prolixè exposui super secundo Doctoris *dist. 3. quæst. 1.* & sicut talis natura est in potentia ad hæcceitatem, & contrahibilis, ita quòd per illam sit in vltima actualitate: ita quòd non est amplius 22. *Quomodo natura humana dicitur communis, & dicitur diuidi.*

 diuisi

diuisibilis, id est, quòd contracta per hæcceitatem, sic facta est propria illi indiuiduo, quòd non est amplius contrahibilis: sic in proposito: natura diuina diuisa in alio, & alio Deo, vt intelligitur prior singularitate est indifferens ad omnem singularitatem, & in potentia ad quamcunque: & per consequens per hæcceitatem contrahentem fit in vltima actualitate: & sic vnus Deus realiter constituitur per naturam diuinam contractam, & per hæcceitatem: cùm ergo natura diuina in vno Deo dicat totam quiditatem, & essentiam, & totam perfectionem quiditatiuam ipsius: sequitur quòd erit formaliter necesse esse propria necessitate, alia à necessitate contrahentis: & similiter hæcceitas contrahens, cùm sit vltima actualitas: per quam natura diuina fit in vltima actualitate in isto Deo, erit formaliter necesse esse, & propria necessitate: aliter non esset vltima actualitas: & sic patet quomodo si essent duo Dij quilibet esset necesse esse duplici necessitate essendi. Sed non est sic de persona, quia tota necessitas essendi ipsius est ab essentia diuina, quæ ex se, & ex sua formali ratione est in vltima actualitate, & necessitas est conditio perfectionis simpliciter: vt suprà patuit *dist. præsenti*, & per consequens formaliter infinitum est formaliter necesse esse: proprietas autem personalis, cùm non sit perfectio simpliciter, vt probat Doctor *in quodlib. quæst. prima, & 5.* non erit formaliter necesse esse: sed est necesse esse tantùm identicè, quia realiter identificatur essentiæ diuinæ: & sic persona constituta per essentiam, & proprietatem non esset necesse esse duplici necessitate, sed tantùm necessitate diuinæ essentiæ. Si dicatur ipsi *A* inquantum *A* aut repugnat posse deficere, aut non. Si primò, ergo *A* inquantum *A* est necesse esse, &c. Dico breuiter, quòd si *A* per impossibile distingueretur realiter ab essentia, quòd posset deficere: sed hoc est simpliciter impossibile, scilicet quòd realiter possit distingui.

Tota necessitas in essendi persona ab essentia diuina.

Proprietas personalis nō est necessitas simpliciter.

DISTINCTIO TERTIA.

A. *Rom. 1. cap.* *De Trinitate, & vnitate secundùm quòd credita per rationem intelligitur.*

APOSTOLVS namque ait, quòd inuisibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas. Per creaturam mundi intelligitur homo, propter excellentiam, qua excellit inter alias creaturas, vel propter conuenientiam, quam habet cum omni creatura. Homo ergo inuisibilia Dei intellectu mentis conspicere potuit, vel etiam conspexit, per ea quæ facta sunt, id est, per creaturas visibiles, vel inuisibiles. A duobus enim iuuabatur: scilicet, à natura, quæ rationalis erat: & ab operibus à Deo factis, vt manifestaretur homini veritas. Ideóque Apostolus dixit, Quia Deus reuelauit illis, scilicet dum fecit opera, in quibus artificis aliquatenus relucet indicium. *Rom. 1. cap.*

Prima ratio, vel modus quomodo potuit cognosci Deus.

B. *Tomo 4. In commentario primi capitis epistolæ ad Ro. circa illud* quod notũ est Dei. *Prima responsio, vel modus quo potuit cognosci Deus.*

NAm sicut ait Ambrosius. [Vt Deus qui natura inuisibilis est, etiam à visibilibus posset sciri, opus fecit quod opificem visibilitate sui manifestauit: vt per certum, incertum posset sciri, & ille Deus omnium esse crederetur, qui hoc fecit quod ab homine impossibile est fieri.] potuerunt ergo cognoscere, siue cognouerunt: vltra omnem creaturam esse illum qui ea fecit, quæ nulla creaturarum facere, vel destruere valet. Accedat quæcunque vis creatura, & faciat tale cœlum, & talem terram, & dicam quia Deus est. Sed quia nulla creatura talia facere valet, constat supra omnem creaturam esse illum qui ea fecit, ac per hoc, illum esse Deum humana mens cognoscere potuit.

Secunda ratio quâ potuit cognosci, vel modus quo nouerunt.

C. *Lib. 8. cap. 6.*

ALio etiam modo Dei veritatem ductu rationis cognoscere potuerunt, vel etiam cognouerunt, vt enim Augustinus ait in lib. de Ciuit. Dei, [Viderunt summi Philosophi nullum corpus esse Deum, & ideò cuncta corpora transcenderunt quærentes Deum: viderunt etiam quicquid mutabile est, non esse summum Deum, omniúmque principium: & ideò omnem animam

mam mutabilésque spiritus transcenderunt. Deinde viderunt omne quod mutabile est, non posse esse nisi ab illo qui incommutabiliter, & simpliciter est. Intellexerunt ergo eum & omnia ista fecisse, & à nullo fieri potuisse.

Tertia ratio, vel modus.

COnsiderauerunt etiam quicquid est in substantiis, vel corpus esse, vel spiritum: meliúsque aliquid spiritum esse, quàm corpus, sed longè meliorem qui spiritum fecit, & corpus. *D.* *Ibidem.*

Quartus modus, vel ratio.

INtellexerunt etiam corporis speciem esse sensibilem, & spiritus speciem intelligibilem: & intelligibiles speciem sensibili prætulerunt. Sensibilia dicimus quæ visu tactúque corporis sentiri queunt. Intelligibilia, quæ conspectu mentis possunt intelligi. Cùm ergo in eorum conspectu & corpus & animus magis minúsque speciosa essent: si autem omni specie carere possent, omnino nulla essent: viderunt esse aliquid quo illa speciosa facta sunt, vbi est prima & incommutabilis species, ideóque incomparabilis: & illud esse rerum principium rectissimè crediderunt, quod factum non esset, & ex quo cuncta facta essent. Ecce tot modis potuit cognosci veritas Dei. Cùm ergo Deus vna sit & simplex essentia, quæ ex nulla diuersitate partium, vel accidentium consistit, pluraliter tamen dicit Apostolus, Inuisibilia Dei: quia pluribus modis cognoscitur veritas Dei per ea quæ facta sunt. Ex perpetuitate namque creaturarum, intelligitur conditor æternus, ex magnitudine creaturarum, omnipotens: ex ordine & dispositione, sapiens: ex gubernatione, bonus. Hæc autem omnia ad vnitatem Deitatis pertinent monstrandam. *E.* *Ibidem.* *Ad Rom. 1.*

Quomodo in creaturis apparet vestigium Trinitatis?

NVnc restat ostendere, vtrùm per ea quæ facta sunt, aliquod Trinitatis indicium, vel exiguum haberi potuerit. De hoc Augustinus in lib 6. de Trinit. ait, Oportet vt creatorem per ea quæ facta sunt, intellectu conspicientes, Trinitatem intelligamus. Huius enim Trinitatis vestigium in creaturis apparet. [Hæc enim quæ arte diuina facta sunt, & vnitatem quandam in se ostendunt, & speciem & ordinem. Nam quodque horum creatorum, & vnum aliquid est, sicut sunt naturæ corporum & ingenia animarum: & aliqua specie formatur, sicut sunt figuræ, vel qualitates corporum, ac doctrinæ, vel artes animarum: & ordinem aliquem petit, aut tenet, sicut sunt pondera, vel collocationes corporum, & amores, vel delectationes animarum:] & ita in creaturis prælucet vestigium Trinitatis. [In illa enim Trinitate summa origo est omnium rerum, & perfectissima pulchritudo, & beatissima delectatio.] [Summa autem origo, vt Augustinus ostendit in libro de vera religione, intelligitur Deus Pater, à quo sunt omnia, à quo Filius, & Spiritus sanctus: perfectissima pulchritudo intelligitur Filius, scilicet veritas Patris, nulla ex parte ei dissimilis: quam cum ipso, & in ipso Patre veneramur: quæ forma est omnium quæ ab vno facta sunt, & ad vnum referuntur, quę tamen omnia nec fierent à Patre per Filium, neque suis finibus salua essent, nisi Deus summè bonus esset, qui & nulli naturæ quæ ab illo bona esset, inuidit, & vt in bono ipso maneret, alia quantum vellet, alia quantum posset dedit: quæ bonitas intelligitur Spiritus sanctus, qui est donum Patris & Filij, quare ipsum donum Dei cum Patre & Filio æquè incommutabile, colere & tenere *F.* *Augustin. cap. 10.* *August. in tom. 1. c. 7. sed plenius cap. 43 & 55. circa finem. Item lib. 5. de Trinit. cap. 9.*

nos

nos conuenit. Per considerationem itaque creaturarum vnius substantiæ, Trinitatem intelligimus : scilicet vnum Deum Patrem, à quo sumus : & Filium, per quem sumus : & Spiritum sanctum, in quo sumus:scilicet principium ad quod recurrimus, & quam sequimur,& gratiam qua reconciliamur: vnum scilicet quo auctore conditi sumus : & similitudinem eius, per quam ad vnitatem reformamur, & pacem, qua vnitati adhæremus, scilicet Deum qui dixit, Fiat lux : & verbum, per quod factum est omne quod substantialiter & naturaliter est, & donum benignitatis eius, qua placuit quod ab eo per verbum factum est,& reconciliatum est auctori,vt non interiret.]Ecce ostensum est qualiter creaturis aliquatenus imago Trinitatis indicatur : non enim per creaturarum contemplationem sufficiens notitia Trinitatis potest haberi, vel potuit, sine doctrinæ, vel interioris inspirationis reuelatione. Vnde illi antiqui Philosophi quasi per vmbram, & de longinquo viderunt veritatem, deficientes in contuitu Trinitatis, vt Magi Pharaonis in tertio signo. Adiuuamur tamen in fide inuisibilium per ea quæ facta sunt.

Geneseos 1.a.

Exod. 8.c.

Quomodo in anima sit imago Trinitatis?

G. Cap.8. Tria ostendit esse in anima quæ relatiuè dicuntur, & æqualia sũt, scilicet memoriam, intelligentiam & dilectionem. August. lib. 14. de Trin. cap.7. & 8. Cap.11. Subtilissima & congrua similitudo.

NVnc verò ad eam iam perueniamus disputationem, vbi in mente humana, quæ nouit Deum, vel potest nosse, & diuinæ naturæ & Trinitatis imaginem reperiamus. Vt enim ait Augustinus 14. lib. de Trinit. Licèt humana mens non sit eius naturæ, cuius Deus est, imago tamen illius, quo nihil melius est,ibi quærenda & inuenienda est,quo natura nostra nihil habet melius, id est, in mente. In ipsa etiam mente antequam sit particeps Dei, eius imago reperitur. Etsi enim amissa Dei participatione deformis sit: imago Dei tamen permanet. Eo enim ipso imago Dei est mens,quo capax eius est,eiusque particeps esse potest.] Iam ergo in ea Trinitate , quæ Deus est, inquiramus. [Ecce ergo mens meminit sui, intelligit se, diligit se : hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei.] Hîc enim quædam apparet Trinitas, memoriæ, intelligentiæ, & amoris. Hæc ergo tria potissimum tractemus, memoriam, intelligentiam, voluntatem.[Hæc ergo tria, & August. ait in lib. 10. de Trinit. non sunt tres vitæ, sed vna vita; nec tres mentes, sed vna mens, vna essentia. Memoria verò dicitur ad aliquid, & intelligentia & voluntas, siue dilectio, similiter ad aliquid dicitur : vita verò dicitur vnaquæque ad seipsam & mens essentia. Hæc ergo tria, eo vnum sunt, quo vna vita, vna mens, vna essentia, & quicquid aliud ad seipsa singula dicuntur, etiam simul, non pluraliter, sed singulariter dicuntur. Eo verò tria sunt, quo ad se inuicem referuntur.

Quomodo æqualia sint, quia capiuntur à singulis omnia & tota?

H. Hîc ostendit quomodo omnia à singulis capiuntur. Ex eodem Aug. libro de Trinit. c. 12.

ÆQualia etiam sunt non solùm singula singulis, sed etiam singula omnibus : alioquin non se inuicem caperent : se autem inuicem capiunt. Capiuntur enim & à singulis singula, & à singulis omnia. Memini enim me habere memoriam & intelligentiam, & voluntatem : & intelligo me intelligere & velle, atque meminisse : & volo me velle & meminisse, & intelligere.

Quomodo tota illa tria memoria capiat.

I.

TOtámque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem simul memini. Quod enim memoriæ meæ non memini, illud non est in memoria

moria mea: nihil autem tam in memoria est, quàm ipsa memoria: totam ergo memini. Item quicquid intelligo, intelligere me scio: & scio me velle quicquid volo, quicquid autem scio memini. Totam ergo diligentiam totámque voluntatem meam memini.

Quomodo illa tria tota capiat intelligentia?

SImiliter cùm hæc tria intelligo, tota simul intelligo: neque enim quicquam intelligibilium est, quod non intelligam, nisi quod ignoro. Quod autem ignoro, nec memini, nec volo. Quicquid ergo ntelligibilium non intelligo, & consequenter etiam nec memini, nec volo. Quicquid ergo intelligibilium memini & volo, consequenter intelligo. K. *Ex eodem Aug. lib. & c. citatis.*

Quomodo illa tota capiat voluntas?

VOluntas etiam mea totam intelligentiam totámque meam memoriam capit, dum vtor toto eo quod intelligo & memini. Cùm itaque inuicem à singulis & omnia & tota capiuntur, æqualia sunt tota singula, totis singulis, & tota singula, simul omnibus totis: & hæc tria vnum, vna vita, vna mens, vna essentia.] Ecce illius summæ vnitatis atque Trinitatis, vbi vna est essentia & tres personæ, imago est humana mens, licèt impar. Mens autem hîc pro animo ipso accipitur, vbi est illa imago Trinitatis. [Propriè verò mens dicitur, vt ait Augustinus, non ipsa anima, sed quod in ea est excellentius.] Qualiter sæpè accipitur. Illud etiam sciendum est, quòd memoria non solùm est absentium & præteritorum, sed etiam præsentium, vt ait Augustinus in 14. lib. de Trinit. alioquin non se caperet. L. *Lib. de Trinit. 15. c. 8. Cap. 11.*

Ex quo sensu illa tria dicantur esse, vnum & vna essentia, quæritur?

HIc attendendum est diligenter, ex quo sensu accipiendum sit quod suprà dixit, Illa tria, scilicet memoriam, intelligentiam, & voluntatem esse vnum, vnam mentem, vnam essentiam, quod vtique non videtur esse verum iuxta proprietatem sermonis. Mens enim, id est, spiritus rationalis, essentia est spiritualis, & incorporea. Illa verò tria, naturales proprietates, seu vires sunt ipsius mentis, & à se inuicem differunt: quia memoria non est intelligentia, vel voluntas: nec intelligentia voluntas, siue amor. M.

Quòd etiam ad se inuicem dicuntur relatiuè.

ET hæc tria etiam ad seinuicem referuntur, vt ait Augustinus in 9. lib. de Trinit. mens enim amare seipsam, vel meminisse non potest, nisi etiam nouerit se. Nam quomodo amat, vel meminit quod nescit? Miro itaque modo tria ista inseparabilia sunt à seipsis: & tamen eorum singulum, & simul omnia vna essentia est, cùm & relatiuè dicantur ad inuicem. N. *August. c. 2. & 3. Idē lib. de Trinit. 9. cap. 5.*

Hîc aperitur quod suprà quærebatur, scilicet quomodo hæc tria dicuntur vnum?

SEd iam videndum est, quomodo hæc tria dicantur vna substantia. Ideò scilicet, quia in ipsa anima, vel mente substantialiter existunt, non sicut accidentia in subiectis, quæ possunt adesse, & abesse, vnde Augustinus in 9. lib. de O. *Cap. 4.*

lib. de Trinit ait. [Admonemur si vtcunque videre possumus, hæc in animo existere substantialiter non tanquam in subiecto, vt color in corpore, quia relatiuè dicuntur adinuicem, singula tamen substantialiter sunt in substantia sua.] Ecce ex quo sensu illa tria dicantur esse vnum, vel vna substantia.

Cap.20. Quæ tria, vt August. ait in 15. lib. de Trinit. [in mente naturaliter diuinitùs instituta quisquis viuaciter perspicit, & quàm magnum sit in ea, vnde potest etiam sempiterna incommutabilísque natura recoli, conspici, concupisci, reminiscitur enim per memoriam, intuetur per intelligentiam, amplectitur per dilectionem, profectò reperit illius summæ Trinitatis imaginem.]

Quòd in illa similitudine est dißimilitudo.

P. Ex Aug. lib. de Trin. 15. c. 20.

VErumtamen caueat, ne hanc imaginem ab eadem de Trinitate factam, ita ei comparet, vt omnino existimet similem, sed potiùs in qualicunque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat.

Prima dißimilitudo.

Q. Ex eodem lib. cap. 22.

QVod breuiter ostendi potest. [Homo vnus per ista tria meminit, intelligit, diligit: qui nec memoria est, nec intelligentia, nec dilectio, sed hæc habet. Vnus ergo homo est, qui habet hæc tria, non ipse est hæc tria. In illius verò summæ simplicitate naturæ, quæ Deus est, quamuis vnus sit Deus, tamen tres personæ sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: & hæ tres personæ sunt vnus Deus. Aliud est itaque Trinitas res ipsa, aliud imago Trinitatis, in re alia: propter quam imaginem etiam illud in quo sunt hæc tria imago dicitur, scilicet homo. Sicut imago dicitur & tabula, & pictura, quæ est in ea: sed tabula nomine imaginis appellatur, propter picturam, quæ est in ea.]

Quòd propter illa tria homo dicitur imago.

Altera dißimilitudo.

R. Ex eodem lib. cap. 23. Ibidem c. 7. Ibidem cap. 23.

[RVrsus ista imago, quæ est homo habens illa tria, vna persona est: illa verò Trinitas non vna persona est, sed tres personæ, Pater Filij, & Filius Patris, & Spiritus Patris, & Filij. Itaque in ista imagine Trinitatis, non hæc tria vnus homo, sed vnius hominis sunt. In illa verò summa Trinitate, cuius hæc imago est, non vnius Dei sunt illa tria, sed vnus Deus: & tres sunt illæ personæ, non vna persona.] [Illa enim tria non homo sunt, sed hominis sunt, vel in homine sunt. Sed nunquid possumus dicere, Trinitatem sic esse in Deo, vt aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus? Absit vt hoc credamus. Dicamus ergo in mente nostra imaginem Trinitatis, sed exiguam, & qualemcunque esse: quæ summæ Trinitatis ita gerit similitudinem, vt ex maxima parte sit dissimilis.] Sciendum verò est quòd hæc Trinitas mentis, vt ait

Cap. 12. Augustinus in 14. lib. de Trinit. [non propterea tantùm imago Dei est, quia sui meminerit mens, & intelligit, ac diligit se: sed quia potest etiam meminisse: & intelligere, & amare illum à quo facta est.]

Alia aßignatio Trinitatis in anima, scilicet mens, notitia, amor.

S. Cap. 4. Ibidem. Vt habetur lib. de Trin. 15. cap. 6. & 7.

POtest etiam alio modo aliísque nominibus distingui Trinitas in anima, quæ est imago illius summæ, & ineffabilis Trinitatis, vt enim ait August. in 9. de Trinit. [Mens, notitia eius, & amor, tria quædam sunt. Mens enim nouit se, & amat se: nec amare se potest, nisi etiam nouerit se. Duo quædam sunt mens & notitia eius. Item duo quædam sunt mens & amor eius. Cùm

ergo se nouit mens, & amat se, manet Trinitas, scilicet mens, amor, & notitia. Mens autem hîc accipitur non pro anima, sed pro eo quod in anima excellentius est. Hæc autem tria cùm sint distincta à se inuicem, dicuntur tamen esse vnum: quia in animo substantialiter existunt. *Quomodo ea dicantur esse vnum. Idem lib. 9. c.4. de Trin.*

Quia mens, vice Patris: notitia, Filij: amor, Spiritus sancti accipitur.

ET est ipsa mens quasi parens, & notitia eius quasi proles eius. Mens enim cùm se cognoscit, notitiam sui gignit, & est sola parens suæ notitiæ. Tertius est amor, qui de ipsa mente, & notitia procedit, dum mens cognoscens se diligit se. Non enim posset se diligere, nisi cognosceret se. Amat etiam placitam prolem, id est, notitiam suam: & ita amor quidam complexus est parentis, & prolis. T. *Ex August. lib.9.c.12.*

Quòd non est minor mente notitia, nec amor vtroque.

NEc est minor proles parente, dum tantam se nouit mens, quanta est: nec minor est amor parente, & prole, id est, mente & notitia, dum tantum se diligit mens, quantum se nouit, & quanta est. V. *Ex eodem Aug. lib. & c. citatis.*

Quòd hæc tria in se ipsis sunt.

SVnt etiam hæc singula in seipsis: quia & mens amans in amore est, & amor in amantis notitia, & notitia in mente noscente est. Ecce in his tribus qualecunque vestigium Trinitatis apparet. X. *Eodem lib. cap.5.*

Quomodo mens per ista proficit, ad intelligendum Deum?

MEns itaque rationalis considerans hæc tria, & illam vnam essentiam in qua ista sunt, extendit se ad contemplationem Creatoris: & videt vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate. Intelligit enim, vnum Deum esse, vnam essentiam, vnum principium. Intelligit enim, quia si duo essent, vel vterque insufficiens esset, vel alter superflueret: quia si aliquid deesset vni quod haberet alter, non esset ibi summa perfectio. Si verò nihil vni deesset quod haberet alter, cùm in vno essent omnia, alter superflueret. Intellexit ergo vnum esse Deum, vnum omnium authorem: & vidit quia absque sapientia non sit, quasi res fatua: & ideò intellexit eum habere sapientiam, quæ ab ipso genita est: & quia sapientiam suam diligit, intellexit etiam ibi esse amorem. Y.

Hîc de summa Trinitatis vnitate.

QVapropter iuxta istam considerationem, vt ait Augustinus in 9. lib. de Trinit. credamus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum vnum esse Deum, vniuersæ creaturæ conditorem, & rectorem, nec Patrem esse Filium, nec Spiritum sanctum, vel Patrem esse, vel Filium, sed Trinitatem relatarum adinuicem personarum. Vt enim ait ipse, in libro de Fide ad Petrum, Vna est natura, siue essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non vna persona. Si enim sic esset vna Persona, sicut est vna substantia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, veraciter Trinitas non diceretur. Rursus quidem Trinitas esset vera, sed vnus Deus Trinitas ipsa non esset, si quemadmodum Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, personarum sunt abinuicem proprietate distincti, sic fuissent quoque naturarum diuersitate discreti. Fides autem Patriarcharum, Z. *August. c.1.* *Cap. 1. sed sententia potius, quam verbis ipsis.*

Prophetarum,atque Apostolorum vnum Deum prædicat Trinitatem esse. In illa ergo sancta Trinitate vnus est Deus Pater, qui solus essentialiter de se ipso Filium vnum genuit: & vnus Filius est, qui de vno Patre solus essentialiter natus: & vnus Spiritus sanctus, qui solus essentialiter à Patre Filióque procedit. Hoc autem totum non potest vna persona, id est, gignere se,
Cap. 1. & nasci de se, & procedere de se, vt enim ait Augustinus in 1. lib. de Trinit. Nulla res est, quæ seipsam gignat, vt sit.

QVÆSTIO I.

Vtrùm Deus sit naturaliter cognoscibilis à viatore?

Alensis,D.Thomas,D.Bonauentura,Richardus,Henric. & alij citati, *dist.præced.ad q.* 1. *Item* D.Thom. 1.*p.q.*12.*art.*4.*&* 12.Alensis 1.*p.q.*2.*m.*1.D.Bonauent. *hîc art.*1.*q.*1.*&* 2.Richardus *art.*1.*q.*1.*Vide* Scot. 1.*Physic.q.*4.5.*&* 20.Vasquez 1.*p.disp.*20.Mayron.Baccon,Durand.*hîc*.

1. *Mag. A, B, C, D, E. Circa primam partẽ 3. d. in qua agitur de cognoscibilitate Dei quarũtur 5.* *Text. 20. & 39.*

CIrca tertiam distinctionem, Quæro primò de cognoscibilitate Dei. & quæro primò, Vtrùm Deus sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu viatoris?

Arguo quòd non: Philosophus 3. de Animâ: *Phantasmata se habent ad intellectum sicut sensibilia ad sensum:* igitur intellectus nihil intelligit, nisi cuius phantasma potest per sensus apprehendere: Deus autem non habet phantasma: ergo, &c.

Item, 2. Metaph. text. 1. *Sicut se habet oculus noctuæ ad lucem Solis: sic intellectus noster ad ea, quæ sunt manifestissima naturæ:* sed ibi est impossibilitas: ergo, & hîc.

Item, primo Physic. text. 35. *infinitum inquantum infinitum est ignotum.*

Et secundo Metaph. text. 11. & 12. *infinita non contingit cognoscere*; ergo nec infinitum: quia eadem videtur esse propositio intellectus ad infinitum, & ad infinita; quia æqualis excessus, vel non minor: quia vtrobique est infinitas. Item Gregorius super Eze-
lib. 1. Hom. 8. chielem. *Quantumcunque mens nostra in contemplatione Dei profecerit, non ad illud, quod ipse est, sed ad illud, quod sub ipso est, attingit.*

SCHOLIVM.

Positis quatuor locis Philosophi, & vno D. Gregor. pro parte negatiua, ponit duo loca eiusdem Philosophi, pro parte affirmatiua, & in initio quæst. seq. resoluit quæsitum latè.

2. *Text. 2. Ratio ad opp.* COntrà 5. Metaph. *Metaphysica est Theologia de Deo:* ergo, &c.

Similiter in actu eius, scilicet in consideratione actuali substantiarum separatarum ponit felicitatem humanam 10. Ethicorum. *Cap. 10.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm Deus sit primum cognitum naturaliter pro statu isto?

D.Thom. 1.*p.q.*12.*art.*2.*&* 4.*&* *q.*85.*art.*3.Henric.*in summ.art.*22.*q.*1 2.*&* 3.*&* *quodl.*7.*q.*4.Caiet.*de ente, & essentia, q.*1.Zabarella *lib. de ordine intellig.* Gregor.*hîc q.*3.*ar.*2 *Occham hîc q.* 5.*& quatenus agitur hîc de conceptu entis, videri possunt* D.Thom. 1.*p.q.*13.*art.*5.*&* *q.*7.*de potentia, art.*7.Heruæus *quodl.*2.*c.*7.Fonseca 4.*Metaph.c.*2.*q.*2.*sect.*4.Scot.*infr.d.*8.*q.*3.*&* 2.*d.*3.*q.*3.*&* 3.*d.*8.*q.*1.Suar. *in Metaph.disp.*2.*sect.*2.*vide* Scot. 1.*Metaph.q.*10.*&* 1.*Physic.q.*3.5.*&* 7.

1. IVXTA hoc quæro. Vtrùm Deus sit primum cognitum à nobis naturaliter pro statu isto?

Et arguitur quòd sic. *Vnumquodque sicut se habet ad esse, sic ad cognitio-*
Text. 4. *nem*, 2. Metaph. sed Deus est primum ens: ergo primum cognitum.
Argum. 2. Item, nihil perfectè cognoscitur nisi Deo perfectè cognito: ergo nihil simpliciter cognoscitur, nisi eo simpliciter cognito. Consequentia apparet, quia in his, quæ sunt per se, *sicut maximum ad maximum, sic simpliciter ad simpliciter, & è contra,*
Cap. 29. ex 2. Topic.

Item,

Item, perfectissimus actus potentiæ, est circa obiectum simpliciter primum; perfectissimus autem actus, scilicet speculatio, in qua consistit fœlicitas, est circa Deum, 10. *Ethic.* ergo Deus est simpliciter primum obiectum cognoscibile. *Arg. 3. Cap. 10.*

Contrà, omnis nostra cognitio oritur à sensu 1. *Metaph & 2. Poster.* in fine: ergo Deus, qui est à sensibus remotissimus, non est primò cognitus ab intellectu nostro. *Thom. 1. p. q. 3. ar. 3. & Dionys. de Ang. Hier.*

COMMENTARIVS.

1. IN secunda quæstione. Primò arguit sic: Deus est primum ens simpliciter: ergo primum cognitum. Antecedens patet *dist.* 2. Consequentia patet 2. Met. text. comm. 4. *vnumquodque*, inquit, *sicut se habet, vt sit*, id est, ad esse, *ita & ad veritatem.* Vbi Commentator in fine commenti, *Quantò*, inquit, *magis perfectum in esse, tantò magis erit perfectum in essendo verum.*

Secundò arguit, quia 2. Topic. c. 29. *Rursus siquidem magis, & minùs dicitur, & simpliciter inest. Quod enim non est bonum, vel album, neque magis, & minùs album, vel bonum dicere.* Hoc ibi. Ex intentione elicitur hæc: In his quæ sunt per se, id est, quæ absolutè, & simpliciter insunt, hæc regula tenet: *Sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum.* Patet, si album est simpliciter visibile, ergo magis album, &c. & è conuerso, magis album est magis visibile: ergo simpliciter album est simpliciter visibile, & sic patet regula. In proposito, nihil potest perfectissimè cognosci, nisi Deo perfectissimè cognito: ergo nihil potest simpliciter cognosci, nisi Deo simpliciter cognito: ergo cùm aliqua cognoscuntur à nobis, Deus erit simpliciter cognitum prius.

Tertiò, perfectissimus actus potentiæ est circa obiectum perfectissimũ, siue simpliciter primum. Hoc patet ex Doctore, infrà *præsenti dist. quæst.* 7. Tum etiam, quia actus specificatur ab obiecto; tum etiam, quia nobilitas scientiæ accipitur à nobilitate obiecti, vt patet 1. *de Anima, text. comm.* 1. *Cùm*, inquit, *omnem scientiam*, siue cognitionem, *rem esse bonam opinemur, ac honorabilem; magis autem alteram alterâ, aut secundùm certitudinem, aut ex eo, quòd melior quidem, & mirabilior est.* Hoc ibi. Sed perfectissimus actus est circa Deum, ex 10. Ethic. c. 10. quia ibi ponit fœlicitatem: ergo, &c.

SCHOLIVM.

Ostendit contra quosdam quoad primam quæstionem, Deum non posse cognosci negatiuè, non affirmatiuè: quia negatio non cognoscitur nisi per affirmationem: & explicat sensum q. videlicet, vtrùm viator pro hoc statu poßit habere conceptum simplicem, quo concipiatur Deus.

IN prima [a] quæstione non est distinguendum, quòd Deus possit cognosci negatiuè, non affirmatiuè: quia negatio non cognoscitur nisi per affirmationem 2. *Periherm in fin* & 4. *Metaph.* Patet etiam, quòd nullas negationes cognoscimus de Deo, nisi per affirmationes per quas remouemus incompossibilia aliqua ab illis affirmationibus, sicut non remouemus compositionem, nisi quia attribuimus simplicitatem, vel aliquid aliud. *Text. 2. & 16.*

2. Negationes etiam tantùm, non summè amamus. Similiter etiam [b], aut negatio concipitur præcisè, aut vt dicta de aliquo. Si præcisè concipitur negatio, vt non lapis, hoc æquè conuenit nihilo sicut Deo; quia pura negatio dicitur de ente, & non ente; igitur in hoc non intelligitur Deus magis, quàm nihil, vel chimæra. Si intelligitur non lapis de aliquo, tunc quæro, ille conceptus substratus, de quo intelligitur ista negatio esse vera, aut est conceptus affirmatiuus, aut negatiuus. Si est affirmatiuus, habetur propositum. Si negatiuus, quæro vt priùs, aut negatio concipitur præcisè, aut vt dicta de aliquo: si primo modo hoc æquè conuenit nihil sicut Deo. Si vt dicta de aliquo, tunc sicut priùs.

Et quantumcunque procederetur in negationibus, vel non intelligeretur Deus magis, quàm nihil, vel stabitur in aliquo conceptu affirmatiuo, qui est primus.

Nec est [c] distinguendum de cognitione *si est*, & *quia est*: quia in proposito quæro conceptum simplicem, de quo cognoscatur esse per actum intellectus componentis, & diuidentis. Nunquam enim cognosco de aliquo, *si est*, nisi habeam aliquem conceptum illius extremi, de quo cognosco esse, & de isto quæritur hîc.

Nec oportet distinguere de *si est*, vt est quæstio de veritate propositionis, vel vt est quæstio de *esse* Dei; quia si potest esse quæstio de veritate propositionis, in qua *esse* tanquam prædicatum quæritur de subiecto, ad concipiendum veritatem illius quæstionis, oportet præconcipere terminos illius quæstionis, & de conceptu simplici illius subiecti, si est possibilis naturaliter, nunc est quæstio.

Nec valet distinguere de conceptu naturali, & supernaturali: quia quæritur de naturali.

Nec valet distinguere de naturali, loquendo de natura absolutè, vel de natura pro statu isto; quia quæritur præcisè de cognitione pro statu isto.

Quæstio si est, quærit de incomplexo, cui nõ repugnat esse. Vide Scot. 4. d. 1. q. 2. & 2. d. 1. q. 3. quia est, quærit de veritate complexa. Thom. 1. p. q. 3. art. 4.

Nec valet [e] distinguere de cognitione Dei in creatura, vel in se; quia si cognitio habeatur per creaturam, ita quòd cognitio discursiua incipiat à creatura, quæro in quo

termino sistitur ista cognitio. Si in Deo in se, habeo propositum, quia illum conceptum Dei in se, quæro. Si non sistitur in Deo in se, sed in creatura, tunc idem erit terminus, & principium discursus, & ita nulla notitia habetur de Deo.

Declaratio quæsiti præsentis Henr. in sum. art. 22. q. 1. 2. & 3.

Est igitur [t] mens quæstionis ista: Vtrùm aliquem conceptum simplicem, possit intellectus viatoris naturaliter habere, in quo conceptu simplici concipiatur Deus.

COMMENTARIVS.

1. a IN *prima quæstione non est distinguendum* (sicut Thomas distinguit in prima parte, quæst. 3. art. 12.) *quòd Deus possit cognosci negatiuè, non affirmatiuè*, id est, quòd Deus tantùm cognoscatur per negationem: puta remouendo incompossibilia. Sicut si diceremus: Deus non est corporeus, & huiusmodi, & non affirmatiuè, puta cognoscendo aliquid de Deo, affirmando illud, siue attribuendo, vt quòd Deus sit infinitum ens, vel summum bonum: & dicit Doctor, quòd est quodammodò implicatio, quòd cognoscatur negatiuè, & non affirmatiuè, quod probat auctoritate, & ratione. Auctoritate, patet primò, 2. Periherm. in fine, negatio non cognoscitur nisi per affirmationem. Hoc etiam expresse patet 4 Metaph. text. comm. 2. & clariùs tex. comm. 6. vbi expresse habetur, quòd nunquam negatio cognoscitur, nisi per affirmationem, & maximè hoc est verũ de negatione, quæ necessariò inest: aliqua enim negatio necessariò inest; quia eius oppositũ sibi repugnat, vt negatio asini necessariò inest homini, quia affirmatio asini formaliter repugnat homini: negatio verò albi contingenter inest homini, quia album esse non repugnat homini, negatio verò albi contingenter inest homini, quia album esse non repugnat homini. Negatio ergo, quæ necessariò inest, cognoscitur propter aliquam affirmationem, cui formaliter repugnat affirmatio opposita negationi; nam affirmatio asini repugnat homini propter aliquam affirmationem, siue entitatem positiuam in homine, scilicet propter rationalitatem. Et sic in proposito, si cognosco Deum non esse lapidem, quæ negatio inest necessariò Deo: cognosco aliquid positiuum, cui formaliter repugnat affirmatio opposita negationi lapidis: puta quia cognosco Deum esse spiritum, cui repugnat omne corpus: ideò statim cognosco ipsum non esse lapidem. An modo non possit cognosci negatio, quæ contingenter inest, nisi propter aliquam affirmationem in illo, de hoc alias. In proposito enim loquitur de negatione, quæ necessariò inest Deo, cuius opposita affirmatio simpliciter repugnat: vt patet in litera Doctoris.

2. b *Similiter etiam, aut negatio concipitur præcisè: aut vt dicta de aliquo.* Vt cùm dicimus, Deus est non lapis: si tantùm concipitur ista negatio in se, & absolutè: puta *non lapis*, sequitur, quòd per hoc non magis cognoscitur Deus, quàm Chimæra: patet, quia ita *non lapis* dicitur de Chimæra sicut de Deo. Si verò concipitur *non lapis*, vt dicitur de aliquo: tunc quæro an illud substratum, siue subiectum, de quo dicitur *non lapis*: aut est conceptus affirmatiuus, aut negatiuus. Si primò, habetur propositum: quia tunc non tantùm concipio non lapidem, sed concipio aliquid affirmando illud esse: vt puta, quòd non tantùm concipio non lapidem: sed concipio Deum esse, à quo remouetur lapis, cui attribuo non lapidem: & patet litera.

c *Nec est distinguendum de cognitione*, &c. 3.
Quæstio *si est*, est quæstio de aliquo conceptu incomplexo, scilicet an Deus sit talis conceptus in se simplex cognoscibilis, cui non repugnat *esse*, scilicet actualis existentiæ: non enim quæstio *si est* propriè quærit an aliquid actu existat, sed an possit existere, vt patet à Doctore *in 4. dist. primi, quæst.* 2. Aduerte tamen quòd *si est* propriè, vt dicit actualem, vel aptitudinalem existentiam, est quid demonstrabile de illo, de quo quæritur per definitionem illius, vt patet à Doctore in 2. d. 1. q. 3. Nam per animal rationale demonstratur, quod existentia non repugnat homini, & ideò quæstio *si est*, de qua Aristoteles 1. *Poster.* non propriè quærit actualem, vel aptitudinalem existentiam, cùm illa sit demonstrabilis, vt patet à Doctore in 2. dist. 1. q. 3. & etiam patere potest ex dictis eius in 1. dist. 3. q. 5. contra Henricum, & dist. 3. Nam per definitionem demonstratur existentia de re, cuius est: & quæstio *si est* præsupponitur in omni demonstratione: de subiecto enim præsupponitur *si est*, vt patet primo Posteriorum. Nota tamen, quòd *si est* contingit à nobis sciri dupliciter. Vno modo simpliciter, quando scilicet cognoscitur *si est* demonstratiuè, & per propriam causam eius: quæ dicitur *quod quid est* subiecti, per quod demonstratur ipsum *si est* de suo subiecto. Et sic nullo modo præcognoscitur *si est* ante demonstrationem, vel definitionem; imò *quod quid est* præcognoscitur ipsi *si est*, sicut causa præcognoscitur suo effectu. Alio modo potest sciri *si est* secundùm *quid*, & imperfectè, non quidem per demonstrationem, sed per aliqua accidentia, vel per definitionem descriptiuam, aut etiam per definitionem *quid nominis* ipsius subiecti, & sic necesse est præcognoscere *si est* ante quamlibet demonstrationem, vel definitionem dicentem *quid rei*. Quæstio verò *quia est* quærit veritatem propositionis, vt patet primo Posteriorum. Et est sensus, an ista propositio sit vera, *Deus est cognoscibilis à nobis*, scilicet, an Deum esse sit verum cognoscibile à nobis. Sed certum est, quòd veritas propositionis præsupponit cognitionem extremorum: oportet ergo priùs habere conceptum simplicem illius subiecti, de quo quæro *esse*.

d *Nec oportet distinguere de* si est, *vt est quæstio de veritate propositionis.* Et quod dicit hîc Doctor, quòd non oportet distinguere de *si est*, &c. quia in re est idem cum illa quæstione *quia est*: quia quæstio *quia est* propriè quærit veritatem propositionis, vt patet primo Posteriorum. Posito ergo quòd sit quæstio de veritate propositionis, vbi quæritur *esse* de conceptu Dei, adhuc oportet præconcipere terminos illius quæstionis, quia cognitio propositionis præsupponit cognitionem terminorum, & sic quæritur de conceptu simplici illius subiecti, scilicet Dei, si est possibilis naturaliter, id est, si est possibile naturaliter, siue via naturali habere conceptum simplicem Dei. Sequitur, *nec* 4.

valet

valet distinguere de conceptu naturali, & supernaturali, quia quæritur de naturali. Non enim quæritur an via naturali, vel supernaturali possit haberi aliquis conceptus simplex de Deo, sed quæritur de naturali, id est, quæritur an via naturali possit haberi aliquis talis conceptus. Sequitur, *nec valet distinguere de naturali absolutè*; quia quæritur de naturali tantùm pro statu isto, scilicet an pro statu isto via naturali, id est, ex solis causis naturalibus possit haberi aliquis conceptus simplex de ipso Deo.

5. e *Nec valet distinguere de cognitione Dei in creatura, vel in se.* Et arguit sic Doctor, quia si cognosco Deum per creaturam, puta per aliquem effectum, certum est, quòd illa cognitio terminatur ad obiectum cognitum, aut ergo ad Deum in se, & tunc habetur propositum; quia illum conceptum Dei in se quærimus. Si verò non terminatur ad Deum in se, sed ad creaturam, tunc idem erit terminus, & principium discursus: & ita nulla notitia habetur de Deo.

6. Et nota, quòd quando dicimus, quòd aliquid cognoscitur per aliud, multùm differt ab illo, quo dicimus, quod aliquid cognoscitur in alio, vt patet à Doctore quæstione 15. Quodlibeti. Nam cùm cognoscimus *B* per *A*, tunc cognitio ipsius *B* terminatur ad ipsum *B* in se. Sicut per principia cognita cognosco conclusionem in se: & sic quando per creaturam cognosco Deum, sensus est: quòd per creaturam cognitam, tanquam per medium cognitum, cognosco ipsum Deum: ita quòd talis cognitio terminatur ad Deum in se: non sic est, quando cognoscimus *A* in *B*, & de hoc vide Scotum loco præallegato.

f *Est igitur mens quæstionis, ista: Vtrùm aliquem conceptum simplicem possit intellectus viatoris naturaliter habere: in quo conceptu simplici concipiatur Deus*, id est, an possimus via naturali cognoscere aliquod obiectum simplex de Deo, sub quo cognoscatur Deus à nobis, id est, an possimus habere cognitionem alicuius conceptus simplicis: quem nominamus *Deum*: vel quem attribuamus alicui enti, quod nominamus *Deum*, per quem aliquo modo dicatur Deus à nobis cognoscibilis. Et hic titulus quæstionis, & mens istius quæst. respondendo ad illam diffusè declarabitur.

SCHOLIVM.

Adducit opinionem Henrici quo ad primam, & secundam quæstionem, quam propter eius confusionem non summaui: sed per rationes, quibus Scotus suam sententiam probat, refutatur.

AD hoc dicit [a] quidam Doctor sic, quòd loquendo de cognitione alicuius, distingui potest ex parte obiecti per se, vel per accidens; in particulari, vel in vniuersali. 3.

Realiter per accidens, non cognoscitur Deus, quia quidquid de ipso cognoscitur, est ipse Deus; tamen cognoscendo aliquod attributum eius, cognoscimus quasi per accidens quid est: vnde de attributis dicit Dam. lib. 1. c. 4. quòd *non naturam dicunt Dei, sed quæ circa naturam.*

In vniuersali etiam, puta in generali attributo, cognoscitur, non quidem in vniuersali secundùm prædicationem, quod dicatur de ipso, in quo nullum est vniuersale; quia quiditas illa est de se singularis; sed in vniuersali, quod sibi analogicè commune est, & creaturæ, tamen quasi vnum à nobis concipitur, propter proximitatem conceptuum, licèt sint diuersi conceptus.

In particulari [b] non cognoscitur ex creaturis, quia creatura est peregrina similitudo eius, quia tantùm ei conformis est, quo ad aliqua attributa, quæ non sunt illa natura in particulari; igitur cùm nihil ducat in cognitionem alterius, nisi sub ratione similitudinis, sequitur, quòd Deus non cognoscitur in particulari ex creaturis.

Item, in vniuersali tripliciter cognoscitur, generalissimè, generaliùs, generaliter.

Generalissimè habet tres gradus. Cognoscendo enim quodcunque ens, vt hoc ens est, indistinctissimè concipitur Deus, quia concipitur ens quasi pars conceptus, & est primus gradus. Amouendo hoc, & concipiendo ens, est secundus gradus. Iam enim ens, vt conceptum, non vt pars conceptus, concipitur commune analogum Deo, & creaturæ. Quòd si distinguatur conceptus entis, qui Deo conuenit, puta concipiendo ens indeterminatum negatiuè, id est, non determinabile, à conceptu entis, qui conuenit creaturæ analogicè, quod est ens indeterminatum priuatiuè, iam est tertius gradus. Primo modo indeterminatum abstrahitur, vt forma ab omni materia, vt in se subsistens, & imparticipabilis. Secundo modo indeterminatum est vniuersale abstractum à particularibus, quod non est actu participatum in illis. Post istos tres [c] gradus concipiendi generalissimè, concipitur Deus generaliùs, concipiendo quodcunque attributum, non simpliciter sicut prius, sed cum præeminentia summa. Generaliter autem concipitur, concipiendo quodcunque attributum esse idem suo primo proprio attributo, scilicet eius *esse*, propter simplicitatem: nec per speciem propriam cognoscitur Deus: quia nihil est eo simplicius, sed ad modum æstimatiuæ. Sicut enim æstimatiua in brutis, sub intentionibus sensatis subfodiendo, cognoscit inten-

Quære Her. q. 4. quodl. 7. & 9.

tiones non sensatas, vt nociui, & proficui: sic intellectus sub specie creaturæ, quæ non repræsentat nisi creaturam, ex suo acumine subfodit ad cognoscendum ea, quæ sunt, & dicuntur de Deo, per speciem alienam ex creaturis, & hoc omnibus tribus modis prædictis.

Quo ad secundam quæstionem, secundùm istam opinionem distinguendum est de modo concipiendi naturaliter, & rationaliter. Primo modo Deus est primum obiectum intelligibile à nobis ex creaturis: quia naturalis cognitio procedit ab indeterminato ad determinatum. Indeterminatum negatiuè est magis indeterminatum, quàm priuatiuè indeterminatum: ergo præconcipitur illi, & illud indeterminatum priuatiuè, secundùm cognitionem nostram, præconcipitur determinato: *quia ens, & res prima impreßione imprimuntur in anima nostra*, secundùm Auicennam *primo Metaph. cap.* 5. ergo indeterminatum negatiuè, omnino primum est obiectum nostro intellectui.

Rationaliter autem est Deus posterius creatura obiectum cognitum secundùm tres gradus. Primò generalissimè, deinde generaliùs, & vltimò generaliter; quia primò concipitur hoc bonum, deinde bonum vniuersale abstractum secunda abstractione, puta quod est indeterminatum priuatiuè: deinde bonum prima abstractione abstractum, quod scilicet est indeterminatum negatiuè, quia via ratiocinatiuæ deductionis, priùs oportet cognosci illud, à quo fit abstractio, quàm abstractum. Exponitur primum membrum, scilicet naturaliter, quomodo est sic cognitum primò: quia Deus, vt est sic primum cognitum, non distinguitur ab aliis propter simplicitatem: & quia non est primum cognitum nisi tantùm quo ad duos primos modos gradus generalissimè concipiendi, quorum neuter pertingit ad aliquam rationem determinantem illud attributum Deo. Qualiter autem posset esse primum cognitum, & non distingui ab aliis per intellectum cognoscentem, exemplificatur, sicut oculus primò videt lucem, licèt non distinctè discernat de ipsa, propter subtilitatem, sicut discernit de colore per lucem.

COMMENTARIVS.

1. a *AD hoc dicit quidam Doctor.* Hæc est opinio Henrici, & quod dicit ibi: *Sed in vniuersali* quòd sibi analogicè commune est, & creaturæ: tamen quasi vnum à nobis concipitur propter proximitatem conceptuum, licèt sint diuersi conceptus. Et nota secundùm istum Doctorem, quòd conceptus analogicus dictus de Deo, & creatura, nō dicit in se vnum conceptum communem Deo, & creaturæ: licèt per prius de Deo, quàm de creatura: sed dicit tantùm duos conceptus immediatè, vnum de Deo, & alium de creatura: sed conceptus Dei est perfectior, & propter approximationem horum conceptuum, quasi vnum conceptum communem Deo, & creaturæ concipimus: tamen in re nullus est communis, id est, quòd quia vterque conceptus conuenit in hoc nomine *entis*, scilicet conceptus Dei, & conceptus creaturæ: & hoc modo dicuntur proximi, videntur esse vnus, id est, videntur conuenire in vno conceptu communi Deo, & creaturæ: cùm tamen conueniant in solo nomine, scilicet *entis*; quod nomen est æquiuocum analogicum: quia priùs conuenit conceptui Dei: & posteriùs conceptui creaturæ.

2. b *In particulari non cognoscitur ex creaturis.* Dicit Henricus, quòd Deus non cognoscitur in particulari: puta in se, vel sub propria ratione formali, & quiditatiua; quia creatura est peregrina similitudo eius.

Item in vniuersali tripliciter cognoscitur: generalissimè, generaliùs, & generaliter. Sententia huius literæ est; videlicet quòd primus gradus generalissimæ cognitionis est cognoscere indiuiduum vagum, vt *hoc ens*, non determinando quod ens: puta an homo, an asinus, & huiusmodi: sed tantùm sic vagè cognoscendo: & tunc est pars conceptus ipsius entis; quia concipiendo minùs commune, quasi concipio partem illius conceptus communis: sicut si concipio indiuiduum vagum hominis, concipio partem conceptus hominis. In secundo gradu est concipere ens in se: & ens in se conceptum, non est pars conceptus, modo præexposito: & vt sic est conceptus analogicus eo modo, quo priùs declaraui secundùm intentionem Henrici, quia non in se communis: sed videtur vnus propter approximitatem, &c. Et talis conceptus entis, qui videtur vnus, & dicitur de Deo, vel conuenit Deo, modo prædicto: aut concipitur vt est ens indeterminatum negatiuè, id est, nullo modo aptum natum determinari, siue contrahi, siue plurificari: & tunc concipitur, vt ens in se existens, & singularissimum, & formaliter infinitum. Nam, vt sic, repugnat sibi à quocumque posse determinari. Conceptus verò entis, qui dicitur de creatura, cùm sit communis ipsis, & prædicabilis de illis, vt vniuersale de inferioribus: & indeterminatus priuatiuè tantùm: quia contrahibilis, & determinabilis ad creaturas, sicut animal determinatur ad species per differentias suas.

c *Post istos tres gradus concipiendi generalissimè concipitur Deus generaliùs.* Dicit Henricus, quòd Deus dicitur generaliùs cognosci, vt cùm cognoscimus aliquod attributum: & hoc cum summa præeminentia: vt cognoscendo summum verum, & huiusmodi. Generaliter verò dicitur cognosci quando non tantùm cognoscimus attributa in summo; sed cùm cognoscimus illud, vt penitus idem illi cuius est. Nota, quòd attributa possunt dupliciter concipi: vel vt talia simpliciter: puta bonitas, sapientia, & huiusmodi; & sic in tali attributo adhuc cognoscitur generalissimè; & sic posset distingui, vt priùs; 3.

quia

quia bonitas dicit vnum conceptum analogicum dictum de bonitate Dei, & creaturæ: & hoc modo priùs posito, scilicet quòd talis conceptus videtur vnus propter approximationem, &c. Et tunc habebit tres gradus secundùm quòd priùs exposui. Primus gradus, vt hoc bonum vagè: secundus bonum in se: tertius vt bonum indeterminatum negatiuè: idem dico de aliis attributis. Secundo modo accipitur attributum non simpliciter, sed cum summitate, vt summum bonum, summus sapiens, & huiusmodi: & hoc modo cognoscitur Deus generaliùs. Si verò cognoscantur ista attributa non tantùm in se, & in summo: sed inquantùm sunt simpliciter idem primo attributo, scilicet ipsi *esse* simplicissimo Dei: tunc Deus cognoscitur generaliter.

d *Quo ad secundam quæstionem.* Nunc respondet Henricus ad secundam quæstionem principalem præsentis distinctionis, quæ talis est: *An Deus sit primum cognitum à nobis naturaliter pro statu isto?* Respondet, distinguendo de modo concipiendi naturaliter, & rationaliter. *Concipere naturaliter*, vt ad præsens spectat, est concipere secundùm cursum naturæ; sicut dicimus aliquid esse nobis notum, & naturæ. *Rationaliter* verò *concipere*, vt ad præsens loquimur, est per discursum: & talis præsupponit cognitionem propositionum. Et dicit Henricus quòd loquendo de modo concipiendi naturaliter, Deus est primum obiectum intelligibile à nobis ex creaturis: quia naturalis cognitio procedit ab indeterminato ad determinatum: & loquitur hîc de primitate originis. Si ergo naturaliter cognitio procedit ab indeterminato ad determinatum: sequitur, quòd Deus erit simpliciter primò cognitum cùm sit simpliciter indeterminatum; quia indeterminatum negatiuè, vt suprà patuit. Ens verò, & passiones entis sunt indeterminatæ priuatiuè tantùm.

Rationaliter autem est Deus posterius creatura obiectum cognitum secundùm tres gradus. Primò generalissimè, & hoc secundùm tres gradus; *quia primò concipitur hoc bonum*, supple vt est indiuiduum vagum: *Deinde bonum vniuersale*, vt est bonum in se, siue quod est indeterminatum priuatiuè: *Deinde bonum prima abstractione abstractum, quod est indeterminatum negatiuè*, &c.

Exponitur primum membrum, scilicet naturaliter, quo modo est sic cognitum primò; quia Deus, vt sic primum cognitum, non distinguitur ab aliis propter simplicitatem: quia nihil est extra ipsum, sed omnia in ipso simplicissimo. Sequitur, *Et quia non est primum cognitum, nisi tantùm quo ad primos duos gradus generalissimè concipiendi, quorum neuter pertingit ad aliquam rationem determinantem illud attributum Deo*, scilicet summam simplicitatem: & sic patet positio Henrici quo ad secundam quæst. de primo cognito, quæ etiam improbatur diffusè ab Occham dist. 3. quæst. 1. & 2. primi.

SCHOLIVM.

Respondet Scotus ad 1. quæst. & dicit primò contra Henricum non tantùm nos habere conceptum attributalem de Deo: verbi gratia, quòd sit sapiens, iustus, &c. sed quiditatiuum confusum in communi, vel in indiuiduo vago. Ratio est, quia concipiendo sapientem, oportet concipere subiectum, cui illud attributum, seu quasi passio competat.

RESpondeo aliter ad primam quæstionem, & in quibusdam contradicam positioni prædictæ: rationes enim meæ positionis ostendunt oppositum illius positionis. 5. *Respondet auctor ad q. 1.*

Dico primò, quòd non tantùm haberi potest conceptus naturaliter, in quo quasi per accidens concipitur Deus: puta in aliquo attributo, sed etiam aliquis conceptus, in quo per se, & quiditatiuè concipiatur Deus. Probo, quia concipiendo sapientem, concipitur proprietas secundùm eum, vel quasi proprietas in actu secundo perficiens naturam: ergo intelligendo sapientem, oportet præintelligere aliquid quasi subiectum, cui intelligo illud quasi proprietatem inesse, & ita ante conceptus omnium passionum, vel quasi passionum, oportet inquirere conceptum aliquem quiditatiuum, cui intelligantur ista attribui, & ille conceptus alius erit quiditatiuus de Deo, quia in nullo alio potest esse status. *Habere nos conceptum quiditatiuũ de Deo.*

COMMENTARIVS.

1. REspondeo aliter ad primam quæstionem. Hîc Doctor intendit probare, quòd via naturali potest haberi aliquis conceptus, in quo per se, & quiditatiuè concipiatur Deus. Hæc conclusio potest habere triplicem sensum. Primus est, quòd Deus potest naturaliter cognosci sub conceptu proprio, & quiditatiuo: & hic sensus non est verus apud Doctorem, vt infrà patebit, & suprà patet quæst. infra, & penult. Prolog. & prolixiùs in quæst. 14. Quodl. *Deus potest cognosci sub conceptu proprio, & quiditatiuo.*

Secundus sensus est, quòd potest concipi Deus sub aliquo conceptu quiditatiuo: puta cognoscendo Deum, quòd est ens quiditatiuè: & hic sensus potest distingui, vel quòd cognoscatur conceptus entis de ipso Deo, affirmando conceptum entis de Deo in se: ita quòd via naturali cognoscens hanc propositionem: *Deus est ens quiditatiuè*: distinctè cognoscat terminos, vel cùm dico, *Deus est ens quiditatiuè*: via naturali tantùm cognoscatur confusè, quòd est aliquid, quod nominamus *Deum*, quod est ens quiditatiuè. Hîc secundus sensus est verus, sed primus est manifestè falsus; quia via naturali non possumus distinctè cognoscere hanc propositionem: *Deus est ens quiditatiuè*: nisi distinctè cognoscamus terminos: modò Deus in se non potest distinctè cognosci.

Tertius sensus est, quòd via naturali potest cognosci Deus sub aliquo conceptu quiditatiuo, non tantùm sic in communi: sed etiam in indiuiduo vago:

vago, vt puta concludendo via naturali, quòd est aliquod perfectissimum ens quiditatiuè: & hic sensus est verus: & cognitio talis entis isto modo, & modo præcedenti, præsupponitur cognitioni attributorum de ipso. Non enim possum cognoscere bonum inesse alicui, nisi aliqualiter præcognoscam ipsum in suo *esse* quiditatiuo, & essentiali, nec possum cognoscere albedinem in *esse* substantiæ, nisi præcognoscam substantiam, saltem confusè in *esse* quiditatiuo, vt puta, quòd est aliquod ens quiditatiuè per se existens, cui attribuo albedinem: & sic debet hîc intelligi Doctor.

SCHOLIVM.

Dicit secundò contra Henricum, Deum concipi, non tantùm conceptu analogo ipsi, & creaturis, sed vtrisque vniuoco: quod præmittendo, vniuoci diffinitionem probat tripliciter. Primò, potest quis esse certus de aliquo quòd sit ens, dubitans an sit Deus, vel creatura. Secundò, non possumus habere pro nunc conceptum, nisi causatum à specie intelligibili, & phantasmate eorum, quæ naturaliter nos mouent, sed ista tantùm faciunt conceptum propriorum suorum obiectorum, & eorum, quæ virtualiter, vel essentialiter continentur in his: ergo quicquid concipimus sic, in eis continetur vniuocè, quia Analoga sunt ab eis disparata, eisque (si sunt increata) priora: ergo per attributionem ad ea, non cognoscuntur, quia cognoscibilia per attributionem, sunt imperfectiora iis ex quorum cognitione noscuntur. Tertiò, si non esset conceptus vniuocus Deo, & creatis, non magis concluderetur Deum esse sapientem ex sapientia, quam concipimus in creatis, quàm esse lapidem.

SEcundò [a] non asserendo, quia non consonat opinioni communi, potest dici, quòd non tantùm in conceptu analogo conceptui creaturæ concipitur Deus, qui scilicet sit omnino alius ab illo, qui de creatura dicitur: sed in conceptu aliquo vniuoco sibi, & creaturæ.

Dari conceptū vniuocū Deo, & creatis. Et ne fiat [b] contentio de nomine vniuocationis, conceptum vniuocum dico, qui ita est vnus, quòd eius vnitas sufficit ad contradictionem, affirmando, & negando ipsum de eodem. Sufficit etiam pro medio Syllogistico, vt extrema vnita in medio sic vno, sine fallacia æquiuocationis, concludantur inter se vnum.

6. *Vide hoc originaliter in Algazele in Metaph. sua.* Et vniuocationem [c] sic intellectam probo tripliciter. Primò sic; omnis intellectus certus de vno conceptu, & dubius de diuersis, habet conceptum de quo est certus, alium à conceptibus, de quibus est dubius: sed subiectum includit prædicatum, & intellectus viatoris potest esse certus de aliquo, quòd sit ens, dubitando de ente finito, vel infinito, creato, vel increato: ergo conceptus entis de aliquo est alius à conceptu isto, vel illo, & ita neuter ex se; sed in vtroque illorum includitur: ergo vniuocus. Probatio maioris, quia nullus idem conceptus est certus, & dubius; igitur vel alius, quod est propositum, vel nullus: & tunc non erit certitudo de aliquo conceptu. Probo minorem. Quilibet Philosophus fuit certus illud, quod posuit esse primum principium, esse ens, puta vnus de igne, alius de aqua, certus erat, quòd erat ens: non autem fuit certus, quòd esset ens creatum, vel increatum: primum, vel non primum. Non enim erat certus, quòd erat ens primum; quia tunc fuisset certus de falso, & falsum non est scibile, nec quòd erat ens non primum, quia tunc non posuisset oppositum.

Confirmatur [d] etiam ratio. Nam aliquis videns Philosophos discordare, potest esse certus de quocunque eorum, quòd quilibet posuit primum principium esse ens: & tamen propter contrarietatem opinionum eorum, potuit simul dubitare, vtrùm sit hoc ens, vel illud: & tali dubitanti si fieret demonstratio concludens, vel destruens aliquem conceptum inferiorem, puta, quòd ignis non erat ens primum, sed aliquod ens posterius primo ente: non destrueretur ille conceptus primus sibi certus, quem habuit de ente, sed saluaretur in illo conceptu particulari probato de igne, & per hoc probatur illa propositio sumpta in vltima consequentia rationis, quæ fuit, quòd ille conceptus certus, quia est ex se neuter dubiorum, in vtroque illorum saluatur.

Quòd si non cures de auctoritate ista accepta ex diuersitate opinionum philosophantium, sed dicas, quòd quilibet habet duos conceptus in intellectu suo propinquos, qui propter propinquitatem Analogiæ videntur esse vnus conceptus.

Contra hoc videtur esse, quia ex ista euasione videretur destructa omnis via probandi vnitatem alicuius conceptus vniuocam. Si enim dicis, hominem habere vnum conceptum ad Socratem, & Platonem, negabitur, & dicetur, quòd sunt duo: sed videntur vnus propter magnam similitudinem.

ADDITIO. *Præterea, illi duo conceptus sunt simpliciter simplices: igitur non intelligibiles, nisi distinctè, & totaliter: igitur si nunc non videntur duo, nec pòst.*

Item, aut concipiuntur, vt omnino disparati, & tunc mirum quomodo videntur vnus, aut

aut vt comparati secundùm Analogiam, vel similitudinem, vel dissimilitudinem, & tunc aliqualiter simul, vel prius concipiuntur, vt distincti: igitur non videntur vnus.

Item, ponendo illos duos conceptus, ponuntur duo obiecta formalia cognita, quomodo duo obiecta formalia cognita, & vt non distincta?

Primò, si intellectus intelligeret singularia sub propriis rationibus, quamuis conceptus duorum eiusdem speciei essent simillimi, non dubium quin multò similiores, quàm isti duo, in proposito: quia isti duo differunt specie adhuc intellectus benè distingueret inter tales conceptus singularium. Hæc etiam responsio improbatur distinct. 8. quæst. 3. & alia responsio, quæ negat maiorem.

Secundò principaliter [e] arguo sic; nullus conceptus realis causatur in intellectu viatoris naturaliter, nisi ab his, quæ sunt naturaliter motiua intellectus nostri: sed illa sunt phantasma, vel obiectum relucens in phantasmate, & intellectus agens: ergo nullus conceptus simplex fit modò naturaliter in intellectu nostro, nisi qui potest fieri virtute istorum: sed conceptus, qui non esset vniuocus alicui obiecto relucenti in phantasmate, sed omnino alius, & prior, ad quem iste haberet Analogiam, non posset fieri virtute intellectus agentis, & phantasmatis, vt probabo; ergo talis conceptus alius analogus, qui ponitur naturaliter in intellectu viatoris, nunquam erit: & ita non poterit naturaliter haberi aliquis conceptus de Deo, quod est falsum. Probatio assumpti, obiectum quodcunque, siue relucens in phantasmate, siue in specie intelligibili cum intellectu agente, vel possibili cooperante, secundùm vltimum suæ virtutis facit in intellectu, sicut effectum sibi adæquatum, conceptum suum proprium, & conceptum omnium essentialiter, vel virtualiter inclusorum in eo: sed ille alius conceptus, qui ponitur analogus, non est essentialiter, vel virtualiter inclusus in isto, nec est iste: ergo ille non fiet ab aliquo tale mouente. 8.

Ponitur à Maurit. vt additio.

Qualiter obiectu relucet in phantasmate, vel specie intelligibili Scot. infr. q. 6. & 7.

Vel formetur sic ratio; obiectum quodcunque siue relucens in phantasmate, siue in specie intelligibili cum intellectu agente, vel possibili cooperante secundùm vltimum virtutis suæ, facit, sicut effectum sibi adæquatum suum conceptum proprium, & quiditatiuum: ille enim est proles adæquata sibi in esse *cognoscibili, sicut proles similis in natura esset sibi adæquata in* esse *naturali: igitur in cuiuscunque alterius cognitionem potest, illa est imperfectior scientia, & per consequens non per se attribuitur ad illam.* ADDITIO.

Et confirmatur ratio, quia præter conceptum suum proprium adæquatum, & inclusum in ipso, altero prædictorum duorum modorum, nihil potest cognosci ex isto obiecto nisi per discursum, sed discursus præsupponit cognitionem istius simplicis ad quod discurritur. 9.

Formetur ergo breuiter ratio sic; videlicet nullum obiectum facit conceptum simplicem, & proprium sui in aliquo intellectu, & conceptum simplicem & proprium alterius obiecti, nisi contineat illud aliud obiectum essentialiter, vel virtualiter: obiectum autem creatum non continet increatum essentialiter, vel virtualiter: ergo, &c. Secunda pars minoris, scilicet quòd obiectum creatum non contineat virtualiter increatum, & hoc sub ea ratione, sub qua sibi attribuitur, vt posterius essentialiter attribuitur priori essentialiter. Probatur, quia est contra rationem posterioris essentialiter, includere virtualiter suum prius: & etiam patet, quòd non continet essentialiter increatum, secundùm aliquid omnino sibi proprium, & non commune: ergo non facit conceptum simplicem, & proprium enti increato.

De hoc Scotus 1. dist. 5. q. 0.

Tertiò arguo sic, conceptus proprius alicuius subiecti, est sufficiens ratio cognoscendi de illo subiecto omnia conceptibilia, quæ sibi necessariò insunt: nullum autem conceptum habemus de Deo, per quem sufficienter possimus cognoscere omnia conceptibilia, quæ sibi necessariò insunt: patet de Trinitate, & aliis creditis necessariis: igitur, &c. Maior probatur: quia immediatam quamlibet cognoscimus, inquantùm terminos cognoscimus: igitur patet maior de omni illo conceptibili, quod immediatè inest conceptui subiecti, quòd si insit mediatè fiet idem argumentum de medio comparato ad idem subiectum, & vbicunque stabitur, habetur propositum de immediatis, & vltra per illas scientur mediatè. ADDITIO.

Quartò potest sic argui: aut aliqua perfectio simpliciter habet rationem communem Deo, & creaturæ, & habetur propositum; aut non, sed tantùm propriam creaturæ: & tunc ratio eius non conuenit formaliter Deo, quod est inconueniens, aut habet rationem omnino propriam Deo, & tunc sequitur, quòd nihil attribuendum est Deo, quia est perfectio simpliciter. Nam hoc nihil aliud est dicere, nisi quòd quia ratio eius vt conuenit Deo, dicit perfectionem simpliciter; ideò ipsum ponitur in Deo, & ita peribit doctrina Anselmi Mono 15. vbi vult, quòd prætermissis relationibus, in omnibus aliis, quidquid melius est simpliciter ipsum, quàm non ipsum attribuendum est Deo, sicut quodcunque non tale est amouendum ab ipso. Primò ergo, secundùm

secundùm ipsum, aliquid cognoscitur esse tale, & secundò attribuitur Deo: ergo non est tale præcisè, vt est in Deo.

Hoc etiam confirmatur, quia tunc illa perfectio simpliciter non esset in creatura. Consequentia patet, quia nullius talis perfectionis, &c. conceptus aliquis conuenit creaturæ, nisi conceptus analogicus ex hypothesi: talis secundùm se, quia analogicus, est imperfectus, & in nullo est ratio eius melior non ipso: quia aliàs secundùm illam rationem analogicam poneretur in Deo.

10. *Quomodo Metaphysicus inquirit de Deo?* Tertiò sic; omnis inquisitio Metaphysica de Deo procedit sic, scilicet considerando formalem rationem alicuius, & auferendo ab illa ratione formali imperfectionem, quam habet in creaturis, & reseruando illam rationem formalem, & attribuendo sibi omnino summam perfectionem, & sic attribuendo illud Deo. Exemplum de formali ratione sapientiæ vel intellectus, vel voluntatis: consideratur enim primò in se, & secundùm se, & ex hoc, quòd ratio istorum non includit formaliter imperfectionem aliquam, nec limitationem, remoueantur ab ipsa imperfectiones, quæ concomitantur eam in creaturis, & reseruata eadem ratione sapientiæ, & voluntatis, attribuuntur ista Deo perfectissimè; ergo omnis inquisitio de Deo supponit intellectum habere conceptum eundem vniuocum, quem accipit ex creaturis.

Quòd si dicas, non, sed alia est formalis ratio eorum, quæ conueniunt Deo. Ex hoc sequitur inconueniens scilicet, quòd ex nulla ratione propria eorum, prout sunt in creaturis, potest concludi aliquid de Deo, quia omnino alia, & alia ratio est istorum, & illorum: imò non magis concluderetur, quòd Deus est sapiens formaliter ex ratione sapientiæ, quam apprehendimus ex creaturis, quàm quòd Deus est formaliter lapis. Potest enim conceptus aliquis alius à conceptu lapidis creati, formari, ad quem conceptum lapidis, vt est idea in Deo, habet lapis iste attributionem; & ita formaliter dicetur, *Deus est lapis*, secundùm istum conceptum analogicum, sicut sapiens, secundùm illum conceptum analogicum. Qualis autem sit vniuocatio entis, & ad quanta, & ad quæ, dicetur magis inferiùs in quæstione de primo obiecto intellectus. *De vniuocatione entis infrà q.3.*

11. ADDITIO. *Sunt alia media ad hoc d.8.q.3.* *Arguitur etiam quartò ad hoc sic; perfectior creatura potest mouere ad perfectiorem conceptum de Deo, igitur cùm aliqua visio Dei, puta infima, non tantùm differat ab aliqua intellectione abstractiua data ipsius, quantum suprema creatura distat ab infima, videtur sequi, quòd si infima potest mouere ad aliquam abstractiuam, quòd suprema, vel alia citra eam, poterit mouere ad intuitiuam, quod est impossibile.*

Quòd si dicas tot gradus esse in intellectione abstractiua de Deo, quot sunt species creaturæ: licèt extremæ intellectiones non tantùm distent, quantùm extremæ species, quod benè est possibile, quia quilibet gradus in intellectionibus minùs distat à proximo, quàm species creata, mouens ad istum, distet à specie mouente ad alium.

Contrà, differentia intellectionum abstractiuarum non est tantùm numeralis, quia illæ causantur à causis alterius speciei, & per proprias rationes earum, non inquantum includunt aliquid commune, sicut dicit via de vniuocatione; ergo sequitur, quòd inter infimam intellectionem abstractiuam, & infimam intuitiuam sint plures species mediæ, quàm inter infimam speciem entium, & supremam, vel tot. Quod si est inconueniens, & per consequens antecedens: ergo pauciores sunt species intellectionis abstractiuæ, quàm entium: ergo incipiendo ab infima hinc inde, restat entitas superior illa, quæ causat supremam abstractiuam, igitur ista superior causabit intuitiuam de Deo.

Item, quare ponerentur tot species intellictionũ de eodem obiecto, si nulla mouet ad proprium.

Item, ad conclusionem principalem videtur esse, quòd omnis multitudo reducitur ad vnum, ergo ita in conceptibus.

12. *Contra istas rationes obiicitur, contra primam instatur de toto disiuncto. Cuius responsio ponitur dist.8 & debilius improbatur, quàm aliæ.*

Ad secundam vt formatur breuiter, negatur maior; quia propter connexionem, effectus potest aliquem conceptum facere de causa, licèt non ita perfectum sicut causa de se. Conceditur enim quòd conclusio facit notitiam de principio, demonstratione, quia *: sed illa non est perfectißima notitia principij, sed illa, quæ cognoscitur ex terminis perfectè cognitis. Quare enim non similiter in conceptibus simplicibus, effectus simpliciter apprehensus causabit aliquam notitiam habitualem simplicem de causa.*

Ad probationem maioris dico, quod licèt non poßit effectus in causam æquiuocam existentem: sicut in aliquid eiusdem rationis cum causa, potest tamen in notitiam aliquam eius, quæ est imperfectior, non solùm ipsa in se causa: sed etiam effectu æquiuoco causæ, sicut perfecto conceptu eius.

Sed accipiatur maior sic: nullum obiectum potest in conceptum perfectum alicuius, nisi contineat

contineat illud obiectum virtualiter, & essentialiter, hac videtur manifesta per rationem causæ, & effectus æquiuoci, & licèt attribuatur, secundùm aliquos, actio intellectui, non tota, quomodocunque obiectum requiritur. Sic non potest in conceptum perfectiorem conceptu sibi adæquato: talis est proprius quiditatiuus: ergo, &c. Probatur minor, quia effectuum æquiuocorum eiusdem causæ, ille est perfectior, qui est simillimus causæ: talis est proles intellectualis, siue verbum perfectum huius obiecti. Maior probatur: quia tunc perfectio intelligentiæ excederet totam virtutem memoriæ.

Vt dictum est, absolutè videtur concedendum, quòd nullus de Deo potest fieri in nobis conceptus per actum obiecti creati, qui sit perfectior conceptu perfecto proprio illius obiecti: nec per consequens ad quem attribuatur iste proprius illius obiecti mouentis: imò ille conceptus de Deo est imperfectior verbo huius; quia effectus æquiuocus dissimilior causæ: oportet ergo ab opinione hac recedere.

Si ponatur conceptum lapidis attribui ad conceptum, quem causat de Deo lapis, præcisè saluari potest, quòd obiectum conceptum attribuitur ad obiectum, non conceptus ad conceptum, & hoc est benè possibile; quia de obiecto perfectiore habetur conceptus imperfectior, quàm de obiecto imperfectiore, & quomodo est rationabile in eodem intellectu conceptum proprium de Deo esse simpliciter imperfectiorem conceptu lapidis, vel albi, quod necessariò sequitur ad hanc opinionem, & quomodo erit beatitudo nostra naturalis in cognitione Dei? ex 10. Ethic. 13. *Conceptus albi perfectior conceptu entis infiniti, quomodo? Cap. 10.*

Sed videtur contra vniuocationem esse difficultas: quia omnis conceptus de Deo erit minùs perfectus conceptu proprio perfecto albi: quia omnis talis continetur in albedine vt conceptus communis in speciali, & communis est simpliciter minùs perfectus, quàm specialis: quia potentialis, & pars respectu conceptus specialis, quomodo ergo secundùm istam responsionem erit beatitudo in cognitione naturali Dei.

Respondeo, quilibet conceptus simpliciter simplex, secundùm viam vniuocationis, est imperfectior positiuè, quàm verbum albi, hoc est, non tantam perfectionem ponit: tamen est perfectior permissiuè: quia abstrahit à limitatione, & ita est conceptibilis sub infinitate, & tunc ille conceptus simplex quidem, non tamen simpliciter simplex, scilicet ens infinitum, erit perfectior verbo albi, & ille est proprius Deo, non autem ille prior communis abstractus ab albedine. Vnde via vniuocationis tenet, quòd omnis conceptus proprius Deo est perfectior verbo cuiuscunque creati: sed alia non sic. *Quis conceptus proprius Deo, pro nunc.*

Sed instatur contra hanc responsionem dupliciter. Primò arguo, quòd difficultas remanet contra viam vniuocationis: quia ex duobus conceptibus, quorum vterque est imperfectior verbo albi, non videtur fieri conceptus perfectior illo verbo, sed conceptus entis, vt conceditur, est imperfectior, quàm albi, vel lapidis, & conceptus infiniti similiter. Probatio, quia infinitum concipitur à nobis per infinitum, vt per lineam, vel aliquod tale obiectum mouens ad conceptum passionis suæ: igitur conceptus infiniti est imperfectior conceptu lineæ. 14.

Confirmatur ratio, quia conceptus includens affirmationem, & negationem, non est perfectior propter negationem, aut saltem non est perfectior, quàm concipiendo affirmationem illius negationis: hoc, ens infinitum, non est aliquis conceptus alicuius positiui, nisi entis: ergo infinitas non facit conceptum perfectum, aut saltem non erit perfectior conceptus entis infiniti, quàm finiti.

Secundò instatur respondendo similiter pro Henrico, quia licèt conceptus simpliciter simplex sit imperfectior verbo creaturæ, vt arguitur: tamen multi tales possunt coniungi, & vnus determinabit alium, & ille conceptus totus erit perfectior, nec est hîc maior difficultas, quàm ibi, nisi in duobus.

Primò, quia hîc quilibet conceptus, siue determinans, siue determinabilis, ponitur proprius Deo, ibi vnus communis, & alius proprius.

Secundò quòd hîc, aliquis proprius Deo conceditur imperfectior verbo creaturæ, ibi nullus.

Istorum autem primum non est inconueniens, quia passio benè determinat subiectum, vt homo risibilis, & tamen vtrunque est æquè commune.

Secundum oportet omnino concedere propter istam secundam rationem loquendo de conceptu, id est, de actu concipiendi: non autem de obiecto concepto.

Quo ad istas instantias videtur satis congruè responderi, quia vtraque opinio, conceptum non simpliciter simplicem ponit perfectiorem verbo illius, quod mouet ad perfectum.

Sed instantiæ arguendo factæ videntur contra vtramque opinionem; quia quandocunque coniunguntur, quilibet istorum conceptuum imprimitur à creatura mouente, igitur est imperfectior verbo illius creaturæ. Aggregatio imperfectorum quomodo faceret conceptum perfectiorem intensiuè?

Confirmatio

15. *Confirmatio etiam benè instat contra illud de infinito, non ergo propter illam rationem dimittatur opinio; quia est communis difficultas vtrique, & aquè, si analogia conceptuum exponitur de conceptis: fortè enim instantia benè probant, quòd actus circa Deum non est perfectissimus intensiuè, nec hoc requiritur, vt sit ibi beatitudo naturalis: sed quòd coniungat obiecto perfectissimo, quantumcunque sit perfectus, siue imperfectus, 2. de Animalibus,* parum nosse de immaterialibus excedit notitiam aliorum.

1. de partibus animalium.

Fortè enim intensiùs amari potest creatum aliquod, quàm Deus: nec tamen illud amatum nunc beatificat sicut Deus. De hoc 4. lib dist. 49. quomodo beatificamur in obiecto. Illud de infinito verum esset, si infinitum esset pracisè modus, sub quo obiectum conciperetur: & non pars conceptus, vel modus, sic quòd conceptus in se, sicut distinguitur in quastione de vnitate Dei de singularitate, vt concipitur, & vt modus pracisè, sub quo concipi potest, quemadmodum etiam certus gradus intensionis est pracisè modus, sub quo videtur hac albedo: sic autem non intelligimus ens infinitum, sed vt includens duos conceptus, licèt alter determinet alterum. Et fortè ille priuatiuus finiti, nihil ponit, quamuis det intelligere positiuum. Ita quòd si habemus conceptum positiuum de necessario, magis perfectè positiuè intelligitur Deus hîc, ens simpliciter necessarium, sed nec fortè necessarium, nec aternum concipimus, nisi negationem imperfectionis, puta potentia aliter se habendi, vel fluibilis, seu principij, seu finis: aternum dicit quoddam infinitum, quia in duratione minimè perfectior est finitas, quàm in quantitate perfectionis, sicut infinita magnitudo, si esset perfectior esset infinito tempore.

COMMENTARIVS.

1. a SEcundò. Hîc Doctor intendit probare, quòd ipse Deus possit naturaliter intelligi in aliquo conceptu quiditatiuo verè vniuoco sibi, & creaturæ, & non tantùm analogico: accipiendo *analogicum* vt suprà exposui secundùm intentionem Henrici. Non enim Doctor negat quin cum vniuocatione stet analogia, accipiendo *analogum* provt dicit conceptum communem, qui per prius conuenit vni, & per posterius alteri: sicut etiam conceptus entis est conceptus vniuocus, & analogus, communis Deo, & creaturæ, licèt per prius, id est, perfectiùs conueniat Deo, & per posterius creaturæ. Et quòd hoc intendat Doctor, patebit infrà distinctione 8. quæstione 2. Sed conceptus analogicus secundùm Henricum (vt suprà dixi) non est vnus conceptus communis Deo, & creaturæ: sed sunt duo conceptus, qui tamen videntur vnus propter approximationem.

Analogū stat cum vniuoco.

b *Et ne fiat contentio*, &c. Hoc dicit propter æquiuocum, quod æquè primò importat plura significata, & tantùm nomen est commune illis; ideò de eodem nomine verificantur ista: *canis currit*, & *canis non currit*: & talis affirmatio, & negatio non sufficit ad contradictionem; quia æquè primò affirmatio verificatur de cane latrabili: & æquè primò negatio verificatur de sydere cœlesti, vel de pisce marino. Sed quando vltrà nomen est conceptus communis, alius à conceptibus inferiorum *esse*, & *non esse* respectu illius conceptus æquè primò importati, siue significati contradicunt: & sic intenditur probare de conceptu entis, quòd non tantùm nomen sit commune Deo, & creaturæ: sed etiam conceptus significatus. Cùm ergo ens dicat vnum conceptum in se, potest esse medium demonstratiuum in syllogismo sine fallacia æquiuocationis, quæ fit quando medium in vna præmissa accipitur pro vno significato, & in alia pro alio, sicut hîc: *Omne ens est bonum: Animal est ens; ergo animal est bonum*, id est, in vtraque præmissa accipitur idem significatum entis.

Fallacia æquiuocationis committitur, quando.

2. c *Et vniuocationem sic intellectam probo tripliciter*, &c. In ista ratione tam singulari Doctor supponit vnum, videlicet quòd ens dicatur in *quid* de Deo, & decem Prædicamentis, vt communiter omnes concedunt; quia si quæratur, quid est substantia? rectè respondetur, quòd est ens: & si quæratur, quid est Deus (rectè respondetur, quòd est ens. Sed tenentes contrariam opinionem de vniuocatione entis, dicerent, quòd substantia non est ens quiditatiuè: vt ly *ens* dicit conceptum alium à conceptu substantiæ, & à conceptu Dei: sed quod substantia est ens quiditatiuè, quod est substantia, ita quòd quando quæritur quid est substantia? & respondetur, quòd est ens: ly *ens* non dicit alium conceptum à conceptu substantiæ: sed penitus eundem: & sensus est, substantia est ens, & cùm quæritur quod ens? dicerent quòd est ens, quod est substantia, & sic de omnibus aliis. Hoc supposito, quòd ens dicatur in *quid* modo præexposito, nunc probat Doctor quòd ens dictum in *quid* verè dicat conceptum alium à conceptu substantiæ, & à conceptu Dei: & ex hoc soluuntur multæ instantiæ factæ contra hanc rationem, quæ diffusiùs patebunt infrà distinct. 8.

An ens dicatur vniuocè de Deo, est de decem prædicamentis.

Secundò nota, propter rationem Doctoris, quòd quando antiqui disputabant de primo principio. Aliqui dicebant, quòd ignis est primum principium. Alij verò dicebant quòd aqua, qui dicebant, quòd primum principium erat ignis: dubitando an illud principium esset creatum, vel increatum: certi erant, quòd creatum erat ens quiditatiuè, & similiter increatum, & sic intellectus eorum erat certus de conceptu entis, & dubius de duobus, puta an illud principium esset creatum, vel increatum: ista certitudo non erat penes nomen tantùm, sed penes conceptum, sicut & dubietas non erat penes nomina, sed penes conceptus: non enim disputabant de nominibus tantùm, sed de conceptibus, quia non est verisimile, quòd tantùm de nominibus disputassent. Si ergo intellectus eorum fuit certus de conceptu entis, videlicet quòd primum principium erat ens, & dubius de 3.

Opinio veterum Philosophorū de primo principio.

Hoc habetur 1. Phys. cōtex. 41.

Veteres Philosophi non tantùm de nomine entis, sed etiā de conceptu entis disputabant.

de duobus conceptibus, scilicet an esset ens creatum, vel increatum: sequitur quòd ens commune creato, & increato verè dicat alium conceptum à conceptu creato, & increato. Probo, quia si creatum non dicat alium conceptum à conceptu entis, ergo idem intellectus de eodem conceptu erit dubius, & certus: quod est impossibile: patet, quia certus est quòd primum principium est ens: & dubius est, an sit ens creatum: & per consequens si ens creatum dicat eundem conceptum, intellectus erit dubius, & certus de conceptu.

4. Si dicatur quòd (quando dicitur quòd est certus, quòd primum principium est ens, & quòd est dubius an sit ens creatum) est certus de conceptu entis non alio à conceptu primi principij: sed certus, quòd primum principium est ens, quod est primum principium: & est dubius an sit ens creatum, vel increatum, sic quòd non est dubius de eodem conceptu, sed de alio: & sic erit certus de vno, & dubius de alio, & ille certus non erit communis. Sed certè hoc nihil est: quia si intellectus est certus, quòd primum principium est ens: & similiter est certus, quòd creatum est ens, & increatum est ens. Quæro modo à te, an conceptus primi principij sit idem conceptus simpliciter, quòd conceptus entis creati, vel increati? si sic: ergo certus, & dubius de eodem conceptu. Si non, hoc non videtur, quia primum principium aut est ens creatum, aut increatum: ergo oportet dicere, quòd si intellectus est certus quòd primum principium est ens, & creatum est ens, & similiter increatum; & dubius an primum principium sit creatum, vel increatum: talis intellectus habebit conceptum entis simpliciter alium à conceptibus entis creati, & increati: & sic patet ratio Doctoris, contra quam nulla valet instantia.

5. *Confirmatio pro vniuocatione entis.* d *Confirmatur etiam ratio.* Ista confirmatio multum valet pro vniuocatione entis: quæ duo supponit. Primò, quòd quando aliquis videt disputare duos Philosophos: puta *A* & *B*. an ignis sit substantia, vel accidens: certus est quòd substantia sit ens, & similiter accidens, & quòd sint ens quiditatiuè. Secundò, quòd quando habet certitudinem, quòd substantia sit ens, & similiter accidens non habeat tantùm certitudinem de nomine entis: sed habeat certitudinem de conceptu entis: ita quando est certus, quòd substantia est ens, sit certus de aliquo conceptu, & non de nomine tantùm: & similiter quando est certus, quòd accidens est ens.

Istis præsuppositis patet confirmatio, quòd si *C* videat disputare *A* & *B* an ignis sit substantia, vel accidens, habet conceptum certum, quòd substantia, & accidens sunt ens quiditatiuè: & similiter certus est, quòd ignis est ens quiditatiuè: sed dubitat an ipse ignis sit substantia, vel accidens: sequitur ergo quòd *C* habebit conceptum certum alium à conceptibus dubiis: vt patet.

6. *Obiectio.* Si dicatur, quòd est certus, quòd substantia est ens, quod est substantia: & quòd similiter est certus, quòd accidens est ens, quod est accidens: & sic habet duos conceptus certos: vnum de ente, quod est substantia, & aliud de ente, quod est accidens: & tamen dubitat an ignis sit ens, quod est substantia: vel ens, quod est accidens: & sic non sequitur, quòd habeat conceptum entis communem substantiæ, & accidenti alium à conceptu substantiæ, & accidentis.

Dico, quòd solutio huius instantiæ patet suprà, & dico breuiter, quòd instantia nulla est: quia cùm sim certus quòd ignis sit ens quiditatiuè, & dubius an sit ens, quod est substantia, vel ens, quod est accidens: & certus sum, quòd substantia est ens, & quòd accidens est ens, sequitur quòd si conceptus, de quo sum certus, non sit aliud à conceptu substantiæ, vel à conceptu accidentis: tunc idem intellectus simul erit certus, & dubius de eodem conceptu: patet, quia certus sum, quòd substantia est ens: & quòd tantùm est ens, quod est substantia. Et similiter dico de accidente: & certus sum quòd ignis est ens, & dubius sum an sit ens, quod est substantia: vel ens, quod est accidens, & sic applica, vt priùs. Et addit Doctor ad ostendendum, quòd conceptus entis, de quo est certus, sit alius à conceptu substantiæ, & accidentis: quia si in intellectu *C* destrueretur conceptus accidentis, vt puta, conclusum esset per syllogismum demonstratiuum, quòd ignis esset substantia, & non accidens: adhuc conceptus entis de accidente remaneret in eodem intellectu: ergo sequitur quòd conceptus entis, de quo est certus, sit alius à conceptu accidentis, de quo erat dubius. Ibi. *Quia si non cures.* Ista litera clara est, & magis patebit infrà *dist*. 8. *Solutio.*

7. *Quomodo ens dicat conceptum vniuocum Deo, & creaturæ.* e *Secundò principaliter arguo sic.* Hîc Doctor probat quòd ens dicat conceptum vniuocum Deo, & creaturæ alium à conceptu Dei, & creaturæ; & hoc probat per argumentum deducens ad impossibile: quia si ens non diceretur de Deo, & creatura quiditatiuè, & vniuocè: via naturali nullus conceptus realis posset haberi de Deo: & sic Deus naturaliter non posset à nobis cognosci, saltem quantum ad aliquem conceptum realem, dictum de Deo: quod est inconueniens & impossibile.

Vt clariùs intelligatur ista ratio, suppono aliqua. Primò quòd causans cognitionem alicuius in ratione obiecti intelligibilis, continet, vel essentialiter, vel virtualiter entitatem illius, cuius cognitionem causat: dicimus enim quòd homo causat notitiam animalis in me: quia continet ipsum animal essentialiter, & quiditatiuè: & causat cognitionem risibilitatis in me, quia continet ipsam virtualiter: non potest autem causare cognitionem, puta asini, quia asinus secundùm suam entitatem, nec essentialiter, nec virtualiter continetur in homine, vt patet.

Secundò suppono, quòd nulla creatura, nec virtualiter, nec essentialiter continet entitatem Deitatis, vt patet: Deitas enim non est de essentia creaturæ, nec virtualiter, vel eminenter continetur in ea: quia hoc esset imperfectionis: & sic sequitur, quòd nulla creatura, nec partialiter, nec totaliter potest causare cognitionem Dei in se: & hoc in ratione obiecti intelligibilis: quod dico propter intellectum: quia etsi intellectus possit partialiter concurrere ad cognitionem cuiuscunque obiecti in ratione potentiæ intellectiuæ: nullum tamen obiectum in ratione obiecti potest causare, nec partialiter, nec totaliter cognitionem alterius obiecti, nisi tale obiectum virtualiter, vel essentialiter, vel eminenter contineatur in illo: & de hoc vide singularem glossam, quam feci, suprà quæst. 10. dist. 3. secundi Doctoris. *Deitas non est de essentia creaturæ.*

8. *Primum obiectum motiuum intellectus.* Tertiò præsuppono, quòd pro statu isto nihil potest

poteſt mouere intellectum noſtrum, cauſando in illo aliquam cognitionem, niſi tantùm quiditas rei ſenſibilis, vt infrà patebit; ita quòd nulla ſubſtantia poteſt immediatè cauſare in intellectu noſtro ſpeciem intelligibilem ſui, vel actum intelligendi, vt infrà patebit *præſenti diſt.* Solum ergo obiectum ſenſibile (& loquor de ſenſibili per ſe, non de ſenſibili per accidens, cuiuſmodi eſt ſubſtantia) pro ſtatu iſto poteſt mouere intellectum noſtrum ad ſui cognitionem, & contentorum in eo virtualiter, vel eſſentialiter: & ſic ſenſibilia in ratione obiecti poſſunt in intellectu noſtro cauſare cognitionem ſuperiorum. Exemplum: Viſa albedine à potentia viſiua exteriori, cauſatur phantaſma albedinis in virtute phantaſtica: quod phantaſma eſt quædam ſimilitudo repræſentans albedinem cum conditionibus materialibus, vt materialibus, vt hanc albedinem, vt hîc & nunc: & vt in tali, vel tali ſubiecto, & vt huiuſmodi; phantaſma verò albedinis relucens in phantaſia, eſt cauſa partialis cauſandi ſpeciem intelligibilem albedinis in intellectu poſſibili, & alia cauſa partialis, & principalis eſt intellectus agens: & hoc patebit infrà *præſenti diſtinct. quæſt. penult.* quæ ſpecies intelligibilis primò repræſentat indiuiduum vagum albedinis: ſecundò ipſam naturam albedinis in ſe, & tertiò hanc albedinem ſignatam, vt patet à Doctore. Illa ergo ſpecies intelligibilis albedinis eſt cauſa partialis cognitionis albedinis, vt expreſsè patet à Doctore *in quodlib.* & alia cauſa eſt intellectus, non diſtinguendo modò de intellectu agente, & poſſibili, de quo patebit *quæſt. 15. quodlib.* & ſic illa ſpecies intelligibilis, vt partialis cauſa, poteſt cauſare cognitionem omnium ſuperiorum: puta coloris, qualitatis, & entis, quæ eſſentialiter continentur in albedine: poteſt etiam cauſare cognitionem omnium paſſionum virtualiter contentarum in albedine: puta diſgregationis, & omnium paſſionum entis, &c. Et hoc dico, ſuſtinendo quòd ſuperiora non habeant proprias ſpecies intelligibiles: quia tunc ſpecies intelligibilis qualitatis eſſet partialis cauſa cognitionis illius: vtraque tamen via eſt ſuſtentabilis, vt patebit infrà. Et ſi ponantur ſingulæ ſpecies intelligibiles ſuperiorum. Tunc dico, quòd phantaſma relucens in phantaſia partialiter primò cauſat ſpeciem intelligibilem albedinis: & deinde ſpeciem intelligibilem coloris: & ſic aſcendendo.

Quid ſit phātaſma.

Nota.

Vtraque via eſt ſuſtentabilis.

9. Dico ergo, quòd naturaliter ſolùm illa intelliguntur ab intellectu noſtro pro ſtatu iſto, vel quæ ſunt in ſe ſenſibilia: vel quæ virtualiter, vel eſſentialiter continentur in illis: & ſic per albedinem poſſum cognoſcere ens in communi, & cognito ente in communi, poſſum illud applicare alteri: vt puta ſubſtantiæ, intelligendo quòd aliqua ſubſtantia ſit ens quiditatiuè: licèt illam non cognoſcam in ſe, vt clariùs patebit infrà. Si ergo ens non prædiceretur vniuocè de ipſo Deo, & creatura, non poſſet haberi naturaliter aliquis conceptus realis de Deo, patet. Nam albedo poteſt immediatè cauſare cognitionem Dei in ſe: quia Deitas nec virtualiter, nec eſſentialiter continetur in albedine. Si ergo virtute albedinis poſſum cognoſcere aliquid de Deo quiditatiuè, illud tale virtualiter, vel eſſentialiter continetur in albedine: pono modò, quòd cognoſcam pro ſtatu iſto, quòd Deus eſt ens: certum eſt, quòd cognitio entis dicti de Deo, eſt cauſata ab aliquo ſenſibili, puta ab albedine: quæro tunc cùm cognoſco ens dici quiditatiuè de Deo: aut conceptus entis, quod eſt albedo, dicitur de Deo? & ſic albedo prædicaretur formaliter de Deo, quod eſt impoſſibile: aut conceptus entis, qui eſt alius ſimpliciter ab albedine, dicitur quiditatiuè de Deo, & tunc habetur intentum, quòd ens prædicatur vniuocè de Deo, & creatura.

Si dicatur, quòd conceptus entis, qui dicitur de Deo, non eſt alius à conceptu Dei, licèt ſit alius à conceptu albedinis. Hoc nihil eſt, quia quæro à quo cauſatur cognitio illius conceptus? certum eſt quòd non poteſt cauſari ab aliquo ſenſibili: quia conceptus entis, qui eſt Deus, nec virtualiter, nec eſſentialiter continetur in aliquo ſenſibili, vt ſuprà dixi: & tamen intellectus noſter pro ſtatu iſto tantùm natus eſt moueri à ſenſibilibus, id eſt, quòd tantùm recipit cognitionem cauſatam à ſenſibilibus, loquendo ſemper via naturali: quia ſupernaturaliter poſſet immediatè recipere cognitionem inſenſibilis à Deo: & ſic patet ratio Doctoris. Sed quia in illa ratione ſunt aliqua dicta, quæ aliqualem important difficultatem, ideò illa declaro, ſequendo literam. Cùm dicit, *ergo nullus conceptus realis.* Sic debet intelligi: nulla cognitio alicuius conceptus realis, &c. Sequitur 10.

Sed illa ſunt phantaſma, vel obiectum relucens in phantaſmate. Hoc debet ſanè intelligi: quia nec phantaſma, nec obiectum relucens in phantaſmate mouent immediatè intellectum noſtrum ad cognitionem alicuius, vt patebit infrà præſenti diſt. quæſt. 7. Sed debet ſic intelligi, quòd phantaſma, vel obiectum relucens in phantaſmate immediatè mouet intellectum poſſibilem, cauſando in eo partialiter ſpeciem intelligibilem talis obiecti, vt vult expreſsè Doctor infrà præſenti diſt. quæſt. penult. Qua ſpecie intelligibili cauſata, poteſt poſtea cauſari cognitio obiecti, & contentorum in eo virtualiter, vel eſſentialiter. Sequitur: *Ergo nullus conceptus ſimplex*, id eſt, ergo nulla cognitio, quæ terminatur ad conceptum ſimplicem, &c. vel nullus conceptus, id eſt, obiectum conceptibile ſit modo naturaliter in intellectu noſtro, id eſt, præſens intellectui noſtro in ratione obiecti, actu intelligibilis, niſi virtute intellectus agentis, & phantaſmatis. Sequitur,

Nota.

Sed conceptus, qui non eſſet vniuocus alicui obiecto, relucenti in phantaſmate, id eſt, conceptus, 11.
ſiue obiectum conceptibile, qui non includeretur eſſentialiter in aliquo obiecto relucenti in phantaſmate, id eſt, in obiecto, cuius ſpecies intelligibilis eſſet immediatè cauſata in intellectu poſſibili virtute intellectus agentis, & phantaſmatis: ſed ille conceptus eſſet omnino alius, & prior, ad quem iſtæ haberet analogiam, id eſt, ſi conceptus, quem habet de Deo, non eſſet incluſus quiditatiuè, & vniuocè in conceptu, puta in albedine conceptibili virtute phantaſmatis: ſed eſſet omnino alius: & per conſequens non eſſentialiter incluſus, & prior, ſcilicet & natura, & perfectione, ad quem conceptus albedinis tantùm haberet analogiam: ita quòd conceptus Dei, & albedinis non conuenirent in aliquo vno communi, ſed præcisè eſſent duo conceptus: quorum vnus eſt eſſentialiter prior, & perfectior, ſcilicet conceptus Dei, & alius poſterior, & imperfectior, ſcilicet

conceptus

conceptus obiecti relucentis in phantasmate: puta conceptus albedinis: & per consequens dicitur iste habere analogiam: quia cùm dico *ens* non dico conceptum communem Deo, & creaturæ, sed tantùm nomen est commune: prædicatur tamen analogicè: quia per prius de conceptu Dei, & per posterius de conceptu creaturæ: modò talis conceptus Dei non posset fieri virtute intellectus agentis, & phantasmatis: probat hoc Doctor, ibi: *obiectum quodcunque*, siue relucens in phantasmate, secundùm opinionem aliquorum, vt infrà patebit, quæst. 7. siue in specie intelligibili, & hoc secundùm intentionem propriam, vt infrà patet, quæst. 6. & 7. tale obiectum cum intellectu agente, vel possibili cooperante, secundùm vltimum suæ virtutis facit in intellectu, scilicet possibili: sicut effectum sibi adæquatum conceptum proprium, id est, notitiam, immediatè terminatam ad ipsum, & notitiam omnium inclusorum in eo, scilicet essentialiter, vel virtualiter, id est, quòd obiectum quodcunque, vt præsens intellectui in ratione obiecti, actu intelligibilis præcisè causat notitiam sui, & omnium essentialiter, vel virtualiter contentorum, & est impossibile causare notitiam alicuius alterius: ideò talis notitia, scilicet obiecti, & inclusorum, dicitur effectus adæquatus tali obiecto: vt causæ tamen partiali: & quod dicit *virtualiter contentorum*, debet intelligi quòd contineat illud, secundùm totam eius entitatem eo modo, quo exposui *in 2. dist. tertia quæst.* 10.

Quomodo ens prædicatur analogicè.

12\. *Sensus literæ.*

Sensus tamen literæ est cùm dicit *obiectum relucens in phantasmate, vel specie intelligibili facit*, &c. id est, quòd phantasma talis obiecti causat notitiam illius, & omnium contentorum, & hoc secundùm opinionem Henrici, vel scilicet obiectum relucens in specie, &c. id est, species intelligibilis causat (partialiter tamen) notitiam obiecti proprij, cuius est immediatè repræsentatiua, & notitiam omnium contentorum, & hoc secundùm propriam intentionem. Et nota (vt dixi suprà, quòd Doctor accipit *conceptum* aliquando pro obiecto conceptibili, aliquando pro actu intelligendi, quo concipitur obiectum: aliquando pro obiecto, actu intellecto: in proposito accipit & pro actu intelligendi, & pro obiecto actu intellecto. In proposito si conceptus Dei, id est, obiectum conceptibile, non ponitur vniuocus Deo, & obiecto relucenti in phantasmate, vel specie intelligibili, sed tantùm analogus, modo prædicto non includitur in tali obiecto, nec essentialiter: quia non vniuocus; nec virtualiter, quia perfectiùs essentialiter non potest contineri in aliquo virtualiter, secundùm totam suam entitatem: & per consequens nullus conceptus, siue nihil poterit cognosci de Deo via naturali: & sic patet ratio.

Conceptus accipitur multipliciter.

13\. *Et confirmatur ratio.* Dicit Doctor quòd huiusmodi obiectum, puta sensibile, vltra cognitionem sui adæquatam, & vltra cognitionem inclusorum in eo essentialiter, vel virtualiter ex tali obiecto, nihil aliud potest cognosci, nisi per discursum. Hîc respondet tacitæ obiectioni: quia fortè diceretur, licèt enim ex obiecto sensibili non possit causari cognitio Dei: quia Deus nec essentialiter, nec virtualiter continetur in tali sensibili, tamen potest cognosci ex obiecto sensibili per discursum. Sed hoc remouet, quia discursus præsupponit cognitionem istius simplicis, ad quod discurritur: vt patet de omni discursu. Sequentia clara sunt.

Tertiò sic. Omnis inquisitio Metaphysica, &c.

Quomodo ens dicat conceptum vniuocum.

Hæc est tertia ratio Doctoris, quâ subtiliter probat, quòd ens dicat conceptum vniuocum communem Deo, & creaturæ: & ratio consistit in hoc, quia multa attribuimus Deo, & cognoscimus inesse formaliter Deo: vt puta quòd est summum bonum, summum ens, & huiusmodi: quæ tamen non possent de Deo cognosci, nisi illa, vt in se considerata, dicerent conceptum vniuocum communem Deo, & creaturæ. Exemplum: Dicimus enim, quòd Deus est formaliter ens, & cognoscimus ens dici perfectissimè de Deo. Certum est, quòd intellectus noster primò mouetur ab aliquo ente sensibili: & sic cognoscit aliquod ens sensibile in se: deinde abstrahendo cognoscit ens in se, vt est superius ad omne sensibile: & sic potest cognoscere ipsum ens, applicando illud Deo: quæro tunc, si cognosco conceptum entis formaliter dici de Deo: aut ille conceptus est alius à conceptu Dei, & creaturæ: & habetur propositum: aut est idem, quòd conceptus creaturæ? & sic cognosceretur creatura dici de Deo; quod est falsum: aut ille conceptus est idem quod Deus, & tunc talis conceptus non posset cognosci ex creaturis, vt patuit suprà. Dicit ergo Doctor, quòd omnis inquisitio Metaphysica de Deo supponit intellectum habere conceptum eundem vniuocum, quem accipit ex creaturis. Si enim inquirere volo ex creaturis an Deus sit perfectissimum ens: præsuppono, quòd tam Deus, quàm creatura sit ens quiditatiuè: & quòd conceptus entis sit communis Deo & creaturæ: aliter nulla esset comparatio in entitate: sic dico de bonitate, & sapientia: & huiusmodi.

Cõceptus entis est communis Deo, & creaturis.

Quòd si dicas non: sed alia est formalis ratio eorum quæ conueniunt Deo, id est, quòd bonitas, quæ formaliter prædicatur de Deo non est eiusdem rationis cum bonitate creata: nec istę bonitates conueniunt in bonitate in communi, tanquam in conceptu alio. Contra hanc responsionem arguit Doctor, deducendo ad hoc inconueniens: quòd ita posset dici Deus formaliter lapis, sicut dicitur formaliter bonus. Et pro intelligentia literæ præmitto vnum, scilicet, quòd Doctor supponit, quòd aliqua, quæ formaliter prædicantur de creatura, prædicentur etiam formaliter de Deo, sicut bonitas formaliter prædicatur de Deo, & etiam de creatura. Et nisi bonitas, quæ formaliter prædicatur de Deo, esset eiusdem rationis cum bonitate creata, id est, quòd si bonitas Dei, & bonitas creaturæ non conuenirent in bonitate transcendenti: tanquam in conceptu vniuoco alio à bonitate creata, & increata, nunquam per creaturam posset haberi cognitio de bonitate, conueniente Deo: patet vt suprà in secunda ratione: quia si non diceret alium conceptum, sed tantùm conceptum bonitatis creatæ: tunc tantùm cognoscerem Deum sub ratione bonitatis creatæ: quod est falsum: si etiam tantùm esset conceptus Dei: tunc cognoscendo Deum, sub ratione bonitatis, cognosceretur sub ratione Deitatis, vel saltem illa bonitas increata non cognosceretur ex creaturis: cùm in nulla contineatur, nec virtualiter, nec essentialiter. 14.

Quomodo bonitas Dei, & creaturæ cõueniant.

Et quia isti dicerent fortè, quòd conceptus boni

bonitatis dictus de Deo est simpliciter alius à conceptu bonitatis dictæ de creatura: & nullo modo conueniunt in conceptu bonitatis in communi, alio ab illis; sed conceptus bonitatis creaturæ habet attributionem ad conceptum bonitatis in Deo, tanquam imperfectum ad perfectum. Doctor contra hoc arguit: quia tunc per creaturam nihil cognosceretur formaliter dictum de Deo: patet, quia cognitio bonitatis Dei non potest causari à creatura, cùm non includat illam nec virtualiter, nec essentialiter, vt dixi. Et sic ita cognosceretur formaliter lapis dictus de Deo, sicut bonitas, & sapientia: patet, quia conceptus lapidis in se habet attributionem ad ideam lapidis in mente diuina. Si ergo cognosco bonitatem dictam formaliter de Deo per bonitatem creatam: quia bonitas creata habet attributionem ad illam: ergo similiter lapis potest cognosci, vt dictus formaliter de Deo, quia habet attributionem ad seipsum, vt est idea in mente diuina: & sic Deus ita formaliter diceretur lapis, sicut formaliter dicitur bonus, vel sapiens. Si ergo cognosco de Deo formaliter, vel conceptum entis, vel boni, & huiusmodi, & hoc per creaturam: ille conceptus communis, quem postea attribuo Deo, continetur in creatura sensibili essentialiter, & erit alius à conceptu Dei in se, & à conceptu creaturæ in se: vt suprà ostendi: alioquin ex creatura nihil simpliciter cognosceretur de Deo naturaliter: quod est falsum: & sic patent istæ tres rationes multùm euidentes.

SCHOLIVM.

Dicit tertiò Deum in particulari, id est, vt hanc essentiam, non esse pro hoc statu à nobis cognoscibilem, quod (reiecta ratione Henric.) probat. Quia essentia diuina non mouet naturaliter nisi suum intellectum tantùm, & per viam vniuocationis, solùm potest mouere nos quoad rationes generales, de quo agit Scot. quæst. 1. prolog. & quodlib. 14. latè.

16. *De hoc Scot. q. 1. prolog. & quodl. 14.*

TErtiò dico, quòd non cognoscitur Deus naturaliter à viatore in particulari & propriè, hoc est, sub ratione huius essentiæ, *vt hæc*, & in se; sed ratio illic posita ad hoc in præcedenti opinione non concludit.

Cùm enim arguitur, quòd non cognoscitur aliquid, nisi per simile, aut intelligitur de similitudine vniuocationis, aut imitationis; si primo modo, igitur nihil cognoscitur de Deo, quia secundùm opinionem illam, in nullo habet Deus similitudinem vniuocationis cum creatura, per quam deberet à nobis cognosci. Si secundo modo, etiam creaturæ non tantùm imitantur illam essentiam sub ratione generalis attributi, sed etiam, hanc essentiam vt est hæc essentia, siue vt nuda, & vt in se est existens: ergo secundùm eum, propter talem similitudinem posset creatura esse principium cognoscendi essentiam diuinam in se, & in particulari.

Scot. quodlib. 14.

Est igitur alia ratio huius conclusionis: quòd Deus (vt hæc essentia in se) non cognoscitur naturaliter à nobis, quia sub ratione talis cognoscibilis est obiectum voluntarium, & non naturale, nisi respectu sui intellectus tantùm, & ideò à nullo intellectu creato potest, sub ratione huius essentiæ (vt hæc) naturaliter cognosci, nec aliqua essentia naturaliter cognoscibilis à nobis, ostendit sufficienter hanc essentiam, *vt hæc*, nec per similitudinem vniuocationis, nec imitationis: vniuocatio enim non est nisi in generalibus rationibus; imitatio etiam deficit, quia imperfecta est, quia creaturæ imperfectè eum imitantur.

D. Thom. in 1. part. q. 12. ar. 4.

Vtrùm autem sit alia ratio huius impossibilitatis, scilicet propter rationem primi obiecti, vt alij ponunt illud esse quiditatem rei materialis. De hoc in quæst. de primo obiecto intellectus.

COMMENTARIVS.

1. *Deus non potest cognosci sub propria ratione.*

T*Ertiò dico.* Hîc Doctor dicit, quòd Deus non potest in particulari, (hoc est, sub ratione propria cognosci naturaliter à creatura: quia cognoscere ipsum in particulari est cognoscere Deum sub ratione Deitatis: & hæc conclusio probata est superiùs *q. 1. prolog & quæst. 14. quodl.* Licèt etiam hîc parum infrà assignet vnam rationem. Sed primò ostendit, quomodo ratio ab Henrico facta non concludit propositum: dicit enim Henricus quòd non potest cognosci Deus in particulari per creaturam: quia quod cognoscitur in particulari, cognoscitur per similitudinem, & nulla creatura est similis Deo. Dicit Doctor hîc quòd aut Henricus loquitur de similitudine vniuocationis: sicut dicimus quòd homo, & asinus sunt similes in animali, quod prædicatur vniuocè de illis. Si sic, sequitur quòd nihil cognoscitur de Deo: quia nihil dictum de Deo habet similitudinem vniuocationis cum creatura: & sic bonitas non posset cognosci de Deo: puta per bonitatem creatam, cùm nō conueniat in aliquo communi vniuoco, vt patet per Henricum. Et tamen ipse Henricus vult expressè, quòd per creaturam cognoscantur multa attributa de Deo: vt suprà patuit. Aut loquitur de similitudine imitationis, supple, quòd cognoscitur per aliquod simile per imitationem: & si sic, sequitur contra Henricum quòd Deus in particulari potest cognosci per creaturam, quia creaturæ imitantur essentiam diuinam: vt hæc essentia, vt in se existens. Et certum est, quòd creatura imitatur Deum primò in ratione dependentis ad independens

Similitudo duplex, scilicet vniuocationis, & imitationis.

Creatura imitatur Deum quintuplici dependentia.

Apparens contradictio.

dens. Secundò in ratione finiti ad vltimum finem. Tertiò in ratione causati ad primam causam. Quartò in ratione exemplati ad suum exemplar. Quintò in ratione mensurati perfectionaliter ad suam mensurã perfectionalem: & non tantùm ista imitatio terminatur ad Deum in ratione attributi: sed etiam ad Deum sub ratione propria, in qua principaliter est tota perfectio independentis primi causalitatis primæ, finis vltimi, exemplaris perfectissimi, & mensuræ optimæ.

2. Si dicatur, quòd Doctor, sibi contradicit, quia contra Henricum dicit, quòd creaturæ imitantur hanc essentiam, vt hanc essentiam, siue vt nudam, & in se existentem: & sic per creaturam posset cognosci essentia diuina in se, & in particulari. Et pòst dicit, quòd creaturæ non imitantur essentiam, nisi imperfectè. Respondeo, quòd nulla est contradictio: quia Henricus habet concedere, quòd creaturæ imitentur essentiam perfectè, siue secundùm conceptum Dei in se, & in particulari: patet, quia non tantùm imitantur Deum secundùm aliquod attributum: sed etiam secundùm esse Dei, quod præsupponitur omni attributo: & quia vult, quòd de Deo non possit haberi aliquis conceptus quiditatiuus alius à conceptu Deitatis: ideò habet concedere, quòd per creaturas possit cognosci conceptus Deitatis in se, cùm ipsæ creaturæ non possint imitari Deum secundùm alium conceptum quiditatiuum inferiorem, siue imperfectiorem. Sed Doctor ponit Deum posse cognosci secundùm alium conceptum quiditatiuum: puta secundùm conceptum entis realis, & secundùm talem conceptum ipsæ creaturæ imitantur: & sic per illa potest naturaliter cognosci in conceptu imperfecto, quiditatiuo tamen.

Responsio.

Est igitur alia ratio huius conclusionis, quòd Deus vt hæc essentia, in se non cognoscitur naturaliter à nobis, quia sub ratione talis cognoscibilis est obiectum voluntarium, & non naturale, nisi respectu sui intellectus tantùm. Sed hoc vide diffusè in *quæst. 14. quodlib.*

Deus vt hæc essentia non cognoscitur à nobis.

SCHOLIVM.

Dicit quartò, licèt non possumus habere aliquem conceptum proprium de Deo in particulari, tamen possumus habere multos conceptus proprios de eo, qui non conueniunt creatis, cuiusmodi sunt conceptus omnium perfectionum simpliciter, inter quos perfectißimus est conceptus entis infiniti. Primò, quia sicut ens continet virtualiter bonum verum, &c. ita ens infinitum, bonum infinitum, &c. Secundò, quia demonstratione quia *vltimo demonstratur esse de ente infinito, suprà d. 2. quæst. 1. ex quibus improbat Henric. dicentem, perfectißimum conceptum, quem possumus habere de Deo, esse attributorum.*

QVartò dico [a], quòd ad multos conceptus proprios de Deo possumus peruenire, qui non conueniunt creaturis: cuiusmodi sunt conceptus omnium perfectionum simpliciter in summo, & perfectissimus conceptus (in quo quasi in quadam descriptione perfectissimè cognoscimus Deum) est concipiendo omnes perfectiones simpliciter, & in summo: tamen conceptus perfectior, & simplicior nobis possibilis est conceptus entis simpliciter infiniti. Iste enim simplicior, quàm conceptus entis boni, vel entis veri, vel aliquorum similium: quia infinitum non est quasi attributum, vel passio entis, siue eius, de quo dicitur: sed dicit modum intrinsecum illius entitatis: ita quòd cùm dico, *ens infinitum*, non habeo conceptum quasi per accidens ex subiecto & passione, sed conceptum per se subiecti in certo gradu perfectionis, scilicet infinitatis, sicut albedo intensa non dicit conceptum per accidens, sicut albedo visibilis, immò intensio dicit gradum intrinsecum albedinis in se, & ita patet simplicitas huius conceptus, scilicet ens infinitum. 17.

Infra q. 3.

Quare infinitas non est attributum, est ne de quiditate Dei? Scot. quodlib. 5. Vide 8. dist. q. 4. de hoc.

Perfectio autem istius conceptus [b] multipliciter probatur, tum quia iste conceptus inter omnes à nobis conceptibiles, virtualiter plura includit: sicut enim ens includit virtualiter bonum, & verum in se, ita ens infinitum includit verum infinitum, & bonum infinitum, & omnem perfectionem simpliciter sub ratione infiniti. Tum quia *demonstratione quia*, vltimò concluditur esse de ente infinito, vel esse infinitum de aliquo ente, sicut apparet ex *quæst. 1. 2. dist.* illa autem sunt perfectiora, quæ vltimò cognoscuntur demonstratione *quia*, ex creaturis, quia propter eorum remotionem à creaturis, difficillimum est ea creaturis cognoscere.

Conceptus entis infiniti est perfectissimus quem pro nunc possumus habere de Deo.

Si autem dicis de [c] summo bono, vel de summo ente, quòd illud dicit modum intrinsecum entis, & includit virtualiter alios conceptus.

Respondeo, quòd si *summum* intelligatur comparatiuè, sic dicit respectum *ad extra:* sed infinitum dicit conceptum ad se: si autem intelligatur absolutè *summum*, hoc est, quod ex natura rei non possit excedi: perfectio illa expressiùs concipitur in ratione infiniti entis. Non enim summum bonum indicat in se vtrùm sit finitum, vel infinitum.

Summum & infinitum differunt.

Ex hoc apparet improbatio illius, quod dicitur in præcedenti opinione quòd perfectissimum, quod possumus cognoscere de Deo, est cognoscere attributa, reducendo illa in esse diuinum, propter simplicitatem diuinam. Cognitio enim esse diuini, sub ratione infiniti est perfectior cognitione eius sub ratione simplicitatis, quia simplicitas communicatur creaturis, infinitas autem non secundùm modum quo conuenit Deo.

COMMENTARIVS.

1. *Apparens cõtradictio.* a QVartò dico, quòd ad multos conceptus, &c. Sed hoc videtur contrarium dictis supra in quæst. 1. prolog. vbi dicit Doctor quòd via naturali non possumus peruenire ad conceptus proprios ipsius Dei. Tum, quia si sic: sequeretur, quòd possemus naturaliter cognoscere Deum sub ratione propria: patet, quia si aliquis cognoscit *A* sic competere *B*, ita quòd ipsum *A* cuicunque alteri repugnat: sequitur quòd possit cognoscere ipsum *B* distinctè.

Solutio. Dico, quòd Doctor hîc loquitur de conceptu complexo proprio, sumpto à sensibilibus: vt puta cognoscimus, quòd aliquid est summum ens, & summum bonum, & huiusmodi. In prologo vero loquitur de proprietatibus incomplexis, quæ non sunt communes sensibili, & insensibili, & illas via naturali ignoramus. Et cùm dicit, quòd tunc posset cognosci Deus sub ratione propria, negatur: quia cùm cognosco summum bonum de Deo, non attribuo illud Deitati in se in particulari, sed alicui enti, quod nominamus *Deum:* via enim naturali cognoscimus aliquod ens esse summum bonum, summum verum, & huiusmodi: ignoramus tamen naturaliter quid sit illud ens in se.

Deinde Doctor dicit, quòd conceptus perfectior, & simplicior nobis possibilis est conceptus entis simpliciter infiniti. Et dicit

Primò, quòd conceptus entis infiniti est simplicior conceptu entis summè veri, summè boni, & huiusmodi. Et hoc probat, quia cùm dico, ens bonum est magis per accidens, quàm ens infinitum. Nam passio, siue attributum magis facit vnum per accidens cum eo, cuius est, quàm infinitas: patet, quia ipsa simpliciter est intimior: homo enim albus est magis vnum per accidens, quàm homo risibilis: quia risibilitas est simpliciter intimior naturæ hominis, quàm albedo: quòd autem infinitas sit huiusmodi, scilicet, quòd sit intimior naturæ diuinæ, quàm quodcunque aliud attributum, vel quàm quæcunque alia passio, vel quasi passio, patet, quia per possibile, vel impossibile, circumscripto omni attributo à Deitate: adhuc ipsa Deitas intelligitur formaliter infinita: & per consequens ipsa infinitas (cùm sit gradus intrinsecus Deitatis) erit simplicior quocunque attributo, id est, quòd conceptus entis infiniti erit simplicior conceptu entis Dei.

2. *Quid dicant aliqui Scotistæ de infinitate.* Hîc tamen aliqui exponentes Doctorem volunt expressè intelligere, quòd infinitas sit de ratione formali Deitatis, quia intimior Deitati, quàm quæcunque passio, vel quasi passio: licèt hoc Doctor expressè non dicat. In Quodlibet. tamen, *quæstione quinta*, dicit aliqua, quæ videntur sonare, quòd infinitas sit de ratione formali Deitatis. Dicunt enim isti, quòd si non est de ratione formali ipsius, tunc propositio, in qua prædicatur proprietas de definitione, siue de ratione formali subiecti, de quo demonstratur proprietas, non esset per se nota: patet, quia talis proprietas posset demonstrari de ratione formali subiecti per gradum intrinsecum, cùm ille sit intimior, & sic per infinitatem.

Propositio immediata potest duobus modis intelligi. Diceretur ad hoc, quòd propositio immediata potest dupliciter intelligi, vel immediatione causæ, vel immediatione subiecti: nam ista propositio, *animal rationale est risibile*: est immediata immediatione causæ, quia rationalitas illa est præcisa, & immediata causa risibilitatis: sed ista, *homo est risibilis*, est immediata immediatione subiecti: quia risibilitas primò inest homini: non enim inest parti compositi, sed toti composito primò, vt patet à Doctore *in tertio dist. secunda*, licèt ergo finitas sit gradus intrinsecus, & intimior rationalitati, non tamen ipsa finitas est præcisa causa risibilitatis, sed rationalitas: sic dico de propositione per se nota: quia teneo quòd omnis propositio propriè immediata sit per se nota. Et cùm dicis, quòd propria passio esset demonstrabilis de ratione formali subiecti, siue de definitione, si subiectum habet definitionem. Negatur hoc. Si dicatur, infinitas est intimior. Concedo. Sed ex hoc non sequitur, quòd sit ratio demonstrandi proprietatem de definitione, siue de ratione formali subiecti. Sed de hoc diffusè dicturus sum exponendo 5. quæstionem quodlibeti.

b *Perfectio autem istius conceptus multipliciter probatur.* Hîc Doctor intendit probare multiplici ratione, quòd conceptus entis infiniti sit perfectior conceptu entis boni, entis veri, & breuiter conceptu cuiuscunque attributi. Et primò probatur sic: Ille conceptus est perfectior inter omnia conceptibilia à nobis, qui virtualiter plura includit. Hæc est nota, quia inclusio virtualis dicit perfectionem in includente: sed conceptus entis infiniti est huiusmodi. Probatur, quia sicut ens virtualiter includit vnum, verum, bonum, &c. ita ens infinitum includit bonum infinitum, verum infinitum, & omnem perfectionem simpliciter sub ratione infiniti. 3. *Conceptus entis infiniti est perfectior conceptu entis boni.*

Aduerte tamen, quòd conceptus entis infiniti non continet propriè virtualiter conceptum infiniti boni: quia tale contentum est ens per participationem, vt suprà patet *dist.* 2. sed dicitur virtualiter continere non verè: sed quasi continere, vel saltem ex hoc: quia per infinitatem entis quasi demonstratur de eo infinitum bonum, &c.

Secunda ratio est ibi: *Tum quia demonstratione quia:* sed quæ cognoscuntur ex creaturis *demonstratione quia*, illa sunt perfectiora, quæ vltimò cognoscuntur *demonstratione quia:* patet, quia difficillimum est ea cognoscere ex creaturis propter eorum amotionem à creaturis.

c *Si autem dicis de summo bono.* Hæc litera clara est vsque ibi: *Simplicitas communicatur creaturis*, &c. Hoc sic debet intelligi, quòd sunt aliqui conceptus, qui conceperunt Deo, & formaliter communicantur creaturis, scilicet per participationem formalem: quia conceptus, qui conuenit Deo, & conceptus, qui conuenit creaturæ, conueniunt in conceptu communi vniuoco, vt patet de bonitate creata, & increata: nam bonitas creata participat bonitatem increatam formaliter, id est, quòd est eiusdem rationis cum bonitate increata, cùm vtraque vniuocetur in bonitate in communi. Hoc idem dico de simplicitate, quæ commmunicatur creaturis participatiuè: accipiendo semper *participare* eo modo, quo exponit Doctor infrà *dist.* 8. Infinitas autem, scilicet intensiua non potest communicari creaturis: quia repugnat aliquid esse creatum, & esse intensiuè infinitum. & dicit, quòd *infinitas non potest communicari creaturis secundùm modum, quo conuenit Deo*, id est, secundùm intensionem: quia hoc modo infinitas tantùm conuenit Deo, & non alio modo. 4. *Aliqui conceptus competunt Deo, & formaliter communicantur creaturis.* *Infinitas repugnat communicari creaturis.*

SCHO

SCHOLIVM.

Dicit quintò, quæ cognoscimus de Deo, hæc per species creaturarum haberi: quia quod potest repræsentare minus vniuersale, potest & vniuersalius & transcendentia quæ conueniunt Deo, siue per speciem propriam, siue per alienam. Hinc reijcit dictum Henrici, scilicet per suffossionem creaturæ, haberi cognitionem Dei, quia suffodiendo reperiri nequit, quod suffossioni superest, & ostendit exemplum de agno esse falsum, ad confirmationem falsi.

Epilogando, hæc est sententia Scoti in hac 1. quæst. Primò, nos posse naturaliter pro hoc statu habere conceptum quiditatiuum de Deo, communem vniuocè sibi & creatis. Secundò, non posse habere conceptum proprium de eo in particulari, vt est hæc essentia, seu vt est trinus, vel, quòd pater generat, &c. Tertiò, posse habere conceptus de Deo, ita proprios, quòd non conueniant creatis, & desumuntur ex conceptibus communibus. Quartò, conceptus quoscunque, quos de Deo formamus, haberi per species creaturarum. & soluit argumenta, quæ sunt veluti axiomata ex Philosopho.

QVintò dico [d], quòd ista, quæ cognoscuntur de Deo, cognoscuntur per species creaturarum, quia, siue vniuersalius, & minùs vniuersale cognoscantur per eandem speciem minùs vniuersalis, siue vtrumque habeat speciem intelligibilem sibi propriam: saltem illud, quod potest imprimere, vel causare speciem minùs vniuersalis in intellectu, potest etiam causare speciem cuiuscunque vniuersalioris: & ita creaturæ, quæ imprimunt proprias species in intellectu, possunt etiam imprimere species transcendentium, quæ communiter conueniunt eis, & Deo. Et tunc intellectus propria virtute potest vti multis speciebus simul ad concipiendum illa simul, quorum sunt istæ species, puta specie boni, specie summi, specie actus, ad concipiendum summum bonum, & actualissimum, quod apparet sic per locum à minori. Imaginatiua enim potest vti speciebus diuersorum sensibilium, ad imaginandum compositum ex illis diuersis, sicut apparet imaginando montem aureum. 18. *Deus speciebus creaturarum cognoscitur.* *Minùs vniuersale repræsentat vniuersalius.*

Ex hoc apparet improbatio [e] illius, quod dicitur in præcedenti opinione de illa suffossione: quia suffodiendo nunquam illud, quod non subest suffossioni, inuenitur per suffossionem: non autem subest conceptui creaturæ aliquis conceptus vel species repræsentans aliquid proprium Deo, quod sit omnino alterius rationis ab eo, quod conuenit creaturæ, vt probatum est, per secundam rationem in secundo articulo: ergo per suffossionem nullus talis conceptus inuenitur. Et quod adducitur simile de æstimatiua, *Scot. de hoc infr. q. 2.*

Dico, quòd videtur adduci falsum ad confirmationem alterius falsi, quia si maneret ouis in propria natura, & in eodem affectu naturali ad agnum, mutaretur tamen ouis, vt esset similis lupo, per miraculum, in omnibus accidentibus sensibilibus, puta colore, figura, sono, motu, & huiusmodi, agnus fugeret ouem sic mutatam, sicut fugeret lupum, & tamen in oue sic mutata non esset intentio nociui, sed proficui & conuenientis, & ita æstimatiua agni non suffoderet ad inueniendum intentionem conuenientis sub speciebus sensibilibus, sed præcisè ita moueretur secundùm appetitum sensitiuum, sicut accidentia sensibilia mouerent. *Henric. dicit æstimatiuam ex speciebus sensatis suffodere speciem insensati, sic ex accidentibus lupi agnus concipit inimicitiam, quæ est insensibilis, & fugit. Hoc improbat benè Scot.*

Si dicas, quòd intentio ibi conuenientis non multiplicat se, quia non sunt: talia accidentia conuenientia tali intentioni, & intentio conuenientis non multiplicatur sine accidentibus sibi conuenientibus: hoc nihil est, quia si agnus hic fugeret lupum propter perceptionem nociui conceptam ab æstimatiua, & illa non multiplicatur cum accidentibus istis sensibilibus; quia non est cum eis talis intentio, stante isto casu, ergo aut hoc non est suffossio agni ad intentionem nociui, quæ nulla est, aut si hoc non fugeret per suffossionem, ergo nec aliàs.

Ad argumenta [f] principalia illius quæstionis. Ad primum dico, quòd illa comparatio Philosophi debet intelligi inquantùm ad primam motionem intellectus ab obiecto. Ibi enim phantasmata cum intellectu agente habent vicem primi obiecti mouentis, sed non debet intelligi [g] quantùm ad omnem actum sequentem motionem primam. Potest enim intellectus abstrahere obiectum inclusum in aliquo primo mouente, & considerare illud abstractum non considerando illud, à quo abstrahit, & considerando illud sic abstractum, considerat commune sensibili & insensibili, & in illo considerat insensibile in vniuersali, sicut & sensibile. Et potest considerare istud abstractum & aliud abstractum, cum quo sit proprium alteri, scilicet insensibili: sed sensus non est abstractiuus, & ideò in omni actu tam primo quàm secundo requirit aliquod obiectum primum mouens, quomodo non se habet phantasma ad intellectum. 19. *Respond. ad argum. q. 1. Phantasmata ad intellectum sicut sensibilia ad sensum explicatur.*

Ad 2.c.1. Ad secundum dico [h], quòd Commentator exponit illud simile Philosophi de difficili,& non de impossibili.& ratio sua est,quia tunc natura fecisset otiosè illas substantias abstractas intelligibiles,& non possibiles intelligi ab aliquo intellectu.

Confutatio Commentatoris. Sed ista ratio eius non valet, tum quia non est finis illarum substantiarum inquantum intelligibiles sunt, vt intelligantur ab intellectu nostro, & ideò si hoc non conueniret eis,non propter hoc essent frustra intelligibiles: tum quia non sequitur, non sunt intelligibiles ab intellectu nostro: ergo à nullo. Possunt enim intelligi à seipsis, & ideò est fallacia consequentis. *Sicut oculus Noctuæ, &c. explicatur.* Vnde licèt multipliciter posset exponi auctoritas Philosophi, dico tamen, quòd oculus noctuæ non habet cognitionem nisi intuitiuam, & naturalem, & quantum ad istas duas conditiones potest exponi auctoritas Philosophi de impossibili: quia sicut impossibile est illi oculo naturaliter & intuitiuè considerare obiectum illud, sic intellectui nostro est impossibile naturaliter & intuitiuè cognoscere Deum.

20. *Ad tertiū. Infinitum an cognoscitur à finito.* Ad tertium [i] dico, quòd infinitum potentiale est ignotum, quia vnumquodque est cognoscibile inquantum est in actu: non tamen ita est ignotum, quòd repugnat sibi intelligi ab intellectu infinito, sed non potest infinitum cognosci ab aliquo intellectu cognoscente ipsum secundùm modum suæ infinitatis, Modus enim suæ infinitatis est accipiendo alterum post alterum, & intellectus qui cognosceret hoc modo alterum post alterum,cognosceret semper aliquod finitum,& nunquam infinitum. Intellectus tamen infinitus potest cognoscere totum illud simul,non partem post partem.

3. Physicor. text. comm. 63. Et cùm arguitur [k] *secundo Metaph.* de infinitis & infinito: dico, quòd non est simile,quia cognitio obiectorum infinitorum numeraliter,concluderet infinitatem potentiæ cognoscentis,sicut patuit in *quæst.* 1.2.*distinct.art.*2.ad infinitatem,videlicet,quia ibi pluralitas ex parte obiecti concludit maioritatem virtutis in intellectu. *Quare intellectus creatus potest cognoscere infinitum intensiuè, non extensiuè.* Sed intellectio alicuius infiniti intensiuè,non concludit infinitatem actus,quia non oportet actum habere talem modum,qualem habet obiectum; quia actus sub ratione finiti potest esse ad obiectum sub ratione infiniti,nisi esset actus comprehensiuus.& concedo,quòd talem actum circa obiectum infinitum non habemus,nec est possibile.

Ad Gregorium dico, quòd non debet intelligi, quòd contemplatio sistat sub Deo in aliqua creatura,quia hoc esset frui vtendis, quod esset summa peruersio secundùm Augustinum 83. *quæst. q.*30. sed conceptus illius essentiæ sub ratione entis est imperfectior conceptu illiusmet essentiæ,vt hæc essentia est, & quia imperfectior est,ideò est inferior in intelligibilitate:contemplatio autem de lege communi,stat in tali conceptu communi,& ideò stat in aliquo conceptu, qui est minoris intelligibilitatis quàm Deus in se, vt hæc essentia: & ideò debet intelligi ad aliquid, quod est sub Deo,hoc est, ad aliquid in ratione intelligibilis, cuius intelligibilitas est inferior intelligibilitate Dei in se, vt hæc essentia singularis.

Ad Henricum. Ad argumenta pro prima [l] opinione,cùm arguit, quòd Deus non potest intelligi in aliquo conceptu vniuersali communi, vniuoco sibi & creaturis, quia est singularitas quædam: Respondeo. Consequentia non valet. Socrates enim inquantùm Socrates est singularis, & tamen à Socrate plura possunt abstrahi prædicata: & ideò singularitas alicuius non impedit quin ab eo, quod singulare est possit abstrahi aliquis conceptus communis. & licèt quidquid est ibi in re sit singulare ex se in existendo, ita quòd nihil contrahat aliud ibi ad singularitatem: tamen illud idem potest concipi, vt hoc in re,vel quodammodo indistinctè,& ita vt singulare, vel vt commune. Quod dicit de cognitione per accidens,non oportet improbare,quia quasi per accidens cognoscitur in attributo,sed non præcisè sic,sicut suprà probatum est.

COMMENTARIVS.

1. d QVintò dicit Doctor quòd ista, quæ cognoscuntur de Deo, cognoscuntur per species intelligibiles creaturarum: & declarat modum, dicens: Si minùs, & magis vniuersale (primę intentionaliter tamen) cognoscuntur per eandem speciem minùs vniuersalis: tunc species minùs vniuersalis, vt causa partialis primò causat cognitionem minùs vniuersalis: vt patet à Doctore *præsenti dist. quæst.* 2. & immediatè post cognitionem magis vniuersalis:& sic ascendendo vsque ad conceptum entis, & non tantùm hoc: sed etiam causabit partialiter notitiam omnium passionum tam minùs vniuersalis, quàm magis: patet,quia illæ passiones virtualiter continentur in suis subiectis, modò talis species poterit etiam causare notitiam omnium virtualiter contentorum, vt suprà patuit: si ergo causat notitiam superioris,à fortiori causabit notitiam virtualiter contentorum in illo superiori. Si verò ponitur alia, & alia species, tunc illæ species, vt infrà patebit, causantur virtute phantasmatis, & intellectus agentis: & hoc magis patebit *præsenti distinct. quæst.* 2. Habitis go pluribus speciebus, puta entis: boni, actus primi, summi, &c. poterunt vti illis multis speciebus ad concipiendum ens bonum, summum, &c.& facere ex illis cognitis vnum conceptum complexum proprium Deo: & sic concipere aliquid esse

esse summum ens, esse primam causam, & huiusmodi.

Et nota, quòd non est in potestate intellectus vti tali, vel tali specie: quia ex se præcisè vtitur illa, quæ fortiùs mouet, & communiter est illa, cuius sensibile extra fortiùs mouet sensum, vt infrà patebit *quæst.* 2. potest tamen imperio voluntatis vti vna, & non alia, vel vti pluribus talibus, &c. & quomodo hoc, vide quæ exposui *in* 2. *distinct.* 9. *& distinct.* 42. Et dicitur actu vti simul pluribus speciebus, cum actu concurrit, vt causa partialis, principalis tamen: cum illis speciebus, vt causis partialibus, & minùs principalibus ad causandum notitiam obiectorum, quorum sunt species: & dicitur, quòd intellectus vtitur specie: & non è contra species vtitur intellectu: hoc dicitur, quia de rigore sermonis causa magis principalis dicitur vti minùs principali: & non è contra: vt patebit infrà *dist.* 17. Et an intellectus possit simul plura intelligere: dico quòd sic: non tamen æquè perfectè illa plura simul sicut quodlibet seorsum, vt suprà patuit, *dist.* 2. *q.* 1.

2. *An intellectus possit plura intelligere simul.*

e *Ex hoc apparet improbatio illius opinionis de illa suffossione.* Hîc improbat specialiter dictum Henrici, qui dicit, vt suprà patuit, quòd intellectus sub specie creaturæ, quæ non repræsentat, nisi creaturam ex suo acumine suffodit ad cognoscendum ea, quæ sunt, & dicuntur de Deo per speciem alienam ex creaturis. Hoc improbat, quia ex quo conceptus proprius Dei, & analogus, nec virtualiter, nec essentialiter inclusus in conceptu creaturæ (vt suprà patuit) nullo modo continetur in creatura: quomodo potest illum suffodere, si ibi non est: non enim virtute creaturæ potest haberi aliqua intentio, siue species intelligibilis, quæ sit repræsentatiua alicuius proprij in Deo: quia si aliqua creatura virtualiter posset continere huiusmodi speciem, posset etiam virtualiter continere ipsum Deum in se, vt probaui super secundo *dist.* 3. *quæst.* 9. & hoc potest probari ex his quæ Doctor dicit *in quolib. quæst.* 15. *art.* 2.

Et quod adducit simile de æstimatiua, quæ ex speciebus sensatis suffodit intentionem insensatam, id est, speciem obiecti insensibilis, vt species amicitiæ, vel inimicitiæ, quæ non sunt obiecta sensibilia: patet quòd nō potest huiusmodi intentionem, siue speciem suffodere: & patet exemplum. Et si fugit ouis videndo lupum, hoc non est quia eliciat speciem inimicitiæ ex illis sensibilibus extrà, vt patet per exemplum Doctoris: sed quia sensatis illis sensibilibus extrà, ex naturali instinctu fugit vt obiecta disconuenientia, non quòd eliciat speciem inimicitiæ, per quam cognoscat ipsum esse inimicum. Et de hoc magis patebit in quarto, *dist.* 45.

Exemplum.

Si dicas, quòd intentio ibi conuenientis in oue non multiplicat se, id est, quòd species conuenientis non multiplicat se, id est, non causat aliam, & aliam speciem: sicut dicimus, quòd species albi multiplicat se in medio, id est, quòd causata specie albi in parte propinqua ab ipso: albo statim causat aliam in parte proxima, & illa aliam, vsque ad organum, &c. Dicit ergo quòd species conuenientis non multiplicat se vsque ad æstimatiuam, nisi sub accidentibus sensibilibus extrà conuenientibus.

Dicit, quòd hoc nihil est: patet, si enim agnus videt ouem sub speciebus lupi, si sub illis non suffodit speciem disconuenientis, puta inimicitiæ, cùm non sit ibi inimicitia, nec per consequens species eius: quare ergo fugit, & si non fugit per illam suffossionem cùm non sit ibi talis suffossio: ergo nec aliàs fugeret, scilicet videndo lupum. Si ergo fugit, hoc erit quia instinctu naturali percipit illa accidentia sensibilia, vt obiecta nociua suæ propriæ naturæ, non quòd ibi suffodiat speciem inimicitiæ, &c.

Sed in ista litera Doctoris occurrunt aliqua dubia. Primò in hoc, quod dicit, quòd conceptus entis infiniti est perfectior conceptu entis *veri, boni:* & huiusmodi, contra hoc arguit Ocham. Et prima ratio stat in hoc: quia nullus conceptus negatiuus est formaliter perfectior conceptu positiuo: sed conceptus entis infiniti, vltra conceptum entis includit negationem. Maior patet, & minor probatur: quia iste conceptus, *ens infinitum*, est compositus: patet, quia si esset simplex cùm sit quiditatiuus: ex quo conceptus entis est quiditatiuus, aliquis conceptus simplex quiditatiuus esset conuertibilis cum Deo, quod isti negant: ergo conceptus entis infiniti erit compositus. Tunc quæro de secundo conceptu partiali, scilicet de conceptu infinitatis, aut est negatiuus, aut positiuus: si primò, habetur propositum: si secundò, cùm conceptus infinitatis sit simplex: quia non possunt dari conceptus partiales, ex quibus componatur: & est conuertibilis cum Deo, quia nihil aliud à Deo est infinitum: ergo aliquis conceptus simplex proprius Deo, & positiuus esset nobis possibilis, quod ipsi negant.

3. *Arguit Ochā contra Scot.*

Respondetur ad hoc argumentum, concedendo maiorem, negando minorem. Ad probationem dico primò, quòd conceptus entis infiniti est simplex: quia ens infinitum est simplex: non enim gradus intrinsecus potest distinctè concipi sine eo, cuius est gradus: sed de hoc patebit infrà distinctione octaua. Et cùm dicit, quòd talis conceptus est quiditatiuus. Negatur hoc, quia licèt conceptus entis vt entis sit quiditatiuus: non tamen conceptus entis cum suo gradu intrinseco, est quiditatiuus: vt infrà patebit, *d.* 8.

Soluitur ratio Ocham.

Conceptus entis cum suo gradu intrinseco non est quiditatiuus.

4.

Dico secundò, quòd conceptus entis infiniti suo modo est compositus. Et cùm quæritur de conceptu infinitatis, aut est simplex, aut compositus? Dico, quòd est simplex. Et cùm vltrà quæritur aut est negatiuus, aut positiuus? Dico, quòd formaliter est positiuus. Et cùm vltrà deducitur, ille est conuertibilis cum Deo. Concedo. Et cùm dicitur vltrà: ergo aliquis conceptus simplex proprius Deo, & positiuus, esset nobis possibilis naturaliter. Negatur hoc vltimum: quia primò non cognosco infinitatem Dei sub ratione propria: & posito, quòd hoc cognoscerem: non tamen sequitur quòd cognoscam conceptum proprium Dei, quia nec Deum sub ratione propria: sed benè sequitur, quòd possum cognoscere conceptum infinitatis esse proprium conceptum alicuius entis, ignorando quid sit illud ens in se: licèt ergo cognoscam infinitatem intensiuam in se, vel quid sit infinitas intensiua: non tamen sequitur, quòd cognoscam illam vt proprietatem ipsius Dei, sed sequitur, quòd cognoscendo infinitatem intensiuam, si illa est possibilis in entibus, quòd possit inesse alicui enti. Et cùm dicis, tantùm inest Deo. Dico, quòd naturaliter notum est quòd si est possibilis in entibus quòd tantùm inest alicui enti, quod nominamus *Deum:* ignoratur tamen via naturali illud

ens

ens in se. Doctor autem dicit, quòd nulla proprietas Dei simplex potest via naturali cognosci inesse ipsi Deitati, vnde dicit *in 1.q. prolog.* quòd Deus non potest cognosci via naturali in aliquo conceptu sibi proprio.

Arguit etiā Ocham. Deinde arguit Ocham contra hoc, quod dicit Doctor, scilicet quòd infinitum non est quasi passio, nec attributum Deo. Et arguit sic: Omne quod demonstratur de aliquo, quod non prædicatur de eo in primo modo dicendi per se, est passio illius, sed infinitum est huiusmodi respectu Dei, quia nihil negatiuum, vel includens negationem prædicatur de positiuo per se primo modo, ergo infinitum est passio Dei, sicut esse immortale, incorruptibile, & huiusmodi.

Responsio. Respondetur, negando maiorem, quia de aliquo ente demonstratur finitas, & tamen non est passio illius, nec de quiditate eius: posito ergo quòd infinitas possit demonstrari de primo ente, non sequitur quòd sit passio illius. Ad minorem, cùm dicit, quòd infinitum dicit negationem: negatum est suprà, nec tamen conceditur, quòd prædicetur de Deo in primo modo dicendi per se, sed de ista materia an infinitum sit passio, vel quasi passio, diffusè habet videri *in 5.q. quolib.* Et multa dicit Ocham, quæ tantùm habent veritatem ex solo hoc, quòd conceptus infinitatis sit tantùm conceptus negatiuus, & non positiuus.

5. *Opin. Ioan. Angl. contra Scotum.* Item Ioannes Anglicus Bachon *in 1.d.3.q.3.* dicit, quòd aut loquimur de infinito secundùm formale significatum eius, quantùm ad modum significandi famosum: dicunt aliqui, quòd cùm ille modus significandi sit negatiuus, quòd multa alia dicta de Deo faciunt conceptum perfectiorem. Aut loquimur de infinito, quantùm ad modum concipiendi, scilicet euidenter, & euidenter. Si dicunt quòd multa alia dicta de Deo faciunt conceptum perfectiorem, id est, euidentiorem: quia multa alia, scilicet quòd est causa omnium, & finis omnium, & huiusmodi: sunt euidentiora, quàm quòd est infinitum in perfectione. Aut loquimur de infinito, quantùm ad præcisum eius conceptum: & hoc dupliciter, aut de conceptu infiniti, comparando ipsum ad omnes alios conceptus simul aggregatos de Deo; aut comparando ipsum ad vnum conceptum singularem. Primo modo, dicunt quòd talis conceptus aggregatus est perfectior conceptu infiniti: quia talis conceptus aggregatus habet vim cognitionis definitiuę, quia explicat, & addit omnes differentias vsque ad vltimas, sed conceptus infiniti nihil explicat, sed virtualiter continet, &c.

Item, quia talis conceptus sic aggregatus magis quietat appetitum: patet, quia intellectus concipiendo infinitum, multa alia appetit scire, sed non sic, quando concipit Deum, sub tali conceptu sic aggregato. Si secundo modo loquimur, scilicet comparando conceptum infiniti ad vnum conceptum singularem, dicit, quòd multi alij conceptus sunt perfectiores de Deo, quàm conceptus entis infiniti: & probat quadruplici via. Sed quia hoc vltimum directè videtur contradicere conclusioni Doctoris, recitabo argumenta, quæ sunt contra conclusionem Doctoris, & pòst soluam illa sustinendo positionem eius.

Prima ratio stat in hoc, quia conceptus, quo concipitur Deus sub ratione substantiæ est perfectior illo, quo concipitur sub ratione infiniti: patet, quia substantia est perfectior omni accidente, & concipere Deum sub ratione infiniti, est concipere Deum sub ratione accidentali: quia infinitum, vt distinguitur contra substantiam, dicit quantitatem.

Item, ille conceptus est perfectior, sub quo concipitur Deus in prædicato essentiali, quàm ille, sub quo concipitur, vt in aliqua proprietate: sed conceptus substantiæ est huiusmodi: quia dicitur prædicatum essentiale, & conceptus infinitatis dicit quodammodo proprietatem. Vnde Anselmus *Mono.15.* loquens de infinitate, & accidentibus, & spiritu dicit: Istud vltimum, scilicet spiritus, solum videtur substantiam significare: cætera verò substantiæ proprietates. Hæc secunda via, scilicet de conceptu speciei probat intentum: quia prima via fuit de conceptu generis generalissimi, scilicet de substantia. Et hoc sic: quia conceptus, quo Deus concipitur, vt prima Intelligentia est perfectior, quàm conceptus infiniti: patet, quia vt concipitur in ratione primæ Intelligentiæ, collocatur in perfectissimo genere viuentium: patet, quia intelligere est perfectissimum viuere, *2. de Anima, text. comm.26.* & præsertim quando hoc sibi conuenit per excessum super omnes Intelligentias: sed vt concipitur sub ratione infiniti non sic concipitur, vt collocatur in perfectissimo genere viuentium: patet, quia vt concipitur sub ratione infiniti, adhuc restat dubium apud modum intelligendi naturalem, vtrùm sit substantia, vel accidens. 6. *Intelligere est perfectissimū viuere.*

Item, quia vt concipitur sub ratione Intelligentiæ concipitur sub illa ratione, qua est summè beatificabilis: vt patet secundùm intentionem Philosophi *10. Ethic. cap 8.* ergo ratio Intelligentiæ est nobilissima, quam naturaliter cognoscimus.

Tertiò, principaliter arguit propositum ex via de conceptu indiuidui, vel quasi indiuidui: & dicit sic: conceptus de Deo, vt Deus, est perfectior, & nobilior conceptu infiniti: quia Deus sub illa ratione est nobilius conceptibile naturaliter, secundùm quam est obiectum Theologiæ nostræ naturalis: sed hoc est sub absolutissima ratione Deitatis, & non sub ratione infiniti: quia plus quæritur in Metaphysica sub ratione Deitatis, quàm infiniti: vt patet *12. Metaph.* vbi Philosophus definit eum sub hoc nomine *Deus.* Ista sufficiant pro nunc. *Deus est obiectum Theologiæ nostræ sub absolutissima ratione Deitatis.*

Respondetur ad rationes istius Doctoris, & primò præmitto aliqua. Primò, quòd aliquod ens potest dupliciter considerari. Vno modo, vt concipitur sine gradu intrinseco. Alio modo, vt concipitur cum gradu intrinseco: sicut albedo potest concipi, vt hæc albedo tantùm, vt præcisè includit entitatem specificam albedinis cum hæcceitate: alio modo potest concipi sub modo intrinseco: puta, vt includit tot, & tot gradus perfectionales consequentes naturam indiuidui. Primo modo, concipitur imperfectè. Et secundo modo perfectè: vt patet à Doctore infrà *d.8.q.4.* sic dico, quòd ens primum siue substantia prima potest dupliciter considerari. Vno modo secundùm suum *esse* specificum præcisè. Alio modo, vt includit infinitam perfectionem intensiuè: & sic conceptus, qui est de essentia, vt includit infinitatem erit perfectior illo conceptu, vt includit tantùm entitatem specificam. 7. *Responsio ad rationes Ioā. Angl.* *Aliquod ens potest duobus modis considerari.* *Substantia prima potest duobus modis considerari.*

Sed hîc esset bona difficultas, quia dicit Doctor *in quæst. de subiecto Theologiæ*, quòd Deus sub ratione Deitatis est subiectum Theologiæ: non autem sub ratione infinitatis: & quòd cognitio de 8.

de subiecto est perfectissima: vt patet ibi. An ergo conceptus Deitatis in se sit perfectior conceptu infinitatis in se?

Responsio. Posset dici primò sine assertione, & saluo semper meliori iudicio, quòd ipsa Deitas in suo *esse* specifico, quæ formaliter, & essentialiter est hæc perfectissima entitas specifica: loquendo tantùm de gradu specifico: ita quòd gradus specificus Deitatis, vt suo modo prior infinitate, quæ est gradus intrinsecus, est perfectissima entitas. Et si quæratur, an talis gradus sit formaliter, & quiditatiuè infinitus? Dico, quòd est talis entitas, cui nata est conuenire infinitas, vt gradus intrinsecus: & est talis entitas, quòd ab ipsa suo modo, pullulant tam gradus intrinseci, quàm omnia attributa: & vt sic, fortè non est inconueniens dicere conceptum Deitatis esse perfectiorem conceptu infinitatis: licèt fortè ly *conceptus* si posset dari, esset alterius rationis. Quicquid sit, hoc magis disputatiuè dico, quàm aliquid asserendo.

9. Dico secundò quòd Deitas in suo esse specifico non posset distinctè concipi, sine gradu intrinseco: & posito quòd possit concipi, tali gradu non concepto, non tamen potest concipi distinctè infinitas, non concipiendo Deitatem, cuius est: cùm eodem conceptu concipiatur vtrumque, non enim infinitas, vt est gradus intrinsecus Deitatis, potest distinctè concipi alio conceptu à conceptu Deitatis: & sic difficultas supponit vnum, quod non admittitur: videlicet quòd alius sit conceptus Deitatis, & alius sit conceptus infinitatis. Secundò principaliter præmitto, quòd quando Doctor dicit, quòd conceptus entis infiniti est perfectior, &c. loquitur tantùm de conceptu complexo: & sensus est, quòd inter omnes conceptus complexos, qui de Deo dicuntur: vt conceptus entis boni: entis veri, & huiusmodi, conceptus entis infiniti est perfectissimus: & non intendit de conceptibus quiditatiuis, & incomplexis, cuiusmodi est conceptus substantiæ: conceptus Intelligentiæ: conceptus Deitatis, & huiusmodi: & sic ex ista responsione possunt solui omnia argumenta Ioannis Anglici.

Dico etiam, quòd loquendo de conceptu infinitatis intensiuè, adhuc ille est perfectior, qui possit haberi in nobis via naturali. Et cùm dicit, quòd conceptus substantiæ est perfectior. Negatur. Et cùm dicit quòd infinitas intensiua est accidentalis. Hoc indiget probatione, cùm sit gradus intrinsecus ipsius Dei, & gradus intrinsecus est essentialiter, & realiter idem: nec aliquo modo distinguitur formaliter ab eo, cuius est gradus, loquendo de distinctione positiuè: nec dicit alium conceptum à conceptu, cuius est, vt dixi suprà. Et vltrà dico, quòd concipere Deum sub ratione substantiæ in communi, est ipsum concipere imperfectè, & confusè: sed concipere Deum sub ratione entis infiniti, est ipsum concipere perfectè: quia sub gradu perfectionis infinitæ: & similiter dico, quòd perfectius est concipere Deum sub ratione entis infiniti intensiuè, quàm ipsum concipere sub ratione Intelligentiæ in communi, propter rationem superiùs factam.

Ad vltimum, quando dicit, quòd perfectius est Intelligere Deum, sub ratione Deitatis, quàm sub ratione infinitatis. Dico primò quòd Doctor loquitur tantùm de conceptu, qui potest haberi via naturali: modò via naturali non potest concipi Deus sub ratione Deitatis, vt patet: potest tamen concipi sub ratione entis infiniti: puta quòd est aliquod ens infinitum. Diceretur etiam, quòd res perfectiùs concipitur, quando concipitur sub gradu intrinseco, qui est perfectio intrinseca illius, quàm quando præcisè concipitur sine tali gradu. Dico etiam, quòd concipere Deum sub ratione entis infiniti distinctè, includit conceptum Deitatis in se, vel saltem præsupponit. Sed quicquid sit, prima responsio est magis ad propositum, quia Doctor loquitur de conceptu, qui potest haberi à nobis via naturali, & sic patet solutio ad rationes contra Doctorem.

Deus non potest concipi sub ratione Deitatis, sed sub ratione entis.

Potest etiam responderi ad illa argumenta, quæ probant de conceptu aggregato, &c. patet enim quòd conceptus entis infiniti (cùm dicat infinitatem intensiuam) est simpliciter perfectior conceptu aggregato, etiam ex mille conceptibus, cùm nullus eorum, vt sic, dicat infinitatem intensiuam, non enim conceptus entis boni, etiam summi boni, dicit perfectionem infinitam, vt patet. Et quando dicit quòd ille conceptus aggregatus est magis appetibilis. Hoc habet probare. Et quando dicit, quòd cognoscens conceptum entis infiniti adhuc appetit alia. Et si concedatur hoc, non sequitur quòd sit conceptus imperfectior illo conceptu aggregato: vt patet, sed de huiusmodi appetibilitate aliàs dicetur, *in dist.* 49. *quarti.* 10.

Ex supradictis apparet, quòd nouus expositor S. Thomæ non benè intellexit Scotum cùm dicit sic *in prima parte, quæst.* 13. *art.* 12. *Vnde non videtur rectè sensisse Scotus dicens quòd simplicior, & perfectior conceptus proprius Deo nobis possibilis sit conceptus huius nominis*, ens infinitum. *Iam enim patet, quòd conceptus Deitatis est simplicior, perfectior, ac prior.* Hæc ille. Et non oportet hic multum insistere, cum responsio sit nota ex superiùs dictis, nec libenter circa talia friuola vagor.

f *Ad argumenta principalia.* Ad primum respondet Scotus quòd quando dicit, quòd sicut se habent sensibilia ad sensum, ita phantasmata ad intellectum, &c. Dicit quòd ista comparatio debet intelligi quantùm ad primam motionem intellectus ab obiecto. Intellectum moueri ab obiecto, est aliquid recipere causatum ab obiecto. Et tripliciter potest moueri. Primò recipiendo speciem intelligibilem: & hæc est simpliciter prima motio in cognitione abstractiua. Nec debet intelligi quòd immediatè moueatur pro statu isto ab obiecto, recipiendo ab illo speciem intelligibilem obiecti, vel contenti virtualiter, vel essentialiter in eo: sed recipit illam à phantasmate obiecti, quod phantasma supplet vicem obiecti. Et quomodo dicatur obiectum esse causam præcisam talis phantasmatis ipsum repręsentantis: & similiter quomodo dicatur causa præcisa speciei intelligibilis, & sui, & contentorum virtualiter, vel essentialiter, vide glossam, quam feci super secundum *dist.* 3. *quæst.* 10. Dico tamen, quòd si obiectum esset in se præsens, posset causare speciem intelligibilem, saltem vt causa partialis in intellectu sibi proportionato, ita quòd non requiretur aliquod phantasma medium: vt patet de lapide præsente intellectui separato: de hoc vide Doctorem *in* 2. *dist.* 3. *quæst. vltima*, & ibi vide singulares difficultates. 11.

Intellectus mouetur ab obiecto tripliciter.

Sed ad propositum sufficiat, quòd prima motio intellectus pro statu isto est recipere speciem intelligibilem ab aliquo phantasmate supplente vicem obiecti: & quantùm ad hoc est vera comparatio 12.

paratio

paratio Philosophi, quòd sicut sensibilia immediatè causant speciem sensibilem in sensu: ita phantasmata immediatè causant speciem intelligibilem in intellectu, differenter tamen, quia phantasmata tantùm causant partialiter, & intellectus agens est alia causa partialis: vt patebit infrà *præsenti dist. quæst. 6. & pen.* species verò sensibilis tantùm causatur à sensibili: nulla potentia sensitiua concurrente: vt patet à Doctore *in quolib.* Secundò intellectus, habita specie intelligibili, immediatè mouetur, recipiendo notitiam abstractiuam à specie intelligibili, vt à partiali causa: & in hoc talis species supplet vicem obiecti intelligibilis, & quòd immediatè fit à specie intelligibili, patebit à Doctore infrà *præsenti quæst. 6. & dist. 17. & in 2. d. 3. & in quolib.* Et quando dicitur, quòd intellectus mouetur ab obiecto in cognitione abstractiua, sic debet intelligi: quòd ideò dicitur moueri ab obiecto: quia mouetur à specie intelligibili, repræsentante obiectum in ratione intelligibilis, & supplente vicem talis obiecti: & quantùm ad hoc non intelligitur comparatio Philosophi, quando dicit quòd *sicut se habent sensibilia ad sensum: ita phantasmata ad intellectum:* quia phantasma nullo modo mouet intellectum ad cognitionem alicuius obiecti, vt infrà patebit *præsenti dist. quæst. 7.* Tertiò intellectus dicitur moueri percipiendo notitiam intuitiuam ab obiecto existente, & in se præsente. Sed an possit recipere aliquam cognitionem intuitiuam pro statu isto, hoc aliàs habet videri, præcipuè *in 4. dist. 45.*

13. *Hic exponitur litera.*

g Nunc expono literam huius responsionis. Cùm dicit ibi: *Sed non debet intelligi quantùm ad omnem actum sequentem motionem primam,* &c. Hæc litera potest habere multiplicem sensum. Primò, quia in phantasmate non tantùm virtualiter continetur, vt in causa partiali species intelligibilis, puta albedinis: sed etiam species intelligibilis omnium superiorum: & intellectus agens, vt causa magis principalis causata prima specie intelligibili, immediatè repræsentatiua albedinis, in ratione obiecti intelligibilis, potest abstrahere obiecta superiora: supple causando species intelligibiles repræsentantes huiusmodi obiecta: & sic habita specie intelligibili, puta coloris, vel qualitatis inclusæ in albedine, talis species, puta qualitatis, potest immediatè causare (partialiter tamen) notitiam qualitatis in se: ita quòd intellectus tantùm considerabit qualitatem, non considerando albedinem. Alius sensus potest esse, quòd intellectus, habita cognitione albedinis, potest abstrahere omnia superiora, considerando illa in se: sic intelligendo, quòd species intelligibilis albedinis, causata cognitione abstractiua albedinis, potest causare cognitionem cuiuscunque superioris, & sic intellectus poterit stare in cognitione superioris in se, non stando in cognitione inferioris: & vterque sensus est verus, & ad propositum literæ. Sequitur, *Et considerando illud sic abstractum, considerat commune sensibili, & insensibili:* puta si stet in consideratione transcendentis, quod est commune sensibili, & insensibili. Sequitur, *Et potest considerare istud abstractum, & aliud abstractum cum quo sit proprium alteri,* scilicet insensibili: potest enim considerare ens in se abstractum ab ente sensibili: similiter potest considerare actualitatem in se abstractam ab actualitate sensibili: & similiter potest considerare primitatem in se abstractam à primitate sensibili: puta à primitate in numeris, vel in figuris: & tunc coniungendo vnum abstractum cum alio, facit vnum proprium insensibili, attribuendo sibi, puta ens primum, vel ens actualissimum.

h *Ad secundum.* Doctor primò adducit expositionem Auerroïs, & non improbat illam in se, sed tantùm improbat illam rationem expositionis. Dicit enim Auerroës super illud, *sicut se habet oculus noctuæ,* &c. quòd hoc non dicit impossibilitatem, sed difficultatem, id est, quòd sicut oculo noctuæ est difficile videre lumen Solis: ita intellectui nostro est difficile videre, vel cognoscere manifestissima naturæ: & vult ipse Auerroës quòd intellectus noster possit cognoscere manifestissima naturæ, licèt cum difficultate; vt substantias separatas, quæ dicuntur manifestissima naturæ, cùm sint maximè intelligibilia propter earum perfectam entitatem. Et assignat Auerroës causam, quare substantiæ separatæ possunt à nobis cognosci: quia si nullo modo possint cognosci à nobis, tunc natura fecisset ociosè illas substantias abstractas intelligibiles, & non possibiles intelligi ab intellectu nostro. Et dicit Doctor quòd hæc ratio non concludit: quia illud dicitur ociosè fieri, quod non attingit finem, propter quem fit: modò finis substantiæ separatæ non est quod intelligantur ab intellectu nostro: & ideò si non possunt intelligi ab intellectu nostro, non dicuntur ociosæ in natura. 14. *Ly sicut dupliciter exponitur, scilicet vt dicit impossibilitatem, vel vt dicit difficultatem, & hoc sumetur.*

Secunda ratio est ibi: *Tum quia non sequitur: non sunt intelligibiles ab intellectu nostro: ergo à nullo?* Possunt enim intelligi à seipsis: & ideò est fallacia consequentis. Arguendo ab inferiori negatiuè ad superius: sicut non sequitur, homo non currit, ergo animal non currit, stat enim quòd asinus currat, qui est animal, sic non sequitur, intellectus noster non intelligit substantias separatas, ergo nec alius intellectus. *Fallacia consequentis committitur, quando arguitur ab inferiori negatiuè ad superius.*

i *Ad tertium principale* Nota hanc responsionem. Dicit enim quòd infinitum potentiale est ignotum, quia vnumquodque est cognoscibile, inquantum est in actu: siue actu quiditatiuo, vel essentiali, siue in actu existentiæ: non infinitum in potentia, inquantum huiusmodi non est actu infinitum. Et addit Doctor quòd infinitum secundùm modum suæ infinitatis non potest ab aliquo intellectu cognosci: quia vt sic, nullo modo cognosceret infinitum: patet, quia modus infinitatis est semper accipere alterum post alterum, & cognoscere alterum post alterum est semper cognoscere finitum: puta, si imaginetur quantitatem infinitam, illa non potest intelligi, vt infinita secundùm modum suæ infinitatis: quia cùm infinitum sit, cuius quantitatem accipientibus semper restat aliquid accipere: accepta quacunque parte quantitatis, illa est finita: cognoscere ergo primò vnam partem, & post illam aliam & sic in infinitum, semper est cognoscere quantitatem finitam. Et addit, quòd benè intellectus infinitus potest totum infinitum simul intelligere: ita quòd simul, & vno actu intelligit infinitas partes, vt suprà exposui *d. 2. q. 1.* sed non potest intelligere tale infinitum secundùm modum suæ infinitatis: vt patuit suprà, nec etiam potest intelligere infinitum successiuè: ita vt vnam partem post aliam partem, cùm hoc sit imperfectionis, & limitationis ipsius intellectus. 15. *Infinitum duplex, potentiale, & actuale.*

k *Et cùm arguitur,* de 2. Metaph. Vltrà enim sic arguitur

arguitur, infinita non contingit cognoscere: ergo nec infinitum. Antecedens patet 2. Metaph. text. com. 11. *Nam*, inquit, *quæ sic sunt infinita*, supple in multitudine, *quomodo contingit intelligere:* hoc idem text. c. 8. *Sed si*, inquit, *infinita essent pluralitate species causarum, non esset ita cognoscere. Tunc enim scire putamus cùm causas ipsas nouerimus. Infinitum verò secundùm adiectionem non est ex parte scire infinito tempore.* hæc ibi. Probatur consequentia, quia eadem videtur esse proportio intellectus ad infinitum, & infinita, quia æqualis excessus, quia vtrobique infinitas.

Respondet Doctor negando consequentiam, quia si cognosceret infinita, esset virtutis infinitę: & hoc si simul actu cognosceret infinita, & vltrà quòd æquè perfectè simul cognosceret infinita, sicut quodlibet seorsum, aliter non sequitur, vt suprà patuit *dist.* 2. *quæst.* 1. vide ibi: sed non sequitur nec intellectum esse infinitum intensiuè, nec notitiam esse infinitam: si est alicuius obiecti infiniti sub ratione infinitatis: patet de *frui:* si verò comprehenderet obiectum, & hoc actiuè causando cognitionem apprehensiuam, tunc esse infinitus: patet, quia cognitio comprehensiua adæquatur obiecto sic cognito, id est, quòd tanta sit cognitio intensiuè, quantum obiectum natum est cognosci, & quia obiectum infinitum natum est cognosci cognitione infinita, ideò causans talem esse partialiter erit infinitum, & similiter talis cognitio comprehensiua erit infinita intensiuè, & talis non potest haberi nec via naturali, nec supernaturali.

l *Ad argumenta pro prima opinione* Ista responsio stat in hoc: nam quando abstraho hominem à Francisco, & à Ioanne, abstraho ipsum hominem, vt priùs omni singularitate, & vt indifferens ad omnem singularitatem hominis, & vt contrahibilem ad singularitatem per aliquid posterius ipso: puta per hæcceitatem, ad quam est in potentia. Sed quando abstraho à Deo, non potest abstrahi aliquid prius, quod sit in potentia ad illud, vt suprà exposui *dist.* 2. *quæst.* 1. quia natura diuina est ex se hæc, & quicquid est in Deo est ex se hoc: non abstrahitur ergo aliquid in re, quod sit in potentia ad determinari, sicut in creaturis: sed sic abstrahitur, quòd possum considerare singulare in communi, & vt hoc tantùm. In primo casu est abstractio alicuius prioris natura à posteriori, ad quod est in potentia. In secundo casu est tantùm abstractio posterioris à priori.

SCHOLIVM.

Ad secundam quæstionem, quæ est de primo cognito, præmittens triplicem ordinem cognoscibilium, & triplicem distinctionem cognitionis; item quid sit conceptus simplex, & simpliciter simplex; item quid sit confusè cognoscere, & confusum cognoscere; dicit, primum cognitum cognitione actuali confusa, esse speciem specialißimam. Primò, quia causa naturalis impedita primò producit perfectißimum quod potest, & conceptus speciei est talis, quia non potest cognosci singulare. Secundò, aliàs Metaphysica non esset vltima ordine doctrina. Tertiò, quia oporteret ponere magnum tempus, antequam intelligi posset species vltima, donec scilicet omnia communiora priùs intelligerentur.

AD secundam [m] quæstionem dico, quòd triplex est ordo intelligibilium in proposito. Vnus est ordo originis, vel secundùm generationem; alius est ordo perfectionis; tertius est ordo adæquationis, vel causalitatis præcisè. De duobus primis primitatibus habetur 9. Metaph. com 7. *Quæ sunt priora secundùm generationem, sunt posteriora secundùm substantiam*; de tertia autem primitate habetur *primo Posteriorum*, in definitione vniuersalis, quia primò dicit ibi præcisionem & adæquationem. 21. *Decisio præsentis quæst.* *Text. com. 15.* *Text. com. 11.*

Loquendo [n] igitur de primo ordine, scilicet originis, videndum est primò de cognitione actuali: secundò de cognitione habituali, tertiò de virtuali. *Cognitio triplex.*

Quantum ad primum præmitto duo, quorum primum est, quòd alius est conceptus simpliciter simplex, & alius est conceptus simplex, qui non est simpliciter simplex. Conceptum simpliciter simplicem voco, qui non est resolubilis in plures conceptus, vt conceptus entis, vel vltimæ differentiæ. Conceptus simplex, sed non tamen simpliciter simplex, est quicunque potest concipi ab intellectu actu simplicis intelligentiæ, licèt possit resolui in plures conceptus seorsum conceptibiles, sicut est conceptus definiti, vel speciei. *Quid conceptus simpliciter simplex, & quid simplex.*

Secundò præmitto, quòd aliud est confusè intelligere, & aliud confusum intelligere. Confusum enim idem est, quòd indistinctum. & sicut est duplex indistinguibilitas ad propositum, scilicet totius essentialis in partes essentiales, & totius vniuersalis in partes subiectiuas: ita est duplex distinctio duplicis totius prædicti ad suas partes. Confusum igitur intelligitur, quando intelligitur aliquid indistinctum altero prædictorum modorum. Sed confusè dicitur aliquid concipi, quando concipitur sicut exprimitur per nomen. Distinctè verò quando concipitur, sicut exprimitur per definitionem. *Quid intelligere cõfuse & confusum.*

22. His præintellectis [o] primò pono ordinem originis in cognitione eorum actuali, quæ concipiuntur confusè, & quo ad hoc dico, quòd primum actualiter cognitum confusè est species specialissima, cuius singulare efficaciùs, & fortiùs primò mouet sensum, siue sit audibile, siue visibile, siue tangibile, & hoc [p] supposito quòd singulare non possit intelligi sub propria ratione, de quo aliàs. Loquor enim modò de illis, quæ certum est posse intelligi secundùm omnem opinionem. *An singulare possit cognosci? Vide Sco. 7. Met. q. 15. & Quodl. 13 art. 2.*

ADDITIO. *Doctor in originali suo hanc ita literã correxit, sic secũdùm aliquos, sed additio est. Nõ habetur in vetustis M.SS. nec in editionibus antiquis.*

Quodcunque enim indiuiduum fortiùs mouet sensum, eius species primò cognita est cognitione confusa, & hoc supposito, quòd singulare sit in debita proportione præsens sensui. Vnde si ponas aliquem casum, in quo sensus non primò sentit naturam specificam, ibi non statim patet si est rubeus, vel viridis color, & per consequens intellectus per illam sensationem non statim apprehendet naturam specificam propter indebitam proportionem singularis ad sensum, vel propter imperfectionem virtutis, quam excedit hæc visibilitas natura talis, vt natura, vel propter defectum in medio luminis, vel propter nimiam distantiam.

Per hoc patet ad hanc instantiam: duo oculi in eadem distantia ad rubeum, vnus statim percipit ruborem, alius confusè: igitur in proportione debita non statim sentitur natura specifica.

Respondeo, debita vni non est debita alteri propter improportionem in illo passo.

Contra, si vsque ad A, *gignit speciem ruboris, & vltra* A, *speciem coloris, vel confusè repræsentantem, sint isti oculi vltra* A, *neuter videbit ruborem distinctè.*

Respondeo, quidquid sit de medio, siue vbique species propria, siue vltra aliquam distantiam species confusa, saltem in oculo minùs disposito, cæteris paribus, confusior, saltem vltra determinatam distantiam, non possit sub propria ratione intelligi, de quo aliàs; loquor enim modò de illis, quæ certum est posse intelligi secundùm communem opinionem, & probo conclusionem propositam sic.

23. *Loquitur de causa dispositiua impedita, aliàs generatio incipit ab imperfecto.*

Causa naturalis ꝗ agit ad effectum suum secundùm vltimum potentiæ suæ, quando non est impedita; igitur ad effectum perfectissimum, quem primò potest producere, primò agit. Omnia autem concurrentia ad istum actum primum intellectus, sunt causæ merè naturales, quia præcedunt omnem actum voluntatis, & non sunt impeditæ, vt patet: ergo primò producunt perfectissimum conceptum, in quem possunt: ille autem non est nisi conceptus speciei specialissimæ. Si enim aliquis alius esset, puta conceptus alicuius communioris, ille esset perfectissimus, in quem ista possent; & cùm conceptus illius communioris sit imperfectior conceptu speciei specialissimæ, sicut pars est imperfectior toto, sequeretur, quòd illa non possent in conceptum illius speciei, & ita nunquam causarent conceptum illum.

Secundò sic, quia secundùm Auicennam 1. *Met. cap.* 3. Metaphysica est vltima in ordine doctrinæ: ergo principia omnium aliarum scientiarum possunt concipi, & termini illarum ante principia Metaphysicæ: sed hoc non esset si oporteret, primò concipi actualiter conceptus communiores, quàm conceptus specierum specialissimarum: tunc enim oporteret ens & huiusmodi primò concipi, & ita magis sequitur Metaphysicam esse primam in ordine doctrinæ: ergo, &c.

24. Tertiò, quia si oporteret præconcipere conceptus vniuersaliores ante conceptum talis speciei, tunc supposito casu de singulari actualiter mouente sensum, & intellectu existente soluto, oporteret ponere magnum tempus antequam conciperetur species illius singularis primò sensati, quia priùs oporteret intelligere omnia prædicata communia dicta in quid de illa specie secundùm ordinem.

Quare intellectus priùs vnum intelligit quàm aliud Scot. 2. dist. 42.

Ex hoc apparet causa, quare intellectus intelligit priùs vnum intelligibile, quàm aliud, licèt species plurium sint ibi præsentes. Hoc enim non est à voluntate, cùm tunc non habeat intellectus actum intelligendi, sed huius causa est, quia singulare vnius fortiùs mouet, quàm singulare alterius. Hoc dictum est de cognitione confusa.

SCHOLIVM.

Secunda conclusio Scoti, cognitione actuali distincta, quò aliqua sunt superiora, eo priùs cognita, & quò inferiora, seu minùs commune, eo posteriùs. Primò, quia cognitio distincta habetur per definitionem, quæ inquiritur per diuisionem, incipiendo ab ente vsque ad conceptum definiti, & in diuisione priùs occurrunt conceptus communiores. Secundò, quia Metaphysica est prima secundùm ordinem distinctè sciendi, licèt sit vltima in ordine sciendi confusè, vt dictum est, sed agit de abstractis & communibus, quàm alia scientia: ergo, comparando tamen vnum ordinem cum alio, primum in ordine confusè cognoscendi, est simpliciter primum.

SEcundò dico de cognitione actuali distinctè conceptorum, & dico, quòd est è conuerso, quia primum sic conceptum est communissimum, & quæ sunt propinquiora sibi, sunt priora, & quæ sunt remotiora, posteriora sunt Hoc [r] sic probo, quia ex secundo præmisso, nihil concipitur distinctè, nisi quando concipiuntur omnia quæ includuntur in ratione eius essentiali; ens includitur quiditatiuè in omnibus conceptibus quiditatiuis infe

9. Metaph. in fine.

inferioribus : ergo nullus conceptus inferior, distinctè concipitur nisi concepto ente. Ens autem non potest concipi nisi distinctè, quia habet conceptum simpliciter simplicem : ergo potest concipi distinctè sine aliis, & alij non sine eo distinctè concepto: ergo ens est primus conceptus distinctè conceptibilis. Ex hoc sequitur, quòd ea, quæ sunt ibi propinquiora, sunt priora, quia cognoscere distinctè habetur per definitionem, quæ inquiritur per viam diuisionis, incipiendo ab ente vsque ad conceptum definiti. In diuisione autem priùs occurrunt conceptus communiores, deinde genera & differentiæ, in quibus concipitur distinctè conceptus inferior.

Vt inquit Arist. 2. Post. text. 17.

Secundò [t] probo idem, quia Metaphysica secundùm Auicennam, vbi priùs est prima secundùm ordinem sciendi distinctè, quia ipsa habet certificare principia aliarum scientiarum : ergo eius cognoscibilia sunt prima distinctè cognoscibilia. Nec in hoc [t] contradicit sibi Auicenna, qui ponit eam in ordine doctrinæ vltimam, & primam in sciendo distinctè, quia sicut patuit ex quæstione illa de propositione per se nota, principia aliarum scientiarum sunt per se nota ex conceptu confuso terminorum : sed ex Metaphysica scita, postea est possibilitas inquirendi quiditatem terminorum distinctè.& hoc modo termini scientiarum specialium non concipiuntur, nec principia earum intelliguntur ante Metaphysicam:sic enim multa possunt patere Metaphysico Geometræ, quæ non erant nota prius Geometræ ex conceptu confuso. Exemplum, Geometer inquantum Geometer, non vtitur pro principiis per se notis, nisi illis, quæ statim sunt euidentia ex confuso conceptu terminorum, qualis occurrit primò ex sensibilibus, puta *linea est longitudo*, &c. non curans ad quod genus pertineat linea : puta vtrùm sit substantia, vel quantitas. Sed modò cognita Geometria, & aliis scientiis specialibus, sequitur Metaphysica de conceptibus communibus, ex quibus potest fieri reditio per viam diuisionis ad inquirendum quiditates terminorum in scientiis specialibus, & tunc ex illis quiditatibus sic cognitis distinctiùs cognoscuntur principia specialium scientiarum quàm priùs cognoscebantur. Cognoscuntur etiam multa principia, quæ non erant priùs nota ex terminis confusè cognitis. Et hoc modo patet quomodo Metaphysica est prima, & quomodo non prima. 25.

Dist. 2. q. 2.

Pro his vide Auer. 6. Met. 1.

Vide supr. d. 2. q. 2.

Sed comparando [u] totum ordinem confusè concipiendi, ad totum ordinem distinctè concipiendi, quis prior est? Dico, quòd totus ordo confusè concipiendi prior est,& ideò primum in illo ordine est simpliciter primum, & hoc probatur ex auctoritate prædicta Auicennæ ex ordine Metaphysicæ ad alias scientias speciales.

Contra istud obiicitur [x], quia *primo Physicorum* dicitur, quòd confusa, id est, magis vniuersalia sunt priùs nota nobis. Quod probat, quia pueri primò appellant omnes homines patres, & omnes fœminas matres, postea discernunt vnumquodque : ergo priùs cognoscunt patrem sub ratione hominis,quàm sub ratione huius hominis,hoc est actualiter concipi conceptus priores, seu communiores.

Et per consequens totũ essentiale notius erit quàm totum vniuersale, vt inquit Auer. 1. Physic. 3. quia est magis cõfusum. Text. 3.

Hoc idem probat Auicenna de eo, quod videtur à remotis, quia priùs cognoscitur aliquid sub ratione corporis, quàm animalis, & priùs sub ratione animalis, quàm hominis, & priùs hominis,quàm huius hominis. 26.

Text. 5.

Hoc etiam videtur, quia in arguendo, via compositiua est ante resolutiuam; ergo ita est in intelligibilibus simplicibus. 27.

Ad primum dico,quòd sicut est duplex confusum, scilicet totum vniuersale, & totum essentiale, ita vtrumque in suo ordine est primum : sed simpliciter primum est illud, quod est primum in ordine, confusè cognoscendi, quia processus naturalis ab imperfecto ad perfectum est per medium. Confusè autem cognoscere est quasi medium inter ignorare & distinctè cognoscere, & ideò confusè cognoscere est ante quodcunque distinctè intelligere. Et quod dicit de puero, concedo, quòd species præintelligitur inter singulare, quia dixi, quòd species est primum intelligibile : sed ratio non concludit de genere, sed de specie. Priùs enim naturaliter actualiter concipitur albedo, quàm color in ordine cognitionis confusæ, quia color sub ratione coloris non cognoscitur, nisi sub maiori abstractione qui fit abstractio albedinis ab hac albedine, & illa. Abstractio autem maior est difficilior, quia est à minùs * similibus.

Totũ essentiale quo magis confusum, eo priùs notũ (quia minus vniuersale) cognitione confusâ. Totum vniuersale quo magis confusum,eo priùs cognitum cognitione distinctâ, quia magis vniuersale.

Ad Auicennam dico [y], quòd quando obiectum non est debitè approximatũ,non mouet ad cognoscendum se sub perfectissima ratione, sed sub alia imperfecta, & tunc intellectus sequens sensum talis obiecti, oportet quòd sit talis obiecti vniuersalis,cuius sensus erat sub ratione singularis : sed quando obiectum est in debita proportione,vt possit mouere sensum sub ratione sua propria & perfecta, tunc intellectus sequens sensum talem, habet notitiam talis naturæ, priùs sub ratione specifica confusè, quàm sub ratione generis confusè, non quòd ratio realis imperfectior, à qua sumitur genus, sit ratio mouendi

** al. sensibilibus.*

quando plus distat, & perfectior à qua sumitur differentia sit ratio mouendi quando minùs distat: imò ratio actiua efficacior est ratio agendi à distantiore: sed forma specifica est imperfectior ratio assimilandi à magna distantia, & est ratio perfectior assimilandi à magna distantia, & est ratio perfectior assimilandi à distantia proportionata: igitur color nullam sui gignit speciem: non sequitur, sed tantùm non hîc, sed tunc hæc albedo, vel hæc nigredo.

Ad tertium dico [z], quòd vtrobique proceditur ab includente ad inclusum, ita in simplicibus sicut in complexis: sed in simplicibus includens est inferius, in complexis verò includens est principium respectu conclusionis.

COMMENTARIVS.

1. *Ordo intelligibilium est triplex.*

m AD *secundam quæst.* Hîc dicit quòd triplex est ordo intelligibilium. In proposito, hîc ordo est ordo posterioris ad prius: ita quòd intelligibile potest intelligi esse primum, vel primitate originis, siue generationis; vel primitate perfectionis, vel primitate adæquationis, de quibus membris infrà patebit.

n *Loquendo igitur de primo ordine, scilicet originis.* Hîc Doctor intendit ostendere quid sit primum intelligibile primitate originis, respectu intellectus nostri, & præmittit aliqua.

Quid sit conceptus simpliciter simplex.

Primum est de conceptu simpliciter simplici, & dicitur *conceptus simpliciter simplex*, qui non est resolubilis in priores conceptus, sicut ens, & passiones entis, & vltimæ differentiæ, de quibus infrà patebit. Hoc sic debet intelligi, quòd conceptus simpliciter simplex non est resolubilis in plures quiditatiuos, vt inferius resoluitur in superius; vel in conceptus quiditatiuos, & qualitatiuos, sicut definitum resoluitur in conceptum quiditatiuum, scilicet generis; & qualitatiuum, scilicet differentiæ: licèt enim vltimæ differentiæ resoluantur in conceptum entis, tamen sunt conceptus simpliciter simplices, quia ens non prædicatur in *quid* de eis, vt infrà patebit *quæst. immediatè sequenti*.

2. *An Deitas sit cõceptus simpliciter simplex.*

Sed difficultas est, an Deitas sit conceptus simpliciter simplex? Posset sustineri quòd sic, & quòd non. Si teneatur quòd conceptus simpliciter simplex dicitur ille, qui nullo modo resoluitur in priores conceptus quiditatiuos, qui verè sint de quiditate illius, & sic *Deitas* dicit cõceptum simpliciter simplicem, quia conceptus entis est simpliciter posterior Deitate: nec est propriè de quiditate ipsius, vt suprà exposui *dist. 2. quæst. 1.* Si verò teneatur, quòd ille dicitur conceptus simpliciter simplex, qui non resoluitur in plures conceptus qualescunque: hoc modo *Deitas* non dicit conceptum simpliciter simplicem, quia resoluitur in conceptum entis, qui licèt in se sic non sit prior, est tamen communior, & sic prior: accipiendo *prius*, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, & si non sit de quiditate Dei: tamen dicitur prædicari in *quid*. Et quomodo hoc intelligatur suprà dixi *in dist. 2. quæst. 1.* exponendo illud argumentum, quod probat, quòd non possunt esse plura *necesse esse*. vide ibi.

Aliud est cõfusum intelligere, & aliud est confusè. Et aliud est intelligere distinctè, aliud est intelligere distinctum.

Secundò Doctor præmittit aliud, scilicet quòd aliud est *cõfusum intelligere*, & aliud est *confusè*: nam *confusum intelligere* est intelligere ipsum totum quod est resolubile in plures conceptus: sed *confusè intelligere* est intelligere sicut per nomen exprimitur, vt quãdo cognosco aliquod definitum, puta hominem: sed distinctè intelligere est quando concipitur, sicut exprimit definitionem: vt puta per animal rationale: stat enim quòd cognoscam confusum: non tamen confusè: imò distinctè, vt cùm cognosco hominem sub ratione, qua est animal rationale, cognosco tunc confusum, sed non confusè: confusè enim cognoscere, est non tantùm cognoscere ipsum hominem, sed quòd cognoscam, vt præcisè est quoddam totum, non cognoscendo secundùm partes suas definientes ipsum, quia vt sic cognosceret distinctè.

o *His praintellectis.* Hîc Doctor primò intendit loqui de actuali cognitione confusè intelligendi, & ponit hanc cõclusionem. *Primum actualiter cognitum confusè* (loquendo de primitate originis) *est species specialissima, cuius singulare efficaciùs, & fortiùs primò mouet sensum, siue sit audibile, siue visibile, siue tangibile.* Antequam deducam rationes Doctoris declaro aliqua. 3.

Primò, quòd aliquid potest dici singulare respectu speciei specialissimæ, & respectu generis proximi: & sic ascendendo. Exemplum, hæc albedo dicitur singulare albedinis: hic color dicitur singulare coloris: hæc qualitas dicit singulare qualitatis, & hoc ens singulare entis.

Secundò præmitto, quòd quando Doctor dicit, quòd *primum cognitum primitate originis est species specialissima cuius singulare*, &c. debet intelligi de singulari illius speciei debitè approximato potentiæ sensitiuæ, & omni impedimento remoto, tam ex parte singularis, quàm ex parte potentiæ.

Tertiò præmitto, quòd quando singulare mouet potentiam exteriorem, causando in ea speciem sensibilem: statim in virtute phantastica causatur species phantasiabilis, quæ dicitur phantasma repræsentans ipsum singulare cum conditionibus materialibus, & ipsum phantasma, cùm sit agens merè naturale, vt partialis causa, concurrente intellectu agente, vt alia partiali causa immediatè causant speciem intelligibilem repræsentantem naturam illius singularis: præscindendo ab ea omnes conditiones materiales.

Quartò præmitto, quòd talis est ordo inter potentiam superiorem, & inferiorem, quòd quando inferior efficaciùs mouetur ab aliquo obiecto, superior etiam efficaciùs mouetur propter ordinem potentiarum. Exemplum: Si enim aliqua albedo efficaciter mouet potentiam visiuam, causando speciem sensibilem, efficaciter mouetur virtus phantastica, recipiendo phantasma albedinis, & illud phantasma efficaciter mouet intellectum possibilem, causando speciem intelligibilem albedinis: stante ergo efficaci motione alicuius singularis, respectu potentiæ sensitiuæ communiter stant aliæ motiones superiores.

Quintò præmitto, quòd quando Doctor dicit, quòd *species specialissima primò primitate originis cõfusè cognoscitur*: potest esse duplex sensus. Primus, quòd si ponatur, quòd species intelligibilis speciei specialissimæ, sit partialis causa cognitionis speciei 4.

speciei specialissimæ, & cuiuscunque superioris. Argumentum Doctoris debet applicari ad speciem intelligibilem, sic, quòd illa priùs origine causat cognitionem speciei specialissimæ, & posteriùs origine causat cognitionem superioris. Alius sensus est, quòd si ponatur alia, & alia species intelligibilis, respectu superioris & inferioris: puta, quòd vna sit respectu albedinis, & alia respectu coloris, & alia respectu qualitatis, & alia respectu entis. Tunc dico, quòd argumentum Doctoris potest sic applicari. Phãtasma priùs origine causat speciem intelligibilem illius speciei specialissimæ, cuius singulare fortiùs mouet sensum, & posterius origine causat speciem intelligibilem, puta generis, & sic deinceps, & vltrà sequitur, quòd species intelligibilis primò causata, priùs origine nata est causare cognitionem obiecti cuius est, & species intelligibilis secundò causata nata est posteriùs origine causare cognitionem obiecti cuius est.

Istis præmissis, patere potest euidentia argumenti Doctoris.

p *Et hoc supposito, quòd singulare non possit cognosci sub ratione propria*, &c.

5. *Singulare an possit cognosci sub ratione propria.* Hîc Doctor non intendit disputare nunc an singulare possit cognosci sub ratione propria, vel non: de quo ipse in Metaphysica sua *lib.* 7. *quæst.* 15. sed intendit tantùm loqui de vniuersali, quia notum est apud omnes, quòd vniuersale potest intelligi ab intellectu nostro, quia intellectus est vniuersalium: sed non est sic notum apud omnes, quòd singulare possit cognosci ab intellectu nostro: ideò intendit loqui de re magis, vel minùs vniuersali, & sic probat intentum, quòd primum cognitum cognitione confusa, & primitate originis est species specialissima, cuius singulare, &c. Ratio ergo prima Doctoris est ibi.

q *Causa naturalis agit ad effectum suum*, &c. Si ponatur, quòd species intelligibilis sit partialis causa cognitionis minùs vniuersalis, & magis vniuersalis: tunc ista minor debet sumi sub illa maiori: videlicet, sed species intelligibilis, puta albedinis, est causa naturalis respectu intellectionis, & similiter intellectus est causa naturalis: ergo talis species producit cognitionem perfectiorem, quam potest: sed cognitio speciei specialissimæ est perfectior cognitione generis: patet, quia cognitio specificatur ab obiecto.

6. *Dubium.* Sed hîc occurrit aliqualis difficultas, quia videmus per experientiam, quòd causa naturalis priùs producit effectum imperfectum, & deinde perfectum: vt patet in generatione hominis, sic erit in proposito. *Responsio* Dico, quòd hoc nihil est, quia Doctor loquitur de causa naturali perfectè disposita, & nullo modo impedita: talis enim immediatè attingit effectum perfectissimum: vt patet à Doctore *in* 2. *in* 3. *dist.* 4. *& alibi.* In proposito species intelligibilis obiecti, & intellectus agens, siue possibilis, sunt debitè approximati, & non apparet aliquod impedimentum: nec apparet, quòd requiratur aliqua dispositio prior respectu speciei.

Item aliud. Si iterum dicatur: cùm cognitio distincta speciei sit perfectior cognitione confusa eiusdem, videtur sequi quòd priùs origine producat cognitionem distinctam speciei specialissimæ. *Responsio.* Dico primò, quòd notanter Doctor dicit effectum, quem primò potest producere: modò species intelligibilis speciei specialissimæ non potest partialiter primò producere, nisi notitiam confusam: inter notitias autem confusas perfectissima est notitia speciei specialissimæ, & sic gradatim ascendendo. Non dicit autem absolutè quòd causa naturalis producat primò effectum perfectissimum, sed dicit quòd priùs producit effectum perfectissimum, quem primò potest producere, modò primò non potest producere, nisi notitiam confusam: ergo primò producit notitiam speciei specialissimæ, quæ est perfectior. Secundò dico, quòd cognitio distincta alicuius habentis partes, præsupponit distinctam cognitionem partium: nam si distinctè cognosco hominem, secundùm omnes suas partes, sequitur quòd cognosco hoc animal, & etiam rationale, & alia cognitione cognoscitur animal, & alia cognoscitur rationale: ita quòd cognitio distincta definiti præsupponit duas cognitiones partium: modò est impossibile vnam & eandem causam simul producere duas cognitiones æquè perfectè, vt suprà probaui *dist.* 2. *quæst.* 1. & certum est quòd cognitio animalis seorsum sumpta, est imperfectior cognitione hominis, & similiter cognitio rationalitatis, est imperfectior cognitione hominis: & ideò cognitio hominis est perfectior qualibet cognitione partium. Si teneatur alius sensus, videlicet quòd magis vniuersale cognoscitur per propriam speciem, & minùs vniuersale per propriam: patet tunc quòd species minùs vniuersalis tantùm causat cognitionem illius, & illa est cognitio confusa, vt patet, quia cognitio distincta est cognoscere partes ipsius, in quas natum est resolui.

Dico secundò, quòd Doctor limitatè loquitur cùm dicit, *Causa naturalis primò producit effectum perfectissimum, quem primò potest producere:* modò species intelligibilis cum intellectu non potest primò producere, nisi notitiam confusam obiecti: sed inter notitias confusas, vna est perfectior alia: ideò si potest producere imperfectiorem, & perfectiorem: si est perfectè disposita priùs producit perfectiorem, quæ est speciei specialissimæ: si tamen species intelligibilis primò repræsentet speciem illam, & post producitur notitia omnium essentialiter inclusorum: & sic habita notitia entis per viam diuisionis poterit cognoscere speciem distinctè, & sic primum simpliciter conceptum distinctè est conceptus entis, qui est conceptus communissimus, & per consequens, quæ sunt propinquiora, sunt priùs distinctè cognita, quæ remotiora, posteriùs distinctè cognita. 7. *Inter notitias confusas vna est perfectior alia.*

r Et hoc probat dupliciter: primò ibi: *Hoc sic probo*, &c. Quia concipere distinctè *A* est cognoscere omnia, quæ quiditatiuè includuntur in *A*. Sed conceptus entis includitur quiditatiuè in omnibus inferioribus: ergo est simpliciter primum cognitum distinctè, & pòst propinquiora, &c. Et addit, quòd conceptus entis est simpliciter simplex, & sic potest distinctè concipi sine aliis, non in eo.

Sed occurrunt aliqua dubia. Videtur enim si ad cognitionem distinctam, puta hominis sufficeret cognitio omnium partium, quòd cognitis illis partibus, cognoscatur & homo perfectè, quòd non videtur, quia cognitis anima, & corpore distinctè, non propter hoc cognoscitur humanitas: cùm sit alia entitas absoluta realiter distincta ab omnibus partibus, & sic 8. *Primũ dubiũ.*

cognitis illis separatis cognosceretur homo: etiam hoc non sequitur, si cognoscantur, vt vnitæ, cùm adhuc distinguitur realiter ab ipsis, vt vnitis, vt patet à Doctore *in 3.d.2.*

Secundum. Tum, quia cognitis omnibus partibus distinctè, à quo causatur cognitio totius? non à partibus, quia sunt imperfectiores toto, etiam simul sumptæ: modò imperfectius non potest causare cognitionem perfectioris, vt suprà patet *quæst.1. præsentis distinctionis.*

Tertium. Tum etiam, si cognitis omnibus partibus cognosco totum distinctè, quæro an sit alia cognitio distincta totius, & alia omnium partium, aut eadem: non secundo modo: patet, quia prior est cognitio partium, & imperfectior. Si alia, quæro ad quid terminatur cognitio totius, aut terminatur ad totum, aut ad partes: non ad partes, quia tunc non esset alia cognitio totius, & partium: si ad totum absolutè: ergo illa erit confusa: patet, ergo cognitio confusa totius stat semper cum cognitione distincta eiusdem, quod est impossibile.

9. *Quartum.* Tum etiam, quia aut eadem cognitione cognoscuntur simul omnes partes totius, aut alia, & alia cognoscitur alia, & alia pars: non primò, quia non potest esse eadem cognitio plurium, & hoc distincta omnium. Si alia, & alia, ergo cognitio distincta totius erit tantùm quoddam aggregatum ex pluribus cognitionibus distinctis, quod videtur inconueniens.

Quintum. Tum etiam, quia nunquam totum, puta homo: posset perfectè distinctè concipi: patet, quia cognoscere perfectè hominem quantum est cognoscibilis distinctè, est cognoscere omnes eius partes, quantum sunt cognoscibiles. Sed hoc est impossibile: patet, quia si in instanti *A* perfectè, & distinctè cognosco hominem, ergo in eodem instanti simul cognosco omnes partes eius, quantum sunt cognoscibiles, & per consequens cognosco simul plura æquè perfectè simul, sicut quodlibet seorsum: patet, quia ex præsupposito cognoscitur quælibet pars quantum est cognoscibilis; aliter totum non perfectè cognosceretur distinctè.

Sextum. Tum, quia accipio aliquod quantum diuisibile in partes infinitas, & quæro si potest cognosci ab intellectu creato distinctè, & perfectè: patet quòd sic, quia tale quantum est cognoscibile limitatum. Tunc sequitur quòd oportebit priùs cognoscere partes infinitas, quæ tamen non possunt pertransiri, & tamen si actu distincto cognosco illud quantum, & distincta cognitio requirit cognitionem omnium partium: sequitur quòd actu cognoscam infinita, & sic esset talis intellectus infinitus, vt supra patet *d.2.q.1.*

Septimum. Tum, si cognitio distincta conceptus quiditatiui est præcisè cognoscere ipsum secundùm omnes conceptus quiditatiuos, inclusos in eo. ergo relatio, puta paternitas, potest distinctè cognosci sine cognitione fundamenti, & termini: patet, quia fundamentum, & terminus non sunt de conceptu quiditatiuo relationis, quia ponuntur in definitione tantùm, vt addita, vt patet à Doctore infrà *dist.30.* Sed modò est impossibile, nec distinctè, nec confusè posse cognoscere aliquam relationem sine fundamento, & termino, vt suprà patuit *quæst.1. prolog.* & infrà patet *dist.8. q.1. & in Quodlib.q.14.*

10. *Octauum.* Tum, quia requireretur magnum tempus ad hoc vt posset, puta, homo cognosci: si non potest cognosci distinctè, nisi præcognoscantur omnes conceptus quiditatiui, inclusi in eo, quod est multùm difficile: sicut etiam ipse Doctor habet pro inconuenienti de cognitione speciei: vbi vult, quòd si priùs oporteret præconcipere conceptus vniuersaliores ante conceptum speciei: tunc oporteret ponere magnum tempus, antequam conciperetur species alicuius singularis debitè approximati sensui, & non impediti, &c.

Tum, quia quæro an potentia sensitiua, puta visiua possit videre distinctè aliquod album: patet quòd sic, quia aliter talis potentia esset imperfecta: si perfectè non posset videre obiectum sibi perfectè approximatum. si ergo potest ipsum distinctè videre, puta aliquod album: ergo oportet ipsum priùs videre omnes conceptus, quiditatiuè inclusos, sed includitur conceptus entis: ergo oportet ipsum priùs videre conceptum entis, quod tamen videtur manifestè falsum. *Nonum.*

Tum etiam, quia si potest videre distinctè album, poterit priùs videre omnem partem distinctè illius albi, quia omnes sunt de integritate illius, & per consequens posset videre minorem, & minorem partem in infinitum, & sic oportebit crescere potentiam visiuam in infinitum, vt patet per Philosophum de Sensu, & Sensato. Si dicatur, quòd non poterit sic videre distinctè. ergo sequitur, quòd nunquam poterit videre perfectè distinctè aliquod visibile, & sic potentia respectu sui obiecti debitè approximati, non poterit habere perfectam visionem, & per consequens esset aliquod visibile, quod nullo modo esset natum videri, vel non posset videri, quantum est visibile ab aliqua potentia visiua, quod est multùm inconueniens: patet, quia & si sit aliquod intelligibile, quod non possit intelligi ab aliquo intellectu creato, quantum est intelligibile, vt obiectum formaliter infinitum: tamen illud obiectum potest intelligi, quantum est intelligibile ab intellectu infinito. *Decimum.*

Tum, quia ponendo, quòd magis, & minùs vniuersale cognoscantur per eandem speciem minùs vniuersalis, quod Doctor non improbat, vt suprà patet: sequitur quòd si cognitio distincta minùs vniuersalis sit secundùm omnes conceptus, quiditatiuè inclusos in minùs vniuersali, quòd necessariò erit simul distincta, & confusa cognitio eiusdem obiecti: quod Doctor habet pro magno inconuenienti, vt suprà patet *dist.2.* contra Henricum. Quòd autem sequatur, patet, quia per Doctorem species minùs vniuersalis vnà cum intellectu, necessariò priùs causat notitiam confusam ipsius minùs vniuersalis: si modò causat notitiam superiorum, certum est quòd tunc minùs vniuersale est æquè præsens intellectui; imò magis, quia species intelligibilis illius magis repræsentat ipsum: ergo tunc, vel causat nouam cognitionem confusam illius, quando causat cognitionem superiorum, vel priùs habitam continuat: patet, quia intellectus, & talis species sunt causa per modum naturæ, & non sunt impedita: ergo simul erit cognitio confusa, & distincta eiusdem obiecti, ergo. 11. *Vndecimum.*

Tum, & pono quòd Franciscus distinctè cognoscatur, puta ab Angelo, quod est possibile, vt patet à Doctore *in 2.dist.3. quæst.vlt. quæ est 11.* Tunc quæro, aut in conceptu quiditatiuo Francisci includitur conceptus hominis, animalis, corporis, substantiæ, & entis ex natura rei, & *Duodecimũ.*

præter

præter omne opus intellectus comparatur, aut tantùm per actum intellectus. Non secundo modo, quia tunc conceptus rationis esset de quiditate conceptus verè realis. Si primo modo, tunc pono, quòd Angelus videat distinctè intuitiuè ipsum Franciscum: hoc est possibile, vt patet à Doctore *in 2. vbi suprà*, ergo sequitur, quòd Angelus priùs videbit intuitiuè conceptum entis, deinde conceptum substantiæ, & sic deinceps descendendo vsque ad conceptum indiuidui. Sed hoc non videtur possibile specialiter apud Doctorem, qui vult quòd intuitiua cognitio tantùm sit rei existentis, vt existentis, & præsentis, vt præsentis; sed tales conceptus superiores non videntur habere priùs existentiam, quàm conceptus indiuidui, siue, quòd conceptus superiores in illo priori, quo intuitiuè videntur, non videntur habere aliquam existentiam: patet, quia non existunt, nisi vt in singularibus actu existentibus, vt patet à Doctore *in 2. dist. 3. q. 1.* Ex his ergo apparet, quàm difficile sit sustentare, quòd nihil dicitur cognosci distinctè, nisi cognoscatur secundùm omnes eius partes.

Cognitio intuitiua, quæ.

12. Secundò principaliter posset multùm dubitari, quomodo conceptus entis possit distinctè concipi sine aliis, quia tunc talis conceptus esset simpliciter prior, quod tamen non videtur verum, vt patet à Doctore infrà *d. 8. q. 2.* & patet per Philosophum 2. Met. text. c. 4. *Principia*, inquit, *sempiternorum esse verissima*, &c. sed de hoc vide infrà *dist. 8. q. 2.*

s *Secundò probo*, &c. Secundò principaliter probat Doctor, scilicet quòd in cognitione distincta priùs cognoscuntur conceptus communiores, quia secundùm Auicennam 1. Met. c. 3. Metaphysica est prima secundùm ordinem distinctè cognoscendi, quia ipsa habet certificare principia aliarum scientiarum: ergo cognoscibilia in Metaphysica sunt prima distinctè cognoscibilia: modò Metaphysica maximè considerat communissima, vt patet per Philosophum *primo Metaph. in proœmio.* Si ergo principia in Metaphysica habent certificare principia aliarum scientiarum, id est, quòd considerata in aliis scientiis distinctè cognoscuntur per principia communissima, quæ pertinent ad Metaphysicam; ergo, non tamen sic intelligendo quòd præcisè cognoscantur inferiora per considerata tantùm in Metaphysica, quia tunc ad Metaphysicam pertineret considerare omnes quiditates in particulari, id est, sub ratione propria, & distincta earum, cuius oppositum expresè tenet Doctor *in Met. lib. 1. quæst. pen.* Sed sic intelligo, quòd ex quo non potest distinctè cognosci aliqua quiditas, puta humanitas, nisi secundùm omnia inclusa in illa quiditate cognoscatur, & cùm conceptus communissimus includatur ibi quiditatiuè, vt conceptus entis, inquantum ens, qui tantùm pertinet ad considerationem Metaphysici, sequitur quòd primum cognitum distinctè pertinet ad considerationem Metaphysicæ, & vt sic, intelligitur esse primam in ordine distinctè concipiendi.

13. *Quomodo Metaphysica est prima & vltima.*

t *Nec in hoc contradicit sibi Auicenna, qui ponit eam vltimam in ordine doctrinæ, & primam in ordine distinctè cognoscendi*, quia ponitur vltima in ordine confusè concipiendi, id est, quòd priùs concipiuntur termini aliarum scientiarum confusè, vt suprà patuit, & pòst termini communiores, & vltimò communissimi, quia ad Metaphysicam pertinent, & hæc est vltima. Sed in concipiendo distinctè, puta lineam, erit prima, quia incipit à communissimis inclusis in linea. Et cùm dicit, quòd *Geometer, inquantum Geometer, non vtitur principiis per se notis*, &c. *Terminorum in scientiis specialibus, & tunc ex illis quiditatibus, sic cognitis, distinctius cognoscuntur principia scietiarum specialium.*

Hæc litera debet sanè intelligi. Si enim intelligitur quòd termini scientiarum specialium non possunt distinctè concipi, vt in illis scientiis præcisè, puta, quòd Geometer non possit, vt Geometer, cognoscere lineam definitiuè, nisi per Metaphysicam: ita quòd tota cognitio definitiua, & completiua sit præcisè à Metaphysica, fortè hoc non videtur verum, quia vltimæ differentiæ lineæ cognitio magis videtur pertinere ad Geometram: cùm Doctor velit, quòd scientia specialis cognoscat considerata in illa particulari, & sub ratione propria: vt patet in sua Metaphysica *vbi suprà.* Si verò intelligitur, quòd Geometer non cognoscat definitiuè completiuè lineam, nisi per Metaphysicam: non quòd Metaphysica tradat notitiam omnium pertinentium ad distinctam cognitionem, puta lineæ: hoc modo erit verum, quia Geometer non potest distinctè, & completè cognoscere lineam, nisi præcognoscat conceptum entis, & pòst præcognoscat, an linea sit in genere Substantiæ, vel Quantitatis, quia quod cognoscitur definitiuè, & completissimè quiditatiuè, definitur non tantùm per genus propinquum, sed etiam per generalissimum: ergo oportet scire ad quod genus pertineat linea. & hoc non potest, nisi per Metaphysicam, quæ primò diuidit ens finitum in decem Genera, vt patet in 5. Met. text. com. 13. *Secundùm se*, inquit (id est, ens per se, vt distinguitur cōtra ens per accidens, de quo ibi text. com. 13.) *sunt quæcunque signant figuras prædicationis.* Et parùm infrà: *Quoniam ergo prædicatorum alia* quid *significant*, *alia* quale, *alia quantum*, &c.

Ad quod genus pertineat linea.

Habita ergo cognitione ad quod genus pertineat, potest per viam diuisionis deuenire ad distinctam cognitionem lineæ. An modò habitâ per Metaphysicam cognitionem ad quod genus pertineat linea, possit Geometer, vt Geometer, per viā diuisionis cognoscere definitiuè lineam. Dico, quòd si ad Metaphysicum non pertinet considerare omnes quiditates in particulari, vt videtur tenere Doctor, vt dixi: quòd Metaphysica non erit necessaria, nisi vt habeatur notitia conceptuum transcendentium, & generalissimorum, & hoc magis videtur. Est ergo Metaphysica necessaria ad cognitionem distinctam terminorum conceptorum in scientiis specialibus, modo præexposito. Scientia ergo specialis, vt Geometria, & Physica, & huiusmodi, non præhabitâ Metaphysicâ, præcisè cognoscit terminos confusè, & per consequens principia per se nota in illis sunt tantùm nota, terminis confusè conceptis, quia in illo priori, quo nullo modo intelligitur habere Metaphysicam, non potest concipere ad quod genus pertineant illi termini: nec similiter potest scire omnes conceptus transcendentes, qui nec includuntur quiditatiuè in illis terminis: sed eorum consideratio spectat ad Metaphysicam; sed habitâ per Metaphysicam notitiâ prædictorum, fortè non vt Metaphysicus, sed vt Geometer, vel vt Physicus, poterit acquirere notitiam distinctam terminorum per viam diuisionis, & sic cognoscere sua principia ex cognitione distincta terminorum, 14.

Ad Met. non pertinet considerare omnes quiditates in particulari.

notum, & sic habere sua principia per se nota, terminis distinctè conceptis, quod benè nota. *Nota.* Sustinendo tamen, quòd ad Metaphysicam tantùm non pertineat considerare omnes quiditates in particulari, pertinentes ad speciales scientias: sed quòd quælibet scientia specialis consideret quiditates in particulari, & sub ratione propria quiditatiua pertinentes ad illam scientiam. Ex his patet quomodo Metaphysica dicitur prima, & non dicitur prima.

15. u *Sed comparando totum ordinem confusè concipiendi ad totum ordinem distinctè concipiendi quis sit prior*, id est, an cognitio confusa sit simpliciter prior distincta: puta an pro statu isto priùs origine cognoscatur aliquid confusè, quàm distinctè. Dicit Doctor quòd sic: priùs enim origine cognoscitur totum, quàm partes. Et quia in ordine confusè concipiendi est species specialissima, cuius singulare fortiùs mouet sensum, ideò priùs simpliciter cognitum primitate originis est species specialissima. Et hoc debet intelligi tantùm quando singulare illius speciei est perfectè præsens, & optimè dispositum respectu potentiæ sensitiuæ, quæ etiam sit benè disposita. Communiter tamen priùs origine cōcipitur magis vniuersale, quàm minùs vniuersale: & hoc est, quia communiter singulare magis vniuersalis, priùs, & fortiùs sentitur, quàm singulare minùs vniuersalis, quod est verum communiter. Si tamen singulare minùs vniuersalis, fortiùs moueat sensum, tunc species intelligibilis illius speciei priùs origine causat notitiam illius, quàm notitiam magis vniuersalis. Ex his apparet quòd Doctor hîc, & in sua Metaph. *lib.2. quæst. vlt.* sibi non contradicit. Hîc enim vult quòd primum cognitum primitate originis, non est magis vniuersale, sed simpliciter minùs vniuersale, & ibi vult quòd magis vniuersale. Vide etiam quæ ibi prolixè exposui, ostendendo quomodo illa quæstio non contradicit quæstioni huic. Et ibi glossaui auctoritates Philosophi, & Auicennæ, prout faciunt ibi ad propositum, quæ secundùm alium, & alium sensum possunt verificari, vt ibi patet.

16. *Responsio ad alias instantias.* Nunc respondeo ad illas instantias factas contra illud, scilicet quòd *distinctè cognoscere, est cognoscere secundùm omnes partes*, &c. Ad primam dico, quòd distinctè cognoscere aliquid non est tantùm cognoscere omnes partes illius, etiam vnitas, & hoc si totum sit aliud à partibus vt vnitis: sed est cognoscere ipsum totum secundùm omnes suas partes: ita quòd si est vna cognitio totius, & partium, illa terminetur ad totum, & ad partes. Si verò alia, & alia, vna terminetur præcisè ad totum, & alia ad partem, vel si sint plures, per te, alia ad vnam, & alia ad aliam, & hoc dicitur distinctè cognosci.

Ad secundum dico, quòd cognitio totius realiter, vel conceptibiliter distincta à partibus, causatur à specie intelligibili totius, si intelligitur abstractiuè: si verò intuitiuè, causatur ab ipso toto: imò, fortè totum essentiale causat cognitionem, non tantùm sui, sed etiam partium. Et tenendo quòd magis vniuersale cognoscatur abstractiuè per speciem minùs vniuersalis, tunc species illa poterit partialiter causare notitiam totius, & omnium ad quiditatem ipsius pertinentium, vt suprà patuit *quæst.* 1. quia obiectum causat cognitionem sui, & omnium virtualiter, vel essentialiter contentorum.

17. Ad tertium dico, quòd loquendo de toto essentiali, & in nobis, quòd alia cognitione cognosco totum; & alia, alia partes: & sic alia cognitione cognosco hominem, & alia corpus, & alia animam. Similiter alia cognitione cognosco hominem, alia animal, alia corpus, & sic ascendendo. Et concedo quòd cognitio hominis terminatur præcisè ad hominem, & cognitio animalis ad animal. Et cùm dicitur quòd cognitio hominis est confusa, & cognitio partium distincta: ergo idem cognoscitur simul distinctè, & confusè. Dico quòd cognitio hominis absolutè est confusa, & cognitio partium hominis præcisè non est cognitio hominis distincta, cùm illa sit tantùm cognitio partium, & non hominis. Sed habita cognitione hominis, & omnium partium, vt sunt hominis, hoc totum vocatur cognitio distincta hominis, & sic cognoscere hominem secundùm omnes suas partes (licèt talis cognitio plures includat cognitiones) est cognoscere distinctè hominem. Ista verò non simul stant, scilicet quòd simul cognoscam hominem distinctè, & confusè: quia cognoscere confusè est ipsum cognoscere, non secundùm omnes partes: & cognoscere distinctè est ipsum cognoscere secundùm omnes suas partes. Sicut etiam cùm cognosco propositionem aliquam distinctè, non tantùm cognosco propositionem in se, sed simul cognosco terminos illius: licèt alia cognitione cognoscam propositionem, & alia, & alia terminos, & stantibus simul illis cognitionibus, tunc distinctè cognosco propositionem. Nisi fortè dicatur (vt aliqui dicunt) quòd priùs habetur cognitio terminorum, & vnionis eorum, & pòst cognoscitur veritas propositionis distinctè, & habitâ illâ, non remanet prior cognitio terminorum, quia illa continet notitiam terminorum: sed hoc non credo absolutè verum, de quo aliàs. Et ex his patet responsio ad quartum.

Alia, & alia cognitione cognoscitur homo, & partes.

Cognoscere confusè, & distinctè quid sit.

Ad quintum, concedo absolutè quòd intellectus creatus non potest simul cognoscere æquè benè plura, sicut quodlibet seorsum, & hoc æquè intensè. In proposito, concedo quòd non æquè intensè simul cognoscit totum & partes, sicut vnum illorum seorsum acceptum: tamen cognoscit totum, & partes distinctè: sicut ego cognosco lapidem distinctè secundùm omnes suas partes, non tamen ita intensè, sicut intellectus Angeli, quia perfectior: & tamen Angelus non cognoscit distinctiùs, posito quòd lapis possit à me cognosci distinctè: sic in proposito. 18.

Ad sextum, dico breuiter, quòd illud quantum potest distinctè cognosci secundùm omnem eius quiditatem, quia secundùm omnem conceptum inclusum quiditatiuè: sed non potest distinctè cognosci secundùm omnem partem integralem, & hoc loquendo de partibus proportionalibus, quia tunc actu cognoscerentur infinita, imò infinities infinita, quia illud est diuisibile in infinitas partes, & quælibet pars adhuc est diuisibilis in alias infinitas: hoc enim modo, tantùm potest cognosci ab intellectu infinito intensiuè: potest tamen cognosci distinctè ab intellectu creato, secundùm omnes partes integrales quantitatiuas.

Ad septimum dico, quòd cognitio paternitatis confusa, non potest haberi aliquo modo, nisi præcognitis fundamento, & termino: & magis termino, quia propè est ad aliud, siue est entitas formaliter ad aliud, vt ad terminum: habita

Relatio potest quiditatiuè & distinctè cognosci, non præcognitis fundamento, & termino.

tamen

tamen tali cognitione, potest eam distinctè cognoscere, & quiditatiuè, id est, secundùm omnes conceptus, quiditatiuè, & essentialiter inclusos, & quo ad istam cognitionem quiditatiuam distinctam, potest haberi sine termino, & fundamento præcognitis, id est, quòd cognitio fundamenti, & termini non requiritur ad cognitionem eius tantùm quiditatiuam distinctam: licèt requiratur ad cognitionem eius absolutam, quia est impossibile cognoscere relationem, fundamento & termino non præcognitis, &c.

19. Ad octauum dico, quòd hoc est necessarium, quia talis cognitio distincta, vt suprà patet, fit per diuisionem magis communis, & hoc non est inconueniens, est tamen inconueniens ibi de indiuiduo sensibili, perfectè præsente sensui, sub ratione propria.

Ad nonum dico, quòd visio illa potest terminari ad quiditatem albedinis absolutè, non vt *quod*, sed vt *quo*, id est, quòd quiditas albedinis, est ratio formalis terminandi visionem: non autem terminat vt *quod*, sed tantùm vt singularis, id est, quòd singularitas est conditio obiecti, vt patet à Doctore *lib.* 1. *Metaph. suæ, quæst.* 6. Cùm dicitur de conceptu entis. Dico, quòd talis conceptus non cognoscitur nisi abstractiuè: modò potentia visiua non abstrahit: cognoscit ergo albedinem distinctè; eo modo quo potest sibi competere cognitio, siue visio distincta: visio enim tantùm terminatur ad rem existentem, & sic suo modo videt albedinem, & quicquid realiter, & essentialiter existit in albedine: si visio est perfecta & distincta: non tamen ibi distinguendo vnum conceptum ab alio. Vel breuiter dicendum, quòd non potest videre, nisi quòd cadit sub obiecto eius adæquato, quod est præcisè color, vel lux: non est sic de intellectu, quia habet totum ens pro obiecto, & potest abstrahere conceptus etiam communissimos. Potest breuiter dici, quòd cognoscere aliquid distinctè secundùm omnes conceptus essentialiter inclusos, tantùm pertinet ad intellectum, cùm sit virtus illimitatior, & virtus abstractiua, & hoc magis placet.

20. Ad decimum dico, quòd non potest videre omnem partem albi, quia datur minimum visibile, virtute, quo minus videri non potest, vt patet de sensu & sensato. & cùm dicitur quòd tunc esset aliqua pars non visibilis, dico quòd esse visibile potest dupliciter intelligi. Primò, quòd sit visibile per se: & hoc modo est ibi aliqua pars ita parua, quæ nullo modo potest mouere sensum. Secundò, quòd sit visibile non per se, sed vt in toto potest coagere ad sui visionem, sed separatum non: & hoc modo quæcunque pars potest videri, vt præcisè in toto: non tamen distinctè potest videre omnes partes, cùm sint ibi infinitæ. Si enim intellectus non potest simul videre partes infinitas, multò minùs potentia visiua.

Visibile duplex.

Ad vndecimum patet responsio ex dictis ad primum, secundum, tertium articulum.

Ad duodecimum & vltimum patet responsio ex his quæ exposui prolixè in Quodlib. de notitia intuitiua.

* num. 13. Ibi: *Si enim aliquis alius esset* *. Dicit Doctor, quòd si species intelligibilis specialissimæ (quæ agit secundùm vltimum potentiæ suæ) immediatè produceret conceptum superioris, ille esset perfectissimus, quem posset producere, quia causa naturalis non impedita, &c. producit effectum perfectissimum quem potest. Si ergo conceptus superioris, esset perfectissimus, in quem potest, sequitur quòd nunquam talis species, poterit producere conceptum speciei specialissimæ, cùm ille sit perfectior conceptu superioris.

Secundò principaliter probat idem ibi: *Secundò sic, quia secundùm Auicennam*, &c. Hic Doctor præsupponit vnum, quod dicit suprà *dist.* 2. *quæst.* 1. quòd aliqua est propositio per se nota, terminis confusè conceptis, vt Mathematicus habet istam per se notam, *Totum est maius sua parte*, vel, *linea est longitudo sine latitudine*: terminis confusè conceptis. Et Metaphysicus haberet illas propositiones per se notas, terminis distinctè conceptis: si ergo Metaphysica est vltima in ordine doctrinæ, sequitur quòd priùs concipiuntur principia aliarum scientiarum, & termini illarum ante principia Metaphysicæ: modò ordo doctrinæ, est à confusè concipiendi ad distinctè: priùs enim occurrit totum, & deinde resoluitur in partes: si enim communiora, puta ens, & huiusmodi, primò conciperentur: tunc Metaphysica, quæ primò tractat de illis, esset simpliciter prima ordine doctrinæ, quod est contra Auicennam. 21.

Quomodo Metaphysica sit vltima in ordine doctrinæ.

Tertia ratio est ibi. * *Tertiò, quia si oporteret præconcipere conceptus vniuersaliores existente soluto*, id est, non impedito: oporteret ponere magnum tempus, antequam conciperetur species illius singularis primò sensati, quia priùs oporteret intelligere omnia prædicata communia dicta in *quid* de illa specie secundùm ordinem, cuius oppositum manifestè experimur: nam visa aliqua albedine singulari, priùs, & facillimè intellectus fertur in cognitionem albedinis in se, quàm in cognitionem superiorum. Et quod dicit de singulari mouente sensum, & intellectum; non debet intelligi, quòd singulare immediatè moueat intellectum, sed tantùm mediatè, quia priùs mouet sensum exteriorem, causando speciem sensibilem, & species sensibilis, in sensu exteriori causat phantasma, in virtute phantastica, & phantasma causat speciem intelligibilem in intellectu possibili: quâ causatâ, statim potest sequi intellectio, & hoc loquendo de singulari existente soluto, id est, nullo modo impedito, sed debitè approximato, &c. * num. 14.

Singulare mouet intellectum mediatè, non autem immediatè.

Ex hoc apparet causa, quare intellectus intelligit priùs vnum intelligibile, quàm aliud, &c. Dicit Doctor ponendo quòd in intellectu sit species nigredinis & albedinis: species soni, species tangibilis obiecti, & huiusmodi, quæ omnes agunt de necessitate naturæ ad cognitionem obiectorum, quorum sunt species: & certum est quòd omnia illa obiecta, quorum sunt tales species, non simul intelliguntur: quare ergo vna priùs mouet ad cognitionem sui obiecti? Hoc præcipuè erit, quia singulare speciei repræsentatæ fortiùs mouet sensum exteriorem, quo moto, fortiùs excitatur virtus phantastica, quâ excitatâ, phantasma talis singularis, fortiùs & priùs excitat speciem intelligibilem, & hoc non est à voluntate, quia intellectus tunc non habet actum intelligendi. 22.

Quare intellectus intelligit priùs vnum intelligibile quàm aliud.

Sed in hoc videtur, quòd Doctor sibi contradicat, quia *in* 2. *dist.* 9. *quæst.* 2. expresè dicit, quòd est in potestate Angeli, quantùm ad primam intellectionem, vti hac specie in memoria, vel illa, ad illam intellectionem actualem istius,

Apparens contradictio.

istius, vel illius: hæc sunt verba formalia Doctoris. vide responsionem huius in glossa, quam ibi feci.

Solutio datur alibi. *Secundò dico de cognitione actuali distinctè conceptorum.* Hîc Doctor intendit probare, quòd loquendo de cognitione distincta actuali primum cognitum primitate originis, est magis vniuersale, & hæc ratio est satis clara in litera.

Secunda ratio est ibi: *Secundò probo idem.* Et similiter hæc litera est nota.

23. *Dupliciter confusum.* x *Contra istud obiicitur.* Hîc Doctor intendit probare, quòd magis vniuersalia sint primò nota nobis, primitate originis, & litera clara est.

Ad primum dico. Hæc responsio stat in hoc, quòd sicut duplex est confusum, scilicet partium subiectiuarum, & partium essentialium: ita duplex est ordo, scilicet confusè concipiendi, & distinctè: & quantò aliquid est magis confusum partium essentialium, tantò priùs cognitum cognitione confusa, & quantò aliquid est magis confusum, cognitione partium subiectiuarum, tantò priùs cognitum cognitione distincta: sed comparando ista duo confusa inter se, primum simpliciter cognitum, est confusum partium essentialium. Et hoc est quod dicit ibi: *De isto duplici confuso.*

y *Ad Auicennam dico.* Hæc litera clara est, excepta ista litera, quæ ponitur ibi: *Quando obiectum non est debitè approximatum, non mouet ad cognoscendum se, sub perfectissima ratione, sed sub aliqua imperfecta:* hoc sic intelligitur, quando sensibile est præsens sensui, vt singulare magis vniuersalis, cùm video coloratum hoc, scilicet vt est singulare coloris, tunc tale singulare causat præcisè in sensu speciem coloris, & ita intellectus sequens primò cognoscit colorem: licèt tale singulare sit in se album, tamen vt à remotis non videtur, nisi vt indiuiduum coloris, non vt indiuiduum albedinis; sed vt tale coloratum sit perfectè præsens, tunc causat visionem albi: & sic tandem causatur in intellectu species intelligibilis speciei albedinis, & tunc tale dicitur perfectè mouere sensum, & intellectus primò cognoscit speciem illius singularis, scilicet albedinem, & hoc magis patet in Metaphys. Doctoris *lib. 1. quæst. vlt.* vide quæ ibi exposui.

z *Ad tertium dico.* Tertium argumentum stat in hoc, quia in argumentando, priùs componimus syllogismum ex propositionibus, & propositiones ex terminis, & vltimò resoluimus syllogismum in propositiones, & propositiones in terminos: ergo in syllogismo priùs cognoscimus terminos, & pòst propositiones, & vltimò syllogismum: sicut ergo dixi in compositione complexorum, hoc idem dico in compositione incomplexorum: nam homo priùs componitur ex ente, substantia, corpore animato, sensitiuo, & rationali, & vltimò resoluitur in ea, ex quibus componitur. Cùm ergo via compositiua sit prior resolutiua, sequitur quòd primò cognitum in hoc homine, erit magis vniuersale, cùm magis vniuersale primò componat, vt patet à Doctore *in 4. dist. 1. q. 1.* 24.

Respondet Doctor ibi: *Ad tertium dico.* Et responsio stat in hoc, videlicet, quòd vtrobique, scilicet tam in complexis, quàm in incomplexis, proceditur ab includente ad inclusum, & sicut in complexis, cùm principium includat virtualiter conclusionem, sequitur quòd priùs cognosco principium, & similiter cùm termini principiorum includant ipsa principia, sequitur quòd priùs cognosco terminos: sic in incomplexis, cùm inferius includat essentialiter suum superius, sequitur quòd cognitione confusa, priùs cognosco inferius, quàm superius.

SCHOLIVM.

Tertia conclusio quoad cognitionem habitualem & virtualem, communiora origine, esse priùs cognita. Ratio est, quia inter ordinata ad aliquod perfectibile, imperfectius priùs perficit: ergo quando aliqua forma virtualiter, vel habitualiter continet gradus ordinatos, cuiusmodi est species intelligibilis respectu inclusorum in suo obiecto, priùs origine habitualiter repræsentat communiores gradus, quia sunt imperfectiores, sed priùs actu repræsentat minùs commune, quia dependet à sensatione, quæ primò concurrit ad speciem specialissimam, quæ proximè, inter abstracta, ad eam accedit.

28. *Quid notitia habitualis, & virtualis?* QVantùm ad notitiam habitualem siue virtualem, primò expono quid intelligo per terminos. Habitualem notitiam voco, quando obiectum sic est præsens intellectui in ratione intelligibilis actu, vt intellectus statim possit habere actum elicitum circa illud obiectum. Voco virtualem, quando aliquid intelligitur in aliquo, vt pars intellecti primi, non autem vt primum intellectum, siue vt totale terminans intellectionem; sicut cùm intelligitur homo, intelligitur animal in homine vt pars intellecti, vt non intellectum primum, siue totale terminans intellectionem. Hoc satis propriè vocatur intellectum virtualiter, quia est satis proximum intellecto in actu, non enim posset esse actualius intellectum, nisi esset propria intellectione intellectum, quæ esset ipsius primi vt termini totalis.

Quomodo primò perficiũt formæ imperfectiores? Auer. 7. Metaphys. Quantùm ad istam notitiam habitualem, vel virtualem, dico, quòd communiora sunt priùs nota via originis, vel generationis. Quod probatur, quia sicut diuersæ formæ perficientes idem perfectibile, ordine quodam natæ sunt mediatiùs & immediatiùs informare illud, vel perficere: ita si eadem forma contineat in se virtualiter perfectionem illarum formarum ordinatarum, quasi consimili ordine naturæ, perficiet illud perfectibile. Sicut si forma corporis substantiæ, &c. essent aliæ formæ in aliquo,

aliquo, per prius informaret forma substantiæ, & deinde forma corporis, &c. ita si vna forma includat virtualiter omnes illas, ipsa quasi priùs perficiet materiam sub ratione substantiæ, quàm sub ratione corporis, & semper in illa via generationis imperfectius erit prius, quia proceditur à potentia ad actum: ergo sicut conceptus plures communiores, & minùs communes habituales, vel virtuales, nati sunt perficere intellectum via generationis, vel originis, ita quòd imperfectior semper priùs: ita si vnus conceptus virtualiter includit omnes istos, priùs perficiet sub ratione conceptus prioris, & vniuersalioris, quàm sub ratione conceptus particularis, hoc de ordine originis, siue generationis.

com. 17. materia primò recipit formas vniuersales, & sic deinceps.

COMMENTARIVS.

1. *Quid sit primo notū habitualiter.*

Qvantum ad notitiam habitualem. Hæc litera patet vsque ibi: *Quantum ad istam notitiam habitualem*, & satis patet litera. Dicuntur autem habitualiter, siue virtualiter nota, ex hoc, quòd includuntur in primo intellecto, & dicitur primum intellectum (in proposito) illud, quod per se intelligitur: ita quòd intellectio præcisè terminatur ad illud, & nullo modo ad inclusum. Sed quia habita notitia confusa, puta hominis, tunc inclusa, siue partes essentiales illius dicuntur intelligi: non actu, quia tunc intellectio actu terminaretur ad illud, & tunc esset per se intellectum; sed intelligitur habitualiter, eo quòd est actu intelligibile, quia scilicet in potentia propinqua ad intelligi, non quòd actu intelligatur. Et sic magis vniuersale, est primò cognitum habitualiter minùs vniuersali, semper stando in cognitione habituali.

2. *Difficultas.*

Nota tamen de cognitione habituali, & virtuali, quia posset fieri difficultas. Si ens, inquantum ens, est primò cognitum habitualiter, & virtualiter, ergo erit aptum priùs cognosci actualiter, & sic ordo distinctè concipiendi, erit prior ordine confusè concipiendi: sicut etiam forma, quæ est apta priùs perficere materiam, etiam actu priùs perficit.

Solutio.

Dico, quòd non sequitur, quòd ens priùs cognoscatur: nam ex quo Doctor tantùm loquitur de cognito habitualiter, & virtualiter distincto contra cognitum actualiter, qualem ordinem habet aliquid in se, talem habet respectu cuiuscunque: sicut dicimus quòd homo priùs constituitur per ens, deinde per sustantiam, & sic descendendo; ita homo in intellectu talem habebit ordinem, quòd quando præsentatur intellectui in cognitione actuali, sic perficit intellectum secundùm istud *esse* quod habet in se: ergo priùs est in intellectu perficiendo, vt ens, secundò vt substantia, & sic descendendo. Et intelligo non perficiendo formaliter: sed tantùm obiectiuè: vnde qualis est ordo inter aliqua, vbi realiter distinguuntur, talis est vbi non distinguuntur realiter: vt patet à Doctore *in 1. dist. 1. & in Quodlib.* vbi ergo plures formæ realiter distinguuntur, vt vegetatiua, sensitiua, & intellectiua, quæ realiter distinguuntur, talis est ordo inter illas: sic quòd vegetatiua priùs perficit, deinde sensitiua, & vltimò intellectiua: ergo vbi in vna forma sunt idem realiter, & virtualiter, ibi continentur, vt in intellectiua. Adhuc secundùm rationem talis est ordo, quòd intellectiua intelligitur priùs perficere, vt vegetatiua, quàm vt sensitiua, & pòst intelligitur perficere vt sensitiua, & postremò vt intellectiua.

Plures formæ realiter distinguuntur.

Et sic quantò communiora, tantò sunt priùs nota intellectui nostro: licèt pro statu lapsus sit oppositum. & non debet intelligi quòd actualiter sic sit, sed aptum natum esset sic esse ex parte obiectorum, sed pro statu isto repugnat intellectui ordo ille, &c.

Sed ad rationes, quas facit Doctor, probando quòd species specialissima est primum cognitum loquendo de cognitione confusa actuali, respondet quidam nouus expositor S. Thom. in libro, qui intitulatur de *Ente, & essentia.*

3. *Thom. Caiet. nititur s. luere rationes Doctoris. Responsio ad primum.*

Ad primum dicit, quòd perfectissimus conceptus est conceptus entis, in quem possunt huiusmodi agentia naturalia. Et cùm dicitur à Doctore quòd tunc non posset producere conceptum specificum, cùm ille sit perfectior. Respondet, quòd nulla virtus potest in perfectiorem effectum suo effectu perfectissimo simpliciter: quælibet tamen virtus potest in effectum perfectiorem suo perfectissimo effectu, in quem potest pro aliquo priori, quia ille non est perfectissimus, nisi secundùm quid. Exemplum, virtus generatiua leonis non potest in perfectiorem effectum, quàm sit leo: potest tamen in effectum perfectiorem illo, quem producit in principio actionis, qui tamen effectus fuit perfectissimus, quem pro tunc posset producere.

Responsio ad secundum.

Ad secundum argumentum respondet, quòd termini Metaphysicales, vt sic, non ponuntur à nobis primò cognosci: sunt enim termini Metaphysicales abstracti abstractione formali, & secundùm istum, *abstractio formalis* est, quâ formæ abstrahitur à subiecto, vel à materia, & *abstractio totalis* est, quâ totum vniuersale abstrahitur à partibus subiectiuis. Secundùm primam abstractionem quantitas abstrahitur à materia sensibili, & secundùm secundam abstractionem animal abstrahitur ab homine & leone: & sic dicit quòd ens quandoque habet abstractionem formalem, quando scilicet cum præcisione cæterarum rationum genericarum, & specificarum accipitur, & quandoque habet abstractionem totalem: quando scilicet vt totum vniuersale potestate includit cætera genera, & species.

Responsio ad tertium.

Ad tertium respondet, quòd non oportet in quacunque formatione conceptus specifici semper singillatim præformare conceptum confusum entis, sed sufficit ens primò omnium fuisse cognitum: in illis enim omnia virtualiter concipiuntur.

Vlteriùs dicit, quòd non oportet tantùm ipsis interesse, quia non est ordo essentialis inter conceptus confusos. & quòd non sit talis ordo 4.

ordo essentialis (vt Scotistæ videntur tenere) probat, quia quando sunt aliqui conceptus essentialiter ordinati, ordine originis, impossibile est extremos generari, non genitis intermediis: sed experimur nos concipere hominem, & substantiam, & tamen intermedia ignoramus, non solùm distinctè, sed etiam confusè: ergo. Et dicit, quòd Scotistæ non possunt soluere hanc rationem. Et si contra illam rationem arguatur, scilicet si non est ordo essentialis inter conceptus confusos actuales superioris, & inferioris: ergo ita potest primò generari conceptus speciei specialissimæ, sicut entis, quod est contra eos. Dicit, quòd licèt non sit ordo essentialis inter omnes alios conceptus inter se præter conceptum entis, est tamen ordo essentialis inter conceptum entis, & inter omnem alium conceptum: & sic oportet priùs ens concipi, quo concepto possunt alia concipi.

Caietanus contra Scotum.

Deinde dicit contra Doctorem quòd ens, & quodlibet simpliciter simplex, potest cognosci cognitione confusa actuali: & antequam probet, præmittit quòd non est de ratione cognitionis distinctæ actualis, quòd obiectum cognoscatur per resolutionem in partes rationis, sed sufficit quòd obiectum penetretur ab intellectu secundùm omne, quod actualiter in illo inuenitur, siue hoc fiat per resolutionem obiecti in partes rationis; siue fiat ex claro intuitu obiecti simplicis. Similiter non est de ratione cognitionis confusæ actualis, quòd intellectus intelligat obiectum secundùm aliquid, & secundùm aliquid ignoret: sed sufficit quòd intellectus feratur in obiectum, & non penetret eius actualitatem: quo præmisso probat intentum, & ratio sua stat in hoc, quòd quando intellectus fertur in ens actualiter, & nescit ipsum separare à substantia, & accidente, cognoscit ipsum confusè: sed hoc patet per experientiam, quia videmus multos per plures annos exercitatos in studiis, adhuc nescire distinguere rationem propriam entis à substantia, & accidente. Et addit quòd ex quo conceptus actualis confusus entis est conceptus imperfectissimus omnium: ergo est prius via originis: patet, quia imperfectiora sunt priora viâ generationis ex 9. Met. text. com. 15.

Perfectio cõceptus est duplex, scilicet obiectalis, & euidentiæ.

Et si dicatur ad hoc, quòd perfectio conceptus est duplex scilicet obiectalis, & euidentiæ, & ille conceptus est perfectio obiectalis, qui habet obiectum perfectius positiuè: ille autem est perfectio euidentiæ, qui habet obiectum pauciora includens: vt patet in proœmio Met. *lectione secunda*.

Contra hoc arguit, probando quòd conceptus actualis confusus entis sit conceptus imperfectissimus, (loquendo de perfectione euidentiæ) & ratio stat in hoc, quia ille conceptus est ineuidentissimus, sub quo intellectus magis remotus est à cognitione aliorum, quàm sub quocunque alio conceptu: sed intellectus habens conceptum entis, magis distat ab aliorum cognitione, quàm habens quemcunque alium conceptum: patet, quia quando sunt aliqui duo conceptus, quorum vnus actualiter includit alterum, ipse est in proximiori dispositione ad cognoscendum reliquum, quàm è conuerso: modò alij conceptus includunt conceptum entis, & non è contra. Et confirmat hoc per dictum Scoti, qui dicit, quòd pars rationis actualiter intellectæ est satis proxima intellectui: adeò vt proximiùs esse non possit. Et dicit, quòd illud de proœmio Metaphys. scilicet quòd euidentia actualiter penes obiectum, pauciora actu includens non est ad propositum, quia certitudo illa est certitudo obiectalis: sermo autem noster est de euidentia se tenente ex parte intellectus. Ex talibus enim euidentibus, & certis procedit intellectus ad sibi ineuidẽtia & incerta.

Caietanus contra Scotum.

Vltimò arguit contra Doctorem probando, quòd species specialissima non sit obiectum simpliciter confusissimum: & dicit, quòd magis vniuersale, puta genus, est magis confusum, quia plura continet sine ordine: species autem continet partes suas ordinatè: modò prouerbium est, *Vbi pluralitas sine ordine, ibi confusio.* Et si dicatur, quòd genus continet species ordinatè, quia continet eas mediis differentiis, quæ sunt valde ordinata. Arguit contra, quia genus non continet species, & differentias in actu, sed in potentia: vt dicit Porphyr. *cap. de Differentia*; ergo continet eas indistinctè. Tenet consequentia, quia actus est, qui distinguit 7. *Metaph. text. c.* 49. Et sic patet quid dicat iste nouus expositor.

Ochã etiam contra Doct. arguit.

5. Item Ocham *in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 5. arguit contra multa dicta Doctoris. Et primò contra hoc, quòd dicit, quòd *Conceptus Speciei, vel Generis non est simpliciter simplex:* & primò sic arguit: Quando aliquid componitur ex pluribus, partes sunt ibi modo sibi conuenienti: si totum sit realiter, partes sunt realiter: si totum sit ens rationis, & habens actualiter esse compositum, & esse obiectiuum, partes proportionaliter erunt: ergo conceptus speciei specialissimæ non potest esse sine partibus suis, & ita cùm Scotus ponat, quòd conceptus entis est pars: non potest esse conceptus speciei specialissimæ, sine conceptu entis, quod ipse negat.

Secundò arguit: Quando aliqua habent omnes partes simpliciter easdem, sunt simpliciter idem: ergo si conceptus speciei est compositus, habebit easdem partes, quas habet definitio: ergo definitio, & definitum non essent distincti termini, quod Scotus negat *dist.* 2. *quæst.* 2.

Si dicatur, quòd aliter componunt conceptum speciei, & conceptum definitionis, quia in conceptu definitionis sunt in actu; sed in conceptu speciei sunt tantùm potentialiter, & virtualiter.

Contra, quia non dicimus formam facere materiam compositam, eo quòd sit in materia tantùm in potentia, & non in actu: sic in proposito.

Ocham contra Scotum.

Secundò principaliter arguit contra alium dictum Doctoris, scilicet quòd *illud dicitur confusè concipi, quando concipitur, sicut exprimitur per nomen: & distinctè, quando concipitur, sicut exprimitur per definitionem:* innuens, quòd definibile non potest distinctè cognosci sine definitione. Contra: Omne quod concipitur secundùm totum, & secundùm quamlibet partem, distinctè concipitur: sed conceptus definiti est huiusmodi: patet, tum, quia aliqua species non habet definitionem propriè dictam: tum, quia conceptus alicuius speciei est simpliciter simplex: tum, quia communissimum non est semper primum distinctè cognitum: nec etiam communius semper priùs distinctè cognoscitur.

6. Tertiò principaliter arguit contra hoc, quod dicit Doctor quòd *species specialissima, cuius singulare,*

singulare, &c. *Primò cognoscitur*, &c. Sed quia istæ rationes procedunt de singulari, de quo Doctor ad præsens non intendit pertractare: ideò pro nunc omittantur.

Scotus probat quòd species specialissima sit primum cognitum.

Quartò principaliter arguit contra rationes, quas Doctor facit, probando quòd species specialissima sit primum cognitum: & primò arguit contra primam, quia quando accipit, quod *causa naturalis*, &c. aut intelligit quòd causa naturalis producit effectum perfectissimum secundùm numerum; aut secundùm speciem? Si primo modo, falsum est, quia ignis in calefaciendo non producit perfectissimum calorem, quem potest: quia successiuè producit illum. Si secundo modo, aut intelligit de causa totali, aut partiali? Si primo, si est nata producere plures effectus, nullus eorum priùs produceretur, nisi fortè prioritate temporis: quia vnus potest produci in instanti, & alius tantùm successiuè; & productus in instanti erit prior, sed non sequitur, quod sit perfectior: patet per Philosophum 9. Metaph. *quæ sunt priora generatione, sunt imperfectiora*: quod debet intelligi de totali causa ordinata habente plures effectus. Si intelligit de causa partiali, non sequitur quòd producat effectum perfectissimum, in quem potest priùs origine: patet, quia substantia animæ primò causat cognitionem, & postea ista cognitio, & substantia animæ poterunt producere vnam volitionem, quæ est perfectior cognitione prima producta in naturalibus.

Præterea, secundùm Scotum visibile distans priùs intelligitur sub ratione communiori, quàm minùs communi: ergo non semper producitur primò effectus perfectissimus. Si dicatur, quod causæ istæ sunt impeditæ propter improportionem medij,

7. Contrà, quando est aliqua causa productiua multorum effectuum, ita quòd quæcunque sufficiunt ad productionem vnius effectus: puta *A*, & non alterius, puta, *B*. & tunc *A*. & *B* si simul producantur, priùs natura producitur *B*, quàm *A*. quia prius naturâ secundùm Philosophum 5. Metaph. & secundùm eos, est illud quod potest esse sine alio, & non èconuerso: ergo non potest produci conceptus speciei specialissimæ, nisi producatur conceptus communior: sed èconuerso potest secundùm eos, quando obiectum improportionaliter existit: ergo priùs naturâ producitur conceptus communior. Si dicatur, quòd conceptus speciei specialissimæ potest produci sine conceptu communiori. Contrà, si conceptus ille sic excedens non simul causaretur, hoc erit propter defectum intellectus agentis, aut possibilis, aut speciei intelligibilis: non propter defectum intellectus agentis, vel possibilis, quia semper vniformiter se habent; nec speciei intelligibilis, scilicet vniuersalis, quia quæro, à quo causaretur illa species illius vniuersalis: & non potest dari, nisi intellectus agens, & singulare: vel species singularis, vel natura communis: quæ omnia sunt præsentia, & sufficienter approximata quandocunque generatur species rei singularis. Hoc confirmatur, quia si primò non habetur conceptus entis, & postea habetur, tunc erit tempus medium inter productionem conceptus speciei specialissimæ, & productionem conceptus entis. Et quæro de illo tempore, aut sit aliqua mutatio, aut nulla? si nulla, non est maior ratio quòd ageret post illud tempus medium, quàm in illo tempore medio; si aliqua mutatio, non potest dari terminus talis mutationis: quia nec species, nec actus intelligendi, vt patet.

Item arguit contra hoc, quod dicit Doctor *quòd conceptus perfectissimus, in quem possunt esse conceptus speciei specialissimæ*, ipse probat, quòd conceptus singularis sit perfectior. Sed quia Doctor priùs præmisit velle tantùm loqui de magis, & minùs vniuersali, & non de singulari: ideò hæc argumenta Ocham, quæ probant de singulari ad præsens omitto, cùm non sint conclusionem Doctoris. 8.

Contra secundam rationem Doctoris arguit Ocham, & probat: posito quòd termini Metaphysicales sint priùs noti terminis aliarum scientiarum: ex hoc non sequitur, quòd Metaphysica ordine doctrinæ sit prior aliis scientiis: quia scientia Metaphysicalis est de complexis: quæ complexa sunt posterius nota ordine doctrinæ: quia non semper sequitur, quòd si termini sint priùs noti, quod complexa ex illis terminis sint priùs nota: patet, quia isti termini, *corpus celeste*, *astra*, & *paritas*, & *imparitas*, & huiusmodi, sunt manifestè noti: & tamen istud complexum, *astra sunt paria*, non potest euidenter cognosci.

Ocham contra secũdam rationem.

Præterea, Metaphysica non tantùm est de compositis: sed etiam est de substantiis separatis, quæ sunt posteriùs notæ secundùm istos: ergo etsi Metaphysica non esset vltima ordine doctrinæ, quantùm ad illam partem, quæ est de complexis compositis ex terminis communibus: tamen posset esse vltima, quantùm ad illam partem, quæ est de substantiis separatis.

Contra tertiã rationem.

Contra tertiam rationem arguit: tum, quia æquè concluderet magnum tempus, si conceptus speciei specialissimæ primò producitur, antequam deueniatur ad conceptum entis. Tum, quia dicerent alij, quòd simul (saltem tempore, quamuis non naturâ) producerentur conceptus entis communissimi, & conceptus speciei specialissimæ.

Deinde arguit contra secundum articulum, in quo ponitur quòd ens necessariò est primum distinctè cognitum, primitate originis: & dicit quòd est simpliciter falsum, quia ex quo conceptus entis non est de essentia speciei specialissimæ, cùm talis conceptus non sit aliquid reale, sed tantùm in intellectu: sed species specialissima est res extra intellectum: ergo talis species potest distinctè concipi, sine conceptu entis.

Præterea. Ita ens prædicatur in quid de Deo, sicut & de creatura: ergo sicut Deus potest distinctè cognosci, sine cognitione entis, ergo similiter & creatura, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio: quòd autem Deus sic possit cognosci (& hoc loquendo de cognitione intuitiua) patet, quia in re est simpliciter simplex, & sic in re aut totaliter ignoratur, aut totaliter cognoscitur. Cognitio autem intuitiua non est respectu alicuius conceptus. Item, aliquod sensibile distinctè cognoscitur à sensu, sine cognitione entis: ergo sic similiter, & ab intellectu, cùm sit potentia superior, & perfectior. Vltimò arguit contra tertium articulum. Sed quia rationes illæ procedunt ex malo intellectu cognitionis virtualis, & habitualis: & vltrà, quia ex illa parua glossa, quam ibi feci, facillimè solui possunt (prolixitatem vitando) illa argumenta prætereo. Multi etiam alij arguunt contra positionem Scoti in hac materia: sed quia eorum argu- 9.

argumenta, vel coincidunt cum argumentis, & responsionibus istorum; vel si quid addant, facillimè solui potest per easdem responsiones, vel expositiones ad argumenta istorum, illa ideò relinquo.

Soluuntur rationes Th. Caiet.

Nunc soluenda sunt dicta istarum opinionum. Et primò ad illum nouum expositorem S.Thomæ. Quando ergo, respondet ad primum argumentum Scoti de causa naturali, &c. Dico quòd argumentum Doctoris est euidens. Et quando dicit, quòd causa naturalis producit effectum perfectissimum pro illo tempore, quo producit illum, non tamen perfectissimum simpliciter: quia pro alio tempore potest producere perfectiorem, vt patet de virtute actiua respectu leonis. Dico (vt suprà dixi) quòd Doctor loquitur de causa naturali, nullo modo impedita, & perfecta, quantùm ad hoc: quòd non prærequirit aliquam dispositionem præuiam: sed quòd immediatè possit attingere terminum principaliter intentum, cuiusmodi est in proposito de causis naturalibus, respectu intellectionis: sic enim intellectus, & obiectum, siue species intelligibilis obiecti, sunt causæ perfectæ, quòd nulla præuia dispositione posita, & amoto quocunque impedimento, statim attingunt perfectissimam intellectionem obiecti, quam possunt habere: non enim cognitio magis vniuersalis est dispositio præuia requisita ad cognitionem minùs vniuersalis (loquendo de cognitione confusa) & sic patet quòd illæ causæ si in primo instanti, quo sunt sic vnitæ, non producunt conceptum perfectissimum: pro nullo alio tempore possunt producere ipsum. Et quod dicit de virtute actiua leonis, non est ad propositum: quia si virtus actiua leonis esset causa ita perfecta respectu sui effectus principaliter intenti, sicut est obiectum perfectè præsens intellectui, vel in se, vel in specie intelligibili, subitò attingeret leonem, sicut etiam obiectum intellectionem: sed quia virtus actiua leonis est valde imperfecta, ideò priùs attingit multas dispositiones præuias, quæ sunt effectus imperfectiores.

Ad secundam rationẽ.

10. Ad secundam responsionem, quam dat ad secundum argumentum Doctoris, dico, quòd illa responsio non euacuat rationem, quia siue loquatur de abstractione Metaphysicali formali, siue totali, non videtur respondere ad rationem Doctoris. Si enim Metaphysica est posterior ordine doctrinæ, quantùm ad cognitionem complexorum, erit etiam posterior quantùm ad cognitionem incomplexorum, qualitercunque illa incomplexa abstrahantur, vt patet intuenti: & responsio facta ad istam secundam rationem, patet quomodo parum concludit, ex superiùs declaratis. vide ibi.

Et quando dicit, quòd termini Metaphysicales, vt sic, non ponuntur primò cognosci, (supple vt sunt abstracti abstractione formali) sed quòd significatum huius termini *ens* concretum quiditate sensibili est primò cognitum. Ex hoc videtur magis stare ratio Doctoris, qui tantùm loquitur de terminis Metaphysicaliter conceptis, qui sunt termini abstracti à sensibilibus: quia illi termini posteriùs cognoscuntur.

Cùm verò iste expositor dicit, quòd ens non in se, sed vt concretum quiditate sensibili est primò cognitum. Tunc quæro ab eo, aut tale ens dicit conceptum distinctum à quiditate sensibili, aut eundem conceptum, quem dicit quiditas sensibilis? Si primò, videtur quòd conceptus entis, vt sic, sit abstractus à quiditate sensibili: & sic stat argumentum Doctoris. Si secundò, tunc quærendum est de illa quiditate sensibili: & manifestum erit quòd species specialissima quiditatis sensibilis, cuius singulare fortiùs mouet sensum, erit primò cognita cognitione confusa, & primitate originis. Si verò intelligat, quòd ens concretum quiditate sensibili, sit tantùm ens sensibile, ita quòd ens sensibile est primò cognitum: sequitur, quòd illud ens sensibile erit primò cognitum, cuius singulare fortiùs mouet sensum: & si singulare alicuius speciei specialissimæ fortiùs mouet sensum, sequitur quòd species specialissima erit primò cognita confusè.

Ad tertiam responsionem, ex dictis suprà patet, quòd nihil facit ad argumentum Doctoris. 11.

Ad illud, quod dicit de ordine essentiali originis, antequam respondeam præmitto aliqua. Primò, quòd ordo essentialis originis inter conceptus confusos potest dupliciter intelligi: aut inter res conceptas confusè; aut inter conceptus confusos, quibus illæ res concipiuntur. Exemplum primi: *homo*, *animal*, *sensibile*, *viuens*, *corpus*, & *substantia*. Exemplum secundi. *cognitio hominis*, *cognitio animalis*, & sic deinceps. Secundò præmitto, quòd dicit Doctor *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. quòd idem dicitur priùs, & posteriùs generari secundùm aliam, & aliam realitatem: quia Franciscus priùs origine dicitur ens, deinde substantia, deinde corpus, & sic deinceps. Tunc dico ad rationem istius, quòd accipiendo ordinem essentialem originis primo modo, extrema non possunt generari, intermediis non generatis, quòd enim Franciscus dicatur generari secundùm substantiam, & secundùm humanitatem, & quòd simul non sit genitus secundùm animalitatem, corporeitatem, & huiusmodi, est impossibile, quia vbi est talis ordo, est impossibile haberi posterius sine priori.

Si verò intelligat, quòd vbi est talis ordo, extrema non possunt concipi, intermediis non conceptis. Dico, quòd hoc potest habere duplicem sensum. Primò sic, quòd Franciscus intelligatur, vel concipiatur generari secundùm substantiam, & secundùm suum *esse* vltimatum: & quòd non intelligatur generari secundùm alia intermedia, hoc fortè importat difficultatem.

Secundò sic: quòd extrema, puta substantia, & homo; non possint absolutè concipi intermediis non conceptis: hic sensus est falsus, quia contingit concipere hominem, & substantiam, non concipiendo ipsum esse animal, vel viuens. Et patet quòd hic non est ordo essentialis originis, sic, quòd conceptio hominis confusa essentialiter dependeat à conceptione animalis.

Extrema possunt concipi, non conceptis intermediis.

Si verò intelligatur ordo essentialis inter conceptus confusos, secundò modo sumptos, scilicet inter cognitiones confusas superioris, & inferioris. Dico, quòd non inueni à Doctore quòd inter tales conceptus confusos sit ordo essentialis originis: & sic stat, quòd extremi conceptus possunt haberi, intermediis non habitis. Benè verum est, quòd loquendo de conceptibus distinctis, inter illos est ordo essentialis originis: quia homo non potest distinctè concipi, non conceptis omnibus superioribus: & ita non potest homo distinctè concipi, ita quòd distinctè concipiatur quod ens 12.

Inter conceptus distinctos est ordo essentialis.

ens est, nisi omnia intermedia concipiantur, vt patet.

Dico etiam, quòd posito quòd sit ordo essentialis originis inter conceptus confusos, secundo modo dictos, hoc debet intelligi quantùm ad *produci*: quia (vt dicit Doctor) si ponatur vna species intelligibilis eadem respectu speciei specialissimæ, & omnium superiorum: illa species vnà cum intellectu priùs origine causat cognitionem confusam, puta albedinis: & posteriùs origine causat cognitionem confusam coloris, & sic deinceps: & sic est ordo essentialis originis inter huiusmodi cognitiones, qualis potest esse inter plures effectus, ab eadem causa ordinatè productos: & sic istæ cognitiones confusæ ab eadem causa ordinatè producuntur: & tunc negatur, quòd extrema possint haberi, siue produci, intermediis non productis: licèt intellectus, habita cognitione confusa superioris, possit præcisè considerare illud non considerando inferius, vt patuit à Doctore suprà *quæst*. 1. *præsentis distinct*. tamen quantùm ad produci, comparando ad eandem causam, non potest conceptus superioris produci à specie intelligibili alicuius speciei specialissimæ, non producto priùs conceptu confuso speciei specialissimæ, & sic patet ad rationem istam, quæ priùs videbatur sibi omnino insolubilis.

13. *Caietanus in hoc non differt à Scoto.* Ad aliud argumentum, quo probat, quòd ens potest confusè concipi. & primò respondeo ad illud, quod præmittit; nam quando dicit, quòd cognoscere aliquid distinctè est illud cognoscendo penetrare secundùm omnia, quæ sunt in illo. Hoc conceditur, nec in hoc differt à positione Doctoris, quia habeo pro eodem cognoscere hominem penetrando secundùm omnia ipsius hominis; & cognoscere eum secundùm omnes partes eius: non enim possum perfectè penetrare hominem, nisi cognoscam omnes partes essentiales hominis: cognoscere aliquid secundùm omnes partes suas, est ipsum distinctè cognoscere. Tunc ad argumentum respondeo, quando dicit quòd ens confusè cognoscitur ab aliquo intellectu, quando nescit separare ens à substantia, & accidente, &c. Dico primò, quòd Doctor supponit, quòd ens dicat distinctum conceptum, alium à substantia, & accidente: vt suprà exposuimus *quæst*. 1. *præsentis distinct*. Et sic intellectus cognoscens ens, cognoscit ipsum distinctè. Et cùm dicit, quòd nescit ipsum separare à substantia, & accidente. Hoc falsum est: quia notum est apud intellectum, quòd omnis substantia est ens, non èconttà, & quòd omne accidens est ens, & non èconträ. Credo tamen, quòd ens apud istos possit confusè concipi, quia isti ponunt, quòd ens non dicat alium conceptum à substantia, & accidente: & sic patet argumentum parum concludere.

Cognoscere aliquid secundùm omnes partes quid sit.

14. *9. Met. context. 15. Illa regula Aristot. valet quando illa priora se habent per modum potĕtia & posteriora per modum actus.* Ad aliud, quo probat quòd conceptus entis sit primò cognitus, quia imperfectissimus. Hoc negatur, & cùm probatur ex 9. Metaph. quòd *imperfectiora sunt priora viâ generationis*. Dico quòd hæc propositio habet veritatem in formis eiusdem ordinis, vt patet à Doctore *in quolib. in* 4. in materia de Eucharistia: & vera est quantùm ad *esse*, quia communiter quæ priùs generantur in respectu ad aliquem effectum principaliter intentum, sunt imperfectiora, vt patet in generatione hominis: non enim est absolutè vera, quòd primò genita sint imperfectiora: patet, quia priùs generatur substantia, quàm accidentia, & tamen substantia perfectior. Sic dico, quòd licèt conceptus entis sit imperfectissimus, non tamen sequitur, quòd priùs cognoscatur: non enim valet, substantia est prior generatione accidente: ergo à nobis priùs cognoscitur: imò èconttra priùs accidentia cognoscuntur.

Si dicatur, quòd quando perfectum, & imperfectum comparantur ad eandem causam, imperfectum priùs generatur. Cùm ergo cognitio entis sit imperfectior cognitione hominis, sequitur quòd species intelligibilis hominis priùs origine causabit cognitionem entis. *Obiectio.*

Dico, quòd quando imperfectum, & perfectum sic comparantur ad eandem causam, quòd imperfectum sit dispositio præuia ad perfectum, imperfectum priùs generatur, vt patet in generatione hominis, cuius priùs generatur sanguis, deinde caro, &c. sed cognitio entis non prærequiritur, vt dispositio præuia ad cognitionem hominis, vt suprà dixi: ergo: Nec est multùm necesse hîc distinguere de perfectione obiectali, & de perfectione euidentiæ: quâ etiam distinctione positâ, certum est quòd conceptus entis est perfectior perfectione euidentiæ: & ratio contra hoc parum concludit, quia hîc loquimur de euidentia conceptus in se: & certum est quòd ex quo ens dicit conceptum simpliciter simplicem, statim fit euidens cuicunque intellectui concipienti illum: non sic est de aliis conceptibus includentibus ipsum ens: imò (vt suprà dixi) conceptus entis est simpliciter euidentissimus, cùm tantùm sit cognoscibilis distinctè: & sit simpliciter primum in cognitione aliorum distincta. *Solutio.*

Ad vltimum de cognitione confusa, siue de conceptu confuso. Dico primò, quòd conceptus confusus magis, vel minùs non attenditur principaliter penes hoc, quod est importare partes ordinatè, vel inordinatè: vel magis, vel minùs ordinatè: sed attenditur penes hoc, quòd talis conceptus includit plures per se partes: & sic illud erit magis confusum, quod includit partes in actu, quàm illud quod tantùm in potentia. Si enim inclusio partium est causa quod aliquid dicatur confusum, sequitur quòd vbi est maior, & perfectior inclusio, erit magis confusum: & huiusmodi est inclusio actualis partium. Dicimus enim hominem esse perfectiorem animali: quia plura includit actu, quàm animal: licèt animal plura includat potentia. 15. *Conceptus entis est simpliciter euidentissimus, cum tantum sit cognoscibilis distinctè.*

Si etiam dicatur, quòd inclusio partium sine ordine includit maiorem confusionem, transeat. Et cùm dicit, quòd genus est huiusmodi: negatur, quia includit omnes species ordinatè, secundùm differentias ordinatas, ita quòd non æquè primò includit omnes, vt patet. Et cùm dicit, quòd nulla est ibi distinctio: quia actus est, qui distinguit, &c. Dico, quòd actus est multiplex, scilicet actus formalis, actus entitatiuus, de quibus Doctor *in* 2. *distinct*. 12. *quæst*. 1. & actus obiectiuè, siue obiectalis; & actus, qui importat actualem existentiam: omnes isti actus possunt suo modo distinguere, & sic inter species potentialiter contentas in genere est saltem distinctio *Multiplex actus.* *7. Met. context. 49.*

distinctio obiectiua, siue entitatiua per actum obiectalem, siue entitatiuum. Et est distinctio formalis, quia per differentias; licèt non sit distinctio per actum includentem actualem existentiam: & sic patet ad rationes huius noui expositoris.

16. *Soluuntur rationes Ocham.* Nunc respondendum est ad rationes Ocham. Ad primam, quam facit de causa naturali, dico primò, quòd etiam causa, loquendo de perfectione naturali effectus, si est perfecta & non impedita, statim producit effectum perfectissimum quem potest: & si calor successiuè producat calorem, talis successio accidit propter imperfectionem in causa.

Dico etiam, quòd non est ad propositum: quia fit comparatio causæ ad duos effectus numero distinctos: modò quando calor producit in ligno calorem successiuè, est tantùm vna productio numero: & per consequens tantùm vnum productum numero. Si fieret ergo comparatio inter effectum perfectum, & effectum imperfectum, qui tantùm numero distinguuntur: diceretur quòd causa naturalis priùs origine produceret effectum perfectum, & posteriùs origine effectum imperfectum: licèt fortè casus non admitteretur, posita æquali dispositione ex parte vtriusque effectus: quia vel nihil produceret, vel si aliquid produceret, effectum perfectiorem produceret. In proposito, non fit comparatio causæ ad duos conceptus, solo numero differentes.

Et cùm dicit, aut attenditur ista perfectio specificè, & non numeraliter, ita quòd causa eadem comparetur ad plures effectus speciè distinctos, vel saltem plusquam numero: quia propriè cognitio hominis, & cognitio animalis non distinguuntur specie, quia nec obiecta: nisi accipiendo cognitionem specificam impropriè sumptam. Sed quicquid sit an huiusmodi cognitiones specie distinguantur, aliàs pertractabitur. *Cognitio hominis & animalis nō propriè specie distinguūtur.* Cùm quærit, aut est causa partialis respectu illorum, aut totalis? Si partialis, illa posteriùs origine potest producere effectum perfectiorem: patet de substantia animæ, quæ priùs producit cognitionem sui: & ipsamet cum cognitione partialiter producit volitionem sui, & quæ est perfectior cognitione. Dico, quòd hoc non est multùm ad propositum: tum, quia si essentia animæ sit partialis causa cognitionis sui: non tamen ipsa sub eadem ratione formali est partialis causa volitionis sui: quia non ponitur obiectum aliquod in se esse causam alicuius volitionis: licèt fortè cognitio talis obiecti posset esse causa, sustinendo quòd voluntas non sit totalis causa volitionis suæ, de quo patet *in 2. d. 15.* Dico etiam, quòd etsi substantia animæ inquantùm intellectus, sit causa cognitionis, tamen ipsa inquantùm intellectus, non est causa, nec totalis, nec partialis volitionis: vt patet à Doctore in pluribus locis: præsertim *in 1. distinct. 2. 7. 10. in 2. dist. 26. & alibi.*

17. Dico tertiò, quòd (vt dixi) causa naturalis perfectè disposita producit effectum perfectissimum, quem potest: vbi autem requirit aliquam dispositionem, priùs producit illam: & tunc dico, quòd licèt substantia animæ possit comparari secundùm istum ad cognitionem, & volitionem, vt ad duos effectus, specie distinctos: tamen non est æqualiter disposita respectu vtriusque: quia ad volitionem alicuius obiecti semper prærequiritur cognitio eiusdem, vt dispositio, siue, vt causa *sine qua non*: vt patet à Doctore *in 2. d. 25.* In proposito autem causæ naturales agentes cognitione, quando non sunt impeditæ, non prærequirunt aliquam dispositionem positiuam, vt suprà exposui; & sic patet, quid dicendum sit de specie intelligibili speciei specialissimæ. *Causæ naturales agentes cognitione, quando non sunt impeditæ, non prærequirunt aliquam dispositionem.* Si ponatur quòd sit partialis causa cognitionis speciei, & cognitionis superiorum: quòd ipsa priùs origine producit cognitionem speciei specialissimæ, vt partialis causa. Et quod dicit de causa totali, hoc idem dico.

Et cùm dicit, quòd non est maior ratio de vno quàm de alio. Hoc indiget probatione. Cùm verò dicit, quòd quando comparatur ad duos effectus, specie distinctos: ita quòd vnum priùs origine producit, & aliud posteriùs origine. Verum est, si vnum est producibile in instanti, & aliud successiuè. Hæc omnia indigent probatione. Oporteret enim probare, quòd si vna causa, puta Sol, potest producere plures effectus specie distinctos successiuè, quòd priùs non posset producere perfectiorem, quàm imperfectiorem.

Et quod dicit de Philosopho, quòd priora generatione sunt imperfectiora. *Priora generatione sunt posteriora perfectione, quando.* Hoc verum est, vt comparantur ad agens, quod non potest immediatè attingere effectum principaliter intentum: ideò oportet ipsum priùs producere dispositiones præuias: & ideò priora in tali generatione sunt imperfectiora effectu principaliter intento. Vt verò comparantur ad agens, quod non requirit dispositionem præuiam respectu effectus principaliter intenti, non est verum quòd effectus imperfectior sit prior generatione.

Ad aliud de visibili distanti dico (vt ibi dicitur) quòd ideò visibile distans priùs causat cognitionem communioris: quia non est perfectè proportionatum. 18. Exempli gratiâ: posito quòd à longè videatur, puta aliquod indiuiduum coloris, tale indiuiduum causat similitudinem coloris in potentia sensitiua: & talis species sensitiua causat phantasma in phantasia, quod repræsentat indiuiduum coloris cum conditionibus materialibus: & illud phantasma causat partialiter in intellectu possibili, speciem intelligibilem coloris, repræsentantem colorem, in ratione obiecti intelligibilis: & talis species partialiter causat conceptum perfectissimum, quem potest: & sic priùs origine causat conceptum coloris, quàm conceptum qualitatis. Si verò tale visibile esset debitè proportionatum potentiæ visiuæ, ita quòd causaret speciem sensibilem repræsentantem, puta hanc albedinem, tunc primum cognitum esset species albedinis.

Et quando arguit contra de illa improportione, & quod dicit, quòd non potest haberi conceptus speciei specialissimæ sine conceptu superiori: negatur hoc, quando sensibile est perfectè proportionatum. Et cùm arguit contrà, quærendo quæ requiruntur ad causandum conceptum superioris, vt entis? Dico breuiter, quòd per quamcunque speciem intelligibilem alicuius speciei specialissimæ, potest haberi conceptus entis. Et si ponantur distinctæ species intelligibiles respectu superioris, & inferioris. Dico quòd phantasma cuiuscunque singularis speciei specialissimæ, potest causare speciem intelligibilem speciei specialissimæ, & omnium superiorum, vt suprà exposui.

Ad rationem factam contra secundam rationē 19.

Doctoris

Doctoris, patet quòd ratio Doctoris est euidens. Et quando dicit Ocham quòd Metaphysica est de conceptibus complexis, admittitur. Cùm addit quòd aliquando complexa erunt posteriùs nota, licèt termini sint prius noti: vt patet de astris, & paritate, & imparitate. Dico quòd aut loquimur de propositionibus per se notis: aut de propositionibus non per se notis, sed de conclusionibus deductis. Si de propositionibus per se notis, dico quòd ordine doctrinæ sunt posteriùs notæ in Metaphysica: & similiter termini earum sunt posteriùs noti, quàm in aliis scientiis: & patet de ista propositione: *omne totum est maius sua parte:* quæ est nota Metaphysico, terminis distinctè conceptis, sed priùs nota in alia scientia, terminis confusè conceptis: & tunc dico, quòd si termini distinctè concipiantur à Metaphysico, statim ille habebit propositionem per se notam: si sunt tales termini, ex quibus posset componi propositio per se nota: & sic, si ista propositio esset per se nota: *astra sunt paria:* statim notis terminis, distinctè esset Metaphysico per se nota: & habitis principiis per se notis ex terminis, distinctè conceptis, statim potest habere euidentiam propositionum virtualiter contentarum in illis. Cùm ergo ordine doctrinæ sit prior cognitio confusa terminorum, cognitione distincta eorum: patet quòd ratio Ocham nihil concludit contra rationem Doctoris.

De substantiis separatis tantum habentur conceptus communes nobis & illis.

Ad illud de substantiis separatis, hoc minùs concludit: quia de substantiis separatis, tantùm habentur conceptus communes illis, & nobis: & non habetur aliquis conceptus proprius incomplexus: vt suprà patuit. Nec est intētio Auicennæ quòd Metaphysica dicatur vltima in ordine doctrinæ respectu substantiæ separatæ: sed simpliciter, & absolutè dicitur vltima.

20. Ad aliud quod facit contra tertiam rationem, in qua Doctor dicebat quòd si priùs causaretur conceptus entis, quòd requireretur magnum tempus ad habendum conceptum speciei specialissimæ. Et dicit Ocham, quòd idem sequeretur, quòd si priùs causaretur conceptus speciei, requireretur magnum tempus antequam haberetur conceptus entis: quia oporteret transire per omnia media. Dico quòd non est simile, quia facilius est habita cognitione inferioris, quòd habeatur cognitio superioris, quàm ècontra: nam cognitâ substantiâ, oportet multas facere diuisiones, antequam deueniatur ad cognitionem, puta hominis, non autem ècontra. Similiter cognito aliquo toto, in quo plures partes includuntur, facilius est cognoscere omnes illas partes: quàm cognita aliqua parte, cognoscere aliquod totum: tum etiam, quia notitia inferioris potest esse causa notitiæ superioris: quia tale inferius est perfectius, & essentialiter continet superius, vt suprà dixi *in quæst.* 1. *præsentis distinct.* cognitio autem superioris, non potest esse causa cognitionis inferioris: cùm superius nec essentialiter, nec virtualiter contineat entitatem inferioris. Cognito ergo, quòd sit necesse transire per eadem media, à cognitione speciei specialissimæ ad cognitionem entis, & ècontra: tamen maius tempus incomparabiliter requiritur transeundo à conceptu entis, ad conceptum speciei specialissimæ, quàm è contra.

21. Dico etiam, sustinendo quòd sit eadem species intelligibilis speciei specialissimæ, & omnium superiorum: quòd per eandem speciem, facilius est transire à cognitione speciei specialissimæ, ad cognitionem entis, quàm ècontra, vt patet intuenti.

Posito etiam quòd sit alia species intelligibilis speciei specialissimæ, & quòd quodlibet superius habeat speciem intelligibilem propriam: adhuc patet quòd facilius est, habita cognitione speciei specialissimæ (includentis essentialiter omnia superiora) transire ad conceptum entis, quàm habita cognitione entis per speciem intelligibilem ipsius, transire ad cognitionem speciei specialissimæ, cùm ens nullum inferius includat, nec virtualiter nec essentialiter: & sic patet quomodo ratio Ocham non concludit.

Ad vltimum quod facit contra secundum articulum principalem, in quo Doctor dicit quòd *necessariò primum cognitum cognitione distincta est ipsum ens.* Et Ocham intendit probare quòd species specialissima possit distinctè concipi, sine conceptu entis: sed hoc negaretur à Doctore. Et cùm probat, illud potest distinctè quiditatiuè cognosci, non cognito illo, quod non est de quiditate illius: hoc concedit. Et cùm addit quòd ens non est de quiditate speciei specialissimæ, negatur.

Cùm probatur quòd species specialissima non habet esse extra animam, sed ens tantùm in anima: hoc habet probare, quia, vt infrà patebit, ipsum ens est de intrinseca ratione cuiuscunque creati, & dicit conceptum realem, vt infrà patebit, *præsenti d.* & *d.* 8.

Et quando dicit, quòd Deus potest distinctè cognosci (loquendo de cognitione intuitiua) quæ terminatur ad rem existentem inquantùm existens, vt dicit Scotus, ergo similiter & creatura. Dico primò, quòd non est simile de Deo, & creatura: quia ens non est de intrinseca ratione Dei, cùm conceptus entis sit simpliciter posterior: est autem de intrinseca ratione creaturæ: & de hoc vide suprà ea quæ dixi *in d.* 2. *q.* 1. exponendo illud argumentum, quo probatur quòd non possunt esse simpliciter duo necesse esse. 22.

Ens non est de intrinseca ratione Dei, sed creaturæ.

Dico secundò, quòd posito quòd conceptus entis sit superior Deo, & de intrinseca ratione eius: dico quòd in cognitione abstractiua, Deus non posset distinctè cognosci, non cognito conceptu entis: & hoc idem dico de creatura. Et cùm dicit de cognitione intuitiua, non est multùm ad propositum: quia in tali cognitione, illud dicitur distinctè cognosci, quando cognoscitur secundùm perfectam existentiam. Supponitur autem quòd conceptus entis abstrahat ab omni existentia, & si ad huiusmodi cognitionem intuitiuam requiritur, tunc cognoscitur inquantum actu existens.

Ad illud quod dicit Ocham contra Doctorem de conceptu simpliciter simplici, probando quòd species specialissima dicat conceptum simpliciter simplicem, patet responsio: quia *conceptus speciei*, accipitur pro re conceptibili, quæ est composita ex pluribus realitatibus conceptibilibus. Et concedo, quòd sicut entitas speciei specialissimæ habet *esse* præter operationem intellectus, ita & omnes partes illius: & eo modo quo habet *esse* eodem modo, & partes. Et hæc omnia clariùs habent videri *infrà distinct.* 8. Ad aliud quod dicit contra Doctorem, de confusè & distinctè concipi

concipi: vbi probat quòd species specialissima potest concipi distinctè sine definitione: hoc patet esse falsum: & probationes, quas facit, sunt manifestè falsæ, vt patet intuenti, & sequenti doctrinam subtilissimi Doctoris.

23. *August. Suess. in sua metaphys.* Quidam nouus expositor Philosophi arguit contra Scotum de primitate cognitionis. Et primò sic recitat positionem Scoti dicens: Scotus *in prima dist.* 3. ponit quòd via originis in cognitione confusa semper minùs vniuersale priùs occurrit intellectui: & hoc, quia illius singulare fortiùs mouet sensum. Modò ex hac eorum diuisione habetur, quòd semper singulare magis vniuersalis fortiùs mouet sensum: tam in proxima, quàm in remota distantia, vt patet. Etiam habetur, quòd via originis magis vniuersale priùs nobis occurrit, quia asserunt illud esse confusius. *Aliquid potest cognosci tribus modis.* Noui verò quidam eorum dicunt: & est opinio Scoti *in primo, dist.* 3. quòd aliquid potest cognosci tripliciter. Aut actu, vt quando actu attingitur terminando, vel mouendo actu intellectum: qua via diceremus eum, qui ipsum hominem contemplatur actuali cognitione, cognoscere hominem; aut habitu, vt si nondum cognitum sit, sed de proximo cognosceretur, nisi accidat impedimentum, vt qui actu contemplatur animal, habitu ipsum ens contemplari dicetur: quia dum contemplatur animal, est in proxima dispositione ad cognoscendum ens, nisi aliquid impediat. Aut potestate, vel virtute: quo modo, qui actu aliquod totum intelligeret, vt definibile, potestate, & virtute omnes illius partes intelligit. Ex quorum positione eliciuntur conclusiones tales, videlicet

24. *Prima conclusio. Quid sit primum cognitum à nobis.* Prima conclusio: loquendo de cognitione actuali, & in via generationis, & in cognitione confusa: prius cognitum, siue id, quod priùs nobis occurrit, est species specialissima, cuius singulare fortiùs mouet sensum, & hoc supponendo singularia non per se cognosci à nobis. Hanc probant primò per Achillem eorum, quia agens naturale approximatum passo, &c.

Secunda conclusio. Secunda conclusio: loquendo de cognitione habituali, siue virtuali, primum cognitum est ens, & semper magis vniuersale prius, quàm minùs vniuersale. Probant, quia perfectiora sunt nata priùs perficere intellectum, quàm perfectiora: igitur post actualem cognitionem alicuius intellectus est magis aptus cadere in cognitionem illius, quod est imperfectissimum: tale est ens, & semper magis vniuersale: igitur cognitione habituali ipsum ens est primum cognitum: & ipsum magis vniuersale minùs vniuersali.

Tertia conclusio. Tertia conclusio: loquendo de via originis, & in cognitione actuali, & distincta, primum cognitum est ens: deinde semper magis vniuersale descendendo: & deducunt, quia distinctè cognoscere est resolutè cognoscere: sed ipsum ens in nihil prius est resolubile: igitur est primum cognitum.

Quarta conclusio. Quarta conclusio: Si loquamur de ordine perfectionis, distinguunt: quia vna cognitio est perfectior alia, aut simpliciter, vtpote illa, quæ est de obiecto perfectiori; aut secundùm proportionem potentiæ ad obiectum, vtpote quando obiectum secundùm plures gradus cognoscibilitatis attingitur. Tunc dicunt, quòd primum cognitum, primitate perfectionis simpliciter est Deus: quia inter omnia entia optimum est Deus: igitur eius cognitio est simpliciter perfectior. Si verò de primitate secundùm proportionem: sic primum cognitum erit magis sensibile, & magis materiale. Loquendo de primitate adæquationis, est ens, vt ens: quia ad ipsum naturaliter ordinatur intellectus, & ad omne contentum sub ipso.

Nunc dicit iste nouus interpres (& verè nouus interpres Philosophi) quòd hæc positio non est Peripatetica: & videtur sibi contraria. Primò, quia si in cognitione habituali, siue virtuali magis vniuersale est prius cognitum: igitur in cognitione actuali. Deduco: quia omne potentialiter tale, quandoque erit actualiter tale: sed per eos in habituali cognitione magis vniuersale est prius cognitum: igitur in cognitione actuali: quia quando habitualiter cognita actualiter cognoscentur, priùs cognoscetur illud, quod potentia erat aptum natum priùs cognosci: aliter ordo esset violentus, & non naturalis. 25.

Secundò, si per eos intellectus est aptus naturaliter perfici prius à minùs perfecto: igitur cùm deducitur ad actum, priùs perficitur à minùs perfecto: & ita semper prius perficietur à magis vniuersali. Consequentia patet, quia omne agens, inducens formam in aliquo subiecto, ita illam inducit, sicut subiectum est naturaliter illius susceptiuum: aliter inductio esset contra naturam subiecti: quia in cognitione actuali illorum semper magis vniuersale erit prius notum. Et sic prima, & tertia conclusio videntur contradicere.

Quòd si dicas, quòd esset ita in actuali vt est in potentiali, si non adesset impedimentum: modò est sibi impedimentum, quia intellectus in intelligendo dependet à sensu: & sensus mouetur ab obiecto ex natura, sub ratione naturæ specificæ, quando est indebita distantia: & ita oportet intellectum moueri à ratione specifica ad conceptum speciei: & ita concedunt, illa intellectui præsentia eo ordine intellectum mouere, quo ordine sunt præsentia, nisi eorum motio ab aliquo sensibili impediantur.

Sed hæc solutio est friuola. Primò, quia non dicitur proximè venturum, quod nunquam tali ordine venit: igitur nunquam dicetur proximè cognoscibile, quod nunquam tali ordine cognoscitur. Sed per eos nunquam illa dispositione impeditiua stante, potest intellectus post cognitionem speciei cognoscere magis vniuersale: igitur illud non videtur proximè cognoscibile: frustrà enim dicitur proximè venturum in aliqua dispositione, si nunquam veniat in tali dispositione: quia stante ipso impedimento, non potest dici proximè præsens. 26. *Friuola solutio.*

Tertiò, per definitionem eorum probo, quòd minùs vniuersale sit primò cognitum, cognitione habituali, quia stante tali impedimento, post cognitionem confusam speciei cognoscitur semper proximum vniuersale speciei: igitur illud dicitur habituali cognitione prius cognitum. Tenet consequentia, quia habitualiter tale est illud, quod est in proxima dispositione ad esse tale (vt ipsi dicunt) quia stante impedimento semper primum cognitum in cognitione habituali erit minùs vniuersale.

Quartò agentia illa naturalia, stante tali impedimento, aut agunt in intellectum, vt ipse est aptus naturaliter pati: vel non. Si non, igitur generatio hæc intellectiua erit violenta: quia fit ab agente

agente passo non conferente vim. Si verò sit in illo, vt ille aptus est naturaliter pati, tunc intellectus esset naturaliter aptus recipere perfectius contra eos, etiam nunc minùs vniuersale est proximum in cognitione habituali: quia iste est ordo receptionis intellectus, vt procedit à minùs vniuersali ad magis vniuersale, quare post conceptum speciei proximum est vniuersale illi immediatum: & sic non possunt euitare contradictionem.

Primo Physi. context. 2. Secundò principaliter: Illud via originis primò cognitione actuali intellectui nostro nobis occurrit, quod est nobis notius, & certius. Hoc patet primo Physic. Via nobis innata est procedere à certioribus nobis: sed magis vniuersale semper est notius minùs vniuersali. Probatur minor ista: quia illud est certius, circa quod sensus, & intellectus minùs contingit errare: sed circa magis vniuersale minùs contingit errare sensus, vel intellectum: quia quoties sensus, vel intellectus errat in magis vniuersali, errat in minùs vniuersali: & non è contra: quia stat errare in particulari, & scire in vniuersali: vt dicitur in lib. Priorum: & patet sensui: quia contingit me errare, quòd Socrates sit homo, non tamen contingit errare quòd sit animal.

27. *Ratio Simplicij.* Item arguo: & est ratio Simplicij primo Physic. Et suppono primò ex consensu omnium Peripateticorum, nihil posse intelligi ab intellectu nostro: quin aut per species accidentis: vel non sine speciebus accidentis intelligatur. Secundò quantò accidens est communius, tantò est certius, quod ipsi concedunt in quæst. de obiecto sensus in solutione ad primum: tamen est Auerroïs 2. de Anima comment. 63. & etiam sensu constat: quia visus potest errare circa album, vel nigrum: potest enim diiudicare aliquid esse album & errare: nunquam autem errabit iudicancando illud esse coloratum, seu visibile. Tertiò suppono, quòd cognitio magis vniuersalis non potest effici in intellectu, nisi per cognitionem accidentium omnium, vel non sine accidentibus communibus: vt sine sensu, voce, loquela, &c. Tunc arguo sic: Illud via originis primò intellectui nostro in cognitione actuali occurrit, cuius accidentia primò via originis cognitione actuali nobis occurrunt: patet hoc ex primo præsupposito: sed cognitio accidentium generis, & magis vniuersalis priùs via originis nobis occurrit. Hæc ratio Simplicij nullis additis demonstratur.

Ratio Simplicij non demonstrat. Tertiò principaliter, hæc positio videtur insufficiens. Primò, quia per hanc non habemus, quid sit prius posteriúsve cognitum in vniuersalibus post rem: sed solùm vniuersalibus in re. Adhuc cùm intellectus possit procedere naturaliter voluntariè, & fortuitè atque scientificè: ex hac determinatione non habemus, quid sit præcognitum in vnoquoque processuum: sed per hanc positionem tantùm habetur, quid sit præcognitum in processu definitio. hæc ille.

28. *Solutiones rationum Aug. Suess.* Ad istum nouum expositorem Philosophi respondeo. Et primò, quando infertur, per Scotum habetur, quòd semper singulare magis vniuersalis fortiùs mouet sensum, tam in proxima, quàm in remota distantia. Hoc Scotus non dicit, nec ex dictis eius hoc potest inferri, vt patet intuenti dicta ipsius. Vult enim, quòd quando singulare in debita distantia, & proximatione fortiùs mouet sensum, vniuersale illius singularis priùs cognoscitur cognitione confusa, id est, quòd habita cognitione sensitiua huius albedinis à phantasmate illius, tunc primum causatum erit species intelligibilis albedinis: & secundò erit species intelligibilis proximioris albedini: & sic deinceps, tenendo (vt suprà dixi) quòd ponantur tot species intelligibiles, quot vniuersalia magis, & minùs communia. Si verò tantùm vna ponatur, patet quòd species intelligibilis albedinis priùs partialiter causat cognitionem confusam ipsius albedinis: & pòst cognitionem superiorum, vt exposui. Et sic semper posita debita dispositione sensibilis, puta, quòd videatur, vt indiuiduum speciei specialissimæ, tunc quando tale singulare fortiùs mouet sensum, tunc primò species specialissima, illius via originis cognoscitur. Et etiam falsum assumit, quòd singulare magis vniuersalis fortiùs moueat sensum, quàm singularè minùs vniuersalis, stante æquali dispositione vtriusque singularis. Assumit etiam falsum, cùm dicit, quòd singulare magis mouet sensum, siue in proxima, siue in remota distantia: vt patet ad sensum. Et multa alia dicit, quæ ipse non inuenit in Scoto, sed transeo breuiter.

Deinde respondeo ad rationes, quas facit. Cùm primò dicit, quòd hæc positio non est Peripatetica. Miror certè, quòd semper vtatur isto vocabulo, quasi alij peritiores in via Philosophi, & Commentatoris nihil viderint. Oporteret enim ipsum ostendere, quæ dicit: ostendat mihi, quòd dicta à Doctore subtili non sint ad mentem Philosophi, & credam: sed quia hoc non ostendit, sicut etiam in aliis locis dixit non esse peripateticè dictum, adduci literam Philosophi, & Auerroïs, ostendendo quòd erat peripateticè dictum. Ideò parum curo ex quo oppositum non ostendit per dicta Philosophi, & sequacium ipsius. Credo enim Doctorem subtilem fuisse perfectissimum Aristotelicum, vt opera, & commentariaria eius ostendunt. 29. *Scotus fuit perfectissimus Aristotelicus.*

Sed his omissis, quia parum curo insistere contra istum nouum interpretem, respondeo ad illud, quando dicit, quòd Scotus sibi contradicit: quia si magis vniuersale est priùs cognitum cognitione habituali: igitur & in cognitione actuali. Negatur consequentia. Et cùm dicit, quòd potentialiter tale quandoque erit actualiter in se. Parcat mihi, quòd non intelligit Doctorem, non enim Doctor vult quòd illud dicatur priùs cognosci habitualiter, quia est aptum natum sic cognosci, quòd talis potentia reducatur ad actum: quia tantùm loquitur de cognito habitualiter, vel virtualiter distincto, contra cognitum actualiter: & sic qualem ordinem habet aliquid in se, talem habet respectu cuiuscunque. Sicut dicimus, quòd homo priùs constituitur ens, &c. vide suprà, vbi hoc exposui respondendo ad similem difficultatem. *Suessanus non intellexit Scotum.*

Ad aliud, cùm dicit, si intellectus naturaliter est aptus natus perfici à minùs perfecto: igitur cùm deducitur ad actum, priùs perficietur à minùs perfecto. Dico (vt suprà dixi) quòd non intelligit Doctorem, quia loquitur tantùm de perfectione habituali, vel virtuali, vt distinguitur contra actualem, id est, posito quòd intellectus actu perficiatur cognitione, puta albedinis: quod est proximus illi non in actuali cognitione, sed tantùm in habituali, vel virtuali: patet quod magis vniuersale: ergo illud est priùs cognoscibile cognitione actuali non sequitur, vt suprà diffusè exposui. Iste enim imaginatur, & non

 rectè,

rectè, quòd Scotus velit, quòd illud, quod est priùs cognitum viâ originis cognitione habituali, vel virtuali, possit etiam esse priùs cognitum cognitione actuali. Et nota verba Doctoris, dicit enim sic: *Si vna forma includat virtualiter plures, priùs perficiet materiam sub ratione communioris formæ, puta sub ratione substantiæ, quàm sub ratione corporis: & semper in illa via generationis imperfectius erit prius: quia proceditur à potentia ad actum: ergo sicut conceptus plures communiores, & minùs communes habituales nati sunt perficere intellectum via generationis, vel originis: ita quòd imperfectior semper est prius: ita si vnus conceptus virtualiter includat omnes illos, priùs perficiet sub ratione conceptus prioris, & vniuersalioris, quàm sub ratione conceptus particularis.* Hæc Scotus. Patet ergo quòd non vult quòd tale sic priùs cognitum cognitione habituali sit natum priùs cognosci cognitione actuali: nisi fortè loquendo de cognitione distincta.

30. *Anto. Trombeta in sua Meta.* Potest etiam responderi, vt respondet quidam: quæ responsio est priùs recitata ab isto nouo interprete: videlicet, quòd obiecta, eo modo mouent intellectum, quo sunt præsentia, nisi sit aliquod impediens. Et sic licèt obiectum sit præsens intellectui sub ratione magis vniuersalis, tamen (intellectus in intelligendo, & mouendo dependet à sensu, & sensus mouetur ab obiecto extrà, sub ratione naturæ specificæ) quando obiectum est in debita distantia ad sensum, oportet intellectum moueri ab obiecto sub ratione naturæ specificæ: & ita obiectum præsens, sub ratione vniuersalis non potest mouere sub tali ratione, ex impedimento singularis sensibilis ad extrà, mouentis ipsum sensum. Concedo ergo quòd quæcunque sunt præsentia intellectui, eo ordine mouent intellectum, quo ordine sunt præsentia: nisi eorum motio impediatur ab aliquo sensibili extrà. hæc ille. Et hanc rationem dicit ille interpres esse friuolam. Hoc dicit, fortè quia eam non rectè intelligit. Quando ergo dicit, quòd quam dicitur aliquid proximè cognoscibile, quod nunquam tali ordine cognoscitur: conceditur amoto semper impedimento. *Suessanus nō intellexit rationem Scoti.*

Et cùm infertur, quòd per nos, stante tali dispositione impeditiua, nunquam intellectus potest post cognitionem speciei cognoscere vniuersalius. Dico primò, quòd hoc nihil est contra nos: quia tunc ponitur impedimentum, quo stante, non potest sequi cognitio, &c. Intellitur enim dictum istius, quòd quantum est ex parte sua, est obiectum priùs cognoscibili: sed quando singulare sensibile fortiùs mouet sensum, priùs causatur cognitio perfectior, siue conceptus perfectior, qualis est conceptus speciei: & sic magis vniuersale esset priùs cognoscibile ex parte sua, quàm minùs vniuersale: & semper loquor pro statu naturæ lapsæ: & sic posito tali impedimento, non potest sequi. Dico secundò, cùm dicis, quòd stante tali impedimento vniuersalius non potest cognosci: negatur quòd non possit cognosci: hoc enim impedimentum non ponitur propter negationem cognitionis absolutè: quia tunc sequeretur, quòd stante cognitione speciei specialissimæ, intellectus non posset aliquo modo cognoscere superiora: & sic non posset formare hanc propositionem, *homo est animal:* vel substantia, vel ens: oportet enim cognoscere extrema cognoscens vnionem extremorum, & ponens differentiam eorum ad inuicem: vt patet 2. *de Anima*, vbi probatur sensum communem esse, ex hoc, quòd ponit differentiam inter obiecta sensuum particularium, siue sensuum exteriorum: & per consequens cognoscit illa obiecta: & sic patet quomodo intellectus simul potest habere cognitionem speciei specialissimæ, & multorum superiorum. Dico tamen, quòd stante tali ordine non potest cognosci priùs prioritate originis: quia priùs de necessitate cognoscitur species specialissima, cuius singulare fortiùs, & efficaciùs mouet sensum. Et ideò stante tali impedimento nunquam potest cognosci primò: non tamen sequitur quòd non possit cognosci secundò, siue in aliquo posteriori instanti: & sic patet

Ad illud, quod secundò principaliter dicit, quòd magis vniuersale actu priùs cognoscitur cognitione confusa, quia nobis certius. Dico, quòd stante debita dispositione tam sensus, quàm obiecti, tunc sensus non erat circa sensibile: vt patet 2. *de Anima*, & hoc clariùs intelligitur à Scoto *in isto primo, dist. 3. quæst. 4. de sinceris veritatibus*: & sic si habet album perfectè præsens, & non sit indispositio in sensu: ita sensus certus est quòd est album, sicut, quòd est coloratum: immò per priùs apprehendit sub ratione albi, quàm sub ratione coloris: & sic semper Doctor loquitur. Particularia enim sunt priùs nota nobis, & magis vniuersalia naturæ: quare à particularibus tanquam à notioribus inchoandum est: magis ergo vniuersalia sunt notiora naturæ. Et ideò in ordine distinctè concipiendi incipimus à magis vniuersalibus. 31. *Magis vniuersale actu prius cognoscitur cognitione confusa.*

Ad illam rationem, quam dicit esse Simplicij. Dico, quòd concessis illis præsuppositis (tamen sanè intellectis, quod dico propter secundum præsuppositum, quia licèt absolutè accidens magis commune communiter sit certius, stante tamen dispositione potentiæ, & obiecti sensibilis particularis in se, non video istam maiorem certitudinem magis vniuersalis: vt dixi suprà) postea negatur ista, videlicet, quòd cognitio accidentis magis vniuersalis priùs nobis occurrit: ponendo debitam propinquitatem sensibilis. Benè verum est, quòd si sensibile videatur à remotis priùs occurrit, vt singulare magis vniuersalis: vt verò est in debita distantia, & propinquitate, qualis requiritur ad videndum singulare speciei specialissimæ, priùs occurrit, vt singulare speciei specialissimæ, quàm vt singulare magis vniuersalis, vt patet per experientiam: & sic ratio ista nihil concludit. *Ratio Simplicij.*

32. *Nota.* Ad illa alia inconuenientia, quæ adducit: primò, quòd per hanc positionem non habemus, quid sit prius, aut posterius cognitum in vniuersalibus post rem: sed solùm vniuersalibus in re. Dico, quòd hoc non est necesse: quia quærimus tantùm, quid sit simpliciter primò cognitum viâ originis: posito quòd singulare non cognoscatur in se: & sic concluditur quòd species specialissima, cuius singulare fortiùs mouet sensum: & habita cognitione talis speciei: intellectus postea potest omnia essentialiter, vel virtualiter inclusa in tali specie cognoscere, & hoc sufficit.

Ad aliud, quod dicit, quòd contingit intellectum procedere naturaliter voluntariè, &c. Dico, quòd, vt patet ex litera Doctoris, non oportet quærere omnem modum: sed quæritur absolutè quid sit primum cognitum primitate originis. Cognoscere enim voluntariè præsupponit

ponit cognitionem naturalem: quia cognitio dicitur voluntaria, inquantum voluntas imperat intellectui, vel firmando illum in priori cognitione, vel remouendo à priori cognito, & conuertendo ad aliud obiectum, vt patet à Scoto *in* 2. *distinct.* 41. Nunquam enim voluntas posset habere actum, nisi circa prius cognitum. Et ideò superfluum est quærere omnium processum, siue omnem modum procedendi. *Quare dicatur cognitio voluntaria.*

SCHOLIVM.

Quarta conclusio quoad ordinem perfectionis, priùs cognitum simpliciter primitate perfectionis est Deus, & alia obiecta, quo perfectiora sunt in se, sunt priora hac prioritate: sed priora sunt prioritate notitia quoad nos, ea ad quæ sensibilia, & sensus magis mouent. Illa prioritas sumitur à perfectione obiecti, hac à proportione graduum cognitionis, ad gradus cognoscibilitatis obiecti, & fundatur hac distinctio in Philosopho.

NVnc de ordine perfectionis, distinguo, quòd perfectius intelligibile à nobis potest intelligi dupliciter: aut simpliciter, aut secundùm proportionem. Exemplum, visio aquilæ de Sole est simpliciter perfectior respectu Solis, quàm visio nostra, videlicet, respectu candelæ: & tamen visio nostra perfectior est proportionaliter, hoc est, plus habet ipsa de ratione visionis secundùm proportionem ad visibilitatem candelæ, quàm visio aquilæ habeat de ratione visionis respectu visibilitatis Solis. Ista distinctio habetur à Philos. 2. *de Animalibus*, vbi vult, quòd licèt de immaterialibus habeamus minimam cognitionem, quod est intelligendum proportionaliter: tamen illa est desiderabilior cognitione magna, quæ potest haberi de materialibus, quæ est magna in comparatione ad illa cognoscibilia. Loquendo ergo de ordine perfectionis simpliciter, dico quòd perfectissimum cognoscibile à nobis etiam naturaliter est Deus. Vnde in hoc etiam ponit Philosophus felicitatem naturalem 10. *Ethicor.* & post ipsum species specialissima perfectior in vniuerso, & deinde species proxima illi, & sic vsque ad vltimam speciem, & post omnes species specialissimas, genus proximum abstrahibile à specie perfectissima, & sic semper resoluendo: & ratio omnium istorum est, quia attingere actualius obiectum, est intellectio perfectior simpliciter, quia habet æqualem perfectionem ex parte intellectus cum quacunque alia intellectione, vel non minorem, & habet perfectionem multò maiorem ex parte obiecti, quæ duo, scilicet perfectio potentiæ, & perfectio obiecti, sunt causa perfectissimæ cognitionis, siue intellectionis. 29. *Primo de Par. animalium, c. 5.* *Cap. 10.*

Si loquamur de notitia perfectiore secundùm proportionem ad cognoscibile: dico quòd perfectiora sensibilia, & sensus efficaciùs mouentia, sunt perfectiùs cognoscibilia secundùm proportionem: quia intellectus noster plus attingit ad illa secundùm gradus cognoscibilitatis eorum: & quæ sunt remotiora ab illis, sunt minùs cognoscibilia secundùm proportionem suæ cognoscibilitatis.

De tertia primitate, scilicet adæquationis, dicetur in sequenti quæstione.

Ad argumenta huius quæstionis. Ad primum dico, quòd consequentia non valet, scilicet est primum ens: ergo est primum cognitum à nobis: licèt sequatur, igitur est primum cognoscibile quantum est de se, & ita debet intelligi veritas de qua loquitur Philosophus 2. Metaphysic. *sicut res se habent ad entitatem, ita ad veritatem*, pro euidentia rei in se, siue pro intelligibilitate rei ex parte sui. Non oportet autem, quòd res, sicut se habet ad entitatem, sic se habeat ad cognosci: nisi intelligatur cognosci ab illo intellectu, qui respicit intelligibilia omnia secundùm gradum proprium cognoscibilitatis eorum, qualis non est noster intellectus: sed maximè cognoscit sensibilia. 30. *Ad arg. 1. in initio huius quæst. 2. Sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, explicatur.*

Ad secundum dico, quòd consequentia non valet, nisi in causis præcisis. Quod patet in exemplo, si eclipsis est cognoscibilis ex duplici causa per duas potentias, scilicet, per sensum & intellectum habentem demonstrationem, nunquam cognoscitur perfectissimè, nisi cognito principio demonstrationis perfectissimè. Non tamen sequitur: ergo nunquam cognoscitur, nisi cognito principio demonstrationis. Habet enim aliam causam, qua cognosci potest: quia ista non est præcisa causa, tamen per aliam non potest ita perfectè cognosci, sicut per istam: quia ista causa, scilicet demonstratio, qua potest cognosci ab intellectu, est perfectior causa cognitionis suæ, quàm alia, qua potest cognosci per sensum: ita est in proposito, quælibet creatura præter causam cognitionis suæ, quæ est essentia diuina, habet aliam causam illius cognitionis, scilicet essentiam propriam, quæ nata est gignere notitiam sui. Nunquam tamen per motionem suam ita perfectè cognoscitur res, sicut per essentiam diuinam. Non igitur sequitur, ab effectu ad causam arguendo, si perfectissimè, perfectissimè: ergo si simpliciter, simpli- *Ad secundum. Sicut maximum ad maximum, ita simpliciter, ad simpliciter explicatur.*

ſimpliciter: quia illud, quod perfectiſſimè ſumptum, poteſt eſſe cauſa præciſa perfectiſſimè in genere, ſumptum tamen ſimpliciter, non eſt cauſa præciſa effectus in genere.

Ad tertiũ. Ad tertium dico, quòd maior eſt vera loquendo de primitate perfectionis: ſed non de primitate adæquationis. Exemplum, nunquam eſt viſio circa aliquid ſub ratione coloris præciſè, ita quòd non ſub ratione huius, vel illius coloris, puta albi, vel nigri, niſi illud videatur remotis, vel imperfectè. Viſio autem alicuius ſub ratione coloris præciſè, non perfectiſſima, ſed imperfectiſſima.

De quo infrà q. 7. Cùm dicitur, perfectiſſima operatio potentiæ eſt circa primum obiectum eius: verum eſt, non primum adæquatione, ſed primum perfectione, quod videlicet eſt perfectiſſimum contentorum ſub primo obiecto adæquato. Et ideò dicit Philoſophus 10. *Ethicor.* quòd delectatio perfectiſſima eſt in operatione circa optimum omnium eorum, quæ ſunt ſub potentia, hoc eſt circa optimum contentum ſub obiecto adæquato illius potentiæ. Probat. igitur eſt ratio, quòd Deus eſt primum cognitum, hoc eſt, perfectiſſimum; quod concedo, ſed non primum adæquatum, de quo ſequent. quæſt.

31. *Ad rationes Henric. pro 2. q.* Quod autem dicit iſta opinio recitata, & hoc quantum ad ſecundam, quæſt. de indeterminato negatiuè, & priuatiuè: ſi intelligat de primitate originis, contradixi in primo membro ſecundæ quæſtionis. & cùm arguitur, quòd indeterminatum negatiuè, eſt magis indeterminatum, quàm indeterminatum priuatiuè, nego de indeterminatione ad propoſitum loquendo, qualis ſcilicet eſt in primo intellecto: quia indeterminatum negatiuè eſt ſingulare, & tale non eſt magis indeterminatum quàm indeterminatum priuatiuè. Indeterminatio autem negatiua, ſcilicet repugnantia ad determinari, etſi ſit aliquo modo maior, quàm indeterminatio priuatiua: non tamen tale indeterminatum priùs occurrit intellectui, quia tale non eſt confuſum obiectum, ſed diſtinctum cognoſcibile, ſicut priùs dictum eſt.

Quod arguit etiam in ſecundo membro, quòd notitia rationali Deus ſit vltimum cognitum, quia priùs cognoſcitur illud, à quo ſit abſtractio quàm abſtractum, hoc non eſt verum, niſi ponendo abſtractionem, quendam diſcurſum à notiori ad aliud, ita quòd illud, à quo ſit abſtractio, eſt primò cognitum, & aliud cognitum per ipſum, & ſi ita intelligat abſtractionem, talis cognitio per abſtractionem, non eſt prima cognitio abſtracti. Si enim ita cognoſcatur Deus per creaturam, oportet aliquem conceptum præhabere de Deo, ad quem diſcurritur: quia diſcurſus præſupponit aliquem conceptum de termino, ad quem eſt. Vel igitur propoſitio, quam accipit, eſt falſa, vel ſi ſit vera, concludit Deum eſſe priùs cognitum, antequam cognoſcatur rationabiliter, quod fortè concederet. Quod etiam addit, quòd Deus eſt vt primum cognitum à nobis naturaliter, non diſtinguitur ab aliis: quia non concipitur in aliquo, in quo diſtinguatur à creatura. In hoc videtur contradicere ſibi ipſi: prædixit enim quòd eſt primum cognitum ab intellectu naturaliter, vt eſt indeterminatum negatiuè, & dicit, quòd in hoc conceptu diſtinguitur à creatura, quia iſte non conuenit creaturæ.

COMMENTARIVS.

1. NVnc de ordine perfectionis. Hæc litera eſt ſatis clara. Et quod dicit de viſione aquilæ reſpectu Solis, & de viſione noſtra reſpectu candelæ. Vt clariùs intelligatur, pono quòd Sol ſit viſibilis vt 8. & lumen candelæ tantùm vt duo. *Viſio Aquilæ quomodo perfectior ſimpliciter quã viſio mea.* Aquila videt Solem tantùm vt vnum: & Ioannes videt lumen candelæ vt duo: dico, quòd quamuis viſio aquilæ ſit perfectior ſimpliciter, quia terminatur ad perfectius viſibile: viſio tamen candelæ eſt perfectior, ſecundùm proportionem attingibilitatis obiecti: patet, quia Sol eſt attingibilis vt 8. & tantùm attingitur vt vnum; & lumen candelæ eſt attingibile vt duo: & eodem modo attingitur. De hoc tamen vide, quæ prolixè expoſui ſuper quæſt. 2. lib. 2. Metaph. Doctoris, vbi multa notaui. Et ſic poſito iſto exemplo applica literam reſpectu cognitionis, quæ terminatur ad primum ens, & cognitionis, quæ terminatur ad ens ſenſibile.

Ad argumenta huius quaſtionis. Reſpondet Doctor ad primum dupliciter, primò, quòd propoſitio Philoſophi intelligitur de obiecto ex parte ſui, id eſt, quòd ſicut eſt ſimpliciter primum, ita quantum in ſe eſt, eſt prius natum cognoſci: ſed quòd priùs non cognoſcatur, non eſt ex parte obiecti, id eſt, quòd ſicut eſt ens primum: ità & prima cognoſcibilitas ineſt: ſed modò non ſequitur, quantùm in ſe eſt: eſt primum cognoſcibile: ergo illud primò actu cognoſcitur ab intellectu noſtro, non ſequitur, requiritur enim vltrà quòd ſit primum cognoſcibile: quòd etiam ſit præſens intellectui in ratione obiecti actu intelligibilis: modò hoc non poteſt eſſe, vt ſuprà patuit *præſenti diſt. quæſt. prima*, vbi habitum eſt, quòd primum mouens intellectum eſt aliquod ſenſibile. *Deus non eſt primum cognitum ſecũdùm actualem cognitionem, ſed ſecundùm cognoſcibilitatem.* Secundò dicit quòd ſi intelligatur de cognoſci actu, id eſt, ſicut ſe habet ad entitatem ita ad cognoſci actu, id eſt, quòd ſi eſt primum ens, quod primò cognoſcatur actu, vera eſt, comparando ad intellectum, qui reſpicit omnia

omnia intelligibilia, secundùm gradum proprium cognoscibilitatis eorum, id est, qui cognoscat illa ita perfectè quantum sunt cognoscibilia: quia talis intellectus habet pro obiecto primo motiuo simpliciter primum ens, & necessariò primò cognoscit illud: vt patebit magis *in quodlib. quæst.* 15. *artic.* 2. modò nullus intellectus creatus intelligit omnia, secundùm suam intelligibilitatem: & maximè intellectus pro statu isto, in quo maximè cognoscit sensibilia, vt infrà patebit quæst. sequenti, &c.

2. *Ad secundum.* Respondet, quòd illa est vera in causis præcisis: si enim, bonum est præcisa causa diligibilitatis, magis bonum erit magis diligibile. Et sic similiter, si ens est præcisa causa intelligibilitatis, maximè ens erit maximè intelligibile: ergo & ens simpliciter erit simpliciter intelligibile: sed non valet in causis non præcisis. Si enim Deus esset causa præcisa cognoscendi rem, puta hominem, simpliciter: sicut est causa præcisa cognoscendi ipsum perfectissimè: valeret consequentia, *A* non cognoscitur perfectissimè, nisi Deo perfectè cognito, ergo *A* non cognoscitur simpliciter, Deo non cognito: sed quia *A* potest simpliciter per motionem propriam, licèt non ita perfectè sicut per motionem essentiæ diuinæ, ideò potest simpliciter cognosci *A*, Deo non præcognito. Si dicatur, entitas est causa cognoscendi rem simpliciter: ergo magis ens erit causa cognoscendi rem perfectiùs: ergo maximum ens erit causa cognoscendi rem perfectissimè: ergo è conuerso: maximum ens est causa cognoscendi perfectissimè: ergo est causa cognoscendi rem simpliciter. Dico, quòd si *magis, & maximè, & simpliciter* comparentur ad eandem rem: non sequitur absolutè, nisi magis ens sit causa cognitionis: vnde non sequitur, ens, quod est lapis, est causa cognoscendi se simpliciter: ergo homo, quod est magis ens, erit causa cognoscendi lapidem perfectius. Non sequitur, quia homo nullo modo est causa cognoscendi lapidem: valet tamen de Deo, quia est causa cognoscendi lapidem simpliciter perfectiùs, & perfectissimè: sed modò non causa cognoscendi rem simpliciter: & hoc præcisè patet, quia cognitio lapidis potest haberi ab intellectu creato, & ipso lapide: nec fortè est causa præcisa cognoscendi ipsum perfectiùs, quia lapis cognoscitur perfectiùs ab intellectu Angeli, quàm ab intellectu nostro: est tamen causa præcisa cognoscendi lapidem perfectissimè: modò non sequitur, lapis non potest perfectissimè cognosci, nisi Deo perfectè cognito: ergo nec simpliciter, nisi ipso cognito: non sequitur, quia in primo arguitur à causa præcisa; in secundo à causa non præcisa.

3. *Ad tertium*, dicit quòd maior est vera de primitate perfectionis, quia perfectissimus actus tantùm dicitur respectu perfectissimi obiecti: vt patet 3. *de Anima, text. com. primi*, non autem intelligitur de primitate adæquationis, quia illud ponitur ens inquantum ens: loquendo de intellectu ex natura intellectus, & de obiecto motiuo, vt infrà patebit *quæst. seq.* Loquendo verò de intellectu nostro pro statu isto, est quiditas rei sensibilis, loquendo de obiecto motiuo. Si enim Deus esset primum obiectum adæquatum, & motiuum, tunc esset primum cognitum: quia nunquam obiectum motiuum ad cognitionem plurium obiectorum potest causare cognitionem alicuius contenti virtualiter in ipso, nisi priùs in illo intellectu causet notitiam sui: & hoc loquendo de obiecto naturali, & per modum naturæ motiuo: quia nunquam tale potest causare notitiam alicuius in aliquo intellectu, nisi priùs in illo causet notitiam sui: vt exposui prolixè in Quodlib. & sic essentia diuina, quæ ponitur obiectum adæquatum motiuum intellectus diuini obiectum, scilicet naturale, primò causat in illo intellectu notitiam sui, & pòst aliorum: secus quando est obiectum voluntarium: quia tunc benè potest causare notitiam aliorum priùs, quàm notitiam sui: & sic patet quomodo, si esset adæquatum obiectum: & naturale, quòd esset necessariò primum cognitum. *Essentia diuina est obiectum voluntarium, non naturale.*

Quod autem dicit ista opinione recitata, &c. Pro intelligentia huius literæ est notandum, quòd Doctor accipit magis indeterminatum, & minùs, vt fit comparatio inter magis vniuersale, & minùs vniuersale: & cùm indeterminatum negatiuè sit tantùm singulare (non enim est magis, nec minùs indeterminatum, quia nec magis vniuersale, nec minùs) ideò loquendo de indeterminatione, qualis est in primo intellectu, scilicet qualis est in illo, quod est primò cognitum primitate originis: illud est species specialissima, &c. Et quando dicit, quòd licèt indeterminatio negatiua sit aliquo modo maior: intelligit tantùm entitatiuè, id est, licèt singulare sit perfectius vniuersali, & maximè Deus, non tamen ex hoc sequitur quòd sit primò cognitum primitate originis. 4.

Pro intelligentia literæ, nota etiam quòd aliquando est abstractio accidentis à subiecto: & sic non est verum, quòd priùs cognoscam subiectum, quàm accidens, quod abstraho. Aliquando fit abstractio à singularibus: & tunc in cognitione confusa priùs cognoscitur minùs vniuersale, & in cognitione distincta priùs cognoscitur magis vniuersale. Aliquando fit abstractio minùs noti à magis noto, quod fit per discursum syllogisticum: & sic abstrahitur conclusio minùs nota à principio magis noto: & hoc modo verum est quòd conclusio posterius cognoscitur: quia notitia illius dependet à notitia principij: sed tamen non possent formari principia, & conclusiones, nisi priùs terminis cognitis, vt patet. Et sic ponendo quòd Deus sit posteriùs cognitum, & sit conclusio (puta quia demonstro ipsum esse ens, vel summum bonum, & huiusmodi) oportet ponere quòd ante illum discursum sit priùs cognitum in se: & sic patet litera istius secundi membri, quod ibi incipit: 5. *Abstractio multiplex.*

Quod arguit etiam in secundo membro: quòd notitia rationali Deus sit vltimum cognitum.

***

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Vtrùm Deus ſit obiectum naturale adæquatum reſpectu intellectus viatoris?

D. Thom. 1. *par. quæſt.* 12. *art.* 4. *&* *quæſt.* 85. *art.* 1. Henri. *quodlib.* 15. *quæſt.* 9. *&* *quodlib.* 13. *quæſt.* 9. Ægid. *quodlib.* 4. *quæſt.* 10. Richard. 3. *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *& d* 23. *quæſt.* 2. Scot. *quodl.b.* 14. *& quo ad id an ens includatur in differentiis vltimis & paſſionibus eius, infrà diſt.* 8. *quæſt.* 2. *&* 2. *d.* 3. *quæſt.* 6. *latè* Suarez *in Metaph. diſp.* 2. *ſect.* 5. Soto *in antep. cap.* 4. Caiet. *de ente & eſſentia cap.* 2. *Vide* Scot. 2. *Metaph. quæſt.* 2. 6. *Metaph. quæſt.* 3. 8. *Metaph. quæſt.* 1. 9. *Metaph. quæſt.* 5. *in Theor.* §. cauſa non ſimpliciter neceſſaria, *&* 1. *Phyſic. quæſt.* 4. 5. *&* 7. Mayron. *hîc quæſt.* 2. Baccon. *quæſt.* 1.

1. IVXTA illud quod tactum eſt in tertio articulo ſecundæ quæſtionis, de obiecto adæquato intellectus & præciſo, quæritur, Vtrùm Deus ſit obiectum naturale primum, hoc eſt, adæquatũ reſpectu intellectus viatoris?

Argum. 1. Text. 4. Arguitur quòd ſic, quia ex præcedenti quæſtione, Deus eſt primum, hoc eſt, perfectiſſimum inter omnia cognoſcibilia: *primum autem in quocunque genere, eſt cauſa eſſendi aliis in illo genere,* ex 2. Metaph. ſicut primum calidum eſt cauſa caloris in omnibus aliis: ergo Deus eſt cauſa cognoſcendi omnium aliorum, igitur eſt primum obiectum intellectus.

Secundò ſic, vnumquodque ſicut ſe habet ad eſſe, ſic ſe habet ad cognitionem, ſed nihil eſt ens per participationem, niſi ab ente imparticipato; igitur non cognoſcitur niſi priùs cognito ente imparticipato.

Hoc confirmatur per Auguſtinum 8. de Trinit. cap. 2. de magnis, vel 8 de paruis. *Non diceremus aliquid eſſe melius alio, cùm verè iudicamus, niſi eſſet impreſſa nobis notio ipſius boni:* videtur autem ibidem loqui de bono indeterminato negatiuè, de quo in eodem cap. dicit. *Vide ipſum bonum ſi potes, & Deum vtique videbis:* quod non videtur verum, niſi de bono indeterminato negatiuè, quod ſcilicet non eſt determinabile, quale eſt primum bonum. *Non eſt in originali Doctoris.*

Contrà: primum obiectum primitate adæquationis recipit prædicationem omnium contentorum ſub eo: Deus autem non: ergo, &c.

2. *Opinio D. Thom.* 1. *p. q.* 5. *art.* 2. *& quæſt.* 12. *art.* 4. *& q.* 85. *art.* 1. *vide* 3. *de Anima, text.* 9. 10. *&* 11. *Vide D. Thom.* 1. *parte q.* 77. *&* 78. In iſta quæſtione [a] eſt vna opinio, quæ dicit, quòd primum obiectum intellectus noſtri, eſt quiditas rei materialis: ratio ponitur ad hoc, quia potentia proportionatur obiecto: triplex autem eſt potentia cognitiua, quædam omnino ſeparata à materia, & in eſſendo, & in operando, vt intellectus ſeparatus; alia coniuncta materiæ, & in eſſendo, & in operando, vt potentia organica, quæ perficit materiam: & non operatur, niſi mediante organo, à quo in operando non ſeparatur, ſicut nec in eſſendo; alia eſt coniuncta materiæ in eſſendo, ſed non vtitur organo materiali in operando: vt intellectus noſter. Iſtis correſpondent obiecta proportionata, nam potentiæ omnino ſeparatæ, vt primæ, correſpondere debet quiditas omnino ſeparata à materia. Secundæ ſingulare omnino materiale. Tertiæ ergo correſpondet quiditas rei materialis, quæ etſi ſit in materia, tamen cognoſcitur non vt in materia ſingulari.

COMMENTARIVS.

1. a IN *iſta quæſtione eſt vna opinio.* Hæc eſt opinio Sancti Thomæ, qui dicit quòd primum obiectum intellectus noſtri primitate adæquationis, eſt quiditas rei materialis.

Pro intelligentia opinionis huius hoc præmitto: videlicet quòd S. Thomas, aut intelligit de obiecto tantùm motiuo, id eſt, quòd quiditas rei materialis eſt in illa ſola, quæ mouet intellectum. Si dicatur, nónne cognoſcimus ens commune materiali, & immateriali? Haberet dicere S. Thomas quòd cognitio entis in vniuerſali eſt cauſata ab aliquo materiali, in quo ens includitur: & hoc modo loquendo, oportet multùm ponderare rationes Scoti contra S. Thomam. Aut intelligit de obiecto terminatiuo, ſcilicet quòd intellectus noſter non poteſt habere cognitionem, vt terminatam ad aliquid ſimpliciter immateriale, cuiuſmodi ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ. Et ſi dicatur, nónne terminatur ad ens, & ad paſſiones entis, quæ ſunt immaterialia? Conſequenter haberet dicere, quòd licèt in ſe ſint communes materiali, & immateriali, tamen includuntur in quiditate materiali: & hoc, ſupponendo quòd ens ſit commune dictum in quid de materiali, & immateriali, & hoc ſufficeret ſibi. Sed loquendo de puro immateriali in ſe, & quod non includitur in materiali: intellectus noſter ex ſe non poſſet habere huiuſmodi cognitionem. Si verò tenet ens, & paſſiones entis, & tranſcendentia non eſſe vniuoca creatis, & increatis, ſed tantùm nomen: nulla eſſet difficultas de ente, & paſſionibus eius. Sed quid de ſubſtantia, vt eſt genus commune ſubſtantiæ corporali, & incorporali? Haberet dicere conſequenter, quòd continetur in aliquo materiali. Et ſic oportet multùm ponderare rationes Scoti, quas facit contra S. Thomam.

SCHO

SCHOLIVM.

Reijcit sententiam, quæ tribuitur D Thomæ, quæ ponit quiditatem rei materialis pro obiecto adæquato intellectus viatoris. & ratio est, quia intellectus beatus cognoscit quiditatem immaterialem, & repugnat potentiam in aliquid tendere extra suum obiectum adæquatum. Instantias contra hoc benè refutat, & etiam, quod in eadem sententia dicitur, potentiam & obiectum habere eundem essendi modum, declarans in quo assimilantur.

COntrà [b] istud non potest sustineri à Theologo, quia intellectus existens eadem potentia, cognoscet quiditatem substantiæ immaterialis, sicut patet secundùm fidem de anima beata. Potentia autem manens eadem, non potest habere actum circa aliquid, quod non continetur sub suo primo obiecto. *Impugnatio opin. D. Th. Quiditatem rei materialis non esse obiectum intellectus pro nunc.*

Quòd si dicas, eleuabitur per lumen gloriæ, ad hoc, quòd cognoscat illas substantias immateriales.

Contrà [c] obiectum primum habitus continetur sub primo obiecto potentiæ, vel saltem non excedit: quia si habitus respicit aliquod obiectum, quod non continetur sub primo obiecto potentiæ, sed excedit, tunc ille habitus non esset habitus illius potentiæ, sed faceret eam non esse illam potentiam, sed aliam.

Confirmatur ratio, quia cùm potentia in primo signo naturæ, in quo est potentia, habeat tale obiectum primum, per nihil posterius natura, præsupponens rationem potentiæ, potest fieri aliud primum obiectum eius: omnis autem habitus naturaliter præsupponit potentiam.

Si dicas, quòd hæc etiam opinio poneretur à Philosopho, puta si poneret, quòd intellectus noster propter sui infirmitatem, inter intellectus, & propter coniunctionem eius cum virtute phantastica, in supposito cognoscente, habet ordinem immediatum ad phantasiam, sicut phantasia habet ordinem immediatum ad sensum communem: & ideò sicut virtus phantastica non mouetur ab aliquo, nisi quod est obiectum sensus communis: licèt alio modo idem obiectum cognoscat; ita diceret quòd intellectus noster non tantùm propter statum aliquem, sed ex natura potentiæ, non posset aliquid intelligere, nisi abstrahibile à phantasmate. *Vide 2. de Anima, t. 150. & 161.*

Contra hoc [d] arguitur tripliciter, primò sic: quia desiderium naturale est in intellectu cognoscente effectum ad cognoscendum causam, & in cognoscente causam in vniuersali, est desiderium naturale ad cognoscendum illam in particulari & distinctè, desiderium autem naturale, non est ad impossibile, ex natura desiderantis: quia tunc esset frustrà: ergo non est impossibile intellectui ex parte intellectus, cognoscere substantiam immaterialem in particulari, ex quo cognoscit materiale, quod est effectus eius: & ita primum obiectum intellectus non excludit illud immateriale. 3. *1. Cæl. text. 32. & 2. Cæl. text. 53. & 59. & 3. de Anima, text. 60. & 2. Met. c. 1.*

Secundò sic, [e] nulla potentia potest cognoscere obiectum aliquod sub ratione communiori, quàm sit ratio sui primi obiecti: quod patet primò per rationem, quia tunc illa ratio primi obiecti non esset adæquata: etiam patet per exemplum. Visus non cognoscit aliquid sub ratione communiori, quàm sit ratio coloris, vel lucis; nec imaginatio aliquid sub ratione communiori, quàm sit ratio imaginabilis, quod est primum obiectum eius; sed intellectus cognoscit aliquid sub ratione communiori, quàm sit ratio entis materialis, quia cognoscit aliquid sub ratione entis in communi; alioquin Metaphysica nulla esset scientia intellectui nostro. *Nil cognoscit potentia quod non continetur sub obiecto adæquato.*

Præterea tertiò, & redit in idem quasi cum secundo: quidquid per se cognoscitur à potentia cognitiua, vel est eius obiectum primum, vel continetur sub illo obiecto: ens autem, vt est communius sensibili, per se intelligitur ab intellectu nostro: aliàs Metaphysica non esset magis scientia transcendens quàm Physica: ergo non potest aliquid esse primum obiectum intellectus nostri, quod sit particularius ente, quia tunc ens in se nullo modo intelligeretur à nobis. Videtur igitur, quòd falsum supponitur in dicta opinione de obiecto primo, & hoc loquendo de potentia ex natura potentiæ.

Ex hoc apparet, quòd si per viam istius opinionis soluatur prima quæstio, dicendo, quòd quiditas sensibilis est primum obiectum intellectus, & ideò non intelligitur Deus, vel ens immateriale, solutio innititur falso fundamento. 4.

Congruentia etiam illa, [f] quæ adducitur pro illa opinione, nulla est. Potentia enim & obiectum non oportet assimilari in modo essendi: se habent enim vt motiuum, & mobile, & ita se habent; vt dissimilia, quia vt actus, & potentia: sunt tamen proportionata, quia ista proportio requirit dissimilitudinem proportionatorum: sicut communiter dicitur in omni proportione: sicut patet de materia & forma, parte & toto, causa & causato, *Potentia & obiectũ potius dissimilia, quàm similia in modo essendi.*

& cæteris proportionalibus: igitur ex modo essendi talis potentiæ, non potest concludi similis modus essendi in obiecto.

Contra hoc obiicitur: quia licèt agens factiuum possit esse dissimile obiecto, quod est ibi passum, tamen operans in cognitiua operatione, oportet assimilari obiecto, circa quod operatur: quia non est passum, sed magis agens, & assimilans. Omnes enim antiqui concordant in hoc, quòd cognitio fit per assimilationem. Nec Aristot. in hoc eis contradixit: igitur hoc requiritur, non tantùm proportio, sed similitudo.

2. de Anima text. 61.

Respondeo, aliud est loqui de modo essendi ipsius potentiæ in se, & aliud est loqui de ipsa inquantùm est sub actu secundo, vel dispositione proxima ad actum secundum, quæ sit aliud à natura potentiæ. Nunc autem, quòd potentia cognoscens assimilatur cognito, verum est per actum suum cognoscendi, qui est quædam obiecti similitudo: vel per speciem disponentem de proximo ad cognoscendum: sed ex hoc concludere ipsum intellectum in se habere naturaliter modum essendi similem modo essendi obiecti, vel è conuerso, est facere fallaciam accidentis, & figuræ dictionis. Sicut non sequitur, æs assimilatur Cæsari, quia per figuram inductam: igitur æs in se habet similem modum essendi, modo essendi Cæsaris, vel magis ad propositum, oculus videns per speciem obiecti, assimilatur obiecto: ergo visus habet similem modum essendi modo essendi obiecti: & ita vlteriùs, sicut quædam visibilia habent materiam, quæ est causa corruptionis & contradictionis, vt mixta; quædam carent tali materia, vt corpora cœlestia: ita erit quidam visus in materia tali, quidam sine materia tali, vel quoddam organum tale, & quoddam non tale. vel adhuc magis ad propositum. Idæa in mente diuina, quæ est similitudo obiecti, est immaterialis; igitur & lapis, cuius est idæa, est immaterialis: igitur propter illam congruentiam non videtur congruum arctare intellectum ex natura potentiæ, ad obiectum sensibile, vt non excedat sensum, nisi tantùm in modo cognoscendi.

1. de Anima, 2. & 3. & 1. de Generatione in simili habetur.

Quomodo cognitio fit per assimilationem.

COMMENTARIVS.

2. b Contra, *istud non potest sustineri à Theologo*, &c. Pro declaratione istius rationis suppono mihi. Primò, quòd cuilibet potentiæ ex natura talis potentiæ, est assignandum obiectum sibi adæquatum, sub quo continetur omne perceptibile à tali potentia: ita quòd tale obiectum non competat sibi per aliquid posterius ea, vt patet de omni potentia cognitiua.

Secundò, suppono quòd quando obiectum est in se præsens, vt in cognitione intuitiua: si habet rationem causandi cognitionem sui in tali potentia non impeditum, necessariò causabit, & hoc si sit motiuum naturale respectu talis potentiæ: quod dico propter Deum, qui tantùm est obiectum voluntarium intellectus creati: & si non potest causare, non erit obiectum talis potentiæ: sicut spirituale aliquod potest causare cognitionem sui intuitiuam, & si non potest causare in potentia visiua, non erit obiectum illius, sed respectu alterius potentiæ recipientis illam cognitionem. Sed si nullo modo est causatiuum cognitionis sui, propter suam modicam entitatem, & imperfectionem, saltem continetur in aliquo potente causare cognitionem illam; & sic illud obiectum erit ibi tantùm terminatiuum suæ cognitionis.

3. Tertiò, suppono quòd aliquid repugnare alicui contingit dupliciter.

Primò, secundùm *quid* tantùm: vt albedo repugnat homini existenti sub nigredine: tamen non repugnat sibi ex natura hominis.

Secundò, repugnat absolutè, & simpliciter: vt esse lapidem simpliciter repugnat homini. Sic in proposito, ens omnino immateriale dicitur repugnare intellectui, aut in ratione obiecti, vel causatiui suæ cognitionis, vel terminatiui eiusdem; aut repugnat sibi non ex natura propria, sed propter aliquid aliud: sicut intellectui habenti actum credendi circa aliquod obiectum, repugnat sibi visio illius obiecti, stante actu credendi: non tamen repugnat sibi simpliciter ex natura intellectus. Si S. Thomas intelligit, quòd repugnat intellectui cognitio immaterialis, & hoc ex natura intellectus, nunquam per aliquod posterius potest fieri non repugnans: & tunc formentur argumenta Scoti contra S. Thomam, quòd non repugnat intellectui ex natura propria. Si verò dicat, quòd sibi repugnat propter aliquam indispositionem in intellectu, ergo ablata tali indispositione non repugnabit sibi: sicut ablato actu credendi, non repugnat visio. Scotus ergo probat, quòd sibi non repugnat simpliciter: ideò primum argumentum directè cõcludit contra S. Thomam, scilicet *intellectus existens eadem potentia*, &c.

Si dicatur, quòd per istud argumentum possum concludere, quòd non repugnat homini pro statu isto posse cognoscere Deum sub ratione Deitatis, quia intellectus est eadem potentia hîc, & in patria.

Dico primò, quòd non repugnat simpliciter etiam hîc, dummodò obiectum sit sibi præsens sub ratione propria. Sed Scotus probauit suprà *quæst. 1. prolog.* quòd sibi repugnat naturaliter, id est, quòd vi sua non potest habere cognitionem distinctam Deitatis, quia illa cognitio requirit præsentiam obiecti: modò essentia est obiectum tantùm voluntarium respectu intellectus nostri.

Secundò dico, quòd etiam posito, sed non concesso, quòd repugnaret sibi, vt vnito corpori corruptibili: non tamen sibi repugnaret ex natura intellectus, posita semper præsentia obiecti. Argumentum tamen concludit contra Thomam, qui negat hoc ab intellectu ex natura intellectus.

f *Contrà, obiectum primum habitus.* Vt intelligatur ista litera, dico, quòd hoc argumentum 4.
euidenter

euidenter concludit, positis istis, scilicet præsentia obiecti immaterialis, & hoc in se, si est cognitio intuitiua; vel in specie intelligibili repræsentante quiditatem illam sub propria ratione, si est cognitio abstractiua. Secundò, supposito quòd habitus intellectus, (qui vel inclinat ad cognitionem obiecti, cuius est habitus; vel concurrit, vt causa partialis ad hanc cognitionem) tantùm causat cognitionem obiecti perceptibilis à tali potentia: & tale obiectum, vel continetur sub obiecto primo talis potentiæ; vel saltem erit ipsum primum obiectum, vt patet de obiecto potentiæ visiuæ. Si enim excederet primum obiectum, non esset obiectum illius potentiæ: ergo nec habitus respiciens tale obiectum, erit habitus talis potentiæ, quia tunc posset esse causa alicuius cognitionis alicuius obiecti, quod non esset obiectum talis potentiæ, quod est impossibile. Si ergo lumen gloriæ, vel aliquis alius habitus ponitur, vt concurrens necessariò ad causationem cognitionis obiecti immaterialis, illud obiectum de necessitate, vel continetur sub obiecto potentiæ; vel saltem non excedit: ergo priùs erit obiectum potentiæ, quàm habitus: non enim habitus aliquis, vel aliquid posterius potentia, potest facere aliquid esse objectum potentiæ, si illud repugnat sibi ex natura potentia: & hoc est, quod dicit Doctor in confirmatione. Si ergo ponitur lumen gloriæ creatum in intellectu: non ponitur vt faciat illud, quod ex natura sua non est obiectum potentiæ, sit obiectum, quia hoc est impossibile: sed fortè ponitur ad causandum actum perfectiorem. Si enim obiectum esset perfectè præsens intellectui, & esset naturaliter motiuum, certum est quòd intellectus, vnà cum obiecto causarent cognitionem illius: licèt illa cognitio non esset ita perfecta intensiuè, sicut si esset causata ab obiecto, & intellectu informato tali habitu: quod etiam patet à Doctore *in primo distinct.* 17.

5. Si dicatur, quòd licèt non ponatur illud lumen, vt faciat substantiam immaterialem esse simpliciter obiectum, tamen ponitur vt faciat illud esse obiectum proximum: & sic intellectus habet quiditatem rei materialis pro obiecto proximo: quia ad habendam cognitionem illius, sufficit sola præsentia obiecti materialis, vel in se, vel in specie intelligibili: nam ponitur in intellectu respectu cognitionis abstractiuæ speciei intelligibilis, non vt faciat absolutè aliquid esse obiectum: sed vt faciat obiectum proximum.

Contrà: Quia si substantia est perfectè præsens in se, poterit esse obiectum proximum: similiter si sit præsens in specie intelligibili: ideò enim ponitur species intelligibilis obiecti, quando non habetur præsentia obiecti in se.

Si dicatur, nónne anima est perfectè præsens intellectui, & tamen non est obiectum proximum? & similiter Deus est perfectè præsens intellectui (cùm omni rei sit intimus,) & tamen non est obiectum proximum? Oportet ergo addere, quòd sit præsens non tantùm realiter, sed sit præsens in ratione obiecti, vel mouentis, vel terminantis: & lumen gloriæ facit substantiam immaterialem esse præsentem in ratione obiecti.

Dico, quòd hoc non concludit: quia si substantia immaterialis est obiectum ex ratione sua formali: tamen fit proximum obiectum per lumen, &c. Ista approximatio tantùm requiritur propter præsentiam obiecti: si ergo sit perfectè præsens in se, non requiritur alia approximatio: & si anima nostra pro statu isto posset mouere intellectum, non requireretur alia approximatio, quàm præsentia ipsius: sed pro statu isto non potest, quia tantùm intellectus mouetur à quiditate rei sensibilis: tamen non repugnat ex natura potentiæ. Et ex his patet quomodo ratio Scoti euidenter concludit. Multa alia possent dici ad propositum, sed causa breuitatis transeo.

d *Contra hoc arguitur tripliciter*, &c. Vt clariùs intelligatur ista ratio, notandum est, quòd illud de desiderio naturali patet sic: quia potentia tantùm desiderat illa, quæ continentur sub obiecto illius potentiæ: patet, quia potentia visiua naturaliter non desiderat videre sonum, quia non continetur sub suo obiecto: sed intellectus cognoscens effectum perfectissimè, habet desiderium naturale ad cognoscendam causam perfectissimè, & sub ratione propria: patet experientiâ: ergo illa causa continetur sub obiecto potentiæ: ergo tale obiectum non repugnat sibi ex natura potentiæ. 6.

Si dicatur, concedendo quòd sit desiderium naturale, huiusmodi tamen illud desideratum non potest cognosci, nisi mediante lumine supernaturali. *Instantia.*

Contrà, Quia stante præsentia perfecta obiecti, non requiritur lumen ad simplicem cognitionem, puta intensam vt duo tantùm: patet à fortiori. Si enim obiectum minùs perfectum in entitate, & in cognoscibilitate, & per consequens in actualitate præsens intellectui, causat cognitionem sui sine alio medio; vt patet in cognitione intuitiua: & similiter quando est præsens in specie intelligibili, sine alio medio causat, quantò magis obiectum perfectius, & perfectè præsens poterit sine medio? & si medium ponitur, aut ponitur in ratione actiui: & hoc non, quia accipio cognitionem substantiæ immaterialis vt vnum intensam: si obiectum materiale potest in cognitionem sui vnà cum intellectu, non alio medio concurrente in cognitionem etiam intensam vt quatuor: quantò magis substantia immaterialis, cùm incomparabiliter sit maioris actualitatis, & actiuitatis? Illud ergo lumen ponetur tantùm ad intensiorem actum, &c. *Solutio.*

Si dicatur, quòd ponitur ad disponendum potentiam. 7. *Instantia.*

Contrà, Quia ipsa ex se est dispositissima, & in ratione receptiui, cùm ibi nullum sit contrarium; & in ratione motiui respectu actus absolutè sumpti: quia fortè requiritur dispositio aliqua ad actum perfectiorem: si ergo ex se potest vnà cum obiecto materiali in cognitionem perfectam illius, quantò magis poterit cum obiecto immateriali perfectiori? Nam calor vt duo, cum calore vt decem, potest calefacere: quantò magis vnitus cum calore vt viginti? Sic in proposito, si intellectus vnitus cum intelligibili vt sex, potest causare intellectionem: quantò magis vnitus cum obiecto intelligibili vt triginta? patet ergo quomodo argumentum Scoti perfectè concludit. *Solutio.*

e *Secundò sic: nulla potentia potest cognoscere*, &c. Hoc argumentum si intelligatur vt verba sonant, non erit contra Thomam, quia ipse benè fortè concederet, quòd ens commune sensibili, &

& insensibili, potest cognosci: sed talis cognitio erit causata ab aliquo materiali: sicut etiam Scotus concedit quòd possum intelligere Deum sub ratione entis, & hoc cognitione causata à sensibili. Si verò Thomas poneret obiectum terminatiuum esse ens materiale, argumentum Scoti concluderet. Si etiam poneretur ens commune sensibili, & insensibili, posse mouere intellectum sub ratione sua formali, ita esset contra Scotum, sicut contra Thomam, quia Scotus ponit primum obiectum motiuum esse rem sensibilem. Si diceretur, quòd non posset mouere in se, nisi priùs esset motus à sensibili. Dico, quòd idem concluderetur apud Scotum, sicut apud Thomam. Sed quia Thomas expresse ponit quòd omne per se intelligibile, siue loquendo de obiecto motiuo, siue terminatiuo, est quiditas rei materialis abstracta à singularibus materialibus; vel contentum sub tali quiditate: ideò absolutè argumentum Scoti concludit contra ipsum: quia Metaphysica, id est, cognitio Metaphysicalis est de ente communi sensibili, & insensibili: & de passionibus entis communibus sensibili, & insensibili: & tale non continetur sub quiditate rei materialis. Si verò diceretur, quòd accipitur quiditas rei materialis non tantùm pro quiditate materiali in se: sed etiam pro abstracto, & contento in huiusmodi quiditate. Contrà: quia tunc illud abstractum cùm sit communius, deberet poni pro obiecto adæquato: & sic etiam patet vis vltimi argumenti, &c.

Cognitio Metaphysicalis est de ente cõmuni.

8. *Doct. videtur contra se cõcludere.*

Et quia ista argumenta videntur etiam concludere contra Scotum, qui ponit tantùm quiditatem rei sensibilis pro obiecto adæquato intellectus nostri: & tamen multa cognoscimus, quæ non sunt in se sensibilia: quia ens, & passiones entis, & multa transcendentia, quæ non continentur sub quiditate sensibili.

Dico, quòd non est contrà, quia tantùm loquitur de obiecto motiuo, non autem terminatiuo. Si dicatur, obiectum habitus Metaphysici mouet intellectum: & illud est ens commune sensibili, & insensibili. Sustinendo hoc, possumus dicere, quòd quiditas rei sensibilis est primum obiectum motiuum, loquendo de prima motione, quæ est causare speciem intelligibilem sui, & omnium superiorum: & habita specie intelligibili superiorum, illa superiora, vt relucent in tali specie, possunt causare cognitionem sui vnà cum intellectu: & sic pro statu isto non potest habere cognitionem, nisi sensibilium, & contentorum essentialiter, vel virtualiter in illis: licèt contenta essentialiter possint fortè habere propriam motionem, scilicet causare propriam cognitionem, non tamen propriam speciem intelligibilem: quia illa causatur tantùm à phantasmate, & intellectu agente. Sed loquendo de intellectu ex natura intellectus, quodlibet ens natum causare cognitionem sui, posset illam causare in intellectu nostro ex natura intellectus: & sic substantiæ separatæ præsentes in se, vel in specie intelligibili, possent partialiter causare cognitionem sui: etiam possent causare speciem repræsentantem superiora, & fortè cognitionem eorum: & sic cognitio superiorum non dependeret quoquomodo à sensibili.

9. *Primum dubium.*

Dubitatur in hoc, quod dicit, scilicet *desiderium naturale est in intellectu cognoscente effectum ad cognoscendum causam.* Tum, quia desiderium naturale ad scientiam, est tantùm ad illam, vt ad perfectionem, quâ scilicet potentia perficiatur: ergo est tantùm ad cognitionem absolutè, & non ad cognitionem, vt includit relationem ad obiectum: quia ipsa scientia absolutè perficit potentiam, sicut patet in procemio Metaphysicæ *omnes homines naturâ scire desiderant:* ibi Doctor vult, quòd tale desiderium sit ad scientiam, vt ad formam perficientem: & si non, sequitur quòd non sit desiderium naturale ad obiectum, ad quod est talis scientia.

Secundò, quia desiderium naturale præcedit omnem notitiam, & per consequens non præsupponit aliquam cognitionem: ergo etiam si non esset cognitio effectus, esset naturale desiderium ad quodcunque est.

Respondeo ad primum, quòd desiderium naturale est non tantùm ad perfectionem intrinsecam, sed etiam ad extrinsecam: potentia enim visiua appetitiua naturaliter non tantùm appetit visionem coloris in se, sed etiam appetit coniungi perfecto colori, vt obiecto extrinseco: sic in proposito, intellectus appetit coniungi suo obiecto perfectissimo: quod non contingit, nisi per intellectionem, qua coniungitur: appetit ergo scientiam, non solùm vt formam perficientem formaliter, & intrinsecè: sed etiam eam appetit, vt per ipsam attingat obiectum, ad quod habet naturale desiderium. *Desiderium naturale est ad perfectionẽ intrinsecam, & intrinsecam.*

Ad secundum, concedo, quòd non præsupponit aliquam cognitionem: sed debet sic intelligi, quòd desiderium naturale non tantùm est ad cognoscendum effectum, sed etiam ad cognoscendum causam: & præcipuè causam perfectissimam, à qua magis dependet effectus.

Secundò principaliter dubitatur in hoc, quod dicit: *nulla potentia potest cognoscere aliquid sub ratione communiori, quàm sit eius obiectum primum.* 10. *Secũdum dubium.*

Tum, quia essentia diuina est obiectum primum, & adæquatum intellectus diuini: & tamen potest cognoscere omne cognoscibile: sed conceptus entis est cognoscibilis: similiter conceptus substantiæ transcendentis, qui conceptus sunt communiores ipsa essentia diuina. Tum etiam, quia Doctor *quæst.* 14. *Quodlib.* vult, quòd obiectum adæquatum intellectus creati sit tantùm ens limitatum, siue finitum: & tamen potest cognoscere conceptum entis, vt communem enti limitato, & illimitato: vt suprà patuit *quæst.* 1. *præsentis dist.* & sic cognoscet aliquid sub ratione communiori, quàm sit obiectum eius adæquatum, Si dicatur, quòd loquitur ibi de obiecto tantùm motiuo: contrà, quia conceptus entis, vt communis Deo, & creaturæ, est obiectum motiuum: supponendo quòd habeat speciem propriam intelligibilem: quod Doctor non negat: etiamsi non habeat, sufficit quòd species inferioris possit illam causare. Tum etiam, quia Metaphysica est de ente, inquantùm ens, vt est commune enti limitato, & illimitato: & tamen ens limitatum ponitur obiectum adæquatum intellectus creati.

Respondeo ad primum, quòd essentia diuina est obiectum adæquatum intellectus diuini, & in ratione motiui: quia ipsa mouet ad cognitionem omnis obiecti; & etiam in ratione terminatiui: quia cognitio intellectus diuini terminatur ad essentiam, ita quòd non cognoscit aliquid aliud ab essentia, nisi præcisè, vt in essentia: vt patet à Doctore *in quodlib. quæst.* 15. Dico etiam, quòd cognoscit omnia intuitiuè, & perfectissimè: *Responsio.*

cognoscere

cognoſcere enim conceptum entis in tali communitate eſt ipſum cognoſcere tantùm abſtractiuè, quæ cognitio eſt imperfecta.

Ad ſecundum dico, quòd ens limitatum eſt obiectum motiuum, &c. Cùm dicitur quòd ille conceptus mouet. Dico quòd in ſe non mouet, cùm tantùm habeat *eſſe* diminutum, ſed ſpecies intelligibilis illius mouet: tamen talis ſpecies eſt cauſata ab aliquo ente limitato, in quo continetur conceptus entis quiditatiuè, vt ſuprà patuit. Loquendo tamen de obiecto adæquato terminatiuo, dico, quòd eſt ens, inquantum ens: vt eſt commune enti limitato, & illimitato. Et ſic Doctor indiſtinctè loquitur de obiecto adæquato, &c. Et per hoc patet reſponſio ad tertium argumentum.

11. *Tertium dubium.* Tertiò principaliter dubitatur, in hoc, quòd dicit in vltima ratione, ſcilicet, *quicquid per ſe cognoſcitur à potentia cognitiua, vel eſt eius obiectũ primum, vel continetur ſub eius obiecto primo.* Contrà, tum, quia conceptus entis intelligitur, & tamen non eſt obiectum primum, ſiue adæquatum: patet, quia obiectum adæquatum non intelligitur vna intellectione, vt patet: quia obiectum adæquatum per ſe includitur in omni per ſe intelligibili, vt patet à Doctore *q.1. prolog.* & ſic percipiens obiectum adæquatum percipit omnia per ſe intelligibilia, vt patet ibidem, quòd non percipiuntur vnico actu ab intellectu noſtro. Nec ſimiliter conceptus entis continetur ſub aliquo: patet, quia eſt conceptus communiſſimus.

Reſponſio. Dico, quòd Doctor cùm accipit ens eſſe obiectum adæquatum intellectus noſtri in ratione motiui, ſiue terminatiui, non accipit ipſum ens tantùm pro conceptu entis communi omni enti, ſed accipit prout includitur in omni ente, ſiue vt comprehendit omne ens. Et hoc modo conceptus entis, etſi non contineatur ſub aliquo communiori, cùm ſit communiſſimus: tamen dicitur aliquando contineri, cùm ponatur eſſe de numero entium intelligibilium: eo modo, quo expoſui ſuprà *q.1. prol.* & nota benè omnia iſta.

12. *Soluit Scotus rationem D. Thomæ.* f *Congruentia etiam illa.* Soluit Doctor rationẽ Thomæ, qua probabat primum obiectum eſſe quiditatem rei materialis: quia potentia proportionatur obiecto: & ſic cùm intellectus noſtri ſit in materia, habebit obiectum materiale, &c. Dicit Doctor quòd inter obiectum & potentiam non eſt propriè ſimilitudo, & hoc in modo eſſendi: quia obiectum poterit habere alium modum eſſendi à modo eſſendi potentiæ, vt infrà patet: ſe habent enim vt motiuum, & mobile: nam obiectum eſt propriè motiuum potentiæ, & potentia mobilis ab ipſo. Dicitur enim obiectum eſſe motiuũ potentiæ, pro quanto eſt cauſatiuum alicuius effectus, ſiue vt totalis; ſiue vt partialis cauſa: qui natus ſit recipi in tali potentia, & potentia dicitur mobilis ab obiecto, pro quanto nata eſt recipere effectum ab obiecto cauſatum: & ſic obiectum motiuum ſe habet vt actus: quia actiuum, vt huiuſmodi, dicitur eſſe actiuum, vt eſt in actu virtuali: vt infrà patebit: & mobile, vt huiuſmodi, dicitur eſſe in potentia, ſcilicet receptiua, & hoc modo actus, & potentia ſunt ſimpliciter alterius rationis, & per conſequens magis ſunt diſſimilia, ſcilicet obiectum, & potentia, quàm ſimilia. Et ſic concedit, quòd inter illa eſt proportio, quæ ſemper requirit diſſimilitudinem proportionatorum, vt patet in omnibus proportionibus poſitis in 5. lib. Euclidis. Proportio enim dupla requirit diſſimilitudinem proportionatorum, quatuor enim & duo inter quæ eſt proportio dupla, ſunt alterius rationis, ſunt enim numeri ſpecie diſtincti, & ſic de aliis.

Thomas arguit, probando quòd inter potentiã, & obiectum ſit ſimilitudo: quia licèt agens factiuum, vt ignis, poſſit eſſe diſſimile obiecto, circa quod, id eſt, paſſum receptiuum ſuæ actionis, vt calefactibile: tamen operans in cognitiua operatione, id eſt, vt cognoſcens, oportet aſſimilari obiecto, circa quod operatur: quia tale obiectum non eſt paſſiuum, ſiue receptiuum reſpectu potentiæ, ſed magis actiuum, & per conſequens aſſimilans. Nam omnes antiqui concordant in hoc, quòd cognitio ſit per aſſimilationem.

Reſpondet Doctor, concedendo quòd benè potentia poteſt per actum ſuum cognoſcendi aſſimilari obiecto, & hoc dupliciter, ſcilicet formaliter, quando ſcilicet actu intelligit obiectum: quia actus intelligendi eſt ſimilitudo obiecti, vt infrà patebit *q.6. præſentis d.* Poteſt etiam aſſimilari, vt in potentia proxima, & hoc, quando habet actu ſpeciem intelligibilem, quæ non eſt vera ſimilitudo obiecti, ſicut actus intelligẽdi, vt patebit infrà *q.6.* quia tamẽ eſt intellectus per ſpeciem illam cauſa propinqua actus intelligendi, ideò potentia dicitur eſſe in potẽtia proxima, vt ſit ſimilis obiecto. Nõ tamẽ potentia in ſe eſt ſimilis in modo eſſendi, vt patet per multa exempla hîc in litera poſita.

In iſta litera occurrunt aliqua dubia. Primò in 13. *Primum dubium.*
in hoc, quòd obiectum, & potentia ſe habent vt diſſimilia: quia ſe habent obiectum, vt motiuum, & potentia, vt mobilis: quia vt actus, & potentia. Ex hoc ſequitur quòd idem erit diſſimile ſibi: patet, quia idem poteſt mouere ſe, & per conſequens idem erit motiuum, & mobile. Hoc patet à Doctore *in 2. diſt. 2. quæſt.* 10. vbi probat de grauibus, & leuibus: imò idem omnino indiuiſibile poteſt mouere ſe, vt patet à Doctore de Angelo vbi ſuprà. Hoc idem patet de intellectu, qui poteſt mouere ſe: *in præſenti d. q. 7. & in 2. d. 3. q. 8.* Et ſimiliter eadem voluntas omnino indiuiſibilis poteſt mouere ſe: vt patet à Doctore *in 1. d. 2. p. 2. q. 3.* hoc idem *in 2. d. 25. & in quodl. & alibi, vt in 1. d. 26.* ergo idem indiuiſibile erit diſſimile ſibi.

Secundò dubitatur in hoc, quod dicit: quòd *inter cauſam, & cauſatum eſt proportio, quæ requirit diſſimilitudinem*; quia ſi ſic, ſequitur quòd cauſa vniuoca, & effectus vniuocus ſint diſſimilia: quod non videtur, quia ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ. *Secundum.*

Reſponſio ad primum. Quomodo idẽ eſt diſſimile ſibi. Reſpondeo ad primum: quòd licèt in re in eodẽ abſolutè conſiderato, non ſit diſſimilitudo reſpectu eiuſdem: tamen vt idem conſideratum in ratione motiui, & in ratione mobilis, poterit eſſe diſſimile ſibi: quia inter iſtas rationes, ſcilicet motiui, & mobilis, eſt neceſſariò diſſimilitudo. Vult ergo Doctor tantùm habere, quòd inter potentiam, & obiectum non requiratur neceſſariò ſimilitudo in modo eſſendi: quia obiectum ſemper habet rationem motiui, & potentiæ rationem mobilis: quæ rationes ſunt in ſe formaliter diſſimiles, & quodammodo oppoſitæ, & quòd idem ſit motiuum, & mobile, eſt ratione ſuæ illimitationis, vt patet à Doctore *in iſto 1. d. 1. & 16.*

Ad ſecundũ. Ad ſecundum, patet per idem: quia eſſe cauſabile, & eſſe cauſatiuum: quia cauſatiuum eſt in actu, & cauſabile in potentia: & vt ſic, neceſſariò ſunt diſſimilia: licèt in ſe abſolutè conſiderata aliquando ſint eiuſdem ſpeciei.

SCHOLIVM.

Refutat Henricum asserentem, Deum esse primum obiectum nostri intellectus, & voluntatis. Primò, quia non cognoscitur Deus, nisi sub ratione generalis attributi secundùm Henricum, vel sub quiditate in communi secundùm Scotum; ergo illud commune erit potiùs obiectum, quàm Deus vt particulare. Secundò, Deus non est obiectum primum adæquatione communitatis, quia non dicitur de omni cognoscibili, neque adæquatione virtualitatis, quia alia præter Deum habent propriam virtutem, mouendi intellectum, & ideò essentia diuina est adæquatum obiectum intellectus Dei, quia nihil aliud potest mouere Dei intellectum, de quo suprà quæst. 3. prol.

5. *Her. quodl. 13. q. 9. & quod. 15. q. 9.* ALia [a] est opinio, quæ ponit Deum esse primum obiectum intellectus, cuius rationes fundamentales sunt illæ, quæ adductæ sunt ad primam partem quæstionis arguendo ad principale. Et propter easdem ponit Deum esse primum obiectum voluntatis: quia habet rationem volendi omnia alia, sicut adduxit auctoritatem August. 8. de Trinit. cap. 16. de magnis, vel 17. de paruis. *Cur ergo alium diligimus*, &c. Et sequitur: *Nisi formam, vbi videmus quid sit iustus animus, diligeremus, nullo modo eum diligeremus, quem ex ista diligimus.*

Impugnat Henricum. Contra [b] istam opinionem arguitur sic: Primum obiectum naturale alicuius potentiæ habet naturalem ordinem ad illam potentiam: Deus non habet naturalem ordinem ad intellectum nostrum, sub ratione motiui, nisi fortè sub ratione alicuius generalis attributi, sicut ponit illa opinio: ergo non est obiectum primum nisi sub ratione illius attributi: vel secundùm illam opinionem, quam priùs tenui, (quòd Deus non intelligitur, nisi sub ratione entis.) non habebit naturalem ordinem, nisi sub tali conceptu vniuersali: sed particulare, quod non intelligitur nisi in aliquo communi, non est primum obiectum intellectus, sed magis illud commune: ergo, &c.

Obiectum adæquatum secundùm communitatem prædicationis, & virtualitatẽ motionis. Quæst. 3. Præterea [c], certum est quòd Deus non habet primitatem adæquationis propter communitatem, ita quòd dicatur de omni obiecto per se intelligibili à nobis: ergo si aliquam habet primitatem adæquationis, hoc erit propter virtualitatem: quia scilicet virtualiter continet omnia in se, per se intelligibilia. Sed propter hoc non erit obiectum primum adæquatum intellectui nostro, quia alia entia mouent intellectum nostrum propria virtute, ita quòd essentia diuina non mouet intellectum nostrum primò ad se, secundò ad omnia alia cognoscibilia cognoscenda: sicut autem prædictum est in quæstione de subiecto Theologiæ, essentia diuina ideò est primum obiectum intellectus diuini, quia ipsa sola mouet intellectum diuinum, & ad cognoscendum se, & omnia alia cognoscibilia ab ipso intellectu. Per easdem rationes [d] probatur quòd non potest poni primum obiectum intellectus nostri, substantia in communi propter attributionem omnium accidentium ad substantiam, quia accidentia habent propriam virtutem motiuam intellectus: ergo substantia non mouet ad se, & ad omnia alia cognoscibilia.

COMMENTARIVS.

1. *Opinio Henr.* a *ALia est opinio, quæ ponit Deum esse primum obiectum*, supple adæquatum *intellectus* nostri, & hæc est opinio Henrici quodlib. 15. quæst. 9.

b *Contra istam opinionem.* Hîc Doctor arguit contra Henricum, & intendit probare quòd Deus non sit adæquatum obiectum intellectus nostri, & hoc in ratione motiui. Et ratio stat in aliquibus dictis.

Primum, quòd obiectum adæquatum alicuius potentiæ habet naturalem ordinem ad talem potentiam, & hoc in ratione motiui: hoc patet, quia obiectum adæquatum, & potentia sic proportionantur, quòd extremum, vt est obiectum adæquatum naturaliter, potest mouere potentiam, causando in ea cognitionem sui, & potentia nata est moueri naturaliter à tali obiecto: & sic habent naturalem ordinem ad inuicem, quòd sicut quodlibet cõtentum sub obiecto adæquato, natum est mouere quamlibet potentiam contentam sub potentia, cui adæquatum obiectum adæquatur: sic quælibet potentia contenta sub illa, nata est moueri naturaliter à quolibet contento sub obiecto adæquato, & ista proportio naturalis ordinis, scilicet obiecti, & cuiuslibet contenti ad potentiam, & è contrà: expressè patet à Doctore *in prolog. q. 1.* & clariùs *in quodl. q. 14.*

Secundum dictum est, quòd Deus sub ratione Deitatis non habet naturalem ordinem ad aliquem intellectum creatum, vt patet, quia tunc naturaliter posset cognosci à tali intellectu: posset etiam naturaliter mouere intellectum creatum: est enim de ratione obiecti habentis naturalem ordinem ad potentiam in ratione motiui, vt possit illam naturaliter mouere: & sic Deus sub ratione Deitatis posset agere ad extrà: quæ omnia sunt inconuenientia. *Deus sub ratione Deitatis non potest agere ad extra.*

Tertium dictum, quòd Deus fortè sub ratione alicuius generalis attributi: puta bonitatis, veritatis, & huiusmodi, dicit naturalem ordinem ad intellectum creatum: non sic tamen intelligendo, quòd ipse Deus naturaliter possit mouere intellectum creatum, ad cognitionem alicuius generalis attributi: quia non ponimus ipsum posse natura 2. *Quomodo Deus dicit ordinem naturalem ad intellectum creatum.*

naturaliter causare in intellectu creato; nec sui cognitionem, nec cuiuscunque alterius: quod patet à Doctore *quæst.* 14. *quodlib.* Sed sic debet intelligi, quòd generale attributum, quod prædicatur de Deo, habet naturalem ordinem ad intellectum creatum, & hoc vel in se, vel in suo inferiori: puta, quòd bonitas in se sumpta naturaliter moueat intellectum creatum ad sui cognitionem: vel saltem aliquod inferius essentialiter creatum: vel aliquod inferius creatum continens ipsum virtualiter. Et si poneretur Deus adæquatum obiectum intellectus creati sub ratione generalis attributi: Deus in se non esset adæquatum obiectum: sed magis illud generale attributum.

Quartum dictum est, quòd Deus sit obiectum adæquatum intellectus creati sub ratione entis sustinendo opinionem Doctoris quòd ens sit commune vniuocum Deo, & creaturæ: & tunc sensus est, quòd ens, sub ratione entis, habet naturalem ordinem ad intellectum creatum, mouendo illum, & hoc vel in se, vel in rebus creatis continentibus essentialiter, vel virtualiter ipsum, & sic patet ratio Doctoris, quâ probatur Deum sub ratione Deitatis non esse adæquatum obiectum intellectus creati.

3. *Nota de adæquatione obiecti.* c *Præterea, Certum est quòd Deus non habet primitatem adæquationis propter communitatem.* Dicit Doctor quòd duplex est adæquatio obiecti: vel communitatis; vel virtualitatis. Primò modo, illud dicitur obiectum adæquatum intellectus creati: quod est commune ad omnia per se intelligibilia ab intellectu creato, & prædicatur de illis. Secundo modo, quòd virtualiter continet omnia per se intelligibilia, & per consequens, quod potest causare cognitionem omnium per se intelligibilium ab intellectu creato, & iste secundus modus potest dupliciter intelligi.

Obiectũ virtualiter adæquatum est dupliciter. Primò, quòd illud dicatur obiectum adæquatum virtualiter respectu alicuius potentiæ, quod sic virtualiter contineat omnia per se intelligibilia ab aliqua potentia, quòd ipsum solum possit mouere potentiam ad cognitionem cuiuscunque obiecti intelligibilis: ita quòd sit impossibile talem potentiam posse moueri ad cognitionem alicuius intelligibilis, nisi tantùm ab illo: & hoc modo essentia diuina ponitur adæquatum obiectum intellectus diuini in ratione obiecti: quia ipsa mouet intellectum diuinum ad sui cognitionem, & omnium per se intelligibilium: & est impossibile intellectum diuinum moueri ab aliquo alio obiecto ad sui cognitionem: vt clarè patet à Doctore *quæst. pen. prol.* & clariùs *in quæst.* 4. *quodl.* Et hoc modo essentia diuina quamuis virtualiter, & eminenter contineat omnia per se intelligibilia: quia tamen alia per se intelligibilia possunt per se mouere intellectum creatum, non ponitur adæquatum obiectum intellectus creati: loquendo de adæquatione virtuali.

4. Secundò, potest intelligi obiectum adæquatum virtualiter sic, quòd posset mouere intellectum creatum ad cognitionem cuiuscunque per se intelligibilis: sic tamen, quòd etiam quodcunque per se intelligibile posset mouere intellectum creatum motione propria ad sui cognitionem. Hoc etiam modo Deus sub ratione Deitatis quamuis virtualiter, vel eminenter contineat omne per se intelligibile, non potest tamen mouere aliquem intellectum creatum ad cognitionem alicuius per se intelligibilis, vt suprà patuit.

Si dicatur, quòd voluntas diuina potest mouere intellectum creatum ad cognitionem cuiuscunque per se intelligibilis. Conceditur: sed hoc non arguit ipsam esse adæquatum obiectum adæquatione virtuali: quia quod sic est adæquatum, potest mouere in ratione obiecti intelligibilis: voluntas autem diuina et si effectiuè possit mouere quemlibet intellectum causando in eo cognitionem cuiuscunque obiecti: non tamen potest in ratione obiecti intelligibilis: vt patet. *Volũtas diuina potest mouere intellectum creatum.*

d *Per easdem rationes probatur.* Hæc litera clara est. Substantia enim in communi non potest poni primum obiectum intellectûs creati: nec primitate communitatis, quia non prædicatur per se de omni per se intelligibili, quia non de qualitate, nec quantitate; nec primum primitate virtualitatis; tum, quia alia obiecta à substantia possunt per se mouere intellectum ad sui cognitionem: tum etiam, quia non teneo, quòd substantia possit mouere aliquem intellectum ad cognitionem omnium accidentium: cùm nec contineat omnia illa virtualiter, secundùm totam eorum entitatem: & de hoc vide singularem glossam, quam feci super distinct. 3. quæst. 10. secundi Doctoris.

In ista litera sunt aliqua dubia. Primò in hoc, quòd dicit, quòd *primum obiectum alicuius potentiæ habet naturalem ordinem ad illam potentiam*, scilicet in ratione motiui, hoc non videtur. Tum, quia sonus est primum obiectum, primitate adæquationis, potentiæ auditiuæ, & tamen non potest naturaliter mouere illam ad sui notitiam; quia tunc sonus in communi audiretur, nec similiter potest mouere ad notitiam omnium contentorum in eo, quia tunc particulares soni non haberent propriam virtutem mouendi ad sui notitiam, siue auditionem. 5. *Primum dubium. Vide Bargiũ contradicentẽ hic Licheto.*

Tum, quia sensibile in communi ponitur obiectum adæquatum virtutis phantasticæ: & tamen virtus phantastica non percipit, nisi singularia sensibilia: modò obiectum primum motiuum alicuius intellectus necessariò priùs mouet ad sui notitiam, quàm ad notitiam contentorum, vt patet *in Quodlib. & suprà in Prolog. quæst. penult. & dist.* 1. *quæst.* 2. vbi habetur, quòd essentia diuina, quæ ponitur primum obiectum intellectus diuini necessariò priùs mouet ad sui notitiam: ergo sensibile in communi priùs mouet virtutem phantasticam ad sui notitiam, & sic virtus phantastica primò cognoscit naturam communem omni sensibili. *Secundũ dubium.*

Tum, quia ens sub ratione entitatis ponitur primum obiect m naturale potentiæ volitiuæ: vt patet à Doctore *præsenti dist. quæst. præsenti, & in* 4. *dist.* 49. ergo habet naturalem ordinem ad voluntatem, & sic necessariò mouebit voluntatem ad sui volitionem, & tunc voluntas non erit libera respectu sui actus. Si dicatur, quòd tantùm mouebit partialiter, & per consequens habebit actum in sua potestate. Contrà, & accipio obiectum perfectius voluntate, puta naturam Angelicam, tunc voluntas erit causa minùs principalis, & natura Angelica erit causa magis principalis, tunc sic: effectus magis dependet à causa magis principali, quàm à minùs principali: ergo volitio erit necessariò causata. Patet cõsequentia per Doctorem infrà *d.* 17. vbi vult, quòd si habitus esset causa magis principalis actus, quàm voluntas: quòd tunc actus non esset in potestate voluntatis, quod est falsum. *Tertium dubium.*

6. *Responsio ad primum.* Respondeo ad primum, quòd sonus, vt est præcisè quid commune omnibus inferioribus, non dicitur obiectum adæquatum: sed vt includitur in omnibus per se audibilibus, & sic obiectum adæquatum potentiæ auditiuæ est vnum aggregatum ex omnibus per se audibilibus: quibus sonus ponitur communis, & dicibilis in *quid*. Et sic concedo quòd quodlibet per se audibile, potest causare notitiam sui in potentia auditiua, & talia per se audibilia non sunt, nisi singularia, quæ mouent. Dico secundò, quòd aliud est loqui de conditione obiecti motiui, & aliud de ratione formali mouendi. Primo modo, singularitas est conditio mouentis: secundo modo, natura communis est ratio mouendi. De hoc prolixè dictum est *in* 1. *Metaph. quæst.* 6. Similiter sonus in communi est ratio formalis terminandi auditionem: & singularitas est tantùm conditio terminantis, vt ibi patet.

Natura nō est ratio mouēdi suo inferiori. Nota tamen, quòd sonus in communi non est ratio formalis mouendi cuicunque inferiori: quia tunc virtualiter contineret inferiora: sed est fortè ratio formalis mouendi ad sui notitiam præcisè, & non ad notitiam inferiorum: sed quodlibet inferius habet propriam rationem mouendi ad sui notitiam: vt infrà patebit de obiecto intellectus, & sicut dixi de ratione formali mouendi, hoc idem dico de ratione formali terminandi. Et per hoc patet responsio ad secundam instantiā, quæ est de obiecto virtutis phantasticæ: eodem enim modo respondeo sicut ad primum.

Ad secundū. Ad aliud de voluntate. Dico primò, quòd non est manifestum apud Doctorem obiectum aliquod posse mouere voluntatem, nec vt causa totalis: nec vt causa partialis: vt patet in 2. *d.* 25. vbi prolixè loquitur de hac materia.

Ad tertium. Dico secundò, quòd posito, quòd obiectum cognitum sit partialis causa actus voluntatis: tamen voluntas communiter ponitur causa magis principalis. Cùm dicitur de Angelo, &c. Dico, quòd etsi Angelus sit perfectior essentialiter voluntate nostra: tamē respectu volitionis non dicitur causa magis principalis, & voluntas minus principalis. Nam quantùm ad hanc conditionem, quòd est vti alia causa: quæ conditio conuenit semper causæ superiori: magis conuenit voluntati respectu sui actus, quàm Angelo: quia voluntas in eliciendo actum amoris erga Angelum, magis vtitur Angelo, quàm è contra, & sic semper est causa magis principalis. & quòd magis vtatur Angelo, quàm è contra, patet; quia essentia Angeli cognita nullo modo causat partialiter volitionem sui, voluntate simul, vel priùs non eliciente actum: sed benè quando voluntas actu elicit, essentia Angeli actu concurrit. Et sic oportet intelligi dictum Doctoris *in* 1. *d.* 17. vbi de hoc erit sermo prolixior. *Nota.*

Quartū dubium. Quartò arguitur contra illam conclusionem, de ordine naturali obiecti: quia tunc sequeretur, quòd idem formaliter haberet naturalem ordinem ad seipsum: & tunc idem respectu eiusdem esset naturaliter prius, & posterius: quia ordo naturalis est tantùm vbi est prius, & posterius. Probatur antecedens, quia idem intellectus est obiectum naturale sui, quia mouet ad sui notitiam, quando seipsum cognoscit: & hoc patet de intellectu Angelico per Doctorem *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 8. Dico breuiter, quòd non est inconueniens, quòd idem vt in actu virtuali habeat naturalem ordinem ad seipsum, vt in potentia formali, & sic idem, vt in actu virtuali, est naturaliter motiuum sui, vt in potentia formali, vt patebit infrà *præsenti dist. quæst.* 7. *& in* 2. *dist.* 2. *quæst.* 10. *& dist.* 25. *& alibi.* *Responsio ad quartum.*

SCHOLIVM.

Scotus, vt meliùs declaret suam sententiam de obiecto primo intellectus, ostendit ens non esse vniuocum dictum in quid de differentijs vltimis & paßionibus suis. De differentijs probat primò, quia si essent differentes alijs differentijs, & illæ aliæ includerent ens, differrent alijs, & sic in infinitum. Secundò, compositum Physicum resoluitur in partes ita diuersas, vt nihil vnius includat aliquid alterius, v. g. in materiam & formam, ergo compositum Metaphys. resoluitur in conceptus ita diuersos, scilicet determinabilem & determinantem, vt neuter horum aliquid includat alterius, atque adeò conceptus differentiæ, erit tantùm determinans, nihil habens determinabilitatis, fortè vult tantùm, non includi ens in his differentijs, vt quid vlterius determinabile, & rationes eius id tantùm suadent. De paßionibus entis probat primò, quia ens vt additum ponitur in definitione paßionis, ergo non dicitur de ea in quid. Confirmatur, vnum dicitur de ente per se secundò, ergo ens non dicitur de vno per se primò, quia prædicationes per se non conuertuntur. Secundò, ens adæquatè diuiditur in increatum, & decem genera, sed paßiones eius sub neutro membro continentur. Tertiò, si vnum includit ens præcisè, ens erit paßio sui, si ens & aliquid aliud: ergo erit processus, vel stabitur in aliquo non includente ens.

6. *Mens auctoris.* AD quæstionem * igitur, Respondeo, quòd nullum potest poni primum obiectum intellectus nostri naturale, propter adæquationem talem virtualem, propter rationem tactam contra primitatem obiecti virtualis in Deo, vel in substantia. Vel igitur nullum ponetur primum obiectum, vel oportet ponere primum adæquatum propter communitatem in ipso. Quòd si ens ponatur æquiuocum creato, & increato, substantiæ, & accidenti, cùm omnia ista sint per se intelligibilia à nobis, nullum videtur posse poni primum obiectum intellectus nostri, nec propter virtualitatem, nec propter communitatem: sed ponendo illam positionem, quam posui in prima quæstione huius distinctionis, de vniuocatione entis, potest aliquo modo saluari aliquod esse primum obiectum

obiectum intellectus nostri. Ad quod intelligendum primò declaro, qualis sit vniuocatio entis, & ad quæ est, & secundò ex hoc ad propositum.

Quantum ad primum dico, quòd ens non est vniuocum dictum in *quid* de omnibus per se intelligibilibus: quia non de differentiis vltimis, nec propriis passionibus entis. *Qualis sit vniuocatio entis?*

Nam differentia vltima dicitur, quia non habet differentiam, quia non resoluitur in conceptum quiditatiuum, & qualificatiuum, determinabilem, & determinantem: sed est tantùm conceptus eius qualificatiuus, sicut vltimum genus habet tantùm conceptum quiditatiuum. ADDITIO.

Primum, videlicet de differentiis vltimis dupliciter probo. Primò sic: Si differentiæ includant ens vniuocè dictum de eis, & non sunt omnino idem: ergo sunt diuersa, aliquid idem, entia: talia sunt propriè differentia ex 5. & 10. Metaph. ergo differentiæ illæ vltimæ propriè erunt differentes: ergo aliis differentiis differunt. Quòd illæ aliæ includant ens quiditatiuè, arguitur de eis, sicut de prioribus, & ita erit processus in infinitum in differentiis, vel stabitur ad aliquas omnino non includentes ens quiditatiuè, quod est propositum: quia illæ solæ erunt vltimæ. *Text. com. 12.*

Secundò sic [b], sicut ens compositum in re, componitur ex actu, & potentia in re: ita conceptus compositus per se vnus, componitur ex conceptu potentiali, & actuali, siue ex conceptu determinabili, & determinante. Sicut igitur resolutio entium compositorum stat vltimò ad simpliciter simplicia, scilicet ad actum vltimum, & potentiam vltimam, quæ sunt primò diuersa, ita quòd nihil vnius includit aliquid alterius: alioquin hoc non esset primò actus, nec illud primò esset potentia: quod enim includit aliquid potentialitatis, non primò est actus. Ita oportet in conceptibus, omnem conceptum non simpliciter simplicem, & tamen per se vnum, resolui in conceptum determinabilem, & determinantem: ita quòd ista resolutio stet ad conceptus simpliciter simplices, scilicet ad conceptum determinabilem tantùm, ita quòd nihil determinans includat, & ad conceptum determinantem, qui scilicet non includit aliquem conceptum determinabilem, ille conceptus tantùm determinabilis, est conceptus entis, & determinans tantùm est conceptus vltimæ differentiæ: ergo isti erunt primò diuersi, ita, quòd vnum nihil includit alterius. *Materia & forma primò diuersa subiectiuè, non obiectiuè. Non negat à materia actualitatē entitatiuā, sed formalem. Scot. 2. d. 12. q. 1. & 2. Sicut in cōposito Physico fit resolutio ad partes quarum altera nihil alterius includit, sic etiam resoluitur comp. Metaph. in conceptus.*

Secundum [c], scilicet propositum de passionibus entis, probo dupliciter, primò sic; passio per se secundo modo prædicatur de subiecto, *primo Posteriorum:* ergo subiectum ponitur in definitione passionis, sicut additum, ex eodem 1. *Post. & ex 7. Metaph.* Ens igitur in ratione suæ passionis cadit, vt additum. Habet enim passiones proprias, vt patet per Phil. 4. *Metaph cap.* 3. vbi vult, quòd sicut linea inquantum linea, habet proprias passiones, & numerus inquantum numerus, ita sunt aliquæ passiones entis inquantum ens: sed si ens cadit in ratione earum vt additum, ergo non est per se primo modo in ratione quiditatiua earum.

Hoc etiam confirmatur per Philosophum, *primo Posteriorum, cap. de statu principiorum,* vbi vult, quòd prædicationes per se non conuertuntur, ita quòd si prædicatum dicatur de subiecto per se, non è conuerso dicetur subiectū de prædicato per se, sed per accidens, ergo si ista est per se secundo modo, *ens est vnum,* hæc, *vnum est ens,* non est per se primo modo, sed quasi per accidens, sicut ista propositio est per accidens, *risibile est homo.* 7. *Text. 9. Text. 4. 17. & 19.*

Secundò sic [d], ens sufficienter diuiditur tanquam in illa quæ includunt quiditatiuè ipsum, in ens increatum, & in decem genera, & in partes essentiales decem generum: quidquid sit de istis, non videtur habere plura diuidentia quiditatiuè, quin sint in istis: igitur si vnum, vt vnum includat quiditatiuè ens, continebitur sub aliquo istorum: sed non est aliquid decem generum, nec ex se est ens increatum, quia conuenit entibus creatis, igitur esset species in aliquo genere, vel principium essentiale alicuius generis: sed hoc est falsum, quia omnis pars essentialis in quocunque genere, & omnis species cuiuscunque generis includit limitationem, & ita quodcunque transcendens esset de se finitum, & per consequens repugnaret enti infinito, nec posset dici de ipso formaliter, quod est falsum, quia omnia transcendentia dicuntur perfectiones simpliciter, & conueniunt Deo in summo. *Text. 5. Efficacissima ratio ex textu Philos. Text. 35.*

Tertiò [e] argui potest, & in hoc etiam confirmatur prima ratio ad conclusionem istam, quia si vnum includit ens quiditatiuè, non includit præcisè ens: quia idem tunc esset passio sui ipsius: ergo includit ens, & aliquid aliud. Sit illud *A*, aut igitur illud *A*, includit ens: aut non. si sic, vnum bis includeret ens, & esset processus in infinitum, vel vbicunque stabitur, illud vltimum, quod est de ratione vnius, & non includit ens, vocetur *A*, vnum ratione entis inclusi non est passio, & per consequens illud aliud inclusum, quod est *A*, est primò passio, & est tale, quod non includit ens quiditatiuè, & ita quidquid est primò passio entis, ex hoc non includit ens quiditatiuè. *Hæc ratio nō numeratur à Scot. quia est confirmatio primæ rationis de differētijs.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

1\. a *AD quæstionem igitur respondeo.* Hîc Doctor ponit duos articulos. In primo ostendit de quibus rebus prædicatur ens in *quid:* & de quibus non. In secundo ostendit quomodo ens sit adæquatum obiectum intellectus nostri.

Primus articulus est ibi: *Quantum ad primum, dico, quòd ens non est vniuocum*, &c. Intendit ergo Doctor primò probare, quòd ens non prædicetur in *quid* de vltimis differentiis, quibus supple aliqua vltimatè differunt: & quid sint vltimæ differentiæ, infrà patebit *in præsenti quæst.* Prima probatio est ibi: *Si differentiæ includant ens vniuocè*, &c. In ista ratione Doctor supponit differentiam inter *prædicari vniuocè, & esse prædicatum tantùm vniuocum:* quam ponit in 3. Prædicari vniuocè pro nunc de pluribus, est quòd non tantùm nomen sit commune illis: licèt conceptus significatus per nomen verè prædicetur in *quid* de illis: sicut animal de homine & asino. Prædicatum verò tantùm vniuocum est, quòd non tantùm nomen sit commune pluribus; sed conceptus significatus per nomen verè prædicetur de illis, non tamen in *quid:* vt *album*, prædicatur de ligno, & lapide: quia non tantùm nomen prædicatur de illis: sed etiam conceptus nominis verè prædicatur: licèt tantùm denominatiuè. Prædicatum verò æquiuocum est quando tantùm nomen est commune pluribus: & significata nominis sunt immediata illa plura, de quibus nomen prædicatur. Quando ergo Doctor accipit *prædicari vniuocè*, intelligit, quòd conceptus significatus per nomen prædicetur in *quid* de illis. Secundò supponit, quòd quando aliqua includunt aliquid quiditatiuè, & non sunt omnino idem ad inuicem, quòd illa sunt propria differẽtia, quia inter se differunt, & in aliquo quiditatiuè conueniunt: & loquitur Doctor de illis, quæ propriè differunt: nam aliqua sunt differẽtia secundùm *quid* tantùm: aliqua sunt differentia simpliciter: vt illa quæ conueniunt in aliquo quiditatiuè, & inter se differunt essentialiter, & quiditatiuè. Tunc Doctor arguit sic: Sint *A* & *B* vltimæ differentiæ; aut *A* & *B* sunt primò diuersa, id est, in nullo quiditatiuè conuenientia: sed seipsis quiditatiuè diuersa: & tunc habetur intentum: aut *A* & *B* sunt differentia, id est, in aliquo quiditatiuè conuenientia: & per aliud, & aliud differentia: & illa quibus differunt *A* & *B*, dicantur *C* & *D*, tunc quærendum est, vt priùs, aut ergo stabitur, quòd vltimæ differentiæ sint primò diuersa: & in nullo quiditatiuè conuenientia: aut erit processus in infinitum.

Differentia inter prædicari vniuocè, & prædicatũ vniuocum.

Quid sit prædicatũ æquiuocum.

2\. b Secunda ratio est ibi, *Secundò sic.* Ista ratio est satis euidens, & stat in hoc: quòd est similis modus in componendo compositum reale, & conceptum non simpliciter simplicem: & est similis modus resolutionis vtriusque compositi. Certum est, quòd compositum semper componitur ex aliquo quod est in potentia: & ex aliquo quod est in actu, & resoluitur in illa: & similiter conceptus non simpliciter simplex: puta conceptus hominis componitur ex aliquo potentiali: puta determinabili, siue contrahibili; & ex aliquo actuali, puta determinatiuo, siue contractiuo: sicut conceptus hominis componitur ex conceptu animalis, vt determinabili, & contrahibili: & conceptu rationalis, vt determinatiuo, & contractiuo: & non tantùm conceptus hominis componitur ex conceptu animalis determinabili: sed ex omni conceptu per se determinabili quiditatiuè: vt ex conceptu corporis, substantiæ, entis: & similiter componitur ex omni conceptu per se determinatiuo: & sic resoluitur in illa. Hoc idem dico de composito reali: modo compositum reale, vt homo, non tantùm resoluitur in corpus organicum, & animam intellectiuam: sed resoluitur in materiam primam, & vltimam formam: ita quòd materia prima, & vltima forma sint simpliciter diuersa: quia materia prima est tantùm determinabilis, & in potentia subiectiua. Forma verò vltima substantialis sic est vltimus actus compositi, quòd nullo modo potest esse in potentia subiectiua alicuius pertinentis ad *esse* compositi. Sunt etiam aliquæ formæ intermediæ quæ includunt aliquid materialitatis, siue aliquid potentialitatis subiectiuæ, & aliquid actualitatis: vt omnes formæ quæ sunt inter materiam primam hominis, & vltimam formam: siue quæ præexiguntur: nam materia prima hominis antequam dicatur pars substantialis hominis priùs sit sub forma seminis; deinde sub forma lactis; deinde sub forma sanguinis; deinde sub forma carnis; deinde sub forma organizationis; & vltimò sub anima intellectiua: omnes istæ formæ intermediæ, vt patet, includunt aliquid actualitatis, & aliquid potentialitatis subiectiuæ. Stat ergo resolutio hominis vltimata ad vltimam formam: quæ nihil potentialitatis subiectiuæ includit: & ad primam materiam, quæ nihil actualitatis includit: & sic sunt simpliciter simplicia, & primò diuersa. Hoc idem dico de conceptu simpliciter simplici: puta de conceptu hominis, quòd resoluitur in aliqua primò diuersa, puta in aliquem conceptum tantùm determinabilem, & contrahibilem: & in alium conceptum tantùm determinatiuum, & contractiuum: & conceptus tantùm determinabilis est conceptus entis, & conceptus tantùm determinatiuus: & nullo modo determinabilis est conceptus vltimæ differentiæ: & per consequens vltima differentia non includit ens quiditatiuè: quia si sic, tunc in sua ratione formali, & quiditatiua includeret aliquid determinabilitatis, & contrahibilitatis: & tunc non esset tantùm conceptus determinatiuus.

Homo in quæ resoluitur.

An materia prima & vltima forma sint primò diuersa.

3\. Sed in ista litera Doctoris occurrunt aliquæ difficultates. Prima in hoc, quod dicit; quòd materia prima est simpliciter simplex: & similiter vltima forma. Hoc videtur repugnare dictis suis: quia illud est simpliciter simplex, quod non est resolubile in priores conceptus quiditatiuos: vt ipse dicit *præsenti d. quæst.* 2. *& alibi.* sed materia prima resoluitur in ens quiditatiuè: quia ens prædicatur in *quid* de ea, vt expressè patet ab ipso in *quæst. præsenti.* ergo non erit simpliciter simplex. Hoc idem dico de forma vltima compositi realis.

Primum dubium.

Dico, quòd aliquid esse simpliciter simplex potest dupliciter intelligi. Vno modo quòd non sit compositum realiter ex re, & re: siue quòd non includat realiter aliquid potentialitatis, & aliquid actualitatis: & sic materia prima dicitur simpliciter simplex. Alio modo aliquid dicitur simpliciter simplex: quod non est compositum ex conceptu determinabili, & conceptu determinatiuo: & sic materia prima non est simpliciter simplex: quia resoluitur in conceptum entis quiditatiuè.

Responsio simpliciter simplex dupliciter potest intelligi.

tatiuè. Si etiam tertiò dicatur, quòd illud dicitur propriè simpliciter simplex, quod non est resolubile in plures conceptus essentiales: quorum vnus sit essentialiter determinatiuus: & aliud essentialiter determinabilis: & hoc modo materia prima est simpliciter simplex: quia etsi includat ens quiditatiuè, vt conceptum determinabilem: tamen ille conceptus non contrahitur ad materiam primam per aliquem conceptum essentialem, vt patet: sed tantùm per aliquem modum intrinsecum: & isto modo sola species, vel specialissima, vel subalterna dicitur conceptus non simpliciter simplex: quia verè resolubilis in plures conceptus essentiales, scilicet determinabilis, & determinatiui.

4. *Secundum dubium.* Secundò dubitatur in hoc, quod dicit, quòd *materia prima, & forma vltima sunt primò diuersa:* quia in hoc sibi videtur contradicere: quia vult ipse expresè, quòd illa dicatur primò diuersa, quæ in nullo conceptu quiditatiuo conueniunt: & ex alia parte concedit hîc *in præsenti quæst.* quòd materia prima, & forma vltima conueniunt in conceptu entis quiditatiuè.

Solutio. Vide Scotum in 2. dist 13. q. 1 quomodo materia, & forma sunt primò diuersa. Vide Trombetam in formalitatibus. Dico quòd non vult Doctor quòd materia prima & forma sint simpliciter, & absolutè primò diuersa, scilicet in nullo prædicato dicto in *quid* conuenientia: quia in hoc sibi contradiceret: sed dicuntur primò diuersa quantùm ad *esse* actuale formale, & potentiale subiectiuum: sic intelligendo, quòd nec materia prima includit quiditatiuè aliquid actualitatis formalis: nec forma vltima includit quiditatiuè aliquid potentialitatis subiectiuè respectu formæ substantialis: & in hoc dicuntur primò diuersa.

Alia solutio. Potest etiam dici quòd dicuntur primò diuersa in hoc quòd distinguuntur se totis subiectiuè: quia non conueniunt in aliquo genere quiditatiuè: non tamen dicuntur primò diuersa obiectiuè: quia non distinguuntur se totis obiectiuè, cùm conueniant in ente quiditatiuè.

Nota etiam quòd quando dicit: quòd materia prima nihil actualitatis includit: non loquitur simpliciter de actualitate: quia statim contradiceret sibi: nam *in dist. 12. quæst. 1. & 2. secundi,* dicit & probat, quòd est verè actus entitatiuus: & per consequens concludit entitatiuam actualitatem. In proposito ergo debet intelligi, quod nihil actualitatis formalis includit.

5. c *Secundum; scilicet propositum de passionibus.* Hîc Doctor intendit probare, quòd ens non prædicetur in quid de suis passionibus: & non loquor hîc de passionibus disiunctis: sicut sunt actus, & potentia: finitum, & infinitum: absolutum, & respectiuum: quantum, & non quantum: vnum, & multa, & huiusmodi: sed loquor de passionibus conuertibilibus cum ente: vt vnum, bonum, verum, &c. Et probat intentum tribus rationibus. Et prima ratio formatur sic: Nihil includitur quiditatiuè in aliquo, quod tantùm ponitur in eius definitione, vt additum: patet, quia tale additum præsupponit quiditatem cui additur. Dicitur enim propriè addi habenti *esse* completum quiditatiuè: sed *ens* tantùm additur in definitione passionis: patet, quia passio tantùm prædicatur de subiecto per se secundo modo: vt patet *primo Poster. text. com. 9.* quasi in principio, vbi ponit, quæ per se primo modo, & quæ per se secundo modo: & in per se secundo modo subiectum ponitur in definitione: vt patet ibi. Et clarè exponit Commentator ibi: Hoc idem patet 7. Metaph. *t. com.* 4. vbi vult, quòd substantia sit prior accidente definitione, &c. & sic substantia ponitur, vt additum in definitione accidentis.

Modò ens habet proprias passiones, vt patet 4. Metaph. t. com. 5. *Quoniam*, inquit, *sicut sunt, & numeri inquantum numerus, propria passiones: vt imparitas, paritas, commensuratio, æqualitas, excedentia, & defectio, & hæc secundùm se, & ad inuicem insunt numeris. Similiter autem, & de solido, & immobili: & leui, & graui sunt alia propria: sic, & enti inquantum ens sunt quadam propria: & ea sunt, de quibus est Philosophi perscrutari veritatem.* Hæc ibi. Si ergo ens habet illas passiones, cadit in definitione earum, vt additum: & per consequens non poterit de eis prædicari quiditatiuè, &c. Confirmatur, quia si hæc est per se secundo modo *ens est vnum:* vt suprà patet, *primo Posteriorum*, quia passio prædicatur per se secundo modo de subiecto: ergo ista non erit per se, *vnum est ens.* Consequentia patet, quia per se non conuertitur in per se: vt patet *primo Post. t. com. 35.* ens enim includit causam inhærentiæ passionis ad subiectum, non è contra: si enim esset per se vnum est ens: tunc vnum includeret causam talis inhærentiæ per se: vt patet à Doctore libro tertio Metaphysicæ.

Secunda ratio est ibi: *secundò sic*: Ista ratio est satis clara, hoc tamen supposito, videlicet, recipiens prædicationem alicuius in *quid* est inferius eo, quod prædicatur in *quid*, vt patet: & quicquid est inferius ente, aut est creatum, aut increatum: & passiones entis non sunt inferiores ente, cùm conuertantur cum illo: & si ens prædicaretur in *quid* de illis, de necessitate essent inferiores: & sic aut creatæ, aut increatæ. 6.

Et quod dicit in ista litera, quòd *ens sufficienter diuiditur (tanquam in illa, quæ includunt quiditatiuè ipsum) in ens increatum, & in decem genera*, videtur dubium: quia substantia transcendens est ens quiditatiuè, & tamen non sequitur, quòd sit creata, aut increata: & similiter sapientia transcendens est ens quiditatiuè. Sed quia hæc difficultas, videlicet an substantia transcendens possit prædicari de substantia creata, requirit prolixiorem tractatum: ideò hæc difficultas dimittatur vsque ad distinctionem octauam huius quæstionis secundæ, in responsione ad vltimum argumentum principale. *Difficultas alibi soluitur.*

Item, quod dicit in litera, quòd omnia transcendentia dicuntur perfectiones simpliciter. Hoc debet sanè intelligi, quia loquitur de transcendentibus quantis non necessariò includentibus aliquam imperfectionem.

e Tertia ratio est ibi, *Tertiò argui potest*, & declaro literam. *Quia si vnum includit ens quiditatiuè, non includit præcisè ens:* quia idem tunc esset passio sui ipsius, id est, quòd si vnum sit præcisè ipsum ens: & cùm vnum dicatur passio entis: tunc idem esset passio sui ipsius, quod est falsum. Sequitur: *ergo includit ens, & aliquid aliud*, id est, quòd ipsa vnitas vltra entitatem inclusam quiditatiuè (si dicatur ens quiditatiuè) dicitur etiam aliquid aliud ab illa entitate: & illud aliud dicatur *A*. Sequitur, *aut igitur illud A* includit ens supple quiditatiuè: aut non: si sic, vnum bis includeret ens: patet, quia si vnum primò includit ens quiditatiuè, & includit aliquid aliud: & illud aliud includit ens quiditatiuè. Sequitur, quòd vnum includit bis ens 7.

quidita

quiditatiuè; quod est inconueniens. Sequitur: *& esset processus infinitum* supple semper quærendo de illo alio. Exemplum, vnum dicatur *A*, *A* includit ens quiditatiuè: illud ens dicatur *B*, & vltrà ens includit aliquid aliud, & dicatur *C*, quæritur, aut *C* includit *B* quiditatiuè: si sic, aut præcisè *B*, aut aliquid aliud: si præcisè *B*. ergo *A* includit bis ipsum *B* siue ens. si *C* includit aliquid aliud, illud aliud dicatur *D*, aut *D* est *B* quiditatiuè: & sic processus in infinitum. Sequitur. *Vel vbicumque stabitur illud vltimum:* puta *C* quod est de ratione vnius: *& non includit ens*, supple ipsum *C* vnum: siue *A ratione entis inclusi non est passio entis:* vt patet. Sequitur. *Et per consequens illud aliud inclusum, quod est* A *est primo passio:* quia inclusum in *A* non includit ipsum ens quiditatiuè: & sic stat, quòd quicquid est prima passio entis, non includit ipsum ens quiditatiuè.

SCHOLIVM.

Sententia Scoti, non dari obiectum primum intellectus dicibile in quid de omni intelligibili: ens tamen esse obiectum primum (supposita eius vniuocatione de qua quæst. 1.) primitate communitatis, & virtualitatis, quia omne intelligibile includit ens essentialiter, vel includitur essentialiter, aut virtualiter, in aliquo includente ens quiditatiuè: decem genera, & Deus includunt ens quiditatiuè: differentia vltima includuntur quiditatiuè in aliquibus contentis in genere, passiones entis, virtualiter in ipso, & in inferioribus eius. Declarat vniuocationem entis, ad Deum & contenta in genere, ostendens non esse vniuocum in quid ad differentias vltimas & passiones suas.

8. *Determinatio quid sit obiectum intellectus nostri?*

QVantùm ad secundum [a] articulum principalem, dico, quòd ex istis quatuor rationibus sequitur, cùm nihil possit esse communius ente, & ens non possit esse commune vniuocum dictum in quid de omnibus per se intelligibilibus, quia non de differẽtiis vltimis, nec de passionibus suis: sequitur, quòd nihil est primũ obiectum intellectus nostri propter communitatem in *quid* ipsius, ad omne per se intelligibile, & tamen hoc non obstante, dico, quòd ens est primum obiectum intellectus nostri: quia in ipso concurrit duplex primitas, scilicet communitatis, & virtualitatis: nam omne per se intelligibile, aut includit essentialiter rationem entis, vel continetur virtualiter, vel essentialiter in includente essentialiter rationem entis. Omnia enim genera, & species, & indiuidua, & omnes partes essentiales generum, & ens increatum, includunt ens quiditatiuè. Omnes differentiæ vltimæ includuntur in aliquibus istorum essentialiter, vel quiditatiuè. Omnes passiones entis includuntur in ente, & in suis inferioribus virtualiter: igitur illa, quibus ens non est vniuocum in *quid*, includuntur in illis, quibus ens est sic vniuocum. Et ita patet, quòd ens habet primitatem communitatis ad prima intelligibilia, hoc est, ad conceptus quiditatiuos generum specierum, indiuiduorum, & partium essentialium omnium istorum, & entis increati, & habet primitatem virtualitatis ad intelligibilia inclusa in primis intelligibilibus, hoc est, ad conceptus qualificatiuos differentiarum vltimarum, & passionum propriarum.

Ens rationis fortè virtualiter continetur in fundamento & termino.

Quod autem supposui [b], communitatem entis in *quid* ad omnes conceptus quiditatiuos prædictos, hoc probatur de omnibus illis, duabus rationibus positis in secunda quæstione huius distinctionis ad probandum communitatem entis ad ens creatum, & ens increatum, quod vt pateat pertracto eas aliqualiter.

Num. 5.

9. *Ens esse vniuocum Deo & creatis.*

Primam sic: De quocunque enim prædictorum conceptuum quiditatiuorum, contingit intellectum certum esse, ipsum esse ens, dubitando de differentiis contrahentibus ens ad talem conceptum, vtrùm sit tale ens, vel non, & ita conceptus entis, vt conuenit illi conceptui, est alius ab illis conceptibus inferioribus, de quibus intellectus est dubius, & inclusus in vtroque inferiori conceptu. Nam differentiæ illæ contrahentes præsupponunt eundem conceptum entis communem, quem contrahunt.

Text. com. 104. Si haberemus conceptum proprium substantia ab ea causatum, naturaliter sciretur ab sentia panus in hostia cõsecrata.

Secundam rationem pertracto sic; sicut est argutum, quòd Deus non est à nobis cognoscibilis naturaliter, nisi ens sit vniuocum creato, & increato: ita potest argui de substantia & accidente: cùm enim substantia non immutet immediatè intellectum nostrum ad aliquam intellectionem sui, sed tantùm accidens sensibile. sequitur, quòd nullum conceptum quiditatiuum habere poterimus de ea, nisi sit aliquis talis, qui possit abstrahi à conceptu accidentis; sed nullus talis quiditatiuus, abstrahibilis est à conceptu accidentis nisi conceptus entis: ergo, &c. Hoc autem [c], quod suppositum est in ratione ista de substantia, quòd non immutat intellectum nostrum immediatè ad actum circa se, probatur sic: quia quidquid præsentia sua immutat intellectum, absentia illius potest naturaliter cognosci ab intellectu, quando non immutatur: sicut apparet *secundo de anima*, quòd visus est tenebræ perceptiuus, quando scilicet lux non est præsens, & ideò tunc visus non immutatur: igitur si intellectus naturaliter immutatur à substantia

immediatè

immediatè ad actum circa ipsam, sequeretur, quòd quando substantia non esset præsens, posset naturaliter cognosci non esse præsens, & ita naturaliter posset cognosci in hostia altaris consecrata, non esse substantiam panis, quod est manifestè falsum. Nullus igitur conceptus quiditatiuus habetur naturaliter de substantia immediatè causatus, à substantia: sed tantùm causatus, vel abstractus primò de accidente, & illud non est nisi conceptus entis.

Respondeo, probatio improbat cognitionem substantiæ intuitiuam, quia de illa est maior vera: non de abstractiua, quæ non deficit propter absentiam realem obiecti: nec igitur absentia percipitur. 10. *Additio,*

Item, quod accipitur de sensu, dubium est quomodo sensus, cùm non retineat speciem in absentia obiecti, nec recipiat speciem tenebræ, poterit tenebram cognoscere.

Contra primum, cognitio abstractiua necessariò præsupponit aliquando habere realem præsentiam illius, à quo ipsa derelinquitur, vel speciem, quæ est eius principium: qui tantùm vidit Eucharistiam, nunquam realem præsentiam obiecti causatiui immediatè intellectionis abstractiuæ habuit, alius qui vidit alium panem, habuit: igitur primus non habebit cognitionem abstractiuam panis, secundus habebit: quod statim contra experientiam est, quia vterque potest similem actum intelligendi panem experiri in se. Si proteruè negetur, esto ille primus postea vidit alium panem, igitur poterit postea in cognitionem abstractiuam panis, in quam priùs non potuit; oppositum experitur iste in se: similiter enim se habet nunc vt priùs.

Item, qui potest obiectum absens cognoscere abstractiuè, potest illud præsens in existentia cognoscere intuitiuè: igitur si substantia cognoscitur abstractiuè: igitur præsens intuitiuè, & tunc absentia.

Ad instantiam de sensu dic, tenebra cognoscitur arguitiuè, non à visu, sed sic à potentia arguente: oculus respicit, & non est cæcus, nec tamen videt: igitur tenebra est. Patet, aliqua trium præmissarum prætermissa, non sequitur conclusio, nulla trium propositionum est nota visui, vt cognoscenti ipsam, vel coniunctionem, vel diuisionem extremorum. quia nec tertia, de qua plus videtur, quia non cognoscit actum suum, quando inest, nec priuationem, quando actus non inest. exponitur Aristoteles. Visus est tenebræ perceptiuus, quia priuatio sui obiecti est causa non immutationis visus, & sic percipitur tenebra, non ab visu, sed à aliqua potentia vtente priuatione actus in visu pro præsentia, scilicet tenebræ.

Quomodo visus percipit tenebras?

11. *Non potest haberi cõceptus per accidens, vel relatiuus de materia, aut forma, nisi habito de iisdem cõceptu quiditatiuo, qui est cõceptus entis abstractus ab accidente.*

Per idem [d] concluditur etiam propositum de partibus essentialibus ipsius substantiæ. Si enim materia non immutat intellectum ad actum circa ipsam, nec forma substantialis: quæro quis conceptus simplex in intellectu habetur de materia, vel forma? si dicas, quòd aliquis conceptus relatiuus, puta partis, vel conceptus per accidens, puta alicuius proprietatis materiæ, vel formæ: quæro quis est conceptus quiditatiuus, cui iste per accidens, vel relatiuus, attribuitur? & si nullus quiditatiuus habetur, nihil erit: cui attribuetur iste conceptus per accidens, nullus autem quiditatiuus potest haberi, nisi impressus, vel abstractus ab illo quod mouet intellectum, puta ab accidente: & ille erit conceptus entis; & ita nihil cognosceretur de partibus essentialibus substantiæ, nisi ens sit commune vniuocum eis, & accidentibus.

Text. vlt. *Circa cõceptũ simpliciter simplicem nõ contingit deceptio, & quomodo?*

Istæ rationes [e] non concludunt vniuocationem entis *in quid* ad differentias vltimas, & passiones. De prima ostenditur: quilibet talis conceptus est simpliciter simplex, & ideò non potest secundùm aliquid concipi, & secundùm aliquid ignorari, sicut patet per Philosophum 9 *Metaph. in fine*, de conceptibus simpliciter simplicibus, quòd non est circa eos deceptio, sicut est circa quiditatem complexorum: quod non est intelligendum quasi intellectus simplex formaliter decipiatur circa intellectionem quiditatis, quia in intellectione simplici non est verum, vel falsum: sed circa quiditatem compositam potest intellectus simplex virtualiter decipi. Si enim ista ratio est in se falsa, tunc includeret virtualiter propositionem falsam: quod autem est simpliciter simplex, non includit virtualiter, nec formaliter propositionem falsam, & ideò circa ipsum non est deceptio. Vel enim totaliter attingitur, vel non attingitur, & tunc totaliter ignoratur. De nullo igitur simpliciter simplici conceptu potest esse certitudo secundùm aliquid eius, & dubitatio secundùm aliud.

12. *Conceptus entis est vniuocus in quid ad conceptus non simpliciter simplices: ad conceptus simpliciter simplices, est vniuocus vt determinabilis.*

Per hoc etiam patet ad secundam rationem suprà positam, quia tale simpliciter simplex, ignotum est omnino, nisi secundùm se totum concipiatur.

Tertio etiam modo [f] potest responderi ad primam rationem, quòd ille conceptus, de quo est certitudo, est alius ab illis, de quibus est dubium, & si ille conceptus certus saluatur in alterutro illorum dubiorum, verè est vniuocus, vt cum alterutro illorum concipitur: sed non oportet, quòd insit vtrique illorum *in quid*, sed vel sic, vel est vniuocus eis, vt

vt determinabilis ad determinantes, vel vt denominabilis ad denominantes. Vnde breuiter, ens est vniuocum omnibus, sed conceptibus non simpliciter simplicibus est vniuocum *in quid* dictum de eis: sed simpliciter simplicibus est vniuocus, vt determinabilis, vel vt denominabilis: non autem vt dictum est de eis *in quid*, quia hoc includit contradictionem.

Ex his apparet quomodo in ente concurrat duplex primitas, scilicet primitas communitatis in *quid*, ad omnes conceptus non simpliciter simplices, & primitas virtualitatis in se, vel in suis inferioribus, ad omnes conceptus in se simpliciter simplices. Et quòd illa duplex primitas concurrens sufficiat ad hoc, quod ipsum sit primum obiectum intellectus, licèt neutram habeat præcisè ad omnia per se intelligibilia.

Hoc declaro per exemplum: quia si visus esset per se cognoscitiuus omnis coloris, & omnium passionum: & differentiarum coloris, in communi, & omnium specierum, & indiuiduorum: & tamen color non includeretur quiditatiuè in differentiis, & passionibus coloris: adhuc visus haberet idem obiectum primum, quod modò habet: quia discurrendo per omnia, nihil aliud esset sibi adæquatum, igitur tunc non includeret primum obiectum in omnibus per se obiectis quiditatiuè: sed quodlibet per se obiectum, vel includeret ipsum essentialiter, vel includeretur in aliquo essentialiter, vel virtualiter includente ipsum, & ita in ipso concurret duplex primitas, scilicet communitatis ex parte sui, & primitas virtutis in se, vel in suis inferioribus, & ista duplex primitas sufficiet ad rationem primi obiecti talis potentiæ.

COMMENTARIVS.

1. a QVantum ad secundum articulum principalem. Hîc Doctor ponit hanc conclusionem: quòd ens est primum obiectum intellectus nostri primitate adæquationis, propter duplicem primitatem concurrentem in ea, videlicet causalitatis, & virtualitatis. Nam omne per se intelligibile, aut includit essentialiter rationem entis: vel continetur virtualiter, vel essentialiter in includente essentialiter rationem entis. Et propter istam propositionem aliqua sunt præmittenda.

Primum, quòd hîc Doctor loquitur de obiecto adæquato motiuo. Et sensus est, quòd omne per se intelligibile, aut includit ens quiditatiuè, vt sunt genera, & species substantiæ: & multa in prædicamento Qualitatis: & fortè in prædicamento Quantitatis. Dato enim quocunque intelligibili per se: si per se mouet intellectum ad sui cognitionem, aut est ens quiditatiuè, aut virtualiter, vel essentialiter includitur in aliquo, quod est ens quiditatiuè: sicut fortè, si ponantur vltimæ differentiæ specierum prædicamenti Substantiæ posse mouere intellectum ad sui cognitionem, vel si ponantur passiones entis sic posse mouere. Si verò detur aliquod intelligibile, quod non possit mouere intellectum ad sui cognitionem: saltem illud tale continetur in aliquo, vel virtualiter, vel essentialiter, quod potest causare cognitionem talis contenti. Et multa sunt entia, quæ non sunt tantæ virtutis, vt possint causare cognitionem sui: nam nulla relatio potest causare cognitionem sui in aliquo intellectu, licèt sit ens quiditatiuè. Et ratio, quia est impossibile quòd effectus absolutus essentialiter dependeat in *esse*, & conseruari ab aliquo, quod est essentialiter relatio.

Quare relatio nõ potest causare cognitionem sui.

2. Et si quæratur, à quo causatur cognitio relationis. Dico, quòd à fundamento, & termino, vt patet à Doctore *quæstione 1. Prologi, & quæstione* 14. *Quodlibeti.* Et tamen dubium est de quantitate, an possit causare cognitionem sui, cùm non ponatur de numero actiuorum: & hoc secundùm aliquos. Sed non video aliquam repugnantiam (cùm sit ens absolutum, & ens quantum, includens gradus perfectionales) quin possit causare cognitionem sui: & licèt quantitas non ponatur de numero actiuorum, hoc debet intelligi quantùm ad transmutationem generatiuam, & alternatiuam: quia non potest esse principium alicuius accidentis corporalis. Et hæc est mens Doctoris *in quarto, distinctione duodecima, quæstione tertia, in responsione ad argumenta principalia*: vbi expresè dicit, quòd si quantitas esset præsens intellectui, moueret illum ad sui cognitionem: licèt pro statu isto non moueat: quia tantùm sensibilia mouent. Imò ibi videtur declinare ad hoc, quòd etiam quantitas possit causare speciem sensibilem in sensu: licèt non sine sensibilibus propriis: vt patet vbi suprà.

An quantitas possit causare cognitionem sui.

Si tamen teneatur, vt Franciscus videtur tenere, & multi alij, quòd non agat ad sui cognitionem. Dico tunc, quòd cùm sit per se intelligibilis, & quiditatiuè ens: saltem virtualiter continetur in substantia corporea: & sic talis substantia causat cognitionem quantitatis. Sed quid de materia prima, quæ nullo modo ponitur principium actiuum? Ipsa enim est per se intelligibilis, & quiditatiuè continetur sub ente. Dico primò, quòd ipsa potest per se mouere intellectum ad sui cognitionem.

Materia prima potest mouere intellectum.

Et si dicatur, quòd tantùm cognoscitur per analogiam ad formam, per Philosophum.

Dico hoc non esse verum: & quomodo intelligitur Philosophus in ista parte, vide Doctorem *in 2. distinct.* 12. & vide glossam, quam ibi feci. Et si ipsa materia prima, sustinendo quòd sit entitas realis absoluta, realiter distincta à forma, posset mouere intellectum creatum ad sui cognitionem: teneo tamen absolutè, quòd à nullo intellectu creato possit cognosci sub ratione propria: quia materia prima, cùm sit tantùm entitas creabilis, in nullo ente creato, quantumcunque perfecto virtualiter continetur, secundùm suam entitatem: quia si sic, tale ens posset esse causa illius: quod est manifestè falsum.

Si

3\. Si dicatur, quòd licèt entitas materiæ virtualiter non contineatur in aliquo ente creato: cognitio tamen illius potest virtualiter contineri. Patet hoc esse falsum, & de hoc vide subtiliter Doctorem *in 2. dist. 3. quæst.* 10. Et vide ibi glossam, quam feci: & præcipuè vide ipsum *in Quodlibeto, quæst.* 14. vbi facit hoc argumentum, & soluit illud. Si dicatur, quòd materia prima saltem essentialiter continetur in aliquo, quod includit ens quiditatiuè; quia in composito. Dico, quòd loquor semper de materia separata à composito, de qua Doctor *in 2. dist.* 12. Si etiam loquamur de materia in composito, dubium est an entitas compositi possit causare notitiam distinctam materiæ: sed quicquid sit, ad præsens sufficiant hæc, quæ dixi de materia prima.

Dubiũ de ente rationis.

Sed quid dicendum est de entibus rationis, quæ non sunt ens quiditatiuè: nec continentur essentialiter in aliquo includente ens quiditatiuè? vt patet: quia sic essent ex natura rei: nec etiam virtualiter: & tamen intentiones sunt veræ intelligibiles. Si dicatur (vt quidam dicunt) quòd sunt tantùm intelligibiles per accidens. Hoc non videtur, quia quod non est per se intelligibile: non est per se scibile: secundæ autem intentiones sunt per se scibiles cùm per se considerentur à Logico. Dico primò, quòd potest sustineri secundas intentiones esse per se intelligibiles: cùm per se considerentur à Logico. Et cùm dicis, quòd omne per se intelligibile, vel est ens quiditatiuè; vel virtualiter, vel essentialiter continetur in aliquo includente ens quiditatiuè. Concedo, & dico, quòd secundæ intentiones cùm sint relationis rationes, possunt virtualiter contineri saltem in fundamento, & termino: & sic cognitio earum potest partialiter causari à fundamento, & termino. Et si iterum dicatur. Aliqua secunda intentio fundatur in prædicamento Relationis, & terminatur ad aliquid in eodem prædicamento: vt secunda intentio, quæ est species, fundatur in paternitate, & terminatur ad indiuidua paternitatis: & tamen relatio realis, si non potest causare cognitionem sui, multò minùs nec cognitionem alterius. Dico, quòd ab eodem fundamento à quo partialiter causatur cognitio patern atis, potest partialiter causari cognitio secundæ intentionis fundatæ in eo.

Entia rationis sunt verè intelligibilia.

Responsio.

Aliud dubiũ de ente rationis.

Solutio.

4\. *Item aliud.* Si dicatur, quòd per se intelligibilitas est passio entis. Quæro, aut est tantùm passio entis realis? si sic: ergo intelligibilitas non potest per se competere enti rationis. Si tantùm per se competat enti rationis; ergo entia realia non sunt per se intelligibilia. Si dicatur, quòd competit enti, quod est commune enti reali, & enti rationis. Et hoc non, quia illud ens commune non dicit aliquem conceptum communem enti reali, & enti rationis: sed tantùm nomen: & sic est æquiuocum: vt patet à Doctore *in Quodlib.* licèt aliqui videntur dicere, quòd dicat conceptum communem: qui non est nec ens reale, nec ens rationis: sed omnino indifferens: & hoc credo non esse intelligibile: modò nullum æquiuocum, vt æquiuocum habet passionem aliquam. Si dicatur, quòd intelligibilitas per se potest distingui in intelligibilitatem, quæ per se competit enti reali: & intelligibilitatem, quæ per se competit enti rationis. Sed hoc nihil est: quia tunc non posset assignari vnum per se obiectum primum primitate adæquationis: & sic videtur, quòd secundæ intentiones non sint per se intelligibiles.

Conceptus entis nõ est communis Deo, & creaturæ cõmunis tali reali, sed solùm communitate rationis, vide Parisiens. in primo notabili primi libri Metaph.

Singularis responsio.

Respondeo primò: quòd ex quo primum obiectum intellectus motiuum eiusdem non potest esse, nisi ens reale: ideò ponitur ens reale adæquatum obiectum intellectus nostri: & per se intelligibile in ratione obiecti motiui tantùm competit enti reali: & sic omne per se intelligibile, vel est quiditatiuè ens reale, vel essentialiter, vel virtualiter continetur in aliquo includente quiditatiuè ens reale. Et cùm quæritur an ens rationis sit per se intelligibile? Dico, quòd sic. Et cùm vltrà dicitur: Omne per se intelligibile ab intellectu continetur sub obiecto adæquato intellectus; ens verò rationis non continetur: quia ens reale non prædicatur de illo. Dico, quòd contineri sub adæquato obiecto alicuius potentiæ contingit tripliciter.

5\. *Aliquid contineri sub obiecto adæquato contingit tripliciter.*

Primò quiditatiuè, recipiendo prædicationem eius in *quid*. Secundò, tantùm sub prædicato vniuoco, recipiendo prædicationem illius quasi denominatiuè. Tertiò, quia virtualiter continetur in aliquo: quod continetur quiditatiuè sub adæquato obiecto: & hoc tertio modo ens rationis continetur sub ente reali: non quòd recipiat prædicationem entis realis: sed quia ponitur in aliquo ente reali: quod potest causare cognitionem illius.

Et cùm quæritur de per se intelligibilitate. Dico, quòd accipiendo *per se intelligibilitatem* in potiori significato est passio entis realis, sicut etiam quando absolutè loquimur de ente, intelligimus de ente reali. Et concedo quòd huiusmodi intelligibilitas non est passio entis rationis.

Quomodo ens rationis est intelligibile secundũ quid.

Et cùm vltrà dicitur: si non prædicatur de ente rationis, ergo ens rationis non est per se intelligibile. Dico, quòd ex quo ens rationis habet tantùm *esse*, secundùm *quid*, & absolutè sibi repugnat habere *esse* simpliciter: ideò per se intelligibilitas tantùm competit sibi secundùm *quid*: cùm intelligibilitas consequatur entitatem cuius est.

Et cùm dicis: Si dantur duæ per se intelligibilitates: vna entis realis, & alia entis rationis: ergo non erit vnum obiectum adæquatum sub vna ratione formali.

6\. Dico primò, quòd si loquamur de obiecto adæquato simpliciter est tantùm vnum, scilicet ens reale: & tunc illud, quod est secundùm *quid*, reducitur ad illud, quod est simpliciter, & primò tale.

Quare ens rationis continetur sub adæquato obiecto intellectus nostri.

Secundo dico, quòd tantùm est vnum obiectum adæquatum secundùm vnam rationem formalem: & illud est conceptus entis realis. Ens autem rationis, licèt actu habeat per se intelligibilitatem, secundùm *quid*, & rationem formalem obiecti secundùm *quid*: quia tamen virtualiter continetur in aliquo ente reali includente simpliciter conceptum entis in *quid*: & rationem formalem eiusdem; ideò ponimus ens rationis contineri sub adæquato obiecto intellectus nostri.

Potest secundò principaliter dici, ad vitandam tantam prolixitatem, quòd omne ens rationis continetur sub adæquato obiecto intellectus nostri tantùm reductiuè: eo modo quo Doctor dicit in Prædicamentis, quòd omnis relatio rationis est tantùm in Prædicamento reductiuè. Et tunc si arguatur: vt sic, habet tantùm esse per accidens: & nihil per accidens pertinet ad

Per accidens potest capi tribus modis. ad artem. Dico, quòd *per accidens* potest capi aliquo trium modorum, quos ponit Aristoteles 5. Metaph. quos vide ibi. Vel etiam, vt dicit aggregatum ex rebus diuersorum Generum: & tale non pertinet ad scientiam: nec etiam aliquod trium modorum: vt patet 6. Metaph. quamuis ergo secunda intentio sit tantùm reductiuè in prædicamento Relationis: non sequitur quin habeat conceptum in se. Sicut anima intellectiua est tantùm in prædicamento Substantiæ per reductionem: vt inquit Doctor *in 2. dist. 1. quæst. vlt.* & tamen dicit vnum conceptum in se: sic dico de omni secunda intentione. Et sic eo modo quo potest habere conceptum, eo modo est intelligibilis. Et si habet conceptum per se, secundùm *quid:* est intelligibilis per se secundùm *quid.* Et sic sufficit, quòd eo modo considerentur à Logico quo possunt habere *esse.* & sic concederetur, quòd omnes secundæ intentiones sunt per se cognoscibiles à Logico, quia habent reductionem ad obiectum adæquatum intellectus: & hoc sufficit. Et multa alia essent dicenda de ista materia: quæ causa prolixitatis vitandæ omitto.

7. *Secundæ intentiones sunt per se cognoscibiles à Logico.* Si etiam volumus exponere Doctorem de obiecto adæquato, non in ratione motiui, sed in ratione terminatiui, erit facilior expositio. Et tunc diceretur, quòd ens reale est adæquatum obiectum intellectus: quia omne per se intelligibile, vel includit ens quiditatiuè, vel essentialiter: vel virtualiter includitur in aliquo includente ens quiditatiuè: vel saltem habet reductionem: quod dico propter secundas intentiones: & omnia entia rationis, & omnes negationes, & priuationes habent reductionem ad aliquod, quod per se includit ens quiditatiuè. Posset tertio modo exponi de obiecto adæquato, inquantùm huiusmodi: an modò tantùm dicat vnum conceptum communem dictum de omni per se intelligibili: an vltra hoc includat omnia per se intelligibilia: ita vt cùm dico, Franciscus cognoscit ens inquantum ens: siue inquantùm ens est adæquatum obiectum intellectus: quòd tunc cognoscat tantùm conceptum entis in se: an vltra hoc cognoscat ipsum, vt inclusum in omni per se intelligibili: & per consequens cognoscat omne per se intelligibile. Hanc difficultatem suprà exposui in quæst. 1. Prologi, respondendo ad primum argumentum principale.

Aug. Suessa. Hîc tamen quidam nouus interpres Philosophi nititur soluere aliquas rationes Scoti de obiecto adæquato intellectus. Et primò declarat propositum suum dicens, quòd tripliciter dicitur obiectum: aut obiectum operationis agentis, eo modo quo Aristoteles appellat cibum obiectum virtutis nutritiuæ; aut est ratio agendi, vel mouendi, quomodo Aristoteles vocat sonum obiectum auditus, 2. de Anima. Et sic dicuntur quinque obiecta quinque sensuum. Tertio modo obiectum dicunt Peripatetici omnem terminum principaliter intentum: qui per aliquam actionem habet *esse* post *non esse:* aut habere potest *esse* post *non esse:* & sic forma dicitur obiectum agentis. Nam ipsa actionem finit: & ipsa erat in mente agentis. & hoc pacto dici solet in potentia obiectiua esse omnem rem antequam sit. Sic igitur tertio modo obiectum dicitur esse omne contentum in virtute agentis, quod per eius actionem potest produci: quo producto cessat omnis actio eius.

8. Ex his apparet, quàm ineptè dicunt exteri ipsum ens inquantùm ens esse obiectum intellectus. Ipsum enim non potest esse mouens: quia si ratio mouendi esset ens, omne ens esset aptum mouere intellectum: consequens est contra Aristotelem 9. Metaph. & Auerroëm ibi, comm. 30. vbi dicitur id mouere intellectum duntaxat, quod est actu: quale non est materia, quæ tamen est ens. Ampliùs ipsum non est subiectum actionis intellectus. Adhuc ipsum non est finis intentus ab intellectu, nec eius cognitio est præintenta: quoniam illa habita non cessat intellectus vlteriùs intelligere. Ipsum igitur ens nullo pacto potest dici obiectum intellectus: nisi inueniatur aliqua alia ratio obiecti, quam nullus Peripateticus diceret.

Respondet ad primam rationem Scoti negando maiorem: quia siue contineat omnia intelligibilia, siue prædicetur de omnibus intelligibilibus: non adhuc sumitur ratio obiecti. *Ad rationes Doct. respondet.*

Ad secundam, negatur maior; quia non dicitur obiectum, eo quòd contineat omnia. Item, minor est falsa, quia ens non est obiectum Metaphysicè.

Ad tertium negatur maior; quia non dicitur obiectum ab eo; quia est ratio intelligendi. Item, minor est falsa; quia si ens esset ratio intelligendi, omne ens per se esset intelligibile: & ita singulare, & materia, quæ non concedunt peripatetici. Hæc interpres ille.

Addit etiam dicens: Vlterius apparet, quàm ineptè dicunt ens esse primum obiectum voluntatis. Nam voluntas, nec ab illius cognitione mouetur: sed à conclusione syllogismi practici per intellectum facta, nec eius actio recipitur in ente, nec est finis intentus à voluntate.

Præterea. Voluntas, & intellectus apud Peripateticos non differunt nisi ratione, siue definitione tantùm. Intellectus enim dicitur, vt syllogizans finem esse exequendum. Voluntas autem est idem intellectus, vt assentiens, vel dissentiens exequutioni, nec aliter vnquam differunt. Hæc interpres nouus.

Dico ad nouum interpretem præmittendo aliqua. Primò, præmitto quòd vnius potentiæ oportet vnum per se assignare obiectum: vt patet de potentiis sensitiuis, quibus assignantur obiecta adæquata, vt patet 2. de Anima. Non enim potentia visiua habet pro obiecto adæquato tantùm vnum visibile: nec sic omnia singularia visibilia: sed aliquod commune, sub quo contineatur omne per se visibile. Sic dico, quòd respectu intellectus oportet assignare aliquod commune obiectum, & adæquatum. Secundò præmitto, quòd ens inquantùm ens est saltem commune vniuocum omni enti reali per se intelligibili: vt suprà probatum est. Tertiò præmitto, quòd ratio obiecti, aut potest assignari, vt obiecti motiui: vel vt obiecti terminatiui. 9. *Ad August. Suessam respondetur.*

Istis præmissis, dico conformiter Doctori, quòd loquendo de obiecto terminatiuo, non potest couenientius assignari adæquatum obiectum, quàm inquantùm ens. Tum, quia intellectus ex natura intellectus habet naturalem inclinationem ad ens, inquantùm ens: & ad omne ens, vt patet à Doctore, *quæst. 1. Prolog. & quæst. 14. Quodlibeti.* Tum, quia nullum est ens, in quod intellectus non possit terminari per actum intelligendi. Et hoc modo potest dici finis intellectus, quia intellectus intendit intellectionem, vt ipsa mediante attingat obiectum, siue

siue vt ipsa terminari possit ad obiectum: vt posset deduci ex dictis Scoti *in Quodl. quæst.* 13. 14 & 15. & ideò falsum est, quòd ens non sit finis potentiæ. Dicit enim Scotus *in 4. dist. 49. & in primo, quæst. 1. distinct. 1.* quòd duplex potest esse finis intellectus, scilicet intrinsecus, & extrinsecus. Intrinsecus, vt cognitio. Extrinsecus, vt obiectum, ad quod terminatur cognitio. Et sic ens inquantum ens, est finis intellectus, & perfectissimum contentum est vltimus finis, vt patuit suprà *quæst. 1. Prolog.* Nec enim dico, quòd ens accipiendo ipsum tantùm pro illo conceptu communi, sit finis intellectus, & adæquatum obiectum intellectus: quia vt sic, est tantùm vnum de numero intelligibilium. Sed dico, vt suprà exposui, quòd ens inquantum ens, vt includitur in omni per se intelligibili, est adæquatum obiectum intellectus in ratione terminatiui.

10\. Potest etiam dici, vt sic, terminus adæquatus actionis intellectus, pro quanto actio intellectus, siue intellectio terminatur ad ipsum. Est enim terminus actionis duplex. Vnus productus mediante actione, sicut genitum dicitur terminus adæquatus generationis, quia per ipsam accipit *esse*. Alius est præsuppositus, vt obiectum potentiæ. Hæc distinctio patet à Doctore *in isto 1. distinct. 3. quæst. vltima, respondendo ad vltimum argumentum*, hoc idem *in Quodlib. quæst.* 13. Et sic falsè imaginatur, quòd terminus actionis tantùm sit productum, quod priùs fuit in potentia obiectiua. Imò actioni, vt actio, non correspondet productum, vt terminus: patet, quia intellectio dicitur actio: vt patet per Philosophum. 9. Metaph. tex. com. 16. *Quorum*, inquit, *non est aliquod aliud opus præter actionem, in istis existit actio: vt visio in vidente, & speculatio in speculante.* Hæc ille. Nisi fortè iste nouus interpres loquatur de actione transeunte.

Terminus actionis duplex.

Si verò loquamur de obiecto adæquato in ratione motiui. Dico, quòd non potest poni, nisi ens, saltem loquendo de ente limitato: quia fortè Deus non potest poni à nobis, nec etiam ab aliquo intellectu creato, esse ens per se intelligibile: & hoc in ratione obiecti motiui: quia ipse Deus, (vt suprà dixi) tantùm ponitur obiectum intellectus diuini: nec etiam aliquid potest causare cognitionem illius, & hoc in ratione obiecti, vt suprà exposui. Et cùm arguit iste: quia tùnc quodlibet ens posset per se mouere intellectum. Dico, quòd non, nisi superficialiter intelligit dicta Scoti. Non enim pono conceptum entis in communi, vt indifferentem ad omnia entia, esse per se rationem formalem mouendi intellectum, vt iste fortè imaginatur. Nec pono, quòd quodlibet ens sit per se ratio mouendi intellectum: quia multa non mouent, vt suprà dixi. Sed quia multa tam sensibilia, quàm per se intelligibilia possunt per se mouere intellectum, non solùm ad sui cognitionem, sed etiam ad cognitionem omnium virtualiter, & essentialiter inclusorum in eis. Ideò pro obiecto adæquato non possumus conuenientius ponere, quàm ens, inquantum ens, vt prolixè suprà exposui: & sic non sequitur inconueniens, quod dicit. Sufficit enim, quòd omne ens, vel per se moueat, vel saltem contineatur virtualiter in aliquo ente, vel essentialiter, quòd sit ratio mouendi intellectum ad cognitionem talium contentorum.

Quomodo ens est obiectū intellectus creati.

Et quod dicit de materia prima, & de singularibus, quòd non possint mouere intellectum, falsum dicit, loquendo semper de intellectu ex natura intellectus. De materia prima, quid senserit Aristoteles, vide Scotum *in 2.* De singularibus quid Philosophus senserit, vide Scotum *in 7. Metaphysic.* Et quod dicit, non esse peripateticè dictum, hæc est optima fuga, dicere semper non esse peripateticè dictum: & non adducere auctoritates Philosophi in contrarium: nisi fortè dicere suum habeatur pro auctoritate. Ex his omnibus patet, quòd responsiones datæ ad rationes Doctoris, non soluunt illas. Imò nec respondet ad illas, provt Doctor adducit illas, vt suprà patuit, in exponendo huiusmodi rationes Scoti.

Fuga Suessani.

Ad illud de voluntate. Miror, quòd tantus interpres velit dicere hoc esse ineptè dictum: præsertim quando dicitur à tanto Doctore, qui à toto studio Parisiensi in nullo potuit vnquam reprobari, qui habetur vt subtilissimus Doctor, quicquid sit, cuilibet datur licentia loquendi. Ad rem, nihil est ad propositum, dicere quòd intellectio entis non mouet voluntatem, quæ enim consequentia est ista, Cognitio entis non mouet voluntatem: ergo ens non est obiectum voluntatis? Illi enim, qui tenent obiectum esse causam actus voluntatis, negarent istam consequentiam, vt patebit in 2. dist. 25. Item, si ponatur voluntas vt totalis causa sui actus, vt multi volunt, vt patebit in 2. distinct. 25. & 37. negarent istam consequentiam, & dicerent non esse de ratione obiecti voluntatis mouere voluntatem: sufficit enim terminare actum voluntatis. Item, falsum est, quòd cognitio entis non possit mouere voluntatem, tenendo quòd cognitio possit esse partialis causa actus voluntatis, vt patebit in 2. dist. 25. Et quòd etiam cognitio, non tantùm conclusionis practicæ, possit mouere, patuit suprà, quæstione vltima Prologi. Et quod dicit, quòd tantùm conclusio syllogismi practici potest mouere voluntatem. Dico, quòd etiam supposito, quòd cognitio aliqua possit mouere voluntatem, quòd falsum est, quòd tantùm talis cognitio, vel conclusio possit mouere. Et quod dicit, quòd intellectus, & voluntas tantùm ratione differunt secundùm Philosophos; hoc non est verum, nec probat, sed in dist. 16. secundi, probabitur contrarium. Et pro nunc sufficiant hæc contra illum nouum Philosophi interpretem.

11\.

Scotus à toto studio Paris. est in nullo potuit vnquam reprobari.

b *Quod autem supposui communitatem entis in quid ad omnes conceptus quiditatiuos prædictos.* Hîc Doctor per duas rationes, per quas priùs probauit, quòd conceptus entis sit alius à conceptu Dei, & creaturæ vniuocè dictus, probat idem de omni alio ente: videlicet, quòd ens dicat conceptum alium, & vniuocum de omni substantia.

12\.

Exponitur litera Doctoris, qua probat vniuocationem entis respectu substantia, & accidentis.

Prima ratio est ibi: *Primam sic: De quocunque enim prædictorum.* Et ratio stat in hoc, supponendo vnum, quòd ens prædicetur in *quid* de substantia, & accidente. Probat modò, quòd ille conceptus entis dictus in *quid* de substantia, & accidente, erit alius à conceptu substantiæ, & accidentis. Et accipio pro exemplo substantiam, & accidens: & differentias contrahentes ens ad substantiam, & accidens, puta *esse per se*, & *esse in alio*. Et istæ differentiæ dicantur *A*, & *B*: si intellectus est certus, quòd substantia est ens quiditatiuè: & similiter, quòd accidens est ens quiditatiuè, dubitando de *A*, & *B*, scilicet an substantia sit ens per se, an in alio: & similiter dubitando an

an accidens ſit ens per ſe, an in alio? tunc intellectus habebit conceptum entis dictum in *quid* de conceptibus ſubſtantiæ, & accidentis, de quibus eſt certus, quòd ſunt ens quiditatiuè: alium à conceptu ſubſtantiæ, & accidentis: patet, quia ſi conceptus entis dictus de ſubſtantia eſſet tantùm conceptus ſubſtantiæ. Et ſimiliter ſi conceptus entis dictus in *quod* de conceptu accidentis eſſet idem conceptus: tunc intellectus de eodem conceptu ſimpliciter eſſet certus, & dubius: patet, quia certus eſt, quòd conceptus ſubſtantiæ eſt ens, & dubitat an ſit ens per ſe, an in alio. Et cùm ſit ſimpliciter idem conceptus, ſcilicet conceptus entis dictus de ſubſtantia, & conceptus ſubſtantiæ: & de neceſſitate conceptus ſubſtantiæ, aut eſt conceptus per ſe, aut conceptus in alio: tunc idem intellectus erit ſimpliciter certus, & dubius de eodem conceptu, quod eſt impoſſibile: & iſte eſt ſenſus literæ.

13. *Declaratio literæ.* Sed quia litera videtur importare aliqualem difficultatem, declaro eam per exemplum priùs poſitum, cùm dicit. *De quocunque enim prædictorum conceptuum quiditatiuorum*, ſcilicet conceptus ſubſtantiæ, & accidentis, qui dicuntur conceptus quiditatiui, eo quòd includunt ens quiditatiuè. Sequitur, *Contingit intellectum certum eſſe ipſum*, ſcilicet conceptum quiditatiuum, ſiue conceptus quiditatiuos *eſſe ens, dubitando de differentiis contrahentibus ens ad talem*, vel tales conceptus, ſcilicet ſubſtantiæ, & accidentis: *vtrùm ſi tale ens, vel non*, id eſt, an conceptus ſubſtantiæ ſit ens per ſe, vel ens in alio, qui ſunt modi contrahentes ens ad conceptum ſubſtantiæ, & accidentis. Sequitur, *Et ita conceptus entis, vt conuenit illi conceptui: puta ſubſtantia, eſt alius ab illis conceptibus inferioribus*, ſupple eſt alius à conceptu ſubſtantiæ, & accidentis, *de quibus intellectus eſt dubius*, ſcilicet an conceptus ſubſtantiæ ſit ens per ſe, vel ens in alio. Eſt enim certus, quòd conceptus ſubſtantiæ eſt ens, & ſimiliter de conceptu accidentis: ſed eſt dubius an conceptus ſubſtantiæ ſit ens per ſe, an ens in alio. Si verò exponatur ſic: quòd conceptus entis erit alius à conceptibus differentiarum, ſic intelligendo, quòd intellectus ſit certus, quòd ſubſtantia eſt ens, dubitando de differentiis, an ſint ens per ſe; an ens in alio: ita tamen quòd ſit certus, quòd conceptus entis per ſe eſt ens, & conceptus entis in alio ſit ens. Si ergo intellectus eſt certus de iſtis duobus conceptibus differentiarum, quòd ſunt ens, dubitando an ſint ens per ſe, an in alio, tunc habebit conceptum entis, alium à conceptibus differentiarum.

14. *Secundam rationem pertracto ſic.* Pro intelligentia huius rationis nota, quòd hæc ratio concludit propoſitum de communitate entis: ſuppoſito quòd non poſſit haberi cognitio propria ſubſtantiæ ſub propria quiditate: & vltrà, quòd pro ſtatu iſto nihil cognoſco de ſubſtantia ſibi attribui denominatiuè, niſi præcognoſcatur in *eſſe* quiditatiuo: puta, quòd in ſe ſit ens quiditatiuè, vt ſuprà expoſui *in 1. quæſt. præſentis diſt. in reſponſione ad quæſtionem.* Tunc arguo ſic: Cognoſco ens dictum in *quid* de ſubſtantia: ergo ens eſt alius conceptus dictus in *quid* à conceptu ſubſtantiæ: & alius ab illo, à quo abſtrahitur: patet, quia aliter nihil de ſubſtantia pro ſtatu iſto cognoſci poſſet: ex quo enim ſubſtantia non poteſt cauſare immediatè cognitionem ſui, nec per conſequens contenti virtualiter, vel eſſentialiter in ea, vt patet de albedine, quæ priùs cauſat cognitionem ſui, ſi poteſt, & deinde omnium incluſorum, vt ſuprà expoſui *in quæſt. 2. præſentis diſt.* Si ergo cognoſco de ſubſtantia ens dici in *quid*: ſiue quòd ſubſtantia eſt ens quiditatiuè, cognitio entis erit cauſata ab aliquo ſenſibili: puta ab albedine, quæ cauſat cognitionem ſui, & omnium incluſorum eſſentialiter. Habita ergo cognitione entis in ſe, poſſum illud conſiderare, & coniungere cum aliis abſtractis à ſenſibilibus, vt cùm abſtraho abſolutum ab abſoluto; actum ab actu, & huiuſmodi: & ſic coniungendo facio vnum conceptum complexum, puta ſic dicendo: aliquod ens eſt ens per ſe; & aliquod ens eſt ens in alio; & aliquod eſt per ſe actus; & aliquod eſt actus in aliquo, & huiuſmodi. Per primum intelligo ſubſtantiam, & per ſecundum accidens. Si ergo conceptus entis non eſſet alius ab albedine, tunc cognoſcere ens dici in *quid* de ſubſtantia nihil aliud eſſet, niſi cognoſcere albedinem dici in *quid* de ſubſtantia: quod nihil eſt.

Similiter ſi non eſſet alius à conceptu ſubſtantiæ in ſe, tunc cognoſcere ens dici in *quid* de ſubſtantia, nihil aliud eſſet, niſi cognoſcere ſubſtantiam in ſe: quod eſt contra præſuppoſitum, ſcilicet quòd ſubſtantia non poteſt immediatè cauſare cognitionem ſui in intellectu noſtro pro ſtatu iſto. Dico ergo, quòd ex quo ſubſtantia non poteſt immediatè cauſare cognitionem ſui, id eſt, ſub propria ratione formali, nec etiam poteſt cauſare mediatè referendo ad cognitionem ſubſtantiæ ſub propria ratione. Si ergo ſubſtantia non poteſt cauſare cognitionem ſui ſub propria ratione: ergo non poterit cauſare cognitionem eſſentialiter, vel virtualiter incluſi prædicabilis illius ſubſtantiæ. Nam quando obiectum eſt optimè diſpoſitum, & perfectè præſens potentiæ, & agens merè naturale, ſi non poteſt cauſare immediatè cognitionem: ergo nec mediatè, id eſt, non poterit cauſare cognitionem alterius obiecti incluſi in illo, cùm ſecunda cauſatio præſupponat primam: & ſic patet litera Doctoris. 15.

c *Hoc autem, quod ſuppoſitum eſt.* Hîc Doctor probat per ſingulare argumentum, quòd nulla ſubſtantia pro ſtatu iſto poteſt immediatè immutare intellectum ad ſui cognitionem: & quia hæc ratio poteſt intelligi tam de cognitione intuitiua, quàm abſtractiua, & è contra, ideò expono quid ſit immutare immediatè ad ſui cognitionem, tam intuitiuam, quàm abſtractiuam. Dicimus enim, quòd albedo in cognitione abſtractiua immediatè immutat intellectum, ſic intelligendo, quòd aliquod album ſingulare immediatè immutat potentiam ſenſitiuam cauſando in ea ſpeciem ſenſibilem, & partialiter cauſando viſionem ſui. 16. *Subſtantia nõ poteſt immutare intellectum ad ſui cognitionem.* *Quid ſit immutare intellectum.*

Secundò à tali ſpecie ſenſibili, vel à viſione illa, cauſatur phantaſma in phantaſia: & illud phantaſma perfectè repræſentat album ſingulare: phantaſma verò immediatè immutat intellectum, cauſando ſpeciem intelligibilem: & à ſpecie intelligibili immediatè immutatur recipiendo cognitionem albedinis. Sic ergo immutare intellectum immediatè in cognitione abſtractiua eſt cauſare ſpeciem intelligibilem ſui in tali intellectu, per quam immutatur ad cognitionem illius obiecti. Sed immutare intellectum in cognitione intuitiua eſt ipſum obiectum in ſe exiſtens, & perfectè præſens cauſare notitiam ſui in tali intellectu. Modò ad propoſitum, cùm nulla ſubſtantia poſſit immediatè

Substantia nō potest immutare aliquem sensum. mediatè immutare aliquem sensum: quia solùm sensibilia per se immutant: si immutat intellectum, tantùm immediatè immutat, vel causando speciem intelligibilem sui, ad quam sequitur cognitio abstractiua; vel immediatè causando cognitionem sui intuitiuam: & in vtraque cognitione semper requiritur præsentia obiecti, vel in se, vt in cognitione intuitiua; vel in specie intelligibili, vt in cognitione abstractiua. Et ex his patet ratio Doctoris, quòd quicquid præsentia sua immutat intellectum: eius absentia potest cognosci. Et litera clara est.

17. d *Per idem concluditur etiam propositum.* Hic probat per eandem rationem, videlicet secundam, quòd conceptus entis dictus in *quid* de materia, & forma, sit alius à conceptu materiæ, & formæ: quia aliter, nec materia, nec forma substantialis possent cognosci pro statu isto, nec aliquid de eis: supponendo, quòd non possint immutare intellectum nostrum: & eodem modo formetur ratio sicut suprà formata est.

e *Ista rationes*, &c. Hîc respondet ad tertiam obiectionem: quia aliquis posset dicere quòd per has rationes posset concludi, quòd conceptus entis sit alius à differentiis vltimis, & passionibus entis, & dictus in *quid* de eis. Patet quantùm ad primum, quia aliquis intellectus potest esse certus, quòd vltima differentia albedinis sit ens, dubitando an sit tale, vel tale ens: ergo & similiter quo ad secundam rationem, ex quo vltima differentia, puta hominis, non potest immediatè immutare intellectum ad sui cognitionem: ergo non potest cognosci conceptus entis de ea, nisi sit alius à conceptu sensibilis, per quod cognoscitur conceptus entis: & similiter alius à conceptu vltimæ differentiæ hominis: ergo, &c. Dicit Doctor, quòd licèt per has rationes possit concludi alietas conceptus entis à conceptibus differentiarum vltimarum, & passionum; non tamen concluditur, quòd talis conceptus dicatur in *quid* de illis: quia non est certus, quòd vltimæ differentiæ, vel passiones entis sint ens quiditatiuè. Per has tamen rationes concluditur alietas conceptus entis dicti in *quid* de conceptibus substantiæ, & accidentis, & partium substantiæ: quia certus est, quòd omnia ista sint ens quiditatiuè: & ideò per illas rationes non intendit probare, quòd ens dicat conceptum in *quid* de illis, cùm illud supponat tanquam notum: sed intendit probare, quòd ille conceptus dictus in *quid* de substantia, & accidente, de materia, & forma sit alius à conceptu istorum.

Aug.Suessa. Et ex hoc apparet improbatio responsionis, quam facit quidam in primo suæ Metaphysicæ, approbans responsionem Ioan. dicens, quòd non concludit prima ratio Doctoris alietatem conceptus: sed tantùm alietatem entis, quod nihil est.

18. *Vel aliter, & meliùs.* Probat per hanc rationem, quòd vltimæ differentiæ, & passiones entis non sunt ens quiditatiuè, quia sunt conceptus simpliciter simplices: si ergo vltima differentia includeret ens quiditatiuè, tunc non esset conceptus simpliciter simplex. Nam conceptus simpliciter simplex, aut simpliciter scitur, aut simpliciter ignoratur: vt dicit hîc Doctor.

Cōceptus simpliciter simplex. Sed pro intelligentia huius, nota, quòd conceptus simpliciter simplex aliquando accipitur quiditatiuè, & est ille, qui non habet alios conceptus quiditatiuos: ex quibus quiditatiuè componatur: sed est tantùm vnus in se quiditatiue: & talis, vel totaliter scitur quiditatiue, vel totaliter ignoratur quiditatiue. Et conceptus non simpliciter simplex quiditatiuè est ille, qui componitur ex pluribus conceptibus quiditatiuis; vt homo ex animali, corpore, substantia, ente, & talis, secundùm vnum conceptum, potest ignorari: & secundùm alium sciri: & hoc modo accipitur hîc.

Et quando dicit Doctor *in isto primo dist.* 2. *quæst.* 2. quòd ens infinitum, vel ens necesse esse, vel ens vnum, non dicunt conceptum simpliciter simplicem: quia ens infinitum includit entitatem, & infinitatem: & tamen vnum non est de essentia alterius. *Obiectio.*

Respondeo secundùm glossam, quam ibi feci. *Responsio alibi.*

Ista litera exponitur. Cùm dicit, quòd *non est circa eos deceptio sicut est circa quiditatem complexorum:* puta non contingit intellectum decipi circa conceptum simpliciter simplicem: quia, vel totaliter scitur, vel totaliter ignoratur: sed circa quiditatem complexam contingit errare. Posset enim quis scire, quòd homo est substantia: dubitando, an sit animal propter distinctionem conceptuum inclusorum in homine. Sequitur: *Quod non est intelligendum quasi intellectus simplex formaliter decipiatur*, &c. *Quid sit veritas virtualiter, & formaliter.*

Nota pro intelligentia huius literæ, quòd veritas, vel falsitas formaliter consistit in actuali diuisione, vel compositione intellectus: vt quando actualiter format propositiones: sed veritas, vel falsitas virtualiter est, quando obiectum includit verum virtualiter: vt homo, qui includit animal, & superiora, id est, habet in se terminos, ex quibus intellectus potest formare propositionem veram, vel falsam. Et nota, quòd quiditas simpliciter simplex non dicitur nec virtualiter vera: nec virtualiter falsa: sic intelligendo, quòd non dicitur virtualiter vera quiditatiuè, quia non includit aliquid, quod possit dici in *quid* de ea nec similiter virtualiter falsa quiditatiuè: quia non includit aliquid dictum in *quid*, quod possit ab ea negari. Secus est de quiditate non simpliciter simplici: quia potest esse virtualiter vera quiditatiuè: cùm includat aliquid dictum in *quid:* ex quo intellectus potest formare propositionem quiditatiuè veram. Hoc idem dico de propositione virtualiter falsa. 19. *Nota.*

f *Tertio etiam modo potest responderi ad primam rationem.* Sensus huius literæ est: quòd si ille conceptus, de quo est certitudo, scilicet conceptus entis, sit alius ab illis, de quibus dubitatio, & si ille certus saluetur in alterutro illorum dubiorum verè erit vniuocus: sed non oportet quòd insit vtrique illorum in *quid:* sed vt sit vniuocus cum eis: vel vt determinabilis ad determinans: vel vt denominabilis ad denominans, & sic patet.

Ex his apparet quomodo in ente concurrat duplex primitas. Doctor per exemplum declarat, quod clarum est in litera. *Primitas duplex.*

Contra hanc conclusionem de ista duplici primitate in obiecto, arguit quidam, & primò sic: Ens in sua maxima communitate est adæquatum obiectum intellectus: & vt sic præscindit ab ista duplici primitate, scilicet essentiali, & virtuali. Probat antecedens; quia *primo Physic. text. comm.* 5. probat Philosophus, quòd confusum est priùs notum, id est, primum obiectum, per hoc, quòd: puer 20. *Ioann. Angl. Bacc. in 1. d. 3. q. 2.*

puer primò vocat omnem hominem patrem: & pòst distinguit patrem inter alios: ergo ens sub communissima ratione erit primum obiectum.

Præterea: Ens, vt concernens vnitatem, seu communitatem essentialem, & vt concernens virtualem, natum est causare conceptum per accidens vnum; quia conceptus passionis cum conceptu quiditatiuo, est vnus per accidens: sed omne per accidens præsupponit aliquod primum per se: ergo ens, vt præscindit ab illa duplici primitate erit primum obiectum intellectus.

Item, arguit Occham contra Doctorem. Item, alius arguit contra eandem conclusionem in primo dist. 3. quæstione 8. Et arguit sic primo: Ens non habet aliquam primitatem respectu omnium intelligibilium: patet, quia ens rationis, & secundæ intentiones sunt per se intelligibiles: & tamen ens neutram primitatem habet respectu talium. De primitate communitatis patet, quia nihil est commune vniuocum enti reali, & enti rationis.

De primitate virtualitatis patet, quia illa primitas non est, nisi respectu entium realium.

Secundò arguit sic: Ens rationis potest cognosci nullo ente reali cognito: ergo per se continetur sub primo obiecto intellectus: & non sufficit, quòd contineatur in illo virtualiter: sed non continetur per se sub ente vniuoco: ergo ens vniuocum non est obiectum adæquatum intellectus.

Tertiò arguit, quòd ista duplex primitas non sufficiat: quia sic, Deus esset primum obiectum intellectus nostri: patet, quia prædicatur per se de omni intelligibili per se ab intellectu: vel includit illud virtualiter, vel essentialiter. Nec valet dicere, quòd non includit sic virtualiter; quia creatura potest virtute propria mouere intellectum. Contra hoc arguit sic: Qua ratione genus potest virtute propria mouere intellectum, eadem ratione differentia vltima potest mouere intellectum virtute propria: ergo illa continentia virtualis, qua aliquid includens essentialiter rationem entis, includit essentialiter, vel virtualiter differentiam, vel passionem: non facit ad hoc, quòd ens sit primum obiectum adæquatum intellectus: ergo ad hoc, quòd aliquid sit primum obiectum oportet, quòd per se prædicetur de quolibet per se intelligibili.

Quartò arguit sic: Si partes essentiales essent per se intelligibiles virtute propria, quantumcunque continerentur essentialiter in toto, illud totum non diceretur obiectum adæquatum, quamuis esset per se prædicabile de aliis per se intelligibilibus: ergo quamuis ens prædicetur per se de aliquibus intelligibilibus, & includat aliqua alia essentialiter, vel virtualiter; non dicetur propter hoc primum obiectum adæquatum. Et sic exemplum Doctoris de colore non est ad propositum. Dicit ergo ille, quòd nihil est obiectum adæquatum intellectus: quia tale est per se commune ad omnia per se apprehensibilia ab intellectu: sed nihil est tale respectu omnium intelligibilium: vt patet de secundis intentionibus, & huiusmodi.

21. *Responsio ad rationes Ioan. Angl.* Respondetur primò ad obiectiones Ioannis Anglici, & deinde ad obiectiones Occham: licèt solutio earum patere possit ex superiùs declaratis.

Ad primam Ioannis cùm dicit, quòd ens, vt omnino indifferens est obiectum, &c. Dico, quòd quando Doctor assignat ens sub ista duplici primitate, &c. non intelligit, quòd ens sic sit primum obiectum adæquatum intellectus: ita quòd illud solum attingat; sed quæritur aliquod vnum, quod se aliqualiter habeat ad omnia attingibilia ab illa potentia: ita quòd omnia simul collecta propriè, & formaliter sunt adæquatum obiectum potentiæ: sed denominatio eorum est ab aliquo vno, quod se habet aliqualiter ad omnia ista: & sic ens est adæquatum obiectum intellectus, non quòd ipsum solùm intelligatur ab intellectu: sed quia aliqualiter se habet ad omnia intelligibilia, vt diffusè exposui. Et quòd Doctor sic intelligat, patet expressè *in quæst.* 1. *Prolog.* vbi dicit sic: *Licèt enim ens, vt est quoddam intelligibile vno actu: sicut homo intelligibilis vna intellectione, sit naturaliter intelligibile: illa enim vnica intellectio entis, vt vnius obiecti est naturalis: non tamen ens, vt primum obiectum, id est, adæquatum potest poni naturaliter attingibile: nisi quodlibet sub eo contentum sit naturaliter attingibile: quia est primum obiectum, vt includitur in omnibus per se obiectis.* Hæc Scotus. Cùm dicit ergo Ioannes Anglicus, quòd ens sic abstractum est adæquatum obiectum, &c. Si intelligat, quòd illud sit communius respectu omnis intelligibilis transeat. Si verò intelligat, quòd inquantum huiusmodi sit adæquatum, vt indifferens, & vt præscindens ab omni inferiori, hoc est manifestè falsum. Et illud, quod adducit de Philosopho, quòd confusum est priùs notum, non est ad propositum: quia Philosophus ibi loquitur de priùs noto primitate originis, non autem de primitate adæquationis, vt patet secundùm communiter expositores. *Quomodo confusum sit prius notum nobis.*

Ad aliud de conceptu per accidens. Dico, quòd si intelligit, quòd obiectum adæquatum alicuius potentiæ sit aliquis conceptus per se cognoscibilis: & non vt includitur in omnibus per se intelligibilibus: tunc est oppositio in adiecto, ponere aliquid esse adæquatum obiectum potentiæ, & vt sic, non includi in omni per se perceptibili à tali potentia: vt patet à Doctore *in quæst.* 1. *Prolog.* imò obiectum adæquatum, vt sic, percipi, est percipere omnia per se contenta sub tali obiecto. Dico vltra, quòd non intelligit mentem Doctoris, quia Doctor non ponit ens esse adæquatum obiectum intellectus sic, vt percipiatur cum illa duplici primitate: sed sic dicit, quòd quia in ente concurrit ista duplex primitas, scilicet communitatis, cùm sit communissimum vniuocum; & virtualitatis vel in se, vel in suis inferioribus: si aliquid commune debet poni obiectum adæquatum intellectus, respectu omnium perceptibilium ab intellectu, maximè erit ens: & sic Doctor debet exponi. *In ente duplex est primitas.*

Responsio ad rationes Occham. Nunc ad rationes Occham. Ad primam de ente rationis, secundis intentionibus, & huiusmodi: patet responsio ex his, quæ suprà dixi, quomodo secundæ intentiones sint per se intelligibiles.

Ad aliud, cùm dicit quòd tunc Deus esset adæquatum obiectum: quia virtualiter continet, &c. patet responsio ex his, quæ suprà dixi. Et posito etiam quòd Deus contineat virtualiter, &c. tamen ex quo quærimus aliquod obiectum commune ad omnia per se intelligibilia: propter istam communitatem in ente, & virtualitatem, vel in se, vel in suis inferioribus, ponimus esse obiectũ adæquatum. Ad illud de partibus essentialibus, patet ex supra dictis, non esse contra Doct. si intelligatur ens esse adæquatum obiectum modo præexposito.

posito. Multi alij adducunt rationes contra Doctorem, sed quia coincidunt cum prioribus, & facillimè solui possunt ex supra dictis, illas omitto: & præsertim quorundam minùs Doctorem intelligentium.

23. *Aug. Suessa.* Ad aliquas rationes Scoti de vniuocatione entis, respõdet insuper nouus interpres Philosophi.

Ad illam de conceptu certo, & duobus dubiis, adducit responsionem Ioannis, quam ipse approbat, quòd ex natura rei non posset idem conceptus esse certus,& dubius. Et dicit, quòd quicunque concipit aliquam rationem entis, necessariò illum concipit aut sub conceptu Dei, vel rei productæ; substantiæ, vel accidentis. Et dicit, quòd dubitatio non accidit Philosophis de lumine ex parte rei, vel conceptus: sed ex ignorantia *quid nominis*: propterea qui ignorabant quid importetur nomine substantiæ, aut accidentis. Et ad formam, negatur minor,& conceditur maior. Et ad probationem minoris, patet solutio: quòd disputantes de lumine non ex parte rei dubitant de ipso, si est substantia, vel accidens: sed propter ignorantiam *quid nominis*: & sic patet, rationem hanc non esse Achillem, sed Thersitem.

Ad aliud dicit, concedendo quòd substantia,& accidens in ente conueniũt: non quidem in conceptu entis ex parte rei communi: sed in illo disiuncto quòd repræsentatur per conceptionem entis. Differunt autem propriis,& distinctis conceptibus.

Ad aliud dicit, quòd conceptus entis, qui distinctè significatur per ens, nihil aliud est, quàm conceptus substantiæ, vel accidentis: qui vt disiunctiuè accipitur, est alius ab illis distinctè sumptis: & sic non tenet ratio. Et quia omnes responsiones istius noui interpretis incidunt quodammodo in idem: & etiam quia magis sunt aliorum responsiones, omittantur aliæ.

Responsio ad August. Suessam. Respondeo quamuis satis responsum sit suprà, tamen aliqua alia hîc dico. Præmittendo primò, quòd disputantes, & ad inuicem contradicentes non disputant, nec contradicunt de nominibus solùm. Exemplum: Fidelis,& infidelis disputant de ista propositione, *an Deus sit trinus, & vnus*, non contendunt de istis nominibus: sed de conceptibus, vt suprà patuit, *q. 1. Prologi*.

Secundò præmitto, quòd omnis quæstio præsupponit aliquod certum,& quærit dubium: & illud certum præsuppositum non est tantùm nomen, vt patet; vt cùm quæritur: an homo sit risibilis: præsupponit hominem esse ens. Item, cùm quæritur, an lignum sit substantia, vel accidens: præsupponitur, quòd sit ens tanquam certum: & similiter præsupponitur, quòd tam substantia, quàm accidens sit ens. Si ergo habeo certitudinem, quòd lignum sit ens: dubitando, quòd sit substantia, vel accidens: si conceptus entis non sit alius à conceptu substantiæ, & accidentis, tunc intellectus meus erit verè certus,& dubius de eodem conceptu. Non enim disputabant Philosophi de nominibus, sed de conceptibus: quia vnus dicebat lumen esse substantiam: & alius esse accidens: ergo præsupponebant tanquam certum, conceptum entis dici de substantia, & accidente: & per consequens si conceptus entis tantùm esset conceptus substantiæ, vel accidentis: & non esset alius ab illis conceptibus, intellectus fuisset certus de vno conceptu, & dubius de duobus. Et sic patet quomodo ista responsio nullo modo soluit verè Achillem, contra quem tot, & tanti insudarunt, nec vnquam soluere potuerunt. 24. *Philosophi nõ disputabãt de nominibus, sed de conceptibus.*

Ad aliud, quando dicit de conceptu disiuncto. Hæc non est responsio sua, sed Ioannis Rhoditon *lib. 1. dist. 2. quæst. 6.* Contra hanc responsionem arguit Scotus *in isto primo, distinct. 8. quæst. 2.* & arguit sic: Ista certitudo præcedit omnem apprehensionem quorumcunque diuidentium ipsum ens: ergo præcedit certitudinem de toto disiuncto. Antecedens probatur, quia non oportet in prima apprehensione, qua scitur hoc esse aliquid, vel ens, apprehendere à se, vel ab alio, vel per se, vel in alio: & sic de aliis disiunctis: & sic patet quomodo responsiones huius minimè valent.

Ad aliud patet ex his, quæ dixi suprà, &c.

SCHOLIVM.

Sex instantias adducit contra suam sententiam de vniuocatione entis, quas optimè soluit, & valdè peripateticè.

Contra istam [a] vniuocationem entis arguitur multipliciter. 13. *Contra vniuocationem entis.*

Primò per Philosophum 3. *Metaph.* quia secundùm ipsum *ibi*, ens non est genus: quia tunc secundùm ipsum *ibidem*, differentia non esset ens: si autem esset commune dictum *in quid* de pluribus specie differentibus, videretur esse genus. *Tex. comm. 10. Arg. 1.*

Idem etiam *in 4. Metaph.* in principio, vbi vult, quòd ens dicitur de entibus, sicut sanum de sanis,& quòd Metaphysica est vna scientia, non quia omnia illa, de quibus Metaphysica est, dicantur secundùm vnum, sed ad vnum, scilicet non vniuocè, sed analogicè: ergo subiectum Metaphysicæ non est vniuocum, sed analogum. *Tex. com. 2. Arg. 2.*

Idem 7. *Metaph.* dicit quòd accidentia sunt entia, sicut Logici dicunt non ens esse ens, & non scibile esse scibile; & sicut vas dicitur salubre; in omnibus istis exemplis non est vniuocatio eius, quod dicitur de pluribus. *Tex. comm. 14. & 15. Arg. 3.*

Item Porphyrius, *si quis omnia entia vocet, æquiuocè* (inquit) *nuncupabit*. *Cap. de Specie.*

Item, 1. *Physicor.* principium est contra Parmenidem,& Melissum, quòd ens multipliciter dicitur,& arguit quòd si omnia sint vnum ens, ergo omnia sunt, vel hoc vnum ens, vel illud: quod non sequeretur, si ens esset vniuocum, sicut non sequitur: *omnis homo est vnus homo: ergo ille vnus homo*, vel *ille vnus homo*. *Text. c. 13. Arg. 4. Arg. 5.*

Item, per rationem, si ens esset vniuocum ad decem genera: ergo descenderet in ista per aliquas differentias. Sint igitur duæ tales differentiæ *A*, & *B*, aut igitur istæ includunt ens *Arg. 6.*

ens quiditatiuè,& tunc in conceptu cuiuslibet generis generalissimi includitur negatio; aut ista non sunt entia,& tunc non ens erit de conceptu entis.

14. *Ad arg. 1.*

Ad primum [b] argumentum 3. *Metaph.* quamuis non oportet dicere, quòd argumenta illa concludant, quia Philosophus intendit ibi arguere ad oppositas partes quæstionum, quas disputat, sicut ipsemet præmittit in procemio: duo autem opposita non possunt concludi, nisi alterum argumentum sit Sophisticum. Vnde Commentator eius dicit in primo argumento ad primam quæstionem ibi disputatam, esse fallaciam Consequentis, si contraria pertinent ad eandem scientiam: ergo non contraria non pertinent ad eandem scientiam, quamuis etiam istud argumentum specialiter non oportet tenere, quòd concludat. Infert enim ibidem, *Quare si vnum est genus, aut ens, nulla differentia, neque vnum, neque ens erit.* Quæro, aut intendit inferre, quòd non per se primo modo erit differentia ens, vel vnum, & sic conclusiō non est inconueniens de vno; aut intendit inferre negatiuam absolutè, & tunc non valet consequentia: non enim si rationale est differentia respectu animalis, sequitur, quòd rationale non est animal, sed quòd non est per se primo modo animal: tamen tenendo [c] quòd argumentum valeat, concludit oppositum magis, quàm propositum. Remouet enim ab ente rationem generis, non propter æquiuocationem: imò si esset æquiuocum ad decem genera, esset decem genera: quia idem conceptus (quocunque nomine significetur) habet eandem rationem generis: sed remouet rationem generis ab ente, propter nimiam communitatem: quia videlicet prædicatur per se primo modo de differentia aliqua, & per hoc potest concludi, quòd ens non sit genus.

Scilicet 3. Met. com. 3.

Quare ens nō est genus?

15. Ad videndum [d] autem, quomodo hoc sit verum, cùm tamen prædictum sit, quòd ens non prædicatur per se primo modo de differentiis vltimis, distinguo de differentiis: quòd aliqua potest sumi à parte essentiali vltima, quæ est res, & natura alia ab illo, à quo sumitur conceptus generis, sicut si ponatur formarum pluralitas, & genus dicatur sumi à parte essentiali priori, & differentia specifica à forma vltima; tunc sicut ens dicitur *in quid* de illa parte essentiali, à qua sumitur differentia talis specifica, ita dicitur in *quid* de tali differentia in abstracto: ita quòd sicut hæc est in quid, *anima intellectiua est ens,* accipiendo eundem conceptum entis, secundùm quem dicitur de homine, vel de albedine: ita hæc est in quid *rationalitas est ens,* si rationalitas sit talis differentia; sed nulla talis differentia est vltima, quia in tali continentur plures realitates aliquo modo distinctæ tali distinctione, vel non identitate, qualem dixi *in quæst. de Trinitate, 2. dist.* esse inter essentiam, & proprietatem personalem, vel maiori: sicut aliàs explanabitur, & tunc talis natura potest concipi secundùm aliquid, hoc est secundùm aliquam realitatem, & perfectionem, & secundùm aliquam ignorari, & ideò talis naturæ conceptus non est simpliciter simplex. Sed vltima realitas, seu perfectio realitatis naturæ, à qua sumitur vltima differentia, est omnino simpliciter simplex. Ista realitas non includit ens quiditatiuè, sed habet conceptum simpliciter simplicem. Vnde si talis realitas sit *A*, hæc non est *in quid, A est ens,* sed est quasi per accidens: & hoc siue *A* dicat illam realitatem, siue differentiam in abstracto sumptam à tali realitate. Dixi igitur priùs, quòd nulla differentia simpliciter vltima, includit ens quiditatiuè, quia est simpliciter simplex: sed aliqua differentia sumpta à parte essentiali, quæ pars est vna in re, alia à natura, à qua sumitur genus; illa differentia non est simpliciter simplex, & includit ens *in quid:* & ex hoc, quòd talis differentia est ens *in quid*, sequitur, quòd ens non est genus propter nimiam communitatem entis. Nullum enim genus dicitur de aliqua differentia inferiori *in quid*, nec de illa, quæ sumitur à forma, nec de illa, quæ sumitur ab vltima realitate formæ, sicut patebit *dist.* 8. quòd semper illud, à quo sumitur conceptus generis, secundùm se est potentiale ad illam realitatem, à qua sumitur conceptus differentiæ, siue ad illam formam, si differentia sumatur à forma.

De his vide 8. dist. q. 3. clar.

Vltima realitas forma est, quæ vltimatè differt ab aliis, seu quæ non est amplius diuisibilis in alias.

Quia ens dicitur in quid de aliquibus differentiis, & de aliis denominatiuè: genus de nullis differentiis dicitur in quid. Quæst. 3.

Et si arguas contra [e] istud, quòd si rationale includit ens quiditatiuè, & quælibet differentia consimilis, quæ scilicet sumitur à parte essentiali, non ab vltima realitate eius: ergo addendo talem differentiam generi, erit nugatio, eo quòd ens bis dicetur.

16. *Si differētia includitur, quomodo in diffinitione nō sit nugatio?*

Dico, quòd [f] quando duo inferiora ad tertium sic se habent, quòd vnum denominat alterum, illud commune particulariter, denominat seipsum sine nugatione, sicut albedo, quæ est inferior ad ens, denominat animal, quod est inferius etiam ad ens sine nugatione: & ideò sicut est denominatiua ista, *animal est album,* ita ens, quod est superius ad album, potest denominare animal, siue ens particulariter sumptum pro animali, puta si illud ens denominatiuum esset entale, hæc esset vera, *aliquod ens est entale;* sicut enim ibi concedo denominationem accidentalem, sine nugatione, nec tamen idem omnino denominat seipsum, eodem modo conceptum: ita hîc, animal rationale est sine nugatione,

nam

nam in animali includitur ens quiditatiuè, & in rationali denominatiuè: & sicut rationalitas est ens quiditatiuè, ita rationale denominatur ab ente: igitur hic esset nugatio, *animal rationalitas*, non autem hic, *animal rationale*; sicut esset hic, *animal albedo*, non autem est nugatio hic, *animal album*.

Ad aliud, quod dicitur de 4. *Metaph* dico, quòd Philosophus 10. *Metaph.* concedit ordinem essentialem inter species eiusdem generis, quia ibi vult, quòd in quolibet genere est vnum primum, quod est mensura aliorum: mensurata autem habent essentialem ordinem ad mensuram, & tamen non obstante attributione, quilibet concederet, vnum esse conceptum generis: aliàs genus non prædicaretur in *quid* de pluribus differentibus specie. Si enim genus non haberet conceptum alium à conceptibus specierum, nullus conceptus diceretur de pluribus *in quid*, sed tantùm quilibet de seipso, & tunc nihil prædicaretur, vt genus de specie, sed vt idem de eodem.

Text. 2. & inde. *Ad arg. 2. proxime factum.* *In quolibet genere est vnũ primum, explicatur.*

Consimiliter [h] Philosophus dicit *in 7. Physic.* quòd in genere latent æquiuocationes, propter quas non potest fieri comparatio secundùm genus, non enim est æquiuocatio quantùm ad Logicum, qui ponit diuersos conceptus: sed quantùm ad realem Philosophum est æquiuocatio, quia non est ibi vnitas naturæ: ita igitur [i] omnes auctoritates, quæ sunt in Metaphysica, & Physica, quæ essent de hac materia, possent exponi propter diuersitatem realem illorum, in quibus est attributio, cum qua tamen stat vnitas conceptus abstrahibilis ab eis, sicut patuit in exemplo. Concedo tamen quòd totum illud, quod accidens est, attributionem essentialem habet ad substantiam, & tamen ab hoc, & ab illo, potest conceptus vnus communis abstrahi. Ad illa, [l] quæ dicuntur de 7. *Metaph.* Dico, quòd litera vltimi paragraphi de ille materia, soluit omnes auctoritates Philosophi præhabitas, quæ incipit, *Palam autem*, &c. ibi enim dicit Philosophus *quòd primò, & simpliciter definitio, &* quod quid erat esse, *substantiarum est. & non solùm, sed aliorum simpliciter est: non tamen primò.* Et probatur hoc ibi, quia ratio significans idem nomini est definitio, si illud, cuius est ratio, est per se vnum. *Vnum verò dicitur sicut & ens*, & intellige per se ens: *ens autem, hoc quidem, hoc aliquid, aliud quantitatem, aliud qualitatem significat*, quod verum est de ente per se, quia ens per se in 5. *lib.* diuisit in 10. Genera: igitur quodlibet illorum est vnum per se, & ita ratio istorum est definitio, & hoc concludit ibi: *Quapropter erit hominis albi ratio, & definitio* Alio verò modo albi, & substantiæ, quia substantiæ per se, & primò; albi simpliciter, & per se. Sed non primò, albi hominis, secundùm *quid*, & per accidens. Vnde & in illo capitulo tractat principaliter de tali ente per accidens, cuiusmodi est, *homo albus*, quòd eius non sit definitio. Ens igitur, vel *quid*, vel definitionem habere, quodcunque istorum simpliciter dicitur de accidente sicut de substantia, sed non æquè primò, & non obstante ordine potest benè esse vniuocatio.

17. *Text. 31.* *Vniuocatio Physica est quãdo natura plurificatur secundũ eandẽ rationẽ specificã.* *Analogia nõ obstat vniuocationi.* *Ad arg. 3. Text. 16.* *4. Metaph. Text. 28. Text. 14.* *Ad id non ens, &c. sensu est, non ens simpliciter, id est, secundas intentiones esse ens, non scibilia propriè id est, principia esse scibilia secundùm quid.*

Ad Porphyrium, ipse allegat Aristotelem dicendo, *æquiuocè* (inquit, scilicet Aristoteles, de quo ibi loquitur) non inuenitur autem vbi hoc dixerit in Logica: in Metaphysica autem dicit hoc, sicut iam allegatum est, & expositum. Si quis autem vellet pertractare auctoritatem Porphyrij, quomodo ratio eius, ex auctoritate Aristotelis valet, ad oppositum suum posset exponi, sed nolo immorari.

18.

Ad illud [k] quod arguitur *de 1. Physic.* dico quòd ad opinionem illam Parmenidis, & Melissi destruendam principium est accipere, quod ens dicitur multipliciter, non æquiuocè: sed multipliciter, hoc est, de multis ad inquirendum de quo illorum intelligant. Sicut si diceretur omnia esse vnum animal, contra eos esset distinguere animal, & quærere: de quo animali intelligunt, aut omnia esse vnum hominem, aut vnum equum.

Ad 4. *Nam in 4. Met. tex 2. oppositũ dicit Philos. quòd ens nõ dicitur æquiuocè, sed analogicè.*

Cùm dicitur [l], quòd argumentum Philosophi non valet contra eos si ens esset vniuocum. Respondeo, quòd consequentia ista (descendendo sub prædicato stante confusè tantùm) non tenet formaliter, sed est fallacia figuræ dictionis, & fallacia consequentis, tamen si ipsi intellexerunt, sicut Philosophus imponit eis, quòd omnia sunt vnum, non loquendo de vno confusè, sed de aliquo vno determinato: benè sequitur ad antecedens sic intellectum, quòd omnia sunt hoc vnum, vel illud vnum.

19.

His visis de ente [m], restat vlterior dubitatio, Vtrùm posset poni aliquid aliud transcendens primum obiectum intellectus nostri, quod videtur habere æqualem communitatem cum ente: & videtur, quòd sic, & hoc vno modo quòd *verum* sit obiectum adæquatum, & primum intellectus nostri hic, & non ens: quod tripliciter probatur.

Hic assignatur 4. q. in aliquibus antiquis originalibus, sed hæc supputatio magis placet.

Primò sic: distinctæ potentiæ habent distincta obiecta formalia, *ex 2. de Anima:* sed intellectus, & voluntas sunt distinctæ potentiæ: ergo habent distincta obiecta formalia, quod non videtur posse sustineri, si *ens* ponatur primum obiectum intellectus, sed si *verum* ponatur, benè possunt assignari distincta obiecta formalia.

Text 33. & 38.

Secundò sic: *Ens* est commune de se ad sensibile, & intelligibile: obiectum autem *Arg. 2.*

proprium

1.Phys.q.4. & 5. proprium alicuius potentiæ est obiectum eius sub aliqua propria ratione: ergo ad hoc, quòd ens sit proprium obiectum intellectus, oportet, quòd determinetur, & contrahatur ad ens intelligibile per aliquid, per quod excludatur ens sensibile: sed tale contrahens videtur esse *verum*, quod dicit de se rationem manifestatiui, vel intelligibilis.

Arg. 3. Item tertiò sic, obiectum non est proprium alicuius potentiæ, nisi secundùm quòd est proprium motiuum illius potentiæ: non mouet autem aliquid potentiam, nisi secundùm quòd habet aliquam habitudinem ad eam: ens autem secundùm quòd absolutum, & non habens aliquam habitudinem ad intellectum, non est primum, & immediatum obiectum. Illud autem secundùm quod ens formaliter habet habitudinem ad intellectum, est veritas, quia secundùm Anselmum de Veritate, Cap. 11. *veritas est rectitudo sola mente perceptibilis.*

COMMENTARIVS.

1. *Expositio literæ.* a *Contra istam vniuocationem entis.* Hîc Doctor arguit contra conclusionem, quam posuit de vniuocatione entis, vt clariùs innotescat. Et primò per Philosophum 3. *Metaphysic. text. comm.* 10. vbi vult, quòd ens non sit genus, vt patet circa finem illius textus. Hæc litera clara est. Et quod dicit Philosophus, *si ens esset genus, differentia non esset ens:* propter hoc dicit, quia genus non prædicatur in *quid* de differentia, vt patet in 3. Metaph. text. comm. 10. circa finem. *Impossibile*, inquit, *prædicari, aut species generis de propriis differentiis, aut genus sine suis speciebus:* & multas rationes adducit Doctor in Metaphysica sua: sed si differentia specifica est ens quiditatiuè, ens non est genus: & si prædicatur de pluribus vniuocè, videtur esse genus.

b Respondetur ibi: *Ad primum.* Hîc Doctor dat primò vnam responsionem generalem, videlicet quòd rationes factæ in 3. Metaphysic. non sunt determinatæ secundùm intentionem Philosophi. Ibi enim mouet (si benè memini) 23. vel 24. quæstiones, arguendo ad oppositas partes, vt ibi patet: quas quæstiones postea soluit in aliis libris sequentibus. Et quod dicit, quòd *duo opposita non possunt concludi, nisi alterum argumentum sit sophisticum*, hoc patet. Nam si argumento ostensiuo ostendo vnum oppositum de aliquo subiecto: aliud oppositum ostendi non potest, nisi tantùm sophisticè; quia si argumento ostensiuo, vel demonstratiuo: tunc duo opposita possent concludi de eodem, quod est impossibile. Cùm ergo Philosophus in 3. Metaphysic. semper arguat, & pro, & contrà: sequitur quòd vnum est sophisticum, & non determinat quid sit illud, nihil ergo ibi dictum debet sumi pro auctoritate. Vnde Commentator eius 3. *Metaphysic. com.* 3. dicit in primo argumento ad primam quæstionem ibi disputatam, esse fallaciam Consequentis: si contraria pertinent ad eandem scientiam: ergo non contraria non pertinent ad eandem scientiam: non enim sequitur, sicut etiam hîc: Si homo currit: ergo non homo non currit: nam asinus potest currere. Sequitur,

2. *Quamuis etiam istud argumentum*, &c. Hoc dictum debet referri ad argumentum primum Philosophi 3. *Metaphysic.* videlicet quòd argu- *Ens non est genus.* mentum, quo probat quòd ens non est genus, non oportet specialiter tenere quòd concludat: infert enim ibidem, scilicet 4. Metaphysic. text. comm. 10. in fine textus. *Quare si vnum est genus, aut ens:* supple est genus: *nulla differentia, neque vnum, neque ens erit*, id est, si ponatur, quòd ens sit genus, nulla differentia erit ens. Et similiter si ponatur, quòd vnum sit genus: nulla differentia erit vnum. Sequitur: *Quaro, aut intendit inferre, quòd non per se primo modo erit differentia ens & vnum, & sic conclusio non est inconueniens de vno*, scilicet quòd differentia non sit vnum per se primo modo: est tamen inconueniens de ente, scilicet quòd differentia non sit ens per se primo modo. Nam differentia est ens per se primo modo, secundùm ipsum Aristotelem, aut intendit inferre negatiuè absolutè, scilicet si *ens*, vel *vnum* essent genus, differentia nullo modo esset ens, vel vnum, vel per se primo modo, vel denominatiuè, vel quocunque alio modo. Hoc autem est falsum, vt patet de animali respectu rationalis: licèt enim rationale non sit animal per se primo modo, non tamen negatur quin sit aliquo modo animal.

c *Tamen tenendo, quòd argumentum valeat.* Doctor hîc dat aliam responsionem. Et in ista litera multa bona dicit, quæ declarantur de sententia in sententiam. Dicit enim primò, quòd ens non ponitur genus, tenendo quòd sit vniuocum decem generibus propter nimiam communitatem. *Quomodo ens sit vniuocum.* Nam aliquæ differentiæ specificæ sunt ens quiditatiuè: & si ens esset genus, tunc huiusmodi differentiæ non essent ens, vt dixi suprà. Secundò dicit, quòd si ens esset tantùm æquiuocum ad decem genera, esset tantùm decem genera: quia idem conceptus quocunque nomine significetur, habet eandem rationem generis. Exemplum: Conceptus substantiæ, quæ est genus generalissimum, remanens idem conceptus quocunque nomine significetur, siue nomine substantiæ, siue nomine entis, semper importatur idem conceptus, & per consequens eadem ratio generis.

d *Ad videndum autem quomodo sit verum.* 3. Supple, quòd aliquæ differentiæ specificæ sint ens quiditatiuè: *cùm tamen prædictum sit, quòd ens non prædicatur per se primo modo de differentiis vltimis.* Et sententia literæ stat in hoc: quòd eodem modo differentia est ens, quo & natura, à qua sumitur, est ens. Exemplum: Si ponantur in homine plures formæ substantiales, vt Doctor exprefsè ponit in quarto, in materia de Eucharistia, tunc ab vna forma priori 4 *sent. dist.* 2. *q.* 3. accipitur ratio generis, siue conceptus animalis, & ab anima intellectiua accipitur conceptus differentiæ: & si anima intellectiua est ens quiditatiuè, etiam conceptus differentiæ sumptus ab ea, erit ens quiditatiuè: sed talis conceptus non est vltima differentia: patet, quia nec anima intellectiua. patet, in anima enim intellectiua, quamuis ipsa sit vnica, & simplex forma: sunt

In anima intellectiua plures sunt realitates.

sunt tamen plures realitates, in quas resoluitur: & sic non erit conceptus simpliciter simplex. Nam si est ens quiditatiuè, & similiter alia anima, puta sensitiua sit ens quiditatiuè, certum est quòd in ipsa anima intellectiua est aliqua realitas prior, à qua accipitur conceptus entis: & quia vna anima essentialiter differt ab alia: & certum est quòd non per conceptum entis: quia eodem non possunt conuenire quiditatiuè, & differre: ergo differt per aliam realitatem: & illa realitas, quà anima differt ab alia anima, est simpliciter vltima realitas animæ, faciens ipsam differre à quocunque alio, quod non est ipsa: & sic illa realitas, qua anima intellectiua vltimatè differt ab anima sensitiua, erit primò diuersa ab vltima realitate animæ sensitiuæ: & per consequens illæ realitates non sunt ens quiditatiuè: quia tunc esset processus in infinitum in realitatibus, vt suprà exposui. Sequitur ergo, quòd differentiæ sumptæ ab illis vltimis realitatibus, quæ dicuntur vltimæ differentiæ, erunt primò diuersa: & per consequens non includent ens quiditatiuè, & sunt simpliciter simplices: & tota litera clara est per exemplum positum.

e *Et si arguas contra istud: quod si rationale includit ens quiditatiuè:* ergo addendo talem differentiam generi erit nugatio, eo quòd ens bis diceretur: quia dicendo, animal rationale, dico bis ens quiditatiuè: patet, quia animal est ens quiditatiuè, & similiter rationale: sicut etiam si animal prædicaretur in *quid* de rationali, dicendo, animal rationale, bis diceretur animal.

Singularis responsio de nugatione.

f *Dico.* Hîc nota singularem responsionem, quam declaro exponendo literam: dicit enim sic: *Quando duo inferiora ad tertium sic se habent, quòd vnum denominat alterum.* Exemplum: homo albus, quæ comparantur ad ens. Sequitur: *Illud commune, vt ens particulare denominat seipsum sine nugatione:* patet, tunc enim dicitur nugatio, quando idem bis nominatur sub eadem ratione: vt dicendo animal animal. Si verò non nominatur sub eadem ratione, non erit nugatio: sic in proposito. Nam cùm dico *homo*, dico ens quiditatiuè; cùm verò dico *album*, dico ens denominatiuè: & sic ens denominatiuè particulariter sumptum, denominat seipsum quiditatiuè, & particulariter sumptum: sic cùm dico *aliquis homo est albus*, sensus est, quòd aliquod ens est entale, accipiendo *entale*, pro ente denominatiuè sumpto. Sic in proposito: Cùm dicitur *animal rationale:* ly *rationale* accipitur denominatiuè: & tunc ens denominatiuè sumptum particulariter denominat seipsum. Nam hæc est falsa, *rationale est ens quiditatiuè:* licèt hæc sit vera, *rationalitas est ens quiditatiuè.* Nota tamen, quòd *rationale*, non dicitur propriè denominatiuum *animalis*, cùm non sit accidens: sed loquitur de denominatiuo largè sumpto: de quo infrà *dist. 8. quæst. penult. & in quodlib.*

5. Secundò principaliter arguit Doctor contra
* Num. 13. vniuocationem entis, & argumentum est ibi *: *Idem etiam in 4. Metaph. vbi vult, quod ens dicatur de entibus, sicut sanum de sanis:* vt patet text. com. secundi. *Ens* (inquit) *dicitur multipliciter, & non dicitur æquiuocè, sed attribuitur vni rei, & vni naturæ, sicut omne sanans attribuitur sanitati: quoddam enim dicitur sanum, quia conseruat quoddam, quia facit sanitatem, & quoddam, quia significat: & quoddam, quia recipit.* Hæc ille. Sicut ergo *sanitas* dicitur æquiuocè, siue *sanum* de sanis, sic & *ens* de omnibus entibus. Vult etiam ibi in illo textu, quòd Metaphysica dicitur vna scientia, non propter vnitatem vnius subiecti communis omnibus entibus: sed quia omnia entia attribuuntur vni, scilicet substantiæ: & sic ens erit analogum, & non vniuocum: vide in medio text. *Et similiter*, inquit, *ens dicitur multis modis: sed illi modi attribuuntur vni rei*, &c. vide literam sequentem.

Quomodo analogia stet cum vniuocatione.

g Respondetur, ibi: *Ad aliud quod dicitur de 4. Metaph.* Hîc ostendit quomodo analogia stat cum vniuocatione. Nam ab omnibus conceditur, quòd animal prædicatur vniuocè de omnibus animalibus: & tamen per prius de vno, accipiendo *prius*, id est, perfectius, & per posterius de alio. Certum est enim quòd vna species animalis est perfectior essentialiter alia, cùm inter illas sit ordo essentialis, cùm vna sit mensura perfectionalis alterius: & sic *animal* prædicatur analogicè de homine, & de asino: quia perfectiùs de homine, quàm de asino: non tamen sic intelligendo, quòd animal in se sit perfectius in homine, quàm in asino: sed sicut dicimus, quòd vna materia est perfectior alia, non in se: sed quia perficitur nobiliori forma: sic animal in homine est perfectius animali in asino, non in se: sed quia in homine determinatur, & contrahitur, & suo modo perficitur nobiliori differentia: sed quicquid sit, de hoc aliàs dicetur: sufficit enim pro nunc habere, quòd cum analogia stat vniuocatio: & sic licèt *ens* dicatur analogicè de omnibus entibus: tamen cum tali analogia stat vniuocatio.

Quomodo animal prædicetur analogicè de homine, & de asino.

Vna materia est perfectior alia.

h *Consimiliter Philosophus dicit*, &c. id est, 6.
quòd loquendo de genere Physico, siue de genere, quantum ad realem Philosophum, in ipso latent æquiuocationes.

Vniuocatio Physica differt à Logica.

Pro intelligentia huius literæ nota, quòd vniuocatio Physica, siue vniuocatio apud realem Philosophum (qui tantùm considerat de rebus, & non de conceptibus) sumitur penes naturam, habentem vnitatem speciei specialissimæ: quia in tali propriè fit comparatio, vt patet de albedine. Dicimus enim, quòd aliquid est magis, vel minùs album, quàm aliud album: ideò apud realem Philosophum vniuocatio sumitur ab aliqua natura, secundùm quam propriè potest fieri comparatio: & talis natura erit tantùm species specialissima: sed à natura habente vnitatem genericam: puta à colore, non accipit realis Philosophus vniuocationem: patet, quia secundùm naturam genericam non fit propriè comparatio. Non enim dicimus, quòd album est magis album, quàm nigrum: ideò color non erit vniuocum apud realem Philosophum: ideò dicit, quòd in genere latent æquiuocationes, quia in genere sunt plures naturæ specificæ, quæ non sunt comparabiles adinuicem: vt patet de albo, & nigro. Deinde dicit Doctor quòd quantum ad Logicum, in genere non est æquiuocatio: quia ponit diuersos conceptus sub illo. Logicus enim tantùm considerat per se secundas intentiones, vel conceptus per accidens: quibus applicat secundas intentiones: & non dicit aliquid prædicari vniuocè, ex hoc, quòd secundùm illud possit fieri comparatio: sed ex hoc, quia dicit vnum conceptum communem pluribus, non attendens aliquam comparationem conceptuum: sed tantùm attendens vnitatem conceptus communem pluribus.

In genere latent æquiuocationes.

In genere Logico potest fieri comparatio.

i *Ita igitur omnes auctoritates*, &c. Concedit tamen, quod omne accidens habet essentialem attributionem ad substantiam: & tamen à substantia, & accidente potest abstrahi conceptus vnus: Philosophus enim 2. *Metaphysi. text. com.* 2. attribuit omne accidens substantiæ. Cum analogia ergo stat vniuocatio: quia vera vnitas conceptus de omnibus analogatis.

Tertiò principaliter arguit, ibi: *Item 7. Metaph. Sicut*, inquit, *& ens existit in omnibus, sed non simpliciter: sed huic quidem primum*, scilicet, substantiæ: *illud verò consequenter*, scilicet accidentibus. *Ita, & quod quid est simpliciter quidem substantiæ: alio verò modo aliis:* quia scilicet quiditas secundùm Commentatorem ibidem, inuenitur simpliciter in substantia, accidentia verò non habent quiditatem simpliciter: vnde sequitur in textu, ostendendo quòd accidens non habeat quid simpliciter, cùm dicit: *Quare, & qualitas est eorum, quæ quid est*, id est, quæ habent quiditatem, *sed non simpliciter*, supple habet quiditatem: *sed sicut de non ente Logici dicunt quidam esse non ens simpliciter: sed non ens, sic & qualitatem.* Dicit, quòd accidentia non sunt entia, &c. Exponitur ista litera sic: Sicut Logici dicunt non ens, puta simpliciter esse ens; vt secundæ intentiones sunt non ens simpliciter: tamen dicuntur ens secundùm *quid:* sic scibile propriissimè est conclusio demonstrabilis. Et principia prima non sunt scibilia propriè, cùm non sint demonstrabilia: ergo non scibile, supple propriè, erit scibile: videlicet impropriè. Si ergo accidentia hoc modo dicuntur entia: videtur, quòd ens dicatur æquiuocè de substantia, & accidente.

Accidens non habet quid simpliciter.

Secundæ intentiones sunt ens secundùm quid, non autem simpliciter.

8. Respondet Doctor ibi: *Ad illa, quæ dicuntur de septimo Metaphysicæ.* Et sententia literæ stat in hoc: quòd licèt substantia dicatur simpliciter ens; & propriissimè: & accidentia habeant attributionem ad ipsam: & per consequens, non sint ita simpliciter ens, sicut substantia; non tamen sequitur quòd prædicetur æquiuocè de substantia, & accidente: quia (vt dixi suprà) cum prædicatione analogica stat prædicatio vniuoca. Vult etiam in ista litera; quòd licèt substantia primò, & simpliciter definiatur, tamen vult quòd etiam accidentia verè definiantur, licèt non primò. Cùm enim dicit secundùm Philosophum, quòd primò, & simpliciter definitio, & *quod quid erat esse* substantiarum est, id est, quòd definitio, & *quod quid erat esse*, quod accipitur pro essentia rei, primò competit substantiæ. Sequitur, *Et non solùm, sed aliorum simpliciter est: non tamen primò*, id est, quòd definitio, & *quod quid erat esse* non solùm competit substantiæ: sed etiam aliis simpliciter competit: differenter tamen, quia substantiæ competit primò: accidenti verò non primò. Nec mirum, quòd competat primæ substantiæ: quia ipsa est prior omni accidente tempore, definitione, & cognitione: vt patet 7. *Metaph. text. com.* 4. Sequitur, *Et probatur hoc ibi:* supple quòd definitio, & *quod quid erat esse* simpliciter competat accidenti: *quia ratio significans idem nomini*, id est, definitio; *est definitio: sicut illud*, supple nomen, vel definitum: *cuius est ratio est per se vnum*, id est, quòd si nomen dicit vnum conceptum per se, erit simpliciter definibile: sicut albedo, & nigredo: album verò, quia dicit vnum conceptum per accidens, non est per se definibile, sed tantùm per accidens. Sequitur, *Vnum verò dicitur, sicut & ens: & intellige per se ens: ens autem*, &c. Dicit, quòd ens diuiditur in quantitatem, qualitatem, &c. loquendo semper de ente per se. Sequitur ergo, quòd si aliquid est per se ens, erit per se vnum: sicut homo est per se ens: ideò est per se vnum. Sicut etiam, si aliquid est per accidens ens: vt *homo albus:* ita erit per accidens vnum, *& sic ratio istorum*, supple per se entium, *erit definitio.* Sequentia clara sunt.

Accidentia definiuntur, sed non primò.

Quintò arguit. Ibi: *Item primo Physicor. Principium*, inquit, *maximè omnium proprium est: quoniam multipliciter dicitur illud quod est*, id est, ipsum ens: & arguit, quòd si omnia sint vnum ens: ergo omnia sunt, vel hoc vnum ens, vel illud; quod non sequeretur, si ens esset vniuocum. Sicut non sequitur: *Omnis homo est vnus homo: ergo ille vnus homo, vel ille vnus homo.* 9.

k Respondet Doctor ibi: *Ad illud quod arguitur de primo Physicor.* Dicit quòd Aristoteles non accipit *ens multipliciter* æquiuocè: sed multipliciter, id est, de multis. Nam Parmenides & Melissus, vt patet primo *Physic. text. com.* 13. asserebant tantùm esse vnum ens: contra quos arguit Aristoteles, assumendo hoc principium: *Ens dicitur multipliciter*, id est, prædicatur de multis: ergo si omnia sunt vnum ens, quæro aut sunt vnus homo; aut vnus equus, & huiusmodi: & sic patet, quòd non accipit ibi *ens* dici *multipliciter*, id est, æquiuocè, sed *multipliciter*, id est, de multis. Et quòd sic intelligat, statim postquam dixit ens dici multipliciter, infert: *quomodo dicunt dicentes vnum esse omnia, vtrùm substantiam omnia: aut quantitatem, aut qualitatem, & iterum vtrùm substantiam vnam omnia, vt hominem vnum, aut equum vnum, aut qualitatem vnam*, &c. vult ergo, quòd ens non dicatur multipliciter de illis, id est, æquiuocè, sed *multipliciter*, id est, de multis vniuocè: de quibus exemplificat, &c.

Ens multipliciter dicitur, id est, de multis prædicatur vniuocè dicitur etiam ens multiplex multiplicitate suppositorum, non autem significatorum.

l *Cùm dicitur, quòd argumentum Philosophi non valet*, &c. 10.

Respondet Doctor primò, quòd consequentia ista, descendendo sub prædicato stante confusè tantùm, non tenet formaliter: sed est fallacia figuræ dictionis, & fallacia consequentis. Exemplum: *Omnis homo est animal*, ly *animal*, stat confusè tantùm: quia non licèt descendere sub animali: & si descendatur, descensus erit falsus, vt patet sic descendendo: *Et hæc sunt omnia animalia: ergo omnis homo est hoc animal.* Nam est fallacia consequentis à positione consequentis ad positionem antecedentis: non enim sequitur: *homo currit: ergo hic homo currit:* sic in proposito, quando Parmenides, & Melissus dicunt; Omnia sunt vnum ens, accipiendo ly *ens* pro ente in communi. Certum est quòd ens stat confusè tantùm: & sic non licèt descendere. Fit etiam fallacia figuræ dictionis commutando *quale quid* in *hoc aliquid:* quia ly *ens*, stans confusè, tantùm significat *quale quid:* vt verò descenditur sub illo, statim mutat *quale quid* in *hoc aliquid.* Sequitur, *Tamen si ipsi intellexerunt, sicut Philosophus imponit eis, quòd omnia entia sunt vnum ens:* non loquendo de vno confusè, sed aliquo vno determinato. *Benè sequitur ad antecedens intellectum*, videlicet: Si omnia entia sunt vnum ens numero: ergo erit hoc ens, vel illud, &c.

Committitur fallacia consequentis, quando argumentamur à positione consequentis ad positionem antecedentis.

Fallacia figuræ dictionis fit, quando commutatur quale quid in hoc aliquid.

Contra hanc conclusionem de vniuocatione entis, arguunt quidam noui expositores S. Thomæ.

Thom. Caiet. arguit cõtra Doctorem.

Primò

Primò sic. Quia tunc ens esset genus, quia non includeretur quiditatiuè in differentiis specificis: quia si sic, tunc esset nugatio, dicendo *animal rationale*. Nec valet dicere, quòd *rationale* dicat ens denominatiuè particulariter: quia aliud est loqui de ente in sua ratione communi, in qua indistinctè vniuocantur supradicta: & aliud est loqui de ente, particulariter accepto. Licèt enim palliari possit, quòd *ens* particulatum ad album, & *rationale* denominant *ens* particulatum ad animal: non tamen potest intelligi: quia prima pars rationis albi, formaliter sumpti, denominat primam partem rationis animalis: ea enim est ens, eodem modo sumptum, cùm vniuocum sit: remanet ergo, quòd nugatio est dicere apud Scotum *animal rationale*: immò *animal album*: eodem modo arguendo, vt priùs, vtendo loco nominum eorum rationibus quiditatiuis. Nec valet dicere, quòd in *rationali* non includitur quiditatiuè, sed in *rationalitate*: quia tunc sequitur principale intentum nostrum, quòd scilicet ens in nulla differentia includatur quiditatiuè: quia *rationalitas* non est differentia, sed differentiæ principium, secundùm veram Auicennæ doctrinam: differentia enim prædicatur de specie, *rationalitas* autem non.

Secundò. Quia si ens est vniuocum substantiæ, accidenti: ergo in ratione substantiæ expressè cadit ens, quod est inconueniens. Probatur consequentia, quia omne superius cadit in ratione essentiali sui inferioris. Tunc vltrà, si ens cadit in ratione substantiæ: ergo & in definitione eius. Probatur ista consequentia per Aristotelem 2. Topicor. com. 5. qui dicit, quòd quando aliquid ponitur in definitione alicuius, loco illius, si ponatur eius ratio, clarior erit intellectus. Cùm ergo substantia ponatur in definitione hominis, & loco *substantiæ* liceat ponere eius rationem, in qua explicitè cadit *ens*, vt clarior sit definitio: sequitur quòd *ens* debeat poni in definitione hominis explicitè, vt clarior reddatur, quod est falsum. Et multa alia dicit, quæ breuitatis causa omitto: & quia facillimè solui possunt.

12. *Gul. Ocham contra Doctorē arguit.* Deinde Ocham *in prim. dist. 2. quæst. 9.* arguit contra Doctorem in ista materia: non contra principalem conclusionem: quia non negat ens esse prædicatum vniuocum Deo, & creaturæ, & 10. Prædicamentis, sed arguit contra multa dicta à Doctore.

Et primò dicit, quòd illa ratio Doctoris, qua probat ens dici vniuocè de Deo, & creatura, scilicet, *intellectus certus de vno conceptu*, &c. non concludit: nisi probetur, quòd sicut aliquis potest habere tres propositiones in voce, habentes distincta prædicata, ita quòd nullum prædicatum includatur in alio, scilicet quòd Deus est ens, & quòd est ens creatum, & ens increatum, & vnum scire, & duos dubitare: quòd ita potest habere tres propositiones in mente, consimiles, habentes distincta prædicata: aliter ratio non concludit. Et ideò respondet ad argumentum Doctoris dicens, quòd intellectus non est certus de vno conceptu, sed de duobus sub disiunctione: quia dicerent alij, quòd formando propositiones in mente, non est quibuscunque signis institutis ad placitum, saltem categorematicis, talis intellectus non format, nisi duas propositiones, in quarum vna prædicatur substantia, & in alia accidens: dicendo *A* est substantia, & *A* est accidens. Et tertiam format de disiuncto prædicato: dicendo, quod *A* est substantia, vel accidens: & ideò talis non posset formare propositionem correspondentem isti in voce, *A* est ens: nisi distinctè apprehendendo, & conceptum substantiæ, & conceptum accidentis.

Secundò arguit contra secundam rationem Doctoris, qua probat, quòd *si ens non esset vniuocum Deo, & creaturæ: Deus non posset naturaliter intelligi*, &c. Dicit, quòd ista propositio est falsa: videlicet quòd obiectum possit causare in aliquo intellectu aliquam notitiam simplicem sui: & aliam simplicem obiecti contenti virtualiter, vel essentialiter: & hoc probat in prolog. quæst. 3. quæ est nona in ordine, in conclusione prima: licèt ibi non loquatur de obiecto, sed tantùm de notitia obiecti. Et declarat hoc per experientiam, dicens, quòd quilibet experitur in se, quòd quantuncunque cognoscat intuitiuè, & perfectè aliquam rem: nunquam per hoc cognosci aliam rem, nisi præhabeat notitiam illius alterius rei. & ratio est, quia omnis notitia abstractiua alicuius rei in se, vel notitia propria alicuius rei, præsupponit notitiam intuitiuam illius rei: sed notitia intuitiua alicuius rei non potest haberi naturaliter, nisi effectiuè mediatè, vel immediatè ab illa re: & multa alia dicit ibi, quæ faciliter solui possunt. 13.

Tertiò arguit contra aliud dictum Doctoris, videlicet quòd ens non prædicatur vniuocè de vltimis differentiis, nec de passionibus: & intendit ostendere, quòd etiam prædicatur in *quid* de illis. Primò, quia omnis res, vel est per se in genere, (vel pars essentialis alicuius existentis per se in genere: sed per Scotum differentia vltima est aliquid reale extra animam: & per consequens erit per se in genere, vel erit pars essentialis, componens cum alia parte, ab ea realiter distincta: sed siue sic, siue sic, ens secundùm eos prædicatur in *quid*: & per consequens vniuocè. Maior probata est priùs: vbi probatum est, quòd nulla est distinctio à parte rei in creaturis, nisi distinctio rerum.

Item, maior est conuenientia vnius differentiæ cum alia, quàm cum Deo: & istæ differentiæ vltimæ realiter distinguuntur: ergo secundùm principia istorum, per aliquid distinguuntur, & in aliquo conueniunt: sed illud, in quo conueniunt, prædicatur de eis in *quid*. Maior probatur, quia omnis res creata plus distinguitur à Deo, quàm à quacunque re creata: ergo cùm conueniat cum Deo aliquo modo: sequitur, quòd plus conuenit cum quacunque re creata. Si ergo Deo, & creaturæ est aliquod commune vniuocum: à fortiori illis differentiis vltimis. 14.

Item, arguo sicut ipse arguit: Omnis intellectus certus de vno conceptu, & dubius de duobus, habet alium conceptum neutrum ab illis duobus: sed aliquis potest esse certus de *A*. quòd ens, dubitando an sit differentia vltima, an non vltima: ergo est aliquis conceptus communis differentiis vltimis, & non vltimis.

Ad istam rationem respondet Scotus tripliciter. *Responsio Scoti.* Primò, quòd non est certus de tali, quòd sit ens quiditatiuè. Secundò, quòd talis conceptus est simpliciter simplex. Tertiò, quòd ille conceptus, de quo est certitudo, est alius ab illis, de quibus est dubitatio. Et si ille certus saluatur cum alterutro illorum dubiorum, verè est vniuocus: sed non oportet, quòd insit vtrique illorum

in *quid*: sed, vt sit vniuocus cum eis, vel vt determinabilis ad determinans, vel vt denominabilis ad denominans.

Sed istæ responsiones Scoti non videntur sufficere. Prima non, quia idem sequeretur de Deo: quia posset dici, quòd non est certum, quòd conceptus entis prædicetur de Deo quiditatiuè. Secunda responsio non videtur sufficere: quia tanta simplicitas, vel maior est in Deo, quanta est in quacunque differentia vltima. Tertia similiter non sufficit; quia idem posset dici de Deo.

15. *Soluuntur rationes Ocham.* Respondetur primò ad obiectiones Ocham. Ad primam, quam facit contra primam rationem Doctoris de conceptu disiuncto, patebit responsio à Doctore infrà *d.* 8. *quæst.* 2.

Ad aliud contra secundam rationem. Dico, quòd non sufficienter probat, quòd idem obiectum non possit causare notitiam simplicem sui, & alterius contenti. Et quod dicit de cognitione intuitiua, quòd non experimur, quòd si intuitiuè cognosco vnam rem, quòd per hoc cognoscam aliam rem: modò cognitio simplex abstractiua alicuius obiecti necessariò præsupponit simplicem intuitiuam eiusdem rei. Dico primò, quòd Doctor non dicit, quòd notitia simplex vnius obiecti sit causa notitiæ simplicis alterius obiecti: sed dicit, quòd vnum obiectum potest esse causa cognitionis sui, & contentorum essentialiter, & virtualiter: vt suprà diffusè exposui: & sicut in cognitione abstractiua eadem species intelligibilis, supplens vicem obiecti, causat cognitionem obiecti simplicem: & omnium contentorum virtualiter, & essentialiter. Sic dico, quòd quando obiectum est in se præsens secundùm propriam existentiam, causat partialiter cognitionem sui intuitiuam, & omnium contentorum realiter, & virtualiter. *Cognitio intuitiua est verè existentis, inquãtum existens.* Nam, vt dicit Doctor *distinct.* 8. *penult. quæst. primi, & in quodlib.* cognitio intuitiua est verè existentis, inquantum existens est: & omnis virtualiter contenti in tali re, sic existente. Et quod dicit, quòd hoc non experitur. Dico, quòd si pro statu isto possemus habere cognitionem intuitiuam alicuius obiecti, & virtualiter contenti in eo, esset hoc facile experiri.

16. *Dubium.* Sed dubium est, an possimus pro statu isto cognoscere aliquid intuitiuè? & quid Doctor de hoc sentiat, differatur vsque ad 45. *dist.* 4. vbi diffusè pertractat hanc materiam. Et cùm dicit quòd cognitio abstractiua alicuius obiecti, simplex necessariò præsupponit intuitiuam eiusdem obiecti.

Responsio. Dico primò, quòd si loquatur de intuitiua, & abstractiua, respectu eiusdem potentiæ: negatur, quia intellectus cognoscens aliquid abstractiuè, non priùs cognoscit idem intuitiuè. Si verò intelligat, quòd cognitio abstractiua alicuius obiecti simplicis præsupponat intuitiuam eiusdem in alia potentia inferiori: puta in sensitiua exteriori: absolutè hoc non credo esse verum, nisi de primo obiecto. Nam intellectus potest abstractiuè cognoscere quiditatem, abstractam ab omni singulari, quæ tamen aliquo sensu non potest cognosci. Et multa alia essent hîc dicenda, quæ differantur vsque ad 45. 4.

Ad aliud de differentiis vltimis. Concedo, quòd omnis res per se existens in genere, & pars verè essentialis illius rei, est ens quiditatiuè: sicut patet de materia, & forma, quæ verè, & realiter componunt aliquod tertium. Sed negatur de realitate, quia illa propriè realiter non componit. Nam etsi anima intellectiua sit vera res, & realiter componibilis cum alia re, vltima tamen realitas in anima non dicitur propriè verè res, nec pars realis compositi: sed est quædam realitas ex natura rei distincta ab anima. Et quando dicit, quòd differentia vltima realiter distinguitur ab eo cuius est, hoc habet probare. Et cùm dicit, quòd in nulla re creata potest esse aliqua distinctio nisi rei, & rei. Dico, quòd hoc non est sufficienter probatum ab ipso: & rationes, quas facit pro ista materia, aliàs soluentur: licèt quilibet parum instructus in via Scoti faciliter possit soluere.

Ad secundam rationem de differentiis vltimis, quòd sint ens quiditatiuè: cùm dicit, quòd maior conuenientia est vnius differentiæ vltimæ ad aliam, quàm cum Deo. Dico, quòd si intelligit, 17.
quòd puta differentia vltima magis conuenit cum alia differentia, quàm cum Deo, si intelligat de conuenientia quiditatiua in aliquo communi; negatur hoc absolutè: quia illa vltima differentia est ita primò diuersa à Deo, sicut ab alia vltima differentia: cùm nullo modo recipiat prædicationem alicuius quiditatiuam. Haberet ergo probare, quòd esset maior conuenientia vnius differentiæ ad aliam in aliquo quiditatiuè dicto: quod non probat.

Ad tertiam rationem, qua probat, quòd vltimæ differentiæ sint ens quiditatiuè: *quia intellectus certus*, &c. Ad hanc ratioñe respondet Doctor tripliciter, vt patuit suprà. Et cùm dicit, quòd istæ responsiones non sunt sufficientes; hoc non sufficienter probat. Et quando dicit, quòd prima responsio Scoti non concludit: quia hoc idem posset sequi de Deo: quia etsi aliquis sit certus quòd Deus sit ens: tamen nõ est certus quòd sit ens quiditatiuè. Dico quòd est maior certitudo incomparabiliter, quòd Deus sit ens quiditatiuè, quàm vltima differentia. Hoc patet, quia cùm Deus sit simpliciter prima entitas, & perfectissima, si conceditur quòd si ens perfectissimum, statim notum est, quòd sit ens quiditatiuè: licèt postea contingat dubitare: an conceptus entis, dicti quiditatiuè de Deo sit alius: nec etiam aliquis dubitat, quin substantia perfecta sit ens quiditatiuè: licèt possit dubitare, an talis conceptus entis sit alius à conceptu substantiæ. Sed de differentiis vltimis est maxima dubitatio, an sit ens quiditatiuè: cùm non sint per se in genere: nec sint propriè partes reales, realiter constituentes aliquid per se in genere. Tum etiam, quia vltimæ differentiæ sunt tantùm quædam realitates, & non sunt verè res. *Vltimæ differentiæ non sunt veræ res, sed tantùm quædam realitates.*

Ex ista solutione, patet solutio ad rationem Ocham, quam facit contra tertiam responsionem Doctoris.

Ad rationem factam contra secundam responsionem Doctoris. Quando dicit Ocham, quòd maior est simplicitas Dei, quàm cuiuscunque creaturæ: & tamen ens prædicatur in *quid* de Deo. Dico, quòd si verè Deus sit summè simplex: & nullo modo compositus ex re, & re, nec alteri componibilis: nec conceptibiliter compositus ex genere, & differentia; nec compositus ex actu positiuo, & priuatione alicuius perfectionis, vt infrà patebit, *distinct.* 8. & his modis

dis

dis sine dubio est magis simplex, quàm quælibet creatura: sed cum tali simplicitate stat, quòd non sit simpliciter simplex, accipiendo *simpliciter simplex*, modo præexposito: negatur ergo ista consequentia: Deus absolutè est magis simplex, quàm quælibet creatura: ergo est magis simpliciter simplex. Et ratio negationis consequentiæ suprà patuit.

18. *Rationes Tho. Caiet. soluuntur.* Nunc respondendum est ad rationes alterius Doctoris, siue noui expositoris S. Thomæ. Et dico primò, quòd non est hæc nugatio *animal rationale est ens*: quia non repetitur idem conceptus sub eadem ratione: nam cùm dico *animal est ens*, accipitur *ens* quiditatiuè: cùm verò dico, *rationale est ens*, accipitur denominatiuè: sicut etiam cùm dico, *album est ens*: ideò idem conceptus sub eadem ratione non reperitur.

Nota. Et cùm dicit, quòd aliud est loqui de ente in sua ratione communi, &c. Dico primò, quòd conceptus entis in communi abstrahit à prædicari in *quid*, & in *quale*. Si enim conceptus entis quiditatiuè includeret prædicari in *quid*, tunc de omni in *quid* prædicaretur, quod est falsum. Si etiam ex se includeret *denominatiuè prædicari*, de omnibus tantùm denominatiuè prædicaretur. Dico ergo, quòd simpliciter abstrahit à prædicari in *quid*, & in *quale*. Sicut etiam albedo est indifferens ad prædicari in *quid*, & in *quale*: nam, vt comparatur ad inferiora, prædicatur in *quid*: & vt comparatur ad substantiam, prædicatur in *quale*.

Accidentia ad sua inferiora comparata, in quid prædicantur de suis inferioribus; cõparata verò ad substantiam in quale.

Sic dico de conceptu entis, qui vt comparatur ad Deum, & ad 10. Genera, dicit conceptum quiditatiuum; vt verò comparatur ad vltimas differentias, dicit conceptum denominatiuum: & similiter vt comparatur ad album; differenter tamen, quia vt comparatur ad album, prædicatio entis, respectu albi, est prædicatio magis per accidens, quia album dicit cõceptum tantùm per accidens: & de conceptu per accidens nihil per se prædicari potest, vt suprà patuit à Doctore *dist. 2. quæst. 2. & alibi.* Vltima verò differentia dicit conceptum per se, quia simpliciter simplicem. Et similiter cùm dico *rationale*, dico formam, connotando subiectum: & sic cùm dico, *rationale est ens*, quia accipitur *rationale* denominatiuè, quia significat formam, connotando suo modo subiectum: ideò ens, vt prædicatur de rationali, dicit tantùm conceptum denominatiuum: quia de conceptu denominatiuo nihil potest prædicari propriè. Si ergo vtrobique accipiatur conceptus entis in communi, vt prædicatur de animali, & rationali, patet quòd etsi importetur idem conceptus entis, non tamen sub eadem ratione: quia, vt prædicatur de animali, accipitur conceptus entis sub eadem ratione quiditatiua; & vt prædicatur de rationali, accipitur sub ratione denominatiua.

Vltima differentia dicit conceptum simpliciter simplicem.

19. *Ens non prædicatur quiditatiuè de rationali, sed de rationalitate.* Et quando Doctor dicit quòd ens particulatum, &c. patet quòd loquitur de ente, vt simpliciter incluso in rationali: & in albo, cùm dicitur, homo est albus. Dico secundò, quòd ens verè non prædicatur quiditatiuè de rationali, sed de rationalitate: sicut nec de albo, licèt de albedine. Et cùm dicit, quòd *rationalis* non est differentia: hoc nihil est, quia quando Doctor dicit, quòd ens prædicatur in *quid* de differentia specifica, non accipit ibi *differentiam*, quæ significat formam, connotando subiectum: sed accipit illam rem in se, quæ verè est principium distinguendi essentialiter. Nec enim diceret, quòd animatum sit ens quiditatiuè, quia significat animam, connotando subiectum, quod informat: diceret tamen, quòd anima, quæ est principium distinguendi essentialiter animatum à non animato, esset ens quiditatiuè.

Ad secundam rationem istius expositoris, concedo totum, quòd si homo definiretur explicitè per omnia superiora, esset clarior definitio. Et concedo, quòd si loco illius, quod ponitur in definitione, poneretur ratio eius: talis definitio esset clarior. Et concedo quòd quis non possit perfectè cognoscere hominem distinctè, nisi cognoscat omnia essentialiter inclusa in illo: & patet quòd hæc ratio nihil concludit: quia similiter dicerem, quòd quando definitur homo per animal rationale, quòd si loco *animalis* poneretur ratio eius esset clarior definitio: & sic semper deberemus definire hominem, explicando omnia essentialia illius, tam proxima, quàm remota: quod tamen breuitatis causa non facimus: sufficit enim nominare illas partes, quæ simul vnitæ conuertuntur cum definito, & non sunt proprietates definiti.

Deinde multi conantur soluere rationes Doctoris, quas facit pro vniuocatione entis, inter quos ille nouus, & benè nouus expositor S. Thomæ, nititur pro posse illas soluere, licèt sub breuitate. 20. *Thom. Caiet. respondet ad rationes Doctoris.*

Ad primam de intellectu certo, &c. dicit sub breuitate, quòd illa ratio concludit alietatem conceptus entis, quod concedit: sed postea negat quòd talis conceptus prædicetur vniuocè, quia non prædicatur quiditatiuè. Sed hæc responsio videtur sibi contradicere, concedendo alietatem conceptus entis, & negando ipsum prædicari in *quid*: quia (vt suprà exposui) cùm quæritur an substantia sit ens absolutè, loquendo an sit ens quiditatiuè, an denominatiuè? certum est quòd tam Philosophi, quàm in Theologia expertissimi, statim concederent quòd substantia est ens quiditatiuè: licèt dubitarent an ens dictum in *quid* de substantia, dicat alium conceptum à conceptu substantiæ: multi dicerent quòd substantia est ens quiditatiuè. Si vltrà quæreretur quod ens? Responderent, quòd substantia esset ens, quod substantia: ita quòd conceptus entis, quiditatiuè sumpti, dicti de substantia, esset tantùm conceptus substantiæ.

Improbatur responsio Tho. Caiet.

Doctor ergo supponendo (à peritis, & sapientibus concessum) quòd substantia, & accidens sit ens quiditatiuè, probat alietatem conceptus entis à conceptu substantiæ, & accidentis: & sic responsio istius noui expositoris magis confirmat rationem Doctoris.

Ad secundam rationem Doctoris, qua probat quòd si ens non diceret alium conceptum à conceptu Dei, & creaturæ, nihil de Deo naturaliter possemus cognoscere, &c.

Respondet ad minorem, in qua dicit: *Sed creatura non continet virtualiter cognitionem Dei, quia nec ipsum Deum.* Dicit, quòd continere virtualiter contingit dupliciter. Primò, sicut causa continet effectum. Secundò, sicut effectus continet causam: & isto secundo modo, quilibet effectus virtualiter continet Deum.

Sed certè hæc responsio non acceptaretur à peritis, quòd effectus virtualiter contineat causam. Nam continentia virtualis apud omnes 21.

peritos est continentia perfectionalis: & si effectus contineret causam, esset prior, & perfectior in continendo.

Præterea. Si hoc modo creatura virtualiter contineret ipsum Deum in se, & per consequens causaret cognitionem ipsius Dei; quæro tunc, an possit causare cognitionem Dei in se: si sic, ergo Deus naturaliter posset cognosci sub ratione propria à creatura, quod communiter negatur; aut potest causare cognitionem alicuius dicti de Deo, puta cognitionem entis dicti de Deo: & tunc stat ratio Doctoris quòd nisi conceptus entis cogniti de Deo, esset alius à Deo, & creatura, & essentialiter incluso in creatura, nunquam per creaturam posset cognosci de Deo. Et multa alia inconuenientia sequerentur ex responsione istius.

Ad rationem tertiam Doctoris sic dicit: Concesso toto antecedente, negatur consequentia: sufficit enim analogia illius rationis formalis. Et quia tantùm hæc verba dicit ad rationem illam tam subtilem, non respondendo ad multa ibi dicta: nec iudicio meo soluere posset: ideò non oportet improbare ita breuem responsionem.

22. Ad quartam rationem qua Doctor probabat, quòd ens prædicaretur vniuocè de substantia, & accidente. Respondet ad illud, quod Doctor supponit, videlicet quòd substantia non immutat intellectum per propriam speciem, hoc negat. Et ad probationem dicit, quòd quantitas, & accidentia in Eucharistia agunt, & patiuntur totum, quod ageret, & pateretur substantia si esset: sicut enim acceperunt modum essendi substantiæ, scilicet non habere subiectum, ita etiam agere, & pati eius: & ideò ex multis hostiis sensatis generatur in intellectu species intelligibilis substantiæ panis, & eius quiditatiua cognitio. Sicut & ad nutritionem agunt, ac si esset ibi panis: non enim minùs ex illis accidentibus nutrimur, quàm ex aliis hostiis non consecratis: sicut non minùs ex consecratis generantur vermes, & cineres, quàm ex non consecratis. Vnde ad argumentum dicit, quòd panis absens immutat, quoniam non est omnino absens: remansit enim ibi accidens, quod est vice panis: quare non est simile in visu respectu tenebræ. Nec est contra nos auctoritas Aristotelis, quoniam hæc omnia habent locum, vbi est simpliciter absentia obiecti, quam hîc non concedimus, quo ad operationes. hæc ille.

23. *Destruitur alia responsio Tho. Caiet.* Dico, quòd in ista responsione multa tangit, quæ prolixiorem tractatum requirunt. Quod dicit, quòd accidentia panis possunt causare speciem intelligibilem substantiæ, & per consequens cognitionem ipsius substantiæ: hoc est manifestè falsum: quia si huiusmodi accidentia possent causare distinctam notitiam substantiæ panis, supplendo vicem substantiæ panis, tunc virtualiter continerent substantiam panis secundùm totam eius entitatem, vt aliàs exposui *in dist. 3. secundi.* Et multæ rationes possent adduci, quòd accidens non possit causare notitiam distinctam, nec speciem intelligibilem alicuius substantiæ, sed non est præsentis speculationis. Et quod dicit, quòd accidentia Eucharistiæ habent modum substantiæ, concedatur quantum ad hoc, quòd actu per se stant, licèt non aptitudine: non tamen habent talem modum substantiæ panis, vt sic possint causare notitiam distinctam substantiæ. Si enim non possunt causare quando insunt substantiæ: nec quando separata sunt, cùm sit simpliciter eadem entitas accidentis, vt patet. Item, quod dicit, quòd accidentia illa nutriunt, ita quòd ex illis causetur caro, vel sanguis, & huiusmodi. hoc est manifestè falsum, vt patebit in 4. in materia de Eucharistia. Et similiter quod dicit, quòd ex illis generantur vermes, patebit esse falsum in materia de Eucharistia. Et glossa quam dat dictis Aristotelis minùs vera est, vt patet intuenti, & ex dictis suprà.

Contra solutiones datas à Scoto ad rationes probantes, nihil esse commune vniuocum Deo, & creaturæ, instat nouus interpres Philosophi *lib. 4. Metaphysic.* Ad primam vbi Scotus vult ens esse analogum, cum quo analogo stat vniuocatio, quia inter entia est ordo essentialis, & attributionis ad vnum. Sicut etiam inter species eiusdem generis est ordo essentialis, & attributionis, & sic genus est analogum, & vniuocum: instat sic dicens: Sed hæc solutio est peruersio textus, non expositio. Isti enim non videntur intelligere quid sit ordo attributionis: credunt enim ordinem essentialem esse ordinem attributionis, & errant. Peripatetici enim (vt Boëtius exponit in lib. Prædicamentorum) volunt tunc inter aliqua esse ordinem attributionis, quoties vnum illorum esse tale formaliter, cætera sunt talia attributiuè, vel denominatiuè, vel formaliter; vt *sana*: solum enim animal est formaliter sanum: quia solum animal est tale sanitate, quæ est sibi forma: cætera sunt sana attributiuè. Ex his sequitur, quòd ea quæ sunt per attributionem ad aliquid, non possunt in illo æquè formaliter conuenire: sed vnum in illo formaliter conuenit: cætera in illo conueniunt attributione: & hoc modo non possunt in illo vniuocari. Sed in proposito substantia est ens formaliter, & nouem Prædicamenta sunt ens attributiuè: ergo. 24. *Aug. Suessa contra rationes Doctoris.*

Sed salua reuerentia huius interpretis, dico, quòd non rectè intelligit ordinem attributionis, nec inuenitur ab Aristotele quòd nomen *attributionis* tantùm in illo modo dicatur. Tum, quia imperfectiora in eodem genere habent attributionem ad vnum perfectum illius generis, vt ad mensuram: vt patet expressè à Philosopho 10. *Metaph. tex. c. 7.* vbi expressè Aristoteles, & Auerroës volunt, quòd *in vnoquoque genere si vnum, quod sit mensura*, supple perfectionalis, *omnium illius generis*: & sic habent attributionem ad illud vnum: nec oportet hîc multùm insistere. Dico tamen, quòd analogia ita reperitur in æquiuocis, sicut in vniuocis: magis tamen propriè in vniuocis. Exemplum primi: *sanum* prædicatur æquiuocè analogicè de animali sano, vt de subiecto sanitatis: & de vrina, vt de signo, &c. & tamen omnia sana habent attributionem ad animal sanum: non propter hoc tantùm, quia sanitas insit formaliter animali: sed propter hoc, quia perfectius conuenit animali. Exemplum secundi: in genere animalis homo est perfectius animal aliis animalibus: & sic alia animalia reducuntur ad hominem, vt ad perfectissimum in illo genere: & sic dicuntur habere attributionem ad illum: & sic animal est commune omni animali, vt analogum vniuocum. Et quomodo animal dicatur perfectius participari ab homine, aliàs exposui *in isto primo, & in 2. dist.* 3. Et quod dicit quòd 25. *Responsio ad argumenta Aug. Suess.*

nouem

nouem prædicamenta non sunt entia formaliter, sed tantùm per attributionem ad substantiam. Hoc non est exponere Philosophum, sed totaliter declinare à vera expositione. Tum, quia Aristoteles ponit ens diuidi in 10. Prædicamenta, vt patet 5. *Metaph. cap.* 5. vbi diuidit *ens* in ens per accidens, & in ens per se. *Eius*, inquit, *quod est aliud per accidens dicitur aliud per se*. Et ens per se diuidit in 10. Prædicamenta, vt patet in eodem *comm. text. com.* 14. *Per se*, inquit, *ea dicuntur esse, quæ Prædicamenti figuras significant*, id est, quæ significant diuersa Prædicamenta. *Quoties enim dicitur toties esse significat. Cùm igitur eorum, quæ prædicantur, alia quid est: alia quantum: alia ad aliquid: alia agere, aut pati: alia vbi: alia quando: significat ipsum esse idem, quod vnumquodque istorum significat*. hæc ibi. Ex isto textu patet expresse quomodo alia Prædicamenta sunt per se, & formaliter ens. Dicuntur tamen 9. Prædicamenta habère attributionem ad Substantiam: quia est perfectissimum Prædicamentum: & quia ingreditur definitionem additamentalem ipsorum: vnde 7. Metaph. *text. com.* 41. *Substantia est prior accidente, definitione, tempore, & cognitione*.

26. *Quomodo accidentia sint entia, quia entis.*

Si dicatur, quòd accidentia sunt entia, quia talis entis. Dico, quòd non debet intelligi formaliter, sed causaliter, vel subiectiuè, & huiusmodi, vt exponit Scotus *in* 7. *Metaph. sua*, & quòd non intelligat quòd accidentia tantùm dicantur entia, quia talis entis formaliter, id est, quòd in se non sint formaliter ens: sed tantùm quia sunt talis entis, patet per textum Aristoteles 7. *Metaph. cap.* 1. vbi præmittit ens dici multipliciter, principaliter tamen de substantia: ait enim sic *text. comm.* 2. *Cùm autem id, quod est, tot modis dicatur: patet horum primum ens esse ipsum quid est, quòd quidem substantiam esse significat*. & infrà: *Cætera autem ex eo dicuntur entia: quia eius, quod hoc pacto est ens: quædam quantitates: quædam qualitates: quædam passiones sunt: quædam aliud quidpiam tale*, &c. Dicit ergo, quòd alia entia à substantia dicuntur entia, inquantùm taliter entis, vt dicit alia translatio, id est, inquantùm habent habitudinem ad tale ens, *quod est substantia, vt ad causam: hæc quidem quantitates esse ista verò qualitates: alia passiones, aut aliquid aliud tale: omnia enim huiusmodi sunt talis entis*, id est, substantiæ, vel qualitates, vel quantitates, vt sui subiecti, & causæ propriæ. Ex his patet expresse intentio Aristotelis, qui vult quòd etiam alia entia à substantia dicantur formaliter, & quiditatiuè ens: & sic patet quomodo iste nouus interpres non habeat intentionem Aristotelis, nec sui Commentatoris, si rectè inspiciantur textus.

Caiet. non habet intentionem Aristotelis & Auerr.

27. Secunda ratio est, quia Aristoteles 7. *Metaph.* & Auerroës *comm.* 16. vbi dicitur, quòd sola substantia est ens formaliter: cætera non sunt entia, nisi sicut solet dici, non scibile esse scibile, & vas salubre: vbi patet ens non posse illis vniuocè conuenire. Respondet Scotus *dist.* 8. 1. *quæst.* 2. quòd verba Aristotelis debent intelligi non simpliciter, sed pro tanto, pro quanto inter substantiam, & cætera Prædicamenta est ordo perfectionis: modò cum tali ordine analogiæ stare potest vniuocatio conceptus.

Dicit interpres ille, quòd hæc solutio Scoti puerilis est. Primò, quia Aristoteles vtitur eodem exemplo, quo vsus est in 4. de sanis: vult enim ens ita dici de 10. Prædicamentis, vt sanum de sanis: igitur non de ordine perfectionis, sed attributionis loquitur. Secundò, si ita esset, Aristoteles non concluderet, cætera accidentia non posse habere quiditatem sine substantia: vult enim solam substantiam habere quiditatem per propria sui generis: accidentia autem non, nisi per substantiam: igitur accidentia non sunt entia, nisi attributione.

28. *Alia responsio ad August. Suess.*

Dico, quòd ista euasio parum valet, vt patet intuenti literam Scoti in 1. *distinct.* 3. *quæst.* 3. exponendo quomodo in vtroque genere est vnum, &c. vt suprà patuit. Et cùm dicit de 4. *Metaph. text. comm.* 2. Dico, quòd ista similitudo debet attendi quantùm ad attributionem, quia sicut omnia sana habent attributionem ad animal sanum, sic omnia entia alia à substantia, habent attributionem ad ipsam, vt suprà exposui: non est autem simile quo ad hoc, quòd sicut sanitas inest tantùm formaliter animali: ita quòd ista est vera: tantùm animal est sanum formaliter: ita similiter tantùm substantia est ens formaliter, & quiditatiuè: & sic accidentia non essent formaliter ens, quod est falsum: & contra Aristotelem, vt suprà patuit: vnde 4. Metaph. text. comm. 2. *Ens*, inquit, *multis modis dicitur: sed ad vnum, & ad vnam aliquam naturam, & non æquiuocè: sed & vt omne sanum ad sanitatem dicitur, partim, quia conseruat, partim, quia efficit: partim, quia indicat ipsam: partim, quia est susceptiuum ipsius. Sic & id, quod est multis quidem modis, sed ad vnum principium dicitur*, &c. Vult ergo, quòd quantùm ad istam attributionem sit similitudo. Si enim sanitas inesset formaliter vrinæ, sicut animali, *sanum* diceretur non æquiuocè de vtroque: & tamen *sanum* in vrina haberet attributionem ad animal sanum. Sic in proposito, cùm ens prædicetur formaliter de substantia, & accidente, poterit prædicari de ipsis vniuocè: licèt accidens habeat attributionem ad substantiam.

Et quod dicit, quòd secundùm Aristotelem sola substantia habet quiditatem per propria sui generis: accidentia autem non nisi per substantiam. 29.

Dico, quòd hoc est expresse contra Aristotelem, qui 7. Metaph. tex. c. 16. ait: *Illud autem palàm, quia quæ primò, & simpliciter definitio*, & quod quid erat esse *substantiarum est: & non solùm, sed etiam aliorum similiter est: verum tamen non primò*. hæc ibi. Et statim subiungit probationem, scilicet quòd alia entia habeant definitionem: *sicut vnumquodque est ens & vnum, ita habet* quod quid est, *& definitionem*: & vide ibi literam, vbi vult quòd si aliquid est ens per se: ita per se habet definitionem: si per accidens, per accidens habet definitionem: vnde ait: *Hoc autem si vnius fuerit non eo quòd continuum, sicut Ilias, aut quæcunque colligatione, sed si quoties dicitur vnum*, id est, si fuerit vnius entis per se, non quòd sit vnum, eo quòd continuum, id est, vnitate continuitatis: quia hoc non sufficit ad vnitatem definiti, vt sic eius ratio possit dici definitio, sicut *Ilias*, id est, poëma, siue tractatus de bello Troiano, quod fuit factum in quadam continuitate temporis, non est, supple, definitio: nec etiam sufficit quòd sit vnumquodque colligatione, sicut domus: sed, supple, tunc ratio erit definitio, si significet quoties dicitur vnum per se. Et subdit: *Vnum verò dicitur sicut ens: ens autem hoc quidem, hoc aliquid, aliud verò quantitatem, aliud qualitatem significat*, id est,

id est, quòd ens per se significat, aut substantiam, aut quantitatem, aut qualitatem, &c. Quia igitur de ratione definitionis est, quòd significet vnum, sequitur quòd eo modo, quo aliquid est vnum, eo modo habebit definitionem: & per consequens ens per se habebit definitionem per se, & ens per accidens tantùm secundùm *quid*, & per accidens: vnde subdit: *Quapropter erit hominis albi ratio, & definitio; aliò verò modo albi, & substantia*, scilicet albi quidem per se, & simpliciter: substantiæ verò per se primò. Et vide expositionem Commentatoris, qui vult expresśe, quòd alia entia à substantia possunt definiri. Et vide expositionem Scoti *in isto* 1.*d*.3.*q*.3.

30. *Adhuc instat August. Suess. contra Scot.* Item, instat iste nouus interpres contra responsionem Scoti, quòd ens non dicatur genus: licèt prædicetur in *quid*, & vniuocè de pluribus differentibus specie: quia genus non prædicatur in *quid* de differentiis; ens verò prædicatur in *quid* de illis: & sic non est genus. Contra hanc rationem arguit: quia hæc consequentia est Boëtij in librum Porphyrij in secunda editione super illo verbo. *Si quis*, inquit, *omnia vocet entia, æquiuocè nuncupabit:* vbi facit enthymema hoc, videlicet: *Ens vniuocè prædicatur, igitur est genus:* deducit per hoc, quia vniuocè communiter prædicari, est prædicari vt genus. Quòd si ipsi negabunt Boëtium, non est mirum, si nos negamus ipsos: malo enim errare cum Boëtio, quàm cum eis rectè sentire.

Respondeo primò, quòd aliud est dicere aliquid secundùm opinionem Aristotelis, & aliud secundùm alterius opinionem. Scotus enim dicit, quòd sustinendo positionem Aristotelis ens non potest poni genus, quamuis prædicetur vniuocè de pluribus specie differentibus in *quid*, vt patet in litera Scoti *præsenti distinct. quæst*.3. respondendo ad illud argumentum de genere.

31. Potest dici secundò, quòd non est inconueniens exponere Boëtium, scilicet quòd si ens prędicaretur in *quid* de pluribus specie differentibus, ita quòd sit contrahibile per differentias specificas, tunc verè esset genus, multæ enim sunt conditiones requisitæ ad hoc, vt aliquid dicatur propriè genus, &c.

Item, instat contra illam responsionem, quòd licèt Deus conueniat cum creatura in aliquo conceptu reali, non tamen conueniunt in aliqua realitate: & sic sunt primò diuersa in realitate, licèt non in conceptu reali. Contrà, quia tunc nulla essent simpliciter primò diuersa, quod est contra Aristotelem 5. *Met. textu non habente commentum.* & 12. *Metaph. text. comm.* 12. Probatur consequentia, quia omnia saltem conuenirent in conceptu communi reali. Item, si Deus, & creatura conuenirent in conceptu reali entis formaliter, tunc tam Deus, quàm creatura essent formaliter seipso ens: & sic creatura esset seipsa per essentiam formaliter ens, quemadmodum Deus: hoc autem est falsum. *Item Aug.*

Respondeo ad primam instantiam, quòd assumit falsum, scilicet quòd omnia conueniant in conceptu communi reali in *quid*, vt patet de vltimis differentiis, & passionibus entis, & de hoc vide infrà, *d*.8. *q*.2. *in responsione ad primum argumentum principale.* *Responsio ad primum Augustini.*

Ad secundum, illa consequentia est manifestè falsa. Et dico, quòd aliquid esse seipso tale, potest dupliciter intelligi: vel originatiuè, vel formaliter. Secundò modo homo seipso est homo humanitate: sed primo modo non est seipso homo, quia aliunde causatur. Sicut etiam dicimus, quòd filius Dei est ex se necesse esse formaliter, sed non originatiuè, vt patuit suprà *dist*.2. *parte* 2. *q*.3. *Ad secundũ.*

Deinde nititur soluere argumenta Scoti, de vniuocatione entis. Sed quia (vt patet ex his, quę suprà declaraui in præsenti quæst.) non euacuant rationes Scoti; nec, vt video, ipsas rationes benè percipiunt, vt patet in litera huius noui interpretis, breuitatis causa transeo. Vide tamen quæ dicit Scotus infrà *dist*.8. *q*.2. vbi soluit quasdam instantias de entis vniuocatione, &c.

m *His visis de ente restat vlterior dubitatio.* Hîc recitat vnam opinionem, quæ est Ægidij de Roma *quol*.4 *q*.10. qui dicit, quòd *verum* est obiectum adæquatum, & primum intellectus nostri, & non *ens:* & probat tripliciter.

SCHOLIVM.

Refutat opinionem tenentem verum *esse obiectum adæquatum intellectus. Primò, quia non dicitur in quid de omni intelligibili, nec continet virtualiter omne intelligibile: nam* verum *dicitur secundo modo, de ente: & sic* hoc verum *de hoc ente. Secundò, est passio entis & cuiuslibet sub eo contenti: ergo intelligendo ens quodcunque sub ratione veri, concipitur vt per accidens: ergo conceptus quiditatiuus entis præcedit. Tertiò, comparando obiectum adæquatum ad habitum, inferius eius extraneatur ab illo obiecto, de quo est habitus: verbi gratia, hoc ens ab ente respectu Metaph. ergo multò magis subiectum extraneatur à passione; atque adeò, sicut* ens *non potest sub ratione* huius entis, *esse obiectum Metaph. nec ens sub ratione* veri, *erit obiectum potentiæ. Quartò, obiectum habitus non præcedit obiectum potentiæ, ergo cùm ens sit obiectum Metaph.* verum *non erit obiectum intellectus. Soluit rationes ducendo eas ad oppositum. Videtur hîc & 4. dist. 49. q. 11. negare esse necessarium lumen gloriæ, ait tamen nullum videre Deum naturaliter. q. 1. prolog. quodlib.* 14.2.*d*.3.*q*.9. *quod sufficit, nec aliud habetur Clem.* ad nostram *de hæret sed nec negat de facto dari lumen creatum, sed dubius videtur. vide eum* 3.*d*.14.*q*.1.*art*.3. *& d*.13.*q*.3. *&* 4. *&* 1.*d*.17. *q* 2. *&* 3. *sine fundamento ponitur tanquam de fide.*

20. SEd contra istam ª conclusionem de veritate arguo sic; Primum obiectum, hoc est adæquatum, vel adæquatur secundùm communitatem, vel secundùm virtutem: vel secundùm istam duplicem primitatem concurrentem. *Verum* autem nullo istorum modorum adæquatur intellectui: ens autem adæquatur vt patuit: ergo, &c. Probatio primæ partis

partis minoris *Verum* non dicitur *in quid* de omnibus per se intelligibilibus, quia non dicitur *in quid* de ente, nec de aliquo per se inferiori ad ens. Secunda pars minoris probatur cum tertia, quia inferiora ad *verum*, licèt includant ipsum essentialiter, non tamen includunt omnia alia intelligibilia virtualiter, vel essentialiter; quia hoc *verum*, quod est in lapide, non includit essentialiter, vel virtualiter lapidem; sed è conuerso * ens, quod est in lapide, includit veritatem, & ita de quibuscunque aliis entibus, & eorum veritatibus. ** al. ens quod est lapis.*

Item, [b] *verum* est passio entis, & cuiuslibet inferioris ad ens: ergo intelligendo ens, & quodcunque inferius ad ens, præcisè sub ratione *veri*, non intelligitur nisi per accidens, & non secundùm rationem quiditatiuam: sed cognitio cuiuscunque secundùm rationem quiditatiuam est prima, & perfectior cognitio de eo, *ex 7. Metaph. cap.* 1. ergo nulla cognitio de aliquo præcisè sub ratione *veri*, est prima cognitio obiecti, & ita nec veritas est prima ratio præcisè cognoscendi obiectum. Confirmatur ratio ex 2. Priorum. *Cum scientia mulæ, vt mula, stat ignorantia huius mulæ, vt hæc.* sicut ergo comparando obiectum ad habitum, inferius extraneatur à suo superiori, de quo superiori est primò ille habitus, ita multò magis extraneabitur subiectum suæ passioni, comparando, siue ad habitum, siue ad potentiam. Item obiectum habitus naturaliter non præcedit obiectum potentiæ: sed primum obiectum Metaphysicæ, quæ est habitus intellectus, est ens, quod est prius naturaliter *vero*: & non *verum*, quod est passio entis, est subiectum Metaphysicæ: ergo, &c. *Text. 4. & inde.* *Cap. 2.*

Ad rationes in oppositum [c], respondeo, ducendo illas ad oppositum. Primam sic, quia sicut voluntas non potest habere actum circa ignotum, ita non potest habere actum circa obiectum sub ratione formali aliqua obiecti, quæ ratio est penitus ignota: ergo omnis ratio secundùm quàm aliquid obiicitur voluntati, est cognoscibilis ab intellectu: & ita non potest esse prima ratio obiecti intellectus illa, quæ distinguitur contra rationem volibilis, si qua sit talis. 21.

Item intellectus [d] ponit differentiam inter *bonum*, & *verum*, & etiam conuenientiam: ergo, &c. Hoc etiam probatur, quia de quibuscunque passionibus entis habetur æquè distincta notitia, ita de *bono* sub ratione *boni*, sicut de *vero* sub ratione *veri*: quia secundùm Auicennam 6. Metaph. cap. vltimo. *si aliqua scientia esset de omnibus causis, illa esset nobilissima, quæ esset de causa finali.* cuius ratio, secundùm multos, est bonitas: non ergo omnia obiiciuntur intellectui sub ratione *veri*. *2. de Anima, t. 146.*

Ad illud, quod accipitur in argumento de distinctione obiectorum,

Respondeo, quòd potentiæ disparatæ tripliciter se habent ad inuicem: aut sunt omnino disparatæ, vel subordinatæ; & tunc vel in eodem genere, sicut cognitiua superior, & inferior, vel in alio genere potentiarum, sicut cognitiua ad suam appetitiuam. *Potentiæ tripliciter esse possunt disparatæ.*

Primo modo, potentiæ disparatæ habent omnino obiecta disparata: quia nulla earum, ex quo sunt disparatæ, est per se operatiua circa obiectum, circa quod alia: tales sunt sensus exteriores inter se: vt visus, auditus, &c. 22.

Secundo modo, potentiæ disparatæ habent obiecta prima subordinata: ita quòd sicut potentia superior potest habere per se actum circa quodcunque, circa quod potest potentia inferior, ita obiectum primum potentiæ superioris, continet sub se primum obiectum potentiæ inferioris, alioquin non esset illud obiectum adæquatum potentiæ superiori. Vnde primum obiectum visus secundùm suam communitatem continetur, vt inferius sub primo obiecto sensus communis.

Tertio modo, potentiæ sic se habent, quòd si appetitiua adæquaretur cognitiuæ in operando, circa quæcunque obiecta, idem esset obiectum primum vtriusque, & sub eadem ratione formali ex parte obiecti: si autem appetitiua habeat actum circa aliqua cognoscibilia, & circa aliqua non, tunc obiectum appetitiuæ erit inferius ad obiectum cognitiuæ.

Ad propositum, intellectus, & voluntas cadunt sub tertio membro, & si voluntas ponatur habere actum circa omne intelligibile, ponetur idem esse obiectum tam voluntatis, quàm intellectus, & sub ratione eadem formali. Si verò non, sed quòd voluntas tantum habeat actum circa intelligibilia, quæ sunt finis, vel entia ad finem, & non circa merè speculabilia: tunc ponetur obiectum voluntatis aliquo modo particulare respectu obiecti intellectus. Sed semper stabit, quòd ens est obiectum intellectus. *Ad argum. Obiectum voluntatis subordinatur obiecto intellectus.*

Secundam rationem etiam duco ad oppositum: quia obiectum proportionatum potentiæ superiori, est commune ad obiectum proportionatum potentiæ inferiori ex prædicta distinctione: & ita ens, secundùm quòd abstrahens à sensibili, & insensibili, est verè proprium obiectum intellectus: quia intellectus, tanquam potentia superior, *Obiectum sensus subordinatur obiecto intellectus.*

potest

poteſt habere actum, tam circa ſenſibile, quàm circa inſenſibile. Vnde iſta abſtractio, quæ videtur eſſe non appropriatio, eſt ſufficienter appropriatio reſpectu potentiæ ſuperioris. Per hoc reſpondeo ad rationem, quòd communitas entis ad ſenſibile, & inſenſibile, eſt ratio appropriandi ipſum potentiæ operatiuæ circa vtrumque obiectum per ſe.

23. Tertiam deduco ad oppoſitum [e] quia rationem obiecti dico eſſe illam formam, ſecundùm quam obiectum eſt motiuum potentiæ, ſicut ratio actiui, vel agendi, dicitur eſſe illa forma ſecundùm quam agens agit. Talis autem ratio obiecti non poteſt eſſe reſpectus ad potentiam, & iſto modo loquitur Philoſophus 2. *de Anima*, vbi aſſignans primum obiectum viſus, dicit, quòd illud cuius eſt viſus, vt obiecti, eſt viſibile: non per ſe primo modo, ſed ſecundo modo, ita quòd ipſum ponitur in ratione viſibilis. Si autem formalis ratio obiecti potentiæ eſſet reſpectus ad talem potentiam, tunc obiectum primum viſus eſſet viſibile per ſe primo modo: quia tunc ipſa viſibilitas eſſet ratio formalis obiecti, & tunc facile eſſet aſſignare prima obiecta, quia obiectum primum cuiuſcunque potentiæ eſſet correlatiuum ad talem potentiam, puta viſus *viſibile*, auditus *audibile*: quomodo Philoſophus non aſſignauit prima obiecta potentiarum, ſed ſicut aliqua abſoluta, puta, viſus *colorem*, auditus *ſonum*, &c. Vnde ſi *verum* dicat formalem reſpectum obiecti ad intellectum (de quo aliàs) ſequitur oppoſitum propoſiti. Ex hoc enim ſequitur, quòd ratio illa non ſit ratio formalis obiecti, ſed aliqua alia ab ea. Patet igitur ex dictis, quòd nihil poteſt poni ita conuenienter primum obiectum intellectus, ſicut ens, neque aliquid virtuale primum, neque aliquod aliud tranſcendens: quia de quolibet alio tranſcendente probatur per eadem media, per quæ probatum eſt de *vero*.

Text. c. 66. Reſpectus non eſt ratio obiecti mouens potentiam ſecundùm Phil.

ſ. 4. Met.

24. *Dubium. q. præcedenti, & quæſt. 1. prolog.*

Exemplo explicatur cur intellectus noſter non intelligat Deum pro nunc.

Sed reſtat vnum dubium [f], ſi ens ſecundùm rationem ſuam communiſſimam, ſit primum obiectum intellectus, quare non poteſt quodcunque contentum ſub ente naturaliter mouere intellectum, ſicut fuit argutum in prima ratione ad primam quæſtionem in prologo? & tunc videtur, quòd Deus naturaliter poſſet cognoſci à nobis, & ſubſtantiæ omnes immateriales, quod negatum eſt: immò negatum eſt de omnibus ſubſtantiis, & de omnibus ſubſtantiarum partibus eſſentialibus, quia dictum eſt quòd non concipiuntur in aliquo conceptu quiditatiuo, niſi in conceptu entis.

De hoc Scot. quodl. 14.

Intelligit de communiſſimo limitato, quia Deus pro nullo ſtatu mouet naturaliter alium intellectum præter ſuum.

Reſpondeo, obiectum primum potentiæ aſſignatur illud, quod adæquatur potentiæ in ratione potentiæ, non autem, quod adæquatur potentiæ, vt in aliquo ſtatu. Quemadmodum primum obiectum viſus non ponitur illud, quod adæquatur viſui exiſtenti in medio illuminato lumine candelæ præciſè, ſed quod natum eſt adæquari viſui ex ſe quantum eſt ex natura ſui. Nunc autem, vt probatum eſt priùs contra primam opinionem, ad quæſtionem de primo obiecto intellectus, hoc eſt, adæquato, quæ ponit quiditatem rei materialis eſt primum obiectum, nihil poteſt adæquari intellectui noſtro ex natura potentiæ in ratione primi obiecti, niſi communiſſimum: tamen pro ſtatu iſto ei adæquatur in ratione motiui; quiditas rei ſenſibilis. Et ideò pro ſtatu iſto non naturaliter intelliget alia, quæ non continentur ſub illo primo motiuo.

Scot. quodl. 14. & ſupr. hac q. cõtra Henr. & 2. d. 3. q. 9.

Quòd nunc dependet intellectus noſter à phãtaſia eſt Dei volũtas, vel peccatũ. in gloria nõ dependebit ab ea.

De hoc Sco. 2. d. 3. q. 8. ad primum princ.

Si quæritur [g] quæ eſt ratio iſtius ſtatus. Reſpondeo, ſtatus non videtur eſſe niſi ſtabilis permanentia legibus diuinæ ſapientiæ firmata. Stabilitum eſt autem illis legibus ſapientiæ, quòd intellectus noſter non intelligat pro ſtatu iſto, niſi illa, quorum ſpecies relucent in phantaſmate, & hoc ſiue propter pœnam originalis peccati, ſiue propter naturalem concordiam potentiarum animæ in operando, ſecundùm quòd videmus quòd potentia ſuperior operatur circa idem, circa quod inferior, ſi vtraque habeat operationem perfectam. & de facto ita eſt in nobis, quòd quodcunque vniuerſale intelligimus, eius ſingulare actu phantaſiamur. Iſta tamen concordia, quæ eſt de facto pro ſtatu iſto, non eſt ex natura noſtri intellectus, vnde intellectus eſt, nec etiam vnde in corpore eſt: tunc enim in corpore glorioſo neceſſariò haberet ſimilem concordiam, quod falſum eſt. Vtcunque igitur ſit iſte ſtatus, ſiue ex mera voluntate Dei, ſiue ex mera iuſtitia punitiua, ſiue ex infirmitate, quam cauſam Auguſtinus innuit 15. de Trin. cap. vlt. *Quæ cauſa* (inquit) *cur ipſam lucem acie fixa videre non poſſis, niſi vtique infirmitas? & quis eam tibi fecit, niſi vtique iniquitas?* ſiue, inquam, hæc ſit tota cauſa, ſiue aliqua alia, ſaltem non eſt primum obiectum intellectus, vt potentia eſt, quiditas rei materialis: ſed eſt aliquid commune ad omnia intelligibilia: licèt primum obiectum adæquatum ſibi in mouendo pro ſtatu iſto, ſit quiditas rei ſenſibilis.

25. Et ſi dicas [h], dato quòd ens commune ſit ei obiectum adæquatum pro ſtatu iſto, non tamen mouerent ſubſtantiæ ſeparatæ pro ſtatu iſto, niſi in maiori lumine, quàm ſit lumen naturale intellectus agentis.

Iſta

Ista ratio nulla videtur: tùm quia si tale lumen requiritur, non est ratio ex parte intellectus nostri, vt talis potentia, quare modo non possit habere tale lumen. Est enim de se receptiuus talis luminis, alioquin manens idem nunquam posset illud idem recipere: tum, quia quando aliqua duo agentia concurrunt ad aliquem effectum, quantò vnum illorum plus potest supplere vicem alterius: tantò minor perfectio requiritur in alio: quandoque autem nulla, sit illud supplet totam vicem eius: sed ad immutatio- intellectus possibilis concurrit obiectum, & lux: ergo quantò obiectum est perfectius, & magis potest supplere vicem luminis, tantò sufficit minus lumen, saltem non requiritur maius; sed primum intelligibile est maximè lux: ergo maximè potest supplere vicem luminis obiecti intelligibilis: ergo quantùm est ex parte illa, si contineatur sub primo obiecto adæquato intellectui nostro pro statu isto, non est defectus ex parte luminis, quin possit mouere intellectum nostrum.

Videtur Sc. hîc & 3. d. 14. q. 1. & 4. d. 49. q. 11. non admittere necessitatem luminis gloriæ, negat tamen vllu videre posse Deum naturaliter q. 1. pro. quodl. 14. & 2. d. 3 q. 9. quod sufficit, nec aliud habetur Clem. ad nostram, de hær. sed non negat de facto lumen, etiam creatum gloriæ. Vide eũ 3. dist. 14. q. 1. art. 3. & 1. d. 17. q. 2. & 3. d. 13. q. 3. & 4.

Sed videtur problematicus quoad lumen creatum. Thomistæ putãt secundùm eũdem dandũ esse. 1. p. q. 12. art. 5.

COMMENTARIVS.

1\. a *SEd contra istam conclusionem de veritate, &c.* Arguit Doctor & primò arguit sic: Obiectum adæquatum intellectus dicitur primum primitate communitatis, & primitate virtualitatis, intelligendo vt suprà exposui. *Verum* non est huiusmodi. Patet, quia de his, quæ sunt maximè intelligibilia, non prædicatur in *quid:* quia nec de Deo, nec de substantia, nec de accidentibus absolutis, cùm sit passio entis: nec virtualiter, vt patet. Non enim veritas continet virtualiter notitiam illorum, quæ sunt per se intelligibilia: quia non notitiam substantiæ, nec notitiam subiecti cuius est, sed magis ècontra.

b Secundò arguit Doctor ibi: *Item verum est passio entis, & cuiuslibet inferioris ad ens.* Si ergo homo tantùm intelligitur sub ratione veri, tanquam obiecti adæquati: ergo homo non intelligitur sub ratione propria, & quiditatiua, sed tantùm sub ratione accidentali: sed cognitio quiditatiua alicuius, prior est cognitione accidentali.

Confirmatur ratio ex secundo priorum. Hîc Doctor arguit à magis ad minus. Et supponit, quòd quando obiectum adæquatum alicuius habitus, vt puta adæquatum obiectum habitus Metaphysicæ, comparatum ad ipsum habitum, inferius tali obiecto extraneatur suo superiori. Exemplum: ens inquantum ens, est adæquatum obiectum habitus Metaphysici: ergo hoc ens erit adæquatum. Non sequitur, quia hoc ens inferius extraneatur enti, vel habitui, inquantum ens est sic adæquatum obiectum. Et si inferius extraneatur suo superiori, vel habitui, quantò magis aliquod subiectum extraneatur suæ passioni: quia inferius includit essentialiter suum superius: subiectum aut non includit passionem essentialiter. Si ergo ens non potest poni primum obiectum habitus Metaphysici, sub ratione alicuius inferioris, cui minùs extraneatur: multò minùs poterit poni primum obiectum habitus Metaphysicæ, siue obiectum intellectus, sub ratione veritatis, cui magis extraneatur: quòd autem non possit poni sub ratione inferioris, patet, quia ens vt ens, potest cognosci, non cognito inferiori. Et hoc probo, quia cum scientia mulæ in vniuersali stat ignorantia huius mulæ singularis.

2\. c *Ad rationes in oppositum:* Nunc Doctor intendit soluere rationes, quas facit Ægidius pro se, quarum prima est ibi: *Distincta potentia habent distincta obiecta formalia*, id est, oportet assignare distincta obiecta, respectu intellectus, & voluntatis: sed si ens ponatur adæquatè obiectum intellectus: quæritur quid erit obiectum adæquatum voluntatis? si ponitur ens, ergo idem obiectum. Videtur ergo dicendum, quòd ens sub ratione veritatis, sit adæquatum obiectum intellectus; & ens sub ratione bonitatis, sit adæquatum obiectum voluntatis.

Ad hanc rationem respondet Doctor primò, ducendo illam contra Ægidium: quia voluntas non potest habere actum aliquem circa aliquid, sub quacunque ratione, nisi illud sub illa ratione sit præcognitum: hoc ab omnibus conceditur: si ergo voluntas non habet aliquem actum, nisi circa ens, sub ratione boni, siue sub ratione volibilis: talis ratio erit præcognita ab intellectu; & per consequens ratio formalis obiecti voluntatis cadit sub obiecto intellectus: & sic istæ potentiæ non distinguuntur per distincta obiecta formalia.

d *Item intellectus.* Hîc probat quòd ita *bonum* est cognoscibile ab intellectu, sicut & *verum:* & per consequens voluntas non distinguitur ab intellectu propter distinctum obiectum: quia quod est obiectum voluntatis, est simpliciter obiectum intellectus: cùm omne tale sit per se intelligibile ab intellectu: & litera patet.

e *Tertiam deduco ad oppositum.* Et ista importat aliqualem difficultatem. Tertia ratio Ægidij est ista: Nihil dicitur esse propriè obiectum alicuius potentiæ, nisi secundùm quòd est proprium motiuum illius: sed ens secundùm quòd absolutum, non est propriè motiuum: ergo. Minorem probat: quia nihil mouet potentiam, nisi secundùm quod habet habitudinem ad eam: sed illud secundùm quod ens formaliter habet habitudinem ad intellectum est veritas: quia secundùm Anselmum de veritate, cap. 3. *Veritas est ratitudo sola mente acceptabilis.*

Ens sub ratione veritatis est obiectũ adæquatum intellectus. Sub ratione bonitatis est obiectũ adæquatum voluntatis.

3\.

Veritas est ratitudo sola mente acceptabilis.

Respondet Doctor reducendo rationem istam contra Ægidium, ibi: *Tertiam deduco ad oppositum.* Quia Ægidius dicit, quòd ratio obiecti est respectus ad potentiam, loquendo de ratione obiecti motiui. Doctor dicit, quòd illud propriè est ratio obiecti motiui, quod est ratio formalis mouendi. Et illud est forma, siue essentia obiecti, qua obiectum mouet: sicut ratio agendi dicitur esse illa forma, secundùm quam agens agit: talis autem ratio formalis mouendi non potest esse respectus ad potentiam: & probat per Aristoteles 2. *de Anima.* Et litera sequens clara est.

f *Sed restat vnum dubium, &c. quare non potest quodcunque contentum sub ente naturaliter mouere intellectum? & si sic:* tunc naturaliter posset Deus cognosci à nobis, & substantia omnis immaterialis, quod negatum est hîc, & suprà *in quæst.* 1. *prolog.* *Dubium.*

Respondeo.

Responsio. *Respondeo.* Ista responsio stat in duobus dictis. Primum, quòd si loquamur de intellectu pro statu isto, adæquatum obiectum intellectus, in ratione motiui, est quiditas rei sensibilis: vt suprà diffusè exposui. Si verò loquamur de intellectu, ex natura intellectus, non restringendo ipsum ad aliquem statum, tunc ens sub ratione communissima est adæquatum obiectum intellectus in ratione motiui.

4. *Primum dubium notandum.* Sed circa hoc secundum dictum occurrunt aliqua dubia. Primum, quòd si ens sub ratione communissima est primum obiectum intellectus creati, ex natura potentiæ, in ratione motiui: sequitur quòd Deus, cùm sit perfectissimè intelligibile, naturaliter possit mouere intellectum creatum: cuius oppositum expresse tenet Doctor *q.* 14. *quol.* Respondendo ad illud argumentum, quod ibi facit, scilicet. Eiusdem obiecti primi, accepti secundùm totam suam indifferentiam ad potentiam, quam primò respicit acceptam, secundùm totam suam indifferentiam, est idem modus se habendi in mouendo, scilicet naturaliter, vel non naturaliter: nunc autem ens illimitatum mouet naturaliter aliquem intellectum, vt diuinum; igitur simili modo mouet quemlibet intellectum.

5. *Essentia diuina est motiua immediatè sui intellectus, sed nō intellectus creati.* Et respondendo ad hoc argumentum dicit sic: *Essentia diuina est motiua immediatè sui intellectus, sed non intellectus creati: quia intellectus diuinus est primum mobile omnino: & ideò primum mouetur à prima forma motiua: & nihil aliud est immediatè mobile à prima forma motiua: quia non potest immediatè mouere, nisi primo modo motionis, scilicet immediatè.* Hæc ille. Et tamen statim sequitur, quòd si ens sua ratione communissima sit adæquatum obiectum intellectus creati ex natura potentiæ: quòd maximè intelligibile, cuiusmodi est essentia diuina, poterit mouere intellectum creatum naturaliter.

5. *Ens quomodo sit adæquatū obiectum intellectus creati.* Respondeo, quòd quando Doctor dicit quòd ens sub ratione communissima est adæquatum obiectum intellectus creati in ratione motiui, accipit ibi *ens*, vt est communissimum ad omne ens limitatum, siue creatum: non autem vt comprehendit sub se ens illimitatum: vt expresse patet *in quolib. q.* 14. & sic non sequitur, quòd Deus sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu creato.

Secundum dubium notandum. Alia difficultas est, quòd si ens limitatum, sub sua ratione communissima, sit adæquatum obiectum intellectus creati ex natura potentiæ, & hoc sub ratione motiui; sequitur quòd quodlibet ens limitatum, per se intelligibile, possit mouere huiusmodi intellectum, & quòd quilibet intellectus sit mobilis à quocunque tali ente: & quòd quodlibet intelligibile limitatum sic possit mouere: patet. Tum, quia dicit Doctor *in q* 1. *prologi*, respondendo ad primum argumentum principale: vbi sic dicit: *Impossibile est aliquid esse obiectum primum naturaliter, quin quodlibet contentum sub illo sit per se obiectum naturaliter. Da enim oppositum, & tunc non est adæquatum naturaliter, sed excedens, & aliquid eo inferius est adæquatum: & ita primum.* Hæc ille. Tum, quia dicit in quæst. de subiecto Theologiæ. *Proportio obiecti ad potentiam, est proportio motiui ad mobile, vel actiui ad passiuum: quandocunque autem aliquod agens agit in aliquod passum, potest quodlibet agens eiusdem rationis in quodlibet passum eiusdem rationis agere: ergo prima extrema proportionis actiui ad passiuum sunt communia ad omnia extrema illius proportionis. Nam inter illa communissima est adæquatio; quia in quocunque est ratio vnius, illud respicit quodlibet, in quo est ratio alterius.* hęc ille.

Ex hoc ergo sequitur, quòd si ens limitatum sub ratione communissima, est adæquatum obiectum in ratione motiui intellectus creati, quòd quodlibet, vbi est ratio entis, poterit mouere intellectum creatum. Tum etiam: quia ipse dicit *in* 2. *distinct.* 9. *quæst.* 2. respondendo ad quæst. quòd *prima extrema proportionis actiui, & passiui sunt vniuersalissima abstracta à quocunque actiuo, & à quocunque passiuo: & ista proportio inest particularibus sub vtroque extremo per rationem communem.* Hæc ille. Hoc idem *in quæst.* 14. *quolib.* vbi sic dicit: *Obiectum proprium secundùm totam suam indifferentiam est adæquatum obiectum, & respicit potentiam suam secundùm totum genus suum, vt proprium extremum: aliquis igitur est modus proprius, secundùm quem hoc extremum respicit illud: ille idem modus saluabitur inter quacunque extrema, particulariter contenta sub istis primis extremis: quia particularia extrema: & si respiciunt secundùm hoc, quòd includunt prima extrema: & ita respiciunt eodem modo, quo illa prima.* hæc ille. Si ergo ens limitatum, sub ratione communissima, est primum obiectum in ratione motiui, & respicit intellectum creatum in ratione passiui: statim sequitur quòd quodlibet contentum sub ente limitato, quod est primum extremum proportionis, possit mouere quemlibet intellectum creatum, qui continetur sub intellectu creato in communi: qui est aliud extremum proportionis: sed multa sunt entia, per se intelligibilia, quæ non possunt mouere aliquem intellectum creatum, vt relationes: vt patet à Doctore: & similiter 4. species qualitatis: & similiter artificialia, inquantum huiusmodi: vt patet *in* 4. *d.* 1. *q.* 1. & multa alia. 6.

Respondeo, quòd si Doctor intelligeret, quòd ens limitatum in sua ratione communissima esset adæquatum obiectum intellectus creati in ratione motiui; accipiendo *adæquatum*, prout includitur in omni per se intelligibili, vt ipse exponitur *in quæst.* 1. *prologi*: oporteret concedere, quòd omne per se intelligibile posset mouere intellectum creatum. Debet ergo sic intelligi (vt suprà exposui) videlicet quia sunt multa entia, quæ sunt obiecta intellectus creati in ratione motiui: vt omnis substantia, & partes earum: & multæ species qualitatis, & fortè multæ quantitates, vt dixi suprà; & quia oportet nos ponere aliquod commune pro obiecto, nihil communius inuenimus substantiæ & accidenti limitatis ipso ente limitato. Quia etiam multa sunt per se intelligibilia, vt passiones, & relationes reales, quæ virtualiter continentur, vel in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate: ideò huiusmodi continentia possunt mouere intellectum ad notitiam talium contentorum, quæ continentia conueniunt in ente quiditatiuè, & vltrà: quia multa essentialiter contenta in aliis sunt per se intelligibilia: cuiusmodi sunt differentiæ vltimæ: & tamen non possunt mouere intellectum creatum. Continentia ergo essentialiter huiusmodi differentias vltimas mouent intellectum creatum ad earum notitiam: quæ tamen continentia, tam in prædicamento Substantiæ, quàm Quantitatis, & Qualitatis conueniunt in ente limitato quiditatiuè. 7. *Responsio ad secundum dubium.*

Item: quia fortè superiora non mouent intellectum creatum ad sui cognitionem: sustinendo quòd tantùm sit vna species intelligibilis speciei specialissimæ, & omnium superiorum, vt suprà exposui *in q.* 1. & 2. *præsentis dist.* tunc cognitio superio

superiorum causatur à specie specialissima, siue à specie intelligibili speciei specialissimæ, supplentis vicem speciei specialissimæ.

8. *Nota quemodo intelligatur ens limitatum esse obiectum adæquatum.* Dico ergo, quòd non debemus ponere ens limitatum, vt primum obiectum adæquatum intellectus creati, & hoc simpliciter in ratione motiui: quia (vt dixi) oporteret ponere quòd quodlibet, in quo saluatur ratio talis entis, esset per se motiuum intellectus creati: sed sic ponere debemus, quòd ex quo inter omnia habemus assignare aliquod obiectum primum potentiæ, vel primitate communitatis essentialis, vel primitate virtualitatis in se, vel in suis inferioribus: quia nõ inuenimus aliquod sic primum respectu omnium per se intelligibilium sicut ens: ideò dicimus, quòd est primum obiectum motiuum intellectus creati: & hoc vel in se, vel in suis inferioribus: & inferiora, vel per se mouent ad sui notitiam; vel saltem virtualiter, vel essentialiter continentur in aliis per se intelligibilibus, quæ mouent ad cognitionem contentorum. Et hunc intellectum benè nota, si vis euadere multas difficultates de primo adæquato obiecto intellectus. Propositio autem Doctoris adducta prima, scilicet posita *in q. 1. prologi* conceditur: quia si ponatur ens, inquantum ens, esse naturaliter adæquatum obiectum in ratione motiui, quòd quodlibet per se intelligibile poterit mouere: sed postea negatur, quòd ens sit huiusmodi: sed tantùm ponitur primum adæquatum, modo præexposito. Alia, quæ ponitur, in quæst. de subiecto Theologiæ, quòd obiectum respicit potẽtiam in ratione motiui, cõceditur. Et cùm dicit, quòd *prima extrema proportionis*, &c. Hoc verum est, quòd si aliquod adæquatum obiectum potentiæ sit primum extremum in ratione obiecti motiui, quòd quodlibet contentum erit huiusmodi: vt patet de colore, qui si ponitur primum extremum proportionis in ratione motiui, respiciens potentiam visiuam in ratione passiui: sequitur quòd quilibet color potest mouere quamlibet potentiam: sed ens sic non ponitur, vt suprà exposui. Et ex his patet quid dicendum ad alia dicta Doctoris.

9. *Expositio litteræ.* g *Si quæritur, quæ est ratio istius status.* Ista litera clara est: tamen aliqua dicta ibi exponuntur. Quod dicit ibi. *Intellectus noster pro statu isto non intelligit, nisi illa, quorum species relucent in phantasmate.* Hoc debet intelligi de obiectis primò motiuis, id est, quòd pro statu isto nihil primò, & immediatè mouet intellectum nostrum ad sui cognitionem, vel contentorum in eo: nisi illud, cuius species intelligibilis relucet in phantasmate, id est, nisi illud, cuius species intelligibilis partialiter causatur à phantasmate talis obiecti; vt suprà exposui *quæst. 2 præsent. dist.*

Quæcunque vniuersale intelligimus, eius singulare phantasiamur, id est, quòd quando intelligimus vniuersale: puta albedinem in se per potẽtiam intellectiuam: tũc singulare albedinis actu phantasiamur per virtutem phantasticam. Et sensus est: quòd nunquam intellectus posset intelligere aliquid vniuersale, puta albedinem in se, nisi priùs virtus phantastica habuerit aliquem actum circa singulare illius vniuersalis: nec intellectus posset diu sistere in cognitione alicuius vniuersalis, nisi virtus phantastica haberet actum circa singulare, vel singularia talis vniuersalis: & hoc propter ordinem talium potentiarum.

Obiectũ adæquatũ intellectus est quiditas rei sensibilis. *Licèt primum obiectum adæquatum intellectus in mouendo pro statu isto sit quiditas rei sensibilis.* Hoc patuit suprà: & tale obiectum in minùs se habet, quàm quiditas rei materialis, quia omne sensibile est materiale: vt patet: non autem omne materiale est sensibile: vt patet de substantia, & partibus eius, quæ sunt materialia: & tamen non sunt sensibilia: & omnia sensibilia possunt mouere intellectum pro statu isto: sed non omnia materialia, vt suprà probatum est de substantia, quòd non possit immediatè immutare intellectum nostrum.

h *Et si dicas.* Hìc Doctor improbat opinionem dicentium, quòd substantia separata non possit mouere intellectum nostrum, etiam separatum, nisi in maiori lumine, quàm sit lumen naturale intellectus agentis, id est, quòd intellectus agens non possit habere actionem aliquam circa substantias separatas, nisi sibi daretur desuper maius lumen, quo possit agere in substantias separatas. Et hoc improbat, & improbatio clara est in litera: & magis patebit in 4. in materia de beatitudine.

Quidam nouus expositor primæ partis S. Thomæ *quæst.* 12. *art.* 5. nititur soluere rationes, quas facit Doctor *præsenti dist. quæst.* 4. & præcipuè *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. *& in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 11. quibus probat lumen gloriæ creatum, non esse necessarium ad Dei visionem. 10. *Thom. Caiet. nititur soluere rationes Scoti.* Primò, quia obiectum ex se, lux intelligibilis sufficienter ex se potens mouere intellectum ad sui visionem, non eget lumine coagente sibi ad causandam visionem: Deus est huiusmodi: ergo.

Secundò, si lumen gloriæ ponitur vt forma, qua intellectus facit, & sit sufficiens ad videndum Deum: ergo per aliquam formam creatam possibile esset naturaliter videre Deum. Probatur sequela, quia sicut cæcus, miraculosè illuminatus, naturaliter videt: ita beatus supernaturaliter illuminatus, naturaliter videt Deum: lumen enim gloriæ, sicut & quælibet perfectio posita in intellectu, perficit intellectum naturaliter, quamuis supernaturaliter ponatur.

Tertiò, quia quicquid potest Deus mediante causa secunda effectiua, potest immediatè, & sine illa: sed lumen gloriæ ponitur, vt efficiat visionem: ergo.

Quartò, quia magis videtur necessarium ponere speciem intelligibilem Dei, quàm lumen gloriæ: sed illa non ponitur: ergo. Probatur antecedens, quia illa esset propter perfectionem intellectus, vt memoria est: istud autem perficit in actu secundo, ad quod sufficit obiectum præsens in se ipso. hæc est Scoti sententia in diuersis locis.

Respondet ille expositor nouus, dicens: quòd potest concedi totum, & dicit quòd indigentia non est ex parte Dei, seu obiecti, sed ex parte intellectus creati: vnde consideratis vtrisque, negatur maior.

Ad secundum dicitur, quòd hìc est seruandum 11. illud: *sententiam tene, & linguam cohibe:* simpliciter quidem nullum inconueniens est concedere, quòd per aliquam formam creatam, non tamen speciem intellectus naturaliter videt Deum: quoniam quilibet habitus, & omnis forma est ex propria natura principium proprij actus: habens enim charitatem, vt sic naturaliter diligit Deum meritoriè. Non enim minùs charitas inclinat ad actum proprium, quàm cæteri habitus: signum autem naturalitatis est delectatio: experimur enim nos omnia delectabiliter operari, quorum habitus habemus, siue naturales, siue supernaturales. Verumtamen ne errandi causa

Videre Deum naturaliter per aliquam formam potest intelligi dupliciter. sa sumatur, distinguendum est, quòd videre Deum naturaliter per aliquam formam creatam, potest intelligi dupliciter. Vno modo per formam creatam, & naturalem. Alio modo per formam creatam, & supernaturalem, & non solùm supernaturaliter. Primo modo, est impossibile, & refutatum. Secundo verò modo, est necessarium. Et tale est lumen gloriæ. Illuminatus quidem illo naturalissimè videt Deum: adeò vt impossibile sit non videre illum, stante lumine: vnde patet, quòd non est simile de cæco illuminato, & de intellectu illuminato: quia ibi vis data est naturalis, licèt supernaturaliter data: hîc verò vis data est supernaturaliter, & supernaturalis.

12. Ad tertium, negatur argumentum, est enim sophisma figuræ dictionis: mutatur si quidem *quid* in *quale*, seu in *ad aliquid*: visio enim Dei creata non significat rem absolutè, sed significat actum in ordine ad agens creatum: & sic est simile si argueretur: Deus producit actum meritorium, mediante voluntate, & charitate Petri: ergo potest producere illum sine eis.

Ad quartum negatur antecedens: nec probatio aliquid valet: quoniam memoria intellectiua impertinens est felicitati, quæ consistit in actu, & non in habitu. Et benè aduerte, quòd Scotus cum sequacibus non potest amplius in hac materia sustineri: quoniam in Clement. *Ad nostrum, de hæreticis*, expresse errores damnantur, dicentes, quòd anima non indiget lumine gloriæ eleuante ipsam ad videndum Deum: vbi cernis Ecclesiam amplexam S. Thomæ doctrinam determinasse non solùm indigentiam luminis: sed causam, scilicet vt eleuetur anima ad talem visionem. Hæc expositor ille nouus.

13. *Impugnatio solutionum Thom. Caiet.* Respondeo, & dico, quòd istæ responsiones minimè soluunt rationes Scoti.

Ad primam, cùm dicit, quòd ista indigentia ponitur ex parte intellectus. Dico hoc esse falsum. Ad quod intelligendum præmitto aliqua. Primò, quòd cognitio causatur ex obiecto, & potētia, vel ex aliquo supplente vicem obiecti, vt patuit suprà *in prolog. quæst.* 1. & infrà magis patebit *præsenti dist. quæst.* 7. *&* 8 *& in quodlib. quæst.* 15. requiritur ergo præsentia obiecti. Sicut ergo in cognitione abstractiua requiritur præsentia obiecti, non in se, sed in aliquo repræsentatiuo, puta in specie intelligibili, & tunc, stante tali præsentia, potest immediatè causari cognitio abstractiua, scilicet ab intellectu, & specie intelligibili, (vt suprà patuit *dist. præsenti, quæst.* 1. *&* 2. *& etiam præsenti quæst.* & magis patebit infrà *dist. præsenti quæst.* 6. *&* 7. vide, quæ ibi exposui. ista enim sufficiunt absque quocunque alio.) Sic quando obiectum est in se præsens in propria existentia, & præsentialitate: & est talis entitatis, vt sit effectiuum, saltem partialiter, suæ cognitionis intuitiuæ: tunc intellectus, & tale obiectum sunt sufficiens causa respectu cognitionis intuitiuæ, etiam circumscripto quocunque alio. Similiter est dicendum, quòd si intellectus creatus haberet Deum præsentem in specie intelligibili Deitatis: ille intellectus cum tali specie esset sufficiens elicitiuum cognitionis abstractiuæ Deitatis, nullo alio concurrente: vt satis patet à Doctore *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. Ita videtur dicendum de cognitione intuitiua Deitatis, quòd quando Deitas est in se præsens in propria existentia intellectui creato, quòd intellectus ille vnà cum essentia præsente, vel vnà cum voluntate diuina, perfectè supplente vicem essentiæ, potest (nullo alio concurrente) causare perfectam visionem Deitatis.

Secundò præmitto, quòd intellectus creatus, sicut ex natura sua habet tale commune pro obiecto, quòd possit in quodlibet contentum sub tali communi: posita tamen præsentia illius contenti. Hoc patet discurrendo per obiecta cuiuscunque potentiæ Et si potentia non potest in tale obiectum ex natura talis potentiæ, tunc tale obiectum non per se continetur sub adæquato obiecto illius potentiæ. Et vltrà, si ex se non habet aliqualem actionem circa cognitionem illius obiecti, nec fuit per prius potens intelligere, nunquam per quodcunque posterius fit potens intelligere: quia quod simpliciter & absolutè repugnat alicui priori, nunquam per posterius poterit fieri non repugnans. Si ergo visio Deitatis simpliciter repugnat intellectui creato, non fiet, non repugnans per habitum posteriorem. 14.

Habitus præsupponit potentiam. Item, habitus præsupponit potentiam simpliciter posse: patet, quia habitus, vel tantùm inclinat ad actum, vel si ponitur causa actus, tantùm ponitur partialis, & minùs principalis, vt patet infrà *dist.* 17. Imò si habitus esset totalis causa actus, tunc talis habitus esset simpliciter potentia: quia illud est potentia, quo quis simpliciter potest agere: vt suprà patuit *dist.* 1. *q.* 4. & infrà patet *dist.* 17. *& in* 4. *dist.* 44. *quæst.* 1. *& dist.* 49. & sic lumen gloriæ diceretur simpliciter potentia, quod non conceditur. Nunquam ponitur habitus, vt per ipsum habeatur substantia actus: sed si ponitur, ideò ponitur, vt per ipsum habeatur perfectior actus: vt patet infrà à Doctore *dist.* 17. Potentia ergo potest absolutè in actum, licèt non in actum ita perfectum, sicut posset habituata: vt infrà patet *dist.* 17. *& in* 3. *dist.* 27. Si ergo tale lumen requiritur, non requiritur absolutè propter Dei visionem: quasi aliter nullo modo posset Deus videri quantumcunque præsens in ratione obiecti sensibilis: sed magis requiritur ad hoc, vt habeatur perfectior, & intensior visio: sicut etiam charitas ponitur in voluntate, non vt sit simpliciter ratio actus: quasi voluntas non possit frui Deo sine charitate: quia probatum est suprà, quòd de potentia Dei absoluta posset frui sine charitate: vt patet *dist.* 1. *quæst.* 4. Si ergo ponitur, ideò ponitur in patria, vt per ipsam habeat perfectior fruitio: vt patet à Doctore in pluribus locis: hoc ergo modo non negaretur in intellectu lumen gloriæ, vt per illud habeatur perfectior visio Deitatis.

Ex his patet, quòd responsio istius non soluit rationem Doctoris, & quòd tale lumen non requiritur absolutè in intellectu creato, vt per ipsum habeatur visio Deitatis in quocunque gradu: sed si ponitur, ideò ponitur, vt habeatur visio Deitatis in gradu perfectiori. 15.

Responsio ad secundum argumentum non soluit rationem Doctoris, nec intelligitur ratio Doctoris. Arguit enim Doctor à fortiori: quia posito, quòd tale lumen requiratur, vt habitus supernaturalis: si tamen intellectus per illū intelligit, siue videt, naturaliter videt: quia talis visio erit naturalis, & naturaliter causata. Tūc sic: si habitus gloriæ, qui in se est imperfectior intellectu, potest naturaliter habere actum visionis, sine quocūque alio supernaturali sibi inhærente, multò fortiùs intellectus creatus, stante præsentia obiecti, poterit habere actum visionis diuinæ (ad quam naturaliter ordinatur) sine quocunque habitu infuso:

fuso:& sic argumentum Doctoris debet intelligi. Sequentia,quæ dicit in illa responsione,non sunt ad propositum, & procedunt ex malo intellectu illius argumenti.

16. *Visio est qualitas absoluta.* Ad responsionem ad tertium argumentum,dico:quòd nulla est ibi fallacia,vt patet intuenti rationem Scoti. Et certum est, quòd Deus immediatè potest producere omnem effectum causæ secundæ,vt omnes concedunt Theologi.Et quod dicit de visione,quòd non est res absoluta. Dico, quòd est qualitas verè absoluta: vt infrà patebit *dist.præsenti,q.vlt.in responsione ad vltimum argumentum principale* : & clariùs extat probatum *in q.*13. *quodlib.*& aliqualiter *in* 4. *dist.*10. nec oportet hîc adducere rationes: & sic non mutatur *quid est* in *ad aliquid.*

Et quod addit de illo simili, quòd non sequitur, Deus producit actum meritorium, mediante charitate,& voluntate Petri: ergo immediatè potest producere. Dico primò, quòd actus meritorius, vltra substantiam, & intensionem actus, includit respectum rationis (quod est acceptari, vt dignum tali præmio) vt docet Doctor infrà *dist.*17.& sic actus meritorius,vt meritorius, dicit formaliter respectum rationis: visio autem,vt visio,est qualitas absoluta. Posset ergo Deus immediatè producere substantiam, & intensionem actus meritorij.

17. *Actus meritorius potest esse sine charitate.* Dico secundò,quòd etiam Deus sine charitate, & sine voluntate Petri posset producere actum meritorium, & quo ad substantiam, & intensionem,& acceptionem passiuam:nec aliqua apparet contradictio, vt patebit ex multis dictis Doctoris infrà *dist.*17.& alibi.Verumtamen Petrus tali actu tantùm diceretur mereri passiuè, & non actiuè: quia si immediatè produceretur à Deo,& reciperetur in voluntate Petri,voluntas Petri tantùm se haberet in potentia receptiua.

Responsio quarta patet, quòd nihil concludit ex dictis suprà contra primam responsionem.

Ad illud de Clementina,&c.Dico primò,quòd non loquitur de lumine creato: vt patet in text. vbi sic dicitur: *Quintò, quòd qualibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata: quòdque anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* hæc ibi. Vult enim ibi Clementina illa,quòd intellectus creatus non possit ex suis puris naturalibus beatificari in Deitate: quia nullus, vt sibi relictus in suis naturalibus, posset Deum videre, imò nec abstractiuè cognoscere, sub ratione propria Deitatis: vt suprà patuit prologo,*& in* 2.*dist.*3.de intellectu Angelico: & subtiliter *in quodlib.quæst.*14. requiritur enim præsentia obiecti,& ideò si Deus voluntariè non faceret se præsentem intellectui creato, esset simpliciter impossibile ipsum videre; est ergo supernaturalis talis visio: quia hoc tantùm est in potestate Dei facere se videri. Lumen ergo gloriæ poterit esse ipsa Deitas, quæ dicitur lux increata, & lumen gloriæ: dans cuicunque intellectui beato,vt glorificetur in illa.

Dico secundò, quòd aliud est loqui de facto, & aliud de possibili: posito enim quòd de facto, & de potentia Dei ordinata, nullus intellectus creatus videat, vel possit videre sine tali lumine creato:loquendo tamen de possibili,& de potentia Dei absoluta,non dicit illa Clementina,quòd sit simpliciter impossibile intellectui creato videre essentiam diuinam sine tali lumine. Posset absolutè si vellet ostendere se intellectui creato sine tali lumine infuso, & hoc modo loquitur Scotus, quòd non requiritur tale lumen de necessitate naturæ: quasi sit impossibile simpliciter, vt Deus videatur sine tali lumine. 18. *Nota de lumine gloria.*

Dico tertiò,quòd non accipitur ibi lumen tale creatum, quo mediante possit Deus videri: sed vult, quòd talis visio sit ex gratia Dei: non ex puris naturalibus:vt exponit glossa ibi:quæ sic dicit ad literam: *Non intelligeret*, inquit, *quasi hoc possit sua naturali virtute. Hoc expresse est hæreticum, & reprobatum, de consecrat. dist. 4. cap. vlt. Et ibi soluitur, quod opponitur de libertate arbitrij: & est contra doctrinam Apostoli ad Rom.6.Gratia Dei vita æterna,id est,beatitudo perfecta. Huius ratio est, quia illud quod est proprium superioris naturæ, non potest natura inferior assequi, nisi per rationem superioris naturæ, cuius illud est proprium. Sicut nec aqua potest fieri calida, nisi per actionem ignis. Videre autem Deum per essentiam, in quo perfecta beatitudo consistit, Soli Deo est proprium. Nulla igitur natura intellectualis potest Deum per essentiam videre, nisi Deo hoc faciente, propter quod Dominus*, Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* Hæc glossa. Ex his ergo apparet quomodo Scotus nedum sit sustentabilis, sed verè est imitabilis: cuius doctrina est ita singularis, quòd in nullis adhuc extat reprobata: nec quidem verè reprobari potest. Et non tantùm ipse fuit huius opinionis, sed etiam multi alij, præsertim Durandus,qui fuit ordinis Prædicatorum,hoc asserit:& probat multis rationibus,quarum prima talis est: Lumen gloriæ ponitur propter excellentiam obiecti super intellectum creatum; ergo frustrà. Probatur consequentia: quia obiectum in infinitum excedit non solùm intellectum creatum, secundùm se, sed etiam cum tali lumine: & consequenter lumen tale non reddit intellectum de improportionato proportionatum.Secundò,quia quicquid sit, Frater Thom. *in* 4.*dist.*49.tenet, quòd visio Dei potest communicari homini in solis dispositionibus viæ: ergo non exigitur lumen gloriæ, quod est propria dispositio patriæ: hæc in summa Durandus. Iste tamen expositor nititur soluere has rationes: quam solutionem non recito:quia eam non reputo veram, &c.

Videre Deum per essentiam soli Deo est proprium.

Doctrina Scoti in nullo est reprobata adhuc.

Opinio Durandi de lumine gloria.

SCHOLIVM.

Soluuntur argumenta principalia huius tertiæ quæstionis, in quorum solutionibus datur optima doctrina, secundùm quosdam codices,etiam antiquos, computatur vltima pars quæstionis, vt quarta quæstio.

AD argumenta [a] principalia istius quæstionis, dico ad primum, quòd non semper perfectissimum,est causa respectu imperfectorũ,comparando imperfecta ad quodcunque tertium;sicut perfectum albũ non est causa visibilitatis omnibus visibilibus:aut si

est causa, non tamen præcisa, & adæquata: etsi maximè motiuum, non tamen præcisum, & adæquatum: primum autem obiectum intellectus, de quo loquimur in ista quæstione, debet esse primum, & adæquatum potentiæ.

Ad secundam [b] rationem dico, quòd si rectè arguitur, debet inferri, quòd nullum ens participatum potest cognosci, nisi sit ens ab ente imparticipato, & non debet inferri, quòd non potest cognosci, nisi per rationem entis imparticipati cogniti. Tunc enim sunt quatuor termini, quia ponitur in conclusione, esse cognitum per ens imparticipatum, qui terminus non fuit in propositione secunda. Et ratio [c] realis istius defectus assignati in forma arguendi, dicta est priùs, in respondendo ad primum argumentum secundæ quæstionis huius distinctionis, quia etsi cognoscibilitas sequatur proportionaliter entitatem: non tamen ita est de *cognosci*, nisi comparando ad illum intellectum, qui cognoscit quodlibet secundùm gradum suæ cognoscibilitatis. Ita dico hîc, quòd si entitas participata concludat de necessitate cognoscibilitatem participatam, & ita participatum habeat cognoscibilitatem per cognoscibile imparticipatum: non tamen habet *cognosci* per cognoscibile imparticipatum, vt cognitum: sed vt causam dantem sibi esse. Et hoc tactum est in argumento quodam de *frui* quæst. 4. primæ distinctionis.

S. in 1. prin. in op. Henr. & sol. eiusdem. Ad arg. 3.

26. Ad illud [d] 8. *de Trin.* dico, quòd loquitur ibi de notitia *boni* in communi: quæ naturaliter impressa est, hoc est, de facili imprimitur in intellectu à singularibus: quia in quolibet, intentiones vniuersales faciliùs occurrunt primò Hoc probo per ipsum, qui eodem lib. cap. 4. de magnis, vel 18. de paruis, dicit: *habemus enim regulariter infixam humanæ naturæ notitiam; secundùm quam, statim quidquid tale aspicimus, hominem esse cognoscimus, vel hominis formam.* & sicut secundùm istam notitiam hominis, quam dicit infixam nobis, regulariter, hoc est, faciliter à sensibilibus abstractam, iudicamus de quocunque, vtrùm sit homo, vel non; ita etiam per idem possemus iudicare eminentiam in humanitate, si illa esset in occurrentibus, sicut iudicamus de occurrentibus hoc esse melius alio, quod apparet de notitia impressa albedinis, per quam non tantùm iudicamus occurrens esse album: sed hoc esse albius altero. Ita dico hîc, quòd illud *bonum*, de quo loquitur *cap.* 3 cuius notitia impressa est naturaliter intellectui, est *bonum* in communi, & per illud iudicamus de occurrētibus, hoc illo esse melius Et quòd loquatur de *bono* indeterminato priuatiuè, & non de *bono* indeterminato negatiuè, in quo *bono* indeterminato intelligitur Deus: videtur per hoc quòd ibi, enumeratis multis particularibus bonis, dicit: *Bonum hoc, bonum illud, tolle hoc, & tolle illud, & vide ipsum bonum si potes:* hoc est, tolle illa contrahentia rationem *boni* ad creaturas, & vide rationem *boni* in communi, & in hoc videbis Deum, sicut in conceptu communi, in quo potest naturaliter à nobis videri, & non in particulari, vt hæc essentia.

Consimiliter intelligendum est illud, quod præmittit, cap. 2. vbi dicit: *Cùm audis, Deus est veritas, noli quærere quid est veritas, statim obijciunt se phantasmata.* Hoc intelligo sic, quando conceptus vniuersalis abstrahitur à singulari, quantò est vniuersalior, tantò difficiliùs potest intellectus diu sistere in tali conceptu; quia, vt prædictum est, quandocunque intelligimus vniuersale, phantasiamur eius singulare, & illud vniuersale diutiùs, & faciliùs possumus intelligere, quod est similius singulari relucenti in phantasmate, & quia vniuersalissima sunt remotiora ab ipso singulari, ideò difficiliùs est stare in conceptu illorum vniuersalissimorum.

Difficilius diu sistitur in conceptu magis vniuersalium, & quare?

27. Concipiendo ergo Deum in conceptu vniuersalissimo, noli quærere, quid hoc est, noli descendere in aliquem conceptum particularem, in quo ille vniuersalior saluatur, qui particularior propinquior est phantasmati: descendendo enim ad talem, qui magis relucet in phantasmate occurrenti statim amittitur illa serenitas veritatis, vel sinceritas veritatis, in qua intelligebatur Deus; quia statim intelligitur veritas contracta, quæ non conuenit Deo, cui conueniebat veritas in communi concepta non contracta.

Per idem etiam dico ad illud 8. de Trin. cap. 3. de bono, & voluntate: *Pudeat cùm alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhærendo, non amare bonum ipsum, vnde bona sunt.* Vnde ratio benè probat, quòd ipsum summum bonum, magis amandum, quàm bona participata: non tamen probat, quòd sit primum amatum primitate adæquationis, quia etsi ipsum sit ratio bonitatis in aliis, & ideò ratio amabilitatis eorum: non tamen ipsum vt amatum, est ratio aliorum amatorum. Potest enim aliquid aliud amari non ipso amato: sicut in fruendo vtendis patet, & vtendo fruendis, & ista intentio August. colligitur ex *c.* 6. 9 *Trin.* vbi tractans de dilectione alicuius, qui creditur esse iustus, si postea inueniatur nō esse iustus, *statim* (inquit) *amor ille, quo in eum ferebar, offensus, & quasi repercussus, atque ab indigno homine ablatus in ea forma permanet, ex qua eum talem credens amaueram.* Hoc est, si dilexi iustitiam, & ipsum; quia credidi in ipso esse iustitiam, si inueniā eum iniustum

resilit

resilit voluntas ab eo:sed adhuc stat dilectio ipsius iustitiæ,vt obiecti.Istud intelligendum non est de iustitia aliqua particulari:sed de communi ratione iustitiæ,quæ amatur propter se,& quodcunque in quo est ista propter illam.

Contrà.Voluntas non est vniuersalium:tum,quia tendit in rem,vt in se;tum,quia tam amor amicitiæ, quàm amor concupiscentiæ, est alicuius secundùm existentiam realem præsentem, vel possibilem. 28. ADDITIO.

Respondeo,primis principijs practicis in intellectu correspondet in voluntate aliqua volitio, quæ est principium bonitatis moralis, sicut illa principia sunt principia veritatis practicæ in intellectu.

Patet etiam,quòd quæcunque ratio boni,vel appetibilis potest ostendi in vniuersali & si sic ostendatur voluntati, non video quare voluntas non possit habere actum circa proprium obiectum sibi ostensum.

Tertiò, appetitiua singularis vt singularis, non habet cognitiuam propriam sibi. Ad illam Metaphoram, quòd dilectio est motus animæ ad res,dico,quòd verum est causaliter, quia voluntas imperat coniungi rei desideratæ in se;non autem formaliter, nisi quia voluntas est actiua respectu sui actus, sed non circa rem sub maiori ratione existentem, quàm apprehendatur ab intellectu: imò desiderium,& intellectio abstractiua, sunt rei æquè existentis,sicut & non existentis ex parte obiecti: ita visio, & fruitio præsentis: sed desiderium mouet effectiuè ad rem,quæ est in fieri,*non sic intellectio abstractiua.*

Ad secundum dico,quòd homo in vniuersali ostensus amatur amore amicitiæ, & propter illud amatur hic homo, sicut etiam iustitia in vniuersali concupiscitur, & ita hæc iustitia huius.

Ita etiam patet expositio illius auctoritatis, 8. de Trinit. cap. 6. *Cur ergo alium diligimus*,&c.in illa auctoritate, forma, vbi videbimus quid sit iustus animus, debet intelligi iustitia ipsa in communi,sicut forma hominis in communi est illa,vbi siue per quam, videmus,quid requiritur ad *esse* hominis, vel ad esse hominem: & propter quam formam iudicamus illud, quòd occurrit esse, vel non esse hominem secundùm ipsum in eodem, *cap*.4. nisi ergo hanc formam iustitiæ in communi diligeremus, non diligeremus illum, quem credimus esse iustum, quem ex ista forma diligimus: sicut si non diligas formam hominis in communi, nunquam occurrens propter formam hominis dilectam diliges. Est igitur hæc iustitia indeterminata priuatiuè, secundùm quam de mente iusta iudicamus,& propter quam dilectam diligimus mentem,quam credimus iustam esse.

Et dum non sumus iusti minùs diligimus iustitiam in communi, quàm oportet: quia diligimus quadam volitione,siue complacentia simplici,quæ non sufficit ad esse iustum: sed oportet eam diligere volitione,& amore efficaci, qua videlicet volens eam, eligit in se eam,obseruans tanquam vitæ suæ regulam.

COMMENTARIVS.

1. a AD *argumenta principalia.* Nunc Doctor respondet ad rationes principales factas in principio quæstionis,quibus probat, quòd Deus sit adæquatum obiectum intellectus nostri:& per consequens non est ens,inquantum ens.

Primum in aliquo genere est causa imperfectorum quomodo intelligitur.

Respondet Doctor ibi:*Dico ad primum,quòd non semper perfectissimum.* Hìc primò respondet ad propositionem Aristotelis quòd non semper primum in aliquo genere est causa imperfectorum: patet, quia in genere animalis primum animal est homo, & tamen non est causa aliorum animalium. Non potest ergo intelligi de causa effectiua: sed fortè accipit *causam* pro ratione mensurandi perfectionaliter: & sic primum in genere animalium est mensura omnium imperfectorum. Nec similiter sequitur, *A* est primum visibile in genere visibilium, ergo est causa visibilitatis omnibus visibilibus: patet hoc esse falsum. Sic in proposito, non sequitur: Deus est perfectissimum intelligibile in genere intelligibilium: ergo est causa cognoscendi omnia alia intelligibilia: non enim sequitur formali consequentia, vt patuit suprà de perfectissimo visibili: & in hoc sequatur de materiali consequentia. Deus est perfectissimum intelligibile: ergo est causa cognoscendi omnia alia. Hoc tenet in Deo,qui est causa omnium, & virtualiter continet omnia intelligibilia. Sic etiam intelligendo, non sequitur quòd Deus sit adæquatum obiectum intellectus nostri: quia etsi sit causa cognoscendi omnia alia: non tamen adæquatè & præcisè: quia alia obiecta possunt mouere intellectum nostrum, vt suprà exposui.

b *Ad secundam rationem dico.* Vt hæc responsio intelligatur, facio argumentum in forma: Nullum ens participatum cognoscitur, nisi vt est ab ente imparticipato: sed omne ens creatum est ens participatum: ergo nullum ens creatum potest cognosci, nisi vt est ab ente imparticipato. Maior potest habere duplicem sensum. Primus est,nullum ens participatum potest cognosci, nisi sit ens ab ente imparticipato. Secundus verò est, nullum ens participatum potest cognosci, nisi per rationem entis imparticipati, vt priùs cogniti. Si ergo maior accipiatur in primo sensu,& minor in secundo sensu,patet quòd argumentum est in quatuor terminis. 2.

c *Et ratio realis istius defectus.* Sensus huius literæ est: quòd etsi aliquid præcisè dependeat ab aliquo, & quantum ad entitatem, & quantum

ad cognoscibilitatem (quia cognoscibilitas sequitur entitatem) non tamen sequitur, quòd dependeat in *cognosci*, id est, quòd cognitio entis, sic dependentis, sit præcisè ab illo, à quo dependet: potest enim esse ab intellectu, & à re dependente. Exemplum: Filius dependet à Patre in essendo: quia habet suum *esse* à patre, & dependet quantum ad cognoscibilitatem: quia cognoscibilitas sequitur de necessitate entitatem: & tamen non sequitur, quòd Filius tantùm cognoscatur per rationem patris: quia patre mortuo perfectè cognosci potest: sic est in proposito.

d Ad illud 8. de Trinit. dico, quòd loquitur ibi de notitia *boni* in communi. Et quia hîc Doctor ita clarè exponit hanc responsionem: ideò prætermitto illam.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm aliqua veritas certa & sincera cognosci poßit naturaliter ab intellectu viatoris absque speciali illustratione lucis increatæ?

D. Thom. *q.14. de veritate art.9.* Henric. *in summa art.1.q.2. & quodl.5.q.14.* Albert. *tract.3.cap.5.* Mirandula *lib.2. de examine vanitatis.* Capreol. *1.d.8.q.1.* Soncinas *9. Met.q.5.* Durandus *q.1.prol.* Conimbric. *in 1. Poster.c.26.q.1.art.3.* Scotus *q.3.prol.q.4. later. de hoc etiam 1.2.q.109.art.1. in illa quæst. an aliquod verum sciri potest sine gratia, & communis ait.* D.Thom. *ibi.* Scot. *2.d 28. contra Greg. 2.d.27.28.* & Capr. *d.28. Vide* Scot. *1. Met.q.4.2. Met.q.1. & 2.5. Met.q.3. in Theor.* §. actio naturalis potest, *& 1. Phys.q.1. & 6.*

1. ET arguo, quòd non. Augustinus 9. de Trin. cap. 6. *Sed intueamur,* (inquit) *inuiolabilem veritatem, ex qua perfectè, quantum possumus, definiamus non qualis sit vniuscuiusque mens hominis, sed qualis esse sempiternis rationibus debeat,* & ibidem. *Alijs omnino regulis supra mentem nostram incommutabiliter manentibus, vel approbare apud nosmetipsos, vel improbare conuincimur, cum aliquid rectè approbamus, vel improbamus,* & ibidem. *Artémque ineffabiliter pulchram talium figurarum super aciem mentis simplici intelligentia capientes,* & ibidem cap. 7. *In illa igitur æterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam secundùm quam sumus, &c. aspicimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam, tanquam verbum apud nos habemus.* Item lib. 12. cap. 2. & 3. *Sed sublimioris rationis est iudicare de istis corporalibus secundùm rationes incorporales, & sempiternas* Item eodem lib. cap. 14. *Non autem solùm rerum sensibilium in locis positarum, sine spatijs localibus, manet intelligibiles incorporalésque rationes, &c.*

Et quòd intelligat ibi de rationibus æternis verè in Deo, & non de primis principiis, videtur per hoc, quòd ibidem dixit, quòd paucorum est ad illas peruenire, si autem intelligeret de primis principiis, non est paucorum ad illa peruenire, sed multorum: quia omnibus sunt nota. Item *lib. 14. cap. 15* loquens de iniusto, qui rectè multa laudat, & vituperat in moribus hominum, ait, *quibus ea tandem regulis iudicant, &c.* & in fine subdit, *vbi ergo scripta sunt, nisi in libro illo lucis illius, quæ veritas dicitur.* Liber ille lucis, est intellectus diuinus: igitur vult, quòd in illa luce iniustus videat, quæ sunt iustè agenda. Et quòd per aliquid impressum ab illa videtur: quia ibidem dicit, vnde omnis lex iusta describitur, & in cor hominis, qui operatur iustitiam non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur. Sicut imago ex annulo, & in ceram transit, & annulum non relinquit: igitur in illa luce videmus à qua imprimitur in cor hominis iustitia, illa autem est lux increata. Item 12. Confessionum, *Si ambo videmus verum, nec tu in me, nec ego in te: sed ambo in ea, quæ supra mentem est incommutabili veritate.* Multæ autem aliæ sunt auctoritates Augustini in multis locis ad probandum hanc conclusionem.

Cap. 25.

2. In oppositum ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sed istæ rationes æternæ sunt inuisibilia Dei: ergo cognoscuntur ex creaturis, ergo ante visionem istarum habetur certa cognitio creaturarum.

SCHOLIVM.

Adducitur opinio Henr. nullam veritatem nos cognoscere certitudinaliter, sine speciali illustratione, in ordine ad ideas, seu exemplaria increata. Primò, quia res à quibus sumuntur veritates, sunt mutabiles. Secundò, subiectum, scilicet anima, mutabilis. Tertiò, ipsa species cùm mutabilis sit, non potest esse causa immutabilis veritatis. Nunc enim se repræsentat, nunc obiectum, vt in somnijs.

Opinio Henric. in sum. art. 1. q. 2.

IN ista ᵃ quæstione est opinio vna talis, quòd inter intentiones generales, est per se ordo naturalis.

De

De duabus, quæ sunt ad propositum loquamur, scilicet de intentione entis & veri. Intentio prima est entis, quod probatur per illud de Causis propositione quarta, *prima rerum creatarum est esse*, & in commento primæ propositionis, *esse est vehementioris adhærentiæ*.

Etiam probatur ratione, quia entitas est absoluta: veritas dicit respectum ad exemplar. ex hoc sequitur, quòd ens possit cognosci sub ratione entitatis, licèt non sub ratione veritatis.

Hæc etiam [b] conclusio probatur ex parte intellectus, quia ens potest concipi simplici intelligentia, & tunc concipitur illud, quod verum est: sed ratio veritatis non concipitur nisi intelligentia componente, vel diuidente: compositionem autem & diuisionem præcedit simplex intelligentia. Si igitur in quæstione proposita quæratur de notitia entis, siue eius quod est verum, dicitur quòd intellectus ex puris naturalibus, potest sic cognoscere *verum*, quod probatur, *quia inconueniens est naturam esse expertem propriæ operationis*, secundùm Damasc. & hoc magis est inconueniens in natura perfectiori, & superiori, secundùm Philosophum *in 2. de Cælo, & Mundo*, de stellis, quia magnum inconueniens esset stellas habere virtutem progressiuam, & non habere instrumenta naturalia ad progrediendum: igitur cùm propria operatio intellectus sit intelligere *verum*, videtur inconueniens quòd natura non concessit intellectui illa, quæ sufficiunt ad hanc operationem. *Text. 50. & 59.*

Sed si loquamur [c] de cognitione veritatis, respondetur, quòd sicut est duplex exemplar, creatum & increatum, secundùm Platonem in Timæo; exemplar creatum est species vniuersalis causata à re; exemplar increatum est idea in mente diuina; ita est duplex conformitas ad exemplar, & duplex veritas. Vna est conformitas ad exemplar creatum, & isto modo posuit Aristoteles veritates rerum cognosci per conformitatem earum ad speciem intelligibilem. & ita videtur Augustinus ponere *9. de Trinit. cap. 6.* vbi vult, quòd rerum notitiam specialem & generalem ex sensibilibus collectam habemus, secundùm quam de quocunque occurrente, veritatem iudicamus, quòd ipsum sit tale, vel tale. Sed quòd per tale exemplar acquisitum in nobis habeatur omnino certa & infallibilis notitia veritatis de re. hoc dicitur esse omnino impossibile: & probatur triplici ratione secundùm istos. Prima ratio sumitur ex parte rei de qua exemplar est extractum; secunda ex parte subiecti in quo est; tertia ex parte exemplaris in se.

Prima ratio est talis [d] obiectum illud, à quo abstrahitur exemplar est mutabile: ergo non potest esse causa alicuius immutabilis: sed certa notitia alicuius veritatis de aliquo, habetur de eo sub ratione immutabilis: ergo non habetur per tale exemplar. Hæc dicitur esse ratio Augustini 83. *q. q.* 9. vbi vult quòd à sensibilibus non est expectanda sincera veritas, quia sensibilia sine intermissione mutantur. 3.

Secunda ratio talis est: Anima de se est mutabilis, & passiua erroris: ergo per nihil mutabilius ea potest rectificari, ne erret. Sed tale exemplar in ea est mutabilius, quàm sit ipsa anima: ergo illud exemplar non perfectè regulat animam, ne erret. hæc dicitur esse ratio Augustini de vera religione, *Lex omnium artificum* *, &c. *Cap. 30. & 31.* * al. *artium.*

Tertia ratio, notitiam veritatis certam & infallibilem nullus habet, nisi habeat vnde possit discernere *verum* à verisimili: quia si non potest discernere *verum* à falso, vel verisimili, potest dubitare se falli: sed per exemplar prædictum creatum non potest discernere *verum* à verisimili: ergo, &c. Probatio minoris, talis species potest repræsentare se tanquam se, vel alio modo se tanquam obiectum, sicut est in somniis. Si repræsentat se tanquam obiectum, falsitas est: si se tanquam se, veritas est; igitur per talem speciem non habetur sufficiens distinctiuum, quando repræsentat se vt se, & quando se vt obiectum: & ita nec sufficiens distinctiuum *veri* à falso.

Ex istis concluditur, quòd certam scientiam, & infallibilem veritatem, si contingat hominem cognoscere, hoc non contingit ei aspiciendo ad exemplar à re per sensum acceptum, quantumcunque sit deputatum, & vniuersale factum: sed requiritur quòd aspiciat ad exemplar increatum, & tunc modus ponitur iste, Deus [e], non vt cognitum habet rationem exemplaris, ad quod aspiciendo sincera veritas est; est enim cognitum in generali attributo, sed est ratio cognoscendi, vt nudum exemplar, & propria ratio essentiæ creatæ. Qualiter autem possit esse ratio cognoscendi, & non cognitum, ponitur exemplum, quia sicut radius Solis deriuatur quandoque obliquato aspectu à suo fonte, quandoque directo, & eius quod videtur in radio primo modo deriuato, licèt Sol sit ratio videndi, non tamen vt in se est visus: eius autem quod videtur secundo modo in radio, Sol est ita ratio cognoscendi, quòd etiam est cognitus. Ita igitur lux increata, angelicum intellectum quasi directo aspectu illustrat, & tunc vt visa est ratio videndi alia in ipsa: 4.

intellectum autem nostrum, pro statu viæ, quasi obliquato aspectu illustrat, ideò est intellectui nostro ratio videndi, & non visa.

Ponitur autem [f] qualiter habet triplicem rationem respectu actus videndi, scilicet lucis acuentis,& speciei immutantis, & characteris,siue exemplaris configurantis.

Et ex hoc concluditur vltimò ,,quòd requiritur specialis influentia : quia sicut illa essentia non videtur à nobis naturaliter in se : ita etiam, vt illa essentia est exemplar respectu alicuius creaturæ, non videtur naturaliter, secundùm Augustinum de videndo Deum. *in eius enim potestate est videri : si vult videtur, si non vult, non videtur.*

Vltimò additur, quòd perfecta notitia veritatis est, quando duæ species exemplares concurrunt in mente, vna inhærens, scilicet causata [g], alia illapsa, scilicet non causata in mente lucendo. De istis autem duabus speciebus rei, confecta vna ratione ad intelligendum rem, cuius est, mens concipit verbum perfectè veritatis.

COMMENTARIVS.

1. a IN *ista quæstione est opinio vna talis*, &c. Et declaro intentionem ipsius exponendo literam. *Quia inter intentiones generales est per se ordo naturalis*, &c. Et accipit hîc *intentionem* pro conceptu passiuo,siue pro conceptibili : & sic duplex est conceptus generalis,scilicet conceptus entis, & conceptus veri : & conceptus entis est prior conceptu *veri*; quia prima rerum creatarum est *esse* : quod *esse* accipit pro conceptu entis : & ordo naturalis inter hos conceptus est ordo prioris,& posterioris : ita quòd vnus conceptus naturalis est prior alio : vt patet de conceptu entis respectu aliorum. Et quòd conceptus entis sit prior conceptu veritatis, probat etiam ratione. Ille conceptus est prior : qui potest haberi sine alio, & non è contra : sed conceptus entis, cùm sit entitas absoluta, potest haberi sine conceptu veritatis:cùm illa dicat respectum ad ipsam : ergo conceptus entis est prior conceptu veritatis.

Libro de causis propositio.4.

b *Hæc etiam conclusio probatur*, scilicet quòd conceptus entis,sit prior cõceptu veritatis:patet, quia conceptus veritatis,siue veritas, non concipitur, nisi intelligentia componente, vel intelligente: & talis compositio præsupponit intelligentiam simplicem extremorum.Nam veritas dicit respectum conformitatis exemplati ad exemplar : sic quòd conformitas eorum,scilicet exemplaris, & exemplati dicitur veritas : modò talia extrema possunt concipi diuisim, conformitate non concepta : quis enim absolutè potest concipere hominem,non concipiendo conformitatem ad suum exemplar ? & sic priùs intelligentia simplici potest concipi entitas aliqua, sine conformitate ad exemplar : & per consequens sine veritate: & sic conceptus talis entitatis est prior. Et cùm dicit,quòd *tunc concipitur illud,quod verum est.* Sic debet intelligi : quòd concipiendo entitatem in se, concipitur illud, quod est conforme suo exemplari : sed quando concipitur sub ratione veritatis : tunc concipitur sub ratione conformitatis ad exemplar.

2. *Si igitur in quæst.propposita.* Hîc dicit duo. Primum, quòd si accipiatur *sincera veritas* pro conceptu vero, sic homo naturaliter potest concipere aliquod verum, puta entitatem in se : & hoc probat, quia inconueniens est naturam esse inexpertem propriæ operationis,secundùm Damascenum, id est, quòd natura nata habere propriam operationem : sicut visus visionem,& intellectus intelligere: & quòd priuetur illa, est inconueniens : & loquitur de propria operatione actiuè, & non passiuè ; ita quòd intellectio dicitur propria operatio, quia tantùm actiuè est ab illo, saltem principaliter:licèt ipse Henricus ponat,quòd totaliter : vt patebit infrà *quæst.7. præsentis dist.* Et si hoc est inconueniens in natura inferiori, est magis inconueniens in natura superiori : qualis est natura intellectiua.Vnde Philosophus 2.*Cœli, text. c.*50. vbi reputat, quòd magnum inconueniens esset stellas habere virtutem progressiuam, & non habere organa ad progrediendum. *Adhuc*,inquit, *irrationabile nullum organum ipsis dedisse naturam ad motum. Nihil enim vt contingit facit natura*, id est, natura nihil ponit ociosè sine causa: vt dicit alia translatio, *neque de animalibus curasse: sic autem preciosa despexisse. Sed videtur tanquam studiosè factum auferre ab eis omnia, per quæ contingebat procedere ipsa per se ipsa.* Hæc ibi. Ex quo concludit in textu sequenti : quòd stellæ sunt corpora sphærica : & non mouentur motu progressiuo : quia tunc haberent organa, &c. Sic in proposito ex quo natura intellectualis habet potentiam intelligendi verum, ociosè esset, si non haberet necessaria ad operandum, & intelligendum verum. Potest ergo intelligere *verum*, puta conceptum entis : non tamen sequitur, quòd sub ratione veritatis.

Stellæ sunt corpora sphærica, & non mouentur motu progressiuo, quia carent organa.

c Secundum dictum est ibi : *Sed si loquamur de cognitione veritatis*, id est, an ex puris naturalibus possit cognosci aliqua sincera veritas, id est, aliqua conformitas alicuius entitatis ad suum exemplar : & tunc distinguit de exemplari : quia duplex est exemplar rei,scilicet creatum,quod est species intelligibilis ipsius rei:& tunc cognoscere veritatem alicuius rei per exemplar creatum, est cognoscere conformitatem rei ad speciem intelligibilem ipsius. Exemplar verò increatum est idea in mente diuina : & tunc cognoscere veritatem rei per huiusmodi exemplar, est cognoscere conformitatem illius rei ad propriam ideam,quæ relucet in mente diuina. 3.

Duplex est exemplar rei.

Et tunc ponit duas conclusiones. Prima : *Impossibile est habere aliquam sinceram veritatem de aliqua re, vt comparatur ad exemplar creatum* : & hoc probat tribus rationibus.

d Quarum prima est : obiectum, à quo abstrahitur exemplar creatum,scilicet species intelligibilis est mutabile : ergo non potest esse causa alicuius immutabilis. Antecedens patet : quia omne sensibile est mutabile : & à solo tali accipitur species intelligibilis in intellectu nostro. Consequentia patet, quia causa magis habet rationem immutabilis,cùm ipsa causet inquantùm est in actu:& effectus habet magis rationem possibilis,& mutabilis : modò sincera veritas est immutabilis cõformitas obiecti ad suum exemplar.

Prima conclusio.

Si

Si ergo extrema, scilicet obiectum, & exemplar sunt mutabilia: quomodo erunt causa talis conformitatis, vt omnino immutabilis: quia tunc in effectu esset maior perfectio, quàm in causa. Et hæc est ratio Augustini 83. *q. q.9.* vbi vult, quòd à sensibilibus non est expectanda sincera veritas, quia sensibilia sine intermissione mutantur.

4. *Quia sensibilia mutantur, ideò à sensibilibus non est expectanda sincera veritas.* Secunda est: quia anima est de se mutabilis, & passiua erroris. Patet, quia de se est sicut tabula nuda, & ita sicut est passiua, id est, receptiua veritatis: ita erroris: & sic mutabilis ab vno ad aliud. Sed species intelligibilis recepta in ipsa est magis mutabilis. Tum, quia accidens; tum, quia causata, siue abstracta à sensibili: quod est magis mutabile, quàm anima: ergo per talem speciem non potest anima sic rectificari: vt per talem speciem habeat certam, & infallibilem notitiam de obiecto, cuius est talis species: quia tunc immutabile esset causatum in anima per omnino mutabile.

Tertia ratio stat in hoc: quia si intellectus potest habere certam, & infallibilem veritatem de aliquo obiecto: puta, quòd albedo sit color: illa veritas habetur per speciem intelligibilem albedinis, & coloris: quia intellectus per talem speciem potest cognoscere obiectum: sed non est possibile: patet, quia intellectus per huiusmodi speciem nescit discernere verum à non vero, siue à verisimili: patet, quia talis species aliquando repræsentat se tanquam se: & hoc in ratione obiecti, actu intelligibilis, id est, quòd ipsa est tunc obiectum actu intelligibile: & tunc veritas est: quia tunc intellectus intelligit secundùm quòd obiectum est sibi præsens: aliquando repræsentat se, vt obiectum: quod tunc contingit, quando intellectus intelligit ipsam, vt obiectum: credendo intelligere actu obiectum, intelligendo ipsam: & tunc falsitas est: quia accipit vnum pro alio: accipit enim speciem illam pro obiecto, cuius est species.

5. *Secunda conclusio.* e Secunda conclusio est, quòd potest haberi sincera veritas de aliqua re, vt comparatur ad exemplar increatum: sed hoc non potest esse via naturali. Et tunc modus ponitur, videlicet, quomodo potest haberi sincera veritas de aliqua re, vt comparatur ad exemplar increatum. Et quia ista litera est satis obscura, ideò declaro eam de particula, in particulam. *Declaratio literæ.* Cùm dicit: *Deus, non vt cognitum*, &c. Sensus est, quòd Deus, vt habet ideas creaturarum, est ratio cognoscendi illas creaturas: quia quando ostendit nobis ideas creaturarum, est ratio cognoscendi creaturas: & hoc, vt exemplar nudum, id est, non vt cognitum. Sequitur: *Qualiter autem possit esse ratio cognoscendi, & non cognitum.* Et litera stat in hoc: quia species intelligibilis est ratio cognoscendi obiectum, cuius est: non tamen, vt cognita. Nam priùs cognoscitur obiectum per illam, quàm talis species cognoscatur, vt patet. *Optimum exemplum.* Similiter quando radius Solis deriuatur ab ipso Sole ad potentiam visiuam directo aspectu, tunc videtur Sol, quando radius videtur: quando verò deriuatur obliquo aspectu, puta, quando reflectitur ad opacum, si radius Solis priùs terminetur ad aliquod opacum vbi reflectitur: & in tali reflexione deriuatur ad oculum: non est necesse, quòd si videam illum radium: quòd simul, vel priùs videam Solem. Sic quando Beati vident ideas, vt in mente diuina, vident eas directo aspectu: quia deriuantur à Deo aspectu directo: & sic etiam Deus videtur. Sed quando Deus ostendit nobis tantùm ideas, non vt in ipso relucentes, deriuantur ad intellectum, quasi obliquato aspectu: & hoc est quod dicit Henricus.

f *Ponitur autem qualiter habet triplicem rationem*, &c. 6. Sicut dicimus, quòd Sol mediante luce acuit, quia visibilia in potentia remota, facit visibilia in potentia propinqua. Species verò immutat, quia facit colores causare suas similitudines in medio, & in organo: & etiam in diaphano producit lumen, quod est species lucis: vt patet à Doctore in 2.d.13. Tertiò, sibi assimilat alia, id est simul lucentia, & luminosa facit, per quod sunt aliqualiter similes Soli. Sic Deus, qui est lux increata, acuit intellectum per ostensionem idearum, & immutat per infusionem actuum, & configurat per relucentiam idearum de ipsis obiectis.

g *Causata* est species intelligibilis impressa intellectui possibili à rebus sensibilibus. Et sic patet positio Henrici.

SCHOLIVM.

Modus ordinatè procedendi in quæstione, per sex articulos.

OStendo primò, quòd istæ rationes non sunt rationes fundamentales alicuius opinionis veræ, nec secundùm intentionem August. sed pro opinione Academicorum.

Secundò ostendo quo modo illa opinio Academicorum (quæ videtur concludi per istas rationes) falsa sit.

Tertiò respondeo ad illas rationes, quatenus minùs concludunt.

Quartò arguo contra conclusionem istius opinionis.

Quintò soluo quæstionem.

Sextò ostendo, quomodo istæ rationes (quatenus sunt Augustini) concludunt illam intentionem Augustini, non autem illam ad quam hîc inducuntur.

SCHOLIVM.

Refutat efficaciter rationes Henr. quæ probant (si aliquid valent) nullam esse scientiam certam, vt voluerunt Academici, ostenditque Henricum longè deuiare ab Augustini mente.

PRimò istæ * rationes videntur concludere impossibilitatem certæ cognitionis naturalis, quia si obiectum continuè mutatur, non potest haberi aliqua certitudo de ipso, 5. *Ad rationẽ Henrici.* sub ratione immutabilis, imò nec in quocunque lumine posset certitudo haberi, quia certitudo non est, quando obiectum alio modo cognoscitur, quàm se habet: ergo non est

certitudo

certitudo cognoſcendo mutabile, vt immutabile. Patet etiam quòd antecedens huius rationis, ſcilicet, quòd ſenſibilia continuè mutantur, falſum eſt. hæc enim eſt opinio, quæ imponitur Heraclito 4. *Metaphyſica.* Text.c.12.

Similiter, [b] ſi propter mutabilitatem exēplaris, quod eſt in anima noſtra, non poſſet eſſe certitudo: cùm quidquid ponatur in anima ſubiectiuè, ſit mutabile, etiā ipſe actus intelligendi erit mutabilis, & ita ſequitur, quòd per nihil in anima rectificatur anima, ne erret.

1. Poſterior. c.21. Similiter ſecundùm [c] opinionem iſtam, ſpecies cauſata inhærens, concurrit cum ſpecie illa illabente: ſed quando aliquid concurrit, quod repugnat certitudini, non poteſt certitudo haberi; ſicut enim ex altera de neceſſario, & altera de contingenti, non ſequitur concluſio niſi de contingenti: ita ex certo & incerto concurrentibus ad aliquam cognitionem, non ſequitur concluſio certa.

Idem etiam [d] patet de tertia ratione, quia ſi ſpecies illa abſtracta à re, concurrat ad omnem cognitionem, & non poteſt iudicari, quando illa repræſentat ſe tanquam ſe, & quando ſe tanquam obiectum: ergo quantumcunque aliud concurrat, non poteſt haberi certitudo, per quam decernatur verum à veriſimili.

Iſtæ igitur rationes videntur concludere omnem incertitudinem, & ita opinionem Academicorum. Quòd [e] autem iſta concluſio non ſit ſecundùm mentem Auguſtini, probo. Auguſtinus 2. Soliloquiorum, *ſpectamina diſciplinarum quiſque veriſſima eſſe nulla dubitatione concedit.* & Boëtius de Hebdomadibus, *communis animi conceptio eſt, quam quiſque probat auditam.* & Philoſophus 2. Metaphyſicæ, *Prima principia ſunt omnibus nota, ſicut ianua in domo:* quia ianua neminem latet, licèt interiora domus lateant. Ex his [f] tribus auctoritatibus arguitur ſic; Quod conuenit omnibus alicuius ſpeciei, ſequitur naturam ſpecificam: igitur cùm quiſque habeat certitudinem infallibilem de principiis primis, & vlteriùs, cuilibet eſt naturaliter euidens forma Syllogiſmi perfecti, ſicut patet ex definitione Syllogiſmi perfecti; ſcientia autem concluſionis non dependet niſi ex euidentia principiorum, & ex euidentia Syllogiſticæ illationis: igitur cuilibet naturaliter ſcita poteſt eſſe quæcunque concluſio demonſtrabilis ex præmiſſis per ſe notis.

Text.c.1. 1. Prior.c.1.

6. *Certa ſunt quæ per viā ſenſuum cognoſcimus.*

Secundò apparet [g], quòd Auguſtinus etiam concedit certitudinem eorum, quæ cognoſcuntur per experientiam ſenſuum. Vnde dicit 15 de Trinit c 12. *Abſit à nobis vt ea, quæ didicimus per ſenſus corporis, vera eſſe dubitemus, per eos quippe didicimus cælum, terram, & ea, quæ in eis nota ſunt nobis, quantum ille, qui nos & ipſa condidit, innoteſcere nobis voluit.* Si igitur non dubitamus de veritate eorum, & non fallimur, vt patet: ergo certi ſumus de cognitis per viam ſenſus: nam certitudo habetur, quando excluditur dubitatio, & deceptio.

Tertiò etiam patet, quòd Auguſtinus concedit ibidem certitudinem de actibus noſtris. 15. lib. c. eodem, *Siue dormiat, ſiue vigilet, viuit: quia etiam dormire, & in ſomnijs videre, viuentis eſt.*

Quòd ſi dicas, *viuere* non eſſe actum ſecundum, ſed primum, ſequitur ibidem, *ſi aliquis dicat, ſcio me viuere, falli non poteſt, etiam quotieſcunque reflectendo ſupra primum ſcitum.* & ibidem, *ſi quiſpiam dicat, volo eſſe beatus. Quomodo non impudenter reſpondetur, fortè falleris? Et ſi dicat, ſcio me hoc velle, & hoc me ſcire ſcio, iam his duobus, & tertium poteſt addere, quòd hæc duo ſciat, & quartum, quòd hæc duo ſe ſcire ſciat; & ſimiliter in infinitum numerum pergere.* Et ibid *ſi quiſpiam dicat, errare nolo, nónne ſiue erret, ſiue non erret, eum errare nolle verum erit? Et alia,* inquit, *reperiuntur, quæ contra Academicos valent, qui nihil ſciri ab homine poſſe contendunt.* Et ſequitur ibidem, *ſunt inde libri tres noſtri, primo noſtræ conuerſionis tempore ſcripti, quos qui poterit, & voluerit legere, lectóſque intellexerit, nihil eum profectò, quæ ab eis contra perceptionem veritatis argumenta multa inuenta ſunt, permouebunt.* Item eodem 15. c.15. *illa, quæ ſciuntur, vt nunquam etiam excidere poſſint, quoniam præſentia ſunt, & ad naturam ipſius animæ pertinent, cuiuſmodi eſt illud, quod nos viuere ſcimus.* Et ſic patet primum.

Additio. * al. cognitiones. Sic in antiquo originali.

Nota igitur quòd quatuor ſunt conditiones *, *de quibus eſt nobis neceſſaria certitudo, ſcilicet de ſcibilibus ſimpliciter, de ſcibilibus per experientiam, de actibus noſtris, & de cognitis, vt nunc à nobis per ſenſus. Exemplum de primo* triangulos habet tres, *&c. Exemplum de ſecundo,* Luna eclipſatur. *Exemplum de tertio,* vigilo. *Exemplum de quarto,* Illud eſt album, *primum & tertium tantùm egent ſenſu, vt occaſione. quia ſimpliciter eſt certitudo, ſi omnes ſenſus errarent. Secundum & quartum tenent per idem, ſcilicet, quod frequenter euenit à non libero, habet illud pro cauſa naturali. Ex hoc ſequitur propoſitum, tam in ſecundo, quàm in quarto, aliquando additur propoſitio neceſſaria. Itaque auctoritates Auguſtini dimittas vſque ad articulum ſecundum, qui eſt ad rem, vel qui eſt ſolutio. Primum eſt manifeſtum. Tertium eſt per ſe notum, aliàs non iudicaretur quid eſſet per ſe notum. Secundum & quartum habent infinitas per ſe notas, quibus ingerunt alias ex pluribus ſenſibus.*

COMMEN

COMMENTARIVS.

1. *Doct. contra Henr.* a PRimo ista rationes videntur concludere impossibilitatem certæ cognitionis naturalis. Si enim requiritur (vt dicit Henricus) ad certam notitiam alicuius obiecti immutabilitas eiusdem: sequitur statim, quòd de nullo obiecto possit esse aliqua certitudo: quia omne tale, secundùm ipsum, continuè mutatur. Nec valet dicere, quòd vt comparatur ad lumen supernaturale, quòd potest de ipso haberi certitudo: quia si obiectum continuè mutatur, vt comparatur ad quodcunque lumen, patet, quòd semper mutatur. Si enim homo continuè mutatur, in quocunque lumine videatur, semper videbitur inquantùm continuè mutatur. Et vltra hoc, quod dicit Henr. quòd res sensibilis continuè mutatur, hoc est manifestè falsum. Nam hæc fuit opinio Heracliti. 4. Metaph. text. comm. 22. qui volebat, quòd omnis res sensibilis, primo quocunque instanti, semper haberet aliud, & aliud *esse*, vt infrà declarabo.

b *Similiter si propter mutabilitatem exemplaris.* Hîc Doctor arguit contra secundam rationem Henrici, quæ fuit talis: Quia anima de se est mutabilis, & passiua erroris: ergo ne erret in cognitione alicuius, oportet quòd rectificetur per aliquid im mutabilius ipsa anima: patet consequentia. Si enim mutabilitas est ratio, quâ non habetur certitudo de sensibili, ad hoc ergo vt certificetur de aliquo sensibili, oportet vt certificetur per aliquid immutabilius eo: sed exemplar creatum, videlicet species intelligibilis, causata à sensibilibus, est mutabilius ipsa anima: ergo per tale exemplar, vt res sensibilis comparatur ad illud, non potest certificari de tali re sensibili.

2. *Scotus arguit contra Henricum.* Contra hanc rationem arguit Doctor, & deducit ad duo inconuenientia: quorum primum est, quia si anima non potest habere certitudinem de aliquo obiecto per aliquod mu tabile: ergo nec per actum intelligendi quodcunque obiectum quocunque lumine non potest habere certitudinem de aliquo obiecto: patet, quia actus intelligendi est mutabilis: imò tantùm esse habet in continuo *fieri*, vt infrà patebit *dist. præsenti quæst. vlt. in responsione ad vltimum argumentum: & in quodl. prolixè quæst.* 13. Siue ergo res sensibilis comparetur ad exemplar creatum; siue ad exemplar increatum: in quocunque lumine per nullum actum intelligendi, tale sensibile poterit anima certificari de tali sensibili, quod est contra ipsum. Secundum inconueniens est, quòd etiam ipse actus intelligendi nunquam in se erit verus, nec aliquam certitudinem continebit: & sic anima non poterit esse certa de aliquo actu suo intelligendi: quod est falsum. Probatur ex dictis Henrici: Si de illo, quod continuè mouetur non potest haberi certitudo: cùm ergo actus ille sit mutabilior ipsa anima: sequitur, quòd nunquam poterit esse certa de aliquo actu suo intelligendi: & sic intellectus reflectendo se super actum suum intelligendi, nullam certitudinem haberet de actu intelligendi: supra quem reflectitur: nec similiter aliquam de actu reflexiuo, cùm ille sit simpliciter mutabilior anima: quæ omnia sunt absurda.

3. c *Similiter secundùm opinionem istam.* Hîc Doctor deducit Henricum contra seipsum, quia dicebat quòd quando species intelligibilis causata à sensibilibus, occurrit cum specie illapsa, tunc habetur certitudo de obiecto sensibili. Contra hoc arguit: ostendendo contrà quòd nulla tunc haberetur certitudo de re sensibili: aut oportebit eum dicere, quòd de re sensibile potest haberi certitudo per exemplar creatum. Primum probatur, quòd tunc nulla esset certitudo: quia quando aliquid concurrit, quod repugnat certitudini, per illud nunquam potest haberi certitudo: quia quando propositio contingens concurrit cum altera de necessario, nunquam potest sequi conclusio de necessario, sed tantùm de contingenti: sic quando exemplar creatum, quod repugnat certitudini concurrit cum specie illapsa, per quam habetur certitudo, nunquam ex his duobus simul concurrentibus habebitur certitudo. Et si vult dicere, quòd habetur certitudo, tunc oportet eum concedere, quòd exemplar creatum non repugnat certitudini. *Quando propositio cõtingens concurrit cum altera de necessario nunquam potest sequi conclusio de necessario, sed tantum de contingente.*

Instantia. Si dicatur, quòd hæc ratio, quam facit Doctor contra Henricum, etiam contra ipsum Doctorem concluderet, qui sic arguit de fide infusa, & fide acquisita *in quodl. quæst.* 14. *art.* 1. Quando ad eundem actum concurrit regula fallibilis, licèt cum regula infallibili, ille actus non est infallibilis. Probatur per simile: quia ex duabus præmissis, quarum vna est necessaria, & alia contingens, non sequitur conclusio necessaria: & ratio, quia quod dependet ex pluribus non potest esse perfectioris conditionis quocunque illorum: nunc autem quicunque actus credendi, ad hoc quòd eliciatur, dependet à fide acquisita mouente; igitur si illa sit fallibilis, nunquam actus elicitus erit ex principio tali: supple ex fide infusa, quæ dicitur regula infallibilis: quin sibi posset subesse falsum: hæc ibi. Sic erit in proposito: quia diceretur, quòd quamuis certitudo sit à specie illa illabente, vt à regula infallibili, & à specie intelligibili causata à sensibilibus, vt à regula fallibili: non tamen sequitur incertitudo obiecti sensibilis. *An ex duabus præmissis quarum vna est necessaria, & alia contingens, sequatur conclusio necessaria.*

4. *Solutio.* Dico, quòd non est simile de fide infusa, & fide acquisita: quia certitudo actus, vt est à fide infusa, semper est determinatè vera: ita quòd talis actus simpliciter dicitur determinatè verus: licèt cum fide infusa concurrat fides acquisita, & simul inclinet ad eundem actum: nunquam tamen certitudo actus habetur à fide acquisita, vt talis est: sed tantùm à fide infusa: quia fidei infusæ nunquam potest subesse actus falsi: inclinationi verò fidei acquisitæ, quantùm est ex parte sua potest subesse actus falsi. Si ergo certitudo actus credendi dependeret ab vtroque habitu: tunc argumentum Doctoris concluderet contra seipsum: sed quia tota certitudo actus credendi accipitur ab habitu infuso: licèt cum illo concurrat fides acquisita: patet quod argumentum Doctoris, de fide infusa, & acquisita non concludit. Argumentum verò factum cõtra Henricum, concludit contra ipsum Henricum, quia ipse vult, quòd certitudo de aliquo sensibili simul dependeat à specie intelligibili, causata à sensibilibus, quæ est regula fallibilis: & à specie infusa, quæ est regula infallibilis. *Nota de fide infusa, & acquisita.*

d *Idem etiam patet de tertia ratione.* Doctor hîc improbat tertiam rationem Henrici, quæ talis erat. Quia ex quo anima per exemplar creatum non potest discernere verum à verisimili: sequitur quòd per tale exemplar non poterit habere certitudinem de aliquo sensibili. Probat antecedens,

dens, quia talis species intelligibilis potest repræsentare se, tanquam se intellectui, & se tanquam obiectum: sicut est in somnis: si repræsentat se tanquam se, veritas est: si verò se tanquam obiectum, falsitas est. Contra hoc arguit Doctor, non contra rationem istam in se, sed reducendo Henricum ad alterum inconuenientium: videlicet quòd vel nulla erit certitudo de sensibili, quantumcunque alia species infusa concurrat cum ista specie intelligibili, quod est contra ipsum; vel oportebit Henricum dicere, quòd per talem speciem intelligibilem poterit haberi certitudo de sensibili.

Scotus arguit contra Henricum.

5. e *Quòd autem ista conclusio non sit secundùm mentem Augustini*, &c. Nunc Doctor probat ex dictis Augustini quòd potest haberi certitudo de sensibilibus, vel de abstractis ab eis, absque speciali lucis increatæ illustratione: cuius oppositum asserebat Henricus, dicens fuisse intentionem Augustini, videlicet quòd de sensibilibus nulla esset certitudo. Probatur ergo per Augustinum quòd possit haberi sincera veritas, & certitudo, &c. patet per August. secundo Solil. *Spectamina disciplinarum*, id est, principia scientiarum *quisque verissima esse nulla dubitatione concedit*: ergo de principiis scientiarum potest esse certitudo, & infallibilitas: quæ tamen principia sumuntur à visibilibus.

Idem etiam probat per Boëtium de Hebdom. *Communis*, inquit, *animi conceptio est, quam quisque probat auditam*, id est, conceptio alicuius propositionis per se notæ ab omnibus intelligentibus terminos illius propositionis, & vnionem terminorum: est supple fundamentaliter propositio, quam vnusquisque probat, id est, scit euidenter esse veram, quando audit eam præconcipiendo terminos, & vnionem terminorum. Deinde probat auctoritate Aristotelis 2. Met. text. comm. 1. *Prima*, inquit, *principia sunt omnibus nota, sicut ianua in domo: quia ianua neminem latet: licèt interiora domus lateant.*

6. f *Ex his tribus auctoritatibus.* Hîc intendit probare, quòd non tantùm possit via naturali haberi certitudo de principiis, per se notis: sed etiam de omnibus conclusionibus virtualiter contentis in eis: & argumentum stat in hoc: Illud est simpliciter naturale, quod sequitur naturam alicuius speciei; siue quod consequitur ad naturam alicuius speciei: hoc patet: sed posse habere certitudinem infallibilem de primis principiis, & de conclusionibus virtualiter contentis in eis, consequitur naturam speciei humanæ: ergo talis certitudo infallibilis potest haberi naturaliter. Probatur minor, quod conuenit omnibus alicuius speciei, sequitur naturam specificam: sed posse habere certitudinem infallibilem de principiis primis, &c. conuenit omnibus indiuiduis speciei humanæ. Hoc patet per tres auctoritates suprà positas, scilicet Augustini, Boëtij, & Aristotelis. Si ergo potest haberi certitudo infallibilis de principiis primis: etiam potest haberi certitudo de conclusionibus virtualiter contentis in eis. Hoc probat, quia cuilibet naturaliter euidens forma syllogismi perfecti: sicut patet ex definitione syllogismi perfecti primo Priorum cap. 1. quæ talis est: *Syllogismus perfectus est, qui nullius indiget præter illa, quæ sumpta sunt, vt appareat necessarius. Syllogismus verò imperfectus est, qui indiget vnius, aut plurium: quæ sunt necessaria per sumptos terminos: non autem per sumptas propositiones.* Qui imperfectus potest exponi, quòd est ille, *qui vnius indiget*, id est, vno, videlicet conuersione, vel transpositione: *aut plurium*, id est pluribus, scilicet conuersione simul, & transpositione: *quæ quidem sunt necessaria.* Nam syllogismi habent euidentem necessitatem illationis; *per sumptos terminos*, id est, quòd manent idem termini: *non autem per sumptas propositiones*: quia non manent eædem propositiones: patet, quia imperfectus, vt reducatur ad perfectum, indiget conuersione alicuius, vel aliquarum propositionum. Syllogismus ergo perfectus dicitur ille, qui nullius indiget: quia nec conuersione, nec transpositione: vt sunt duo primi modi primæ figuræ: omnes autem alij ad hoc, vt dicantur simpliciter perfecti reducuntur vel ad *Barbara*, vel ad *Celarent*, vt patet primo Priorum. Hæc volui explicare propter iuuenes.

Syllogismus imperfectus indiget vnius aut plurium.

Syllogismus perfectus nullius indiget.

g *Secundò apparet.* Hîc Doctor probat per Augustinum, quòd non tantùm habemus certitudinem de principiis per se notis: & de conclusionibus per se contentis, sed etiam de multis contingentibus, & de multis, quæ fiunt nota per experientiam. & auctoritates Augustini sunt claræ in litera.

SCHOLIVM.

Probat efficaciter contra Henr. dari certitudinem quoad principia, & conclusiones ex eis illatas, etiamsi sensus omnes deciperentur, & ostendit clarè quomodo.

QVantum [a] ad secundum articulum, vt in nullis cognoscibilibus locum habeat error Academicorum, videndum est qualiter de tribus cognoscibilibus prædictis, scilicet de principiis per se notis, & de conclusionibus.

Secundò de cognitis per experientiam.

Tertiò de actibus nostris, an possit naturaliter haberi certitudo infallibilis.

Non potest stare apprehēsio terminorum alicuius principij, & cōpositio eorū quin stet cōformitas, & perceptio cōformitatis ad terminos.

Quantùm ad certitudinem de principiis, dico sic, quòd termini principiorum per se notorum talem habent identitatem, vt alter euidenter necessariò alterum includat & ideò intellectus componens illos terminos, ex quo apprehendit eos, habet apud se necessariam causam conformitatis illius actus ad ipsos terminos, quorum est compositio: & etiam causam euidentem illius conformitatis. & ideò necessariò patet sibi conformitas illa, cuius causam necessariam, & euidentem apprehendit in terminis: igitur non potest esse in intellectu apprehensio terminorum & compositio eorum, quin stet conformitas illius compositionis ad terminos, sicut non potest stare albedo, & albedo, quin stet similitudo. Hæc autem conformitas compositionis ad terminos est veritas compositionis:

tionis: ergo non potest stare compositio talium terminorum, quin sit vera; & ita non potest stare perceptio illius compositionis, & perceptio terminorum, quin stet perceptio conformitatis compositionis ad terminos, & ita perceptio veritatis, quia prima percepta euidenter includunt perceptionem illius veritatis.

Confirmatur [b] ratio ista per simile per Philosophum 4. *Met.* vbi vult, quòd oppositum primi principij, scilicet huiusmodi, *impossibile est idem esse & non esse*, non potest venire in intellectu alicuius: quia tunc essent opiniones contrariæ simul in mente: quod vtique verum est de opinionibus contrariis, id est, repugnantibus formaliter, quia opinio opinans esse de aliquo, & opinio opinans non esse de eodem, sunt formaliter repugnantes. Ita arguam in proposito repugnantiam aliquam intellectionum in mente, licèt non formalem, si enim stat in intellectu notitia totius & partis, & compositio eorum, cùm ista includant (sicut causa necessaria) conformitatem compositionis ad terminos, si stat in intellectu hæc opinio, quòd ista compositio sit falsa: stabunt notitiæ repugnantes non formaliter, sed notitia vna stabit cum alia, & tamen vna erit causa necessaria oppositæ notitiæ ad illam, quod est impossibile. Sicut enim impossibile est album & nigrum stare simul, quia sunt contraria formaliter, ita impossibile est simul stare album, & illud, quod est præcisa causa nigredinis, ita necessaria, quòd non potest esse sine ea absque contradictione. 8. *Text. 8. & 9.* *Si dares oppositum primi principij, opiniones contrariæ simul essent in mente, & declaratur.*

Habita euidentia, vel certitudine de principiis primis, patet quomodo habetur de conclusionibus illatis ex eis, propter euidentiam formæ Syllogismi perfecti, cùm certitudo conclusionis tantummodo dependeat ex certitudine principiorum, & ex euidentia illationis. *1. Post. text. 5.*

Sed nunquid [c] in ista notitia principiorum & conclusionum non errabit intellectus, si sensus decipiantur omnes circa terminos?

Respondeo, quòd quantùm ad istam notitiam, intellectus non habet sensus pro causa, sed tantùm pro occasione: quia intellectus non potest habere notitiam simplicium, nisi acceptam à sensibus, illa tamen accepta potest simplicia virtute sua componere, & si ex ratione talium simplicium sit complexio euidenter vera, intellectus virtute propria & terminorum, assentiet illi complexioni, non virtute sensus, à quo accipit terminos exteriùs. Exemplum, si ratio totius & ratio maioritatis accipiantur à sensu, & intellectus componat istam: *omne totum est maius sua parte*, intellectus virtute sui & istorum terminorum assentiet indubitanter isti complexioni, & non tantùm quia vidit terminos coniunctos in re, sicut assentit isti, Socrates est albus, quia vidit terminos in re vniri. Immò dico, quòd si omnes sensus essent falsi, à quibus accipiuntur tales termini, vel quod plus est ad deceptionem, aliqui sensus essent falsi, & aliqui sensus veri: intellectus circa talia principia non deciperetur, quia semper haberet apud se terminos, qui essent causa veritatis, vtpote si alicui cæco nato essent impressæ miraculosè in somniis species albedinis & nigredinis: & illa remanerent pòst in vigilia, intellectus abstrahens ab eis componeret istam, *album non est nigrum*, & circa istam non deciperetur intellectus, licèt termini accipiantur à sensu errante, quia ratio formalis terminorum, ad quam deuentum est, est necessaria causa veritatis huius negatiuæ. *An possit errare intellectus circa principia & conclusiones necessarias, si sensus decipiantur? Quomodo sensus causat notitiam principij?*

COMMENTARIVS.

1. a QVantum ad secundum articulum. Hîc Doctor intendit probare, quòd de tribus naturaliter possumus habere certitudinem infallibilem: videlicet de principiis per se notis, & de conclusionibus. Secundò de cognitis per experientiam. Et tertiò de actibus nostris.

Primum ibi: *Quantum ad certitudinem de principiis.* Hæc litera satis patet: & prolixiùs suprà *d.2. quæst.2.* & clarè exponam respondendo ad præsentem quæst. Tota ergo ista ratio stat in hoc, videlicet quòd est impossibile alicui intellectui, stante apprehensione terminorum propositionis per se notæ, & compositionis eorum, quin habeat certam, & infallibilem veritatem de conformitate illius compositionis ad terminos. Est enim impossibile, quòd aliquis cognoscat totum, & partem, & compositionem horum terminorum, quin habeat certitudinem infallibilem de conformitate compositionis terminorum.

b *Confirmatur ratio ista per simile per Philosophum* Et litera stat in hoc, scilicet quòd duæ notitiæ, siue duæ opiniones dicuntur formaliter repugnare, quando simul de eodem repugnant: vt de homine assentio, quòd est homo: & simul assentio, quòd non est homo. Nam isti duo assensus formaliter inter se repugnant: quia vnus formaliter expellit alium. Et duæ notitiæ, siue duæ opiniones, vel duo assensus dicuntur virtualiter repugnare, quando vna est causa alicuius effectus, qui formaliter repugnat effectui alterius causæ: vt suprà exposui, *dist. 2. quæst. 1.* exponendo primum argumentum principale. Modò notitia, qua cognosco totum, & partem, & qua cognosco vnionem illorum inter se, est causa necessaria huius conformitatis, & veritatis: videlicet quòd totum est maius sua parte. Si ergo stat in intellectu, quòd ista compositio, siue vnio totius, & partis sit falsa: tunc notitia talis compositionis

erit causa necessaria huius falsitatis, scilicet quòd omne totum est maius sua parte: quia ergo p̄ ima notitia, qua cognosco esse veram vnionem inter totum, & partem, est causa necessaria veritatis: & notitia, qua cognosco compositionem esse falsam, est causa necessaria falsitatis: ideò istæ duæ notitiæ repugnant virtualiter: quia sunt duæ causæ necessariæ duorum effectuum, inter se formaliter repugnantium: & sic patet litera ista.

2. c *Sed nunquid in ista notitia principiorum, & conclusionum non errabit intellectus: si sensus omnes decipiantur circa terminos?*

Quomodo intellectus non habeat sensum pro causa, sed tantum pro occasione.

Respondet Doctor quòd habita cognitione sensibilium per sensus, nunquam intellectus errabit: & dicit duo in ista litera. Primum, quòd intellectus non habet sensum pro causa: sed tantùm pro occasione: quia cognitio alicuius complexionis necessariæ, nec in *esse*, nec in *fieri* dependet ab aliquo sensu: & vt clariùs hoc intelligatur pono talem ordinem. Potentia visiua accipit speciem sensibilem ab aliquo sensibili extrà, puta ab albedine, & videt illam: deinde in virtute phantastica causatur phantasma singularis albedinis, priùs visæ: deinde virtute phantasmatis, & intellectus agentis causatur species intelligibilis albedinis, qua repræsentat albedinem in se: & sicut dico de isto sensibili, ita de omnibus aliis. Habita ergo specie intelligibili albedinis, & specie intelligibili coloris, illæ species intelligibiles vnà cum intellectu causant cognitionem terminorum: quibus terminis cognitis statim intellectus, nullo sensu cooperante, nec interiori, nec exteriori, potest formare compositionem illorum, & perfectè cognoscere compositionem eorum: ita quòd notitia talis compositionis, puta omnis albedo est color: statim erit sibi euidens.

Patet ergo quomodo intellectus, habita cognitione habituali plurium terminorum, virtute propria potest causare, nedum cognitionem actualem illorum terminorum (concurrente tamen specie intelligibili, vt partiali causa) sed etiam potest causare compositionem, & vnionem illorum: & eandem perfectè cognoscere: & sic non dependet à sensu: imò si omnis sensus erraret circa aliquod complexum, nunquam intellectus erraret, stante cognitione habituali terminorum, vel actuali. (Et voco pro nunc *cognitionem habitualem terminorum*, quando termini sunt præsentes intellectui in ratione obiecti intelligibilis per speciem intelligibilem. Dico *actualem*, quando actu ab intellectu cognoscuntur) patet, quia si potentia visiua iudicaret rubeum esse viride: stante cognitione in intellectu istorum terminorum *rubei*, & *viridis*: intellectus haberet infallibilem certitudinem, quòd rubeum non esset viride. Secundum dictum est ex intentione Doctoris quòd si sensus erraret circa complexum: & hoc, vel aliqui sensus tantùm, vel etiam omnes simul, adhuc intellectus non erraret: quia semper haberet apud se terminos, qui essent causa veritatis: sed hoc infrà clariùs patebit. 3.

SCHOLIVM.

Ostendit qualis certitudo habetur per experientiam; & quòd quandoque ex veritate experta, deuenitur ad principium notum, ex quo eadem veritas propter quid rursus demonstratur, quandoque verò de ipso principio, immediatè experientia capitur.

9. *Quomodo experientia est infallibilis?*

DE secundis [a] cognoscibilibus, scilicet de cognitis per experientiam, dico, quòd licèt experientia non habeatur de omnibus singularibus, sed de pluribus, nec quòd semper, sed quòd pluries: tamen expertus infallibiliter nouit, quòd ita est, & quòd semper & in omnibus: & hoc per istam propositionem quiescentem in anima, quidquid euenit, vt in pluribus ab aliqua causa non libera, est effectus naturalis illius causæ. Quæ propositio nota est intellectui, licèt accepisset terminos eius à sensu errante: quia causa non libera non potest producere vt in pluribus effectum, ad cuius oppositum ordinatur, vel ad quem ex forma sua non ordinatur: sed causa casualis ordinatur ad producendum oppositum effectus casualis, vel non ad istum producendum: ergo nihil est causa casualis respectu effectus frequenter producti ab eo, & ita si non est libera, est naturalis.

1. Physicor. text. 48. Causa naturalis & casualis quomodo differunt?

Quòd autem iste effectus euenit à tali causa producente, vt in pluribus, hoc acceptum est per experientiam, quia inueniendo nunc talem naturam cum tali accidente, nunc cum tali, inuentum est, quòd quantumcunque esset diuersitas accidentium talium, semper istam naturam sequebatur talis effectus: ergo non per aliquod accidens per accidens illius naturæ, sed per naturam ipsam in se consequitur talis effectus.

Vt inquit Aristot. 1. Poster. t. 1. Aliquando ex cōclusione experta venitur ad principium per se notum ex quo eadē concl. demōstratur.

Sed vlteriùs notandum [b], quòd quandoque accipitur experientia de conclusione, puta, quòd Luna frequenter eclipsatur, & tunc supposita conclusione, quia ita est, inquiritur causa talis conclusionis per viam diuisionis, & quandoque deuenitur ex conclusione experta ad principia nota ex terminis. & tunc, ex tali principio noto ex terminis, potest conclusio, priùs tantùm per experientiam nota, certiùs cognosci, scilicet primò genere cognitionis; quia vt deducta ex principio per se noto, sicut illud est per se notum, quòd opacum interpositum inter luminosum videlicet & perspicuum, impedit luminis multiplicationem ad tale perspicuum: & si inuentum fuerit per diuisionem, quòd terra est tale corpus interpositum inter Solem & Lunam, scietur certissimè demonstratione *propter quid*, & non tantùm per experientiam, sicut sciebatur illa conclusio ante inuentionem principij.

Quandoque

Quandoque autem est experientia de principio, ita quòd non contingit ampliùs per viam diuisionis vlteriùs inuenire principium notum ex terminis, sed statur in aliquo vero vt in pluribus, cuius extrema experimentatum est frequenter vniri. Puta quòd herba talis speciei est calida, nec inuenitur aliquod medium aliud prius per quod demonstretur passio de subiecto *propter quid*, sed statur in isto, sicut in primo noto, propter experientiam. Tunc licèt incertitudo & fallibilitas remoueantur per illam propositionem, effectus vt in pluribus alicuius causæ non liberæ, est naturalis effectus eius, tamen iste est vltimus gradus cognitionis scientificæ, & fortè ibi non habetur necessaria cognitio actualis vnionis extremorum, sed aptitudinalis. Si enim passio est res alia absoluta à subiecto, posset sine contradictione separari à subiecto, & expertus non haberet cognitionem, quia ita est, sed quia aptum natum est ita esse.

Quandoque experientia est de ipso principio quo nō est aliud notius.

COMMENTARIVS.

1. a *De secundis cognoscibilibus.* Hîc Doctor intendit probare, quomodo possumus habere certam, & infallibilem notitiam de notis per experientiam, & licèt litera Doctoris sit satis clara: tamen aliqualiter exponitur.

Notitia experimentalis pertinet ad intellectum.

Vnde nota, quòd notitia experimentalis propriè est notitia pertinens ad intellectum, non ad sensum: quæ tamen pro statu isto semper habet ortum à sensu, licèt aliquando dicatur notitia experimentalis, etiam notitia sensitiua. De hoc vide quæ exposui super primo Metaphys. Doctoris *quæst. quarta & quinta.* Experientia est notitia alicuius singularis, priùs tamen cogniti à sensu: vt puta, quòd hic ignis sit calidus: priùs habetur notitia aliqua à sensu tactus: quia tangendo ignem per accidens, statim tangens calefit: & tandem intellectus percipit, quòd talis ignis est calidus formaliter: quia efficit talem effectum. Et dicit Doctor quòd licèt experientia: puta de ista, quòd ignis sit calidus, non habeatur de omnibus singularibus, sed tantùm de pluribus, puta de isto igne, & de isto, & de isto: nec quòd semper, sed quòd pluries: tamen expertus infallibiliter nouit, quòd ita est, & semper, & in omnibus: supple, quòd ignis calefacit: & quòd semper calefaciat si habeat passum approximatum, & quòd hoc contingit in omnibus ignibus: quia nouit per experientiam, quòd iste ignis, & iste, & iste circa passum approximatum semper calefacit: & per istum idem iudicat de alio eiusdem speciei. Sequitur: *Et hoc per istam propositionem quiescentem in anima,* &c.

Propositio quiescens in anima.

2. Ad hoc enim, vt aliquis sit certus quòd ignis semper calefaceret passum approximatum dispositum, & quòd omnia indiuidua ignis sint huiusmodi, hoc cognoscit infallibiliter: quia certitudinaliter scit quòd omne illud, quod euenit à causa naturali, siue non libera, est effectus eius naturalis: & quia scit ignem non esse causam liberam calefaciendi: & nouit per experientiam, quòd hic ignis calefacit, & ille; sequitur quòd habebit certam, & infallibilem notitiam de isto vniuersali: quòd omnis ignis natus est producere calefactionem; & quod semper actu calefacit calefactibile approximatum, & dispositum: quia ignis est causa naturalis, & per consequens de necessitate agit. Sequitur: *Quia causa non libera non potest producere*, id est, quòd ex quo causa naturalis, siue non libera, ordinatur ad producendum talem effectum, puta calefacere; vel quòd herba talis speciei sit naturaliter ordinata ad talem effectum, vt in pluribus producit illum effectum: & si aliquando oppositum illius effectus casualiter eueniat, hoc non erit ex forma talis causæ: sed magis propter aliquod extrinsecum: patet, quia ipsa semper, & necessariò, cùm non sit causa libera, intendit producere effectum, ad quem ordinatur: & hoc est quod intendit Doctor.

b *Sed vlteriùs notandum.* Deinde dicit duas conclusiones. Prima est, quòd aliquando habetur notitia experimentalis de conclusione: quia notum est sæpè intellectui, quòd Luna eclipsatur: & tunc habita tali cognitione, intellectus per diuisionem quærit media, & causas *propter quid*: & inuentâ causâ, eandem conclusionem priùs notam per experientiam demonstratiuè ostendit: & tunc cognitio conclusionis, sic à priori demonstrata est in primo genere cognitionis: tunc enim perfectiori modo cognoscit, quo possit. Sicut etiam notum est per experientiam, quòd omnis homo est risibilis: & tunc intellectus diuidendo petit causam immediatam risibilitatis: vt patet 2. *Posterior.* quâ inuentâ statim eandem conclusionem à priori demonstrat. 3.

Secunda conclusio est ibi: *Quandoque autem est experientia de principio*, &c. *Tunc licèt incertitudo, & fallibilitas remoueantur per illam propositionem*, supple quiescentem in anima: videlicet, *effectus vt in pluribus alicuius causæ non liberæ, est naturalis effectus eius.* Tamen iste est vltimus gradus cognitionis scientificæ, ex hoc videlicet, quòd non contingit demonstrari per aliquid prius. Sequitur: *Et fortè ibi non habetur necessaria cognitio actualis vnionis extremorum: sed aptitudinalis*, id est, quòd non cognoscitur caliditas talis herbæ actu necessariò inesse herbæ talis speciei: sed si talis passio, puta caliditas cognoscitur inesse necessariò. Hoc verum est, loquendo de aptitudine. & sensus est: Herba talis speciei est apta nata esse sic, vel sic calida.

Si enim passio est res illa absoluta, &c. Hîc à Doctore habetur quòd si accipiatur *passio* pro re absoluta, puta pro actuali caliditate herbæ talis speciei, vt in pluribus talis passio realiter distinguitur à subiecto. Si verò accipiatur *passio* pro aptitudine ad rem absolutam, talis aptitudo non distinguitur realiter. Primo modo accipiendo *passionem* expertus non haberet cognitionem, quia ita est: supple necessariam: sed diceretur habere cognitionem necessariam, quando cognosceret herbam talis speciei ita esse aptam natam, &c. 4.

SCHOLIVM.

Hominem velle, videre, audire, &c. sunt propositiones per se nota, seu certa & sincera veritatis, non obstante illusione quacunque, explicatur certitudo eorum, qua subsunt sensuum actibus, verbi gratia, esse album, vel rubrum, quod sic apparet, & docetur quomodo intellectus corrigit sensum errantem, per aliquam propositionem in se manentem, & per adminiculum aliorum sensuum.

10. *Text. 16.* DE tertiis cognoscibilibus, scilicet de actibus nostris, dico, quòd est certitudo de multis eorum, sicut de principiis per se notis: vt patet 4. *Metaph.* vbi dicit Philosophus de rationibus dicentium omnia apparentia esse vera, quòd istæ rationes quærunt vtrùm nunc dormiamus, an vigilemus. *Possunt autem idem omnes dubitationes tales. omnium enim rationem hi dignificant esse.* Et subdit: *Rationem quærunt, quorum non est ratio. demonstrationis enim principij non est demonstratio:* igitur per ipsum ibidem, nos vigilare, est per se notum sicut principium demonstrationis.

q. 3. prolog. n. 13. & 4. Metaph. q. 2. & in Quodl. 7. & infr. d. 8. ad finem. Nec obstat, quòd est contingens, quia (sicut dictum fuit aliàs) ordo est in contingentibus, quòd aliqua est prima & immediata, alioquin vel esset processus in infinitum in contingentibus, vel aliquod contingens sequeretur ex causa necessària, quorum vtrumque est impossibile. Et sicut est certitudo de *vigilare*, sicut de per se noto: ita etiam de multis aliis actibus, qui sunt in potestate nostra, vt de *me intelligere*, de *me audire*, & sic de aliis, qui sunt actus perfecti Licèt enim non sit certitudo, quòd videam album extrà positum, vel in tali subiecto, vel in tali distantia: quia potest fieri illusio in medio, vel in organo, & multis aliis viis: tamen certitudo est, quòd video, etiam si illusio fiat in organo, quæ illusio in organo maxima illusio videtur esse, puta quando actus fit in organo ipso, non ab obiecto præsente, qualis natus est fieri ab obiecto præsente, & ita potentia haberet actum suum posita tali illusione, vel passione & verè esse illud ibi, quod visio dicitur, siue sit actio, siue passio, siue vtrumque. Si autem illusio fieret non in organo proprio, sed in aliquo proximo, quod videtur organum, sicut si non fieret illusio in concursu neruorum, sed in ipso oculo fieret impressio speciei, qualis nata est fieri ab obiecto, adhuc visus videret: quia talis species, vel quod natum est videri in ea, videretur, quia haberet sufficientem distantiam respectu organi visus, quod est in concursu istorum neruorum, sicut patet per Augustinum 11. de Trinit. quòd *reliquiæ visorum remanentes in oculo, oculis clausis videntur*, & per Philosophum, de Sensu, & Sensato, quòd ignis, qui generatur ex eleuatione oculi violenta, & multiplicatur vsque ad palpebram clausam, videtur, istæ sunt veræ visiones, licèt non perfectissimæ: quia hîc sunt sufficientes distantiæ specierum ad organum principale visus.

Per se notū quod videmus, audimus, &c. non obstante quacunque illusione. *Cap. 1.* *Cap. 2.* *Aliqua videtur clausis oculis.*

11. Sed quomodo habetur certitudo eorum, quæ subsunt actibus sensus? puta, quòd aliquod extrà est album, vel calidum, quale apparet.

Respondeo, aut circa tale cognitum opposita apparent diuersis sensibus, aut non; sed omnes sensus cognoscentes illud, habent idem iudicium de eo. Si secundo modo, tunc certitudo habetur de veritate talis cogniti per sensus, & per illam propositionem præcedentem, *quod euenit, vt in pluribus ab aliquo, est effectus naturalis eius, si non sit causa libera:* ergo cùm ab isto præsente euenit, vt in pluribus sit talis immutatio sensus, sequitur, quòd immutatio, vel species genita sit effectus naturalis talis causæ, & ita tale extrà erit album, vel calidum, vel tale, quale natum est repræsentari per speciem genitam ab ipso, vt in pluribus. Si autem diuersi sensus habent diuersa iudicia de aliquo viso extrà, puta visus dicit baculum esse fractum, cuius pars est in aqua, & pars in aëre, & tactus potest experiri contrarium. Visus etiam semper dicit Solem esse quantitatis minoris, quàm est, & omne visum à remotis esse minus, quàm sit, in talibus est certitudo, quid verum sit, & quis sensus erret, per propositionem quiescentem in anima certiorem omni iudicio sensus, & per actus plurium sensuum concurrentes, ita quòd semper aliqua propositio rectificat intellectum de actibus sensus, quis sit verus & quis fallat: in qua propositione intellectus non dependet à sensu sicut à causa. Sed sicut ab occasione. Exemplum, intellectus habet hanc propositionem quiescentem: nullum durius frangitur ad tactum alicuius mollis sibi cedentis. Hæc est ita per se nota ex terminis, quòd etiam si essent accepti à sensibus errantibus, non potest intellectus dubitare de illa propositione: immò oppositum includit contradictionem, scilicet quòd baculus sit durior aqua, & quòd aqua sibi cedit; hoc dicit vterque sensus tam visus, quàm tactus, sequitur igitur quòd baculus non est fractus, sicut sensus visus iudicat ipsum fractum: & ita quis sensus errat, & quis non, circa fracturam baculi, intellectus iudicat per certius omni actu sensus.

Quando sensus diuersi aliter & aliter iudicant de obiecto, intellectus iudicat quis sensus sit verus, quis fallax, & quomodo? exemplum de baculo in aqua, quem visus putat fractum, tactus integrum.

Similiter

Similiter ex alia parte, quòd idem quantum applicatum quanto, omnino est æquale sibi, hoc est notum intellectui quantumcunque notitia terminorum accipiatur à sensu errante: sed quòd idem quantū possit applicari viso propinquo,& remoto,hoc dicit tam visus,quàm tactus:ergo quantum visum,siue propè,siue à remotis,est æquale:igitur visus dicens hoc esse minus, errat. Hæc conclusio concluditur ex principiis per se notis,& ex actibus duorum sensuum cognoscentium,vt in pluribus ita esse. Et ita vbicunque ratio iudicat sensum errare,hoc iudicat non per aliquam notitiam præcisè acquisitam à sensibus vt à causa,sed per aliquam notitiam occasionatam à sensu,in qua non fallitur, etiam si omnes sensus fallantur; & per aliquam aliam notitiam acquisitam à sensu,vel à sensibus, vt in pluribus, quæ sciuntur esse vera per propositionem sæpè allegatam, scilicet quod euenit vt in pluribus,&c. 12.

Ex principio per se noto & ex duobus sensibus constat decipi visum dum putat æquale, si est remotum esse minus.

ADDITIO.

Nota ergo quòd notitia principij est immutabilis à veritate in falsitatem, non aliter: quia simpliciter est corruptibilis. Sic species intelligibilis est delebilis vt phantasma, sed immutabilis à vera repræsentatione in falsam. Sed oppositum, licèt corruptibile, tamen est immutabile à vera entitate in falsam,& ideò est conformatiuum notitia sibi, seu causatiuum notitiæ veritatis suæ in essendo, quia entitas vera immutabilis in falsam, virtualiter continet notitiam veram immutabiliter conformem entitati suæ.

Notitia etiam secundùm Augustinum, verum necessarium, vel immutabile est supra mentem.Intellige in ratione veritatis euidentis,quia hanc de se causat immediatè, non autem secundùm eius euidentiam subest menti,vt posset sibi apparere vera vel falsa,sicut verum probabile menti subest, vt ipsa possit facere illud apparere verum vel falsum,quærendo rationes hinc inde, per quas probetur & improbetur.

Sic intelligendum est,quòd mens non iudicat de vero immutabili, sed de aliis, quia dicam, quòd sit verum: hic est actus iudicandi, & est in potestate mentis respectu probabilis,non autem respectu necessarij, nec tamen minùs perfectè asserit de necessario, quòd ipsum sit verum. & hæc assertio apud Aristotelem, potest dici iudicium. sic patet, quomodo de conclusione necessaria mens iudicat,quia non est statim euidens ex se.Ideò non determinat euidentiam suiipsius menti:potest etiam mens rationes Sophisticas adducere contra eam, per quas dissentiat, non sic contra primum notum, quarto Metaphysicæ, in mente venire. Sed Augustinus vult intantum esse in potestate iudicantis,quòd non necessariò determinetur ab alio.

Vt inquit Aristot. 1. Post. t.27.

Text.8.

SCHOLIVM.

Satisfit argumentis Henrici positis num.3. quibus putat nullam veritatem sinceram naturaliter esse acquisibilem; in quorum solutione variam & solidam doctrinam ministrat Scotus.

QVantùm [a] ad tertium articulum,ex istis respondendum ad illas tres rationes. 13.

Ad primam,ad illud de mutatione obiecti antecedens est falsum,nec est opinio Augustini, sed Heracliti & discupuli sui Cratyli, qui nolebant loqui, sed mouere digitum,vt dicitur 4.*Metaph.* Et etiam consequentia non valet, dato quòd antecedens esset verum, quia adhuc secundùm Aristotelem, posset haberi certa cognitio de hoc, quòd omnia continuè mouentur. Non sequitur etiam [b],si obiectum est mutabile, ergo quod gignitur ab eo non est repræsentatiuum alicuius sub ratione immutabilis, quia mutabilitas in obiecto non est ratio gignendi,sed natura ipsius obiecti, quod est mutabile:genitum [c] igitur ab ipso repræsentat naturam per se,igitur si natura, vnde natura, habeat aliquam immutabilem habitudinem ad aliud, illud aliud per suum exemplar, & illa natura per suum exemplar,repræsentantur,vt immutabiliter vnita. & ita per duo exemplaria genita à duobus mutabilibus,non inquantum mutabilia, sed inquantum naturæ,potest haberi notitia immutabilis vnionis eorum.

Text.22.

De re mutabili gignitur notitia immutabilis, & de re contingenti veritas necessaria. Scot. q.3. prolog. q.4.latè.

ADDITIO.

Contrà,quamuis obiectum non inquantum mutabile gignat,si tamen est mutabile, quomodo eius ad aliquid est habitudo immutabilis?

Respondeo, habitudo est immutabilis sic,quia inter extrema non potest esse habitudo opposita, nec potest non esse ista, positis extremis, sed per destructionem extremi,vel extremorum destruitur.

Contrà, quomodo est propositio affirmatiua necessaria, si identitas extremorum potest destrui?

Respondeo,quando res non est,non est identitas eius realis,sed tunc si est in intellectu,est identitas vt est obiectum intellectum,& necessaria secundùm quid, *quia in tali* esse, *extrema non possunt esse sine identitate: tamen illa potest non esse, sicut extrema possunt non esse intellecta: igitur propositio est necessaria in intellectu nostro secundùm* quid, *quia immutabilis in*

in falsam, sed simpliciter necessaria non, nisi in intellectu diuino: sicut nec extrema habent identitatem simpliciter necessariò in aliquo esse, nisi in illo esse intellecto.

Immutabile repræsentatur per mutabile, & infinitum per finitum. Patet [d], etiam quòd per repræsentatiuum in se mutabile, potest repræsentari aliquid sub ratione immutabilis, quia essentia Dei sub ratione immutabilis, repræsentatur intellectui per aliquid omnino mutabile, siue illud sit species, siue actus. Hoc [e] patet per simile, quia finitum potest repræsentare aliquid sub ratione infiniti.

14. Ad secundam dico [f], quòd in anima potest intelligi duplex mutabilitas, vna ab affirmatione in negationem, & è conuerso: puta ab ignorantia ad scientiam, vel à non intellectione ad intellectionem. Alia, quasi à contrario in contrarium: puta à rectitudine ad deceptionem, & è conuerso; anima autem (quo ad quæcunque obiecta) est mutabilis prima mutabilitate, & per nihil formaliter in ea existens, tollitur ab ea talis mutabilitas: sed non est mutabilis secunda mutabilitate, nisi circa illa complexa, quæ non habent euidentiam ex terminis. Circa illa verò, quæ sunt ex terminis euidentia, mutari non potest secunda mutabilitate: quia ipsi termini apprehensi sunt causa necessaria conformitatis compositionis ad ipsos terminos: igitur si anima est mutabilis à rectitudine in errorem absolutè: non sequitur quòd nihil aliud à se potest rectificari: quia saltem rectificari potest circa illa obiecta, circa quæ non potest intellectus errare apprehensis terminis.

Anima à falsò in verum & è contra mutari potest, sed tantùm quoad obiecta non euidentia ex terminis.

Henric. quodlib. 5. q. 14. Ad tertiam [g], si aliquam apparentiam haberet, magis concluderet contra opinionem illam, quæ negat speciem intelligibilem: quia illa species, quæ potest repræsentare se tanquam obiectum in somnis, est phantasma, non species intelligibilis: igitur si intellectus solo phantasmate vtatur, per quod obiectũ est sibi præsens, & non alia specie intelligibili? non videtur quòd per aliquid, in quo obiectum sibi relucet, posset discernere *verum* à verisimili. Sed ponendo speciem intelligibilem in intellectu, non valet ratio: quia intellectus non potest vt illa, vt per se obiecto, quia non contingit vt illa in dormiendo.

Phantasma repræsentat se vt obiectum in somno, non species intelligibilis, quæ verum tantum repræsentat.

Si obiicias, quòd phantasma potest repræsentare se vt obiectum, igitur intellectus propter illum errorem virtutis phantasticæ, potest errare, vel saltem ligari, ne possit operari, vt patet in somnis, & phreneticis.

Potest dici, quòd si ligetur, quando est talis error in virtute phantastica, non tamen errat intellectus, quia tunc non habet aliquem actum. Sed quomodo sciet intellectus, vel erit intellectus certus, quando non errat virtus phantastica, quam tamen non errare requiritur ad hoc, vt intellectus non erret?

Quomodo scit intellectus phantasiam errare? declaratur. Respondeo, ista veritas quiescit in intellectu, quòd potentia non errat circa obiectum proportionatum nisi indisposita sit, & notum est intellectui virtutem phantasticam non esse indispositam in vigilia, tali indispositione, quæ facit phantasma repræsentare se tanquam obiectum, quia per se notum est intellectui, quòd intelligens vigilat, & ita quòd virtus phantastica non est ligata in vigilia sicut in somnis.

15. Sed adhuc instatur contra istam certitudinem dictam de actibus hoc modo: videtur mihi, quòd videam, vel audiam, vbi tamen non video, vel audio: ergo de hoc non est certitudo.

Respondeo, quòd aliud est contra negantem aliquam propositionem ostendere eam esse veram; aliud est alicui admittenti eam ostendere, quomodo sit vera. Exemplum, 4.

Text. c. 9. *Metaphysicæ*, vbi contra negantes primum principium non inducit Philosophus illud inconueniens, quòd *opiniones contrariæ simul essent in animo:* quia hoc ipsi concederent sicut præmissam: sed inducit eis alia inconuenientia manifesta eis; licèt non in se: sed recipientibus primum principium, ostendit quomodo sit notum primum principium: quia ita notum est, quòd oppositum eius non possit euenire in mente: quod probat, quia tunc possent opiniones contrariæ simul inesse. Talis conclusio est magis ibi inconueniens, quàm hypothesis, ita hîc, si contendis mecum nullam propositionem esse per se notam, nolo disputare tecum. Constat enim, quòd tu es proteruus: quia non es persuasus, sicut

Text. c. 10. 18. & 24. patet in actibus tuis, quomodo obiicit Philosophus 4. *Metaphysicæ:* somnians enim de aliquo quasi de proximo obtinendo, & postea euigilans, non prosequitur illud, sicut prosequeretur, si ita esset proximus vigilando ad illud consequendum: si autem admittas aliquam propositionem esse per se notam, oportet quòd possit cognosci, & circa quodcunque potest potentia indisposita errare, sicut patet in somnis. Igitur ad hoc, quòd aliqua cognoscantur esse per se nota, oportet quòd possit cognosci quando potentia est disposita, & quando non, & per consequens potest haberi notitia de actibus nostris, quod potentia est ita disposita, quod illa sunt per se nota, quæ apparent sibi per se nota.

Dico tunc ad formã illius cauillationis, quòd sicut apparet somnianti se videre, ita posset sibi apparere oppositũ vnius principij per se noti speculabilis. & tamen non sequitur,

quin

quin illud principium sit per se notum: ita non sequitur quin illud sit per se notum audienti quòd audiat; quia circa vtrumque potest potentia indisposita errare, non autem potentia disposita, & quando sit disposita, & quando non, hoc est per se notum, aliàs non posset cognosci aliquam aliam esse per se notam, quia non posset cognosci, quæ esset per se nota, vtrùm illa cui intellectus sic dispositus, vel sic, assentiret.

COMMENTARIVS.

1. a *QVantum ad tertium articulum.* In isto articulo respondet Doctor ad rationes Henrici priùs factas *. Ad primam ad illud de mutatione obiecti; antecedens est falsum, scilicet quòd obiectum continuè moueatur: nec est opinio Augustini, sed Heracliti 4. *Metaph. text. com.* 22. vbi Philosophus: *Amplius autem omnes videntes hanc motam naturam: de permutatione autem nihil verum dicemus. Circa verò omnino permutans non contingere verum dicere, ex hac existimatione pullulauit opinio dictorum summa, quæ est dicentium Heraclitizare: & qualem Cratylus habuit, qui tandem nihil opinatus est oportere dicere: sed digitum mouebat solùm: & Heraclitum increpauit dicentem bis in eodem flumine non est intrare. Ipse enim existimauit, nec semel.* Hæc Aristoteles.

* Num. 3.

Quiescentia tantùm sunt in apparētia secundū Heracl. & Cratylum.

Dicti Philosophi dicunt nihil esse verum, quia nihil fixum: sed omnia sensibilia erunt in continua permutatione. Et Heraclitus posuit omnia continuè moueri, & nihil esse determinatè verum: qui etiam opinatus est nihil oportere dicere, supple, verbo explicare: sed digitum mouere solùm, scilicet quòd volebat. Vnde, & Aristippum reprehendit dicentem: quia bis in eodem flumine non est intrandum, id est, quòd homo nō potest bis intrare: putabat enim iste Aristippus quòd antequā homo intraret secundò fluuium: prima aqua fluminis iam defluxerat: nec esse eandem, quæ priùs. Hîc enim, scilicet Heraclitus existimauit, scilicet quòd nec semel potest homo in eundem fluuium intrare: quia antequam semel etiam intraret: dicebat totam aquam defluxisse.

Opinio Aristippi.

Non sequitur etiam, Obiectum est mutabile, ergo
2. *quod gignitur ab eo, non est repræsentatiuum alicuius, sub ratione immutabilis,* &c.

Hoc dictum Doctoris tenet ex vna propositione, quam facit infrà, quæst. 6. præsentis dist. *Quæcunque species intelligibilis gignitur ab aliquo, repræsentat ipsum secundùm illam rationem, secundùm quam gignitur ab eo*; cùm ergo natura in aliquo ente mutabili sit ratio formalis gignendi speciem intelligibilem: vt infrà patebit *q.* 6. & natura, vt natura præcedit mutabilitatem: ergo species intelligibilis repræsentat illam absolutè: non autem sub ratione mutabilitatis. Et quòd mutabilitas non sit ratio formalis gignendi speciem intelligibilem, patet, quia illa species intelligibilis est entitas absoluta, vt infrà patebit *quæst.* 6. mutabilitas autem est entitas respectiua.

c *Genitum igitur ab ipso repræsentat naturam per se, igitur si natura, vnde natura*, puta natura albedinis, *habeat aliquam immutabilem habitudinem:* siue necessariam habitudinem *ad aliud:* puta ad colorem; *illud aliud per suum exemplar*, id est, color per propriam speciem intelligibilem, *& illa natura*, scilicet albedo, *per suum exemplar*, videlicet per propriam speciem intelligibilem, *repræsentantur, vt immutabiliter vnita:* siue vt necessariò vnita: & sic per illa exemplaria habetur infallibilis certi-
3. tudo, quòd albedo est color.

d *Patet etiam, quòd per repræsentatiuum*, &c. De specie patet, quia species intelligibilis infusa Angelis, per quam poterant cognoscere Deum sub ratione Deitatis, vt patet à Doctore *in* 2. *d.* 3. *q.* 9. repræsentabat Deum sub ratione Deitatis in ratione obiecti intelligibilis: & Deus sub ratione Deitatis est omnino immutabilis; sed talis species, cùm sit creata, est mutabilis. De actu etiam patet. Nam actus intelligendi Deum sub ratione Deitatis, est magis similitudo obiecti, quàm species intelligibilis: vt patet à Doctore *in* 2. & tamen ille actus cognoscendi, cùm sit creatura, est mutabilis, & est similitudo obiecti omnino immutabilis: sed de hoc *in q.* 15. *quodl.* diffusè exponā.

Mutabile repræsentat immutabile.

e *Hoc patet per simile: quia finitum potest repræsentare aliquid sub ratione infiniti*: patet de specie intelligibili infusa Angelis, quæ est finita: & tamen repræsentat Deum sub ratione infiniti: & similiter visio beatifica in intellectu creato est finita: & tamen repræsentat obiectum beatificum, sub ratione infinita. Dicit ergo Doctor, non est maior ratio, quòd infinitum repræsentetur per finitum, quàm quòd immutabile repræsentetur per aliquod mutabile.

Finitum potest repræsentare infinitum.

f *Ad secundam dico.* Hîc respondet ad secundam rationem Henrici. Sententia huius responsionis stat in duobus dictis. Primum, quòd anima est mutabilis ab ignorantia negatiuè, ad notitiam cuiuscunque obiecti, & è contra: & hoc patet. Secundum est, quòd circa principia per se nota nunquam mutatur à deceptione ad rectitudinem: nec è contra. Et hoc stante apprehensione terminorum, & vnione eorum: quia, vt suprà exposui, est impossibile intellectui apprehendenti terminos, & compositionem terminorum alicuius complexi per se noti, quin habeat infallibilem certitudinem de tali complexo: & sic, stante tali apprehensione, impossibile est ipsum decipi circa tale complexum. 4.

g *Ad tertiam.* Hîc respondet ad tertiā rationem Henrici, & dicit, quòd si illa ratio de vero, & verisimili haberet aliquam apparentiam, magis concluderet contra opinionē Henrici, qui negat speciem intelligibilem: vt patet per ipsum *quodl.* 5. *q.* 4. cuius opinio de negatione speciei intelligibilis recitatur à Doctore infrà *q.* 6. *& 7. præsentis d.* Illud ergo quod potest se repræsentare tanquam obiectum in somniis, est phantasma: & sic si intellectus solo phantasmate immutatur, per quod obiectum est sibi præsens, & non per aliam speciem intelligibilem: non videtur quòd per aliquid, in quo obiectum sibi relucet, possit discernere verum à verisimili: quia illud phantasma aliquando repræsentat se tanquam obiectum, & tunc falsitas est. Aliquando repræsentat se tanquam se, & tunc veritas est: & sic per tale phantasma non potest discerni verum à verisimili. Sed ponendo speciem intelligibilem in intellectu, non valet ratio, scilicet quòd talis species posset repræsentare se, tanquam obiectum, quia si posset repræsentare se, tanquam obiectum: hoc contingeret in dormiendo, sed certum est, quòd intellectus in dormiendo nunquam vtitur specie intelligibili: sequens litera in isto articulo clara est. 5.

SCHOLIVM.

Impugnat concluſ. Henrici in ſe efficaciter tribus rationibus, addita quarta ad hominem, & ſunt ſatis clarè in textu.

16. Circa quartum articulum contra concluſionem opinionis arguo ſic: Quæro quid intelligit per veritatem certam, & ſinceram, aut veritatem infallibilem, abſque ſcilicet dubitatione, & deceptione, & eſt probatum priùs, & declaratum in ſecundo & tertio articulis, quòd illa poteſt haberi ex puris naturalibus; aut intelligit de veritate, quæ eſt paſſio entis, & tunc cùm ens poſſit naturaliter cognoſci; ergo & *verum*, cùm ſit paſſio eius, & ſi *verum*, ergo & veritas per abſtractionem: quia quæcunque forma poteſt intelligi, vt in ſubiecto, poteſt etiam intelligi, vt in abſtracto in ſe, & in abſtracto à ſubiecto: aut tertiò intelligit per veritatem, conformitatem ad exemplar, & ſi ad creatum, patet propoſitum; ſi autem ad exemplar increatum, conformitas ad illud non poteſt intelligi, niſi illo exemplari cognito, quia relatio non eſt cognoſcibilis, niſi cognito extremo: ergo falſum eſt quòd ponitur in opinione, ſcilicet exemplar æternum eſſe rationem cognoſcendi, non cognitum.

Præterea ſecundò ſic; intellectus ſimplex, quod intelligit confusè, poteſt cognoſcere
7. Metaph. text. 4. definitiuè, inquirendo definitionem illius cogniti per viam diuiſionis: hæc cognitio definitiua videtur perfectiſſima, pertinens ad intellectum ſimplicem: ex tali cognitione perfectiſſima terminorum poteſt intellectus perfectiſſimè cognoſcere principium, & ex principio concluſionem, & in hoc compleri videtur notitia intellectualis: ita quòd non videtur cognitio veritatis neceſſaria haberi vltra veritates prædictas.

17. Item tertiò, aut lux æterna cauſat aliquid prius naturaliter actu, aut non. Si ſic, aut ergo in obiecto, aut in intellectu; non in obiecto, quia obiectum, inquantum habet *eſſe* in intellectu, non habet *eſſe* reale, ſed intentionale: igitur non eſt capax alicuius accidentis realis. Si in intellectu, igitur lux increata non immutat ad cognoſcendum ſinceram veritatem, niſi mediante effectu ſuo, & ita æquè perfectè videtur opinio communis
Vide D. Thom. 1. parte quæſt. 44. art. 5. ponere notitiam in lumine increato, ſicut iſta opinio: quia ponit eam videri in intellectu agente, qui eſt effectus lucis increatæ, & perfectior, quàm eſſet illud lumen accidentale cauſatum. Si autem nihil cauſat ante actum, aut ergo ſola lux cauſat actum, aut lux cum intellectu & obiecto: ſi ſola lux, ergo intellectus agens nullam habet operationem in cognitione ſinceræ veritatis: quod videtur inconueniens, quia iſta operatio eſt nobiliſſima intellectus noſtri: ergo intellectus agens, qui eſt nobiliſſimus in animo, concurret aliquo modo ad iſtam actionem.

Item, actus intelligendi non magis determinatur eſſe vnius hominis quàm alterius, & ſic ſuperflueret intellectus agens, quod non eſt dicendum, cùm eius ſit omnia facere,
Text. 19. & 18. ſicut poſſibilis omnia fieri, *tertio de Anima.*

Similiter etiam ſecundùm Philoſophum 3. *de Anima* intellectus agens correſpondet in ratione actiui, poſſibilis in ratione paſſiui: ergo quidquid recipit poſſibilis, ad illud aliquo modo ſe habet actiuè intellectus agens.

Hoc etiam inconueniens, quod illatum eſt, concluditur ex opinione prædicta, per aliam viam, quia (ſecundùm ſic opinantem) agens vtens inſtrumento, non poteſt habere actionem excedentem actionem inſtrumenti: igitur cùm virtus intellectus agentis non poſſit in cognitionem ſinceræ veritatis, lux æterna vtens intellectu agente, non poterit in cognitionem, vel in actionem iſtius cognitionis ſinceræ veritatis, ita quòd intellectus agens habeat ibi rationem inſtrumenti. Si dicas, quòd lux increata cum intellectu, & obiecto cauſet iſtam veritatem ſinceram; hæc eſt communis opinio, quæ ponit lucem æternam, ſicut cauſam remotam, cauſare omnem certam cognitionem, vel veritatem: vel igitur erit iſta opinio inconueniens, vel non diſcordat à communi opinione.

COMMENTARIVS.

1. *Circa quartum.* Hæc litera eſt nota vſque ibi: *Item tertiò.* Hîc arguit Doctor ex quo Henricus dicit, quòd homo ex puris naturalibus non poteſt habere certam, & infallibilem veritatem de aliquo ſenſibili, niſi mediante luce increata: puta, quòd non poteſt habere certam, & infallibilem notitiam huius: *animal rationale eſt riſibile:* niſi mediante luce increata. Et ſic Doctor inquiſitiuè arguit contra ipſum de luce increata cùm dicit: *Aut lux æterna cauſat aliquid prius naturaliter actu,* ſupple intelligendi: *aut non: ſi ſic, aut ergo in obiecto: aut in intellectu? non in obiecto: quia obiectum inquantum habet eſſe in intellectu non habet eſſe reale:* ſiue *eſſe* exiſtentiæ: ſed tantùm intentionale: quia tantùm vt cognitum in cognoſcenti vel vt repræſentatum in ſuo repræſentatiuo: & vt ſic tantùm habet *eſſe* diminutum, & ſecundùm *quid:* & hoc modo non eſt capax alicuius accidentis

dentis realis: quia accidens reale non potest recipi, nisi in subiecto habente verum esse existentiæ. Sequitur,

Accidēs reale non recipitur, nisi in subiecto reali.

Si in intellectu, id est, si lux increata prius causat in intellectu aliquid: *igitur lux increata non immutat* intellectum *ad cognoscendum sinceram veritatem, nisi mediante effectu suo*, id est, quod non causat immediate in intellectu notitiam certam, & infallibilem: sed tantùm illam causat mediante effectu suo, prius in tali intellectu producto. Sequitur,

Si autem nihil causat ante actum, id est, si lux increata nihil causat ante notitiam certam, & infallibilem: ergo sola lux causat actum: aut lux cum intellectu, & obiecto. Si primò, hoc est valde inconueniens: quia tunc ab intellectu agente negaretur nobilissima actio, nata sibi competere: & patet litera. Si secundò, & hæc est communis opinio quæ ponit lucem æternam, sicut causam remotam, causare omnem certam cognitionem, vel veritatem: vel igitur erit ista opinio inconueniens, vel non discordat à communi opinione, & sic patet ille quartus articulus.

SCHOLIVM.

Resoluit ad mentem Augustini veritates necessarias videri in regulis æternis: quod explicat quatuor modis. Primò, vt in obiecto proximo, quia intellectus diuinus dat esse *intelligibile creaturis ab æterno, in quo veritates necessariæ relucent immutabiliter. Secundò, vt in continente obiectum proximum, quia intellectus diuinus instar libri continet illa intelligibilia, quæ dici possunt lux æterna secundùm* quid. *Tertiò sicut in aliquo virtute cuius, mouet obiectum, quia sicut intellectus diuinus producit alia à se in* esse *intelligibili, ita dat rationem obiecti qua mouet, & circa hoc affert quædam subtilia. Quartò, vt in obiecto remoto cognito, quia essentia diuina est primum principium speculabilium, & vltimus finis practicabilium, & sic cognitio per principia desumpta ab ea, est purior & eminentior. Secundùm aliquem horum modorum, videnda res in regulis æternis, explicat loca Augustini quæ videntur Henrico fauere.*

AD quæstionem [a] igitur, dico, quòd propter verba Augustini oportet concedere quòd veritates infallibiles videntur in regulis æternis. 18.

Decisio auctoris, verbi gratia albedo in terminis, in specie, in phantasmate, in albedine sensata.

Vbi primò nota, quòd potest ly *in*, accipi obiectiuè, & hoc quadrupliciter, vel sicut in obiecto proximo, vel sicut in continente obiectum proximum, vel sicut in eo, virtute cuius obiectum proximum mouet, vel sicut in obiecto remoto.

Ad intellectum [b] primi, dico, quòd omnia intelligibilia actu intellectus diuini, habent *esse* intelligibile, & in eis omnes veritates de se relucent, ita quòd intellectus intelligens ea, & virtute eorum intelligens necessarias veritates de eis videt in eis, sicut in obiectis, istas veritates necessarias. Illa autem, inquantum sunt obiecta secundaria intellectus diuini, sunt veritates, quia conformes suo exemplari, intellectui, scilicet diuino; & sunt lux, quia manifestatiuæ; & sunt immutabiles ibi & necessariæ, sed æternæ sunt secundùm *quid*, quia æternitas est conditio existentis, & illa non habent existentiam, nisi secundùm *quid*. Sic ergo primò possumus dici videre ea in luce æterna, hoc est, in obiecto secundario intellectus diuini, quod est veritas, vel lux æterna, modo exposito.

Quòd intellectio diuina producat esse intelligibile quidditatū aliarum à se ab æterno. Vide Scot. 2.d.1.q.1. & d.3.q.1. & infrà d.39. quòd etiam necessariò, & immutabiliter 2.d.3. quæst.1.

Secundus [c] modus patet similiter, quia intellectus diuinus continet istas veritates quasi habet, sicut dicit illa auctoritas Augustini de Trinit. 14. cap. 15. *quòd istæ regulæ scriptæ sunt in libro lucis æternæ*, id est, in intellectu diuino, inquantum continet veritates istas, & licèt ille liber non videatur, videntur tamen illæ quiditates, vel veritates, quæ sunt scriptæ in illo libro, & eatenus posset dici intellectus noster videre veritates in luce æterna, hoc est, in illo libro, sicut in continente obiectum, & hoc secundùm vnum modum, vel etiam in illis veritatibus, quæ sunt lux æterna secundùm *quid*, sicut in obiectis videmus, & hoc secundùm primum modum: & alter istorum modorum videtur esse de intellectu Augustini 12. de Trinit. cap. 14. quòd *ratio quadrati corporis manet incorruptibilis, & immutabilis*, &c. non autem manet talis, nisi vt est obiectum secundarium intellectus diuini.

Contra [d] tamen primum modum est dubium. Si enim non videmus istas veritates, vt in intellectu diuino, quia non videmus intellectum diuinum: quomodo dicemur videre in luce increata, ex hoc, quòd videmus in tali luce æterna secundùm *quid*, quæ habet *esse* in luce increata sicut in intellectu cognoscente? 19.

Quomodo veritas non contingens sit æterna? Vide Suar. in Metaph. d.31. sect. 11. à num. 38.

Huic respondet tertium membrum, quòd illa vt sunt obiectum secundarium intellectus diuini, non habent *esse* nisi secundùm *quid*, operatio autem verè realis non competit præcisè alicui enti secundùm *quid*, virtute sui, sed si aliquo modo competit sibi, hoc oportet esse virtute alicuius, cui competit esse *simpliciter*: igitur istis obiectis secundariis non competit mouere intellectum præcisè, nisi in virtute *esse* intellectus diuini, quod est *esse simpliciter*, & per quod ista habent *esse* secundùm *quid*. Sic igitur in luce æterna

secun

ſecundùm *quid*, ſicut in obiecto proximo videmus: ſed in luce increata videmus ſecundùm tertium modum, ſicut ſcilicet in cauſa proxima, cuius virtute obiectum proximum mouet.

De his vide infr.diſt.15. cõtra Henr. Iuxta [c] hoc etiam poſſet dici, quòd quantùm ad tertium modum, videmus in luce æterna, ſicut in cauſa proxima obiecti in ſe: nam intellectus diuinus producit iſta actu ſuo in *eſſe* intelligibili,& actu ſuo dat huic obiecto *eſſe* tale, & illi tale; & per conſequens dat eis talem rationem obiecti, per quam rationem primò mouent intellectum ad cognitionem talem certam. Et quòd propriè poſſet dici intellectum noſtrum videre in luce æterna, quia lux eſt cauſa obiecti, apparet per ſimile, quia propriè dicimur intelligere in lumine intellectus agentis, cùm tamen illud lumen non ſit niſi cauſa actiua, ſcilicet vel faciens obiectum in actu; vel virtute, cuius obiectum mouet, vel vtrumque. Iſta igitur duplex cauſalitas intellectus diuini, qui eſt vera lux increata, videlicet, quòd producit obiecta ſecundaria in *eſſe* intelligibili, & quòd eſt illud, virtute cuius obiecta ſecundaria, etiam producta, mouent actualiter intellectum,poteſt quaſi integrare vnum tertium membrum de cauſa, propter quam dicamur verè videre in luce æterna.

20. *Dubitatio.* Et ſi [f] obiicias contra iſtos duos modos integrantes tertium membrum de cauſa, quia tunc magis videtur, quòd diceremur videre in Deo volente, vel in Deo vt voluntas eſt, quàm in Deo, vt lux eſt: quia voluntas diuina eſt principium immediatum cuiuſlibet actus ad extrà.

Deus non producit liberè eſſe intelligibile creaturarũ. Reſpondeo, intellectus diuinus, inquantum aliquo modo prior eſt actu voluntatis diuinæ, producit iſta obiecta in *eſſe* intelligibili, & ita reſpectu iſtorum videtur eſſe cauſa merè naturalis: quia Deus non eſt cauſa libera reſpectu alicuius, niſi quòd præſupponit ante ſe aliquo modo voluntatem, ſeu actum voluntatis, & ſicut intellectus, vt prior actu voluntatis, producit obiecta in *eſſe* intelligibili: ita vt prior cauſa videtur cooperari illis intelligibilibus ad earum effectum naturalem, vt ſcilicet apprehenſa, & compoſita cauſent apprehenſionis conformitatem ad ſe: videtur igitur quòd contradictionem includat, aliquem intellectum talem compoſitionem formare,& compoſitionem non eſſe conformem terminis,licèt poſſibile ſit illos terminos non concipere:quia licèt Deus voluntariè coagat ad hoc, quòd intellectus terminos componat, vel non: tamen cùm compoſuerit,vt illa compoſitio ſit conformis terminis, hoc videtur neceſſariò ſequi rationem terminorum, quam habent ex intellectu Dei, cauſante illos terminos in *eſſe* intelligibili.

Non eſſe neceſſariam illuſtrationem ſpecialem, vt aliquid cognoſcatur in regulis æternis. Et ex iſto [g] apparet, qualiter non eſt neceſſaria ſpecialis illuſtratio ad videndum in regulis æternis, quia Auguſtinus non ponit in eis videri niſi vera, quæ ſunt neceſſaria ex vi terminorum, & in talibus eſt maxima neceſſitas, tam cauſæ remotæ, quàm proximæ, reſpectu effectus: puta tam intellectus diuini ad obiecta mouentia, quàm illorum obiectorum ad veritatem complexionis de eis,& licèt etiam non ſit tanta neceſſitas ad perceptionem illius veritatis, quòd oppoſitum includat contradictionem, tamen neceſſitas eſt ex parte cauſæ proximæ coaſſiſtente ſibi cauſa remota: quia termini apprehenſi, & compoſiti, nati ſunt naturaliter cauſare euidentiam conformitatis compoſitionis ad terminos, etiam ſi ponatur [h] quòd Deus coagat terminis ad iſtum effectum influentia generali, non tamen neceſſitate naturali.

21. *Auguſt. expreſsè eſſe contra Henric. Contingentia in regulis æternis non videri, & quare.* Aſſumptum [i] de intentione Auguſtini patet per ipſum 4.*de Trinit.cap.*15.vbi loquitur de Philoſophis infidelibus, *Nonnulli eorum potuerunt aciem mentis, vltra omnem creaturam tranſmittere, & lucem incommutabilis veritatis quantulacunque ex parte attingere, quòd Chriſtianos multos ex fide interim ſola viuentes nondum potuiſſe derident.* Igitur vult, Chriſtiani credita non vident in regulis æternis, ſed Philoſophi vident in illis neceſſaria multa. Idem 9.de Trinit.6.cap. *Non qualis ſit vniuſcuiuſque hominis mens,* &c. quaſi dicat contingentia non videntur ibi, ſed neceſſaria. Et in eodem 4. lib. cap. 16. arguit contra iſtos Philoſophos, *Nunquid quia veriſſimè diſputant, & documentis certiſſimis perſuadent æternis rationibus omnia temporalia fieri, propterea potuerunt in ipſis rationibus perſpicere, vel ex ex ipſis colligere, quot ſunt animalium genera, quæ ſemina ſingulorum in exordiis,* &c. *Nõnne iſta omnia non per illam incommutabilem ſapientiam, ſed per locorum, ac temporum hiſtoriam quæſierunt, & ab aliis experta, atque conſcripta crediderunt?* Ergo intelligit, quòd per regulas æternas non cognoſcuntur illa contingentia, quæ tantùm per ſenſus cognoſcuntur,vel per hiſtorias creduntur; & tamen ſpecialis illuſtratio magis requiritur in credendis contingentibus, quàm in cognoſcendis neceſſariis: immò ibi maximè remouetur illuſtratio ſpecialis, & ſufficit ſola generalis.

22. Contrà [k], quid igitur dicit Auguſtinus 12.de Trinit. c.14. quòd *paucorum eſt peruenire mentis acie ad rationes intelligibiles?* & 83.q.q.46.*non niſi pura anima ad illas pertingunt.*

Reſpon

Respondeo, ista puritas non debet intelligi à vitiis: quia 15. *de Trinit. cap* 15. vult, quòd iniustus videt in regulis æternis, quid in his sentiendum sit, & 4. *lib cap præallegato*, vult, quòd Philosophi viderunt veritatem in regulis æternis sine fide, & *quæstione eadem* vult, quòd nullus potest esse sapiens sine cognitione idearum, eo modo quo Platonem, forsan, concederet esse sapientem, sed ista puritas debet intelligi eleuando intellectum, ad considerandum veritates, vt relucent in se, non tantùm vt relucent in phantasmate.

Explicatur Aug. optimè dum ait paucos eosque puros peruenire ad rationes intelligibiles.

Vbi considerandum, quòd res sensibilis extrà, causat phantasma confusum, & vnum per accidens in virtute phantastica repræsentans, scilicet rem secundùm quantitatem, figuram, colorem, & alia accidentia sensibilia, & sicut phantasma repræsentat tantùm confusè, & per accidens: ita multi percipiunt tantùm ens per accidens, veritates autem purè præcisè sunt tales ex propria ratione terminorum, inquantum illi termini abstrahuntur ab omnibus per accidens coniunctis cum eis. Non enim hæc propositio, *omne totum est maius sua parte*, primò vera est, vt *totum* est in lapide, vel ligno: sed vt *totum* abstrahitur ab omnibus, quibus coniungitur per accidens, & ideò intellectus, qui nunquam intelligit totalitatem, nisi in conceptu per accidens, puta in totalitate lapidis, vel ligni, nunquam intelligit sinceram veritatem huius principij: quia nunquam intelligit præcisam rationem termini, per quam est veritas. Paucorum igitur est pertingere ad rationes æternas, quia paucorum est habere intellectiones per se, & multorum est habere conceptus tales per accidens: sed isti non dicuntur distingui ab aliis per specialem illustrationem, sed per meliora naturalia, quia habent intellectum magis abstrahentem, & perspicaciorem, vel propter maiorem inquisitionem; per quam æquè ingeniosus peruenit ad cognoscendum illas quiditates, quas alius non inquirens, non cognouit. Et isto modo intelligitur illud Augustini de vidente in monte, & vidente inferiùs aërem nebulosum, & superiùs aërem sincerum 9. *de Trinit cap.* 6. qui enim tantùm intelligit se per conceptus per accidens, ipse est quasi in valle positus, circundatus aëre nebuloso: sed qui separat quiditates, intelligendo præcisè eas conceptu per se, quæ tamen relucent in phantasmate cum multis aliis accidentibus adiunctis, ipse habet phantasma inferius, scilicet aërem nebulosum: & ipse est in monte, inquantum cognoscit illam veritatem, & videt verum suprà, vel istam veritatem superiorem in virtute intellectus increati, quæ est lux æterna.

Exemp. de veritate purè & cõfusè cognoscenda.

23\. Et isto vltimo [1] modo potest concedi, quòd cognoscuntur veritates sinceræ, in luce æterna, sicut in obiecto remoto cognito: quia lux increata est primum principium entium speculabilium, & vltimus finis rerum practicarum: & ideò ab ipsa sumuntur principia, tam speculabilia quàm practica. Et ideò cognitio omnium, tam speculabilium, quàm practicabilium, per principia sumpta à luce æterna, vt cognita, est perfectior & purior cognitione sumpta per principia in genere proprio, sicut dictum est in quæstione de Theologiæ subiecto: & est eminentior alia quacunque. Et hoc modo cognitio omnium pertinet ad Theologum. Cognoscere enim triangulum habere tres, vt est quædam participatio Dei, & habens talem ordinem in vniuerso, quòd quasi exprimit perfectionem Dei, hoc est nobiliori modo cognoscere triangulum habere tres, quàm per rationem trianguli, & ita cognoscere, quòd temperatè viuendum sit propter beatitudinem consequendam, quæ est attingendo Dei essentiam in se, est perfectiùs cognoscere istud cognoscibile practicum, quàm est principium aliquod in genere moris: puta per hoc, quòd honestè viuendum sit, & isto modo loquitur Augustinus de luce increata vt cognita 15. *de Trinit. cap.* 27. vbi seipsum alloquens ait: *Nempe ergo multa vera vidisti, eaque discreuisti ab illa luce, qua tibi lucente vidisti, attolle oculos ad ipsam lucem, & eos in eam fige si potes Sic enim videbis, quid distet natiuitas verbi Dei à processione doni Dei.* Et paulo post. *Hæc & alia similiter certa oculis tuis interioribus lux ista monstrauit. Quæ igitur est causa cur acie fixa ipsam videre non possis, nisi vtique infirmitas*, &c.

Ex dictis patet ad omnes auctoritates Augustini in oppositum, & secundùm aliquem dictorum modorum videndi, exponi possunt auctoritates Augustini, quæ occurrunt de ista materia.

COMMENTARIVS.

1\. *Opinio Scot. de sinceris veritatibus.*

a AD *quæstionem igitur dico.* Hîc Doctor ostendere intendit quomodo veritates infallibiles videntur in regulis æternis: & hîc tantùm loquitur de veritatibus necessariis: vt infrà patebit.

Et pro intelligentia huius literæ præmitto tale exemplum: Ista veritas: *albedo est color*, dicitur videri in terminis cognitis, vt in obiectis proximis: quia cognitio terminorum est causa notitiæ infallibilis conformitatis terminorum: & sic ista veritas infallibilis, siue cognitio infallibilis huius: *albedo est color*, dicitur videri in albedine, & colore cognitis, modo præexposito.

Secundò, ista veritas videtur in speciebus intelligibi-

telligibilibus terminorum: quia species intelligibilis coloris est partialis causa, & immediata notitiæ coloris: & similiter species intelligibilis albedinis est partialis causa notitiæ albedinis: pro tanto ergo dicitur, quòd notitia infallibilis huius propositionis, *albedo est color*, videtur in speciebus intelligibilibus, sicut in continente obiectum proximum: quia tales species intelligibiles virtualiter continent notitiam terminorum: licèt aliqui exponant, quòd tales termini dicuntur contineri in speciebus repræsentatiuè. Sed hoc non placet.

Tertiò, notitia infallibilis huius propositionis: *albedo est color*, dicitur videri in aliquo: vt in cuius virtute obiectum proximum, siue termini cogniti mouent intellectum: & si posset poni, quòd termini cogniti, siue cognitio eorum moueat intellectum pro statu isto in virtute phantasmatis (quod non credo verum) tunc talis notitia infallibilis diceretur videri in phantasmate coloris, & albedinis: vt in illo, cuius virtute obiectum proximum mouet.

Quartò eadem cognitio infallibilis potest dici videri in aliquo, vt in obiecto remoto: puta in albedine sensibili extrà, & in colore sensibili extrà: quia, nisi mouerent sensum pro statu isto, de conformitate eorum nunquam haberetur infallibilis cognitio.

Conclusio prima. Modò applicando ad diuina, dico primò, quòd veritas ista, vt suprà, videtur in ipsis terminis cognitis, tanqnam in obiect‹is› proximis immediatè, & necessariò causantibus conformitatem illorum, & notitiam illius conformitatis.

2\. *Veritas infallibilis accipitur multipliciter.* Nota de veritate infallibili. Nam aliquando termini dicuntur veritates infallibiles, quia conformes suo exemplari, scilicet intellectui diuino eo modo, quo dicimus aliquod esse verum ens: quia conforme suo principio productiuo: & sic omne productum potest dici verum, vt patet 6. *Metaph. Doctoris*. Sic fortè in proposito termini dicuntur veritates, quia conformes suo principio productiuo, scilicet intellectui diuino.

Aliquando accipitur *veritas* pro habitudine necessaria prædicati ad subiectum: & hæc est duplex. Quædam est habitudo necessaria euidens ex terminis: ita quòd solis terminis apprehensis, intellectus apprehendit necessariam habitudinem terminorum ad inuicem: & hoc modo propositiones per se notæ dicuntur veritates infallibiles, siue habitudo euidens inter huiusmodi terminos. Quædam est necessaria habitudo, sed non ex sola ratione terminorum: vt habitudo inter terminos conclusionis demonstrabilis: quia talis habitudo, vt sit euidens, dependet à propositionibus per se notis. Habitudo ergo, seu conformitas necessaria terminorum ad inuicem dicitur veritas infallibilis: & sic termini propositionis per se notæ, vt apprehensi saltem distinctè necessariò causant necessariam habitudinem: & sic intellectus apprehendens huiusmodi terminos, necessariò apprehendit habitudinem inter eos, & hoc modo videt veritatem infallibilem in terminis illis, id est, quòd videt necessariam, & euidentem habitudinem, & conformitatem.

3\. Aliquando videt non in solis terminis apprehensis: sed in principiis, non tamen absolutè acceptis: sed in principiis pertractatis, id est, positis in forma, & figura: quia tunc statim inducens cognouit. Et propriè obiecta secundaria causant huiusmodi habitudinem: non autem notitiam habitudinis: nec similiter notitiam terminorum: vt infrà patet, & si aliquo modo dicuntur causare, hoc erit præcisè illo modo, quo infrà exponam. Et dicitur, quòd huiusmodi obiecta secundaria sunt lux: quia manifestatiua: patet, quia illis apprehensis, vel principiis pertractatis apprehensis, statim manifestat habitudo necessaria, &c. Dicuntur etiam immutabiles: quia obiecta illa secundaria, vt præcisè habent esse obiectiuum, sunt necesse esse, & immutabiles: vt prolixè exposui in 2. *dist.* 3. *quæst.* 1. Et similiter sunt æternæ, quia in tali *esse* ab æterno sunt productæ ab intellectu diuino: & hoc necessariò, & ab æterno: vt infrà patet, *d.* 39. *&* *in* 2. *d.* 1. *q.* 1. *&* *d.* 3. *q.* 1.

Secundò videtur in intellectu diuino, sicut in continente obiectum proximum: & hoc dupliciter. Primò, vt in causa proxima: quia omnes termini, virtute intellectus diuini producuntur in *esse* cognito: vt docet Doctor infrà *præsenti quæst.* & clariùs *in* 36. *d.* *&* 43. *huius*. Imò nulla creatura potest esse in intellectu diuino, vt obiectum intelligibile ex natura rei: vt clarè docet Doctor *in* 2. *dist.* 1. *q.* 1. *&* *in quodl. q.* 15. Sed tantùm dicuntur obiecta intellectus diuini per actum ipsius intellectus, immò ante actum intellectus diuini, nullum penitus *esse* habent, nec possibile, nec aptitudinale: quia possibilitas cuiuscunque rei est à solo actu intellectus diuini, vt clarè innuit Doctor infrà *dist.* 43. Quia ergo intellectus diuinus virtualiter continet omnes terminos, tam in *esse* possibili, quàm in *esse* cognito, ideò veritas ista, quæ est conformitas albedinis ad colorem, siue notitia infallibilis huius conformitatis, habetur actu intellectus diuini: vt sicut à continente virtualiter terminos huius conformitatis in *esse* cognito. Secundò, quia talis cognitio diuina est similitudo obiecti cogniti: ideò obiectum cognitum, vt sic, dicitur contineri in tali cognitione (vt aliqui exponunt) sed prima expositio est magis ad mentem Doctoris. *Secunda conclusio.*

Tertiò huiusmodi veritas videtur in intellectu diuino, vt in cuius virtute obiectum proximum mouet intellectum nostrum: siue termini sic cogniti, qui dicuntur obiecta proxima, id est, quòd tales termini sic cogniti virtute intellectus diuini, causant euidentem conformitatem. Et licèt Scotus secundo, & tertio modis hoc attribuat intellectui diuino, scilicet quòd sit causa continens virtualiter, & in cuius virtute: debet exponi de ipso actu intelligendi, vel de ipso intellectu, vt est sub actu intelligendi, id est, quòd intellectus diuinus, vt habens actum illum intelligendi, tanquam principium formale est causa modo præexposito, vt aliqui exponunt Doctorem, sed, iudicio meo, non ad mentem ipsius. Et quòd non debeat sic intelligi patet infrà *d.* 36. *&* 43. *&* *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *&* *in quolib. q.* 15. *&* *alibi.* 4. *Tertia conclusio.*

Quartò videtur in memoria fœcunda (quæ includit essentiam, & intellectum diuinum) tanquam in obiecto remoto: quia ipsa est primò quasi causa actus intelligendi, vt suprà patuit. *dist.* 2. & pòst est principium verè productiuum personarum ad intrà: & vltimò est principium productiuum obiectorum secundorum, vt clarè patet *in* 2. *distinct.* 1. *q.* 1. vide quæ ibi prolixè exposui: ideò videtur ibi tanquam in obiecto remoto: Et licèt Doctor in ista litera tantùm nominet intellectum esse causam remotam: semper *Quarta conclusio.*

tamen

tamen includit essentiam, vt ab ipso patet in pluribus locis: & sic per hæc declarata poterit quodammodo patere litera, quam tamen declaro de dicto in dictum, propter aliqua difficilia ibi inclusa.

5. *Declaratio literæ.* b *Ad intellectum primi*, videlicet quomodo veritas sincera dicatur videri in obiecto proximo: *Dico, quòd omnia intelligibilia actu intellectus diuini habent* esse *intelligibile*, id est, quòd ante illum actum nullo modo habent rationem obiecti intelligibilis: sed tantùm per actum intellectus diuini, vt dixi suprà. Sequitur, *Et in eis*, supple obiectis intelligibilibus, siue in terminis cognitis, *Omnes veritates de se relucent*, id est, quòd conformitates terminorum relucent in ipsis terminis, quia termini illi nati sunt immediatè facere euidentem veritatem conformitatis eorum, si sint termini propositionis per se notæ. Sequitur: *Ita quòd intellectus intelligens ea*, id est, quòd intellectus creatus intelligens albedinem, & nigredinem, quæ dicuntur obiecta intelligibilia per actum intellectus diuini, *& virtute eorum*, scilicet terminorum, *intelligens necessarias veritates de eis*, id est, necessarias habitudines, vel conformitates, *videt in eis sicut in obiectis*, scilicet proximis, *istas veritates necessarias*, id est, istas habitudines terminorum, vel conformitates, id est, quòd tales termini, vt cognoscuntur ab intellectu creato, nati sunt, quantùm est ex seipsis facere euidentem veritatem de conformitate eorum. Et non potest hoc applicari ad intellectũ diuinum, quia in obiectis secundariis, virtute eorum, non est natus videre huiusmodi conformitatem, vt suprà patuit in illa quæst. *An Theologia sit scientia*, & clarè ostendit Doctor *in Quodlib. quæst.* 14. *&* 15. Sequitur,

6. *Illa autem inquantum sunt obiecta secundaria intellectus diuini sunt veritates, quia conformes suo exemplari intellectui, scilicet diuino*, id est, intellectioni diuinæ, vel intellectui, vt sub tali intellectione. Nam ista obiecta dicuntur obiecta secundaria intellectus diuini, non quòd aliquo modo possint mouere intellectum diuinum, quia tunc vilesceret: nec quòd sint ibi ex natura rei, vt suprà dixi: sed quia sola essentia diuina dicitur simpliciter obiectum primarium, cùm sit ratio formalis primò, & immediatè cognoscendi se, & quodcunque aliud obiectum, vt suprà patuit *in prolog. in illa quæst. An Theologia sit scientia*. Et licèt personæ diuinæ dicantur etiam obiecta secundaria, vt suprà patuit *dist.* 1. *q.* 2. Quia tamen non sunt ibi tantùm per actum intellectus diuini: sed in vero *esse* realis existentiæ, & ex natura rei: non quòd possint mouere intellectum diuinum ad sui cognitionem, quia sola essentia diuina mouet. Omnes verò creaturæ, quia sunt ibi tantùm per actum intellectus diuini, ideò propriè dicuntur obiecta secundaria intellectus diuini, id est, causata in tali *esse* actu intellectus diuini, &c. Et dicit, quòd ista obiecta secundaria sunt veritates, id est, quòd eo modo, quo sunt conformia intellectui diuino: eo modo nata sunt facere veritatem, siue conformitatem eorum in intellectu nostro. Nam intellectus diuinus sic dat esse albedini, & colori, vt color necessariò includatur in albedine, & sic dicat necessariam habitudinem ad albedinem, & sic albedo, & color, vt cognita ab intellectu nostro causant hanc conformitatem: siue euidentem notitiam de huiusmodi conformitate: ita quòd intellectus habens notitiam talium terminorum, & vnionis eorum, euidenter cognoscit, quòd albedo includit ipsum colorem. Sequitur,

Sola essentia diuina mouet.

Intellectus diuinus dat rebus omnem necessariam habitudinẽ.

7. *Et sunt lux, quia manifestatiua*, id est, quòd huiusmodi obiecta secundaria dicuntur lux, quia non tantùm sunt manifestatiua sui in intellectu creato: sed etiam sunt manifestatiua conformitatis eorum, & nata sunt facere claram, & manifestam euidentiam in quocunque intellectu creato de eorum conformitate. Sequitur, *Et sunt immutabiles, ibi*, id est, quòd tale obiectum habet *esse* immutabile in intellectu diuino, & sunt necessariæ, quia omne quod producitur de necessitate naturæ secundùm illud *esse* secundùm quod producitur, dicitur necessarium: puta si secundùm *quid* producitur, dicitur necessarium secundùm *quid*. Si verò secundùm *esse* simpliciter producitur, dicitur necessarium simpliciter, & hoc infrà patebit *d.* 8. *q. vlt.* Sed obiecta secundaria necessitate producuntur in *esse* secundùm *quid*, quod est *esse* cognitum, siue esse possibile ab actu intellectus diuini, vt suprà patuit. Quod necessariò patet, quia talia obiecta producuntur actu intellectus diuini ante omnem actum voluntatis diuinæ ad extrà, & sic de necessitate, vt infrà patebit *præsenti q. & d.* 35. *&* 36. Sequitur, *Sed æterna secundùm quid*, quia æternitas est conditio existentis. Ratio, quia propriè æternitas est mensura alicuius existentis, vt patebit *in* 2. *d.* 2. Talia tamen obiecta possunt dici habere existentiam secundùm *quid*, & hoc dupliciter. Primò, quia tantùm habent *esse* in intellectu diuino, qui verè ex natura rei existit. *Esse* dico tantùm obiectiuè, quia sunt obiecta intellectus diuini, modo præexposito, & non subiectiuè. Secundò, quia denominantur cognita à cognitione diuina, denominatione tantùm extrinseca, & vt sic, dicuntur participare cognitionem diuinam: vt patet à Doctore *in* 4. *d.* 1. *q.* 1. Et sic dicuntur existere existentia intellectionis diuinæ. Possunt etiam dici existere secundùm *quid*, quia eis non repugnat actualis existentia: & in hoc differunt à secundis intentionibus, & ab omnibus relationibus rationis, quibus repugnat omnino existere. Et sic patet quomodo sincera veritas videtur in regulis æternis, scilicet in ipsis obiectis proximis, quæ dicuntur regulæ æternæ propter conditiones supradictas.

Obiecta secundaria necessariò producuntur in esse secundùm quid.

8. c *Secundus modus patet similiter:* videlicet quomodo veritas infallibilis videtur in continente obiectum passum: *Quia intellectus diuinus continet istas veritates, quasi liber*, id est, ista obiecta secundaria scripta sunt in intellectu diuino, *inquantùm continet veritates istas*, id est, ipsa obiecta secundaria, quæ dicuntur veritates, modo supradicto. Et licèt ille liber, id est, intellectus diuinus, non videatur in se: videntur tamen illæ quiditates, vel veritates, siue obiecta secundaria. Et sic intellectus noster dicitur videre in illo libro, sicut in continente obiectum secundarium: vt suprà dixi. Videntur etiam in illis veritatibus, id est, in illis obiectis secundariis, quæ sunt lux æterna, &c. Et dicuntur obiecta proxima, & sic patet ista litera Doctoris.

d *Contra tamen primum modum est dubium. Si enim non videmus istas veritates*, &c. Hîc loquitur de veritatibus complexorum, siue de conformitatibus terminorum: non autem de ipsis terminis, qui etiam dicuntur veritates, vt suprà dixi.

Ad hanc difficultatem dicit Doctor, quòd huic difficul

difficultati respondet tertium membrum,& sententia literæ est, quòd ex quo illa obiecta secundaria habent tantùm *esse* secundùm *quid*: non possunt mouere aliquem intellectum causando ibi aliquod reale: puta euidentem notitiam de conformitate eorum: sed benè possunt virtute intellectus diuini,quia ille habet *esse* simpliciter: sed ex se nullo modo possunt,& litera clara est.

9. *Difficultas.* Sed hîc occurrit difficultas. Quia Doctor vult in pluribus locis, quòd agens in virtute alterius, dicat rationem propriam agendi, & de hoc patet satis *in 4.d.1.q.1. & q.4.vel 5.& d.12. & alibi.* Si ergo obiecta secundaria mouent intellectū creatum ad euidentem notitiam conformitatis eorum, sequitur quòd in se formaliter aliquid includunt, quo possint mouere, licèt in virtute alterius moueant: sed hoc non videtur possibile, quia entitas absoluta (cuiusmodi est notitia euidens) non potest esse ab aliquo habente *esse* tantùm secundùm *quid*.

Solutio. Posset dici, sustinendo dictum Doctoris quòd ex hoc dicuntur mouere in virtute intellectus diuini:non quòd in se aliquo modo moueant:sed quia totum suum *esse* habent actu intellectus diuini, & quia ex se (vt dixi) non possunt causare euidentem notitiam conformitatis eorum:sed solus intellectus diuinus mediante actu suo: quia ergo talia obiecta virtualiter continentur in intellectu diuino, ex hoc dicimus, quòd in virtute illius mouent, quia tota virtus mouendi est ab intellectu diuino, mediante actu suo.

Obiectio. Si dicatur, non videtur possibile, quòd intellectus diuinus moueat intellectum creatum,causando in eo euidentem notitam conformitatis obiectorum virtualiter in eo contentorum, quia tunc talis notitia esset de necessitate causata: & sic ageret ad extrà de necessitate naturæ:quod est impossibile,& quòd producat aliquod in *esse* simpliciter, siue in *esse* actualis existentiæ, per modum naturæ: vt patet à Doctore in pluribus locis: licèt possit producere aliquid secundùm *quid* per modum naturæ,vt dixi suprà.

10. *Responsio.* Dico,quòd ideò intellectus diuinus dicitur sic mouere,quia quantùm est ex parte sua, posset facere euidentem veritatem de quocunque obiecto in quocunque intellectu, nato ab ipso immediatè moueri. Sicut etiam essentia diuina, quantùm est ex parte sua, nata est facere euidentem veritatem de quocunque necessario, & de quocunque virtualiter contento, respectu cuiuscunque intellectus, quem immediatè mouere possit, vt suprà patuit *in quæst. 1. prolog. & in quæst. 14. Quodlib.* repugnat tamen sibi immediatè posse mouere intellectum creatum, quia tunc moueret de necessitate naturæ. Sic in proposito,

Quomodo intellectus diuinus dicitur mouere intellectum creatum.

e *Iuxta hoc etiam posset dici.* Hîc Doctor dat aliam responsionem, & videtur hîc concedere, quòd obiecta secundaria verè moueant intellectum creatum ad certam cognitionem conformitatis eorum: sed hoc non in virtute propria; sed in virtute intellectus diuini dantis eis tale *esse:* quo mediante possint mouere intellectum creatum. Et tunc veritates sinceræ dicerentur videri in intellectu diuino, vt in causa proxima obiecti in se, quia intellectus diuinus, siue actus intellectus diuini est causa proxima, & immediata secundorum obiectorum: & obiecta secundaria sunt causa proxima notitiæ euidentis conformitatis eorum: ita cùm dicitur, quòd veritates videntur in intellectu diuino,vt in causa proxima, debet referri *causa proxima* respectu obiecti secundarij,& non respectu intellectus diuini.

11. *Difficultas.* Sed tunc occurrit non parua difficultas, videlicet quomodo illa obiecta secundaria possint partialiter causare talem notitiam, cùm tantùm habeant *esse* secundùm *quid?*

Responsio. Dico breuiter, quòd iste passus sic debet intelligi, quòd talia obiecta, vt relucent in specie intelligibili, dicuntur mouere intellectum creatum: non quòd in se moueant, sed quia species intelligibilis causat immediatè talem notitiam, & sic talia obiecta dicuntur mouere ex hoc quòd species intelligibilis eorum, quæ tantùm potest esse ab illis obiectis immediatè mouet,& hoc patebit infrà *q.7.præsentis d. & d.17.& in 2.dist.3.* & expresè *in Quodlib.*

Dictum notabile. Si dicatur, nónne species intelligibilis est entitas absoluta? Dico, quòd sic. Modò, quomodo ergo potest esse ab illis obiectis habentibus *esse* tantùm secundùm *quid?* Dico, quòd sufficit hoc quòd species intelligibilis sit causata à phantasmate talis obiecti,& tale phantasma sit causatum à specie sensibili talis obiecti, & species sensibilis sit immediatè à tali obiecto: ita quòd natura existens in tali sensibili sit ratio formalis causandi talem speciem. Si verò obiecta secundaria comparentur intellectui separato: natura eorum existens in singulari erit ratio formalis causandi speciem intelligibilem in intellectu, puta Angelico: vt patet à Doctore *in 2. d.3.* Et ex his patet quomodo talia obiecta secundaria dicuntur mouere intellectum in cognitione abstractiua.

f *Et si obiicias contra istos duos modos integrantes tertium membrum de causa*, scilicet quòd ideò dicimur videre in regulis æternis, propter duplicem causalitatem intellectus diuini: videlicet quia producit obiecta secundaria in *esse* intelligibili, & quia est istud, virtute cuius obiecta secundaria producta mouent naturaliter intellectum creatum. Dicit Doctor quòd ex quo voluntas diuinà, est immediatum principium cuiuslibet actus ad extrà, & intellectus diuinus nihil mouet ad extrà, nisi in virtute voluntatis diuinæ, magis dicere debemus, quòd istæ veritates videntur in voluntate diuina, quàm quòd videantur in intellectu diuino, qui dicitur lux increata. 12.

Respondet Doctor ibi: *Respondeo, intellectus diuinus inquantum aliquo modo prior est actu voluntatis diuinæ.* Tota ista responsio stat in hoc, quòd loquendo de productione, secundùm *quid*, quæ præscindit ab existentia reali: ista obiecta secundaria immediatè producuntur actu intellectus diuini, & eadem obiecta virtute intellectus diuini, non concurrente actu voluntatis diuinæ, mouent intellectum creatum, quantùm ad conformitatem eorum: supple,quòd vt sunt in intellectu creato cognita, & composita, de necessitate naturæ causant conformitatem eorum, & tota ista causatio non est respectu alicuius habentis *esse* existentiæ.

Intellectus diuinus aliquo modo est prior voluntate.

Si verò loquamur de notitia actuali terminorum, dicvt suprà, quia ipsa obiecta secundaria mouent intellectum creatum,ad sui actualem notitiam, & ad actualem notitiam conformitatis eorum, in virtute voluntatis diuinæ: licèt quantùm esset ex parte intellectus diuini (cùm sit ens perfectissimum, & infinitum) possent mouere ad huiusmodi notitiam: posito quòd intellectus diuinus possit agere ad extrà.

Dicit

13. Dicit ergo Doctor quòd notitia actualis terminorum,& compositio eorum,& perceptio,siue actualis notitia conformitatis eorum,dependent à voluntate diuina , & ab ipsis obiectis secundariis , non vt habentibus *esse* secundùm *quid* : sed talia obiecta secundaria mouent intellectum nostrum pro statu isto, vt existunt in singularibus: sic intelligendo,quòd ratio eorum formalis mouendi, est natura eorum existens in singularibus, quia vt sic primò mouent sensum,& vltimò species intelligibiles repræsentantes naturam eorum , absolutè mouent intellectum ad perceptionem eorum simplicem : quibus cognitis , & perceptis , & compositis mouetur intellectus noster ad actualem perceptionem conformitatis eorum : tota ergo ista motio fit à talibus obiectis; modo præexposito , & in virtute voluntatis diuinæ. Sed quia, vt suprà exposui , conformitas terminorum dicitur veritas,& quia talis conformitas est ab ipsis terminis virtute intellectus diuini : ideò dicimus videre conformitatem , siue sinceram veritatem in ipsis terminis , vt in obiectis proximis, & intellectu diuino, vt virtualiter continente huiusmodi terminos:& vt id,in cuius virtute tales termini mouent intellectum creatum, ad eorum conformitatem ad inuicem.

14. *Quomodo intellectus diuinus dicatur operatiuus, & productiuus.* Et vt clariùs ista intelligantur, pono aliqua signa. In primo signo intellectus diuinus dicitur operatiuus respectu intellectionis essentiæ diuinæ , & omnium ibi existentium : quæ intellectio dicitur propriè operatio , & similiter voluntas diuina dicitur operatiua ad intrà , amando essentiam diuinam , qui amor dicitur operatio eius. Et vltrà intellectus diuinus est productiuus respectu generationis Filij.Et voluntas dicitur productiua respectu productionis Spiritus sancti, quæ omnia suprà declaraui *dist. 2. parte 2.* Et in isto signo nihil est creaturæ nec in *esse* cognito, nec in *esse* possibili:vt patet à Doctore *in 2.dist.1. quæst.1.* In secundo signo intellectus diuinus mediante actu suo producit omnes quiditates in *esse* cognito : in quo *esse* cognito fundatur *esse* earum possibile : vt patet à Doctore, infrà *dist.36.& 43.* Et in hoc signo omnia obiecta intelligibilia simplicia , quæcunque sint illa , sunt ab intellectu diuino. In tertio signo obiecta secundaria virtute intellectus diuini , si sunt præsentia intellectui creato , dicuntur mouere intellectum creatum ad eorum conformitatem.

Nota signa intellectus diuini ad obiecta secundaria.

Et hoc signum subdistinguitur. Primò , quia illa obiecta secundaria quantum est ex parte intellectus diuini (si sibi non repugnaret agere ad extrà) virtute ipsius intellectus diuini , possunt mouere intellectum creatum ad eorum simplicem apprehensionem,semper intelligendo,vt suprà exposui. Secundò , quòd talia obiecta , vt mouent intellectum creatum ad notitiam eorum simplicem mouent in virtute voluntatis diuinæ, cùm talis notitia sit vera qualitas absoluta in *esse* reali. Et intellectus creatus virtute voluntatis diuinæ componit illos terminos , & termini sic compositi,virtute intellectus diuini causant conformitatem eorum ad inuicem , quæ conformitas dicitur veritas sincera. Et deinde intellectus creatus virtute voluntatis diuinæ , percipit huiusmodi conformitatem : ita quòd notitia conformitatis dependet ab intellectu creato , & ab ipsis terminis , intelligendo vt suprà, & à voluntate diuina, vt à prima causa, in cuius virtute tam intellectus creatus,quàm obiecta secundaria, mouent ad perceptionem talis conformitatis , & sic ex istis declaratis patere potest intentio Doctoris.

g *Et ex isto apparet qualiter non est necessaria specialis illustratio ad videndum in regulis æternis.* Dicit Doctor quòd ex quo Augustinus tantùm loquitur de sincera veritate necessaria ex vi terminorum , non oportet ponere specialem illustrationem ad videndum in regulis æternis : sufficit enim generalis influentia lucis increatæ. Intentio Augustini & Doctoris, est quòd omnia principia per se nota , siue veritates talium principiorum, dicuntur videri in regulis æternis , quia conformitas terminorum principij per se noti videtur visis terminis, vt in obiecto proximo. 15.

Secundò, videtur in intellectu diuino , vt virtualiter causante,siue continente illos terminos.

Tertiò,videtur in eodem intellectu,vt in cuius virtute tales termini mouent ad conformitatem eorum ad inuicem.

Quartò, videtur in memoria diuina fœcunda, vt in causa remota, vt suprà exposui , & sic patet quomodo ad visionem talis veritatis non requiritur specialis illustratio lucis increatæ,& hoc est quod dicit.

Declaratio literæ. Declaro tamen hanc literam. *Augustinus non ponit in eis*, scilicet regulis æternis, *videri, nisi vera*, scilicet complexa,*quæ sunt necessaria ex vi terminorum*, cuiusmodi sunt sola principia per se nota, *& in talibus*, supple principiis per se notis,*est maxima necessitas,tam causæ remotæ,quàm proximæ respectu effectus : puta tam intellectus diuini ad obiecta mouentia,quàm illorum obiectorum ad veritatem complexionis de eis :* memoria fœcunda est causa remota tam respectu veritatis principij , quàm respectu terminorum principij:& intellectus diuinus mediante actu suo , est causa remota veritatis principij : licèt sit causa propinqua respectu terminorum principij, & sic litera debet applicari. Sequitur,

Et licèt etiam non sit tanta necessitas ad perceptionẽ illius veritatis. Vult dicere Doctor quòd quamuis sit maxima necessitas,quòd ad tales terminos, & compositionem eorum sequatur talis conformitas , ita quòd includit contradictionem,ipsam conformitatem non sequi (cùm omnes causæ huius conformitatis agant simpliciter de necessitate naturæ ad huiusmodi conformitatem) non est tamen simpliciter necessarium, quòd talis conformitas percipiatur,quia si voluntas diuina non coageret intellectui , & terminis ad perceptionem , siue ad notitiam qua intellectus percipit, nunquam sequeretur talis perceptio. Dicit tamen , quòd est maxima necessitas ex parte causæ proximæ coassistente sibi causa remota , id est, quòd quantum est ex parte terminorum , qui dicuntur causa proxima,& quantum est ex parte intellectus diuini , qui dicitur causa remota , & quantum est etiam ex parte intellectus creati , esset maxima necessitas causandi huiusmodi perceptionem. Si enim non repugnaret intellectui diuino , causare aliquid ad extrà in *esse* reali maxima necessitate , sequeretur in intellectu creato perceptio veritatis principij. 16.

h *Et si ponatur , quòd Deus coagat terminis ad istum effectum influentia generali , non tamen necessitate naturali.* Hîc respondet tacitæ obiectioni, quia dixit , quòd non est simpliciter necessitas,vt talis cõformitas percipiatur:posset aliquis dicere, imò de necessitate percipitur , quia ipsi termini, vt 17.

vt apprehensi, & intellectus diuinus, quantùm est ex parte eorum, de necessitate naturæ agunt ad huiusmodi perceptionem, & Deus semper coagit istis terminis influentia generali: ergo stante apprehensione terminorum, & influentia generali Dei, de necessitate naturæ sequitur perceptio conformitatis. Respondet Doctor quòd etsi Deus coagat omni creaturæ influentia generali: nunquam tamen necessitate naturali: nunquam enim ad aliquam actionem realem concurrit Deus cum creatura necessitate naturali, sed tantùm voluntate libera, & contingenti.

Sed siue sit influentia generalis, siue (quod plus est) *necessitas naturalis influendi terminis ad hunc effectum, patet quòd non requiritur illustratio specialis.* Hæc litera est extra textum, & sensus est, quòd etiam posito, quòd Deus coagat terminis ad conformitatis perceptionem, & hoc siue generali influentia, siue naturali necessitate: patet quòd ad huiusmodi perceptionem non requiritur specialis illustratio increatæ.

18. *Assumptum de intentione*, &c. Hîc Doctor ostendit per dicta Augustini quòd ipse tantùm loquatur de veritatibus principiorum per se notorum, vt suprà exposui, & quòd huiusmodi veritates possunt percipi sine speciali illustratione lucis increatæ: nam, secundùm ipsum, etiam Philosophi huiusmodi veritates perceperunt. Istæ auctoritates Augustini hoc ostendunt. Prima ostendit quomodo multi Philosophi potuerunt videre veritates infallibiles multorum principiorum, qui Philosophi derident Christianos, ex hoc, quòd sola fide multas veritates vident. & vult ibi Augustinus quòd Christiani non vident credita in regulis æternis, & per aliam auctoritatem vult quòd magis requiritur specialis illustratio ad videndas veritates contingentes, quàm necessarias, & tamen Philosophi multas veritates contingentes viderunt, vel per historias, vel per sensus, & huiusmodi: & tamen in huiusmodi perceptione non fuit eis necessaria aliqua specialis illustratio lucis increatæ.

12. de Trinit. c. 14. vel 31. & 83. q. 46. k *Contra, quid igitur?* Hîc arguit per dictum Augustini, probando quòd Philosophi non potuerunt videre huiusmodi veritates sinceras, quia non nisi puræ animæ ad illas pertingunt.

Respondet Doctor ibi: *Respondeo.* Et litera clara est.

l *Vltimo modo potest concedi, quòd cognoscuntur veritates sinceræ in luce æterna, sicut in obiecto remoto cognito.*

19. Suprà dixit Doctor quòd quamuis huiusmodi veritates videantur in intellectu diuino, tanquam in libro, non tamen sequitur, quòd intellectus diuinus in se videatur, siue actus intellectus diuini, vt suprà exposui: hîc autem dicit, quòd in ipso Deo, vt in obiecto cognito, possunt cognosci. Si quis enim Deum distinctè cognosceret, ab ipso posset sumere omnia principia tam speculabilia, quàm practicabilia, quia lux increata, siue essentia diuina est primum principium entium speculabilium, & vltimus finis rerum practicabilium. Quãdo dicit Doctor quòd essentia diuina est principium omnium speculabilium. Debet sic intelligi, quòd omnia entia speculabilia suo modo causantur ab intellectu diuino, & ab essentia diuina: nam ante actum intellectus diuini, nullus terminus, siue nulla quiditas est in aliquo *esse*, vt dixi suprà, & ideò omnes quiditates, & omnes propositiones necessariæ speculatiuæ sumuntur ab ipsa. Et ipsa essentia est vltimus finis practicabilium, quia ab ipsa, vt à causa remota, sumuntur omnes termini, ex quibus fiunt propositiones tam practicæ, quàm speculatiuæ. Sumuntur etiam practicabilia ab ipsa essentia, non tantùm vt à causa remota: sed ab ipsa, vt à fine vltimo, à quo sumuntur omnia principia practica, & ab illis principiis conclusiones practicæ, vt clarè exposui *in quæst. de praxi*: sic semper intelligendo, quòd ab ipsa, vt cognita, sumuntur omnia ista. Et infert Doctor vnum corollarium, quòd cognitio omnium tam speculabilium, quàm practicabilium per principia sumpta à luce æterna, vt cognita est perfectior, & purior cognitione sumpta per principia in genere proprio, & hoc modo cognitio omnium pertinet ad Theologum, & patet litera vsque ad finem quæstionis.

In litera ista sunt aliqua dubia. Primum in hoc, quòd *Omnia intelligibilia actus intellectus diuini habent esse intelligibile.* 20. *Prima instantia.*

Primò instatur, & quæro an lapis habeat præcisè *esse* intelligibile actu intellectus diuini, ita quòd nullum aliud *esse* habeant: & si sic, tunc tale *esse* esset tantùm ens rationis, & non reale, vt etiam ipse vult suprà *dist. 36.* sed hoc est impossibile, scilicet quòd tantùm habeat *esse* rationis, quia quicquid est à causa reali, vt realis est, est ens reale, vt patet à Doctore infrà, *præsenti dist. q. 7.* modò intellectus diuinus est tantùm causa realis, & agens necessariò: ergo omne quod est ab ipso, erit verum ens reale: ergo non tantùm intelligibile.

Secundò instatur, quia passio subiecti non est immediatè ab alio, quàm à subiecto, quia ponitur subiectum causa adæquata illius: sed *esse* intelligibile est passio entis, & consequitur omne ens: ergo *esse* intelligibile, puta lapidis, erit adæquatè, & immediatè ab ipso lapide: ergo non primò ab intellectu diuino. *Secunda.*

Tertiò instatur: si producit omnia in *esse* intelligibili, ergo producit omnia in *esse* essentiæ: consequens est contra ipsum, infrà *dist. 36.* Consequentia patet, quia *esse* intelligibile præsupponit *esse* essentiæ: & sic priùs omnia haberent *esse* essentiæ, quàm *esse* intelligibile, sicut passio præsupponit *esse* essentiæ subiecti. *Tertia.*

Quartò instatur, quia causa naturalis & agens per modum naturæ, & non impedita, producit effectum perfectissimum, quem potest producere: hæc patet à Doctore suprà *præsenti dist. q. 2.* sed intellectus diuinus est huiusmodi: patet, quia vt producit *esse* intelligibile producit vt consideratur prior voluntate: ergo tantùm per modum naturæ: non est etiam impeditus, cùm sit formaliter infinitus: continet etiam virtualiter effectum perfectissimum: patet, quia infiniti vigoris intensiuè: ergo primò producit omne intelligibile secundùm *esse* perfectissimum, quod sibi non repugnat: ergo primò producit in *esse* realis existentiæ, quod tamen est falsum, quia tunc creaturæ haberent *esse* necessarium. *Quarta.*

Quintò instatur, quia hoc magis videtur competere essentiæ diuinæ, quàm intellectui diuino. Tum, quia sicut intellectio actualis obiecti, est principaliter ab essentia diuina, quia est principalis ratio intelligendi ipsi intellectui diuino: ergo ipsa erit principalior ratio producendi omnia in *esse* intelligibili. Tum, quia essentia, sicut magis virtualiter & eminenter continet omnia secun *Quinta.*

secundùm eorum entitatem: vt patet, quia non tantùm formaliter infinita, sed etiam fundamentaliter, & originaliter, & origo omnis perfectionis diuinæ: vt patet infrà *dist.*8.*quæst.penult. & in Quodlib.q.*1.ergo magis continet omnis secundùm eorum intelligibilitatem, & per consequens magis debet dici, quòd producuntur actu essentiæ diuinæ, quàm actus intellectus diuini.

Sexta. Sextò instatur, quia quæro, aut producuntur omnia vt actu intelligibilia; aut vt tantùm potentia intelligibilia. si primò, ergo omnia actu sunt. Probatur consequentia, quia actu intelligibile actu est: probatur, quia obiectum actu intelligibile est pars memoriæ actualis, quæ non potest dici actualis, nisi actu sit: patet, quia vt sic, est principium productiuum notitiæ, vt patet à Doctore *in isto primo d.*2. *part.*2. *q.*3. *d.*3.*q.*6.*&* 7. *dist.*6.7.27.*& in* 2.*dist.*1.*q.*1.*dist* 3.*q.*8.9.10. *& alibi sæpè.* Si producit omnia in *esse* intelligibili tantùm in potentia: ergo ab æterno non intelligit omnia actu: patet, quia nihil potest intelligi actu, nisi sit intelligibile actu: ergo sequitur, quòd intelligibilia non producuntur actu intellectus diuini in *esse* intelligibili.

22. *Responsio ad primam.* Respondeo ad omnes istas instantias, tenendo secundùm veritatem, omnia esse producta actu intellectus diuini: & primò ad primam dico, quòd per *esse* intelligibile non intelligit Doctor ipsam intelligibilitatem præcisè, quæ ponitur passio entis: sed intelligit *esse* obiectiuum, ad quod sequitur *esse* intelligibile, id est, quòd intellectus diuinus produxit lapidem ab æterno in *esse* obiectiuo, id est, in tali *esse*, in quo potest esse obiectum potentiæ, id est, in sua entitate propria, quia vnumquodque est obiectum potentiæ secundùm suam propriam entitatem, & per consequens tale est ens intelligibile: non tamen quòd in tali *esse* possit actu mouere aliquem intellectum, quia vt sic, habet tantùm *esse* secundùm *quid*, & possibile: vt patet infrà *dist.*26.

Cùm probatur de causa reali, quæ non producit nisi effectum realem, &c. Dico primò, quòd Doctor non dicit sic: sed tantùm dicit, quòd omnis intellectio est realis, quæ est cauasata à re, vel à specie intelligibili: patet, quia prima est intuitiua, quæ est à re existente, secunda est abstractiua. Dico secundò, quòd propositio erit vera de causa reali realiter causante: sed intellectus diuinus est causa realis: non tamen quando causat talia in *esse* intelligibili, dicitur realiter causare, quia tunc haberent verum *esse* reale.

23. *Ad secundam.* Dico tertiò (concedendo propositionem, scilicet quòd causatur à causa reali, vt reali, reale est) quòd intellectus diuinus non potest dici causa realis: licèt enim sit realiter infinitus, & perfectissimè existens, non tamen potest esse causa alicuius, loquendo de causa propriè accepta, quia intellectus diuinus vt prior voluntate diuina, tantùm agit per modum naturæ, & necessariò: modò repugnat quòd aliquid sit causa necessaria: vt patet à Doctore *in* 2. *dist.*1. *q.*3. quia cùm dico *causat*, intelligitur causare aliud, & possibile, & cùm dico, *causat necessariò:* dico causatum possibile esse necessarium. Dico ergo, quòd intellectus diuinus tantùm causat illa in *esse* cognoscibili secundùm quiditatem, quod dicitur causa secundùm *quid*, & non propriè causa.

Ad secundum dico, quòd non causat immediatè intelligibilitatem, puta lapidis: sed suo modo producit lapidem in *esse* obiectiuo, ad quem concomitatur talis passio. Cùm dicitur, quòd passio præsupponit essentiam rei. Dico, quòd essentia rei potest dupliciter considerari. Vno modo in *esse* reali. Alio modo tantùm in *esse* obiectiuo, & in *esse* possibili. Tunc dico, quòd passio in *esse* reali præsupponit essentiam in *esse* reali, & passio tantùm in *esse* obiectiuo, siue possibili præsupponit essentiam in *esse* obiectiuo, & possibili tantùm: sic est in proposito: de *esse* intelligibili rei ab æterno: & per hoc patet responsio ad tertiam instantiam. *Ad tertiam.*

Ad quartam. Ad quartam, concedo propositionem illam loquendo de effectu, quem potest producere, sed nego quòd intellectus diuinus possit producere effectum in *esse* realis existentiæ, quia repugnat sibi posse aliquid causare ad extrà: vt patet à Doctore *in isto primo dist.*2.*& dist.*8. *q.vlt.in Quodlib. q.*7. *quæst.*14. *& alibi.* Potest enim producere aliquid extrà tantùm in *esse* obiectiuo, siue possibili. Et loquendo de tali *esse*, dico quòd producit hominem in *esse* perfectissimo, quod sibi potest competere, & sic non posset producere hominem in *esse* perfectiori.

Ad quintum dico primò, quòd non est simile de intellectione obiecti, & de esse obiectiuo talis obiecti, quia fortè intellectus diuinus se solo potest producere secundum, & non primum: sicut etiam intellectus noster causat suo modo intentiones secundas, & hoc tantùm in *esse* obiectiuo, & tamen non causat se solo notitiam earum. Cùm dicitur, quòd essentia magis continet virtualiter, & eminenter. Dico, quòd verum est quantùm ad *esse* reale, & non quantum ad omne obiectiuum, & possibile. Nec tamen sequitur, essentia diuina continet virtualiter *A*, secundùm *esse* reale: ergo immediatè potest ipsum producere in tali *esse*: sufficit enim quòd possit producere diuina, quæ est eadem realiter illi, vt patet à Doctore. Dico secundò, quòd posito quòd producantur in tali *esse* etiam ab essentia diuina, & magis quàm ab intellectu diuino: tamen talis productio magis attribuitur intellectui: sicut etiam Verbum diuinum, licèt sit ab intellectu diuino, & essentia: dicitur tamen exprimi per intellectum. Sed de hoc aliàs erit sermo prolixior. *Ad quintam.*

Ad sextum, dico primò, quòd esse actu intelligibile potest dupliciter intelligi. Vel in actu quiditatiuo obiectali tantùm; vel in actu reali. Primo modo omnia sunt actu entia intelligibilia: non autem secundo modo: dico secundò, quòd actu intelligibile potest adhuc dupliciter accipi. Vno modo, quòd ex natura rei sit præsens intellectui diuino in ratione obiecti actu intelligibilis. Alio modo, quòd dicatur actu intelligibile eo, quòd virtualiter continetur in essentia: per quam est actu intelligibile, ita quòd sola virtute essentiæ habeatur notitia illius, & sit præsens intellectui diuino. Primo modo non sunt actu intelligibilia: sed tantùm secundo modo. 24. *Ad sextam.* *Actu intelligibile accipitur multipliciter.*

Secundò principaliter dubitatur in hoc, quòd dicit quòd *in talibus terminis relucent de se omnes veritates tanquam in obiectis proximis.* Contrà primò, quia veritas relucens in illis terminis, est quædam conformitas euidens vnius termini ad alium terminum: vt patet à Doctore *in præsenti quæst. & alibi*, sed talis conformitas est relatio, vt patet, aut ergo realis, aut rationis: non secundò, quia tunc esset illa veritas tantùm causata ab aliquo extra rationem terminorum, & sic non contineretur virtualiter in terminis, cuius oppositum dicit Doctor. Non primo modo, *Alia diffic.*

quia relatio realis est inter terminos reales, & realiter distinctos, vt patet à Doctore infrà *dist.* 26. sed illi termini, vt sunt præcisè termini propositionis necessariæ, & per se notæ, non habent *esse* reale, quia tunc haberent *esse* tantùm contingenter. Tum etiam, quia hæc est necessaria, & per se nota: *homo est animal rationale*, & tamen termini non distinguuntur realiter: ergo non continent talem conformitatem.

Secundò instatur, ista veritas necessaria, aut præcisè est à terminis, vt obiectis proximis, aut à terminis, & à complexione terminorum: non primò, quia Doctor dicit, sic apprehensa, & composita causant apprehensionis conformitatem; ergo talis conformitas præsupponit compositionem terminorum. Et ibi etiam dicit, videtur quòd contradictionem includat aliquem intellectum talem compositionem formare, & compositionem non esse conformem terminis: ergo talis conformitas non est immediata à terminis illis. Non secundò, quia tunc talis veritas, seu conformitas non esset necessaria, quia dependeret ab intellectu componente terminos, & vltrà euidentia propositionis per se notæ non esset tantùm ratione terminorum, cuius oppositum dicit Doctor supra *dist.* 2. *part.* 1. *quæst.* 2.

Responsio. Respondeo ad primum, quòd illa conformitas non est relatio actualis, nec rationis, nec realis: sed est tantùm relatio fundamentalis: ita quòd termini nullo intellectu considerante, habent necessariam, & euidentem conformitatem ad inuicem, ita quòd animal rationale euidenter includit risibile: percipiens ergo terminos, percipit euidentem conformitatem inter illos, id est, quòd percipit euidenter vnum terminum habere necessariam, & euidentem habitudinem fundamentalem ad alium terminum; puta, quòd vnus euidenter includit alium.

26. Ad secundum dico, quòd tantùm termini includunt illam veritatem, & conformitatem: sed non potest percipi illa conformitas, nisi priùs percipiantur termini illi, & compositio eorum, quibus perceptis statim percipitur, quòd illa compositio est conformis illis terminis. Dico etiam, quòd percipiens terminos illos, nulla facta compositione, euidenter percipit necessariam habitudinem vnius ad alium, & euidentem conformitatem: sed non percipit compositionem esse conformem terminis, nisi priùs componantur, & percipiatur talis compositio.

Termini ante cōpositionem eorum includūt veritatē.

Alia difficultas. Tertiò principaliter dubitatur in hoc, quod dicit, quòd *illa obiecta secundaria sunt lux, quia manifestatiua.* Contra, quia obiectum manifestare se potentiæ est facere cognitionem sui in tali potentia per quam manifestatur, siue cognoscitur: sed hoc non est possibile. Tum, quia habens *esse* tantùm possibile, & secundùm *quid*, non potest esse causa, nec totalis, nec partialis alicuius entis in actu, & absoluti: patet, quia causa non causat realiter, nisi inquantum est in actu: sed notitia illorum obiectorum est entitas realis, & actualis, & absoluta: vt patet *quæst.* 13. *Quodlib.* ergo non sunt manifestatiua sui. Si dicatur, quòd sunt manifestatiua, inquantum sunt in actuali existentia. Contra, quia tunc non causant necessariam veritatem, cùm tantùm habeant *esse* contingens, & possibile.

27. Secundò, posito quòd illa obiecta secundaria causent partialiter notitiam sui, qua fiunt manifesta intellectui: quomodo sunt manifestatiua veritatis necessariæ inclusæ in illis obiectis? Si enim causant talem notitiam euidentem, quæro ad quid terminatur? aut terminatur ad obiecta illa præcisè, aut ad conformitatem terminorum: quæ dicitur veritas, aut ad compositionem terminorum: aliud non videtur posse assignari. Si primò, ergo tantùm habetur notitia de terminis incomplexis. Si tertiò, ergo talis notitia erit præcisè ab intellectu: patet, quia solus intellectus componit illos terminos. Si ergo compositio terminorum præcisè fit virtute intellectus, etiam notitia talis compositionis erit præcisè ab intellectu; ergo illa obiecta non sunt manifestatiua veritatis compositionis. Si secundò, contra, quia illa conformitas, vt dictum est suprà, est tantùm relatio fundamentalis, & talis nihil est distinctum à fundamento, & termino: sed est præcisè fundamentum, & terminus: ergo dicere, quòd talis notitia terminatur ad conformitatem, est dicere, quòd præcisè terminatur ad terminos, & sic tantùm erunt termini manifesti.

Respondetur ad primum: & dico primò, quòd etsi non possint causare talem notitiam virtute propria, sufficit quòd virtualiter contineantur in aliquo, quòd possit causare huiusmodi notitiam, & sic continentur in voluntate diuina. Dicimus enim quòd omne obiectum est manifestatiuum sui, potentiæ cuius est obiectum, & tamen non quodlibet potest causare notitiam sui: sed sufficit quòd virtualiter, vel essentialiter contineatur in aliquo, quod sit causatiuum talis notitiæ. *Responsio.*

Nō quodlibet obiectū causat notitiam sui.

Dico secundò, quòd species intelligibilis eorum est causatiua talis notitiæ, quæ species causatur saltem remotè ab aliquo singulari extrà existente, & propinquè ab intellectu agente, & phantasmate, vt aliàs exposui: & hoc modo possunt dici causare notitiam sui.

Dico tertiò, quòd aliquid manifestari potest dupliciter intelligi, scilicet effectiuè, vel formaliter. Primo modo causans notitiam alicuius obiecti manifestat effectiuè illud. Secundo modo, obiectum relucens in tali notitia, fit formaliter notum tali notitia, & hoc tantùm denominatione extrinseca, vt patet per Doctorem *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. & sic obiectum actu cognitum manifestat se formaliter, quia tunc est notum intellectui. Dico breuiter tamen, quòd ista obiecta secundaria sunt propriè manifestatiua veritatis inclusæ in illis: sic tamen intelligendo, quòd ipsis terminis cognitis, vndecunque causetur talis notitia, statim vt sic cogniti causant euidentem conformitatem fundamentalem in intellectu apprehendente terminos illos: stante enim notitia horum terminorum, scilicet *animalis rationalis, & risibilis*, statim est notum intellectui, quòd animal rationale immediatè, & adæquatè includit risibile, sicut etiam stante notitia perfecta duorum alborum, est immediatè notum, quòd illa duo alba sunt fundamentaliter similia: sic in proposito.

Ad secundum, dico primò, quòd loquendo de veritate, siue de conformitate fundamentali, quòd notitia talis veritatis præcisè terminatur ad terminos: sicut cognitio similitudinis fundamentalis præcisè terminatur ad duo alba; sic in proposito, nec est necesse quòd terminetur ad aliquod tertium distinctum à terminis. 28.

Notitia veritatis fundamentalis propositionis terminatur ad terminos.

Dico secundò, quòd loquendo de veritate compositionis terminorum, quòd notitia veritatis necessariæ non terminatur præcisè ad illam

compo

compositionem, sed terminatur ad compositionem, & ad terminos simul, quia tunc apprehendit compositionem talem esse verè conformem terminis, id est, quòd sicut termini habent conformitatem ad inuicem: sicut totum & pars habent talem conformitatem, quòd totum natum est esse maius parte: ita si eodem modo ab intellectu componantur formando istam: *Totum est maius parte*, tunc percipiens talem compositionem, & etiam terminos, percipit manifestè talem compositionem esse conformem terminis, & hoc vndecunque causetur talis notitia.

Concedo etiam, quòd secundo modo terminatur ad conformitatem fundamentalem, non ad relationem realem actualem, quia nec termini habent *esse* actuale, sed tantùm *esse* obiectiuum, & possibile.

29. Ex his aduerte benè, quomodo termini propositionis continent necessariò, & adæquatè euidentem veritatem propositionis per se notæ, & quòd talis euidentia præcisè depẽdet ab illis terminis: licèt enim illi termini sint immediatè causati ab intellectu diuino, qui causat illos in tali *esse*: concomitanter dat etiam talem conformitatem: ita quòd talis conformitas est tantùm ab illis terminis, vt à causa immediata totali præcisa, & adæquata: ita quòd ipsis circunscriptis est simpliciter impossibile, quòd habeatur talis conformitas: ista tamen conformitas est etiam ab intellectu diuino, vt à causa tantùm remota, pro quanto scilicet causat terminos in tali *esse*, sed ipsis causatis, tunc conformitas actualis, si qua sit, erit præcisè à terminis.

Ex his infero, quòd licèt notitia propositionis per se notæ possit aliunde causari, quàm à terminis: tamen conformitas euidens non potest aliunde causari præterquam à terminis. Et vltrà licèt absolutè possit aliunde causari notitia propositionis per se notæ: tamen quòd causetur talis notitia, vt euidens fortè non potest sic causari, nisi fortè ab illo, qui virtualiter, & eminenter continet terminos secundùm totam eorum entitatem, quod fortè soli Deo competit, vt exposui in secundo, *dist*.3. Et omnia ista benè nota, & pondera, quia ad multa valent.

30. *Quarta definitio.* Quartò principaliter dubitatur in hoc, quod dicit, scilicet quòd *ab essentia diuina sumuntur omnia principia tam practica, quàm speculabilia*. Contrà. Primò, quia de eodem obiecto sub eadem ratione formali considerato, esset scientia practica, & speculatiua, quod non videtur, quia tunc practica, & speculatiua non distinguerentur ab obiectis: cuius oppositum expressè tenet *quæst. vlt. prolog.* Patet, quòd non distinguerentur per obiecta, quia à quo sumuntur principia, siue practica, siue speculatiua, ab eodem sumuntur omnes conclusiones virtualiter contentæ in illis principiis, vt patet per Doctorem, *vbi suprà*, & per consequens ab eodem sumitur tota scientia. Cùm ergo omnia principia tam practica, quàm speculatiua accipiantur à Deitate, sequitur propositum, scilicet quòd istæ scientiæ non distinguuntur per obiecta. Nec valet dicere, quòd essentia diuina, prout consideratur sub alio & alio respectu, potest accipi alia & alia scientia, & sic vt consideratur sub ratione vltimi finis, accipitur scientia practica, & vt consideratur sub illo respectu, quo est principium omnium, accipiuntur principia speculatiua, quia isti respectus sunt tantùm respectus rationis, vt patet, & sic scientiæ illæ essent tantùm entis rationis, & non realis obiectiuè, quod est inconueniens.

Secundò instatur, quia tunc sequeretur, quòd omnis scientia speculatiua esset verè practica, quod est impossibile. Probatur, quià omnis talis habet essentiam pro vltimo fine: patet, quia omnis scientia est ordinabilis ad vltimum finem omnium: & sic ad essentiam, vt ad vltimum finem. 31.

Respondeo ad primum. Dico primò, quòd sustinendo quòd scientia practica, & speculatiua distinguantur propter distincta obiecta, vel propter distinctas rationes formales, in eodem obiecto: dico, vt dixi *in illa quæst. prolog. de praxi*, respondendo ad rationes Gregorij. vide ibi. *Responsio.*

Dico secundò, quòd non apparet inconueniens, quòd de eodem obiecto simpliciter illimitato, & sub eadem ratione formali, reali tamen & absoluta, sumantur tam principia practica, quàm speculatiua.

Cùm dicitur, quòd hoc est contra Doctorem.

Dico quòd non dicit ibi expressè, quòd speculatiua denominetur ab alio obiecto, & practica ab alio: sed dicit, quòd practica sumitur ab obiecto, & non à fine, vt finis est: nec à praxi, sed tantùm à fine, siue ab obiecto praxis: non negando quin etiam ab eodem obiecto non possit accipi scientia speculatiua.

Dicit enim Doctor *in primo Metaphysicæ suæ, quæstione septima.* vbi sic dicit: *patet quomodo Deus inquantum Deus, vel inquantum bonus, vel secundùm aliam rationem absolutam, potest esse obiectum scientiæ practicæ: ergo scientia practica, & speculatiua non distinguuntur penes obiectum, quia nullum est intelligibile, circa quod non possit esse secundùm rationem absolutam eius, ita operatio voluntatis sicut operatio intellectus.* hæc ille. Et sic posset concedi, quòd ab eodem obiecto simpliciter illimitato, & fortè etiam non illimitato, potest esse scientia practica, & speculatiua: practica tamen dirigit ad dilectionem illius, vt vltimi finis: speculatiua tantùm stat in consideratione absoluta illius essentiæ. Et per hoc patet responsio ad secundum. *Scientia practica, & speculatiua non distinguũtur penes obiectũ.*

SCHOLIVM.

Ponderat, & vberiùs explicat tria illa argumenta adducta, num. 3. non quatenus faciunt pro conclusione falsa Henrici, sed vt conformia intento Augustini.

DE sexto articulo videndum est quomodo illæ tres rationes factæ pro prima opinione, aliquid veri concludunt, inquantum accipiuntur ab Augustino, licèt non concludant illam conclusionem falsam, ad quam inducuntur. *Sic in antiquis originalibus.*

Vbi sciendum est, quòd à sensibilibus, sicut à causa per se & principali, non est expectanda sincera veritas, quia notitia sensus, est circa aliquid per accidens, vt dictum fuit, licèt actus sensuum aliqui sint certi & veri: sed virtute intellectus agentis, qui est *A sensibilibus non est expectanda sincera veritas.*

 partici

participatio lucis increatæ, illustrantis super phantasmata, cognoscitur quiditas rei, & ex hoc habetur sinceritas vera, & per hoc soluitur primum argumentum Henrici, & secundùm intentionem Augustini non plus concludit.

Ad secundam rationem Henrici dico, quòd anima mutabilis est ab vno actu disparato ad alium, secundùm diuersitatem obiectorum,& suam illimitationem, & immaterialitatem, quia est respectu cuiuslibet entis. Similiter ab actu in non actum, quia non semper est in actu;sed respectu primorum principiorum,quorum veritas nota est ex terminis, & conclusionum euidenter deductarum ex terminis, non est mutabilis à contrario in contrarium, scilicet à vero in falsum. Regulæ enim in lumine intellectus agentis intellectum rectificant, & ipsa species intelligibilis terminorum, licèt in essendo sit mutabilis, in repræsentando tamen in lumine intellectus agentis, immutabiliter repræsentat,& per duas species intelligibiles cognoscuntur termini primi principij,& ita illa vnio est vera & certa euidenter.

Henr. negat speciē intelligibilem Quodlib. 5. q. 4. de quo Scot. hîc q. 6.& 7. Vide 4. de Animalibus.

Ad tertium dicendum, quòd concludit contra eum, quia non ponit nisi speciem sensibilem, vel phantasma: non autem concludit de specie intelligibili repræsentante quiditatem.

Dicendum autem, quòd si potentiæ sensitiuæ non sunt impeditæ, species sensibilis veraciter repræsentant rem: sed in somno potentiæ sensuum exteriorum sunt ligatæ, ideò virtus imaginatiua, conseruans species sensibiles, secundùm diuersitatem fluxus humorum capitis, apprehendit eas tanquam res, quarum sunt similitudines, quia vim rerum habent, secundùm Philosophum de motibus animalium. non plus concludit tertia ratio.

QVÆSTIO V.

De Vestigio.

Vtrùm in omni creatura sit vestigium Trinitatis.

D.Thom. 1.*p. quæst.*45.*art.*7. *&* *quæst.*93. *art.*6. Richardus *hîc art.*3. *quæst.*1.2.3. Henric. *Quodlib.* 9. *q.*1. *&* 2.*&* *Quodlib.*3. *quæst.*9. D.Bonau. *hîc art.*1. *quæst.*4. Bassol.*quæst.*4. Philip.Faber *hîc disp.*28. Mayron *hîc quæst.*3. Durand. *hîc q.*4.

1. Mag. F. Secunda parte huius 3. dist. agit Magister de cognoscibilitate Dei per vestigium. Argum.3.

QVòD non, quia per vestigium potest inuestigari naturaliter, illud cuius est vestigium: ergo per creaturam posset naturaliter inuestigari Trinitas; quod est falsum, quia hoc excedit naturalem rationem.

Item, si in natura intellectuali est imago Trinitatis: igitur non vestigium. Consequentia patet, quia ista habent oppositas, & distinctas rationes repræsentandi: igitur non conueniunt eidem.

Item, natura intellectualis, quia nobilior est, habet aliam rationem repræsentandi, quàm aliæ naturæ inferiores, vt rationem imaginis: sed citra naturam intellectualem, sunt naturæ multæ habentes ordinem in perfectione, sicut sunt animata supra inanimata, & mista supra simplicia: ergo in eis erit alia ratio repræsentandi, ita quòd ratio vestigij non erit communis omnibus.

Ratio ad oppos.

Contra 6. de Trin. cap.vltimo, *Oportet igitur, vt & creatorem, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicientes, intelligamus Trinitatem, cuius in creatura, quo modo dignum est, apparet vestigium.*

In ista quæstione tria sunt videnda. Primò, quia secundùm Philosophum, omnes transferentes secundùm aliquam similitudinem transferunt. Videndum primò est de ratione vestigij in corporalibus, vnde translatum est nomen eius ad propositum.

Secundò videndum est, quæ sit ratio vestigij, secundùm quam transfertur ad propositum,& in quo consistat, & respectu cuius in Deo, sit ratione vestigij in creatura.

Tertiò videndum est, in quibus fundatur respectus vestigij, siue creaturæ ad Deum, siue è conuerso, cuius dicitur vestigium.

SCHOLIVM.

Ponit opinionem D. Thom. de ratione vestigij in corporalibus, & opinionem Henrici, de ratione secundùm quam transfertur ad propositum, & in quo consistit, & quid in Deo correspondeat.

2. D.Th. in 1. d.3. art.2. & in 1. p. q.45. art.7.

QVantùm [a] ad primum dicitur, quòd *vestigium est impressio derelicta ex transitu alicuius super vacuum, vel plenum, ipsum imperfectè repræsentans:* & ideò imperfectè, quia

quia vestigium repræsentat aliquid confusè, & sub ratione speciei: imago perfectè, quia sub ratione indiuidui. Sicut per vestigium distinguitur equus à boue, & cognoscitur, quòd transiens est equus, non bos: non autem distinguitur hic equus ab illo, sed imago distinguit sub ratione indiuidui: quia imago Iouis non repræsentat Cæsarem.

Quantùm ad secundum [b] articulum dicitur, quòd creatura habet ad Deum triplicem relationem, sicut ad triplicem causam, & hoc secundùm tres modos relatiuorum, quos ponit Philosophus 5. *Metaphysicæ*. *Henric. Quodlib. 9. q. 1. & 2. Text. 20.*

Quantùm ad primum modum refertur ad Deum relatione fundata super vnum, scilicet relatione similitudinis, & hoc inquantùm creatura est exemplata, & refertur ad Deum inquantùm est causa exemplaris.

Quantùm ad secundum modum, scilicet potentiæ, refertur creatura ad Deum, vt productum ad producentem.

Quantùm ad tertium modum, scilicet modum mensuræ refertur ad Deum, vt ordinata ad ipsum sicut ad causam finalem.

Isti igitur tres respectus integrant rationem vestigij, quia vnus non sufficit sine aliis, vt colligitur ab August. 83. q. q. 74. *De duobus ouis*, &c. habetur hîc igitur in quo consistit ratio vestigij in creatura. Sed respectu [c] cuius est ex parte Dei?

Respondeo, respectu appropriatorum tribus personis diuinis: nam creatura per primum respectum, scilicet similitudinis, repræsentat artem exemplantis, quæ appropriatur Filio: per secundum repræsentat potentiam producentis, quæ appropriatur Patri; per tertium repræsentat bonitatem finientis, quæ appropriatur Spiritui sancto.

Contra illud [d] quod dicitur in primo membro, si tantùm esset vnum animal, ita quòd non esset aliud possibile in vniuerso, adhuc eius vestigium non esset eius imago, quia adhuc non esset eius vestigium similitudo totius, sed partis: imago autem est totius similitudo, & tamen tunc non repræsentaret ipsum confusè, id est, secundùm aliquam rationem communem sibi & aliis.

Dicetur quòd sic, sicut modò Sol est vniuersale, licèt impossibile sit esse plures Soles. & scientia, quæ est de ipso sub ratione vniuersalis, non de hoc Sole, & ita species intelligibilis repræsentat vniuersale, non autem, hoc, licèt vniuersale non posset esse nisi in hoc. ADDITIO.

Contrà, si respectu alicuius inquantum est hoc, vestigium non est imago, habetur propositum, & hoc posito quòd per quamcunque potentiam, ab hoc nihil abstrahi poßit, sed hoc posito, adhuc posset repræsentare totum hoc vt hoc, aut partem huius, vt huius.

Item, si partes animalium diuersorum specie, quæ imprimunt in molle cedens, essent similes in quantitate & figura, vestigium non duceret in cognitionem sub ratione speciei: sed tantùm sub ratione generis. Similiter, si in eadem specie essent partes dißimiles in quantitate & figura, vestigium duceret in cognitionem indiuidui vt hoc, licèt non totius, vt repræsentati totaliter: ergo accidentalis differentia est species, vel non species.

COMMENTARIVS.

a QVantum ad primum articulum. Hîc recitatur prima opinio sancti Thomæ, quæ opinio stat in duobus dictis.

Primum est de descriptione vestigij. & dicit, quòd *Vestigium in corporibus est impreßio derelicta ex transitu alicuius super vacuum* (supple in potentia plenum) *vel supra plenum, ipsum imperfectè repræsentans:* illud supple cuius est vestigium. Et nota, quòd vestigium in corporibus non est aliquid impressum super omnino vacuum, nec super omnino durum, nec super omnino fluidum, sed super materia molli, quæ cedit, & impressionem recipit & seruat.

Secundum dictum est, quòd vestigium repræsentat aliquid tantùm sub ratione speciei; imago verò sub ratione indiuidui. Et exempla patent in litera.

b *Quantùm ad secundum articulum*, in quo quæritur de ratione vestigij, siue in quo consistit ratio vestigij Trinitatis.

Hîc recitatur opinio Henrici *Quodlib. 9. quest. 1. & 2.* qui dicit, quòd creatura habet triplicem relationem ad Deum, secundùm tres modos relatiuorum, quos ponit Philosophus 5. *Metaph. text. com. 20.*

Quorum primus fundatur super *vnum*, & *multa*, vt similitudo super *vnum*, & dissimilitudo super *multa*, & æqualitas super *vnum*, & inæqualitas super *multa*, & quomodo hoc sit, infrà exponam, *dist. 31.*

Secundus modus fundatur super actionem, & passionem, siue super potentiam actiuam, & passiuam, vt paternitas, & filiatio: & quomodo hoc intelligatur, vide Doctorem *in 3. dist. 9. & in Quodlib. q. 13.*

Tertius modus fundatur super mensuram & mensurabile: de quo modo subtiliter vide Doctorem *in Quodlib. q. 13.* Dicit ergo Henricus quòd secundùm primum modum creatura dicit relationem exemplati ad suum exēplar, & quo ad secundum modum dicit relationē ad Deum vt causati ad causam: & quo ad tertiū modum dicit relationem mensurati ad Deum mensurantem, siue ad Deū, vt finita ad causam finalem. Et sic ratio vestigij Trinitatis in creatura, cōsistit in his tribus respectibus simul, ita quòd vnus sine alio nō sufficit.

c *Sed*

3. c *Sed respectu cuius est ex parte Dei? id est, quid repræsentat vestigium in Deo?* Dicit Henricus quòd tantùm repræsentat appropriata tribus personis diuinis, quia per primum respectum, scilicet similitudinis, repræsentat artem exemplantis, quæ appropriatur Filio; per secundum, potentiam producentis, quæ appropriatur Patri; per tertium, bonitatem finientis, quæ appropriatur Spiritui sancto, & sic patet opinio Henrici.

4. d *Contra illud, quod dicitur in primo membro.* Hîc Doctor arguit contra id, quod dicit Thomas *vbi suprà*, scilicet quòd vestigium repræsentat tantùm sub ratione speciei, & imago sub ratione indiuidui. Et supponit vnum, etiam secundùm Thomam, quòd imago repræsentat totum immediatè, & vestigium repræsentat partem. Si ergo per possibile tantùm esset vnus homo in mundo, & à me esset cognitus, si viderem vestigium pedis illius hominis, certum est quòd tale vestigium non repræsentaret ipsum hominem confusè, id est, secundùm aliquam rationem communem sibi, & aliis, sed repræsentaret ipsum distinctè, & tamen illud vestigium, vel similitudo pedis, non diceretur imago: ergo falsum est dicere, quòd illud, quod repræsentat aliquid sub ratione indiuidui, est imago eius. Nam ad hoc quòd dicatur imago, requiritur quòd repræsentet, vel quòd sit similitudo totius indiuidui, & secundùm omnes partes: patet etiam quòd non est verum, quòd vestigium tantùm repræsentat sub ratione speciei per casum positum, scilicet si tantùm esset vnus homo, &c.

SCHOLIVM.

Describit vestigium, & refutat modos dicendi D. Thom. & Henrici relatos: litera est satis clara.

3. *Quid vestigium sit?* QVantùm [a] ad hoc igitur dico, quòd vestigium, & similitudo illius partis animalis, à qua imprimitur in aliquid sibi cedens: sed similitudo expressa partis, non est similitudo totius, quia neque secundùm rationem totius in se, nec etiam qua totum immediatè cognoscitur: sed arguitiuè tantùm ex hoc quòd cognoscitur illud repræsentatum esse aliquid illius. & ideò si illud suppositum sit falsum, puta quòd illud imprimens est separatum à toto, vt si pes amputatus à corpore, imprimeret vestigium, erraret quis circa totum, cuius nata est esse talis pars impressiua vestigij. Patet etiam, quòd si totum corpus esset ita impressum pulueri, sicut modò pes est impressus, illa impressio derelicta verè esset imago, & similitudo totius, sicut modò vestigium est similitudo partis. Hoc etiam ad [b] propositum applicando, non videtur quòd prima differentia posita inter vestigium & imaginem, sit vera: quia nulla creatura repræsentat Deum, nisi secundùm conceptus communes, & non secundùm conceptus speciales, scilicet speciei specialissimæ: ergo non est differentia creaturæ ad creaturam in repræsentando Deum in ratione communi, & non communi.

Differentia inter vestigiũ & imaginem. Nulla creatura vt cognita repræsentat Deũ in particulari.

Impugnat Henricum. Quod etiam [c] dicitur in secundo membro, quòd vestigium consistit in istis tribus relationibus, non videtur verum: quia licèt ratio vestigij dicat respectum, quemadmodum similitudo: realiter tamen non est respectus tantùm, sicut non dicitur similitudo esse in respectu præcisè: sed in aliquo absoluto, in quo fundetur relatio similitudinis. Ita videtur etiam ratio vestigij non esse in respectu præcisè: sed in aliquo, in quo fundatur ille respectus. & hoc probatur sic, quia vestigium est similitudo vestigiati, ex quo cognito cognoscitur illud: ergo vestigium potest præcognosci naturaliter illi, cuius est vestigium: sed relatio non potest præcognosci termino naturaliter.

Definitio vestigij.

4. *Text. 20.* Item, quod dicitur [d], quòd illi tres respectus pertinent ad illos tres modos relatiuorum, hoc videtur falsum, quia Philosophus 5. *Metaph.* ponens differentiam duorum modorum ad tertium, vult, quòd in duobus primis modis sit mutua relatio, in tertio autem non, sed tantùm vnum dicitur ad aliud, quia aliquid est eius. Omnis autem relatio creaturæ ad Deum est non mutua, sed tantùm dicitur Deus ad creaturam: quia creatura ad ipsum: ergo omnis respectus creaturæ ad Deum, est secundùm tertium modum.

Vbi suprà. Quod autem [e] adducit de primo modo, de similitudine, non valet; quia illa similitudo, quæ est exemplati ad exemplar, non est de primo modo, quia non est similitudo vniuocationis, sed imitationis, imò pertinet ad tertium modum, sicut manifestè patet per Philosophum, qui in tertio modo ponit relationem scientiæ ad scibile, & vniuersaliter mensurati ad mensuram, exemplar autem habet relationem mensuræ respectu mensurati, vel exemplati: ergo, &c.

COMMENTARIVS.

a QVantum ad hoc. Doctor describit vestigium in corporibus, dicens: *Vestigium est similitudo illius partis animalis, à qua imprimitur in aliquid sibi cedens: per cuius cognitionem arguitiuè deuenitur in cognitionem totius.* Id est, quòd vestigium est aliquid impressum ab aliqua parte animalis, puta à pede hominis, quod impressum, est immediatè similitudo illius partis, qua parte cognita, faciliter deuenimus in cognitionem totius: nam per illud vestigium cognoscitur immediatè,

diatè, quòd pars imprimens sit pars illius totius, per quam cognitam arguitiuè cognoscatur totum. Si autem impressum esset immediatè similitudo totius, tunc non diceretur vestigium, sed imago illius. Et patet litera Doctoris.

Sed aliqualiter dubitatur, quomodo per vestigium cognoscitur vestigiatum: non enim cognitio partis est causa cognitionis totius, cùm cognitio totius sit perfectior cognitione partis. Tum etiam, quia vestigium est similitudo partis: sed non potest cognosci similitudo partis, puta hominis, nisi præcognita parte illa: & illa pars non cognoscitur esse pars hominis, nisi præcognoscatur homo: si ergo præcognoscitur homo, ergo per vestigium cognitum non deuenitur in cognitionem vestigiati, quia præcognoscitur.

2. Dico, quòd cognitio partis non est causa cognitionis totius: sed parte cognita, inclinatur intellectus ad cognoscendum totum, cuius est pars: ita quòd cognitio totius aliunde causatur: sicut cognitio effectus non est causa cognitionis causæ: sed cognito effectu, mouetur intellectus ad cognoscendam causam, & cognitio causæ aliunde causatur, quàm ab effectu, vt suprà expositum est quæst. 1. prologi. Ad aliud concedo, quòd actu non cognoscitur similitudo partis, nisi etiam toto simul cognito, nec etiam actu cognoscitur illud impressum esse similitudinem partis, parte non præcognita.

Quomodo per vestigiū cognoscitur vestigiatum. Quomodo ergo per vestigium cognoscitur vestigiatum, si illud præcognoscitur? Dico, quòd absolutum vestigij priùs cognoscitur in se, & pòst cognoscitur quòd est similitudo partis, præhabita cognitione partis in se: & quia illa est pars totius, habita cognitione partis potest inquisitiuè deueniri in cognitionem totius, & hoc modo per vestigium cognoscitur vestigiatum, priùs tamen ignotum; & habita cognitione vestigiati, tunc actu potest cognosci tale impressum esse formaliter vestigium talis vestigiati.

3. *Doctor improbat opinionē D. Thomæ.* b *Hoc etiam ad propositum applicando.* Hîc Doctor improbat opinionem Thomæ, de illa differentia posita inter vestigium, & imaginem, loquendo de vestigio, & imagine Trinitatis, quia nulla creatura repræsentat Deum, nisi secundùm conceptus communes, & non secundùm conceptum specialem, scilicet speciei specialissimæ, vt diffusè ostensum est suprà *quæst. 1. præsentis dist.* Et sic non est differentia creaturæ ad creaturam, puta lapidis ad animam rationalem, in repræsentando Deum in ratione communi, & non communi, quia omnis creatura, quæcunque sit illa, tantùm repræsentat Deum in conceptu communi.

Hic improbat opinionē Henrici. c *Quod etiam dicitur in secundo membro.* Hîc improbat opinionem Henrici, & primò in hoc, quod dicit, quòd vestigium tantùm consistit in relationibus. Et dicit Doctor quòd consistit etiam in aliquo absoluto, in quo fundatur relatio similitudinis, scilicet vestigij ad vestigiatum. Hoc probat. Quia vestigium est similitudo vestigiati, ex quo, supple vestigio cognito, cognoscitur illud vestigiatum, & sic vestigium potest præcognosci naturaliter illi, cuius est vestigium: sed relatio non potest præcognosci termino naturaliter: si enim vestigium tantùm esset relatio, vt dicit Henricus, nunquam per vestigium cognosceretur vestigiatum, quia vestigiatum est terminus talis relationis: sed terminus semper priùs cognoscitur relatione, vt dixi suprà; imò nulla relatio potest cognosci, nisi termino præcognito.

d *Item, quod dicitur, quòd illi tres respectus pertinent ad illos tres modos relatiuorum.* Secundò Doctor improbat Henricum, ex hoc quod dicit, quòd relatio primi, & secundi modi fundatur in creatura ad ipsum creatorem. Cùm ergo talis relatio sit mutua, vt patet per Aristotelem 5. *Metaph. text. com.* 20. sequeretur quòd Deus posset referri ad creaturam relatione reali, quod est impossibile, vt tenent communiter Doctores, & subtiliter probat Doctor infrà *dist.* 30. 4.

e *Quod autem adducit de primo modo de similitudine, non valet*, quia similitudo primi modi est similitudo vniuocationis: patet per Aristotelem 5. *Metaph. cap. Ad aliquid:* talis enim similitudo propriè fundatur super vnum speciei: sicut dicimus, quòd album est simile alteri albo, quia vtrunque album participat albedinem in communi: & patet quòd huiusmodi similitudo non est creaturæ ad Deum: imò secundùm ipsum, non est aliqua conuenientia creaturæ ad Deum in aliquo conceptu vniuoco, vt suprà patuit *quæst.* 1. *præsentis distinct.* Similitudo ergo exemplati ad exemplar non est similitudo vniuocationis (cùm exemplar, & exemplatum non vniuocentur, nedum in aliqua specie specialissima, sed nec in aliquo conceptu etiam communissimo) sed magis exemplati ad exemplar est similitudo imitationis, & per consequens talis relatio magis pertinet ad tertium modum relatiuorum, quæ relatio est mensurati ad mensuram: exemplar autem habet rationem mensuræ respectu exemplati.

SCHOLIVM.

Scotus ex Augustino putat vestigium consistere in tribus, vnitate, specie, ordine, quibus in Deo respondent vnitas summa principij, pulchritudo, perfecta operatio. Ponit alios modos, notat variè posse aßignari rationem vestigij in illis quæ per rationem similitudinis, vel proportionalitatis, repræsentant aliqua personis diuinis appropriata.

QVantùm [a] ergo ad secundum articulum concedo quòd omnis respectus creaturæ ad Deum, pertinet ad illum tertium modum relatiuorum. Nec in solis respectibus consistit vestigium, sed in aliquibus absolutis, & fortè in aliquo respectu, sicut in tertia sui parte, secundùm quòd assignat Augustinus partes vestigij 6. *de Trinit. cap.* 10. vbi dicit de creaturis, *Hæc igitur omnia, quæ arte diuina facta sunt, & vnitatem quandam in se ostendunt, & speciem, & ordinem,* vnitas autem est perfectio absoluta, sicut patet per exempla sua ibi, *Vnum aliquid est, sicut sunt naturæ corporum, ingeniáque animarum,* &c. species etiam, seu forma, absolutum aliquid est, sicut patet per exempla sua ibidem, sicut sunt qualitates corporum, & doctrinæ animarum. Ordo autem aliquem respectum dicit, sed non ad finem vltimum, sed ad operationem. vnde dicit, *aliquem ordinem* 5.

Vestigium secundum Aug. consistit in tribus, vnitate, specie, ordine.

tenet

tenet sicut sunt pondera, & collocationes corporum, & amores, aut delectationes animarum, quare, &c.

Tria in Deo correspondentia tribus in vestigio. Hæc tria sic sumpta [b] repræsentant sub ratione similitudinis tria correspondentia eis in Deo, quia vnitas repræsentat summam vnitatem primi principij, à quo est origo, & quo ad hoc ait, *In illa Trinitate summa origo est rerum omnium. Species in creatura repræsentat summam pulchritudinem in Deo.* Vnde & subdit, *& summa pulchritudo.* Ordo siue operatio in creatura repræsentat operationem perfectissimam in Deo, & quoad hoc subdit, & *beatissima delectatio.* *al. perfectissima.*

Possunt & alia multa in creaturis assignari, quæ velut similia repræsentant in diuinis aliqua appropriata personis: puta *vnum, verum, bonum. Vnum* in creatura repræsentat vnitatem appropriatam Patri. *Verum* veritatem appropriatam Filio. *Bonum,* bonitatem appropriatam Spiritui sancto: & istæ omnes perfectiones substantiæ sunt absolutæ, & repræsentant absolutas Dei perfectiones personis appropriatas.

Aliter multipliciter assignatur vestigium, siue in illis, quæ per rationem similitudinis repræsentant aliqua appropriata personis, siue per rationem proportionalitatis. Dico autem proportionaliter repræsentare, quando ratio illius repræsentantis, non est formaliter in Deo, sed aliquid proportionale illi rationi, sicut de illa assignatione, *modus, species,* & *ordo,* cum qua videtur esse eadem illa assignatio, Sapientiæ 11. *In numero, pondere & mensura.*

Cap. 5. *Cap. 3.* Augustinus super Gen. lib. 4. *Mensura omni rei modum præfigit. Numerus omni rei speciem præbet, & pondus ad quietem ac stabilitatem trahit,* & pòst: *fateamur ergo dictum esse, omnia in mensura, & numero, & pondere disposita, tanquam dictum esset, ita disposita vt haberent proprias mensuras suas, & proprios numeros, & proprium pondus, quæ in eis pro sui cuiusque generis mutabilitate mutarentur augmentis & diminutionibus, multitudine & paucitate, leuitate & grauitate.*

6. Modus accipitur pro limitatione, & pro eodem accipitur Mensura in illa assignatione, Sapientiæ 11. Pondus autem accipitur ibi pro ordine, & Numerus pro specie. Numerus siue species, & pondus siue ordo, exponantur sicut in prima assignatione. Sed mensura, quæ est idem, quod modus, non repræsentat aliquid sub ratione similitudinis, sed sub ratione proportionabilitatis, quia limitatio producti repræsentat potentiam illimitatam producentis. & sic patet quibus in creatura consistit vestigium, & respectu quorum in diuinis, quia respectu appropriatorum personis diuinis.

Persona & ei appropriatum est quasi pars Trinitatis. Sed quomodo [c] accipitur ratio vestigij in diuinis, cùm sit similitudo partis, cùm in diuinis non sit pars?

Respondeo, vt Trinitas est [d] quasi quoddam totum numerale, saltem in conceptu intellectus nostri, persona est ibi, quasi pars huius totius: ita etiam appropriatum personæ, inquantum appropriatum, est ibi quasi pars eiusdem: quia accipitur pro illo, cui appropriatur. Nec tantùm hoc, sed etiam appropriabile, licèt non acceptum vt appropriatum, adhuc est ibi, quasi pars eiusdem, quia eius ratio, vt est, & vt concipitur completè saluatur in vna persona; & per consequens ratio eius non ponit Trinitatem, sed ponit concomitanter vnitatem alicuius personæ in qua sit. Licèt igitur creatura communiter non repræsentet, nec personam vt persona, quæ est in intellectu nostro quasi pars Trinitatis, nec appropriatum vt appropriatum: non enim sic cognoscitur appropriatum, nisi cognoscatur illud cui appropriatur: repræsentat tamen appropriabile, in quo saluatur quasi ratio partis, modo prædicto, respectu Trinitatis.

COMMENTARIVS.

a QVantum ergo ad secundum articulum. Hîc Doctor determinat, in quibus consistit vestigium Trinitatis. Et primò dicit quòd *Omnis respectus creaturæ ad Deum, pertinet ad tertium modum relatiuorum.* & conclusio debet sanè intelligi: non enim omnis respectus creaturæ ad Deum est mensurati ad mensuram, vt patet de respectu effectus ad causam: sed quantùm ad hoc, quia nulla relatio creaturæ ad Deum est mutua. Deinde dicit, quòd vestigium consistit in aliquibus absolutis: & fortè in aliquo respectu sicut in tertia sui parte. Et primò probat de absolutis per Augustinum. *Vnum,* inquit, *aliquid est sicut natura corporum:* vnitas enim accipitur pro ipsa entitate. *In quibus consistit vestigium.*

Ordo autem aliquem respectum dicit, &c. Et fortè hîc *ordo* accipitur pro respectu actus primi ad actum secundum: & si *ordo* accipitur pro ipsa operatione vt amor, & huiusmodi, satis patebit *in quæst.* 13. *Quodlib.* quòd licèt operatio talis, puta intellectio, & volitio, includat aliquem respectum: non tamen est essentialiter relatio.

b *Hæc tria sic sumpta repræsentant sub ratione similitudinis,* &c. Nota quòd hîc non accipitur propriè *similitudo,* quæ est inter indiuidua eiusdem speciei specialissimæ: sed accipitur *similitudo* tantùm vniuocationis, pro quanto scilicet quòd vnitas, quæ est formaliter in creatura, & vnitas, quæ est formaliter in Deo, conueniunt vniuocè

vniuocè in vnitate communi: & hæc similitudo vltra hoc, quòd est vniuocationis, habet etiam, quòd illa similia conueniunt vniuocè in conceptu, qui eodem nomine dicitur: & quo ad hoc differt vestigium hoc modo acceptum à vestigio secundùm proportionalitatem. Licèt enim productum & producens primum sint vniuocè, saltem in conceptu entis, & sic aliqualiter dicantur similia summæ vniuocationis in conceptu entis: non tamen sunt vniuoca modo supradicto, vt patet: & sic patet litera.

Quomodo accipiatur ratio vestigij in diuinis.

2. c *Sed quomodo accipitur ratio vestigij in diuinis*, &c. Nota pro intelligentia huius literæ, quòd in diuinis propriè non est numerus, vt declarat Doctor infrà *distinct.* 24. nec propriè pars, nec quasi pars constitutiua, vt infrà patebit *distinct.* 5. *quæst.* 2. licèt possit esse ibi quasi pars, non integralis, nec essentialis, sed subiectiua, vt suprà dixi *in proleg. in quæst. de subiecto Theologia*, quòd tres personæ sunt quasi partes subiectiuæ: tamen vt nos concipimus Trinitatem esse quoddam totum, non in re, sed in nostro intellectu, sic concipiente: persona erit ibi pars, vt concipitur in nostro intellectu. Et nota, quòd per rationem vestigij non deuenimus in cognitionem personarum, quo ad earum propria: sed tantùm quo ad appropriata: & quia vnum, verum, bonum, sunt in qualibet creatura, & hæc sunt appropriabilia tribus personis: & si actu ista tria, quæ complent rationem vestigij, approprientur illi personæ, adhuc in intellectu nostro erit ibi persona vt pars: si etiam ex natura sua sint appropriabilia, licèt non actu approprientur, adhuc erit ibi pars: & sic vestigium dicitur repræsentare partem, inquantum est appropriabile illi personæ: & ipsa persona cognita, cognoscimus totum, id est, ipsam Trinitatem.

In diuinis nō est prope numerus.

Quid cognoscimus de Deo per rationem vestigij.

3. d Nunc expono istam literam, *vt Trinitas est quasi quoddam totum numerale saltem in conceptu intellectus nostri*: quia in intellectu nostro possunt esse tres conceptus distincti realiter respectu trium personarum: persona est ibi quasi pars huius totius: non accepta in se, sed prout concipitur in intellectu nostro: ita etiam appropriatum personæ, inquantum appropriatum est ibi quasi pars eiusdem: quia accipitur pro illo cui appropriatur, id est, quòd species, vnitas, & ordo: vel vnum, verum, & bonum: vt actu approprientur, puta Filio, in quo est summa vnitas: quia principium omnis creaturæ, & summa pulchritudo, & perfectissima operatio, vt patet: & similiter summa bonitas, summa vnitas, summa veritas, ista vt actu approprientur Filio, per intellectum nostrum dicuntur pars: quia Filius cui approprientur, dicitur pars hoc modo prædicto. Sequitur, *Nec tantùm hoc, sed etiam appropriabile*, &c. id est, licèt vnitas, veritas, & bonitas non actu approprientur vni personæ: quia tamen sunt appropriabilia vni personæ, puta Patri, vel Filio, adhuc ista appropriabilia vni personæ, sunt ibi quasi pars: quia & illa persona, cui sunt appropriabilia, habet rationem quasi partis: & hoc est quod dicit: *quia eius ratio*, scilicet appropriabilis *vt est, & vt concipitur: completè saluatur in vna persona*, id est, quòd vnitas, veritas, & bonitas, vel species, vnitas, & ordo: vt concipiuntur vt appropriabilia, possunt completè saluari in vna persona: *& per consequens ratio eius*, scilicet attributi appropriabilis, *non ponit Trinitatem*, cùm ex se sit appropriabile vni personæ: *sed ponit concomitanter vnitatem alicuius personæ, in qua sit*, vel cuius sit appropriabile. Sequitur,

Expositio literæ.

Licèt igitur creatura communiter non repræsentet, nec personam vt persona: quæ est in intellectu nostro quasi pars Trinitatis: vt patet, *nec appropriatum vt appropriatum*: quia appropriatum vt appropriatum alicui personæ non potest cognosci, nisi præcognoscatur illa persona, cui approprietur. Sufficit ergo, quòd creatura, quæ dicitur vestigium Trinitatis, repræsentet ipsa attributa, vt sunt appropriabilia vni personæ: & sic illa appropriabilia, vt huiusmodi, dicuntur quasi pars: quia & persona, cui sunt appropriabilia, habet rationem quasi partis, respectu totius Trinitatis, modo præexposito: & sic patet expositio literæ. 4.

SCHOLIVM.

Ponit sententiam Henrici de fundamento vestigij: asserit enim fundari in aliquitate, id est, in existentia, & esse ipsam ratitudinem, id est, quiditatem creaturæ consistentem in triplici respectu posito num. 2. producti, exemplati, & finiti. Hanc latè refutat Scot. & resoluit nullum respectum esse ratitudinem entis absoluti, quia hoc præcedit respectum. Soluit rationes pro Henrico.

QVantùm [a] ad tertium articulum dicitur secundùm Boëtium de Hebdomadibus, quòd diuersum est *esse*, & id quod est, quia illud, quo aliquid est, dicitur *ratitudo* eius. Quo autem ipsum est, quod est, vel aliquid, dicitur *aliquitas* eius. 7.

Opinio Henrici quodl. 3. q. 9. & quodl. 5. q. 2. & quodl. 4. q. 7. & 8. & quodl. 2. q. 3.

Hoc intellecto, dicitur, quòd respectus vestigialis in creatura, non fundatur in ratitudine rei, sed in aliquitate tantùm, & ėst formaliter ratitudo eius.

Modus ponitur iste secundùm Auicennam 5. Metaph *Humanitas est tantùm humanitas*, ergo ratio humanitatis non est res rata: ergo oportet, quòd aliquo alio extra rationem formalem humanitatis, sit ens ratum.

Ratio 1. Cap. 1.

Ratio 2.

Arguitur etiam, quòd illud, quo formaliter est ratitudo eius, sit respectus vestigialis, & hoc primò sic: quicquid includitur in per se intellectu alicuius inquantum tale, est illud, quo ipsum formaliter est tale: sed respectus vestigialis includitur in ratione cuiuslibet entis rati: ergo, &c. Probatio minoris, quia quoddam ens est quod est ipsum *esse*, sicut Deus: quoddam, quod non est ipsum *esse*, sed cui contingit *esse*, sicut omne aliud extrà à Deo, quod non est de se *esse*, sed tantùm est ens cui contingit *esse*. ex hoc

arguitur sic: quodcunque ens, quod non est de se *esse*, sed tantùm cui contingit *esse*, non est ens ratum, nisi participando ipsum *esse*, vel inquantum participat ipsum *esse*: sed omne aliud à Deo, est cui contingit *esse*, & non est ipsum *esse*: ergo non est ratum, nisi inquantum participat *esse*, ergo illa participatione formaliter est ratum.

Ratio 3. *Text. 1.* Secundò sic, nihil aliud à Deo, potest perfectè cognosci sine cognitione omnium causarum intrinsecarum, & extrinsecarum, primo Physicorum, *tunc vnumquodque*: sed si essentia alicuius talis esset absoluta, & non includeret essentialiter respectum ad causam extrinsecam, posset perfectè cognosci, sine cognitione causæ extrinsecæ: ergo oportet, quòd includat talem respectum.

Confirmatio. Adducitur ad hoc August. 8. de Trinit. cap. 3. *Videbis bonum omnis boni*, &c.

Item Boëtius de Hebdomadibus: *Si paulisper per intellectum amoueas ipsum primum bonum, tunc licèt sint bona, non tamen in eo, quòd sunt, erunt bona*: ergo aufertur ratio boni ab eis, ablato per intellectum primo bono: & per consequens bonitas formaliter in eis dicit respectum, quia participationem summi boni.

Comm. 19. super 12. Aristot. Si arguitur contra istam opinionem per Auerroëm 2. *Metaph.* quòd relatio habet debilissimum *esse*, ergo non est, nec potest esse formaliter ratitudo entis formaliter rati.

Dicitur, quòd duplex est relatio, quædam accidentalis, & quædam substantialis. & accipitur ista distinctio relationis à Simplicio super Prædicamenta, vbi vult, quòd *esse in*, non constituit prædicamenta, sicut *esse ad*, pro eo, quòd aliqui respectus sunt essentiales siue substantiales, aliqui non. Dicunt igitur quòd dictum Commentatoris verum est, de relatione accidentali, non de substantiali.

Si autem obiicitur, quòd omnis relatio præsupponit fundamentum *inesse* rato: igitur non est ipsa ratitudo fundamenti.

Dicitur, quòd verum est de relatione adueniente fundamento, non autem de constituente fundamentum, & huiusmodi est ista, &c.

8. Contra [b] ista (vt intelligantur verba illa) distinguo tria secundùm opinionem illius Doctoris, in cuius dictis videtur fundari ista opinio quia secundùm ipsum, *res* dicitur vno modo à *reor, reris*, quod est opinari, & sic est communis secundùm ipsum figmentis, & non figmentis. Secundo modo *res* dicitur à *ratitudine*. Loco istorum verborum accipio verba planiora, pro *re* dicta à *reor, reris*, accipio realitatem opinabilem, quæ communis est, secundùm ipsum, figmento, & non figmento, pro *re* autem dicta à *ratitudine*, accipio, secundùm intentionem suam, realitatem quiditatiuam, quia ponit rem quiditatiuam esse ratam per hoc, quòd est exemplata, quod non conuenit figmentis. vltra ista non restat nisi realitas existentiæ actualis.

Habemus ergo tria per ordinem, realitatem opinabilem, quiditatiuam, & existentiæ. Quæro [c] tunc, quid intelligit per *aliquitatem?* si realitatem opinabilem, cùm illa sit communis alicui, & nihilo, illa de se nihil est: igitur si ratitudo fundetur in aliquitate sic sumpta, sicut quiditas, vel essentia in supposito, fundatur in nihilo, & quod fundatur in nihilo, nihil est, quia quod nihil est ad se, nihil est ad aliud. 7. *de Trinit. cap.* 1. ergo ratitudo nihil est: igitur tota res composita ex ratitudine, & aliquitate erunt duo nihila. Si aliquitas dicatur realitas quiditatiua: quæro ergo quid intelligit per *ratitudinem*, aut realitatem quiditatiuam, aut realitatem existentiæ. Si quiditatiuam, igitur dicere ratitudinem fundari in aliquitate, est dicere realitatem quiditatiuam fundari in realitate quiditatiua, quod nihil est; si realitatem existentiæ. Contrà: igitur illi realitati existentiæ præsupponitur ratitudo, quia res secundùm istam opinionem habet verè *esse* ratum ante *esse* existentiæ, & ita non potest esse prima ratitudo eius esse existentiæ.

9. Si dicas, quòd aliquitas, quæ est realitas opinabilis, est quid commune *alicui*, & *nihilo*, sed alia est aliquitas, quæ est propria figmentis & alia, quæ est propria rei possibili esse, quæ non competit figmentis, ex qua componitur res habens aliquitatem, & ipso *esse* sicut ex ratitudine sua.

Contra hoc est dicere, quòd duplex est aliquitas, alia *alicuius* & *nihili*, alia verò *alicuius* tantùm: sicut si diceretur duplex, est albedo, alia *albi* & *nigri*, & alia *albi* tantùm.

Et præterea de illa aliquitate propria entitate possibili, quæro, aut illa est respectus tantùm, & fundatur in aliquitate communi, quia illa sola præcedit eam: & tunc fundabitur in nihilo, vt dictum est, & tunc erit nihil; aut illa aliquitas propria est absolutum, & per eam distinguitur res habens eam, à figmentis per te: igitur ista est prima ratitudo rei & absoluta, & ita respectus non erit prima ratitudo rei.

Præterea [d] secundò sic, humanitas aut habet de se conceptum, cui non repugnat aliquid subesse in effectu, aut cui repugnat de se aliquid subesse in effectu, aut cui de se aliquid

subest

ſubeſt in effectu: non tertio modo, ſecundùm omnem opinionem, quia hoc eſt proprium ſoli Deo.

Si detur, quòd de ſe repugnet ſibi aliquid ſubeſſe illi conceptui; igitur per illum reſpectum aduenientem non poteſt ei competere, quòd aliquid poſſit ſibi ſubeſſe, quia quod repugnat alicui ex parte ſui, non poteſt ei non repugnare ſtante natura eius, & ita non ſit ſibi non repugnans, per aliquem reſpectum aduenientem: ergo conceptus humanitatis eſt talis, cui de ſe non repugnat aliquid ſubeſſe in effectu. Sed talis eſt conceptus entis rati, ſecundùm opinionem iſtius Magiſtri: quia conceptui figmenti repugnat aliquid ſubeſſe in effectu. *Humanitas ſecundum ſe, non per reſpectum eſt ens ratum.*

Præterea [e], Philoſophus 4. Metaphyſicæ ex opinione dicentium, omnia apparentia eſſe vera, infert iſtud impoſſibile, quòd omnia erunt *ad aliquid*: quod non intelligit tantùm denominatiuè: quia ſic omnia eſſe *ad aliquid* verum eſt, ſaltem omnia alia à Deo: ergo intendit inferre pro maximo inconuenienti, omnia eſſe eſſentialiter *ad aliquid*. Hæc autem opinio ponit omnia eſſe eſſentialiter *ad aliquid*: ergo iſta opinio videtur ponere quod apud Philoſophum eſt magis inconueniens, quàm omnia apparentia eſſe vera: quia hæc concluſio, *omnia eſſe ad aliquid*; apud Philoſophum eſt magis inconueniens, quàm iſta, *omnia apparentia ſunt vera*. *Text. 26. & 27.*

Reſpondetur, quòd Philoſophus dicit quòd omnia erunt *ad aliquid*, ſcilicet ad opinionem & ſenſum. 10.

Contrà, in argumento ducente ad impoſſibile, concluſio debet æquè, vel magis eſſe impoſſibilis, quàm præmiſſa: iſta concluſio illata, quatenus ſic illata, non differt à præmiſſa, quæ ponit omnia eſſe vera propter apparentiam eorum ſenſui, vel opinioni, niſi in hoc quòd infert omnia eſſe *ad aliquid*: ergo ſi in aliquo habet maiorem impoſſibilitatem, quàm præmiſſa, eſt iſta impoſſibilitas, omnia ſunt *ad aliquid* ſimpliciter.

Quartò [f] ſic; humanitas inquantum humanitas, aut habet tantùm *quid nominis*, aut habet *quid rei*, quòd repugnat figmentis: ſi primo modo, igitur de humanitate inquantum humanitas, non plus eſt ſcientia quàm de Chimæra, & per conſequens Metaphyſica, quæ eſt de quiditatibus, non magis eſt ſcientia, quàm ſi eſſet de figmentis non intelligibilibus propter contradictionem incluſam in eis: ſi verò humanitas inquantum humanitas, habet *quid rei*, quòd repugnat figmentis: ergo humanitas vnde humanitas, eſt quid ratum. *1. Poster. text. 41.* *Quia entis & non entis eſt quid nominis.* *2. Poster. text. 10.*

Reſpondetur, quòd humanitas vnde humanitas, habet aliquam definitionem, ſed illa non indicat ens ratum, quia figmenta poſſunt habere genus & differentias, & ita definitionem: ſed ad habendum rationem completam entis rati, oportet addere reſpectum ad ens imparticipatum.

Iſtud non reſpondet ad argumentum, quin Metaphyſica nulla ſit ſcientia. Similiter quod dicit de figmentis, quòd figmenta habent genus & differentiam falſum eſt: quia omne tale habet rationem in ſe falſam & includentem contradictionem, quia vna pars repugnat alteri: ſed tales partes nunquam ſunt genus & differentia: quia differentia eſt per ſe determinatiua generis, & per conſequens non repugnat ei. *Figmenta non habent genus, & differentiam.* 11.

Secundò [g] contra opinionem arguitur ex dictis eius, primò ſic: quodlibet eſt ens formaliter actiuum ſua ratitudine: quod probatur, quia ratitudine eſt formaliter in actu, ſed nihil ſecundùm ipſum, eſt formaliter actiuum relatione: quia relatio non eſt principium agendi: ergo ratitudo non eſt relatio. *Porph. cap. de differentia & 2. Poſt. t. 18.* *Impugnat Henricum.*

Item ſecundùm ipſum, nulla creatura, inquantum rata, differt ſpecie ab illo *eſſe*, quod eſt Deus: ſed ipſum *eſſe* quod eſt Deus, ſecundùm communem opinionem, eſt abſolutum: quomodo igitur illud, quod eſt formaliter relatio, non differt ſpecie ab eo, quod eſt abſolutum? 12.

Item ſecundùm ipſum, ens rationis participat ens ratum, non tamen formaliter eſt res rata: ergo participatio talis non eſt formaliter ipſa ratitudo, quare, &c. *Auctoris ſententia.*

Quantùm [h] ad iſtum articulum, dico, quòd nullus reſpectus eſt ratitudo, ſiue quo aliquid eſt firmum ens, vel verum ens, vel certum ens in quacunque entitate: quia omnis reſpectus aliquid habet, in quo fundatur, quod ſecundum ſe non eſt ad aliud: & in illo priori, in quo eſt eſſentialiter ens ad ſe, ſi non eſt eſſentialiter ens certum, aut ens firmum, non erit capax alicuius reſpectus, per quem fiat ens ratum: quia ens non ratum, ſi fiat ratum, aut fiet ratum ex ſe, quod includit contradictionem, quia quidquid eſt ex ſe aliquale, eſt neceſſariò tale: aut ab aliquo cauſante fiet ratum, & ſi hoc, priùs naturaliter abſolutum aliquod poteſt terminare illam cauſationem quàm reſpectus: quia formalis ratio cuiuſlibet termini primi producti, non eſt neceſſariò reſpectus. *Videtur velle relationem non diſtingui realiter ab abſoluto, de quo 2. d. 1. q. 4. hic tantùm vult abſolutum non fieri ratum per reſpectum.*

13. *Rationes Henr. soluuntur. Declaratur 2. d. 1. q. 4. ad 1. & d. 3. q. 4. ad 3. & q. 1.*

Ad rationes [i] pro opinione oppoſita quantum ad iſtum tertium articulum: ad illud Auicennæ de humanitate, dico, quòd per hoc, quod dicit, quòd *equinitas eſt tantùm equinitas*, ly *tantùm* non excludit illa, quæ ſunt de per ſe ratione equinitatis, cuiuſmodi eſt entitas rata: ſed excludit illa, quæ ſunt per ſe paſſiones entis, vt *vnum, actus*, &c. ſicut patet ibi per literam ſuam.

Ad rationem 2. Ad ſecundum [k], tam maior eſt falſa, quàm minor: maior, quia animal ineſt per ſe homini, & eſſentialiter inquantum homo, non tamen animalitas eſt, quâ formaliter homo eſt homo. Sed ſi addatur in maiori, quidquid per ſe includitur in intellectu alicuius, tanquam vltimum in eo, vera eſt, & ſic minor eſt falſa. Cùm probatur per alium Proſyllogiſmum, creatura eſt cui contingit eſſe, &c. Dico, quòd maior illius Proſyllogiſmi falſa eſt, ſi per ly *inquantum*, intelligatur reduplicari aliquid per ſe primo modo, vel ſi accipiatur in maiore *participando* gerundiuum, & prout exponitur per *quia*: nam ſi per ly *quia* intelligatur cauſalitas pertinens ad primum modum per ſe, maior eſt falſa eodem modo: quia per ſe primo modo participatio ipſa non eſt, quo ens eſt formaliter ratum. ſi autem intelligatur per ly *inquantum*, cauſalitas pertinens ad ſecundum modum *per ſe*, qualis eſt in ſubiecto reſpectu propriæ paſſionis, ſic concedo, quòd tale ens inquantum tale ens, puta lapis inquantum lapis, participat *eſſe*: non tamen eſt propriè vera è conuerſo, ſcilicet, quòd inquantum participat, eſt ens. Exemplum [l], hæc eſt falſa, propriè loquendo, *homo inquantum riſibilis, eſt homo*, etiam intelligendo *per ſe* ſecundo modo: & multò magis *per ſe* primo modo: tamen hæc eſt vera, *homo inquantùm homo, eſt riſibilis* ſecundo modo. Sic in propoſito, iſta non eſt concedenda, *lapis inquantùm participat eſſe, eſt ens*, ſumendo *inquantum*, vt ſuprà dictum eſt. Secundo tamen modo, poteſt concedi aliquo modo illa prima, quòd lapis inquantum lapis participat ipſum *eſſe*, ita quòd lapis poſitus in entitate rata, de neceſſitate, & per ſe ſecundo modo, habet reſpectum participationis, ſine qua ipſum *eſſe* includit contradictionem; ſicut ſubiectum eſſe ſine propria paſſione, vel fundamentum neceſſarium relationis, eſſe ſine relatione poſito termino illius relationis. Tunc intelligo ſic, quòd in primo inſtanti naturæ eſt ens, quod eſt ipſum *eſſe*, ſcilicet Deus. In ſecundo, lapis eſt ens ratum abſolutum, quod nec intelligitur tunc vt participans, nec vt non participans. In tertio eſt ipſa participatio, & reſpectus quidam conſequens ad ipſum lapidem.

Reſpectus ad Deum non eſt de quiditate creaturæ.

Eſſe participatum nõ dicitur per ſe primo modo de creato.

14. Ad argumentum [m] de *primo Phyſicorum* de cauſis dico, quòd aliud eſt relationem eſſe priorem cognitione cauſati cogniti per cauſam, & aliud ipſam includi in cognitione cauſati. Licèt enim priùs lapis habeat reſpectum ad Deum, quàm lapis cognoſcatur, & ideò non cognoſcitur perfectè, niſi cognito Deo: tamen lapis cognoſcitur, non cognito reſpectu ad Deum. & ex hoc ſequitur, quòd ille reſpectus non eſt de eſſentia lapidis: quia nihil perfectè cognoſcitur, niſi cognito eo, quod eſt de eſſentia ſua.

Ad confirmationem. Ad Auguſtinum dico, & concedo, quòd quodcunque aliud bonum, eſt per participationem bonum: ſed non vult auctoritas, quòd participatio ſit de eſſentia illius boni.

Ad Boëtium [n] dicendum eſt, quòd auctoritas concludit oppoſitum, quia ibi ponit ſubtractionem primi boni per intellectum: & hoc poſito, loquendo de creaturis, dicit, quòd loquendo de *eſſe* earum, licèt ſint, & bona ſint: non tamen inquantum ſunt, bona ſunt: ſic igitur ipſe ſubtrahens, ſecundùm intellectum primum bonum, loquitur de creaturis ſecundùm *eſſe* creaturarum: ſed ſi *eſſe* creaturarum eſſet reſpectus ad ſummum bonum, non ſolùm eſſet contradictio ſubtrahere primum bonum, & loqui de *eſſe* creaturarum: ſed etiam non eſſet intelligibile, quia non eſt intelligibile ponere reſpectum ſubtrahendo terminum reſpectus. Igitur intelligit, quòd *eſſe* creaturarum ſit abſolutum: ſed bonitas apud eum dicit quendam fluxum à primo bono. & verum eſt, quòd iſte terminus, *fluxus*, dicit reſpectum: & ideò non poteſt competere rei abſolutæ. Si ergo res ſecundùm *eſſe* ſuum non eſſent à primo bono, non eſſent bonæ inquantum ſunt: quia inquantum ſunt, non fluerent à primo bono: eſſent tamen bonæ per accidens, ſi ſecundùm *eſſe* aliud, fluerent à primo bono. Sicut lapis ſi non eſſet ſecundùm ſe à voluntate primi boni, ſed tantùm ſecundùm duritiem; inquantum durus, eſſet bonus, quia à voluntate primi boni eſſet inquantum durus, licèt non inquantum lapis, vel inquantum ens. Patet igitur, quòd accipit *bonum*, pro reſpectu fluxus à primo bono, & hoc etiam modo bonitas in aliis entibus à Deo, non eſt, niſi quia ſunt à voluntate primi boni: ſed iſta non eſt perfectio abſoluta, & intrinſeca creaturæ; & ideò bonitas ſecundùm aliam rationem abſolutam, non dicit reſpectum ad creatorem, licèt bonitas, vt accipit ibi, dicat.

15. *Ad arg. in initio quæſt.* Ad primum argumentum principale dico, quòd per veſtigium diſtinctè inueſtigatur illud, cuius eſt imago, ſcilicet pars totius: ſed totum non inueſtigatur niſi indiſtinctè,

&

& arguitiuè, sicut totum cognoscitur ex parte: ita in proposito, per creaturam inuestigatur appropriatum, non tamen inquantum appropriatum: sed ipsum, quod est appropriabile cuicunque personæ, sed non propria personarum, & ideò Trinitas, cuius conceptus est in intellectu quasi totalis, inuestigatur, quasi per similitudinem partis.

Ad secundum dico, quòd quælibet essentia creata inquantùm talis essentia, creata est secundùm determinatum exemplar, & ideò quælibet repræsentat Deum sub ratione vestigij. Natura autem intellectualis, inquantùm habet in se essentiam vnam, & operationes multas, inter quas est ordo originis: repræsentat Trinitatem ratione omnium istorum concurrentium in tali natura: ita quòd natura intellectualis, non eodem modo est vestigium, & imago: sicut patebit magis in quæstione de imagine.

Ad vltimum dico, quòd non est in essentiis creaturarum propter ordinem ipsarum, alia ratio repræsentandi, quàm ratio vestigij: sed quia in aliqua natura concurrunt multa repræsentantia vnitatem, & Trinitatem: ideò illa natura talis habet rationem imaginis, sicut natura intellectualis: talis autem concursus non est in aliqua natura inferiori natura intellectuali, & ideò omnes naturæ aliæ inferiores habent præcisè rationem vestigij.

COMMENTARIVS.

1. a QVantum ad tertium articulum, in quo videndum est, in quibus fundatur respectus vestigij, siue creaturæ ad Deum, siue è conuerso, cui dicitur vestigium. Hìc Doctor primò ponit opinionem Henrici. Secundò ipsam improbat. Et tertiò respondet ad articulum. Quantùm ad primum, ibi: *Dicitur secundùm Boetium.*

Henr. quodl. 3. quæst. 9. & quodl. 5. q. 2. & quodl. 4. q. 7. & 8. & quodl. 2. q. 3.

Pro intelligentia huius literæ ponit Henricus quatuor. Primum ibi, *Diuersum est esse:* & accipitur ibi *esse* pro omni imaginabili. Secundum ibi: *Et id quod est*, id est, illud quod actu, vel aptitudine existit: illud verò quod includit contradictionem ad *esse*, dicitur figmentum. Tertium ibi: *Illud quo aliquid est*, id est, illud quo aliquid est ens possibile, dicitur ratitudo eius. Quartum ibi: *Quo autem ipsum est quod est*, id est, illud quo mediante aliquid actu existit, dicitur aliquitas eius, quæ aliquitas est ipsa aptitudinalis, vel actualis existentia, quo ens actu existit, vel aptum est existere. Et nota secundùm istum, quòd respectus vestigialis est illa triplex relatio creaturæ ad Deum, scilicet relatio producti ad producens: relatio exemplati ad exemplar: & relatio finiti ad vltimum finem. Et hæc triplex relatio in creatura est quiditas rei, & non fundatur in ipsa ratitudine: quia ille triplex respectus, & est quiditas rei, & ratitudo eius, id est, est illud quo formaliter entitas creata est quiditas possibilis. Et cùm dicitur, humanitas est tantùm humanitas: ergo ratio humanitatis, id est, humanitas inquantum humanitas, non est res rata, id est, quòd de se non est rata, vel ens possibile: sed aliquo alio extra rationem formalem humanitatis: quia erit rata ab illo respectu vestigiali: quia ille respectus vestigialis, dicitur quiditas, inquantum exemplatus ab idea diuina.

Triplex est relatio creaturæ ad Deū.

2. Et pro clariori intelligentia, nota quòd ens ratum dicitur illud, vel quod actu existit præter opus intellectus; vel quod est aptum natum existere.

Quid sit ens ratum.

Secundò nota, quòd aliquitas, scilicet existentia aptitudinalis, qua ens ratum, siue ens possibile existens, dicitur tali existentia existens: vel accipitur *aliquitas* pro existentia actuali, qua ens ratum, id est, actu existens dicitur existere actu: vel *aliquitas* accipitur pro existentia aptitudinali, vel actuali.

Tertiò nota, quòd ratitudo nihil aliud est, nisi quiditas constituens aliquid in vero *esse:* vel actuali, vel aptitudinali. Exemplum: homo vt est aptus existere, dicitur verum ens ratum: quia sibi non repugnat existere: & respectus vestigialis, de quo suprà, est quiditas, siue ratitudo hominis, constituens ipsum in tali *esse* vero, vel rato: existentia verò hominis aptitudinalis dicitur aliquitas eius.

Dicit ergo Henricus quòd diuersum est *esse:* & id quod est: accipit ibi *esse* pro ente imaginabili: quod est commune enti, & non enti: & *id quod est*, accipit pro ente possibili existere, vel pro actu existente: & *ratitudinem* accipit pro quiditate dante tale *esse* possibile: & *aliquitatem* accipit pro existentia aptitudinali, vel actuali.

Henrici opin.

Dicit ergo, quòd ratitudo ipsa, siue quiditas, siue respectus vestigialis, quæ idem important secundùm ipsum, non fundatur in quiditate: quia idem fundaretur in seipso: sed fundatur in aliquitate, scilicet in existentia aptitudinali, vel actuali ipsius creaturæ.

Et nota, quòd talis respectus vestigialis in qualibet creatura dicit participationem passiuam entis imparticipati, secundùm triplicem relationem, scilicet creaturæ vt productæ, ad ipsum Deum vt producentem; & exemplatæ ad ipsum exemplar; & finitæ ad vltimum finem. Ista triplex relatio dicitur ratitudo, siue quiditas cuiuslibet entis creati, dans cuilibet *esse* ratum, scilicet esse verum ens. Et hanc positionem probat Henricus sic: videlicet, quòd quælibet creatura dicatur ens ratum, siue ens verum, ab ipsa ratitudine, siue ab ipsa participatione passiua entis imparticipati. Quia humanitas est tantùm humanitas: ergo ratio humanitatis non est res rata, id est, humanitas in se sumpta formaliter, non dicitur verum ens ratum, nisi inquantum est ens participatum, modo prædicto: ergo participatio passiua, quæ est esse rationem formalem humanitatis, erit ratitudo, siue quiditas humanitatis, vt entis rati. Item adiicit alia argumenta, quæ post exponentur respondendo ad illum. 3.

b *Contra ista.* Doctor hìc arguit contra positionem Henrici: & principalis intentio est probare, quomodo respectus vestigialis non dicatur quiditas rei creatæ: & antequam hoc probet,

Cōtra Henr.

præmittit vnam distinctionem de realitate: nam aliquando accipitur *res* à *reor, reris*, & dicitur realitas opinabilis, &c. Hac distinctione præmissa arguit Doctor contra positionem Henrici.

5. c *Quaro tunc quid intelligit per aliquitatem?* Et vt hæc ratio Doctoris clarius intelligatur, formetur sic diuisiuè: quia dicit Henricus quòd ratitudo fundatur in aliquitate dans simpliciter *esse* ratum. Contrà, aut *aliquitas* accipitur pro ente communi enti, & non enti; aut pro entitate quiditatiua; aut pro entitate existentiæ actualis, vel aptitudinalis. Similiter *ratitudo*, aut accipitur conformiter istis tribus modis. Si primo modo accipitur *aliquitas*, & *ratitudo*, cùm tale ens de se sit nihil, ista duo de se erunt nihil. Si verò *aliquitas* accipiatur primo modo: & *ratitudo* secundo modo: tunc ratitudo fundabitur in ente, quod de se est nihil: & quod fundabitur in illo, quod de se est nihil, nihil est: quia quod non est à se aliquid, siue in se aliquid, nec ad aliud erit: & sic ratitudo, & aliquitas erunt duo nihila. Si verò ista duo accipiantur secundo modo, scilicet pro entitate quiditatiua, tunc ratitudinem fundari in aliquitate, nihil aliud erit, nisi quiditatem fundari in quiditate: & sic idem fundari in seipso, quod non est intelligibile. Si verò *aliquitas* accipiatur tertio modo, scilicet pro existentia actuali: & ratitudo secundo modo, hoc est contra Henricum, qui ante actualem existentiam ponit ens ratum, quod est ens possibile: & sic ratitudo fundatur in illo. Si verò accipiatur *aliquitas* pro existentia aptitudinali, & *ratitudo* secundo modo, tunc per hoc argumentum non concluditur contra Henricum, quia ipse diceret, quòd ipsa ratitudo fundatur in ipsa aliquitate possibili, dans sibi tale *esse* possibile: sed benè alia argumenta, quæ sequuntur, concludunt contra ipsum. Si verò accipiatur *aliquitas* tertio modo: & *ratitudo* tertio modo, nihil aliud est, nisi existentiam fundari in existentia, quod est absurdum. & sic patet ista ratio Doctoris.

Prima ratio contra Henr.

6. d *Praterea secundò sic: Humanitas aut habet in se conceptum, cui non repugnat aliquid subesse in effectu: aut cui repugnat de se aliquid subesse in effectu: aut cui de se aliquid subest in effectu*, id est, aut humanitati non repugnat existentia actualis: aut sibi repugnat: aut tertiò est id cui de se aliquid subest in effectu, id est, quod de se, & ex semetipsa est actu existens.

Secunda ratio.

Si detur primus modus, habetur intentum: quia illud est verum ens ratum, cui de se non repugnat actualis existentia: & sic cùm humanitas inquantum humanitas, sit verum ens absolutum, & vt sic, sibi non repugnat actualis existentia: ergo ratitudo accepta pro respectu vestigiali non constituit humanitatem in *esse* rato: quia tunc respectiuum esset de quiditate absoluti: quod est falsum.

Si detur secundus modus: ergo actualis existentia, nunquam poterit inesse humanitati: patet, quia si *A* repugnat *B*, absolutè per nihil adueniens ipsi *B*. *A* non poterit conuenire *B*, sicut rudibile repugnat absolutè homini: ergo per nihil adueniens homini poterit sibi conuenire: sequitur ergo quòd cùm humanitati absolutè sumptæ, non repugnat actualis existentia: ergo humanitas inquantum est possibilis existere, erit verum ens ratum: & vt sic tantùm absoluta includit: ergo respectus vestigialis non erit ratitudo humanitatis.

Si detur tertius modus, hoc est impossibile: quia tunc esset entitas omnino independens.

e *Praterea Philosophus.* Pro intelligentia huius literæ, nota, quòd aliquid esse ad aliud, contingit dupliciter. 7.

Tertia ratio. t.c.16.& 17. Esse ad aliud quidditatiuè, & denominatiuè.

Primo quiditatiuè, & essentialiter: & sic omnis relatio in se sumpta est ad aliquid essentialiter, id est, quòd in suo conceptu quiditatiuè includit esse ad aliud.

Secundò denominatiuè: & sic omne ens, in quo fundatur aliqua relatio, dicitur ad aliud denominatiuè: quia per relationem fundatam. Sed omnia entia esse ad aliud primo modo, siue quiditatiuè, id est, omnia entia esse tantùm relationes, est inconueniens, per Philosophum *quarto Metaphysicorum vbi supra*, quia si omnia apparentia essent vera, id est, si omnia entia essent sola apparentia: quæ apparentia est quiditatiuè relatio: tunc omnia entia essent quiditatiuè ad aliquid. Nec valet dicere, quòd erunt ad aliud ad opinionem, & sensum: quia in argumento ducente ad impossibile, conclusio debet æquè, vel magis, esse impossibilis, sicut præmissa, ex qua deducitur talis conclusio: vt patet *in primo Priorum*. Si ergo omnia apparentia essent vera quo ad sensum, & opinionem, id est, quòd sensus & opinio iudicaret omnia apparentia esse vera: & sic omnia apparentia esse ad aliud, id est, quòd si sensus iudicaret aliquid apparens hominem esse verum hominem: & sic si iudicaret apparens aliquid esse ad aliud: ita quòd illud, quod apparet esse ad aliud, iudicaret verè esse ad aliud: tunc talis conclusio, scilicet esse ad aliud modo præexposito, non differt à præmissa, scilicet quòd apparet esse hominem, &c. ergo si conclusio debet esse magis impossibilis: oportet quòd intelligatur simpliciter, & absolutè: & quo ad intellectum, id est, si antiqui quo ad intellectum dicebant omnia apparentia esse vera, id est, quòd omnia entia simpliciter, & absolutè erant tantùm apparentia: ergo sequitur simpliciter, & absolutè, quòd omnia entia essent ad aliquid quiditatiuè, quod est inconueniens: & sic hæc conclusio est magis impossibilis, vel saltem erit impossibilis, sicut præmissa, ex qua sequitur: & sic patet ista litera.

f *Quartò sic.* Pro intelligentia huius literæ est sciendum, quòd habere *quid rei* potest tripliciter contingere. 8.

Quarta ratio.

Primò habere veram definitionem: sicut homo definitur per animal rationale.

Habere quid rei contingit tripliciter.

Secundò habere tantùm aliquod prædicatum dictum in *quid*: vt rationale est ens quiditatiuè: & tamen non potest propriè definiri, scilicet per genus, & differentiam.

Tertiò pro entitate dicente in se *quid*: & sic ens, inquantum ens, est entitas in se quiditatiuè: quia potest prædicari in *quid* de inferioribus. Potest addi quartus modus, scilicet pro ente, quod nec definitur, nec habet prædicatum dictum in *quid*, nec est *quid*: tamen est idem realiter alicui existenti habenti entitatem: vt patet de passionibus entis: & fortè de vltimis differentiis. Omnia supradicta, quæ possunt habere *quid rei* aliquo modo præexposito, possunt etiam habere *quid nominis*, non tamen è contra: illa verò, quæ tantùm habent *quid nominis*, & nullo modo *quid rei*, sunt tantùm fictitia.

Dicit ergo Doctor, humanitas, inquantum humanitas, aut habet tantùm *quid nominis*, id est quòd

quòd tantùm sit ens fictitium, vel chimæricum: & patet litera.

Et nota in ista litera quomodo figmenta non possunt definiri definitione propriè dicta: puta definitione per genus, & differentiam, quia in definitione vna pars non repugnat alteri: modò figmentum est compositum ex partibus incompossibilibus, siue ad inuicem repugnantibus.

Figmentum non potest definiri.

9. g Secundò contra opinionem arguitur ex dictis eius. Et primò inducit ad hoc, quòd respectus vestigialis non sit ratitudo entis rati: quia per ipsum, ens ratum est actiuum sua ratitudine. Probatur ista: quia omne actum, inquantum est huiusmodi, est in actu: sed ens ratum dicitur esse in actu per ratitudinem, vt ipse dicit: sed certum est apud ipsum, quòd nulla relatio est alicui principium formale agendi: cùm ergo respectus vestigialis sit tantùm relatio, sequitur quòd non erit ratitudo alicuius.

Item secundùm ipsum, nulla creatura inquantum rata, siue inquantum participata, differt specie ab illo, quod est Deus, & tamen secundùm omnes, *esse* quod est Deus, est absolutum: si ergo ratitudo ipsa est tantùm relatio, & relatio differt specie ab absoluto, vt patet: & sic creatura inquantum rata, differret specie à Deo, & non differret specie.

Item secundùm ipsum, ens rationis participat ens ratum. Hæc ratio sic debet intelligi: quia ens rationis fundatur in ente rato, id est, in ente possibili existere, vel actu existente: & ideò inquantum fundatur, ibi dicitur participare ens ratum: non tamen ens rationis dicitur formaliter, & quiditatiuè ens ratum à tali participatione, cùm sit posterior ipso ente rationis. Priùs enim intelligitur ens rationis in se suo modo habere *esse*, quàm intelligatur fundari in alio: igitur in proposito, licèt creatura dicatur ens participatum ab ipso ente imparticipato: non tamen formaliter, & quiditatiuè dicitur esse verum ens ratum, tali participatione passiua: imò priùs intelligitur in se esse verum ens, siue ratum, quàm intelligatur sub tali respectu, scilicet participatione passiua.

10. h *Quantum ad istum articulum.* Hîc Doctor ponit opinionem propriam. Et sententia est, quòd nulla relatio potest esse ratitudo alicuius entis absoluti: & probatio clara est in litera, aliqualiter tamen expono literam. *Nullus respectus est ratitudo, siue id, quo aliquid est firmum ens, vel verum ens, vel certum ens:* quæ omnia important idem. Sequitur, *quia omnis respectus aliquid habet in quo fundatur, quòd secundùm se non est ad aliud.* Hoc debet intelligi de fundamento remoto: quia etiam relatio potest immediatè fundari in alia relatione: vt proportionalitas fundatur in duabus proportionibus, & hoc patet expresè à Doctore in multis locis. Debet ergo intelligi de fundamento remoto: quia *omne, quod relatiuè dicitur, est aliquid excepta relatione:* per Augustinum 7. de Trinit. & exposui dictum Augustini suprà *distinct. prima, quæst. 2.*

Nullus respectus est ratitudo.

Intelligit etiam Doctor de ente absoluto, quòd non sit ratum aliqua relatione: multæ enim relationes sunt vera entia realia, & realiter distincta à suis fundamentis, vt probat Doctor *in 1. dist. 1.* & per consequens rata ratitudine pertinente ad genus relationis. Si verò accipiatur ipsa *ratitudo* pro participatione passiua: patet quòd relatio realis non erit rata participatione passiua aliqua relatione, qua dicatur ens participatum: cùm talis relatio entis participati præsupponat ens, tanquam fundamentum illius participationis passiuè. Sequitur: *Et in illo priori in quo*, scilicet fundamentum relationis, *est essentialiter ens ad se*, loquendo de fundamento absoluto, *si non est essentialiter ens certum: aut ens firmum*, id est, si in illo priori, quo est ens absolutum, *non est essentialiter ens certum, aut ens firmum, non erit capax alicuius respectus, per quem fiat ens ratum:* & probat, *quia ens non ratum si fiat ratum: aut fiet ratum ex se*, quod est impossibile, quia tunc esset ex se necesse esse: vt suprà patuit distinctione secunda, quæstione prima; aut ab aliquo causante fiet ratum: *& si hoc prius: naturaliter absolutum aliquod potest terminare illam causationem, quàm respectus: quia formalis ratio cuiuslibet termini primi producti non est necessariò respectus:* prius enim causa attingit aliquod absolutum, tanquam effectum: quo absoluto producto, statim ex natura rei oritur relatio producti ad producens, & è contra: loquendo de omni producente creato: & de hoc prolixiùs patebit *in 2. dist. 1.*

Sed occurrit dubium in hoc, quòd dicit, quòd causatio causæ priùs terminatur ad absolutum in effectu, quàm ad respectum. Instatur primò, quia tunc relatio esset in aliquo priori, in quo non esset terminus: patet, quia causatio est relatio: & causa quando causat adhuc est prior natura effectu: vt patet *præsenti quæst. & in 2. dist. 1. quæst. 2.* 11.

Primum dubium.

Tum etiam, quia relatio causæ ad effectum est simul natura cum relatione effectus ad causam: imò videtur, quòd relatio effectus ad causam sit quasi prior natura: licèt verè non sit prior, & hoc patet à Doctore *in 2. vbi suprà:* ergo causatio causæ non videtur priùs terminari ad absolutum effectus: quia in eodem instanti, quo ponitur, ponitur terminus eius. *Secundum.*

Tertiò, si enim ponitur prius absolutum effectus, quàm respectus ad causam primam, quæro in illo priori, an tale absolutum sit verè causatum: aut non causatum. Si primò, ergo includit respectum causati, siue respectum dependentis. Si secundò, ergo erit incausatum, & independens, quod est falsum. *Tertium.*

Quartò patet, quia in Deo est vera generatio, & tamen illa non priùs terminatur ab absolutum, quàm ad relatiuum: ergo videtur idem concedendum esse in creaturis. *Quartum.*

Respondeo ad primum, cùm dicitur, quòd causatio est relatio, falsum est: nam quando causa causat, nihil aliud facit, nisi quòd effectum, quem habet in virtute sua, ponit in *esse:* non est intelligendum, quòd quando causa causat, quòd sit aliqua relatio media inter ipsam, & causatum, prior ipso causato; sed tantùm absolutum in causa ponit effectum absolutè: quo posito oritur relatio causati ad causam, & causæ ad causatum; si talis causa non est Deus, qui non refertur realiter ad creaturam. Et quando communiter dicitur, quòd generatio terminatur ad genitum; & quòd est via in naturam, & huiusmodi; debet sanè intelligi. Si accipitur generatio formaliter pro relatione, illa verè terminatur ad absolutum geniti: ita quòd est posterior tali absoluto. Si verò generatio accipitur, vt prior genito, tunc generatio formaliter nihil est in se aliud à causa generante: sed est præcisè ipsum absolutum causæ, pro quanto ponit genitum in *esse.* 12.

Responsio ad primum.

13. *Ad secundũ.* Ad secundum, concedo totum: loquendo de causatione, quæ est formaliter relatio: sed loquendo de causatione, quæ nihil aliud dicit, nisi causam ponere effectum in *esse*: est falsum quòd talis causatio sit posterior: imò est prior natura. Et cùm dicitur, quòd talis causatio terminatur ad absolutum. Dico, quòd illud *terminari* non est relationis ad terminum: sed præcisè est ponere absolutum effectus in aliquo priori: in quo non intelligitur respectus effectus ad causam.

Ad tertium. Ad tertium dico breuiter, quòd tale absolutum in illo priori est fundamentaliter causatum, siue fundamentaliter dependens, pro quanto, scilicet in illo priori est fundamentum receptiuum respectus.

Ad quartum. Ad quartum dico, quòd Doctor intelligit de genito, quod est ens ad se: modò persona in diuinis est formaliter relatiua: tenendo quòd constituatur in *esse* personali per relationes, vt infrà patebit *dist.26.* quid sit tenendum, an per absoluta, an per relationes.

14. i *Ad rationes pro opinione opposita.* Hîc Doctor intendit soluere rationes Henrici.

Ad illud Auicennæ de humanitate. Pro intelligentia huius responsionis est notandum, quòd si *ratitudo* accipiatur pro realitate quiditatiuè, tunc humanitas erit rata aliqua ratitudine: quia realitatibus pertinentibus ad *esse* quiditatiuum humanitatis, & sic humanitas nunquam excludit prædicata essentialia, sed includit: cùm humanitas inquantum humanitas, sit talis per sua prædicata essentialia: omnia verò posteriora excludit: sic intelligendo, quòd quando humanitas præcisè consideratur, vt humanitas tantùm includit illa, quæ pertinent ad *esse* ipsius: & vt sic, non includit illa, quæ non sunt de essentia eius, vt sunt omnes passiones entis: & etiam passiones propriæ humanitatis: sed de hoc vide Doctorem *in 2. distinct. 3.* & sic patet solutio primi argumenti Henrici.

** num. 7.* Secundò principaliter arguit Henricus ibi *. *Quicquid includitur in per se intellectu alicuius inquantum tale: est illud, quo ipsum formaliter est tale.* Sed respectus vestigialis includitur in ratione entis rati: patet, quia dicitur ens ratum inquantum participat ipsum esse, si enim non participaret, sed esset de se *esse*: tunc esset absolutè necesse esse.

k Respondet Doctor ibi: *Ad secundum tam maior est falsa, quàm minor.* Quòd maior sit falsa, patet, quia animal includitur in per se conceptu hominis: & tamen non est id, quo formaliter est homo: oportet ergo addere, quòd includitur in intellectu alicuius, tanquam vltimum eius: nam homo est formaliter homo per rationale, quia est vltimum quod includitur in intellectu hominis, tanquam vltimum eius. Et tunc minor est falsa, & maior probationis minoris, quæ est ista: *Cui conuenit esse, & non ex se est ens ratum participando ipsum esse, vel inquantum participat ipsum esse.*

15. Primò dicit, quòd si per ly *inquantum*, intelligatur reduplicari aliquid per se primo modo, est falsa. Et sensus est: Creatura inquantum participat ipsum *esse*, est ens ratum, id est, quòd participare *esse*, siue participatio passiua, est ratio formalis, & quiditatiua. Quare creatura dicatur ens ratum. sicut dicimus, quòd homo inquantum rationalis est homo, id est, quòd rationalitas est ratio formalis, & quiditatiua, quòd homo dicatur homo. Sequitur: *Vel si accipiatur in maiori* participando *gerundiuum: & prout exponitur per* quia: vt puta, cùm dicitur, creatura non est ens ratum, nisi participando ipsum esse: illud gerundiuum, quod est *participando:* exponitur per ly *quia.* & sensus est: creatura est ens ratum, quia participat ipsum *esse:* & *Creatura an sit ens ratum.* tunc distinguitur de ly *quia:* quia aut dicit causalitatem pertinentem ad primum modum per se, tunc est falsa: quia cùm dicitur creatura est ens ratum: quia participat ipsum *esse.* sensus est, quòd participare ipsum *esse* est ratio formalis, & quiditatiua, quare creatura dicatur ens ratum. Sequitur,

Si autem intelligatur per ly inquantum, *causalitas, quæ pertinet ad secundum modum per se; qualis est in subiecto respectu propriæ passionis.* sicut cùm dicimus homo, inquantum rationalis, est risibilis: & sic concedit, quòd creatura, inquantum creatura participat *esse:* quia creatura est causa, quare hoc prædicatum, scilicet *participare esse* insit ipsi creaturæ. Sequitur, *Non tamen est propriè vera: è conuerso, scilicet quòd inquantum participat est tale ens:* sicut hîc licèt sit propria, homo inquantum homo est risibilis: ista tamen est impropria, homo inquantum risibilis est homo. Sic in proposito hæc propria: lapis inquantum tale ens, puta inquantum ens creatum, participat *esse:* quia ly *inquantum* non tantùm stat specificatiuè: sed etiam stat reduplicatiuè, ista autem est impropria: lapis inquantum participat *esse* est tale ens: quia ly *inquantum* non potest stare reduplicatiuè: licèt fortè specificatiuè.

l *Exemplum: Hæc est falsa propriè loquendo: homo inquantum risibilis est homo,* si tamen ly *inquantum* 16. *Inquantum potest accipi duobus modis.* accipiatur reduplicatiuè: quia sensus esset, risibilitas est præcisè causa; quare homo sit homo. Si verò ly *inquantum* accipiatur specificatiuè, vt scilicet tantùm reduplicat rationem formalem risibilitatis: & ipsa risibilitas reduplicata non sit causa inhærentiæ prædicati ad subiectum: vt suprà exposui *dist. 1. quæst. 2.* Et sensus est, quando accipitur specificatiuè tantùm: quòd hoc prædicatum *homo* conuenit homini sumpto sub risibilitate. Et patet litera vsque ibi. *Tunc intelligo sic.* Nam in primo instanti naturæ est ens, quod est ipsum *esse*, siue ex se esse, quod est Deus. In secundo instanti lapis est ens ratum absolutè: quia, vt dixi suprà, priùs causa attingit effectum in se absolutum: & pòst consequitur relatio: & sic in illo priori, quo lapis est lapis, non intelligitur nec vt participans, nec non participans: quia in illo priori, tantùm competunt sibi prædicata essentialia: sicut cùm dicimus, quòd in illo priori, in quo homo est homo, non est risibilis, nec non risibilis: quia risibile, & non risibile sunt tantùm prædicata posteriora. In tertio verò instanti est ipsa participatio, & respectus quidam *Nota hic de tribus instãtibus.* consequens ad ipsum lapidem: sicut dicimus de causa, & effectu: quòd causa etiam, quando causat est prior natura effectu: & in secundo instanti naturæ intelligitur effectus in se absolutè: & in tertio instanti consequitur relatio effectus ad causam.

Deinde arguit Henricus ibi, *Secundò sic:* Ista 17. ratio potest sic formari: Illud, sine quo creatura non potest quiditatiuè, & vltimatè cognosci, est quiditas eius, siue ratitudo. Sed sine participatione passiua (modo præexposito) creatura non potest

potest perfectè, & vltimatè quiditatiuè cognosci: ergo talis participatio passiua, quæ consistit in respectu vestigiali, erit quiditas illius. Minor patet per Boëtium. *Quia si paulisper amoueas primum bonum*, id est, si non consideres illud: *tunc creatura in eo, quòd sunt, non erunt bona*, id est, quòd si non cognosco eas, inquantum sunt participatæ à primo bono imparticipato: implicat, posse cognoscere eas quiditatiuè.

m Respondetur à Doctore ibi: *Ad argumentum* de primo Physicorum text. comm. primi. Dicit Doctor primò, quòd non sequitur, relatio est prior cognitione causati cogniti per causam: ergo talis relatio est de essentia causati. non sequitur sic in proposito: posito enim quòd participatio passiua sit prior cognitione entis participati: non tamen sequitur quòd sit de essentia illius. Aliud est enim cognoscere aliquid perfectè quiditatiuè, secundùm quòd includit omnia prædicata essentialia: & aliud est ipsum perfectè cognoscere, secundùm omnem causam extrinsecam. Primo modo, lapis potest perfectè cognosci, sine quocunque respectu ad causam extrinsecam: sed secundo modo non potest perfectè cognosci, nisi cognoscatur inquantum includit relationem ad quamlibet per se causam: & cognitio secundo modo non dicitur pertinere ad cognitionem quiditatiuam lapidis.

n *Ad Boëtium dicendum est.* Dicit Doctor quòd *esse* creaturæ, puta lapidis, potest in se absolutè considerari: & sine omni respectu ad Deum: & si potest considerari sine tali respectu, sequitur, quòd ille respectus non erit de quiditate lapidis: & sic subtracto Deo per intellectum, poterit lapis absolutè considerari, quantum ad suum *esse* quiditatiuum, Deo non considerato: & si respectus lapidis ad Deum esset de quiditate lapidis, tunc esset implicatio contradictionis, cognoscere lapidem, non cognito Deo: quia respectus non potest cognosci, termino non præcognito: vt suprà exposui. Et quod dicit de bonitate, apud Boëtium accipitur illa *bonitas* non pro absoluta bonitate lapidis: sed pro quodam influxu Dei, siue pro quadam efficientia bonitatis creatæ à Deo: & sic si intelligitur lapis in se sine isto respectu: quod est creari, siue effici à Deo: tunc lapis non est bonus: illo modo capiendo *bonitatem*: quia vt sic non intelligitur sub isto respectu, quod est creari, vel effici, quod creari est bonitas isto modo: esset tamen bona bonitate absoluta: & patet litera.

Bonitas duplex.

18. *Ad primum argumentum principale*, & patet ista litera ex his, quæ dixi suprà quomodo vestigium repræsentat attributum inquantum appropriabile, &c. Nota tamen, quòd per vestigium absolutè sumptum non naturaliter inuestigatur ipsa Trinitas, etiam eo modo quo exposui, suprà de imagine Trinitatis. Si verò cognosceretur vestigium sub illa relatione, qua refertur ad vestigiatum: tunc posset cognosci Trinitas: sed talis relatio vestigij ad vestigiatum non posset cognosci, non præcognito vestigiato: vt patet à Doctore in simili de imagine, suprà *præsenti dist. quæst. 1. & diffusè in quodl. q. 14.* Et multa bona vide ibi.

Ad secundum dico. Patet ista litera: & clariùs patebit infrà *præsenti dist. q. vlt. & in 2. dist. 16.* Et quod dicit, quòd quælibet essentia creata, inquantum talis essentia creata, repræsentat Deum, sub ratione vestigij, difficultas esset de relationibus. Posset breuiter dici, quòd nulla relatio est creata à Deo, cùm in *Ad aliquid* non sit motus. Posset secundò dici, quòd etsi relatio non sit vestigium Trinitatis, quantum ad omnem assignationem, quia secundùm istam assignationem, quæ est vnitas, species, & ordo: tamen posset dici vestigium, quantum ad istam assignationem: quod est vnum, verum, & bonum: & fortè quantum ad aliquam aliam assignationem positam à Doctore. Ratio vltima cum sua responsione clara est in litera.

Aduerte hîc obiectionē de relationibus.

Dubitatur in hoc, quod dicit: quòd *per vestigium distinctè inuestigatur id cuius est imago.* Tum, quia vnum, verum, bonum, ponitur imago respectu istorum appropriabilium, scilicet summi boni, veri, &c. sed illa non sunt appropriabilia, nisi vt formaliter infinita: sed talia à nobis non possunt distinctè concipi. Non enim via naturali possum distinctè concipere bonitatem infinitam: licet enim possim concipere, quòd aliqua bonitas est formaliter infinita, non tamen illam possum distinctè concipere in se: ergo. 19.

Primum dubium.

Tum, quia si per vestigium distinctè possum inuestigare id, cuius est imago: quia est similitudo illius: ergo per imaginem Trinitatis, qualis est in nobis, possum distinctè concipere Trinitatem, cuius est imago. Consequens est falsum, & contra Doctorem *in 1. dist. 1. & in quodlib. quæst. 14.* Consequentia patet; quia ex hoc distinctè potest concipi pars, cuius vestigium est imago, ex hoc, quòd est imago eius: ita quòd esse imaginem eius est ratio distinctè inuestigandi: sicut in proposito de imagine in nobis.

Secundum.

Tum, quia quæro à quo potest causari distincta cognitio: puta boni infiniti? non à bono creato, quia tunc contineret illud virtualiter, vt patet à Doctore in simili *in 1. dist. præsenti, quæst. 1. & d. 8. quæst. 1. & in 2. dist. 3. & in quodlib. quæst. 14. art. 2.* Nec etiam potest ab aliqua alia creatura causari propter causam dictam, scilicet quia contineret illud virtualiter: modò nulla creatura potest virtualiter continere bonum infinitum, vt patet.

Tertium.

Tum, quia videtur sibi contradicere, ponendo, quòd per vestigium distinctè inuestigatur illud, cuius est imago, scilicet ipsa pars: & quòd totum tantùm confusè inuestigatur. Si enim distinctè cognosco aliquam partem, puta pedem alicuius hominis, & distinctè cognosco esse partem hominis, statim sequitur quòd cognoscam distinctè ipsum hominem: ponens enim distinctè differentiam inter *A* & *B* cognoscit vtrumque distinctè, aliter non poneret distinctam differentiam inter illa: sed cognoscens distinctè *A* esse partem *B* ponit distinctam differentiam inter illa, concipiendo distinctè, partem non esse totum, cuius est pars, nec è contra. 20.

Quartum.

Tum etiam, quia benè sequitur, distinctè cognosco summum bonum esse appropriabile alicui personæ diuinæ: puta Patri, vel Filio: ergo distinctè possum concipere illam personam: ergo & totam Trinitatem, quia personæ sunt relatiuæ.

Quintum.

Tum sextò, quia statim sequitur, quòd possim naturaliter distinctè concipere aliquam personam: quia per vestigium distinctè inuestigatur id, cuius est imago, scilicet pars: sed vna persona dicitur pars, vt suprà patuit: & appropriabile non dicitur pars, nisi pro quanto est appropriabile alicui parti, scilicet alicui personæ.

Sextum.

Respondeo

21. *Responsio.* Respondeo præmittendo quandam declarationem, scilicet quando Doctor dicit, quòd *per vestigium distinctè inuestigatur illud, cuius est imago*, non intelligit quòd per cognitionem talis vestigij habeamus distinctam notitiam illius partis in se: cognoscendo eam distinctè: sicut nec per imaginem Trinitatis habemus distinctam notitiam illius, sed sic intelligitur, quòd vestigium est naturalis similitudo partis: & naturaliter suo modo repræsentatiuum illius: & ideò habita notitia vestigij, inuestigatur illud, cuius est similitudo: & hoc distinctè, accipiendo *distinctè*, pro quanto ponitur similitudo illius partis: licèt pars cognoscatur tantùm confusè: sicut per vestigium impressum à pede hominis, cognosco quòd est similitudo pedis hominis: & sic cognito illo, possum cognoscere illud, cuius est similitudo naturalis: puta, quòd est similitudo pedis, & totum dicitur cognosci, siue confusè inuestigari, pro quanto tale vestigium non est naturalis similitudo totius: imò nullo modo est similitudo totius. Et per hoc patet responsio ad instantias.

Ad primam. Ad primam dico, quòd per bonum creatum non possum naturaliter concipere bonum infinitum distinctè, & sub ratione propria illius: sed dicitur naturaliter inuestigari distinctè: quia est naturalis similitudo boni infiniti: & sic per bonum finitum cognitum possum naturaliter inuestigare, quòd est aliquod bonum infinitum: licèt illud non possim distinctè in se cognoscere.

Ad secundā. Ad secundam, patet responsio: quia sicut per vestigium inuestigatur illud, cuius est imago: ita per imaginem, cùm vtrumque sit similitudo: non tamen concipitur distinctè in se. Et vltrà, sicut per vestigium impressum à pede, non scirem illud esse vestigium pedis, nisi præhabita cognitione pedis: ita nec per imaginem Trinitatis cognitam non scirem ipsam esse imaginem naturalem Trinitatis, nisi præhabita cognitione Trinitatis. Est tamen differentia: quia per bonum finitum possum naturaliter inuestigare aliquod esse summum bonum, non prius cognitum: quia bonum participatum debet reduci ad bonum imparticipatum: sed per imaginem Trinitatis naturaliter notam, non possum naturaliter inuestigare aliquod ens esse trinum & vnum: & hoc est, quia anima secundùm duas potentias, & operationes non est ens participatum ab aliquo ente vt trino. Et ideò vestigium est magis naturalis similitudo partis, &c. quàm anima secundùm potentias, & operationes respectu Trinitatis: imò quo ad multa deficit: vt infrà patet *quæst. vlt. præsentis dist.* & de hoc aliàs.

Ad tertiam, patet responsio: quia non ponitur bonum infinitum posse naturaliter cognosci in se, & distinctè per bonum finitum: sed quòd per bonum finitum possum inuestigare aliquod esse bonum infinitum; & quomodo, & à quo causatur ista cognitio, dico pariformiter, vt dixi suprà *præsenti dist. quæst.* 1. quomodo, scilicet Deus potest naturaliter cognosci in conceptu communi, & confuso. 23. *Ad tertiam.*

Ad quartam, patet ex supradictis: quòd nulla est contradictio; quia non pono partem distinctè concipi in se: sed pono, quòd per vestigium distinctè inuestigatur illa per se, id est, quòd vestigium est naturalis similitudo talis partis, confusè etiam acceptæ, & nullo modo est similitudo illius totius, cuius est talis pars, posito etiam, quòd pars cognoscatur distinctè: non sequitur, quòd totum distinctè cognoscatur, vt patet intuenti. Si enim distinctè cognosco pedem, & distinctè scio pedem non esse totum: propter hoc non sequitur, quòd distinctè cognoscam totum in se. Cognoscere enim totum distinctè, est cognoscere illud secundùm omnes partes. Ex his quæ suprà dixi patet solutio ad alias instantias. *Ad quartam.*

QVÆSTIO VI.

De memoria.

Vtrùm [a] *in parte intellectiua sit memoria propriè sumpta, id est, intellectus habens speciem intelligibilem priorem naturaliter actu intelligendi?*

Aristot. 3. *de Anima cap. 4. text.* 15. Alensis 2. *part. q.* 24. *m.* 2. & 3. D. Thom. 1. *p. q.* 55. *art.* 1. 2. D. Bonau. 2. *d.* 3. *p.* 2. *art.* 1. *q.* 1. Richard. *art.* 6. *q.* 1. & 2. Heru *q.* 4. *art.* 2. Ægid. *ibi* 2. *p art.* 1. *hi cum communi admittunt species. Sequentes negant.* Duran. 2. *d.* 3. *q.* 6. Bactionus *q.* 2. *prol.* Goffr. *quodl.* 9. *q.* 19. Henr. *quodl.* 4. *q.* 7. 8. & 21. & *quodl.* 5. *q.* 14. *de quo* Scot. 2. *d.* 3. *q.* 10 §. ad quæst. Vasques 1. *p. d.* 200. *Vide* Scot. 1. *Met. q.* 6. 7. *Met. q.* 18. & 9. *Met. q.* 10. & 1. *Phys. q.* 22. *conc.* 2. & *fin.*

1. *Mag. à C. vsque ad fin.* CIRCA tertiam partem distinctionis, in qua Magister agit de imagine, quæro primò de memoria: Vtrùm in parte intellectiua propriè sumpta, sit memoria propriè, id est, intellectus habens speciem intelligibilem priorem naturaliter actu intelligendi?

Arg. 1. Et videtur quòd non, quia omnis species impressa ab obiecto, repræsentat illud sub illa ratione, qua imprimitur ab eo: & si imprimitur ab alio, adhuc repræsentat sub eadem ratione, sub qua repræsentaret, si imprimeretur ab obiecto; alioquin non esset vera species eius: sed species, quando imprimitur ab obiecto, imprimitur ab eo, vt singulare est: quia actio est singularis: ergo species impressa à quocunque non potest repræsentare vniuersale, quale repræsentatur intellectui: ergo nulla species impressa repræsentat intelligibile sub ratione intelligibilis, vel vniuersalis. *1. Met. in proœmio.*

Arg. 2. Secundò sic: præsentia obiecti, est causa præsentiæ speciei, & non è contra: non enim quia

quia species est in oculo, ideò obiectum est præsens, sed è conuerso: ergo prima repræsentatio obiecti, non est per speciem: ergo superfluè ponitur species propter præsentiam obiecti.

Tertiò sic: quælibet species, si esset in intellectu, esset forma naturaliter agens ad intellectionem: sed multæ possunt esse in intellectu simul, si vna ponitur: ergo omnes illæ naturaliter agerent ad intellectiones sibi correspondentes; ergo simul essent plures intellectiones in intellectu, correspondontes illis pluribus speciebus. Si enim aliqua illarum ageret naturaliter, & tamen non esset intellectio secundùm eam, sequeretur, quòd nunquam posset esse intellectio secundùm eam: quia causa naturaliter agens, quando agit, agit secundùm vltimum potentiæ suæ: sed si tunc non potest habere effectum, nunquam habebit. Pluralitas autem ista specierum, quæ sequitur ex hypothesi, improbatur per illam rationem Algazelis 4. *Metaph.* quia sicut vnum corpus non potest simul figurari diuersis figuris: ita non videtur idem intellectus posse figurari simul diuersis obiectis: quod tamen sequeretur, ponendo simul plures species intelligibiles. *Arg. 3.* *1. Cal. text. 116.*

Quartò sic; quia tunc videtur sequi, quòd intellectus non patietur ab intelligibili, inquantum intelligibile, sed tantùm patietur passione reali, recipiendo quandam formam, quæ erit sicut perfectio eius realis: recipit enim speciem illam, vt subiectum recipit accidens reale, & ita non patitur intellectus, inquantum intellectus ab intelligibili inquantum intelligibile, & ex hoc sequitur, quòd *intelligere* non erit motus rei ad animam, imò omnis intellectio erit actio eius absoluta: sicut forma stans non habens aliquem terminum *extra*. *Arg. 4.*

Item, posset conseruari species illa sine actu: & ita non necessaria conuersio ad phantasmata. ADDITIO.

Item, voluntas habet obiectum sufficienter sibi præsens vt circa illud possit agere, licèt nihil recipiat in se ab obiecto: igitur ita potest esse in proposito inquantum obiectum est terminatiuum actus.

Confirmatur: sicut est præsens voluntati, quia in intellectu quare non ita de intellectu, & phantasmate.

Ad oppositum Intellectus quandoque est in potentia propinqua, & accidentali ad intelligendum, qui priùs fuit in potentia essentiali, & remota: istud autem non est in intellectu, nisi per aliquam mutationem: non obiecti, patet, quia in obiecto tantùm est relatio rationis: ergo ipsius intellectus: igitur ista mutatio, quæ fit ad talem potentiam propinquam, videtur esse ad aliquam formam, per quam obiectum intelligibile, est præsens intellectui, quæ forma erit prior naturaliter actu intelligendi: quia prior est natura potentia propinqua, qua quis est potens intelligere, quàm sit actus intelligendi: illa autem forma, per quam obiectum est sic præsens, vocatur species: ergo in intellectu est ponere speciem intelligibilem. 2. *Ratio ad oppos.*

Aliter deducitur argumentum præcedens sic, quia aliter se habet intellectus quando est in potentia essentiali, ante addiscere, & aliter quando se habet in potentia accidentali, ante intelligere. Obiectum autem se non habet aliter sed eodem modo: intellectus igitur se habet aliter per hoc, quòd est mutatus, sed omnis mutatio terminatur ad aliquam formam: ergo aliqua præcedit actum intellectionis, istam non voco nisi speciem. ADDITIO.

COMMENTARIVS.

1\. a PRo declaratione tituli quæstionis præmitto aliqua. Primum, quòd *memoria* in proposito accipitur pro principio productiuo actus intelligendi, vt suprà patuit *dist. 2. part. 2.* & infrà patebit *dist. 6. & 7.* & talis memoria (vt dixi) includit intellectum, & præsentiam obiecti intelligibilis, sub ratione intelligibilis: quæ duo integrant vnum principium formale productiuum actus intelligendi: vt infrà patebit *q. 7. & 8. præsentis dist. & etiam vltima quæst.*

Secundum, obiectum esse præsens intellectui potest dupliciter intelligi. Primò in se, & in propria existentia: & sic pertinet ad memoriam, vt est principium productiuum notitiæ intuitiuæ eiusdem obiecti. Secundò, vt non est in se præsens: sed tantùm in aliquo repræsentatiuo: & sic pertinet ad memoriam, vt est principium productiuum notitiæ abstractiuæ eiusdē obiecti, sic repræsētati. *Obiectum esse præsens intellectui potest dupliciter intelligi.*

Tertiò præmitto, quòd Doctor in præsenti quæstione tantùm loquitur de memoria, vt est principium productiuum notitiæ abstractiuæ: & quia principium productiuum alicuius est prius ipso producto, vt patet: & obiectum in cognitione abstractiua, vel repræsentatiuum obiecti pertinet ad memoriam supradictam, sequitur, quòd tale repræsentatiuum erit prius ipso actu intelligendi. Sed quia repræsentatiuum obiecti potest multis modis accipi, restringit ergo se Doctor ad vnum tantùm modum: an scilicet respectu cognitionis abstractiuæ alicuius obiecti, sit necesse priùs ponere in intellectu possibili speciem intelligibilem, repræsentantem obiectum in ratione intelligibilis: quæ species pertineat ad memoriam; vel sit pars memoriæ productiuæ cognitionis abstractiuæ. Et sic titulus quæstionis debet intelligi.

SCHO.

SCHOLIVM.

Positis argumentis pro falsa sententia, negante species intelligibiles, & adducta ratione in contrarium, recitat in particulari opinionem Henrici eas negantis, requirentis tantùm phantasmata, eámque rationibus, & authoritatibus Philosophi & Augustini suadet.

3. *Her. quodl. 4. q. 7. 8. & 23. & quodl. 5. q. 14.* IN ista quæstione negatur omnis species intelligibilis præcedens naturaliter actum intelligendi propter rationes positas ad primam partem quæstionis.

Modus autem ponendi est iste, habita impressione speciei sensibilis in organum sensus, & toto illo processu, vsque ad virtutem phantasticam, intellectus agens abstrahit ab ipso obiecto in phantasmate, & immutat intellectum possibilẽ, ad simplicem apprehensionem essentiæ, ita tamen, quòd intellectus possibilis nullam speciem impressam recipit à phantasmate: nec est obiectum præsens intellectui, nisi quia species præsens est in imaginatione, & hoc probatur ex ista deductione. Sensus enim recipit speciem aliam ab actu, quia organum est eiusdem rationis cum medio: vel quia species illa recepta est dispositio propinqua ad actum sentiendi recipiendum, neutrum istorum concurrit in intellectu: est enim intellectus virtus non organica, & de se summè disposita ad actum intelligendi: igitur intellectus nullam speciem recipit priorem actu.

Text. com. 6. Hæc dicitur esse intentio Aristotelis 3. *de Anima*, vbi commendat antiquos dicentes animam esse locum specierum, non totam, sed intellectiuam, hæc autem distinctio Aristotelis non videtur esse bona, intelligendo, quòd aliæ partes non habent species: sunt enim species in parte sensitiua; sed quia aliæ partes non habent species, vt loca: sed vt subiectum habent accidentia; intellectus autem habet eas, vt locus, quia vt formam expressam non impressam.

Text. 2. & 39. Hoc etiam accipitur ex eo quòd dicitur tertio de Anima, quòd *speculamur quod quid est in phantasmatibus*, & quòd *phantasmata se habent ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum*, & quòd *nihil intelligimus sine phansmate*, & plura similia dicit Philosophus.

4. Ex his concludit, quòd nullam ponit speciem intelligibilem, quia si ipsa poneretur, intellectus non specularetur, *quod quid est* in phantasmatibus, sed in specie intelligibili. Similiter non oporteret intellectum conuerti ad phantasmata, sed sufficeret species intelligibilis, in qua haberet obiectum præsens, ad quam conuerteretur.

Text. 38. Si arguitur contra hoc, quia per Philosophum ibidem necesse est, quòd aut res sint in anima, aut species earum, & res non sunt, ergo species.

Dicit, quòd ex parte intellectus est species impressa, quæ est habitus, vel actus: vel species expressa, quæ est species in phantasmate: vel quiditas, quæ quiditas relucens in phantasmate, est species respectu singularis. Non enim hic lapis est in anima, sed quiditas, quæ est species respectu huius lapidis.

Hæc etiam ponitur intentio Augustini, qui vult, quòd verbum gignitur non ex specie intelligibili, sed ex habitu, dicit enim 15. de Trinitate cap. 10. & 24. *Quòd ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascitur verbum*, & eodem lib. cap. 2. & 18. *Gignitur verbum de scientia, quæ manet in animo.* Idem ponit Doctor quidam negando speciem intelligibilem, & pertractat illam rationem de organo, quæ tacta est in positione ista.

Ponit etiam aliam rationem talem, quia quæcumque potentia est in potentia primò ordinata ad aliquem actum, primò perficitur secundùm talem actum ab agente proportionato præsente: sed potentia apprehensiua est potentia primò ordinata ad hunc actum, scilicet apprehensionem: ergo ab agente proportionato primò potentia perficitur secundùm actum istum, qui est apprehendere, & per consequens intellectus ab obiecto proportionato recipit cognitionem, & non speciem.

COMMENTARIVS.

IN *ista quæstione.* Hîc recitatur opinio Henrici qui negat omnem partem speciem intelligibilem, naturaliter præcedentem actum intelligendi: & modus ponendi Henrici patet in litera, vult enim quòd in cognitione abstractiua obiectum sit tantùm præsens in phantasmate, formaliter existente in virtute phantastica: & quòd non est necesse ponere aliquam speciem intelligibilem in intellectu possibili, respectu cognitionis abstractiuæ: sed sufficit phantasma, & hanc positionem probat auctoritatibus, & rationibus: quæ exponentur respondendo ad illas.

SCHO

SCHOLIVM.

Impugnat Scotus sententiam dictam, negantem species intelligibiles, quia intellectus cùm intelligat vniuersale, debet habere obiectum actu vniuersale sibi præsens, priùs naturaliter actu intelligendi: quia sub modo vniuersalitatis intelligit: ergo pro illo priori præsens est per speciem intelligibilem. Hanc consequentiam probat dupliciter. Primò, ex parte vniuersalitatis obiecti. Secundò, ex parte præsentiæ; & quoad primum id probat sex viis: quarum duæ primæ sunt ex parte phantasmatis repræsentantis. Prima est, quia phantasma repræsentat singulare: ergo non vniuersale, quia sunt opposita. Secunda, phantasma repræsentat secundùm vltimum potentiæ singulare: ergo nullo modo vniuersale.

Contra istam [a] opinionem arguo sic: siue intelligatur singulare, siue non, non est cura ad propositum: certum est enim, quòd vniuersale potest ab intellectu intelligi, & magis ponitur à Philosophis, quòd intellectus est potentia distincta à potentia sensitiua, propter intellectionem vniuersalis, & propter compositionem, & diuisionem, & propter syllogizationem, quam propter cognitionem singularis, si posset intelligere singulare. 5. *3. de Anim. text. com. 8.*

Ex hoc igitur manifesto, quòd intellectus potest intelligere vniuersale, accipio hanc propositionem. Intellectus potest habere obiectum actu vniuersale, perfectè sibi præsens in ratione obiecti, priùs naturaliter, quàm actu intelligat: ex hoc sequitur propositum, quod in illo priori habet obiectum sibi præsens, in specie intelligibili, & ita habet speciem intelligibilem priorem actu. Antecedens assumptum [b] videtur satis manifestum, quia obiectum in ratione obiecti, est prius naturaliter actu: igitur vniuersalitas, quæ est propria conditio obiecti, inquantum obiectum, præcedit actum intelligendi, & sub illa ratione oportet obiectum esse præsens, quia præsentia obiecti, præcedit naturaliter actum intelligendi. Consequentiam probo, primò ex parte vniuersalitatis obiecti. Secundò ex parte præsentiæ: ex parte vniuersalitatis obiecti arguo sex viis, quarum duæ primæ sumuntur ex parte phantasmatis repræsentantis, & duæ ex parte intellectus agentis, & duæ ex parte communioris, & minùs communis.

Primò arguo sic [c], species ex hoc quòd talis species habet talem rationem repræsentandi, & hoc respectu obiecti sub tali ratione repræsentabilis: ergo eadem species manens, non habet duas rationes repræsentatiuas, nec est respectu duarum rationum repræsentabilium; sed repræsentare obiectum sub ratione vniuersalis, & singularis, requirit duplicem rationem repræsentatiuam, & est respectu duplicis rationis repræsentabilis formaliter: igitur idem manens idem non repræsentat sic & sic; ergo phantasma, quod de se repræsentat obiectum sub ratione singularis, non potest ipsum repræsentare sub ratione vniuersalis. *Idem non repræsentat singulare, & vniuersale de quo 2. d. 3. q. 10. & 11.*

Vel potest sic formari ratio: Eadem species, & eiusdem rationis, non est per se repræsentatiua obiecti sub oppositis rationibus repræsentabilis: ratio singularis, & ratio vniuersalis sunt oppositæ rationes in cognoscibili, & repræsentabili: ergo nulla eadem species, & vnius rationis, potest esse repræsentatiua alicuius obiecti sub ratione vniuersalis, & singularis. Species in phantasmate repræsentat singulare sub ratione singularis: ergo non potest repræsentare sub ratione vniuersalis idem obiectum. Maior probatur, quia species sub illa ratione repræsentat obiectum, qua mensuratur ab obiecto: sed idem non potest mensurari duabus mensuris oppositis, nec è conuerso: tunc enim idem bis diceretur secundùm Philosophum 5. Metaphysicæ; ergo eadem species non potest repræsentare duo obiecta opposita: nec idem sub diuersis rationibus obiectiuis oppositis. ADDITIO. *Text. c. 20.*

Respondetur [d], quòd species eadem sub alio, & alio lumine repræsentat obiectum sub alia, & alia ratione, sicut nocte lucentia in lumine diei repræsentant se sub ratione coloratorum: in lumine autem noctis sub ratione lucentium. Sic in proposito per lumen intellectus, & phantasiæ eadem species potest repræsentare opposita in obiecto. 6.

Contrà [e], repræsentatiuum priùs naturaliter est aliquid in se, quàm in tali lumine, vel tali repræsentet: quia enim est talis species: ideò congruit sibi lumen in quo repræsentet vnum, & non aliud: alioquin posset poni, quòd eadem species repræsentaret colorem, & sonum, quia species illa, vt in aëre tremulo repræsentaret sonum: quæ secundùm quòd concurrit medium extrinsecum medio connaturali, coniungitur organo auditus: vt in aëre illuminato, & perspicuo, & secundùm quòd est conueniens organo visus, repræsentaret colorem, & ita non posset ostendi aliqua distinctio repræsentatiuorum. In illo igitur priori oportet intelligere vnitatem speciei in se, quam consequitur vnitas repræsentationis, & obiecti repræsentabilis per ipsam, inquantùm per ipsam repræsentatur: &

& ita aliquid, quod est idem in isto priori, non potest habere diuersam rationem repræsentandi, nec potest repræsentare idem sub alia, & alia ratione repræsentabilis.

ADDITIO. *Vel forma sic rationem, lumen non repræsentat, quia lumen in medio est eiusdem rationis, siue videam nigrum, siue album: quid ergo distinguit essentialiter repræsentatiuum à repræsentatiuo? Altera est species, & repræsentatiuum albi, & nigri: & per consequens distinctio luminis non causat distinctam rationem repræsentandi, vel repræsentati: sed manente eadem natura repræsentatiui semper repræsentat idem repræsentabile, & eiusdem rationis: non est ergo eadem sub diuersis rationibus.*

Confirmatur ratio, quia repræsentatiuum in lumine perfectiori, non repræsentat aliud, sed repræsentat idem, clariùs tamen, vt patet, in lumine Solis, quàm Lunæ: ergo licèt species in organo phantastico in lumine intellectus agentis, clariùs repræsentet singulare, vt intellectus possit meliùs illud intelligere, quàm in lumine proprio, scilicet phantasmate; nunquam tamen repræsentabit obiectum vniuersale sub ratione vniuersali per quodcunque lumen. Exemplum eorum de nocte lucentibus, non valet, sed concludit oppositum. Nam quæro, an eodem repræsentatiuo repræsentat illa diuersimodè de die, & de nocte: an alio, & alio repræsentatiuo? non eodem, quia illa tunc repræsentarentur de die sicut de nocte: quia repræsentatiuum priùs est aliquid in se, quàm in tali, vel tali lumine repræsentet: si in alio & alio repræsentatiuo repræsentantur diuersa in nocte lucentia, habetur propositum, siue idem sit lumen, siue diuersum.

Confirmatur, quia lumen non repræsentatur formaliter, nec est ratio formalis repræsentatiui: sed tantùm est illud, in quo aliquid repræsentatur. Videtur ergo, quòd quantò lumen est perfectius, tantò in ipso præcisiùs & distinctiùs relucet illud, quod repræsentatiuum repræsentat.

7 Nec exemplum valet ad propositum; imò est ad oppositum: quia, vel duæ qualitates sunt in tali corpore, vt lux & color, quarum altera multiplicat se in lumine maiori præsente, alia in minori, quando nihil aliud efficaciùs mouens mouet, vel vtraque multiplicat se simul in luce maiori: sed efficaciùs mouens tantùm percipitur, & minùs efficaciter mouens, non percipitur: sicut stellæ de die multiplicant radios suos, sed non videntur: quia aliud luminosius efficaciùs mouet visum. Vel si vna est qualitas sensibilis in tali corpore, ipsa virtualiter continet duo repræsentatiua: color enim quodam modo continet lucem, cùm sit lux in corpore terminato: & ideò in alio, & alio lumine causat diuersa repræsentatiua, aliud, scilicet in maiore, & aliud in minore: & ita semper stat, quòd non sit idem repræsentatiuum obiecti sub diuersa ratione repræsentabilis, quantumcunque aliud lumen, & aliud concurrat.

Quare noctiluca aliter de die, aliter de nocte repræsentantur? Quare stella de die non apparent? De sensu, & sensato. Scot. de luce 2. dist. 13. Secunda responsio Her. De hoc Scot. supra d. 2. q. 3. & 3. d. 1. q. 2. & 4. d. 10. q. 2. vbi negat eundẽ effectũ prouenire à pluribus causis in eodem ordine.

Si respondeatur [f], quòd idem secundùm eandem qualitatem potest esse simile diuersis, sicut vnum album, secundùm eandem albedinem, est simile diuersis albis; hoc nihil est ad propositum, quia in relationibus ordinis essentialis, non potest esse alia, & alia dependentia in aliquo, ad duo in eodem ordine, vt puta eiusdem mensurati ad duas mensuras in eodem ordine, nec eiusdem participantis ad duo participata, nec eiusdem effectus ad duas causas totales in eodem ordine, sicut probatum est in quæstione de vnitate Dei: ergo in ista relatione, vbi non est tantummodò similitudo, sed imitatio, & exemplatio passiua, impossibile est idem absolutum referri ad diuersa: & ita non potest esse eadem species in ratione repræsentatiui diuersorum sub ratione diuersorum.

Secundò [g] ad istud primum membrum arguo sic: quia repræsentatiuum secundùm totam virtutem suam repræsentans obiectum aliquod sub vna ratione, non potest simul repræsentare idem, vel aliud sub alia ratione obiecti: sed phantasma in eodem instanti, in quo intelligitur vniuersale, secundùm totam virtutem suam repræsentat obiectum: vt singulare, virtuti phantasticæ, quia tunc est actualis imaginatio illius obiecti in singulari: & patet, quòd secundùm totam virtutem phantasmatis, quia aliàs virtus phantastica, non posset habere per phantasma ita perfectum actum circa obiectum, sicut obiectum natum est repræsentari per illud phantasma: igitur tunc non potest repræsentare obiectum sub alia ratione repræsentabilis.

COMMENTARIVS.

1. *Intellectus potest cognoscere vniuersale.*

a *Contra istam opinionem.* Hîc Doctor supponit vnum verum, quòd intellectus potest cognoscere vniuersale: & per consequens intellectus potest habere obiectum perfectè præsens in ratione vniuersali. Nota, quòd tãtùm loquitur de vniuersali, hoc est, de natura, vt indifferenti ad singularia: & vt priori quolibet singulari: non autem loquitur de vniuersali secundæ-intentionaliter capto: siue de natura, vt accepta sub tali intentione: patet, quia loquitur hîc de vniuersali, vt præcedit cognitionem sui: sed vniuersale secundæ-intentionaliter captum non potest fundari in natura absoluta: sed tantùm in natura, vt cognita: vt Doctor innuit in suis Vniuersalibus.

Intendit

Intendit ergo loqui de vniuersali, vt est natura indifferens ad omnia singularia, & vt prior illis. Cùm ergo dicit in litera *Intellectus potest habere obiectum, actu vniuersale perfectè sibi præsens in ratione obiecti prius naturaliter quàm actu intelligat*, id est, quod potest habere naturam, vt priorem quacunque singularitate, præsentem sibi in ratione obiecti, supple intelligibilis: priorem naturaliter, quàm actu intelligat illam: & cùm non possit illam habere præsentem, nisi per aliquod repræsentatiuum naturæ, vt naturæ: & tale repræsentatiuum existens in intellectu vocat speciem intelligibilem: quæ ideò dicitur species intelligibilis: quia est repræsentatiua obiecti intelligibilis sub ratione, qua est intelligibile, & non sub ratione, qua actu intelligitur.

2. b *Antecedens assumptum videtur satis manifestum: quia obiectum, in ratione obiecti, est prius naturaliter actu: & per consequens vniuersalitas*, &c. Ista vniuersalitas non accipitur pro aliqua secunda intentione: sed pro aliqua conditione naturæ indifferentis ad singularia, & præcedentis illa.

Consequentiam probo, scilicet, quòd in illo priori intellectus habet obiectum sibi præsens in specie intelligibili: & probat primò ex parte vniuersalitatis obiecti: secundò ex parte præsentiæ: ex parte vniuersalitatis obiecti arguit sex viis: probando quòd tale vniuersale, vt prius actu intelligendi non possit esse præsens intellectui in ratione obiecti intelligibilis, nisi per speciem intelligibilem causatam, impressam intellectui possibili repræsentantem tale vniuersale in ratione obiecti intelligibilis.

c *Primò arguo sic*. Hìc probat primò ratione sumpta ex parte phantasmatis repræsentantis. Et ratio stat in hoc: Vniuersale, vt est prius actu intelligendi, antequam intelligatur, oportet esse præsens intellectui, non in se (vt patet) ergo in aliquo repræsentatiuo, aut ergo in phantasmate, aut in specie intelligibili: aliud dari non potest, non in phantasmate (vt probat) ergo in specie intelligibili. Patet consequentia à tota disiunctiua ad vnam partem, cum negatione alterius. Quòd autem non possit esse præsens in phantasmate; siue quòd phantasma non possit repræsentare aliquod vniuersale, siue aliquod ens sub ratione vniuersalis, probat Doctor.

Vniuersale est prius actu intelligendi.

3. Sed pro intelligentia probationis suppono aliqua. Primò, quòd repræsentatiuum alicuius in ratione obiecti intelligibilis, est duplex, scilicet, omnino illimitatum, vt essentia diuina. Aliud omnino limitatum, vt repræsentatiuum causatum. Primo modo, essentia diuina propter sui illimitationem perfectissimè est repræsentatiua omnium intelligibilium quantumcunque diuersorum, vt patet à Scoto *dist.* 2. *&* 37. & de tali non intelligitur. Secundò, suppono, quòd repræsentare aliquid perfectè, vel esse repræsentatiuum alterius entis à seipso: est ipsum ens continere eminenter aliud secundùm totam entitatem illius: vt patet à Doctore *dist.* 3. *secundi:* & ex intentione ipsius *dist.* 2. *primi.* Et sic nulla creatura quantumcunque perfecta, potest esse repræsentatiua alterius non contenti virtualiter in ipsa. Tertiò suppono, quòd ratio vniuersalis, & ratio singularis sunt rationes omnino repræsentabiles diuersarum rationum, sic quòd non potest reperiri aliquod vnum repræsentatiuum simpliciter limitatum perfectè repræsentans vtrumque, & quòd singulare possit etiam habere repræsentatiuum in intellectu, sub ratione singularitatis, quod dicatur species intelligibilis, de hoc patebit *in* 2. *d.* 3. *q.* 10. *&* 11. comparando singulare ad intellectum ex natura potentiæ.

Si fieret instantia quòd eadem species intelligibilis potest esse repræsentatiua minùs vniuersalis, & magis vniuersalis, puta albedinis, & coloris: & Doctor dubitatiuè loquitur *quæst.* 1. *præsentis distinctionis.* 4.

Instantia.

Dico, quòd hoc sustinendo, non est simile de repræsentatiuo alicuius sub ratione singularis, & sub ratione vniuersalis: & de repræsentatiuo alicuius sub ratione minùs vniuersalis, & sub ratione magis vniuersalis: quia in primo modo intelliguntur repræsentabilia simpliciter diuersarum rationum: non sic intelligendo, quòd hæc albedo, & albedo in communi sint diuersarum rationum: cùm vna sit de quiditate alterius: sed sic, quòd ratio vniuersalitatis, & ratio singularitatis sunt diuersæ rationes. Sed secundo modo minùs vniuersale, & magis vniuersale non sunt repræsentabilia, vt omnino diuersarum rationum, cùm vtrumque sit repræsentabilis sub ratione vniuersalis.

Responsio.

Istis suppositis patet ratio Scoti, quòd phantasma sit repræsentatiuum simpliciter limitatum: & est primò repræsentatiuum naturæ singularis sub conditionibus, & circunstantiis singularibus, & materialibus: sequitur, quòd idem phantasma, manens simpliciter idem, non potest repræsentare naturam in ratione obiecti intelligibilis sub ratione simpliciter absoluta, & vniuersali. Nota tamen propter illa, quæ dixi in secundo supposito: quòd repræsentatiuum est duplex, scilicet, formale, & virtuale. Primum est species intelligibilis respectu obiecti intelligibilis. Secundum est continens virtualiter, vel eminenter entitatem alicuius obiecti intelligibilis: vt docet Doctor *in Quodlibetis quæst.* 14. Secundum ergo suppositum debet intelligi de repræsentatiuo virtuali, & non formali

Repræsentatiuum formale: virtuale, & essentiale.

Posset etiam addi tertium repræsentatiuum, quod dicitur repræsentatiuum essentiale: & sic obiectum inferius est repræsentatiuum essentialiter obiecti superioris: ex hoc, quòd continet tale superius essentialiter: & per consequens non tantùm potest esse ratio formalis: licèt remota producendi speciem intelligibilem sui: sed etiam potest esse ratio formalis, remota tamen, producendi speciem intelligibilem omnium superiorum: vt suprà exposui Doctor autem *in præsenti q.* loquitur tantùm de repræsentatiuo formali: quod est, vel species intelligibilis, vel phantasma: & probat quòd non phantasma.

d *Respondetur quòd species eadem* Hìc ponitur responsio Henrici ad argumentum Doctoris, & dicit, quòd licèt eadem species, siue idem phantasma, non possit repræsentare idem sub diuersis rationibus: tamen sub alio, & alio lumine potest repræsentare: quia in lumine virtutis phantasticæ tantùm repræsentat sub ratione singularis: sed in lumine intellectus agentis repræsentat sub ratione vniuersalis. 5.

e *Contrà.* Hìc Doctor arguit contra responsionem Henr. Et pro intelligẽtia huius responsionis nota. Dicimus enim quòd aliquid potest cõpetere alicui, puta *A* ratione posterioris, & aliquid ratione ipsius *A.* Exemplum primi: Francisco competit esse similem, puta Ioanni albo, ratione al

albedinis ſibi inhærentis: & competit ſibi eſſe ſimilem Ioanni eſſentialiter, ratione naturæ exiſtentis in vtroque. Primo modo competit ſibi tantùm per accidens. Secundo modo per ſe: quia ratione naturæ, quæ eſt de eſſentia Franciſci. Hoc idem dico de repræſentatiuo, quòd competit alicui eſſe repræſentatiuum ex ſua ratione formali, & priori: vel ex aliquo poſteriori: & per accidens. Exemplum primi: ſpecies ſenſibilis albedinis, ex ſua ratione formali, eſt repræſentatiua albedinis. Exemplum ſecundi: potentia ſenſitiua, vel organum habens in ſe talem ſpeciem ſenſibilem, poteſt dici repræſentatiuum albedinis: & hoc per accidens: quia non ratione talis potentiæ; ſed ratione illius ſpeciei, ſibi accidentaliter inhærentis.

Dicit ergo Doctor, quòd hîc quæritur de repræſentatiuo ex ſua ratione formali: ſiue de repræſentatiuo in ſe: & illud eſt in ſe ſimpliciter tale, nec fit tale per aliquid poſterius, nec variatur per quodcunque poſterius, quo ad ſuam rationem formalem repræſentandi, nec ſimiliter per quodcunque extrinſecum: licèt fortè per aliquod extrinſecum poſſit magis, vel minùs diſponi ad perfectius, vel imperfectius repræſentandum: erit tamen ſemper ex ſua ratione formali tantùm repræſentatiuum alicuius ſub eadem ratione: & non ſub diuerſis omnino rationibus: cùm ergo phantaſma ex ſua ratione formali ſit tantùm repræſentatiuum alicuius ſub ratione ſingularis: per nullum poſterius ſibi adueniens, nec per aliquod extrinſecum poterit eſſe repræſentatiuum alicuius ſub ratione vniuerſalis: ergo falſum eſt dicere, quòd idem phantaſma in lumine intellectus agentis eſt repræſentatiuum vniuerſalis, & in lumine virtutis phantaſticæ ſit repræſentatiuum ſingularis: & hoc eſt, quod dicit Doctor: & patet litera vſque ibi:

6. *Henricus.* f *Si reſpondeatur.* Hîc ponitur vna reſpōſiō Henrici, qui dicit, quòd nō eſt inconueniens idem ſub eadem ratione formali eſſe repræſentatiuum diuerſorum: & probat per ſimile: quia idem ſecundùm eandem qualitatem poteſt eſſe ſimile diuerſis. Sicut vnum album, ſecundùm eandem albedinem eſt ſimile diuerſis albis. Dicit Doctor, quòd

Reſponſio ad Henricum. hoc nihil eſt ad propoſitum: & reſponſio ſtat in hoc: Licèt eadem qualitas, puta eadem albedo, poſſit eſſe ſimilis decem albis, ita quòd in eadem albedine ſint decem ſimilitudines terminatæ ad decem alba: eſt tamen impoſſibile, quòd eadem albedo vna ſimilitudine ſit ſimilis duabus albis: quia tunc eadem ſimilitudo per ſe dependeret à duobus terminis totalibus. Sic dico in propoſito, vbi eſt ordo eſſentialis, ſiue dependentia eſſentialis vnius ad aliud, eſt impoſſibile vnum dependere à duobus in eodem genere: nam ſpecies repræſentatiua eſſentialiter dependet ab ipſo repræſentato: quia repræſentatiuum imitatur ſuum repræſentatum, ſicut imperfectum ſuum perfectum: & ſemper loquor de repræſentatiuo, quod ex ſua natura eſt poſterius repræſentato, & in eſſendo, & in perfectione: quia eſſentia diuina eſt perfectiſſima ratio repræſentandi quodcunque intelligibile: tamen ipſa eſt ſimpliciter prior in eſſendo, & in perfectione. Si ergo phantaſma, per te, repræſentaret aliquid ſub ratione ſingularis, & aliquid ſub ratione vniuerſalis: tunc idem dependeret à duobus totaliter: quia vt repræſentat ſingulare, ipſum imitatur, vt poſterius ſuum prius: & ſic idem ſimpliciter dependeret à duobus in eodem genere, quod eſt impoſſibile. Patet ergo quòd non eſt ſimile de albedine habente plures ſimilitudines.

Secundò principaliter ex eadem via arguit Doctor, probando quòd phantaſma non poſſit eſſe repræſentatiuum alicuius obiecti intelligibilis ſub ratione vniuerſalis: & probat ſic: *Quia repræſentatiuum quod ſecundùm totam virtutem ſuam repræſentat obiectum*, &c. Maior patet. Tum, quia repræſentatiuum formale in repræſentando dependet à repræſentato: quia ſub eadem ratione formali repræſentat, quo cauſatur: ſed idem non poteſt in eodem inſtanti dependere à duabus rationibus formalibus oppoſitis, vt patet: nec etiam pro alio inſtanti. Tum, quia repræſentatiuum repræſentans aliquid ſecundùm totam virtutem ſuam alicui potentiæ, vt ibi exiſtens: in eodem inſtanti non poteſt repræſentare illud perfectè alteri potentiæ, cui non inexiſtit: vt patet de ſpecie ſenſibili exiſtente in organo potentiæ viſiuæ: quæ non repræſentat idem in eodem inſtanti ſecundùm totam virtutem virtuti phantaſticæ: imò nec in alio inſtanti, cùm in virtute phantaſtica ſit proprium repræſentatiuum: ergo à fortiori non poterit repræſentare diuerſa ſub diuerſis rationibus, ſiue idem ſub oppoſitis rationibus. Tum quia ſicut virtus limitata in agendo in eodem inſtanti non poteſt habere duos effectus perfectos, præcipuè diuerſarum rationum: ergo nec virtus limitata in repræſentando in eodem inſtanti poterit repræſentare idem ſub diuerſis rationibus: & maximè diuerſis potentiis, vt ſuprà dixi: & ſic patet iſta maior. 7 *Virtus limitata in agēdo in eodem inſtanti non poteſt habere duos effectus.*

8. *Obiectio.* Si obiiciatur, quòd idem repræſentatiuum poteſt repræſentare idem ſub ratione magis, & minùs vniuerſalis, vt ſuprà dixi: & illud repræſentatiuum, quod ponitur à Scoto, repræſentat ſecundùm totam virtutem, cùm ſit agens merè naturale: ergo idem ſub diuerſis rationibus poteſt ab eadem ſpecie intelligibili repræſentari: vt albedo ſub ratione albedinis: & ſub ratione coloris, & qualitatis, & entis.

Reſponſio. Dico primò, quòd non ſunt rationes oppoſitæ ſicut ratio ſingularis, & vniuerſalis. Secundò dico, quòd ad mentem Scoti, ſunt ponendæ aliæ, & aliæ ſpecies reſpectu magis, & minùs vniuerſalis, vt ſuprà patet *quæſt.* 1. *&* 2. *præſentis diſtinctionis.* Tertiò dico, quòd fortè non eſt inconueniens poſſe repræſentare idem ſub diuerſis rationibus potentiæ, cui inexiſtit. Quartò dico, quòd non eſt probatum, quòd eadem ſpecies intelligibilis in eodem inſtanti ſit ſimul ratio repræſentandi minùs vniuerſale, & magis vniuerſale, quia fortè ſimul non poteſt eſſe ratio formalis producendi notitiam minùs vniuerſalis, & magis vniuerſalis: cùm priùs producat notitiam confuſam magis vniuerſalis, vt diffuſè patet *quæſt.* 2. *præſentis diſtinctionis.*

9. *Obiectio.* Si iterum dicatur, quòd ſicut eadem ſpecies intelligibilis primò repræſentat ſingulare vagum; ſecundò, ipſam naturam in ſe; tertiò, ſingulare ſignatum, vt patet à Doctore in ſua Metaphyſica *in* 7. *libro*: ergo ſimiliter, & phantaſma poterit.

Solutio. Dico vltra ea, quæ dixi ſuprà, quòd primum repræſentatum occurrens intellectui eſt ſingulare vagum. Nam primò, intellectus iudicat de aliquo ſingulari vago, vt de aliqua albedine; ſecundò, de albedine in ſe; & tertiò, de omni albedine ſingulari iudicat ipſam eſſe albedinem, ſicut dixi ſuprà,

suprà, exponendo dictum Augustini, *q.3. præsentis distinctionis*, quòd secundùm formam communem iudico de occurrentibus esse talia secundùm illam formam: sed non intelligit, quòd eadem species intelligibilis repræsentet aliquid sub ratione vniuersalis, & sub ratione propria singularis: cùm ipse velit, quòd singulare natum sit repræsentari intellectui sub ratione propria singularitatis, per speciem propriam causatam ab illo: vt patet *in 2. distinct. 3. quæst.* 11. & sic per speciem intelligibilem vniuersalis posset repræsentare omnia singularia illius vniuersalis: sed tamen sub ratione vniuersali, & non sub ratione propria singularitatis.

SCHOLIVM.

Eandem consequentiam de danda specie intelligibili probat duabus viis, ex parte intellectus agentis. Prima, quia est potentia actiua secundùm Philosophum: ergo habet terminum realem, non in phantasia, quia est inextensus, sed eius primus actus est secundùm Philosophum facere vniuersale in actu, quod fuit tale in potentia; nec hoc aliter fit, quàm producendo speciem intelligibilem. Secunda, agens in ratione actiui coæquatur possibili in ratione passiui; ergo quod causat, recipitur in possibili, sed causat vniuersale; ergo, &c.

EX alio membro [a] arguitur sic, intellectus agens est potentia merè actiua secundùm Philosophos, quia *est illud, quo est omnia facere, sicut possibilis est, quo est omnia fieri*, & secundùm Philosophum, est *sicut ars ad materiam*, id est, ita comparatur ad intellectum possibilem, sicut ars ad materiam: omnis autem actio realis habet aliquem terminum realem, & vnum: ille autem terminus realis, non est in phantasmate, quia intellectus agens nihil causat in phantasmatibus; quia illud receptum esset extensum: & ita intellectus [b] agens non transferret obiectum ab ordine in ordinem, nec illud esset magis proportionatum intellectui possibili, quàm phantasma; ergo est in intellectu possibili, quia nihil recipitur in intellectu agente. Illud autem primum causatum non potest poni actus intelligendi, quia primus terminus actionis intellectus agentis, est vniuersale in actu: vniuersale autem in actu præcedit actum intelligendi, sicut prædictum est in antecedente, quia obiectum sub ratione obiecti præcedit actum. 8. *3. de Anima, t. c. 18. 3. de Anima, t. c. 17.* *Vt inquit Auic. 3. de Anima, tex. 19.*

Et confirmatur ratio [c], quia intellectus agentis est facere de non vniuersali vniuersale, vel de intellecto in potentia, intellectum in actu, sicut dicunt auctoritates Philosophi. & Commentator 3. *de Anima*, dicit, quòd si essentiæ rerum essent vniuersales, sicut posuit Plato, non indigeremus, secundùm ipsum, intellectu agente. Cùm autem vniuersale inquantum vniuersale, nihil sit in existentia, sed tantùm sit in aliquo, vt repræsentante ipsum obiectum sub tali ratione, ista verba nullum intellectum habent; nisi quia intellectus agens, facit aliquid repræsentatiuum vniuersalis, de eo, quod fuit repræsentatiuum singularis, quomodocunque illud, *de*, intelligatur, materialiter, vel virtualiter, hoc realiter est facere repræsentatiuum sub ratione vniuersalis; quia actio talis non terminatur nisi ad repræsentatiuum obiecti sub ratione vniuersalis: ergo talis actio intellectus agentis terminatur ad formam aliquam realem in existentia, quæ formaliter repræsentat vniuersale inquantum vniuersale, quia aliter non posset terminari actio eius ad vniuersale sub ratione vniuersalis. *Comm. 18. Scotus negat vniuersale à parte rei.* alias *talis.*

Dicetur quòd terminus actionis intellectus agentis, est obiectum vniuersale sub ratione vniuersalis lucens in phantasmate. Additio.

Contrà, vniuersale obiectum sub ratione vniuersalis lucens in phantasmate, non habet nisi esse *diminutum, quia* esse *repræsentatum in imagine: sed si aliquod* esse *habet, hoc est inquantùm in aliquo, vt in repræsentante ipsum sub illa ratione vniuersalis, ita scilicet quòd intellectus agens, sicut dictum est, facit aliquod repræsentatiuum vniuersalis de eo, quod fuit repræsentatiuum singularis, cùm terminus actionis realis non sit obiectum habens* esse *diminutum, vt* esse *cognitum, vel repræsentatum: sed quid reale, sequitur quòd talis actio intellectus agentis terminatur ad formam realem in existentia, qua formaliter repræsentatur vniuersale vt vniuersale, & quam formam realem concomitatur terminus intentionalis, vt obiectum vniuersale secundùm* esse *repræsentatum, quod habet in specie.*

Item secundò, secundùm istam [d] viam sic, intellectus agens in ratione actiui non excedit possibilem in ratione passiui: ergo quidquid causatur ab intellectu agente, recipitur in possibili: ergo primus terminus actionis intellectus agentis recipitur in possibili. & ita cùm prima actio intellectus agentis sit ad vniuersale in actu, illud vniuersale, vel illud, quo ipsum habet esse tale, recipietur in intellectu possibili.

COMMENTARIVS.

1. *Intellectus agens dicitur agere actione reali.*

a EX *alio membro arguitur sic.* Doctor ex via intellectus agentis probat necessitatem speciei intelligibilis duplici medio. Primum stat in hoc: Cuicunque agenti, actione reali, correspondet aliquod productum reale actu existens: sed intellectu agens dicitur agere actione reali: ergo correspondet sibi aliquod productum actu reale existens: sed illud productum non potest recipi in aliquo phantasmate: nec in virtute phantastica: quia tale esset de necessitate extensum: & si non in se, saltem in repræsentando: & sic tantùm repræsentaret singulare sub conditionibus materialibus: & sic per illud non esset vniuersale præsens in ratione obiecti. Maior est nota. Et minor patet 3. *de Anima, text. comm.* 13. vbi habetur, quòd intellectus agens est id, quo est omnia facere: & sic verè actiuus. Habetur etiam 3. *de Anima, text. comm.* 17. quòd intellectus agens est sicut ars ad materiam, id est, ita comparatur ad intellectum possibilem, sicut ars ad materiam: ars verò est actiua alicuius receptibilis in materia. Si ergo intellectui agenti correspondet aliquod productum, illud productum erit verè reale: & non potest poni intellectio obiecti: quia illa non est prima actio intellectus agentis, seu primus terminus actionis realis intellectus agentis est vniuersale in actu, id est, est aliqua species intelligibilis habens verum esse reale: & dicitur vniuersale in actu non in prædicando, sed in repræsentando: & sic patet ista ratio.

2. *Dubitatio.*

Sed in ista litera de prima actione intellectus agentis, fortè ab aliquibus diceretur, quòd prima actio ipsius est abstrahere vniuersale à singularibus, & à conditionibus materialibus: quia intellectus agens de non vniuersali facit vniuersale. Contrà, quia tunc nihil ageret realiter: quia vniuersale sic abstractum, non est aliquid reale existens, & solùm tale est terminus realis actionis, vel productionis.

Si iterum dicatur: Ex quo intellectus agens est virtus actiua, & non factiua: ergo terminus realis actionis erit in ipso intellectu agente. Patet. Ex hoc enim virtus actiua distinguitur à factiua, quia actio, siue terminus actionis, est in agente: factio autem, siue terminus factionis, recipitur in materia sensibili extrà, vt subtiliter patet à Doctore *q.* 13. *Quodlib.* Ergo species intelligibilis, quæ dicitur terminus realis actionis ipsius intellectus agentis, erit subiectiuè in intellectu agente, & tamen ponitur in intellectu possibili.

3. *Solutio. Intellectus agens, & possibilis distinguuntur ex natura rei.*

Dico primò, sufficit quòd talis terminus recipiatur in eadem potentia: non enim intellectus agens & possibilis distinguuntur vt duæ potentiæ, cùm sint vna potentia realiter, licèt distinguantur ex natura rei.

Dico secundò, quòd fortè non esset inconueniens ponere intellectum agentem virtutem factiuam, cùm terminus cuiuscunque actionis intellectus agentis recipiatur in intellectu possibili, & ideò Aristoteles dicit, quòd intellectus agens est, quo est omnia facere; & est sicut ars ad materiam, quæ omnia nominant factionem. Posset tamen breuiter responderi, quòd virtus actiua non est ratio agendi aliquid extra suppositum, in quo est: non enim propriè dicimus intellectum agentem agere: sed suppositum dicitur agere intellectu agente vt potentia actiua: & sufficit quòd actio intellectus agentis sit in supposito, cui intellectus agens est ratio agendi. Potentia verò factiua propriè, secundùm quam suppositum aliquid facit, dicitur factiua: quia terminus factionis non recipitur in supposito, cuius est talis potentia factiua: sed recipitur in materia sensibili extrà.

Differentia inter virtutem actiuã, & factiuam.

b Item quando dicit Doctor: *Et ita intellectus agens non transferret ab ordine in ordinem.* Sic debet intelligi, quòd intellectus agens transfert aliquod ens de ordine sensibilium in ordinem intelligibilium. Nam omne per se sensibile est extensum, vt patet: & vt sic, non est in potentia propinqua, vt intelligatur. Si ergo repræsentatiuum sensibilis in potentia sensitiua tam interiori, quàm exteriori (quod semper repræsentat ipsum sensibile extensum, puta in tali, vel tali quanto, & vt hîc, & nunc, & sub tali ratione) non est primò intelligibile: ergo intellectus agens transfert illud sesibile in ordinem intelligibilis in potentia propinqua, partialiter causando aliquod repræsentatiuum, repræsentans ipsum sensibile, vt abstractum ab ipsis conditionibus materialibus: & tale repræsentatiuum non potest poni, nisi species intelligibilis, quæ immediatè recipitur in intellectu possibili. 4.

Intellectus agens transfert de ordine in ordinem.

Nota tamen, quòd ea, quæ dixi de intellectu agente, quòd transfert de ordine in ordinem, &c. vera sunt, loquendo de intellectu pro statu isto, vbi sensibilia tantùm sunt præsentia in potentia remota. Nam album extrà est intelligibile tantùm in potentia remotissima: & album præsens virtuti phantasticæ per phantasma repræsentans illud extensè, est in potentia intelligibile, minùs tamen remotè: quia vt sic, intellectus non potest ipsum primò intelligere: vt verò est præsens intellectui per speciem intelligibilem ipsum repræsentantem sine conditionibus materialibus; tunc est intelligibile in potentia propinqua: quia, vt sic præsens, pertinet ad memoriam perfectam, vt exposui declarando titulum quæstionis, & tunc est memoria perfecta, quando statim potest producere. Si verò album comparetur intellectui non pro statu isto, dico, quòd non sic transfertur de ordine sensibilis in ordinem imaginabilis; & de ordine imaginabilis in ordinem intelligibilis. (Intellectus enim agens tantùm transfert de ordine imaginabilis in ordinem intelligibilis: & virtus phantastica transfert de ordine sensibilis in ordinem imaginabilis) quia vt sic, est tantùm intelligibile ab illo intellectu separato: & sic album immediatè, saltem vt partialis causa, potest mouere intellectum ex natura intellectus, causando immediatè cognitionem sui intuitiuam, nulla eiusdem albi sensitiua præcedente. Potest etiam, vt partialis causa, immediatè causare speciem sui intelligibilem in intellectu possibili separato: concurrente intellectu agente, vt alia partiali causa, per quam speciem intelligibilem potest abstractiuè cognosci: & de hoc vide Doctorem *in* 2. *dist.* 3. *q.* 10. *&* 11. & vide ibi expositiones quas feci. 5.

c *Et confirmatur ratio.* Hîc Doctor confirmat rationem priùs positam, probando per auctoritates, quòd primus terminus actionis realis intellectus agentis, sit species intelligibilis. Vnde Commentator 3. *de Anima, comm.* 18. dicit, quòd vniuersalia nullum *esse* habent extra animam: quod intendit Plato, quia si ita esset, non indigeremus 6.

geremus ponere intellectum agentem: hæc in fine illius commentarij. Ex quo patet, quòd ideò ponitur necessitas intellectus agentis, vt faciat de non vniuersali vniuersale. Et patet etiam per hanc auctoritatem; quia intellectus agens est facere de non vniuersali vniuersale: quæ auctoritas non habet alium sensum, nisi quòd intellectus agens de illo, quod erat repræsentatiuum singularis, facit repræsentatiuum vniuersalis: vt notat Doctor parum infrà. Cùm dicit, siue ly *de* accipiatur materialiter, siue virtualiter. Si ly *de* accipiatur materialiter: tunc intellectus agens facit de repræsentatiuo singularis, id est, de ipso phantasmate, quod est repræsentatiuum singularis, repræsentatiuum vniuersalis, causando speciem intelligibilem, non imprimendo ipsam in phantasmate, sed tantùm intellectu possibili: sed exprimendo ipsam, id est, quòd non possit causare pro statu isto speciem intelligibilem: nisi præsupposito phantasmate de quo exprimat. Si verò ly *de* intelligatur virtualiter: sensus est, quòd intellectus agens producit speciem intelligibilem de ipso phantasmate virtualiter continente ipsam, vt partiali causa: vt infrà patebit *quæst. penult. præsentis distinctionis*: & sic intellectus agens vnà cum phantasmate producit speciem intelligibilem.

Intellectus agens de nõ vniuersali facit vniuersale.

7. d *Item, secundùm istam viam.* Hæc est secunda ratio, qua probatur necessitas speciei intelligibilis sumpta ex ratione intellectus agentis. In ista ratione Doctor supponit vnum, quod communiter ab omnibus conceditur, scilicet, quòd actio prima intellectus agentis sit ad vniuersale in actu: quod dictum non potest habere veritatem, nisi de aliquo repræsentatiuo ipsius vniuersalis: semper supponendo: quòd prima actio intellectus agentis sit verè realis: ergo terminatur ad aliquod verè reale, & realiter existens. Vniuersale verò, quod est vniuersale in prædicando, vt puta homo in communi vt sic, non habet aliquod *esse* reale, vt præscindit à singularibus: abstrahit enim ab omni existentia: siue accipiatur *homo* sub secunda intentione: adhuc minùs *esse* reale habebit: quia vt sic, tantùm consideratur in *esse* cognito. Si ergo prima actio intellectus agentis terminatur ad vniuersale in actu: & talis actio est verè realis: sequitur, quòd tale vniuersale in actu erit tantùm in repræsentando, & illud erit species intelligibilis actu existens.

Si dicatur concedendo, quòd prima actio intellectus agentis sit realis: sed terminus illius actionis non recipitur in intellectu agente: sed in virtute phantastica: & sic non oportet ponere speciem intelligibilem pertinere ad memoriam intellectiuam, vt memoria intellectiua est. Contra hoc arguit, probando quòd omne productum ab intellectu agente tantùm recipiatur in intellectu possibili: quia intellectus agens in ratione actiui non excedit possibilem in ratione passiui: ergo quicquid causatur ab intellectu agente, immediatè recipitur in possibili: & sic stat ratio Doctoris.

Nota tamen hanc propositionem, quando dicit, quòd *intellectus agens in ratione actiui non excedit possibilem in ratione passiui*: quia non habet veritatem è conuerso. Ista est enim vera, quòd omnis actio intellectus agentis recipitur in intellectu possibili: ista tamen non est sic vera, quòd quicquid recipitur ab intellectu possibili, sit causatum ab intellectu agente, nec partialiter, nec totaliter: quia potentia receptiua naturalis in plus se habet, quàm potentia actiua naturalis, vt suprà patuit *in q. 1. Prologi*, intellectus enim possibilis, ex natura intellectus, est in potentia passiua naturali ad multa, quæ non subsunt causalitati agentis naturalis: vt suprà patuit. Si tamen vera sit propositio è conuerso, scilicet quòd quicquid recipitur in intellectu possibili, causatur ab intellectu agente: erit vera pro statu isto, & naturaliter loquendo, sustinendo tamen quòd intellectus agens sit partialis causa intellectionis: & fortè principalior intellectu possibili: vt videtur innuere Doctor *in Quodl. quæst. 5*. 8.

SCHOLIVM.

Eadem consequentia pro specie intelligibili, probatur aliis duabus viis ex parte magis, & minùs vniuersalis. Prima, datur habitus circa magis vniuersale, vt Metaphysica: ergo haberi potest actus circa illud vniuersalius, non concipiendo minùs vniuersale, ergo datur aliquid præter phantasma, repræsentans illud vniuersalius: quia non potest repræsentari in phantasmate, nisi priùs repræsentato minùs vniuersali, quod propinquius est singulari phantasiabili. Secunda, vniuersalius non concipitur secundùm totam suam indifferentiam in inferiori: ergo in aliquo quod abstrahit ab inferioribus, ergo non in phantasmate.

Secundùm tertiam viam a arguitur primò sic; habitus minùs vniuersalis, & magis vniuersalis, sunt distincti habitus proprij, alioquin Metaphysica, vt Metaphysica, non esset habitus distinctus intellectus, quia esset de vniuersalissimo obiecto ad omnia alia obiecta; habitu autem vniuersaliori contingit vti, non vtendo aliquo alio habitu minùs vniuersali: ergo contingit habere actum circa vniuersalius eo modo, quo respicitur ab habitu illo vniuersaliori, non habendo actum circa minùs vniuersale: sed non habetur actus intelligendi circa vniuersalius, nisi ipsum sub tali ratione sit præsens intellectui sub ratione præsentis, & non habetur actus intelligendi circa ipsum in ratione præsentis, nisi sub ratione vniuersalis: ergo vniuersalius potest esse præsens intellectui absque præsentia alicuius minùs vniuersalis. Sed si præcisè intelligeretur obiectum in phantasmate, nunquam esset maius vniuersale præsens, nisi in minùs vniuersali, quia nunquam nisi in singulari phantasiabili: ergo est præsens in specie intelligibili existente in intellectu. 9.

Item, vltimò [b] quo ad hanc viam arguo sic: Vniuersalius nunquam apprehenditur quantùm ad suam indifferentiam totam, quando apprehenditur in suo inferiori; tota enim indifferentia vniuersalioris est, secundùm quòd ipsum vt conceptum, est idem cuilibet inferiori: nunquam autem communius, vt conceptum tantùm in inferiori aliquo, est idem cuilibet inferiori suo, sed præcisè illi, in quo concipitur: ergo quodcunque vniuersale conceptum in singulari, vel communius in minùs communi, non concipitur secundùm totam suam indifferentiam. Potest autem intellectus concipere illud secundùm totam suam indifferentiam: ergo non concipitur præcisè communius in minùs communi, vel vniuersale in singulari: & ita non præcisè concipitur vniuersale in phantasmate, phantasma enim non est propriè nisi ipsius singularis, & hoc inquantum est singulare speciei specialissimæ, & hoc si phantasma sit sibi impressum ab aliquo debitè propinquato.

Non potest repræsentari minus commune nõ repræsentato cõmuniori, benè è cõtra.

COMMENTARIVS.

1. a *Secundùm tertiam viam.* Probat principale intentum per duas rationes sumptas ex magis, & minùs vniuersali, & tota vis primæ rationis stat in hoc: Habitus, vt habitus talis obiecti, inclinat naturaliter ad cognitionem talis obiecti; & potentia inclinata nunquam posset tale obiectum cognoscere, nisi esset præsens per speciem intelligibilem, vt patet de obiecto habitus Metaphysici, qui inclinat ad ens inquantum ens: ergo ens, vt ens erit intellectui præsens, & non per phantasma, vt probatum est per duas rationes primas: nec per habitum, quia habitus, vt habitus, non est similitudo obiecti intelligibilis, inquantùm intelligibile. Et si fortè ponatur similitudo obiecti, hoc tantùm erit similitudo obiecti intelligibilis, non inquantùm intelligibile, sed vt cognitum. Tum etiam, quia habitus inclinat ad similes actus, ex quibus causatur. Cùm ergo inclinet ad cognitionem entis in vniuersali, ergo intellectus ante habitum causatum, priùs intelligit ipsum ens in se: & non potest ipsum intelligere, nisi sit sibi præsens: ergo erit præsens per speciem intelligibilem.

2. Et nota benè, quod ex his duabus rationibus vltimis habetur, quòd vniuersalius est præsens per propriam speciem intelligibilem ipsum repræsentantem. Sed quia in litera istarum rationum sunt aliquæ obscuritates: ideò expono illam. Cùm dicit ibi: *Habitus minùs vniuersalis, & magis vniuersalis sunt distincti habitus proprij: alioquin Metaphysica vt Metaphysica,* id est, scientia metaphysicalis vt metaphysicalis, *non esset habitus intellectus distinctus,* supple ab aliis habitibus. Hìc Doctor loquitur de habitu scientifico. Et cùm dicit, quòd isti habitus scientifici magis vniuersalis, & minùs vniuersalis sunt distincti formaliter, quia distinguuntur suis rationibus formalibus, distinguuntur etiam ab obiectis, quorum sunt tales habitus.

Obiectio. Si dicatur, Ex quo enim habitus Metaphysicus est entis, inquantùm ens: & habitus Physicus est corporis mobilis sub ratione, vel naturalitatis: vel naturalitatis, vel mobilitatis: ista duo obiecta non distinguuntur realiter, vt patet: nec formaliter, cùm inferius sit idem formaliter suo superiori, licèt non è contra: vt patet à Doctore suprà *distinct. 2. quæst. 1. partis secundæ.*

Inferius est idẽ formaliter suo superiori, non è contra.

Solutio. Pro nunc dico, quòd sufficit ista obiecta distingui obiectiuè, & conceptibiliter: & talis distinctio est sufficiens distinctionis habituum magis, & minùs vniuersalis. Sequitur: *Habitu autem vniuersaliori contingit vti, non vtendo aliquo alio habitu minùs vniuersali:* patet, quia habens habitum Metaphysicum potest vti illo, cognoscendo ipsum ens inquantùm ens, non cognoscendo pro tunc aliquod inferius.

Et nota, quòd si habitus ponatur vt tantùm inclinans, & facilitans potentiam ad similes actus, ex quibus causatur, tunc potentia dicitur vti illo, quando secundùm inclinationem talis habitus operatur, siue quando elicit actus, ad quos talis habitus inclinat. Si verò ponatur habitus vt partialis causa actus, vt videtur innuere Doctor infrà *distinctione* 17. *& in tertio distinctione* 27. tunc potentia dicitur vti tali habitu, quando elicit actus circa aliquod obiectum, quorum habitus est causa partialis. Potentiam ergo vti habitu est elicere actum circa aliquod obiectum, ad quem actum talis habitus inclinat potentiam, vel cuius actus est causa partialis: & sic patet, quòd habens habitum Metaphysicum, qui tantùm vel inclinat ad actus, vel est partialis causa actuum similium, ex quibus generatur: & per consequens talis habitus tantùm inclinat potentiam ad actus circa obiectum vniuersalissimnm, siue complexum, vt principia, & conclusiones; siue incomplexum, vt subiectum Metaphysicæ. Si ergo intellectus per talem habitum potest cognoscere ens inquantùm ens, oportet quòd sit sibi præsens in ratione obiecti intelligibilis: non est autem præsens per habitum scientificum, vt suprà dixi: ergo erit sibi præsens per speciem intelligibilem, quod est propositum: & patet ista ratio. 3.

b *Item vltimò, quo ad hanc viam arguo sic:* Ista ratio stat in duobus dictis. 4.

Primum est de indifferentia vniuersalis, quando dicimus, quòd vniuersale est indifferens ad omnia inferiora secundùm totam suam indifferentiam: sic intelligitur inquantùm ipsum, vt sic conceptum, est idem cuilibet inferiori: sicut cùm concipio animal secundùm totam suam indifferentiam ad omnia animalia: ipsum concipio vt est idem omni animali, & vt commune omni animali. Si verò conciperem animal tantùm, vt in aliquo inferiori, puta in homine; tunc non conciperem animal secundùm totam suam indifferentiam, qua est idem cuilibet animali.

Secundum dictum est, quòd possum concipere vniuersale secundùm totam suam indifferentiam: vt puta, possum concipere ens, secundùm quòd est indifferens ad omnia entia: sed certum est quòd non possum ipsum concipere, nisi esset præsens

præsens intellectui in ratione obiecti intelligibilis, hoc autem non potest esse, nisi per aliquod repræsentatiuum, ipsum repræsentans secundùm totam suam indifferentiam: & illud non potest esse phantasma: quia non repræsentaret ipsum secundùm totam suam indifferentiam: sed vt inquantùm est idem alicui singulari phantasiabili: ergo erit præsens per speciem intelligibilem, repræsentantem ipsum secundùm totam indifferentiam, & sic habetur propositum.

SCHOLIVM.

Secundò principaliter probatur dicta consequentia pro specie intelligibili. Primò, intellectus potest habere operationem sibi propriam sine potentiis inferioribus, aliàs non posset esse sine eis: ergo habet præsentiam obiecti sine eis, quia causæ huius præsentiæ, id est, speciei, sunt naturales, scilicet phantasma, & intellectus agens, & debitè applicata passo, id est, intellectui posibili. Secundò, aliæ potentiæ cognitiuæ inferiores, vt sensus communis, habent speciem sibi propriam distinctam à specie sensus externi: ergo & intellectus speciem propriam distinctam à phantastica, quia quod perfectionis est in inferiori, concedendum est superiori potentiæ.

DE secundo membro [a], scilicet, præsentia obiecti, probatur illa consequentia prima, primò sic: Aut intellectus potest habere obiectum sibi præsens in ratione obiecti intelligibilis absque hoc, quòd sit præsens alicui potētiæ inferiori, aut non. Si non, igitur non potest habere aliquam operationem sibi propriam, sine potentiis inferioribus, quia si non potest habere obiectum suum sibi præsens sine eis, non potest habere operationem sine eis: igitur necesse sine eis secundùm argumentum Phil. *in* 1. *lib. de Anima*, vnde non contingeret intellectum separari à corpore, sicut perpetuum à corruptibili, nisi posset habere operationem propriam non dependentem à parte sensitiua. Si autem potest habere obiectū præsens absque eius præsentia potentiæ inferiori: ergo habet [b]. Hæc consequentia probatur, quia agentia talis præsentiæ obiecti, scilicet phantasma, & intellectus agens sunt sufficienter appropinquata intellectui possibili, & agunt per modum naturæ, & ita causant necessariò in illo præsentiam, cuius est receptiuus: modò obiectum non est præsens intellectui possibili in cognitione abstractiua ante actum elicitum, nisi per aliquod repræsentatiuum, quod voco speciem, & sic habeo propositum. 10.

Tex. c. 12. & 13. 2. de Anima, t. 21.

Si intellectus depēderet in operari proprio ab aliis, dependeret ab iisdem in esse.

Secundò sic: Aliæ potentiæ cognitiuæ habent obiectum præsens eis non solùm præsentialitate secundaria, scilicet, quia illa sunt præsentia aliis potentiis inferioribus; sed propria præsentialitate, sicut sensus communis habet colorem sibi præsentem, non tantùm inquantùm est præsens visui; sed quia habet speciem eius præsentem in organo sensus communis; ergo cùm hoc sit perfectionis in potentia cognitiua, scilicet, posse habere obiectum sibi præsens sub ratione, qua est obiectum talis potentiæ, sequitur quòd intellectus non tantùm potest habere obiectum sibi præsens, quia præsens est virtuti phantasticæ; sed propria præsentialitate, inquantùm scilicet relucet intellectui per aliquod, quod est in intellectu. Item [c] potentia non potens habere actum nisi circa obiectum sibi præsens, si non potest habere illud præsens, nisi per aliquam aliam potentiam, cui coniungitur contingenter, dependet in operatione sua à tali potentia sibi contingenter coniuncta, & ita est imperfecta Intellectus, certum est, quòd non potest habere operationem nisi circa obiectum sibi præsens, &, per te, non potest habere obiectum præsens sibi nisi in virtute phantastica; virtus autem phantastica contingenter coniungitur intellectui, inquantùm potentia est; igitur intellectus in operatione sua dependet ab illa potentia, cui contingenter coniungitur, & ita hæc positio ponit in ea imperfectionem potentiæ cognitiuæ. Nulla autem imperfectio est ponenda in aliqua natura, nisi necessitas appareat in tali natura; ergo imperfectio talis non est ponenda in intellectu. 11.

1. Phys. text. 35. & 50. 8. Phys. text. 56. & 2. de Gener. t. 59.

Si obiicias, pluralitas non est ponenda, nisi vbi est necessitas: hîc autem non est necessitas, cùm ita benè posit poni intellectum habere actum sine specie, sicut cum specie; ergo non est ponenda talis species. Respondeo, necesitas est, quando perfectio naturæ hoc requirit. Licèt autem hoc suppositum, quod est *homo*, posset habere obiectum sibi præsens in phantasmate, quia homo est, tamen natura intellectualis hominis, vt intellectualis est, non habet obiectum sufficienter sibi præsens, si non habet ipsum, nisi præsentia mendicata à virtute phantastica. Hoc igitur multùm vilificat naturam intellectiuam, vt intellectiua est: quia remouetur ab ea illud, quod est perfectionis in potentia cognitiua, & inuenitur in potentia sensitiua, vt in virtute phantastica: ponitur igitur hæc pluralitas propter necesitatem, quia propter perfectionem naturæ perfectioris saluandam, maiorem, quàm sit naturæ imperfectioris, vel saltem æqualem. 12.

Pluralitas sine necessitate reiiciēda secūdùm Philosophū.

De hoc Scotus latè 2. d. 3. q. 11.

COM

COMMENTARIVS.

1. *De necessitate speciei intelligibilis contra multos.*

a DE *secundo membro, scilicet præsentia obiecti.* Hîc Doct. probat necessitatē speciei intelligibilis tribus rationibus sumptis ex præsentia obiecti. In prima ratione supponit vnum, quòd intellectus potest habere aliquam operationem sibi propriam sine potentiis inferioribus: hoc est, non dependendo à potentiis inferioribus, quod suppositum potest habere multiplicem sensum. Primus est, quòd pro statu isto intellectus possit aliquid immediatè intelligere, sic quòd non requiritur, quòd aliqua potentia inferior priùs habeat operationem circa illud: vt potentia sensitiua, vel imaginatiua: & iste sensus est falsus, quia intellectus pro statu isto non potest immediatè moueri ab aliquo sensibili: priùs enim sensibile mouet potentiam sensitiuam exteriorem: & deinde causatur phantasma in virtute phantastica, vt suprà exposui.

2. *Intellectus absque potentia sensibili potest operari.*

Secundus sensus est, quòd intellectus priùs habita operatione sensitiua, possit habere in se omnia necessaria ad causandum propriam operationem, ita quòd haberet præsentiam obiecti in seipso, scilicet per speciem intelligibilem repræsentantem obiectum in ratione intelligibilis: & hic sensus est verus. Si enim isto modo non posset habere operationem propriam, nisi dependeret à potentiis sensitiuis, tunc sequeretur, quòd non posset operari, nisi circa illud, quod relucet in virtute phantastica: & sic semper in operando dependeret à virtute phantastica: quia non haberet in se necessaria ad operandum, puta præsentiam obiecti: sed tantùm in alio, puta in virtute phantastica: & si sic dependeret in operando, dependeret etiam in essendo secundùm argumentum Philosophi. *Separatur enim hoc ab hoc sicut perpetuum à corruptibili*, vt patet in procemio libri de Anima, text. comm. 12. & 13. & quomodo illa auctoritas Philosophi intelligatur, vide Scot. *in* 4. *d.* 43. *q.* 3. imò posset dici intellectus sic dependens in operando virtus organica: quia potentia sensitiua dicitur vti organo, cùm species sensibilis repræsentans sensibile tantùm recipitur in organo: & sic obiectum relucet ibi. Cùm ergo phantasma sit in organo virtutis phantasticæ, tantùm repræsentabit obiectum, vt in tali organo: & per consequens si intellectus haberet obiectum præsens tantùm in virtute phantastica, tunc non posset operari circa illud, nisi quodammodo organice, modo præexposito: & per consequens si potest habere operationem propriam, modo præexposito, poterit habere præsentiam obiecti in se: non autem vt in aliqua virtute inferiori: sed talis præsentia haberi non potest, nisi per speciem intelligibilem: ergo, &c.

Quomodo sit intelligenda authoritas Arist. separatur hoc ab hoc sicut perpetuum à corruptibili.

3. *Exponit aliqua dicta.*

Expono tamen aliqua dicta in litera. Cùm dicit ibi: *Aut intellectus potest habere obiectum:* puta vniuersale, *sibi præsens in ratione obiecti intelligibilis absque hoc, quòd sit præsens alicui potentiæ inferiori.* Hoc sic intelligitur, quòd licèt idem obiectum possit esse diuersimodè præsens alij, & alij potentiæ: non tamen erit præsens sub vna, & eadem ratione: quia albedo, vt est præsens virtuti phantasticæ, est tantùm præsens sub ratione singularis: vt verò est præsens intellectui est primò præsens sub ratione vniuersalis, vt suprà declaraui: & sic intellectus potest habere obiectum sibi præsens sub ratione vniuersalis absque hoc, quòd sit præsens potētiæ inferiori sub illa ratione vniuersalis.

b *Ergo habet*, scilicet obiectum sub ratione vniuersalis potest esse præsens intellectui absque hoc, quòd sit præsens potentiæ inferiori sub tali ratione: ergo actu est præsens. *Probatur hæc consequentia: quia agentia talis præsentiæ obiecti*, &c. Probatio huius consequentiæ supponit vnum, scilicet quòd in virtute phātasticā sit actu phantasma singularis alicuius vniuersalis fortiùs mou ntis sensum exteriorem: quo posito, patet probatio consequentiæ: quia phantasma, & intellectus agens sunt sufficienter approximata intellectui possibili: & agunt per modum naturæ: & ita causant necessariò in illo præsentiam obiecti, cuius est receptiuus: & patet litera. 4

Secunda ratio est ibi: *Secundò sic: Alia potentia.*

c Tertia ratio est ibi: *Item potentia non potens habere actum:* & litera clara est. Sed quòd intellectus contingenter coniungatur potentiæ sensitiuæ in operando, patet, quia potest intellectus separari, & separatim existere sine potentia sensitiua, vt patet de anima separata. Patet etiam, quia vt coniungitur corpori glorioso non habet obiectum præsens per phantasma, cùm non habeat tunc necessitatem vti potentiis sensitiuis in cognitione abstractiua; vt suprà patuit q. 3. præsentis dist. Cætera patent.

SCHOLIVM.

Resoluit ob allatas rationes, dari species intelligibiles, quod amplius probat ex Philosopho, Augustino, & à ratione, & soluit argumenta principalia.

13. *Auctoris determinatio.* AD quæstionem [a] ergo dico, quòd est necesse ponere in intellectu speciem intelligibilem, priorem naturaliter actu intelligendi, propter rationes iam positas ex parte obiecti, inquantùm vniuersale, & inquantùm præsens intellectui: quæ duæ conditiones, vniuersalitas scilicet, & præsentia, præcedunt naturaliter intellectionem. Hæc etiam videtur intentio Aristotelis, qui *tertio de Anima* volens, quòd anima sit quodammodò omnia, quasi probando, exponit se, quòd est per sensus sensibilia, & per intellectum, vel scientiam scibilia, quod aliqui exponunt, quòd non loquitur vniformiter hîc, & ibi, quia de sensu loquitur quantùm ad speciem impressam: de intellectu autem quantùm ad habitum scientiæ.

Text. 37. *Henric. & Goffred.*

Sed hæc expositio [b] non videtur esse ad intentionem Philosophi, quia sicut antiqui posuerunt animam esse omnia realiter, vt omnia cognosceret: sic Philosophus ponit eam esse omnia, non realiter, sed per quandam similitudinem. Si autem per sensus

2. de Anim. text. 25. & inde.

sus esset sensibilia propter similitudines impressas, & per intellectum esset intelligibilia, aut hoc esset propter scientiam, quæ est in intellectu, & ita non esset scibilia propter similitudinem, quia scientia de se non est similitudo intelligibilis, circunscriptâ omni alia specie obiectum repræsentante; aut propter aliquod phantasma repræsentans obiectum intelligibile, & tunc non esset anima intelligibilia omnia per intellectum, sed omnia per phantasma, nihil enim esset ibi repræsentans intelligibile, nisi phantasma tantùm, secundùm positionem istam.

Item Aristoteles 8. *Physicorum ponit quòd acquisita scientia reducitur intellectus de potentia essentiali ad accidentalem: quæro quid intelligat per scientiam? non habitum sequentem actum, quia quando intellectus egit, non fuit in potentia essentiali. manifestum est igitur, quòd formam præcedentem actum: ergo speciem intelligibilem. Probatio, tum, quia phantasma non reducit intellectum de potentia essentiali ad potentiam accidentalem. Tum, quia omnis illa scientia, quæ dicitur habitus quiditatis primi obiecti, esset in phantasia: ergo ibi esset omnis habitus de eodem, quia secundùm Philosophum 9. Metaph. idem habitus intellectus, & scientia.* ADDITIO. *Text. 32.*

Expressiùs tamen est ad istud intentio Augustini. Quod deduco sic: nihil enim sufficienter natum est gignere notitiam actualem, nisi ipsum habeat obiectum priùs naturaliter, quàm actum, præsens sibi in se, vel in aliquo repræsentante ipsum: sed negando speciem intelligibilem, tota pars intellectiua non habet ante actum intelligendi, obiectum sibi præsens in se, nec in aliquo repræsentante: ergo negando speciem intelligibilem, nihil in intellectiua parte erit sufficienter natum gignere actum intelligendi, & ita nihil in parte intellectiua erit sufficienter memoria respectu talium intellectionum, vel gignitionum, quod negat Augustinus 12. *de Trin. c.* 14. Si respondeas [c], quòd memoria est in parte intellectiua propriè sumpta per hoc, quòd intellectus factus est in actu primo intelligendi, & sic est actiuus respectu secundi actus intelligendi, ita quòd habens notitiam primam confusam, actiuus est respectu notitiæ secundæ distinctæ. 14. *Quid requiritur ad gignenda notitiam? Et lib. 15. c. 18.*

Contrà, hoc est contra opinionem istam, & contra Augustinum.

Contra opinionem [d]: Quia ponit, quòd vniuersale vt in phantasmate, est ibi quasi in memoria: vt autem mouens ad actum intelligendi, est ibi præsens quasi in intelligentia: ergo per istam opinionem nullus actus intelligendi est memoriæ, sed intelligentiæ.

Est etiam hoc [e] contra Augustinum: vt apparet de Trin. 15. c. 21. *Memoriæ* (inquit) *tribuentes omne, quod scimus, etsi non inde cogitemus: intelligentiæ verò proprio modo quodam, tribuentes cogitationis informationem.* & lib. eodem 15. & 7. *Nihil intelligimus nisi per intelligentiam.* Similiter arguitur ratione [f], quia actus ille, quo memoria est in actu primo, aut est idem cum illo actu intelligentiæ, & tunc idem erit ratio gignendi se: aut erit alius: & tunc, vel erit simul cum actu intelligentiæ, & tunc duo actus erunt simul; aut non, & tunc memoria formaliter, quando non erit. Est enim memoria formaliter per te, per illud quod non est, quando gignitur actus secundus.

Si etiam [g] dicas, quòd memoria est memoria per habitum scientialem: hoc non stat cum opinione. Quia dicit, quòd per habitum, non est obiectum præsens nisi in phantasmate, & ideò habentem habitum oportet recurrere ad phantasma, ad hoc, vt actu intelligat: ergo non est obiectum præsens per habitum scientialem præcisè, sed per phantasma, quod non est in parte intellectiua, & hoc magis patebit respondendo ad auctoritates Augustini ponentis scientiam in memoria, & non speciem impressam in intellectu, sicut arguitur ex verbis eius. *De hoc Scotus latè cõtra Henr. 2. d. 3. q. 10.*

Ad quæstionem ergo dico, quòd oportet ponere in intellectu, vt habet rationem memoriæ, speciem intelligibilem repræsentantem vniuersale, priorem actu intelligendi naturaliter: & huius necessitas est duplex. Vna ex conditione per se obiecti, quæ est vniuersalitas, quæ vt per se ratio obiecti, semper præcedit actum, quod non esset, nisi esset species impressa in intellectu. Alia est conditio, & dignitas potentiæ superioris, ne ipsa vilificetur, quomodo autem vilificaretur, dictum est suprà. ADDITIO. *In reportationibus primi aliter dicit in corpore quæstionis, dicit enim sic. Memoria est triplex.*

Ad euidentiam ergo quæstionis, sciendum quòd memoria *potest accipi tripliciter, vel intellectus sub ratione memoriæ Vno modo, vt est conseruatiua specierum præteritorum, vt præterita sunt; & isto modo loquitur Philosophus in de Memoria, & reminiscentia: alio modo, vt est conseruatiua specierum repræsentantium obiecta in se, siue sint realiter, siue non: & hoc modo loquendo de memoria, dico, quòd oportet ponere speciem in intellectu, vt habet rationem memoriæ, tum propter vniuersalitatem, tum propter dignitatem potentiæ. Tertio modo accipitur provt habet aliquod principium eliciendi aliquam notitiam actualem, quod tamen non manet sine actu secundo, quomodo posuit Auicenna speciem in intellectu nostro, & de ista dicetur in quæstione sequenti. Hæc, quæ suprà probaui, videtur esse intentio Philos. 3. de Anima, vbi*

vbi dicit, quòd anima est quodammodo omnia intelligibilia per intellectum, sicut sensibilia per sensum, *quod non potest intelligi per habitum, quia non est similitudo repræsentatiua obiecti, quia sequitur actum aliquem habitus omnis.*

Additio. *Et confirmatur hoc, quia habitus scientia, per quam reducitur intellectus de potentia essentiali ad potentiam accidentalem respectu actuum, de quo loquitur Philosophus 2. de Anima, & 8. Physic. necessariò præcedit actum intelligendi: scientia autem quæ habitus est, sequitur actum, eo quòd generatur ex actibus. Vnde ista scientia quæ reducit intellectum de potentia essentiali, ad potentiam accidentalem, est species, quæ verè est habitus, quia nata radicari, & firmari in intellectu. Sed tamen non omnis habitus, est species, quia habitus actualiter radicatus, & firmatus, non est species, quæ præcedit actum, nata radicari, & firmari: quia ista postea firmatur per actum. Item, secundùm istos, non videtur aliquis habitus ponendus in intellectu nostro, sed tantùm in virtute phantastica, quia secundùm quemcunque modum essendi est obiectum in aliqua potentia: secundùm eundem modum essendi, sunt omnia, quæ continentur in ipso obiecto virtualiter: igitur si obiectum non sit per suum repræsentatiuum in intellectu, sed in virtute phantastica, omnia explicanda, & explicabilia de illo obiecto, erunt ibidem: & ita non erit nisi habitus phantasticus (præcipuè si phantasmata ordinatè concurrant) explicans omnes veritates scibiles de illo obiecto: & omnis scientia erit in phantasia, & perfectio eius, & non erit perfectio intellectus contra Philosophum. & sic cùm ista species in phantasia, virtute sua contineat actum intellectus; ergo actus ille erit in phantasia.*

Text. 25. & 55. Text. 32.

Omnis species est habitus, non è contrà.

*Item, Aug. 13. de Trinit. c. 4. & 15. c. 3. inuestigat Trinitatem, vbi dicit, quòd impossibile est accipere imaginem Trinitatis ex anima nostra, vel in mente, nisi per hoc, quòd aliquid est in memoria, ex quo exprimitur aliud. Tunc arguo sic: si in mente, est aliquid exprimens verbum, oportet quòd hoc sit per aliquid intrinsecum, siue existens in memoria: sed non est * exprimens verbum, nisi memoria habens obiectum menti præsens intra se, aliàs non erit exprimens: ergo cùm obiectum non sit præsens in memoria quiditatiuè, & realiter, nec vt est in phantasmate, necessariò erit præsens per speciem intelligibilem.*

* aliàs *parens verbi.*

Ad arg. 1. Ad argumenta [h] in oppositum principalia, primò apparet, quòd illud argumentum primum non cogit: quia si valeret, concluderet contra omnem opinionem, quòd nullo modo possit intelligi vniuersale, quidquid enim sit illud, per quod vniuersale repræsentatur, similiter repræsentabit, sicut si esset impressum ab obiecto: sed si imprimeretur ab obiecto, imprimeretur à singulari, quia actus est singularis, sicut argumentum dicit. Ideò respondeo, quòd alia potest esse ratio agendi, & alia ratio agentis. Singularitas est conditio agentis, non ratio agendi: sed ratio agendi est ipsa forma existens in singulari, secundùm quam singulare agit. cùm ergo accipitur, quòd quæcunque species gignitur ab aliquo, repræsentat ipsum secundùm illam rationem, secundùm quam gignitur ab eo: si intelligatur de ratione gignentis, falsa est: si de ratione gignendi, concedi potest. & tunc non sequitur, quòd repræsentat eum sub ratione singularis, sed sub ratione naturæ, quia ratio naturæ est ratio gignendi.

Ratio agẽdi forma, conditio, singularitas.

Sed ista responsio non videtur sufficere, quia ita videretur, quòd species in sensu repræsentaret vniuersale, & non singulare; quia ratio gignendi speciem in sensu, non est singularitas, sed ratio naturæ.

Species repræsentat per se naturam, concomitãter singularitatẽ, vel vniuersalitatem. Ideò generaliter respondeo, quòd quando species gignitur ab aliquo, sicut à totali causa, repræsentat ipsum sub illa ratione, sub qua gignitur, loquendo de ratione gignendi; & etiam repræsentat ipsum concomitanter sub ratione gignentis, aut saltem non sub ratione opposita rationi gignentis. & ideò species in sensu non repræsentat obiectum sub ratione vniuersalis, quæ est conditio opposita rationi gignentis singularis. Sed in proposito obiectum non est causa totalis gignens respectu speciei intelligibilis; quia cum ipso agit intellectus agens, sicut partialis causa. & ideo genitum ab istis duabus causis, potest repræsentare obiectum sub opposita ratione singularitatis, quæ est ratio gignentis.

16.

Ad 2. Ad secundum [k] de præsentia ista, dico, quòd obiectum respectu potentiæ, habet primò præsentiam realem, scilicet approximationem talem, vt possit gignere speciem talem in intellectu, quæ est forma intellectus *. Secundò, per istam speciem genitam, quæ est imago gignentis, est obiectum præsens sub ratione cognoscibilis, siue repræsentati. Prima præsentia præcedit naturaliter secundam, quia præcedit naturaliter impressionem speciei, per quam est formaliter secunda præsentia. Quando igitur accipitur, quòd species in intellectu, non est causa præsentiæ obiecti; dico, quòd falsum est de præsentia sub ratione cognoscibilis, saltem in cognitione abstractiua, de qua modò loquimur, & cùm probatur, quia priùs est obiectum præsens, quàm species ibi, hoc est verum de præsentia reali, qua agens est præsens passo: & intelligo sic, quòd in primo signo naturæ, est

* aliàs *ratio formalis intellectionis.*

Duplex præsentia obiecti, realis, & intẽtionalis, seu cognoscibilis.

est obiectum in se, vel in phantasmate præsens intellectui agenti: in secundo signo naturæ, in quo illa sunt præsentia intellectui possibili, vt agentia passo, gignitur species in intellectu possibili; & tunc in tertio per speciem est obiectum præsens sub ratione cognoscibilis.

Ad tertium [l] Augustinus *6. de Trinit.* Ponit memoriam esse multorum simul cognitorum habitualiter, sicut patet ibi de perito multarum disciplinarum; ergo oportet secundùm omnem opinionem, ponere multa cognita in memoria habitualiter, & illa vt sunt ibi, sunt aliquo modo causa notitiæ genitæ secundùm Augustinum, & non nisi causa naturaliter, quatenus præcedunt actum voluntatis: igitur si argumentum valet, secundùm omnem opinionem concluderet actualem cognitionem plurium simul. *Idem 10. Trin. cap. 5. 6. & 7. & 14. Trin. cap. 6.*

Ideò respondeo, sicut dictum est de primo cognito secunda quæstione huius tertiæ distinctionis, quia cuiuscunque speciei singulare fortiùs primò mouet sensum, eius phantasma efficaciùs imprimitur, & primò mouet intellectum, & quo ad istum primum actum non est in potestate nostra, quin intelligamus secundùm Augustinum 3. de libero arbitrio, *Non est in potestate nostra, quin visis tangamur.* Sed isto posito actu, in potestate nostra est cognitio actualis cuiuslibet habitualiter noti, de hoc *dist. 6.* dicetur. Cùm igitur dicit, aut potest mouere ista species ad intellectionem, aut non: dico, quòd potest. Sed si alia species fortiùs mouet, ista impeditur ne modò moueat: potest autem postea per imperium voluntatis imperantis, mouere ad cognitionem istius, & cuiuslibet alterius obiecti habitualiter cogniti. 17. *Qualiter cogitatio subest voluntati? Scot. 2. dist. 42. q. 4.*

Ad Algazelem dico, quòd similitudo nihil valet: quia hìc tollitur illud, quod est ibi ratio impossibilitatis: quod probatur per Aristotelem, & Commentatorem 7. *Metaphys.* vbi volunt, quòd rationes oppositorum non sunt oppositæ in intellectu. Text. 23.

Ad [m] quartum dico, quòd non tantùm intellectus patitur ab obiecto reali imprimente talem speciem realem; sed ab illo obiecto, vt in specie intelligibili, patitur passione intentionali, & illa passio est receptio intellectionis, quæ est ab intelligibili, inquantum intelligibile est, relucens in specie intelligibili, & istud pati est intelligere, sicut patebit in quæstione proxima. *Intellectus patitur ab obiecto realiter, & intentionaliter, quomodo?*

Cùm vltrà deducis, quòd tunc intellectio non est motus rei ad animam: non sequitur. Quia impressio speciei est quidam motus rei ad animam, quatenus res habet *esse* in illa specie. Intellectio etiam sequens speciem impressam, est motus rei ad animam, quatenus per intellectionem, obiectum habet *esse* in anima actualiter cognitum, quod prius tantùm habuit *esse* habitualiter cognitum, &c. *Quomodo intellectio est motus rei ad animam?*

COMMENTARIVS.

1. a *AD quæstionem ergo dico, quòd est necesse ponere in intellectu speciem intelligibilem, priorem naturaliter actu intelligendi abstractiuè:* quod etiam probat auctoritatibus Philosophi, & Augustini, & primò per Aristotelem 3. de Anima, *text. com.* 37. qui sic ait: *Omnia ea, quæ sunt, quodammodo est anima, aut enim sensibilia quæ sunt, aut intelligibilia: est autem scientia quidem scibilia quodammodo: sensus autem sensibilia,* & ibi Commentator: *Contingit,* inquit, *necessariò, vt anima sit entia omnia vno modorum, secundùm quos possibile est dicere animam esse omnia entia.* Iste textus Aristotelis exponitur ab Henrico & Gotfredo, sic, quòd Aristoteles non sequitur vniformiter hìc, & ibi, scilicet de intellectu, & sensu: quia de sensu loquitur quantùm ad speciem impressam, id est, quòd sensus habet in se quodammodò omnia sensibilia per quandam similitudinem, scilicet per speciem sensibilem impressam sensui, quæ est similitudo sensibilium: sed de intellectu loquitur quantùm ad habitum scientiæ: supple, quòd anima est omnia entia sensibilia per habitum scientiæ impressum: non autem per speciem intelligibilem.

Contra expositionē Henric. & Gotfred. b Contra hanc expositionem arguit Doctor ibi: *Sed hæc expositio non videtur esse ad intentionem Philosophi,* quia vult, quòd sicut omnia entia sensibilia sunt in sensu per quandam similitudinem, quia per speciem sensibilem: quæ similitudo sensibilium: sic etiam quòd omnia scibilia, siue omnia intelligibilia sunt in intellectu tantùm per quandam similitudinem: quia per aliquid, quod est formaliter similitudo illorum: & illud non potest esse, nisi species intelligibilis: non autem habitus scientiæ, cùm non sit similitudo intelligibilis, circumscripta omni alia specie obiectum repræsentante. Nec valet dicere, quòd omnia intelligibilia sunt in intellectu per phantasma: quia tunc anima non esset omnia intelligibilia per intellectum, siue per scientiam: sed tantùm per phantasma, quia tunc nihil ibi esset repræsentans intelligibile, nisi phantasma.

Si dicatur, quòd secundùm Scotum *præsenti d. quæst. vlt.* actus intelligendi est similitudo obiecti: immò perfectiùs est similitudo obiecti, quàm species intelligibilis, vt patet expresè ab ipso, *in quodl. quæst.* 14. & habitus causatur ex actibus: & semper inclinat ad similes actus circa idem obiectum: ergo habitus causatus ex illis actibus erit similitudo obiecti, quod hìc negat. 2. *Apparēs contradictio.*

Dico primò, quòd non sequitur, quòd si actus est similitudo obiecti, quòd similiter habitus causatus: tum quia actus immediatè causatur ab obiecto, habitus verò non: & sic per dictum suprà, eo modo, quo actus imprimitur ab obiecto, eo modo repræsentat illud: tum etiam, quia potentia *Solutio.*

per actum cognoscendi actu cognoscit obiectum, non autem per habitum.

Dico etiam, quòd differentia est inter actum cognoscendi, & speciem intelligibilem in repræsentando. Nam actus repræsentat obiectum inquantum cognitum. Et si etiam ponatur quòd actus cognoscendi repræsentet entitatem obiecti in se: non tamen sub illa ratione, qua est intelligibile: ita quòd per actum dicatur obiectum esse præsēs intellectui, in ratione intelligibilis: species verò dicitur similitudo obiecti, quia per ipsam est præsens intellectui in ratione intelligibilis.

Memoria non est prior actu intelligendi.

c *Si respondeas.* Hîc ponitur responsio Henrici, quia Augustinus vbi suprà vult, quòd memoria, vt memoria, sit prior actu intelligendi: & non potest esse memoria perfecta prior actu intelligendi, nisi obiectum sit præsens intellectui, vel in se, vt in cognitione intuitiua: vel in aliquo repræsentatiuo, vt in cognitione abstractiua: & tale repræsentatiuum, quod pertinet ad memoriam intellectiuam (vt memoria intellectiua est prior actu intelligendi, & principium formale productiuum actus intelligendi) est tantùm species intelligibilis. Dicit Henricus quòd memoria est in parte intellectiua propriè sumpta, vt est principium productiuum actus intelligendi: & talis memoria est ipse intellectus, vt habens actum intelligendi confusum: ita quòd talis notitia confusa obiecti est intellectui ratio formalis producendi notitiam distinctam: sicut exposuimus mentem ipsius, suprà *dist. 2. parte 2.*

3. d *Contra opinionem.* Henricus ponit, quòd vniuersale, vt relucens in phantasmate est ibi quasi memoria: & vt mouens ad actum intelligendi, est ibi præsens, quasi intelligentia: ergo per istam opinionem, nullus actus intelligendi est memoria. Et quòd contradicat sibi Henricus patet, quia ponit, quòd obiectum, vt relucens in phantasmate, vnà cum intellectu dicitur memoria: & tamen priùs dicit, quòd ipse intellectus, vt habens notitiam confusam obiecti, dicitur memoria: & propriè de ratione memoriæ est mouere intellectum ad actum intelligendi: & tamen dicit, quòd obiectum, vt relucet in phantasmate, & per consequens, vt est in memoria, non mouet intellectū ad actum intelligendi: & ex alia parte dicit, quòd obiectum, vt est intelligentia, id est, in intellectu habente cognitionem obiecti, mouet ad actum intelligendi, id est, vt actu cognoscitur notitia confusa: illa notitia confusa est ratio gignendi notitiam distinctam: & sic secundùm ipsum nullus actus intelligendi esset à memoria, vt memoria est: quia vt relucet in phantasmate non mouet: sed esset ab intelligentia, quia vt intelligentia mouet ad actum intelligendi, id est, vt actu intellectum mouet ad actum intelligendi. Et sic patet quomodo sibi contradicit.

Expressa contradictio Henrici.

Nullus actus intelligendi est actus memoriæ.

e *Est etiam hoc contra Augustinum.* Nam Augustinus vult, quòd nullus actus intelligendi, vt sic, siue confusus, siue distinctus, sit actus memoriæ, id est, pertinens ad memoriam: sed quòd sit actus intelligentiæ, id est, pertinens ad intelligentiam, scilicet ad actualem intellectionem; ideò dicit, quòd nihil intelligimus, nisi per intelligentiam, id est, quòd nihil formaliter intelligimus, nisi per formalem intelligentiam, siue intellectionem inhærentem nobis.

4. f *Similiter arguitur ratione.* Improbatur etiam opinio Henrici ratione, & formetur sic ratio: Aut ille actus, id est, cognitio confusa obiecti, qua memoria est in actu primo, vt scilicet sit productiua actus secundi, est idem cum illo actu intelligentiæ, cuius est productiua: quia Henricus posuit notitiam confusam obiecti pertinere ad memoriam, & quòd illa notitia est ratio formalis producendi intelligentiam, siue notitiam distinctam. Ideò quærit Doctor si illa notitia confusa sit idem cum illa distincta, aut alia. Si idem, tunc idem erit ratio gignendi se, quod est impossibile. Si alia, quæro, aut erit simul cum notitia distincta: & tunc respectu eiusdem obiecti erunt simul notitia confusa, & distincta, quod non est intelligibile: quia tunc idem simul distinctè, & confusè cognosceretur: aut non est simul, & tunc memoria formaliter gigneret quando non esset: patet. Si enim in eodem instanti, quo producitur notitia distincta non est notitia confusa: ergo notitia confusa, quæ pertinet ad memoriam non est productiua notitiæ distinctæ: quia tunc non est: & tamen productiuum, quando actu producit est prius natura ipso producto: & de hoc vide expositionem, quam feci super *dist. 1. quæst. 3. & dist. 15. q. vnica secundi.*

g *Si etiam dicas, quòd memoria est memoria per habitum scientialem.* Hoc non stat cum opinione: patet, quia hîc quæritur de memoria, vt in parte intellectiua tantùm: vt scilicet obiectum est præsens intellectui, vt intellectus est: ita quòd intellectus potest se conuertere ad illum absque mendicatione virtutis phantasticæ, vt suprà patuit. Cùm ergo secundùm Henricum per habitum scientialem obiectum non sit præsens, nisi in phantasmate, oporteret intellectum conuerti ad phantasma, ad hoc vt actu intelligeret: & sic in operando dependeret à potentia inferiori: quod est suprà improbatum: & sic patet litera.

Contra conclusionem Doctoris arguit Ocham, quòd respectu notitiæ abstractiuæ non est ponenda aliqua species intelligibilis: sed ponitur aliquis habitus præuius. Dicit enim Ocham *in 2. quæst. 14. & 15.* quòd intellectus ante cognitionem intuitiuam obiecti est in potentia essentiali ad cognitionem abstractiuam: sed habita cognitiotione intuitiua, est in potentia accidentali: ita quòd potest in cognitionem abstractiuam, & priùs non potuit: & habitus derelictus à cognitionibus intuitiuis ponitur in intellectu, vt prior cognitione abstractiua: & quòd talis habitus sic derelictus ponatur in intellectu respectu cognitionis abstractiuæ, non autem species intelligibilis, sic probat: Quando aliquid est in potentia accidentali respectu cognitionis: non oportet ponere aliud, quàm illud, per quod est in potentia accidentali ad eliciendum actum: sed posito tali habitu in intellectu inclinante ad aliquam cognitionem, est intellectus in potentia accidentali: ergo præter talem habitum non oportet alium ponere in intellectu. Minor patet per Philosophum *tertio de Anima*: vbi dicit, quòd aliter est intellectus in potentia ante addiscere, & inuenire, quàm pòst: quia antè est in potentia essentiali; & pòst quando per actum aliquem derelinquitur aliquis habitus, tunc est in potentia accidentali ad alium sibi consimilem: ergo intellectus per habitum generatum ex actu est in potentia accidentali. Vnde nunquam experitur aliquis se esse in potentia accidentali respectu intellectionis, nisi post intellectionem. Si enim ponantur mille species præuiæ actui intellectus (si nullum actum habeat intellectus) non

5. *Ocham arguit contra necessitatem speciei intelligibilis ponenda. Primum argumentum.*

non plus eſt, nec experitur, quàm ſi nulla ſit ibi ſpecies. Si enim non ponatur alia ſpecies: & tamen ſi actus intelligendi ponatur, ſtatim intellectus intelligit, & experitur ſe eſſe in potentia accidentali reſpectu alterius cognitionis: ergo.

6. Item, Omnia illa, quæ poſſunt ſaluari per ſpeciem, poſſunt ſaluari per habitum: ergo ſuperfluit ſpecies.

Secundum. Item, quòd habitus neceſſariò requiratur ad intelligendum aliquod obiectum: patet, quia ſi non requireretur, ſed ſufficeret tantùm ſpecies: ergo ſi ſpecies corrumpatur poſt centum mille intellectiones, non aliter poſſet intelligere illud obiectum, cuius eſt ſpecies, quàm ante omnem intellectionem: quia habitus non ponitur, & ſpecies corrumpitur.

Si dicas, quòd per multas cognitiones augetur ſpecies.

Contrà, Tunc per augmentationem ſpeciei ſemper inclinatur intellectus plus ad intelligendum: & per conſequens ſuperflueret totaliter habitus, qui ab omnibus ponitur. Et ſic vel ſpecies ſuperfluè ponitur, vel habitus: ſed habitus ab omnibus ponitur, & non ſpecies: ergo videtur, quòd ſpecies ſuperflua.

Tertium. Item, ſi ſpecies ponitur, non ponitur niſi propter aſſimilationem; vel propter cauſationem intellectionis; vel propter repræſentationem obiecti; vel propter determinationem potentiæ; vel propter vnionem mouentis, & moti, & propter iſta maximè ponitur ſpecies: ſed propter nullum iſtorum oportet ponere: non propter aſſimilationem, quia illa aſſimilatio, aut eſt in eſſentia, & natura intellectuali, per quam aſſimilatur obiecto cognito; aut eſt aſſimilatio effectus ad cauſam. Non primò, quia intellectus intelligendo ſubſtantiam magis aſſimilatur in natura ſua propria obiecto, quod eſt ſubſtantia, quàm per ſpeciem, quæ eſt accidens: quia minùs aſſimilatur accidens ſubſtantiæ, quàm ſubſtantia ſubſtantiæ. Nec ſecundò, quia illa aſſimilatio paſſi ad agens eſt per hoc, quòd recipit aliquem effectum cauſatum ab agente: ſed iſto modo aſſimilatur intellectus ſufficienter per intellectionem cauſatam ab obiecto, & receptam in intellectu.

Item, tanta aſſimilatio requiritur in notitia intuitiua, quanta in abſtractiua: ſed in intuitiua non requiritur aliquid præuium cognitioni aſſimilans: ergo nec in abſtractiua.

7. *Quartum.* Item, repræſentatum debet eſſe priùs cognitum: aliter repræſentans nunquam duceret in cognitionem repræſentati tanquam in ſimile: ſtatua enim Herculis nunquam duceret me in cognitionem Herculis, niſi priùs vidiſſem Herculem, nec etiam ſcire poſſum, vtrùm ſtatua ſit ſibi ſimilis, aut non: ſed ſecundùm ponentes ſpeciem: ſpecies eſt aliquid præuium omni actui intelligendi obiectum.

Quintum. Item, ſi ponitur propter repræſentationem obiecti: hoc non eſt niſi, quia diſtans non poteſt agere in diſtans: hoc autem falſum eſt, ſicut pòſt patebit. Nam ſi obiectum diſtans non poſſit agere in intellectum, cauſando intellectionem, niſi priùs cauſaret ſpeciem: quia oportet obiectum eſſe præſens paſſo in ſe, vel in alio: ergo eodem modo obiectum diſtans non poteſt cauſare ſpeciem in intellectu, niſi cauſando aliquid præuium ſpeciei: per quod obiectum eſt præſens intellectui ad cauſandum illam ſpeciem: & ſimiliter ante illam ſpeciem oportet ponere aliam, & ſic in infinitum: ergo obiectum diſtans, ſi poteſt cauſare ſpeciem in intellectu ſine aliquo præuio, per quod ſit præſens: ergo eodem modo poteſt cauſare immediatè intellectionem ſine aliqua ſpecie præuia repræſentante.

Nec debet poni ſpecies propter cauſationem intellectionis: quia ſecundùm eos corporale, & materiale non poſſunt agere in ſpirituale: & ideò oportet ponere talem ſpeciem in intellectu. *Sextum.*

8. Sed contrà: Sicut corporale, & materiale non poteſt eſſe cauſa partialis immediata reſpectu intellectionis, quæ recipitur in ſpirituali, quia in intellectu poſſibili, qui eſt ſpiritualis qualitas; ita nec materiale poteſt eſſe cauſa partialis in intellectu agente, concurrens ad producendum ſpeciem, quæ eſt ſpiritualis: & ſicut tu ponis, quòd corporale poteſt eſſe cauſa partialis ad cauſandum ſpeciem in ſpirituali: ita ego pono quòd corporale eſt cauſa partialis ad cauſandum intellectionem in ſpirituali. Nec debet poni ſpecies propter determinationem potentiæ: quia omnis potentia paſſiua ſufficienter determinatur per agens ſufficiens, maximè quando ipſamet potentia eſt actiua: ſed agens ſufficiens eſt obiectum, & intellectus, vt probatum eſt. Nec debet poni propter vnionem obiecti cum potentia, tanquam mouentis, & moti: quia tunc eodem modo arguerem, quòd ante illam ſpeciem oportet ponere aliam: quia ad hoc quòd obiectum poſſit cauſare primam ſpeciem in intellectu: requiritur quòd vniatur ſibi, ſicut requiritur vnio ad hoc, quòd cauſet intellectionem: & hoc erit per aliam ſpeciem, & ſic in infinitum. Sic ergo patet, quòd habitus ſit ponendus propter experientiam, & non ſpecies: hoc Ocham vbi ſuprà, & multa alia dicit, quæ non ſunt contra Doctorem.

Quidam alij arguunt contra poſitionem Doctoris, licèt eorum argumenta minùs valeant, quàm argumenta Ocham, arguúntque ſic: Si ſpecies præcedit actum intelligendi, tunc in intellectu erunt duo recepta ordine quodam, ſcilicet ſpecies, & actus intelligendi, & ſic, vel erunt ambo qualitates, vel ſpecies erit qualitas, & actus intelligendi erit paſſio, quoniam veriùs perficit intellectum, quàm ſpecies, cùm ſpecies præſupponatur actui intelligendi, tanquam diſpoſitio: erunt ergo ambo qualitates (vt omnes concedunt) tunc, vel eiuſdem ſpeciei, vel diuerſarum: & non poſſunt poni in diuerſis ſpeciebus qualitatis: ergo in eadem ſpecie. Et tunc arguo, quòd intellectus non eſſet denudatus à ſpecie recepti, tanquam à medio recipiendi, quod eſt contra Auerroëm in multis locis. 9. *Auguſt. Sueſſ. Arguit primò.*

Item, difficile eſſet dare illius ſpeciei neceſſitatem, cùm non ſit neceſſaria tanquam diſpoſitio, nec tanquam medium inter puram ignorantiam, & ſcientiam: nec vt cauſa actus intelligendi. Omnia enim argumenta, quæ alteram harum partium probant, ſunt debilia: & non excedunt naturam ſermonis dialectici. Facilius ergo dicendum puto, intellectionem eſſe ſpeciem ſecundùm eum, ſed differre ſolùm in modo, & ratione: poteſt enim effectus comparari ad intellectum potentiæ: & ad formam intellectus abſtractam à materia, quæ vocatur obiectum intelligibile: ſi enim intellectui comparetur, ſic paſſionis, & intellectionis nomen ſibi vendicat: ſi autem obiectum reſpiciat intelligibile, cuius eſt ſimilitudo, ſic rationem ſpeciei retinet: erit ergo vna *Secundò.*

vna res abſolutè, licèt modi intelligendi illam ſint diuerſi.

Tertiò. Item arguit. Si talis ſpecies poneretur prior actu intelligendi, tunc intellectus eſſet in actu, antequam intelligeret, quod omnes Peripatetici extraneum reputant. Et quòd ſequatur ipſum eſſe in actu probat, quia ex intellectu, & ſpecie fit verius vnum, quàm ex materia, & forma: & quod verius eſt vnum, verius eſt ens: ergo intellectus, & ſpecies ſunt verius ens: ſed quod verè eſt, actus eſt: ergo intellectus per ſpeciem informatus eſt actus, vel in actu: & ſic intellectus erit in actu, antequam intelligat, quod eſt falſum. hæc ille.

10\. *Ad rationes Ocham. ad primam.* Reſpondeo primò ad rationes Ocham. Et dico ad maiorem primi argumenti, quòd aliquid eſſe in potentia accidentali, ſiue propinqua, poteſt dupliciter intelligi.

Eſſe in potentia accidentali poteſt intelligi dupliciter. Primò, quia illud, per quod aliquid eſt in potentia accidentali eſt ratio, quare actus promptè, faciliter, & expeditè elicitur: & per quod potentia magis inclinatur ad ſimiles actus. Hoc modo intellectus per habitum cauſatum ex pluribus actibus dicitur in potentia accidentali: quia habens talem habitum promptiùs, faciliùs, & expeditiùs elicit ſimiles actus illis, ex quibus cauſatur: ſuſtinendo quòd habitus non concurrat actiuè ad actus exteriores, & ante illum habitum intellectus dicitur eſſe in potentia eſſentiali, ſiue remota. Suſtinendo verò quòd habitus ſit partialis cauſa actus ſequentis, dico, quòd intellectus per talem habitum non tantùm eſt in potentia accidentali ad promptè, faciliter, & expeditè producendum talem actum: ſed etiam ad producendum perfectiorem actum intenſiuè: vt patet à Doctore infrà *diſt.* 17.

Secundò aliquid poteſt intelligi eſſe in potentia accidentali: quia illud, per quod eſt in tali potentia, eſt ſimpliciter ratio, quare potentia intellectiua ſit in potentia propinqua ad agendum abſolutè, ſic quòd ante illud nullo modo poſſet agere: & hoc modo per ſpeciem intelligibilem intellectus eſt in potentia accidentali reſpectu cognitionis abſtractiuæ: ita quòd ante illam nullo modo poteſt intelligere, cùm tunc non habeatur præſentia obiecti: & ſic intellectus, vt non habens ſpeciem intelligibilem obiecti, dicitur in potentia eſſentiali, ſiue remota: vt verò eſt habens illam dicitur in potentia accidentali, ſiue propinqua: quia tunc habet omnia requiſita ad cauſandam intellectionem. Et cùm dicit, quòd habitus ſufficit: negatur, cùm per habitum, vt habitus eſt, non habeatur præſentia obiecti, quæ neceſſaria eſt ad actum intelligendi.

11\. Et cùm dicit, quòd nos experimur, quòd per actum intelligendi, ſiue per habitum ſumus in potentiâ propinqua, &c. non autem per ſpeciem intelligibilem.

Dico primò, quòd benè per habitum experimur nos eſſe in potentia propinqua ad eliciendos ſimiles actus illis, ex quibus cauſatur habitus, ad quos actus habitus inclinat: & tale huiuſmodi non experimur per ſpeciem intelligibilem alicuius, cùm ſpecies intelligibilis obiecti præcedat omnem actum intelligendi illius obiecti.

Secundò dico, quòd non eſt neceſſe habere talem experientiam, ſeu cognitionem experimentalem (vt etiam patet ſecundùm ipſum de cognitione intuitiua obiecti) quia ſi potentia habet obiectum in ſe præſens, ſtatim operatur circa illud, cauſando intuitiuam cognitionem illius: & tamen patet quòd ante illam cognitionem non habet aliquem actum cognitum experimentalem circa illud obiectum, ſic in propoſito. Sufficit enim quòd cauſæ actus ſint debitæ approximatæ, & non impeditæ, quibus poſitis ſtatim ſequitur actio.

Deinde quando dicit, quòd ſi poſt centum mille intellectiones ſpecies intelligibilis corrumperetur, non poſſet intellectus cognoſcere abſtractiuè. *Ad ſecundum.*

Dico primò, quòd caſus non eſt admittendus, quia per aliam, & aliam intellectionem intenditur ſpecies intelligibilis, vt infrà patebit. Et cùm dicit, quòd tunc per illam magis inclinaretur ad actum intelligendi. *Intenſio ſpeciei intelligibili.*

Dico, quòd ſi loquatur de inclinatione naturali potentiæ per quodcunque ſibi aduenìens, illa non intenditur: vt patet à Doctore *in quarto, diſt.* 49. quia inclinatio naturalis eſt ipſa natura inclinata. Si verò inclinatio naturalis ſumatur ex parte ſpeciei. Dico, quòd quantò illa intenditur in ſuo *eſſe*, tantò inclinatio naturalis intenditur, cùm ſit eadem res, & ſic intellectus habens talem ſpeciem magis inclinatur ratione talis ſpeciei. Sed hæc nihil ad q. quia ſi ſpecies intenderetur, tunc per illam poſſet perfectior actus cauſari.

Dico ſecundò, quòd ſi talis ſpecies corrumperetur, ita quòd in potentia nihil eſſet niſi habitus derelictus ex actibus: intellectus non poſſet cognoſcere obiectum abſtractiuè: quia tunc non poſſet haberi præſentia obiecti, quæ eſt neceſſaria ad actum intelligendi: & ſic non eſſet inconueniens, quòd poſt centum mille intellectiones, deſtructa ſpecie intelligibili, per quam ſolam habetur præſentia obiecti in cognitione abſtractiua: intellectus nullam cognitionem abſtractiuam haberet de tali obiecto: ſicut non eſt inconueniens quòd poſt centum mille viſiones potentia viſiua non poſſit videre album, deſtructa ſpecie ſenſibili albi, per quam ſola habetur præſentia albi in ratione obiecti viſibilis. 12.

Oporteret ergo ponere, quòd deſtructa ſpecie intelligibili per habitum poſſit haberi præſentia obiecti intelligibilis, in ratione obiecti intelligibilis, quod non probat, nec probare poſſet: cùm obiectum, ſub ratione qua intelligibile, ſit prius habitu: quia & prius actibus, ex quibus generatur habitus.

Ad aliud, quando dicit quòd ſi ſpecies ponitur, aut ponitur propter aſſimilationem, &c. *Ad tertium.*

Dico, quòd quamuis ſpecies intelligibilis ſit ſimilitudo obiecti, ſub ratione qua intelligibile: vt ſuprà expoſui: principaliter tamen ponitur, vt per illam habeatur præſentia obiecti intelligibilis, quæ aliter haberi non poſſet: & ſic patet, quòd illa, quæ dicit de aſſimilatione, non ſunt ad propoſitum.

Si tamen teneatur quòd propter aſſimilationem ponitur: tunc ad obiectiones, quas facit, reſpondeo præmittendo vnum, quòd aliquid aſſimilari alteri contingit multipliciter.

Vno modo in ratione naturæ: ita quòd vna natura eſt ſimilis alteri: & ſic ſpecies intelligibilis non ponitur ad hoc, vt intellectus fiat ſimilis in ſua natura obiecto, nec è contra. *Simile vnum alteri eſſe poteſt multipliciter capi.*

Secundò, dicitur aliquid aſſimilari alteri tantùm accidentaliter: ſicut dicimus, quòd Franciſcus eſt ſimilis Ioanni albo ratione albedinis, quam habet: & ſic intellectus habens actum intelligen 13.

telligendi dicitur similis obiecto cognito: quia actus intelligendi est similitudo obiecti cogniti: & similiter per speciem intelligibilem est accidentaliter similis obiecto intelligibili, inquantum intelligibile: & sic aliter est similis obiecto per speciem intelligibilem, & aliter per actum intelligendi: similitudo enim per actum intelligendi abstractiuum necessariò præsupponit similitudinem per speciem intelligibilem.

Tertiò potest aliquid dici simile alteri, loquendo de similitudine proportionis: & sic intellectus per speciem intelligibilem magis proportionatur obiecto intelligibili, inquantum intelligibile, quàm per aliquid aliud: & hoc modo loquendo de tali similitudine proportionis, patet quòd species intelligibilis est necessaria: quia sine illa est simpliciter improportionatus obiecto intelligibili ad ipsum attingendum per intellectionem. Et quod dicit, quòd tanta assimilatio requiritur tam in notitia intuitiua, quàm in abstractiua. Concedo, loquendo de assimilatione tertio modo: & sicut in cognitione intuitiua ad hoc, vt potentia possit intuitiuè cognoscere obiectum, requiritur præsentia obiecti in se: ita in cognitione abstractiua, ad hoc vt potentia possit cognoscere obiectum, requiritur præsentia obiecti: & quia in tali cognitione abstractiua non habetur in se præsens, sed per speciem intelligibilem habetur præsens: ideò hoc modo requiritur tanta similitudo.

Ad quartū. Ad aliud quando dicit, quòd repræsentatum debet esse priùs cognitum, &c. Dico, quòd aliquid repræsentari potest multipliciter intelligi. *Repræsentari multis modis dicitur.* Vno modo, in ratione imaginati: sicut dicimus, quòd imaginatum cognoscitur per imaginem: & tale priùs cognoscitur, vt patet de statua Herculis, &c. Secundò, in ratione obiecti intelligibilis, & tale priùs non cognoscitur: modò per speciem intelligibilem habetur tantùm præsentia obiecti, in ratione obiecti intelligibilis: & de huiusmodi repræsentatione vide Doctorem *in q. 14. quodlib.* Concedo etiam quòd repræsentatum priùs cognoscitur specie intelligibili, cùm species intelligibilis cognoscatur tantùm actu reflexo, de quo aliàs.

14. *Ad quintum.* Et quod dicit de distante. Hoc nihil est. Tum, quia semper requiritur approximatio obiecti secundùm præsentiam. Nam in cognitione intuitiua obiectum debet esse approximatum secundùm suam existentiam, & præsentiam. Vnde non credo, quòd intellectus Angeli existens in cœlo possit intuitiuè videre lapidem, propter maximam distantiam: de quo *in 2. dist. 5. quæst. 10. & 11. & in 4. dist. 45.* sic in cognitione abstractiua requiritur approximatio obiecti, qualis possit haberi: quæ approximatio nihil aliud est, nisi obiectum esse proportionaliter præsens intellectui, in ratione obiecti intelligibilis: non potest autem esse præsens in ratione obiecti intelligibilis, sub ratione vniuersali, nisi per speciem intelligibilem. Et cùm dicit, quòd sicut obiectum distans potest causare speciem intelligibilem: ita & cognitionem. Dico, quòd si intelligit, quòd obiectum distans, puta lapis, extrà possit, vt causa propinqua causare speciem intelligibilem in intellectu nostro. Negatur, sed dicitur causare, vt causa remota: quia priùs causat speciem sensibilem in sensu exteriori: deinde causatur species sensibilis in virtute phantastica, quæ species dicitur phantasma: & ipsum phantasma vnà cum intellectu agente est causa immediata speciei intelligibilis: vt infrà patebit à Doctore. Ratio autem quare obiectum distans non potest immediatè causare speciem intelligibilem sui, est propter ordinem potentiarum, de quo suprà patuit *quæst. 3. præsentis distinct.* Si verò tale obiectum compararetur intellectui non habenti essentialem ordinem ad virtutem phantasticam, & sensum exteriorem, posset immediatè causare speciem intelligibilem in tali intellectu: vt aliàs exposui *super quæst. 11. dist. 3. secundi.*

Ad aliud, cùm dicit quòd non debet poni species propter causationem intellectionis. Respondeo, quòd specialiter propter hoc ponitur, vt inferiùs probabo per dicta Doctoris. *Ad sextum.*

Et quod adducit de corporali, & materiali, &c. quòd non possunt producere aliquem effectum spiritualem. Hoc non dicitur à Doctore. Immò vult ipse Doctor *in 2. dist. 3.* quòd non tantùm corporale possit mouere intellectum nostrum ad sui cognitionem, sed etiam potest mouere intellectum Angelicum, partialiter causando in eum cognitionem intuitiuam. Et de hoc quomodo corporale possit agere in spirituale, patebit infrà in quæstione immediatè sequenti. Benè verum est, quòd non possunt agere in spiritum, causando, nec totaliter, nec partialiter effectum corporalem, cùm talis effectus non possit recipi in spiritu, vt patebit *in 4. dist. 44.* Et hæc sufficiant.

Ad rationes alterius opinionis. Ad primam dico, quòd sunt duæ qualitates. Et cùm quærit in qua specie qualitatis. Dico, quòd sub prima, cùm species intelligibilis sit qualitas de difficili mobilis; & intellectio sit qualitas de facili mobilis (si tamen qualitas de difficili, & de facili mobilis sint eiusdem speciei, saltem subalternæ, vel dicantur modi eiusdem rei) quod fortè magis videtur, vt patet in prædicamento Qualitatis Doctoris. Vel si ponantur diuersæ species, ita quòd vna sub habitu, & alia sub dispositione, patet quòd species intelligibilis ponitur sub specie habitus, cùm sit qualitas de difficili mobilis: vt patebit in ista quæstione respondendo ad argumenta Henrici. Intellectio verò ponitur sub dispositione. Fortè etiam possent poni in tertia specie Qualitatis, cùm sint passiones spirituales secundùm vnam opinionem, & de hoc vide Doctorem *in quodlib. quæst. 13.* Et cùm dicit, quòd si ponantur in eadem specie, quòd tunc intellectus non esset denudatus à specie recepti, tanquam à medio recipiendi. Dico, quòd licèt hoc requirat prolixiorem tractatum, tamen pro nunc dico, quòd si essent sub eadem specie generica, non tamen sub eadem specie specialissima: & posito quòd sint eiusdem speciei specialissimæ: adhuc vna non esset ratio recipiendi aliam: & hoc infrà declarabitur. 15. *Ad rationes August. Suess. ad primam.*

Ad aliud, quòd tunc intellectus esset in actu, antequam intelligeret. Dico primò, quòd hoc est necesse ipsum esse in actu suo entitatiuo, & existentiæ ante omnem intellectionem. *Ad tertium.*

Et si dicatur, quòd intellectus ante *intelligere* nihil est eorum, quæ sunt: vt patet *3. de Anima, t.c. 5.*

Ista auctoritas sic debet intelligi, quòd ante *intelligere* aliorum non est de numero intelligibilium in potentia propinqua: vt diffusè Doctor exponit *in 1. dist. 3. quæst. 7. & in 2. dist. 3. & in quodlib.* Et quando probat quòd esset in actu, admitto. Cùm verò deducit, quòd sit verius ens, quàm compositum ex materia & forma. Non credo, quòd

quòd Io. de Ianduno, qui fuit peritissimus Aristotelicus, hoc non intellexit, contra quem ista opinio arguit. Sed quomodo hæc auctoritas intelligatur, vide Scotum in suis Vniuersalibus.

Ad secundum. Et quod dicit, quòd species intelligibilis, & intellectio sunt vna res. Hoc dicit secundùm opinionem Ægidij *quodlib. 3. quæst. 12. & 13.* quam opinionem Doctor improbat *in quæst. immediatè seq.* Et miror, quòd hæc opinio non soluat argumenta Scoti; quibus probat necessitatem speciei intelligibilis.

16. h Ad argumenta principalia, facta in principio quæstionis, quibus probat nullam esse necessitatem ponendi talem speciem intelligibilem. Respondet Doctor primò ad primum, quòd si argumentum concluderet cõtra ipsum Doctorem, concluderet etiam contra omnem opinionem, quòd nullo modo possit intelligi vniuersale: quia si tu dicis, quòd illud, quod imprimitur à singulari est singulare, à quocunque imprimatur (cùm actio sit circa singulare) illud autem, quod est singulare non potest repræsentare vniuersale: & si vniuersale non est præsens in ratione intelligibilis, nullo modo potest intelligi: & sic per nihil impressum in anima (cùm omne tale sit singulare) potest haberi præsentia obiecti vniuersalis, ac per consequens non erit intelligibile. Sequitur,

Quid sit ratio agendi, & ratio agentis. *Ideò respondeo.* Hic Doctor primò dat vnam distinctionem, deinde respondet ad argumenta. Distinctio est hæc, quòd alia est ratio agendi, & alia est ratio agentis, siue conditio agentis: ratio agendi est natura vt natura: ratio agentis est singularitas. Exemplum. Hæc albedo causat speciem sensibilem in organo visus: ratio formalis causandi est quiditas albedinis, siue essentia albedinis, propter quam hæc albedo agit: conditio verò agentis est singularitas agentis. Et nota, quòd tota perfectio agentis, inquantum agens, sumitur à formali ratione agendi, & nõ à conditione agentis: & quantò ratio formalis est nobilior, tantò effectus producibilis per eam erit nobilior. Hoc præmisso respondet ad argumentum, cùm dicitur: *Quæcunque species gignitur ab aliquo, repræsentat ipsum secundùm illam rationem, secundùm quam gignitur ab eo.* Dicit quòd ista est vera, loquendo de ratione formali gignendi: modò ratio formalis gignendi est natura, vt natura: loquendo verò de conditione agentis gignentis, negatur illa propositio. Sed contra hanc responsionem arguit Doctor, quia videtur sequi, quòd species sensibilis possit repræsentare vniuersale: patet, quia talis species, quæ gignitur ab hac albedine, est à ratione formali gignendi, siue imprimitur à ratione formali gignendi.

17. Respondet Doctor vltimatè, quòd quando aliquid imprimitur ab aliquo (rationem formalem includente) sicut à causa totali (quæ ratio formalis sit in singulari) repræsentat ipsum sub illa ratione, sub qua gignitur, loquendo de ratione gignendi: & etiam repræsentat ipsum concomitanter sub ratione gignentis: aut saltem non sub ratione opposita rationi gignentis: & ideò species in sensu non repræsentat obiectum sub ratione vniuersalis, quæ est conditio opposita rationi gignentis singularis. Sed in proposito obiectum non est causa totalis gignens respectu speciei intelligibilis: quia cum ipso agit intellectus agens sicut partialis causa.

Primum dubium. In ista tamen litera occurrunt aliqua dubia. Primum est de ratione formali gignendi: quia ex quo natura est prior singularitate, vt patet per ipsum *in 2. dist. 3.* hoc idem in isto primo *dist. 5. q. 2. & 26. dist.* & vt sic, habet tantùm *esse* secundùm *quid*: cùm vt sic, sit prior existentia, & suprà ostensum est, quòd nihil habens tantùm *esse* secundùm *quid* potest esse ratio formalis agendi, respectu alicuius habentis *esse* simpliciter, siue existens: modò species intelligibilis habet verum *esse* reale. Similiter quando Ioannes producitur à Francisco, ratio formalis agendi in Francisco est natura, vt natura: & vt sic tantùm habet *esse* secundùm *quid*: ergo non potest esse ratio formalis agendi, vel producendi Ioannem secundùm verum *esse* reale absolutum, & actu existens. *Species intelligibilis habet esse reale.*

Secundum dubium. Secunda difficultas est de conditione agentis, quæ secundùm Doctorem, est ratio singularitatis, quare perfectio agendi non etiam sumitur à singularitate, cùm singularitas dicat ens positiuum, & reale, vt patet à Doctore infrà *dist. 5. quæst. 2. & 26.* Est enim singularitas actus positiuus, realiter actuans, & perficiens naturam, cui aduenit, vt patet à Doctore, vbi suprà, sed de hoc vide prolixiùs *in 2. dist. 3.*

Tertium dubium. Item circa idem occurrit alia difficultas, quia agens agit inquantum est in actu: & si agit verè actione reali, verè erit in actu reali: sed singutas, vt singularitas, est prior existentia naturæ, immò præscindit ab omni existentia, vt subtiliter patet à Doctore *in 2. dist. 3.* & per consequens singulare agens non erit in actu: & sic nullo modo poterit agere.

Quartum dubium. Quarta difficultas est in hoc, quod dicit, quòd ratio formalis gignendi speciem intelligibilem est natura obiecti: & conditio agentis est singularitas obiecti: hoc videtur contra ipsum, quia infrà *quæst. penult.* expressè vult, quòd ipsum phantasma sit causa partialis speciei intelligibilis: & per consequens natura phantasmatis erit ratio formalis gignendi speciem intelligibilem: & sic species illa repræsentaret naturam phantasmatis: cùm eo modo repræsentet, quo gignitur à ratione formali gignendi, vt patet per rationem Doctoris: ergo per speciem intelligibilem tantùm habetur potentia naturæ phantasmatis, quod est contra Doctorem.

Quintò dubitatur in hoc, quod dicit, quòd species sensibilis concomitanter repræsentat singulare: ergo species sensibilis primò, & immediatè repræsentat naturam in se. si sic: tunc arguitur sic: Eo modo, quo habetur præsentia obiecti in ratione obiecti, eo modo potest cognosci: sed per speciem sensibilem primò, & immediatè habetur præsentia naturæ, vt naturæ: patet, quia talis species eo modo repræsentat, quo imprimitur à ratione formali gignendi: ergo actus sentiendi poterit terminari ad naturam in se, quod est contra Doctorem. Item, in eo, quod dicit, quòd repræsentat singulare concomitanter: quæritur an repræsentet singulare sub ratione singularitatis? aut sub alia ratione? Si primò, ergo per ipsam poterit cognosci singulare sub ratione singularitatis, quod est contra ipsum *in primo Metaphysic. & in septimo.* Si secundò, detur illa alia ratio, sub qua repræsentat, non sub ratione vniuersalis, vt patet. Si dicatur, quòd repræsentat ipsum sub ratione singulari non distincta, sed quodammodò confusa: tunc arguo sic, & accipio hanc albedinem singularem, quæ imprimat speciem sensibilem in organo visus: 18. *Quintum dubium.*

tunc

tunc sic: Eo modo species sensibilis repræsentat albedinem, quo imprimitur à ratione formali agendi albedinis, vt à totali causa: vt patet à Doctore, & conditio agentis est singularitas propria ipsius albedinis: si ergo primò repræsentat rationem formalem gignendi, & concomitanter conditionem agentis: sed illa conditio est singularitas propria albedinis: ergo per ipsam speciem sensibilem poterit cognosci hæc albedo, sub ratione propria singularitatis.

Sextum dubium. Item, occurrit alia difficultas: quia si teneatur quòd sicut obiectum intelligibile est tantùm partialis causa speciei intelligibilis: sic similiter obiectum sensibile erit tantùm partialis causa speciei sensibilis (vt aliqui tenent) quomodo poterit saluari, quòd species sensibilis impressa à ratione formali agendi, vt à partiali causa, non repræsentet ipsam albedinem, sub ratione vniuersali?

19\. *Responsio ad primum.* Respondetur ad primam difficultatem, præsupponendo vnum, quòd quando Doctor dicit, quòd ratio formalis agendi est natura, siue entitas quiditatiua, vt etiam suprà expositum est *in distinct.* 1. *quæst.* 2. non vult, quòd sit ratio agendi alicui supposito, nisi actu existat, quæ existentia est idem realiter cum ipsa natura: vt patet ab ipso *in* 2. *distinct.* 1. & ibi diffusè pertractaui illam materiam. Existentia enim est gradus intrinsecus naturæ; licèt ergo ratio formalis agendi (cùm sit ratio quiditatiua) sit ipsa natura, nunquam tamen aliquod suppositum agit mediante ratione formali agendi, nisi talis ratio formalis actu existat: requiritur ergo existentia in natura, non vt ratio formalis agendi, nec vt pars rationis formalis agendi: sed vt dispositio, sine qua impossibile est rationem formalem agendi habere actum, siue actionem realem.

Ad secundū. Ad secundam difficultatem. Concedo quòd ratio singularitatis est actus perficiens naturam: negatur tamen quòd sit ratio formalis agendi: quia propriè loquendo de ratione formali agendi est ratio quiditatiua, vt suprà patuit *dist.* 1. *q.* 2. Sicut enim propriè terminus formalis generationis est entitas quiditatiua, per quam genitum est simile generanti: ita ratio formalis generandi erit entitas quiditatiua, per quam genitum est sibi simile in natura: ratio autem singularitatis, & si dicat perfectionem additam naturæ: non tamen est ratio quiditatiua.

Dico secundò, fortè non haberem pro inconuenienti, quòd entitas singularitatis sit ratio formalis agendi: & quomodo hoc posset intelligi: vide in expositione, quam fecit super *d.* 3. *q. vltima secundi*.

20\. *Ad tertiam.* Ad aliud, quod est de singulari agente concedo quòd agens singulare agit inquantum est in actu: ita quòd nisi sit actu existens non potest agere actione reali. Et cùm dicis, quòd per singularitatem non est actu existens: quia singularitas est prior existentia. Dico, quòd si singularitas sit prior existentia, non tamen dicitur conditio agentis, nisi actu existat: non quòd existentia singularitatis propriè dicatur conditio agentis, sed quia agens actu agere non potest, nisi actu sit singulare singularitate existente in eo, & eo modo requiritur existentia singularitatis, quo dixi de existentia naturæ.

Ad quartā. Ad quartam difficultatem: dico, quòd ratio formalis agendi respectu speciei intelligibilis potest dupliciter intelligi. Vno modo pro ratione formali agendi remota, à qua dependet ratio formalis agendi propinqua quantùm ad suum *esse*. Alio modo pro ratione formali agendi propinqua. Primo modo, natura obiecti pro statu isto est ratio formalis agendi speciem intelligibilem: quia ipsa est prima ratio formalis immutandi sensum exteriorem, quo immutato immutatur virtus phantastica, recipiendo phantasma talis obiecti. Secundo modo phantasma est ratio formalis agendi speciem intelligibilem, loquendo de ratione formali partiali. Si tamen obiectum comparetur ad intellectum separatum à corpore, natura talis obiecti erit ratio formalis agendi proxima, & immediata respectu speciei intelligibilis imprimendæ in tali intellectu, vt patebit *in* 2. *d.* 3. *q.* 10. *&* 11. *Ratio formalis agendi remota propinqua.*

Et quando dicitur, quòd tunc species intelligibilis repræsentabit naturam phantasmatis, & si sic, tunc phantasma erit priùs præsens intellectui in ratione obiecti intelligibilis, quàm ipsum obiectum. 21.

Dico, quòd species intelligibilis primò, & immediatè repræsentabit naturam ipsius obiecti: quia & si natura phantasmatis sit ratio formalis imprimendi talem speciem: non tamen est ratio formalis imprimendi immediatè speciem propriam, sed tantùm imprimendi speciem obiecti: quia species intelligibilis, si immediatè imprimeretur ab obiecto, esset tantùm repræsentatiua obiecti in ratione intelligibilis: à quocunque ergo imprimatur talis species, semper repræsentatiua eiusdem: sicut patet de specie intelligibili impressa intellectui Angelico, quæ repræsentat Deum, sub ratione Deitatis in ratione obiecti intelligibilis: & tamen immediatè causatur à voluntate diuina, & non ab obiecto: & in hoc dicimus, quòd voluntas diuina supplet vicem talis obiecti. Sic in proposito, phantasma supplet vicem obiecti. An modò phantasma (cùm sit vera res absoluta) possit causare aliquam speciem intelligibilem in intellectu possibili repræsentantem ipsum phantasma, in ratione obiecti intelligibilis, de hoc aliàs, quia hoc pertractare non est præsentis speculationis.

Ad quintam difficultatem dico, quòd species sensibilis repræsentat ipsam naturam, sed non absolutè, sed vt in aliquo singulari: & sic dicitur repræsentare concomitanter singulare: non enim in aliquo priori natura dicitur repræsentare naturam in se, quin in illo repræsentet in aliquo singulari: & ideò potentia sensitiua, puta visiua, nunquam per speciem sensibilem habet naturam obiecti sensibilis præsentem in ratione obiecti sensibilis in se, & absolutè: sed tantùm habet illam præsentem, vt in aliquo singulari. Et quando additur, quòd tunc singulare, sub ratione singularitatis potest cognosci. Negatur consequentia, quia posito quòd singulare sub ratione propria singularitatis producat speciem sensibilem, non tamen talis species sensibilis repræsentat illud singulare sub propria ratione singularitatis. 22. *Ad quintam.*

Ad vltimum dico, quòd posito, quòd natura obiecti sensibilis sit ratio formalis agendi, & partialis: non tamen sequitur, quòd species sensibilis sic impressa, repræsentet naturam vt natura est: sicut species intelligibilis. Et ratio est, quia si sensus concurrit partialiter ad speciem sensibilem, & intellectus agens ad speciem intelligibilem: non tamen sequitur, quòd sicut species *Ad sextam.*

intelligibilis repræsentat naturam in se, quòd etiam species sensibilis: quia intellectus agens est virtus immaterialis, & propter suam immaterialitatem est valde abstractiua:non sic est de potentia sensitiua, quæ cùm sit virtus organica, & immersa materiæ quantùm ad *esse*, & quantùm ad *operari*:non potest dici virtus abstractiua,siue partialis causa causandi aliquam speciem repræsentatiuam alicuius abstracti,siue à singularibus,siue à conditionibus materialibus.Et sic patet responsio ad dubia.

23. k *Ad secundum de præsentia.* Ista responsio sic debet intelligi, quòd in cognitione abstractiua, obiectum priùs est præsens præsentia reali, vt possit causare speciem intelligibilem,id est,quòd ipsum phantasma repræsentans ipsum obiectum cum conditionibus materialibus, & supplens vicem illius in causando speciem intelligibilem, dicitur obiectum esse sic pręsens:quia phantasma repræsentans ipsum,sic est præsens causando speciem intelligibilem.

Nota de duplici præsentia obiecti. Idem videtur dicendum in secunda præsentia in specie intelligibili, quòd obiectum dicitur præsens, vt causatiuum cognitionis suæ: quia species intelligibilis, in qua relucet, sic est præsens intellectui,vt possit esse causa partialis intellectionis obiecti. Vel sic intelligo, quando Doctor dicit,quòd duplex est præsentia obiecti, scilicet realis, & intentionalis: & per primam præsentiam,siue approximationem talem, potest gignere speciem talem in intellectu, quòd sufficit vt sit præsens præsentia reali alicui sensui exteriori: quia si talis præsentia non haberetur, nunquam posset intelligi via naturali propter ordinem potentiarum: posita ergo prima præsentia alicuius sensibilis, respectu potentiæ sensitiuæ exterioris, per talem præsentiam habetur species sensibilis in organo sensus: quâ habitâ tunc causatur phantasma eiusdem sensibilis in virtute phantastica, & vltimatè ab illo phantasmate,vt à partiali causa causatur species intelligibilis, repręsentans ipsum sensibile sub ratione vniuersali.

Est etiam præsens præsentia intentionali, hoc est, per aliquam speciem, sicut visibile extrà dicitur primò præsens potentiæ visiuæ præsentia reali,qua causatur species sensibilis in organo visus: secundò per illam *speciem* dicitur præsens præsentia intentionali, siue præsentia obiectali: & nisi esset præsens ipsa præsentia,nunquam posset videri: sed respectu virtutis phantasticæ dicitur primò præsens præsentia reali, non imprimendo aliquid in virtute phantastica:sed ex hoc solo dicitur præsens præsentia reali: quia est præsens tali præsentia sensui exteriori, imprimendò speciem sensibilem: ad quam sequitur causatio phantasmatis,per quod phantasma dicitur sensibile esse præsens virtuti phantasticæ pręsentia obiectali: quia vt sic præsens immediatè potest cognosci à virtute phantastica: & sic ista præsentia secunda præsupponit primam præsentiam. Similiter dico respectu intellectus, quòd non potest haberi præsentia secunda, quâ obiectum dicitur præsens in ratione intelligibili:nisi habeatur prima præsentia obiecti imprimentis realiter aliquid præuium, saltem in potentia inferiori, vt suprà exposui. Et sic patet quomodo prima præsentia non est sufficiens ad hoc, vt obiectum possit intelligi.

24. *Nota.* Et nota in ista litera ista verba Doctoris cùm dicit; *Dico, quòd obiectum respectu potentiæ habet primò præsentiam realem,scilicet approximationem talem, vt possit gignere speciem talem in intellectu:quæ est ratio formalis intellectionis.*

Quæ sit ratio formalis gignendi intellectionem Hîc apparet quomodo vult, quòd ratio formalis gignendi intellectionem abstractiuam sit species intelligibilis, & non obiectum relucens: licèt tamen aliquis velit dicere ex intentione Doctoris quòd species non moueat intellectum, sed tantùm obiectum relucens: quod non credo esse verum. Tum, quia obiectum, vt ibi tantùm habet *esse* secundùm *quid*, & nullum *esse* reale. Cognitio verò abstractiua est verum ens reale absolutum de prædicamento Qualitatis, positum in prima specie Qualitatis: vt patet à Doctore *in quolib. quæst.* 13. modò verum ens reale non potest causari, nec totaliter, nec partialiter ab aliquo habente tantùm *esse* secundùm *quid*, quod est *esse* repræsentatiuum. Nec valet dicere, quòd non causat sub illa ratione formali, qua est repræsentata:sed sub ratione absoluta talis naturæ, posita tamen præsentia illius per speciem intelligibilem. Sed hoc nihil est, quia etiam talis natura,vt sic,nullam existentiam dicit,vt patet.

Multæ aliæ essent rationes ex dictis Doctoris, quibus patere posset, quòd respectu cognitionis abstractiuæ tantùm species intelligibilis est ratio formalis partialiter causandi, sed quia patet expressè intentio eius quòd species intelligibilis sit huiusmodi ratio formalis: ideò illas rationes pro nunc prætermitto. Et quòd hæc sit expressè intentio eius, patet hîc in præsenti litera: patet etiam ex titulo quæstionis quando quærit,*Vtrùm in parte intellectiua propriè sumpta sit memoria propriè,id est,habens speciem intelligibilem,priorem naturaliter actu intelligendi:* vbi vult expressè, quòd species intelligibilis pertineat ad memoriam, vt memoria est productiua actus intelligendi. Hoc etiam patet in exponendo auctoritates Augustini,vbi loquitur de memoria, vt *in dist.*2. *part.*1.*& dist.*27.*huius*.Sed expressè hoc patet infrà *d.*18.*& in* 2.*dist.*3.*q.*10. *vel* 11. Et clarissimè hoc dicit *in quol.& in* 4. *d.*12. *q.*3. in responsione ad vltimum argum.principale. *Species intelligibilis quomodo sit ratio formalis partialiter causandi.*

l *Ad tertium, Augustinus ponit memoriam esse multorum, &c. Ideò respondeo sicut dictum est de primo cognito.* Hîc dicit Doctor quòd ex quo sunt plura cognita habitualiter. & non accipitur hîc *habitualiter cognito* pro habitu scientiæ, sed propter quandam similitudinem ad aliquam scientiam: quia sicut habens habitum scientiæ promptè,& expeditè potest operari: ita habens præsentiam obiecti in ratione intelligibilis promptè, & expeditè potest intelligere illud. Dicitur ergo cognitum in proposito, quando est præsens potentiæ in ratione obiecti, & in cognitione abstractiua est præsens per speciem intelligibilem:& sic species intelligibilis potest dici habitualis cognitio: quia est ratio formalis causandi notitiam actualem illius obiecti. Quia ergo sunt plures species, secundùm quas dicuntur plura obiecta habitualiter cognita: quærit Doctor quare habetur cognitio vnius, & non simul habetur cognitio alterius? 25.

Dat singularem responsionem, quòd tunc illud obiectum actu cognoscitur, cuius species intelligibilis fortiùs, & efficaciùs mouet intellectum: & illa species intelligibilis fortiùs mouet, cuius singulare obiecti intelligibilis fortiùs mouet sensum, & causam huius suprà exposui *q.*1. *præsentis dist.* *Singularis responsio.*

Et

Et nota, quòd Doctor in ista litera aliqua tangit, quæ alibi soluenda sunt. Primum, quòd posito primo actu intellectionis alicuius obiecti, est in potestate nostra cognitio actualis cuiuslibet habitualiter noti. Quomodo hoc intelligatur, vide literam Doctoris *in 2. dist.* 42. & expositionem, quam ibi feci: & etiam in eodem secundo, *dist.* 9. & fortè infrà etiam exponetur *dist.* 6. Secundum, an plura simul intelligi possint? Et oportet dicere, quòd sic, secundùm Doctorem, quia ponens differentiam inter aliqua duo, simul cognoscit illa duo: est tamen dubium quòd non æquè perfectè cognoscit aliqua plura simul, sicut quodlibet seorsum sumptum: vt exposui suprà *dist.* 2. *q. vlt.* & *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 10. vide ibi multas difficultates.

An plura intelligi possint.

26. *Ad Algazelem dico.* Hæc litera patet, quia licèt aliqua in suo *esse* reali repugnent ad inuicem esse in eodem subiecto, vt duo contraria: intentiones tamen eorum, siue species intelligibiles, siue intellectiones non repugnant in eodem: cùm vna formaliter non contrarietur alteri.

Obiectum potest mouere animam metaphoricè dupliciter.

m *Ad quartam dico, quòd non tantùm intellectus patitur ab obiecto reali,* &c. Nota pro intelligentia literæ *rem,* id est, obiectum mouere animam non motu Physico, sed potiùs metaphorico contingit dupliciter. Primò mouet ad ipsam per speciem intelligibilem impressam in anima, quæ species impressa dicitur motus: & inquantum obiectum relucet in ea, dicitur mouere per illam tantùm intentionaliter, & motu metaphorico. Intellectus enim agens, & phantasma realiter mouent, quia verè causant speciem intelligibilem, quæ est qualitas realis: & intellectus recipiens illam realiter patitur ab intellectu agente, & phantasmate: vt verò obiectum inquantum relucet in specie intelligibili, dicitur mouere tantùm motu metaphorico: & intellectus, vt comparatur ad obiectum, inquantum relucens in specie intelligibili, dicitur moueri metaphoricè. Similiter quando intellectus agens, & species intelligibilis causant intellectionem obiecti, imprimendo illam in intellectu possibili realiter mouente intellectum possibilem: quia causant ibidem veram qualitatem, quæ est intellectio: vt patet à Doctore *q.* 13. *quolib.* Et sic intellectus possibilis recipiens intellectionem ab intellectu agente, & specie intelligibili, dicitur realiter pati ab illis. Quia verò obiectum per huiusmodi intellectionem habet *esse* cognitum: tunc dicimus, quòd obiectum, vt sic cognitum, metaphoricè mouet intellectum possibilem: & intellectus possibilis, vt comparatur ad tale obiectum, dicitur moueri metaphoricè: & hoc modo potest dici, quòd intellectio est motus rei ad animam; siue quòd est motus obiecti ad ipsam animam, loquendo de motu metaphorico: & quòd hic sic sensus Doctoris vide *in quolib. q.* 15.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta specialia adducta num. 3. *&* 4. *pro opinione Henrici & Goffred. explicando subtiliter & peripateticè auctoritates obiectas.*

AD rationes [a] alterius opinionis, cùm primò arguitur in prima opinione, quòd recipere speciem conuenit sensui præcisè, quia potentia est organica: dico, quòd hoc est falsum, quia illud non est præcisa causa: sed præcisa causa cuiuscunque potentiæ habendi speciem præsentem, repræsentantem obiectum suum, est, quia ipsa est cognitiua, & natura dedit sibi, vt possit habere obiectum priùs naturaliter sibi præsens quàm cognoscat. Sed potentiæ organicæ dedit, vt obiectum sit præsens, non in potentia ipsa, sed in organo, hoc est, in parte corporis, quam perficit potentia organica, & illa præsentia sufficit: quia totum compositum ex parte corporis sic mixta, & ex potentia, habet speciem, & huic toti sufficienter obiectum est præsens, quando species est in illa parte corporis. cùm igitur intellectui nihil perfectionis auferatur, inquantum potentia cognitiua est, ex hoc, quòd non est organicus: immò magis additur sibi perfectio; sequitur, quòd sibi possit esse obiectum præsens, ante actum, sicut aliis potentiis: sed illa præsentia non erit per aliquid impressum organo, quia non habet organum; ergo erit per aliquid impressum illi potentiæ: tale autem impressum repræsentans præcedens in potentia intellectiua actum intelligendi, voco speciem intelligibilem. Breuiter igitur dico, quòd sensus habet obiectum præsens in illa parte corporis, quæ dicitur organum illius sensus: sed intellectus tam illam præsentiam priorem actu, quàm ipsum actum, habet ratione eiusdem receptiui, & ideò falsum accipitur, quòd species talis non est nisi præcisè propter organum. Natura enim causat talem partem talis corporis, sic mixtam, vt sit perfectibilis à tali potentia animæ, & congruat operationi eius, quia materia est propter formam, & non è conuerso, ex 2. Physicor. Et Commentator primo de Anim. *membra leonis non differunt à membris cerui, nisi quia anima differt ab anima.* Non igitur forma est propter materiam, sed è conuerso. & ideò talis pars facta est talis speciei receptiua, vt per talem speciem sit obiectum præsens toti composito, quod est totum organum. vnde prima causa præsentiæ obiecti in specie, non est talis dispositio corporis; sed prior causa est, vt potentia apprehensiua, habeat obiectum actu cognoscibile sibi præsens, vel in se ipsa, vel in aliquo, quod est pars ipsius organi in tali operatione.

18. Reprobat rationes Henrici.

Species sensibilis est in organo, non in potentia.

Falsum, speciem tãtùm requiri propter organum.

Text. 23. comm. 53.

19. Ad aliud [b] de Philosopho 3. de Anima, *quòd intellectus est locus specierum;* potest exponi, quòd intellectus dicitur locus specierum, quia saluans, sicut dicitur, quòd ipsius loci est seruare locatum. & organa sensitiuæ potentiæ, non sunt loca, quia non ita saluant species

Intellectus est locus specierum, explicatur 4. Physicor. & in Porphyry Isagogis.

ſpecies receptas in eis. Species quippe intelligibiles non videntur deleri, ſicut ſpecies ſenſibiles; quia ſpecies ſenſibilis ita eſt in organo, quòd poteſt corrumpi per contrarium formaliter, vel per diſpoſitionem in ſuſceptiuo diſconuenientem tali potentiæ; ſicut pa-

Cap.1. Vide diſt. 45. de hoc.

tet per Philoſophum de Memoria, & reminiſcentia: Senes & iuuenes, id eſt pueri, ſunt malè reminiſcitiui propter abundantiam humorum nimiam, & etiam propter indiſpoſitionem, & læſionem organi: iſto vtroque modo, non eſt ſpecies intelligibilis in intellectu, vt per ſe deleatur per aliquod contrarium ad ipſam, ſeu per indiſpoſitionem receptiui. Aliæ multæ congruentiæ poſſent aſſignari circa illud vocabulum, *locus*, circa quod non oportet multùm immorari.

Dum intelligitur vniuerſale eius ſingulare phantaſiatur: & hoc eſt conuerti ad phantaſmata.

Quod additur [c] de Philoſopho, quòd *ſpeculamur, quod quid eſt in phantaſmatibus*, &c. pro omnibus talibus auctoritatibus, dico, quòd talis eſt connexio iſtarum potentiarum, ſcilicet phantaſiæ, & intellectus pro ſtatu iſto, quòd nihil intelligimus in vniuerſali, niſi cuius ſingulare phantaſiamur: nec eſt alia conuerſio ad phantaſma, niſi quòd intelligens vniuerſale imaginatur ſingulare eius, nec intellectus videt, quod quid eſt in phantaſmatibus, ſicut in ratione videndi: ſed intelligens, quod quid eſt relucens in ſpecie intelligibili, videt illud in ſuo ſingulari viſo per virtutem phantaſticam in phantaſmate.

20. Quod adducitur [d] de Auguſtino, quòd non ponit ſpeciem intelligibilem in memoria, ſed ſcientiam.

Reſpondeo & dico, quòd vbi ponit ſcientiam, ſtatim ponit aliquid, quod includit ſpeciem intelligibilem, licèt non vtatur iſto vocabulo, *quia* 15. *de Trin. cap.* 10. cùm præmiſiſſet, *ex ipſa ſcientia, quam memoria tenemus, gignitur verbum*; ſubdit, quòd *formata cogitatio ab ea re, quam ſcimus, verbum eſt.* & ibi comm. 15. cum præmiſiſſet, *ſimillima eſt viſio cogitationis, viſioni ſcientiæ*, ſubdit, *quando ergo quod eſt in notitia, hoc eſt in verbo, tunc eſt verum verbum.* & cap. 12. *tunc enim eſt verbum ſimillimum rei notæ, de qua gignitur, & imago eius: quando de viſione ſcientiæ, viſio cogitationis exoritur*, ſubdit, *nec intereſt, quando id didicerit, qui quod ſcit, loquitur.* ſimiliter, cap. 22. *quando ad memoriam meam, aciem cogitationis meæ aduerto, ac ſi in corde meo dico, quòd ſcio*, &c.

ADDITIO. *Item* 15. *de Trin.* 27. *Quando loquitur de luce, in qua videntur vera*, Ipſa, *inquit*, oſtendit verbum verum eſſe in te, quando de ſcientia tua gignitur, id eſt, quando quod ſcimus dicimus. Hæc ille.

Ex iſtis omnibus apparet, quòd illud, quod Auguſtinus tribuit memoriæ, ratione ſcientiæ, vt gignenti, exponit ſe ſemper de obiecto præſente in memoria: non eſt autem obiectum præſens in memoria, vt memoria intellectiua eſt per ſcientiam, vt eſt habitus diſtinctus à ſpecie: ergo oportet, quòd illam præſentiam eſſe intelligat per

Text. 37.

ſpeciem intelligibilem, & ſub illa ratione, ſub qua diſtinguitur ab habitu ſcientiæ propriè ſumptæ. & hoc modo etiam debet accipi illud verbum Philoſophi *tertio de Anima*, qui cùm præmiſiſſet, quòd *anima eſt quodammodo omnia*: ſubdit, quòd *per ſenſum eſt ſenſibilia, & per ſcientiam ſcibilia.* Scientia quippe ibi tam apud Philoſophum, quàm apud Auguſtinum in locis prædictis; accipitur pro ipſa præſentia habituali obiecti in memoria intellectiua, quæ præſentia habitualis [e], eſt virtualiter ſcientia, quia in obiecto ſic præſente concipitur virtualiter tota ſcientia de tali obiecto.

Scientia ſumitur pro ſpecie ſecũdũ Philoſ.

Text. 32. Text. 25. & 55.

Hæc ſpecies [f] eſt illa ſcientia, quæ reducit intellectum de potentia eſſentiali ad accidentalem ſecundùm Ariſtot. 8. *Phyſicorum, & 2. de Anima*: non autem illa, quæ propriè dicitur ſcientia, quæ eſt habilitas quædam derelicta ab actibus. Nam ante iſtam ad primum actum conſiderandi requiritur, quòd ſit iam reductus intellectus de potentia eſſentiali ad accidentalem: alioquin non operaretur tunc magis, quàm priùs. Vnde in cognitione, ſpecies, in qua relucet quiditas, dicitur ſcientia, non tantùm virtualiter, quia totam continet, ſed formaliter poteſt dici habitus cognitiuus, quia eſt qualitas manſiua in intellectu diſponens ipſum ad actum.

21. Et ex hoc habetur argumentum pro ſpecie intelligibili, quia non videtur, quomodo aliqua ſcientia tota dici poſſit vna ratione primi obiecti, niſi quatenus illa ſcientia continetur virtualiter in illo primo obiecto intelligibili. Non enim tota illa ſcientia dicitur vna ab obiecto, quatenus relucet in phantaſmate, quia illa non eſſet vnitas alicuius habitus intellectualis, ſed alicuius imaginabilis.

Ad rationes Goffredi.

Quod arguitur pòſt in ſecunda opinione quòd potentia, quæ eſt ad aliquem actum ordinata, actuatur primò per illum actum: dico, quòd quælibet potentia apprehenſiua, vt apprehenſiua eſt, eſt in potentia ad apprehendere primò primitate perfectionis, licèt non primò primitate generationis: & quandoque primò primitate generationis, quando ſcilicet obiectum in ſe, eſt præſens tali potentiæ, vt actu cognoſcibile ab ea. Tunc enim non

non oportet ante actum in potentia aliquid aliud fieri, in quo ipsum obiectum sit præsens, sed primum, quod fit ab eo est actus. Quando autem obiectum non est natum in se esse præsens, sub ratione actu cognoscibilis à tali potentia, tunc quælibet potentia apprehensiua, est in potentia ad apprehensionem, & ad illud, in quo cognoscibile erit præsens, & priùs ordine originis est in potentia ad habendum istam præsentiam, quàm ad habendum actum. & ita est in proposito. Sensibilia enim non sunt nata in se esse præsentia intellectui, sub ratione actu intelligibilium, sed tantùm in specie intelligibili possunt sic esse præsentia; & hoc quantùm ad intellectionem abstractiuam, de qua est sermo in proposito. & ideò potentia apprehensiua respectu talium, est in potentia ad duplicem actum, & ab agente approximato. Priùs ordine originis recipiet priorem actum, quàm posteriorem: nec tamen intelligo ita istos actus esse ordinatos, quòd prior sit ratio recipiendi respectu posterioris: sicut scilicet superficies est ratio recipiendi albedinem: tunc enim intellectus respectu nullius intelligibilis recipere posset actum secundum, qui est intellectio, nisi priùs haberet actum primum, vt speciem eiusdem obiecti. Sed intelligo, quòd intellectus de se, est ratio immediata recipiendi vtrumque actum: ipsi actus tamen inter se sunt ordinati, quando obiectum non est natum esse præsens in se, quia tunc oportet priùs naturaliter esse illum actum, quo obiectum est præsens, vt intelligibile, quàm illum, qui elicitur circa obiectum intelligibile, vt præsens.

Potentia actuatur primò actu perfectissimo, explicatur.

Si instetur contra istam solutionem, quia nunquam pluralitas est ponenda nisi propter necessitatem *primo Physicorum:* hîc autem non videtur necessitas, quia obiectum videtur sufficienter præsens in phantasmate; ergo non est ponenda ista species in intellectu. Respondeo, quòd necessitas est semper dignificare naturam nobilem, quando non apparet aliquid manifestè repugnans: sed magna vilificatio naturæ intellectiuæ, vt intellectiua est, videtur esse, quòd non possit habere obiectum suum sibi præsens in se, absque mendicata præsentia à potentiis inferioribus, cum quibus contingenter coniungitur in ratione potentiæ: & tamen, quòd potentiæ aliæ inferiores possint habere obiectum sibi præsens vt in se. & si intellectus possit habere obiectum sibi præsens in potentia inferiori, non tamen summa præsentialitate possibili, præcedere actum intelligendi. & sicut aliis potentiis cognitiuis, ita multò magis isti potentiæ debet concedi, obiectum esse summè præsens, quantum potest esse præsens, ante actum cognoscendi, & hoc non saluatur nisi in specie intelligibili. Non etiam ponitur perfectio summa possibilis potentiæ cognitiuæ, nisi ponatur eam posse conseruare speciem intelligibilem præter actum. & ita habere obiectum suum præsens conseruatum sine actu: quia hoc conceditur sensitiuè, & perfectionis est in cognitiua, quòd non dependeat ab aliquo in cognitione sua, sed quòd possit habere obiectum præsens sine dependentia ad aliam potentiam. 22.

Text. 50. Doctor cancellauit totam hanc literam.

Imperfectio esset si intellectus non posset elicere speciem.

COMMENTARIVS.

1. a AD *rationes alterius opinionis.* Hîc Doctor intendit soluere argumenta facta pro opinione Henrici. Responsio Doctoris clara est in litera. Et quomodo intelligatur illa auctoritas Commentatoris 1. *de Anima, com.* 53. quòd membra leonis non differunt à membris cerui, suprà exposui *q.* 4. partis secundæ, d. secundæ, quæ est septima in ordine, ibi vide.

Quomodo intellectus est locus specierum.

b *Ad aliud de Philosopho.* Respondet quòd intellectus potest dici locus specierum propter multas conditiones loci. Tum, quia sicut locus conseruat locatum, sic intellectus conseruat species intelligibiles: & organa sensitiuæ potentiæ non sunt loca, quia non ita saluant species receptas in eis: species quippe intelligibiles non videntur deleri, sicut species sensibiles: quia species sensibilis ita est in organo, quòd potest corrumpi per contrarium formaliter: vel per dispositionem disconuenientem in susceptiuo: sicut patet per Philosophum *de Mem. & Remi.* Senes, & pueri sunt malè reminiscitiui propter abundantiam humorum nimiam: & etiam propter indispositionem, & læsionem organi. Isto vtroque modo non est species intelligibilis in intellectu: vt per se deleatur per aliquod contrarium, seu per indispositionem receptiui.

2. Et nota, quòd quando dicit Doctor, *species sensibilis potest deleri ab organo per contrarium formaliter:* non debet intelligi, quòd speciei sit aliquid contrarium formaliter: sed quia ipsi organo, vel qualitati existenti in organo, quæ facit ad conseruationem speciei, potest deleri per aliam qualitatem, formaliter sibi contrariam. Exemplum: Si organum tactus fuerit calidum formaliter, per frigus potest expelli calor iste. Potest enim deleri per indispositionem organi, vt puta si dispositio organi consistat in debita dispositione caloris, & sicci: calor ille, vel siccitas, possunt in tantum intendi, quòd non essent ampliùs dispositio organi: vel si consistat in debita proportione frigidi, & humidi: frigiditas, & humiditas possunt intantum intendi, quòd illa debita proportio, quæ est dispositio, in organo corrumpatur. Species verò intelligibilis in intellectu non habet aliquod contrarium formaliter, nec indispositionem: & per consequens videtur omnino indelebilis. Et ex hoc loco multi exponentes Doctorem, dicunt, quòd species intelligibilis semel recepta in intellectu possibili, est simpliciter indelebilis, & benè dicunt.

Sed

Dubitatio. Sed quare multi habentes huiusmodi species intelligibiles non intelligunt obiecta, quorum sunt species: vt patet in phreneticis?

Solutio. Dico paucis, quòd etsi sint ibi species indelebiliter, non tamen mouent intellectum, quando est indispositio in parte sensitiua, præsertim interiori, vt suprà patuit *quæst.* 4. *præsentis dist.* sicut in dormientibus species intelligibiles non mouent intellectum: est enim pro statu isto talis ordo, quòd oportet intelligentem phantasmata speculari: sicut suprà exposui, *in præsenti dist.* remoto tamen impedimento in parte sensitiua illæ species possent mouere intellectum partialiter causando cognitionem abstractiuam obiectorum, quorum sunt.

Notandum est, quòd intellectus semel receptas species intelligibiles nunquam amittit, etiam in morte: & per consequens anima separata à corpore per illas species poterit abstractiuè cognoscere omnia obiecta, quorum in vita habuit species. Sed de hoc multa sunt dicenda in quarto, *dist.* 45.

3. *Dubium notabile.* Occurrit tamen aliqualis difficultas in hoc, quod dicit Doctor, quòd huiusmodi species sunt indelebiles: quia intellectio est ita qualitas absoluta, sicut species intelligibilis: vt patet *q.* 13. *quol.* & nòn habet aliquod contrarium formaliter, nec aliquam indispositionem in organo: & nihilominùs delentur ab intellectu, vt per experientiam patet.

Solutio. Dico, quòd non est simile: quia intellectio non tantùm dependet ab intellectu in *esse*, & *conseruari*, vt à receptiuo: sed etiam dependet ab obiecto, & ab intellectu, vt à causis productiuis: dependet dico in *esse*, & *conseruari*: & sic cessante actione obiecti, & intellectus, illa intellectio desinit esse: vt infrà patebit *quæst. vlt. præsentis dist. & in quol. quæst.* 13. Non ergo desinit esse intellectio propter aliquod contrarium formaliter, vel propter aliquam indispositionem factam in intellectu: sed propter defectum causæ, non continuantis actionem. Species verò intelligibilis, etsi dependeat ab intellectu agente, & à phantasmate in *esse*, vt à causis partialibus integrantibus vnam totalem: vt infrà patebit *q. pen. præsentis d.* non tamen dependet in *conseruari*: quia destructo per possibile omni phantasmate, adhuc species intelligibilis esset in intellectu. Et ideò species intelligibilis non debet poni actio, nec propriè, nec impropriè: sicut ponitur intellectio actio impropriè, propter hoc solum, quòd sicut actio est in continuo *fieri*, ita intellectio, licèt ipsa intellectio sit ens absolutum. Et quare sic dicatur actio, licèt non propriè de genere actionis, patebit infrà *q. vlt. præsentis d. in responsione ad vltimum arg.* Species tamen intelligibilis (cùm sit accidens) dependet ab intellectu possibili quantùm ad *conseruari*: patet ergo quomodo non est simile de intellectione, & specie intelligibili.

4. c *Quod additur de Philosopho, quòd speculamur quod quid est in phantasmatibus.*

Hæc responsio debet sic intelligi, quòd talis est ordo inter intellectum, & virtutem phantasticam, quòd nunquam intellectus primò cognoscit vniuersale, nisi virtus phantastica priùs phantasiata singulare illius vniuersalis repræsentatum per phantasma illius singularis: semper enim quando intellectus intelligit vniuersale, vel in eodem instanti virtus phantastica speculatur singulare, vel ante speculata fuit. Et sic intellectus speculatur *quod quid est*, scilicet quiditatem rei vniuersalem in ipso phantasmate, id est, quòd non potest speculari sic: nisi priùs, vel simul virtus phantastica speculetur in ipso phantasmate singulare illius quiditatis vniuersalis repræsentatum per illud phantasma. Et similiter se habent phantasmata ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum, id est, quòd sicut sensibilia non possunt esse in sensu interiori, nisi priùs, vel simul fuerint in sensu exteriori: ita quòd sensus interior non potest habere operationem circa obiectum suum, nisi prius, vel simul aliquis sensus exterior habuerit operationem circa sensibile: sic nec intellectus potest cogitare obiectum suum abstractiuè, nisi priùs phantasmata mouerint virtutem phantasticam ad cognitionem singularis repræsentati ab illo phantasmate. *Nota.* Non tamen intelligas, quòd virtus phantastica cognoscat aliquod singulare sub propria hæcceitate: sed tantùm intelligit, vt quoddam aggregatum ex pluribus accidentibus: & idem dico de omnibus aliis sensibus.

d *Quod adducitur de Augustino*, &c. Dicit Doctor quòd si Augustinus non nominat speciem intelligibilem, tamen ponit aliquid quod includit speciem intelligibilem, per quam in cognitione abstractiua habetur præsentia obiecti: & quòd sic intelligat probat per auctoritates Augustini. Ponit enim scientiam pertinere ad memoriam: & patet quòd non loquitur de scientia propriè sumpta: quia illa non pertinet ad memoriam, vt dixi suprà, vt memoria est: sed accipit *scientiam* in cognitione abstractiua speciem intelligibilem, per quam habetur præsentia obiecti: & talis propriè pertinet ad memoriam, cùm memoria, (vt exposui suprà in titulo quæstionis) nihil aliud dicat, nisi intellectum, & præsentiam obiecti in se respectu cognitionis intuitiuæ: vel in alio respectu abstractiuæ, & illud aliud non est, nisi species intelligibilis: & sic illud pertinet ad memoriam.

5. Et quòd sic accipiat *scientiam* pro specie intelligibili: patet 15. de Trinit. cap. 10. cùm præmisisset. *Ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, gignitur verbum*: accipit *scientiam* pro præsentia obiecti, vt est in intellectu: patet, quia subdit, quòd *formata cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est*, id est, quòd cogitatio actualis alicuius rei dicitur *verbum*, quæ cogitatio formatur ab ea re, quā supple scimus, siue intelligimus, vel cogitamus: patet ergo quòd accipit ibi *scientiam* pro re præsente intellectui, à qua re præsente, si est in se præsens, causatur notitia intuitiua: si verò est tantùm præsens in specie intelligibili, tunc à tali specie causatur cogitatio, quæ dicitur *verbum*. Et idem de Trinit. 15. c. 2. cùm præmisisset: *Simillima est visio cogitationis scientiæ*, accipitur *visio cogitationis*, vt est constructio intransitiua: & idem est, quòd ipsa cogitatio.

Idem dico de visione scientiæ, vt exposui suprà *dist.* 2. *part.* 2. & sensus est: Cogitatio est simillima scientiæ, quod nòn potest intelligi de scientia habituali: sed tantùm de ipso obiecto, quod scitur. Et patent aliæ auctoritates.

Quomodo sit intelligenda littera. e *Quia in obiecto, sic præsente concipitur virtualiter tota scientia de tali obiecto.* Quæ litera sic debet intelligi, quòd *in præsentia habituali obiecti*, in cognitione videlicet abstractiua, *concipitur tota scientia illius obiecti*, id est, quòd species intelligibilis, per quam obiectum est præsens, cōtinet virtualiter notitiam illius obiecti: quia ipsa est

est causa partialis cognitionis obiecti in se: & etiam virtualiter, & essentialiter contentorum in illo, si tantùm ponatur vna species intelligibilis respectu obiecti, & contentorum in ea: si verò ponantur plures, patet quòd obiectum est causa remota illarum plurium, vt suprà exposui. Et phantasma obiecti vnà cum intellectu erit causa propinqua illarum: vt exposui *in quæst. 2. præsentis distinctionis.* Quia ergo species intelligibilis est partialis causa cognitionis obiecti, & cognitionis omnium contentorum essentialiter, vel virtualiter, si tantùm ponatur vna, vel si ponantur plures, secundùm pluralitatem obiectorum, in primo obiecto contentorum, erunt partiales causæ cognitionis illorum: & habita cognitione terminorum, formantur propositiones per se notæ, quibus formatis ab illis terminis sic cognitis, siue à speciebus (quod melius est) causatur notitia conformitatis eorum, vt suprà exposui *in quæst. 4. præsentis distinctionis.* Et habita cognitione principiorum, sequitur notitia conclusionum virtualiter contentorum in eis: & sic patet quomodo in præsentia habituali obiecti in memoria intellectiua virtualiter continetur tota scientia de tali obiecto.

6. *Quid sit esse in potentia essentiali, & accidentali.* f *Hæc species est illa scientia*, &c. Species enim intelligibilis *reducit intellectum de potentia essentiali*, id est, remota ad potentiam *accidentalem*, id est, propinquam, vt suprà exposui, exponendo argumentum ad oppositum circa principium quæst. Dicitur enim aliquid esse in potentia essentiali, siue remota, quando est in potentia ad formam, quæ est principium operationis: & dicitur in potentia accidentali, quando tantùm est in potentia ad operationem, præhabitâ formâ, quæ est principium talis operationis: & sic intellectus possibilis, respectu speciei intelligibilis, quæ est partialis causa operationis, dicitur esse in potentia essentiali, vt comparatur ad ipsam: ipsa verò recepta est in potentia accidentali, quia ad operationem sequentem formam. Sequitur: *Non autem illa, quæ propriè dicitur scientia, quæ est habilitas quædam derelicta ab actibus*, id est, quòd scientia propriè dicta non reducit intellectum de potentia essentiali ad accidentalem: & hoc absolutè loquendo. Certum est enim quòd intellectus est in potentia essentiali ad habitum scientificum, & ipso habito est in potentia accidentali, respectu actus, ad quem inclinat talis habitus: vel cuius est causa partialis. Sed talis habitus, vt comparatur ad primum actum intellectus præcedentem habitum, non reducit intellectum de potentia essentiali ad accidentalem: & hoc est, quod dicit. *Nam ante istam*, supple habilitatem derelictam ab actibus, *ad primum actum considerandi, requiritur quòd sit iam reductus intellectus de potentia essentiali ad accidentalem: alioquin non operaretur tunc magis, quam priùs.* hoc patuit suprà exponendo argumentum ad oppositum. Sequitur:

Vnde in cognitione, supple abstractiua, *species, in qua relucet quiditas, dicitur scientia non tantùm virtualiter, quia totam continet, sed formaliter* ipsa species intelligibilis *potest dici habitus cognoscitiuus: quia est qualitas mansiua in intellectu, disponens ipsum ad actum*, id est, quòd species intelligibilis non tantùm dicitur scientia virtualiter, vt suprà exposui, sed etiam dicitur formaliter habitus intellectualis, siue cognoscitiuus: non tamen scientificus, sed intellectualis, quia informat intellectum, & est substantiuè in illo, & de difficili mobilis. Dicitur ergo habitus de prima specie qualitatis, quia difficilis vt remoueatur ab illo; & dicitur intellectualis, quia est qualitas informans intellectum: loquitur ergo de habitu scientifico. Sequitur: *Et ex hoc habetur argumentum pro specie intelligibili*, &c. quia si obiectum vniuersale non sit per suum repræsentatiuum in intellectu, sed in virtute phantastica, omnia explicanda, & explicabilia de obiecto illo erunt ibi idem: & ita non erit nisi habitus phantasticus, & non intellectualis. Et de hoc vide in additionibus factis ad primum, dist. 3. quæst. 6. ibi: *Præterea in eadem quæst. post completam decisionem Doct. statim post illa verba*, &c.

SCHOLIVM.

Ostenso dari species intelligibiles in intellectu; secundum principale quæsitum huius quæstionis, est, vtrùm intellectus sit conseruatiuus earundem: & pro parte falsa ponit duas rationes, ac rationem ad oppositam, & recitat opinionem tributam Auicennæ negatiuam, cum suis fundamentis, & modum quo excusari posset Auicenna ab hac impositione. de quo D. Thom. 1. part. q. 89. art. 5. Abul. in 25. Mat. q. 580. Occam 4. q. 12. art. 1. Conimbric. tract. de Anima sep. disp. 3. art. 3. & 3. de Anima, c. 5. q. 3. 23.

Hæ duæ qq. sequẽtes ponuntur cõmuniter tãquam additiones ex reportationibus, sed debent poni in textu, & legi de scripto Anglico, vt patet ex frequenti remissione Doct. ad eas in eodem scripto. *4. Met.*

Secundò quæro, Vtrùm [a] memoria intellectiua sit conseruatiua speciei intelligibilis, cessante actu intelligendi. Videtur quòd non, quia si conseruaret vnam speciem, pari ratione & aliam speciem alterius obiecti, & sic multas simul: consequens est falsum, ergo & antecedens. Probatio falsitatis consequentis, quia species non est nisi quædam configuratio intelligibilis in intellectu; sed in corporalibus, est impossibile idem corpus figurari diuersis figuris; ergo similiter impossibile est intellectum simul sic configurari diuersis obiectis per diuersas species. & hæc est ratio Algazelis.

Secundò sic: Omnis qualitas disponens intellectum ad operandum, vel ad operationem, & mansiua in eo, est habitus intellectualis; sed species est qualitas quædam disponens intellectum ad operationem: igitur si est mansiua post actum intelligendi, sequitur, quòd esset habitus intellectualis: sed hoc est falsum, quia species intelligibilis præcedit actum naturaliter, & habitus sequitur: nam generatur ex actibus: ergo, &c.

Contrà. Intellectus est in potentia accidentali, non nisi quando habet speciem intelligibilem. patet ex Philosopho 2. *de Anima*, & 8. *Physicorum*.

Text.25.& 55. Text.32.

Hîc est vna [b] opinio, quæ ponitur ab Auicenna 6. *Naturalium parte 5. cap. 6. vel 7.* quòd ipse senserit speciem intelligibilem non habere esse mansiuum in anima post actualem considerationem. & dicunt ipsum hoc probare per hoc, quòd in organo sensus (quia non est virtus cognitiua) potest esse species repræsentatiua obiecti. hoc est, quia organum non est natum cognoscere obiectum sensibiliter: sed in intellectu, ex quo est virtus naturaliter cognitiua, non erit aliqua species repræsentans obiectum, nisi ipsum obiectum sit ibi intellectualiter, & secundùm actualem considerationem, vel intellectionem. Hanc rationem dicunt ipsum innuere, *cap. 5.* post medium, cùm dicit, *impossibile est formam esse in anima in effectu perfectè, & non intelligi ab ea in effectu perfectè.*

24. *Respon. D. Thom. 1. p. q. 79. art. 6. quære Ma. & alios, & præcipuè Henr. In hac q. & sequēte plura addit Doctor in primo Parisi.*

Dicunt quidam quòd hæc opinio fuit Auicennæ, quòd nulla species manet in parte intellectiua post actum intelligendi, quod videtur, quia 6. *Naturalium parte 5 cap. 6.* dicit, quòd in organo sensus conseruatur species post recessum sensibilis; & hoc solùm, quia organum non est natum cognoscere obiectum. Sed intellectus non est potentia organica, & ideò de se est dispositus ad recipiendum, non autem ad conseruandum; quia in ipso non potest fieri talis impressio aliqua, sed tantùm intellectualis immutatio.

Modus [c] suus est, quòd posuit ordinem in Intelligentiis, & dixit vltimam Intelligentiam influere speciem in intellectum nostrum: ita quòd sicut Plato posuit, quòd per conuersionem intellectus nostri ad ideam alicuius rei, habeamus scientiam alicuius rei. Ita Auicenna posuit, quòd per conuersionem intellectus nostri ad illam Intelligentiam naturaliter influentem, habemus notitiam, & scientiam rei, quam ad sensum eramus dispositi cogitare.

Quòd si contra eum tunc diceretur, quòd secundùm hoc nunquam haberemus habitum scientiæ, ex quo species non manebant in intellectu nostro, nisi in actuali consideratione, quòd tantùm erat in actuali conuersione ad illam Intelligentiam. Respondebat (secundùm quòd sibi imponitur) quòd ex frequenti conuersione ad illam Intelligentiam, generatur quædam habilitas in homine, quæ habitus potest dici per quam erat facilis, & habilis ad se conuertendum: & per consequens ad actum considerandi secundùm scientiam.

25. *Saluat Auicen. quòd non neget conseruari species.*

An hoc [d] senserit Auicenna an non, non curo, tamen posset benè excusari. Nam ipse dicit ibidem cap. 6. *quòd aliquis de quæstione sibi proposita, potest habere certitudinem, quòd scit eam soluere, & tamen non habet in promptu solutionem.* quod non esset, nisi apud se haberet speciem intelligibilem.

Item, *cap. 5.* vult, quòd singularia non faciunt aliquam diuersitatem ad intelligendum. vnde vult, quòd facta abstractione quiditatis ab vno singulari, non oportet, quòd fiat ab aliis eiusdem speciei concurrentibus: ipse expressè ibi ponit abstractionem speciei à singulari.

Item *parte 4. cap. 1.* dicit, quòd *thesaurus intellectus est memoria.* quod nihil est dictu, nisi species ibi conseruarentur. & 5. *Metaph.* dicit, quòd *species in intellectu respectu intellectus, est singularis, sed respectu obiecti, est vniuersalis.*

Qui ergo vellet saluare Auicennam, diceret (vt videtur esse eius intentio,) quòd duplex est species in intellectu; vna, quæ abstrahitur à sensibilibus, & hæc manet actu intellectus transeunte; alia, quæ habetur ex influxu Intelligentiæ, ad quam conuertitur, & hæc non manet, actu intellectus non manente. nec est necesse, quòd maneat illa, quia semper Intelligentia illa naturaliter influit species in intellectum ad se conuersum, per modum quo aliqui dicunt intellectum separatum intelligere; sed per influxum specierum à Deo non ab Intelligentia.

SVPPLEMENTVM R. P. F. JOANNIS PONCII.

1. *Hæ duæ quæstiones cur omissæ à Lychœto.*

a *Secundò quæro, Vtrùm memoria intellectiua sit conseruatiua speciei intelligibilis?* Totam hanc reliquam partem huius quæstionis sextæ, absque commentario reliquit nobis Lychetus, & cæteri etiam, quos vidi, expositores scripti Oxoniensis; ea sine dubio de causa, quòd in antiquioribus codicibus vel non habeatur omnino, vel certè non nisi per modum appendicis: ex Reportatis tamen ipsiusmet Scoti depromptæ, in quibus Reportatis, quæ duæ quæstiones hîc tractantur per modum duarum quæstionum principalium habentur; compendiosiùs quidem in iis Reportatis, quæ hactenus nomine Scoti communiter circumferuntur, & nuper cum scholiis & castigationibus nostri Cauelli impressa sunt Coloniæ; sed diffusiùs, ac distinctiùs in aliis Reportatis in hac noua editione imprimendis, quorum illa priora non sunt sine dubio aliud, quàm compendium aliquod ab aliquo Scoti discipulo, eóque non satis perito, confectum. Porrò non esse reuera has quæstiones ex

Rationes probantes quòd non sint ex scripto Oxoniensi.

ex scripto Oxoniensi id argumento non leui est, eas omnino non reperiri, vt dixi, in pluribus Scoti editionibus; & in quibus reperiuntur, per modum additionum esse adiunctas, nullosque ex Commentatoribus Doctoris eas exposuisse, & præterea incipere quæstionem sequentem principalem, quæ est septima in ordine huius distinctionis, his verbis, *Secundò quæro:* ex eo scilicet quòd sit secunda quæstio, quam mouet circa tertiam partem huius distinctionis, quod tamen non ita se haberet, si has quæstiones in iisdem scriptis tradidisset; esset enim quarta quæstio, vt patet; nam prima ex his quæstionibus est secunda, vnde & incipit etiam iisdem verbis: *Secundò quæro.*

2. Nec tollit vim huius coniecturæ qui diceret has duas quæstiones non esse principales, sed incidentales; nam præterquam quòd reuera tam principales sint, quàm illa quæstio septima, non deberet quæstio incidentalis, & non principalis tradi per modum secundæ quæstionis, nisi præcederet similiter aliqua quæstio incidentalis in ordine, ad quam diceretur secunda quæstio incidentalis, præsertim cùm sequeretur alia secunda principalis; sed non præcedit hanc secundam incidentalem alia prima incidentalis, & eam sequitur alia quæstio principalis, quæ dicitur secunda; ergo nullo modo est verisimile has duas quæstiones pertinere ad scriptum Oxoniense.

Præterea nunquam solet Scotus post solutionem argumentorum principalium alicuius quæstionis proponere alias quæstiones incidentales; sed hoc facit semper vel in corpore ipsius quæstionis principalis, vel inter solutionem argumentorum: sed hæ duæ quæstiones ponuntur hîc post solutionem argumentorum principalium, & aliorum, de quibus in ipso corpore quæstionis principalis fit mentio: ergo Scotus non posuit has quæstiones per modum appendicis ad hanc quæstionem sextam. Rursus, quæ tractat in quæstione prima ex duabus his de conseruatione specierum, & de conuersione ad phantasmata, tractauit etiam in ipsamet quæstione principali; de conuersione quidem ad phantasmata num. 19. de conseruatione verò specierum num. 22. nec est verisimile quòd de eadem re bis ageret in eadem quæstione, præsertim sine vlla relatione, aut significatione repetitionis.

3. *Rationes suadentes quòd sint ex scripto Oxoniensi.*

Hæc faciunt pro parte negatiua. Pro affirmatiua autem tenente has quæstiones esse ex scripto Oxoniensi, facit, quod dicitur in nota marginali ad initium primæ quæstionis ex his duabus quæstionibus, num. 23. nempe, Scotum citare in aliis locis scripti Oxoniensis quæ tractat in his quæstionibus, ad eásque se remittere. Verùm non citat author istius notæ marginalis quo alio loco scripti Oxoniensis Scotus id facit. Nec ego reperio vllam citationem huiusmodi apud Scotum, nisi vnicam, in 4. dist. 45. quæst. 1. num. 7. vbi dicit: *Est tamen aliqua perfectio, quam phantasma tribuit intellectioni, per hoc quod intendit speciem intelligibilem regulariter in qualibet intellectione, sicut declaratum est lib. 1. dist. 3.* nam in illa distinctione non reperio quòd faciat mentionem de intensione speciei per phantasmata, nisi in prima ex his duabus quæstionibus num. 18. vnde videri posset, quòd illam primam quæstionem citat in scripto Oxoniensi. Sed certè non declarat in illa quæstione prima quomodo id fiat, sed solùm obiter dicit id fieri; in illo autem loco quarti dicit id fuisse declaratum in 1. dist. 3. Quare potiùs existimarem illam citationem, quæ habetur in quarto, irrepsisse in textum, quàm has duas quæstiones esse de textu Oxoniensi; & sic responderi posset ad omnes alias citationes. Verùm quidquid sit de hac re, quæ parui prorsus est momenti; non est dubium, quin hæ duæ quæstiones sint Scoti, siue ex scripto Oxoniensi sint, siue non: & propterea quandoquidem tam communiter hîc ponantur, non erit abs re illas explicare; præsertim cùm doctrina in illis tradita sit pro libris de Anima valde vtilis.

Summa primæ quæstionis.

Itaque quantùm ad primam quæstionem, præmissis duabus rationibus pro parte negatiua, & vna pro affirmatiua, proponit eandem partem negatiuam, vt tribuitur Auicennæ cum suis fundamentis: & ostenso qua ratione posset benè exponi Auicenna, ita vt non esset dicendus illam tenere, impugnat eam quinque rationibus, & absolutè tenet oppositam sententiam, explicátque quâ ratione intellectus dum intelligit conuertitur ad phantasmata, reiecta priùs ratione, quam pro illa conuersione assignat D. Thomas, & demùm soluit argumenta duo principalia.

4. *Sententia Auicennæ de conseruatione specierum intelligibilium.*

b *Hîc est vna opinio,* &c. Circa hanc quæstionem, sententia Auicennæ videtur fuisse, aut saltem ita imponitur ipsi à S. Thoma 1. *part. quæst.* 79. *art.* 6. nullo modo manere species intelligibiles impressas rerum, quæ intelliguntur, in anima, nisi dum actu intelliguntur. Et quamuis fatetur manere species impressas sensitiuas in animali, etiam cùm non sint actu obiecta istarum specierum; tamen negat eandem esse rationem de speciebus intelligibilibus, quia potentiæ internæ sensitiuæ habent organa determinata sibi correspondentia, in quibus & producuntur species, & conseruantur, quæ organa vocat propterea thesauros specierum, nec vllo modo sentiunt ipsa aliquid, sed solùm recipiunt & conseruant species, ad quas potentiæ sensitiuæ conuertuntur quoties aliquid percipiunt. At non est assignabile aliquem thesaurum, vel organum conseruatiuum specierum impressarum intelligibilium, secundùm ipsum, quia non potest esse quid corporeum, aut materiale, cùm istæ species sint spirituales, sicut & potentia intellectiua respiciens ipsas: nec etiam potest esse ipsamet anima rationalis, aut aliqua potentia spiritualis eius, quia aliàs sequeretur quòd necessariò semper intelligeret: nam secundùm ipsum *impossibile est dici hanc formam*, scilicet speciem intelligibilem impressam, *esse in anima in effectu perfectè, & non intelligi ab ea in effectu perfectè:* ergo non est eadem ratio de conseruatione specierum sensitiuarum, & intelligibilium quando actu non consideratur obiectum istarum specierum. Vnde argumentari potest Auicenna pro sua sententia, primò sic: ideò sensus habet species conseruatas, quando actu non intelligit, quia habet organum, quod non est quid cognoscitiuum, & si fuisset cognoscitiuum organum, non posset conseruare species sine cognitione actuali: ergo cùm intellectus non habeat organum aliquod sibi correspondens non cognoscitiuum, non debet dici quòd habeat species conseruatas, quando actu non habet cognitionem. Secundò sic: si intellectus haberet species conseruatas, deberet semper intelligere, propter propositionem præmissam ex Auicenna; sed hoc est contra experientiam manifestè: ergo non habet species conseruatas.

Primum fundamentum Auicennæ.

Secundũ eius fundamentum.

5. c *Modus suus est,* &c. Hîc ostendit quomodo secun

Explicatio sententia Auicenna de speciebus.

secundùm Auicennam posset intellectus intelligere obiecta aliqua semel cognita, & absentia, absque speciebus conseruatis. Itaque secundùm Auicennam datur ordo inter Intelligentias, seu Angelos in operationibus eorum ad extrà, & munus vltimi Angeli est, quoties intellectus intelligeret de nouo rem priùs intellectam, iuxta exigentiam cognitionis sensitiuæ, producere speciem intelligibilem in ipso, quæ desineret desinente intellectione, & iterum produceretur quando illa esset producenda. Quòd si quæreretur ab Auicenna, quomodo ergo haberemus habitum, seu facilitatem sciendi, aut cognoscendi aliquid? Responderet per hoc, quòd haberemus facilitatem conuertendi nos ad Intelligentiam, quæ nata esset species illas producere, quam facilitatem acquirere possemus per frequentem conuersionem ad illam.

Exponitur mens Auicenna circa illas species.

d *An hoc senserit Auicenna*, &c. Quia hæc sententia sic intellecta nonnulla continet absurda, & tanto Philosopho indigna; propterea videtur Scotus dubitasse an reuera ita senserit: & adducit aliqua loca ipsius, quibus videtur asserere conseruari species; ex quibus locis ille potissimus est, quem adducit *ex parte 4. Naturalium cap.* 1. vbi dicit quòd thesaurus intellectus sit memoria; non thesauri est conseruare species, & quæ potentia habet thesaurum, habeat species conseruatas secundùm Auicennam: ergo, secundùm Auicennam, intellectus habet species conseruatas. Vnde ne sibi in eodem opere contradicere videatur, quando *in illa parte 5. cap. 6.* negare videtur species conseruatas, & asserere ad intelligendum de nouo, intellectum esse conuertendum ad Intelligentiam, sic exponendus est, vt velit tantùm non solùm haberi species in intellectu acceptas à sensibilibus, sed etiam alias acceptas ab Intelligentia, hásque non necessariò conseruari, quia Intelligentia est secundùm se sufficienter applicata ad eas producendas, quoties opus est; illas verò acceptas à sensibilibus necessariò conseruari, quia obiecta non sunt sufficienter semper applicata ad eas imprimendas, quoties vtimur illis. Posset etiam dici, quòd velit tantùm Auicenna, non sufficere species intelligibiles conseruari absque conuersione ad Intelligentias; nam cùm æquè omnes species intelligibiles, quas plurimas habet intellectus, sint applicatæ intellectui, vt sic conseruantur præcisè, non esset potior ratio cur determinaretur intellectus per has potiùs, quàm per illas: vnde videretur necessariò recurrendum ad Intelligentiam aliquam, quæ determinaret intellectum.

6.

Cur absurdũ sit intellectũ non conseruare species.

Si verò quæratur quænam sint absurda, propter quæ hæc sententia hoc modo explicata, non sit ascribenda tali Philosopho. Respondeo, præter rationes Scoti, de quibus postea. In primis absurdum esse quòd sensus materialis haberet thesauros suos ad conseruationem suarum specierum, intellectus verò non haberet similiter suos. Secundò eadem prorsus ratio, quæ, secundùm ipsum, impedit conseruationem specierum intelligibilium, impedit etiam conseruationem specierum sensitiuarum internarum: ergo absurdè assereret has conseruari, illas non. Probatur antecedens, quia ideò, secundùm ipsum, non conseruantur species intelligibiles, quia aliàs intellectus per eas semper intelligeret, quandoquidem essent semper applicatæ: sed non potiùs deberent esse semper applicatæ quàm species sensitiuæ internæ potentiæ cognoscitiuæ internæ; nam organum illud conseruatiuum specierum sensitiuarum, siue sit ipsamet potentia sensitiua, siue aliquid distinctum ab ipsa, est semper eodem modo applicatum potentiæ sensitiuæ secundùm se: ergo & species in ipso conseruatæ sunt semper eodem modo applicatæ realiter. Et si dicatur non esse tamen eas eodem modo sensibiliter applicatas; similiter posset dici quòd species intelligibiles, licèt essent semper eodem modo realiter applicatæ, non tamen essent eodem modo intelligibiliter applicatæ. Tertiò, quando intellectus primò intelligit aliquod cognitum à sensu, vel illud intelligit per speciem intelligibilem abstractam à sensu, vel sine tali specie; non sine specie, propter dicta *in parte principali huius quæstionis sexta*; & quia aliàs nec esset pro specie recurrendum ad Intelligentiam, contra ipsum Auicennam; ergo per speciem intelligit. Tunc sic: vel illa species est generata sine cooperatione particulari aliqua Intelligentiæ, vel non est; si primum, ergo nunquam ad eam habendam, aut similem, est recurrendum ad Intelligentiam: qua enim ratione semel est producta absque cooperatione Intelligentiæ, ita semper produci posset; præsertim cùm semper quoties habetur, potentiæ sensitiuæ operentur. Si secundum dicatur, hoc est, quòd illa species nunquam sit generata absque cooperatione Intelligentiæ; præterquam quòd hoc gratissimè, & absque fundamento diceretur; cùm sufficeret intellectus agens, & obiectum perceptum à potentia sensitiua interna ad eius productionem: præter hoc, inquam, adhuc contra est, quòd eadem ratione productio specierum sensitiuarum deberet aliqualiter ascribi Intelligentiæ alicui; eadem enim est ratio, siue à priori, siue à posteriori, de vtrisque.

Prima species intelligibilis producitur absque cooperatione Intelligentia.

7.

Conuersio ad Intelligentiã pro speciebus est absurda.

Præterea, illa conuersio ad Intelligentiam, est contra experientiam & sine ratione; & propterea absurdè asseritur. Rursus, aut intellectus necessariò seipso conuertitur, & sic semper necessariò conuerteretur; aut conuertitur cùm vult voluntas, & sic posset dici quòd conuerteretur ad ipsas species conseruatas, & quòd non intelligeret, nisi ad quas vellet voluntas ipsum conuertere; aut determinaretur à phantasmatibus ad illam conuersionem, ita vt non conuerteretur ad Intelligentiam pro aliquibus speciebus, nisi iuxta determinationem phantasmatum: & ratio quare has potiùs species quàm illas reciperet ab Intelligentia esset, quia sic exigerent phantasmata: sed similiter etiam posset determinari ad vnas species præ aliis, quamuis species conseruarentur; ergo absurdè negantur species, & recurritur ad conuersionem intellectus ad Intelligentias. Confirmatur, quia vel Intelligentia liberè producit species, vel necessariò; si liberè, ergo non est ponendus habitus, vt intellectus ad illam conuertatur; quia quamuis conuerteretur, illa posset non producere; & quamuis non conuerteretur, posset producere: si naturaliter, ergo semper deberet producere species omnes, quas posset, & sic intellectus tam deberet semper necessariò intelligere, quàm si haberet species conseruatas. Vlteriùs non potest intelligi, in quo consistat ista conuersio intellectus ad Intelligentiam: ergo absurdè asseritur. Deniquè falsum est fundamentum eius principale, nimirum quòd sequeretur ex conseruatione specierum conseruatio intellectionum, vt postea videbimus.

SCHOLIVM.

Contra opinionem negantem conseruari species, non manente actu intellectus, arguit quadrupliciter. Primò, quia intellectus ante actum, est in potentia accidentali, & essentiali. Secundò, principium agendi non necessariò habet actionem. Tertiò, priùs naturaliter, potest esse sine posteriore, si non habet necessitatem ad illud, vt subiectum ad passionem. Quartò, est perfectionis in sensu communi seruare species. Quintam rationem, quæ est D. Thom. reijcit Scotus.

CONtra illam [a] opinionem, quæ diceret, quòd non manent species, sicut imponitur Auicennæ, arguo sic; intellectus habens habitum scientiæ, & non considerans actu, est in potentia accidentali *ex secundo de Anima:* sed supposita hypothesi, non considerans actu, est in potentia essentiali respectu illius, & vocatur potentia essentialis quando ad hoc, quòd exeat in actum, necessariò præexigitur, quòd acquirat aliquam formam, per quam exeat in actum. 26. *Text. 15. & 55.* *Quid potētia essentialis?*

Secundò sic; nihil præcedens actionem magis requirit actionem coëxistentem, quàm principium illius actionis, ex quo est prius actione, sicut & principium agendi: sed principium agendi, non necessariò requirit coëxistentiam actionis: quia omnia principia naturalium possunt impediri ab actionibus suis, vt propter indispositionem subiecti, instrumenti, vel organi: & tamen stabunt principia: ergo cùm species sit naturaliter prior actione intelligendi, vt patet ex prædictis, non coëxigit existentiam actionis: & sic transeunte, vel non existente actu intellectionis, manebit species intelligibilis.

Tertiò sic, prius natura potest esse sine posteriori, nisi in priori sit necessitas respectu posterioris, vt est in subiecto respectu proprij accidentis: sed species est prior actu intelligendi, & non facit necessitatem respectu actus intelligendi: tum, quia intellectio est voluntaria per participationem, quia intelligimus, cùm volumus, *tertio de Anima:* tum, quia non obstante, quòd intellectus habeat speciem intelligibilem, potest impediri ab actione, sicut dictum est: ergo, &c. *Text 60.* *Prius potest esse sine posteriori.*

Quartò sic; quod est perfectionis in inferiori, est eminentius in superiori eiusdem rationis, & generis: sed transeunte actu imaginationis, siue sensitiuæ partis, retinere species est perfectionis: ergo eminentius hoc erit in parte intellectiua. est enim intellectiua eiusdem generis cum sensitiua pro tanto, quia cognitiua, sicut sensitiua eminentior tamen. Minor probatur, nam in quolibet perfectionis est quantò minùs indiget aliquo extrinseco in sua operatione; sed cæteris paribus, retinendo species sensus minùs indiget extrinsecis in operatione sua: ergo hoc est perfectionis in eo. *Perfectiori dandum est, quod minus perfecto datur.*

Probatur etiam ex alio, quia omne illud, quod arguit independentiam, est perfectionis: sed habere speciem, & non intueri, vel actu intelligere, arguit, quòd intellectus non dependet ab actu intelligendi: ergo, &c

Aliqui adducunt vnam [b] rationem ad propositum, quæ magis congruentia est, quàm ratio, & est talis: vniuscuiusque permanentia attenditur penes nobilitatem, vel ex parte nobilitatis illius, quod recipit, siue recipientis. Nam *omne, quod recipitur, recipitur per modum rei recipientis,* non per modum rei receptæ. Cùm igitur species sit res nobilis, & recipiatur in intellectu, qui est incorruptibilis: ergo ipsa manebit actu non manente. *D. Thom. vbi infrà. Boëtius Themistius ad 3. de Anima, comm. 5.*

Respondeo, non valet. Nam actus est res nobilior, quàm species, & recipitur in intellectu: ergo in intellectu seipso non manente, non sequitur.

COMMENTARIVS.

7. SVPPLEM. PONCII. *Probatur primò, conseruari species intelligibiles. Quid sit esse in potentia accidentali ad intellectionem. Quid sit esse in potentia essentiali.*

a COntra illam opinionem, &c. Impugnat hîc Doctor sententiam negantem conseruari species, cuiuscunque authoris sit. Primò, quia habens habitum scientiæ, seu facilitatem ad cognoscendum aliquid, est in potentia accidentali, quando actu non cognoscit secundùm Philosophum 8. *Physic. text.* 32. hoc est in tali potentia, vt non indigeat aliquo comprincipio intrinseco essentialiter ad cognitionem requisito; & non habens habitum scientiæ, nec considerans actum est in potentia essentiali, id est, indigens aliquo principio intrinseco essentialiter requisito, secundùm eundem Philosophum: sed si non conseruarentur species intelligibiles habens habitum scientiæ, & non sciens actu, adhuc esset in potentia essentiali, quia indigeret specie intelligibili, quæ est principium intrinsecum essentialiter requisitum ad cognitionem, seu scientiam: ergo conseruantur istæ species.

Hic est verus sensus huius primæ rationis; & est satis vrgens contra omnes, qui admitterent authoritatem Aristotelis, cuius etiam verba 3. *de Anima text.* 8. idem significant, vt benè *ibidem* explicat D. Thomas, qui etiam eadem verba 1. *part. quæst.* 79. *art.* 6. pro conseruatione specierum adducit contra eundem Auicennam. Sed si quis negaret authoritatem Aristotelis; in hac ratione peteretur principium; nam intellectum habentem habitum scientiæ esse in potentia accidentali tantùm, & non in essentiali, intelligendo per

per *eſſe in potentia eſſentiali* eſſe ſine indigentia principij eſſentialiter ad actum requiſiti, eſt illud ipſum quod quæritur, aut ſaltem non minùs ignotum eſt, intellectum habere, vel non habere ſpeciem intelligibilem, cùm non intelligit, quàm eum eſſe tum in potentia eſſentiali, aut accidentali tantùm. Vnde hæc prima ratio eſt totaliter dependens ab authoritate.

9.

Species intelligibilis non habet neceſſariam connexionē cum intellectione.

Secundò impugnat, quia non habet ſpecies intelligibilis tam neceſſariam connexionem cum intellectione actuali, quin poſſit abſque illa exiſtere: ergo non eſt dicendum, quòd deſinente intellectione deſinat, & conſequenter admittendum eſt eam manere conſeruatam, ſaltem aliquamdiu. Probatur antecedens, quia ſpecies eſt prior intellectione, cùm ſit cauſa eius, aut conditio ſine qua non produceretur, prærequiſita neceſſariò ad eius productionem ſecundùm omnes: ergo non habet tam neceſſariam connexionem cum illa. Probatur conſequentia, quia nihil prius aliqua actione, aut effectu, habet maiorem connexionem cum ipſo, quàm quod habet rationem principij productiui eius; ſed quod habet rationem principij productiui non habet neceſſariam connexionem cum actione, aut effectu, quia omnis cauſa, & omne principium naturaliter agens poteſt impediri ab actione ſua: ergo nec ſpecies cum intellectione, qua eſt prior.

Proponuntur difficultates contra ſecundam impugnationem Scoti.

Secunda difficultas.

Hic diſcurſus, vt iacet, patitur aliquas difficultates: nam primò æquè videtur probare quòd poſſet conſeruari ſpecies impreſſa ſenſibilis ſenſus externi abſque ſenſatione in organo non impedito, quod omnes negant. Secundò tantùm probat quòd non oritur ex natura intellectionis, aut ſpeciei vt ad ſe comparantur, quin ſpecies, quæ prior eſt, poſſit conſeruari abſque intellectione; ſed cum hoc poſſet optimè ſtare quòd aliunde haberent neceſſariam connexionem per ordinem, ſcilicet ad aliquod extrinſecum, nempe ad cauſam productiuam ſpeciei, quæ cauſa non eſſet nata ipſam cauſare, niſi pro inſtanti, aut tempore quo intellectus per eam determinaretur ad producendam intellectionem; ita vt quodcunque impedimentum eſſet, quo minùs intellectus poſita ſpecie poſſet intelligere, illud ipſum eſſet impedimentum quo minùs ſpecies poſſet conſeruari in intellectu, non ob neceſſariam connexionem ſpeciei cum intellectione, ſed ob naturam ipſiuſmet cauſæ, quæ ex ſe non haberet virtutem producendi, aut conſeruandi ſpeciem quando poneretur, tale impedimentum, quæ natura colligeretur à poſteriori experientia.

Tertia difficultas.

Ignis, dum exiſtit, naturaliter conſeruat neceſſariò aliquid caloris.

Tertiò ſunt aliqua principia agendi, quæ impediri non poſſunt naturaliter ab aliqua ſua actione, vt virtus quam habet ignis ad producendum in ſe calorem, eúmque quoad aliquem gradum conſeruandum: ergo ſimiliter poſſet dici, non obſtante hoc diſcurſu, quòd ſpecies haberet talem vim productiuam intellectionis ſimul cum intellectu, vt non poſſet naturaliter impediri.

Quarta difficultas.

Quartò licèt principia naturalia actionis poſſint impediri naturaliter, non tamen quando debitè applicantur: ſed Auicenna intendit ſpeciem, & intellectum, eſſe ſufficienter applicata ad cauſandum intellectionem, quando ſpecies producitur in intellectu, aut conſeruatur: ergo niſi oſtendatur ita non eſſe, poſſet dici ſpeciem non conſeruari, niſi quando conſeruatur intellectio.

10.

Defenditur diſcurſus Scoti.

Non obſtantibus tamen his, diſcurſus Scoti eſt bonus, ſi benè intelligatur, quod vt fiat, aduertendum eſt ſupponi à Scoto, ſi ſpecies non poſſet naturaliter conſeruari abſque intellectione, hoc prouenturum aut ex intrinſeca ratione ipſius ſpeciei & intellectionis, quatenus ad ſe comparantur; aut ex aliqua cauſa extrinſeca, ſicut ſiccitas & calor connectuntur neceſſariò in igne, ex eo ſcilicet quòd cauſa productiua vtriuſque ſit ex natura ſua determinata ad producendum vtrumque.

Inter intellectionē & ſpeciem intelligibilem non eſt neceſſaria connexio.

Supponit præterea non eſſe neceſſariam connexionem inter illa ex natura vllius extrinſeci; quia ex natura extrinſeci non poteſt eſſe neceſſaria connexio inter aliqua duo, niſi quatenus illud extrinſecum eſt natum cauſare vtrumque, & æquè ſemper ad vtriuſque productionem determinatum; ſed nullum extrinſecum eſt determinatum ad cauſandum intellectionem, niſi mediante ipſamet ſpecie, vt ſupponitur etiam ab iis, qui negant conſeruari ſpecies: ergo ſi non eſt neceſſaria connexio inter ſpeciem & intellectionem ex natura intrinſeca vtriuſque, non erit neceſſaria connexio inter illa ex natura vllius extrinſeci.

His autem ſuppoſitis, probat non eſſe ex natura intrinſeca connexionem, & conſequenter nullo modo; quia inter aliqua duo realiter diſtincta, quorum vnum eſt prius, & alterum poſterius, vt ſe habent ſpecies & intellectio, non poteſt eſſe connexio neceſſaria ex natura intrinſeca, niſi quatenus illud prius eſſet determinatum ad productionem poſterioris, aut ipſa productio ipſius, aut conditio applicans principium productiuum eius ad eius productionem, vt patet; ſed ſpecies non eſt productio intellectionis ſecundùm omnes, nec conditio applicans principium productiuum; ſed potiùs eſt comprincipium productiuum intellectionis; ergo eatenus ex natura ſua haberet eandem connexionem cum intellectione, quatenus eſſet ex ſe determinatum ad eius productionem; ſed non eſt ſic determinatum: ergo non habet neceſſariam connexionem ex natura ſua intrinſeca cum intellectione. Probatur ſubſumptum à Scoto, quia nullum eſt principium naturale tam determinatum ad agendum in aliquod extrinſecum diſtinctum realiter à ſe, quin poſſit impediri naturaliter à ſua actione ex aliquo capite, vt patet inductione in omnibus aliis cauſis: ergo cùm intellectio producatur in aliquo diſtincto realiter à ſpecie, non poterit ſpecies eſſe ſic determinata ad eius productionē, quin poſſit ab eius productione impediri. Dixi in antecedenti, *in aliquod diſtinctum realiter,* vt excludam inſtantiam illam, quæ poſſet fieri de ſubiecto reſpectu propriæ paſſionis phyſicæ, vt, verbi gratiâ, de igne reſpectu caloris, ſine quo fortaſſis naturaliter conſeruari non poſſet.

Omne principiū actiuum in paſſum realiter diſtinctum poteſt impediri naturaliter ab actione.

His animaduerſis facilè patet ad difficultates præmiſſas. Ad primam enim dico diſcurſum Scoti æquè benè probare ſpeciem impreſſam externam poſſe conſeruari naturaliter abſque ſenſatione, non quidem in omni caſu, & hypotheſi, ſed in aliquo caſu: imò per illud exemplum confirmari poteſt doctrina præmiſſa; quia certū eſt experientiâ, conſeruari ſpeciem impreſſam externam abſque ſenſatione, vt quando quis apertis oculis dormit, tum enim producitur & conſeruatur ſpecies impreſſa in oculo ſine viſione: ergo ſimiliter poſſet in aliquo caſu naturaliter cōtingere quòd produceretur ſpecies impreſſa intelligibilis in intellectu, abſque intellectione, quia nō eſt vnde habeat maiorem connexionem ſpecies impreſſa intelligibilis cum intellectione, quàm viſibilis cum viſione. 11.

Reſpondetur primæ difficultati.

Species externa poteſt conſeruari abſque actione vitali externa.

Ad

Respondetur secundæ difficultati.

Ad secundam difficultatem respondeo, concedendo totum; sed supposuit Scotus, & suprà iam probatum est, non posse esse necessariam connexionem inter speciem & intellectionem ex alio capite, quàm ex natura intrinseca sua; dicere autem quòd causa productiua speciei esset ex natura sua determinata ad producendum & conseruandum speciem, solummodo pro tempore, quo species esset nata determinare intellectum ad intellectionem, esset chimæricum, & non solùm non esset innixum experientiæ, sed potiùs contra omnem experientiam, quandoquidem constet alias species impressas tam internas quàm externas, produci à suis causis quandoque cùm non possint produci actus, ad quos dantur; ergo potiùs consentaneum experientiæ erit ita dicere de specie impressa intelligibili, quàm oppositum.

Respondetur tertiæ difficultati.

Ad tertiam respondeo, iuxta paulò antè dicta, licèt aliqua sint principia, quæ impediri non possint ab actione, qua in se aliquid producunt, non tamen esse aliqua, quæ non possunt impediri naturaliter ab actione in aliquod extrinsecum distinctum realiter.

Respondetur quartæ difficultati.

Ad quartam denique dico, nulla principia naturalia actionis debitè applicata subiecto apto, posse impediri naturaliter ab actione, nec id intendere Scotum. Et licèt Auicenna contenderet speciem productam in intellectu, esse causam sufficienter applicatam, vt simul cum intellectu produceret intellectionem; & intellectum esse sufficienter dispositum ad intellectionem recipiendam; tamen id falsum esse patet ex iam dictis; quia non potiùs est sic sufficienter applicata, quàm species visibilis producta in oculo ad producendam visionem: sed species visibilis non eo ipso sufficienter applicatur vt simul cum oculo producat visionem, quod producatur in oculo, vt patet experientia: ergo idẽ dicendũ de specie intelligibili.

12. *Tertia impugnatio Doctoris.*

Impugnat tertiò prædictam sententiam: quia omne prius potest esse sine posteriori, nisi possit assignari ratio necessariæ connexionis, qualis est inter subiectum & accidens suum connaturaliter conseruatiuum, quod est proprietas Physica eius: sed species est prior intellectione, & non potest ostendi ratio necessariæ connexionis eius cum intellectione: ergo conseruari potest naturaliter sine illa. Probatur minor, quoad secundam partem, tum, propter dicta ratione præcedenti, tum, quia intellectio liberè producitur: ergo quamuis haberemus speciem, non necessariò produceretur intellectio, & consequenter non potest assignari ratio necessariæ connexionis speciei cum intellectione: quia si essent necessariò connexæ, maximè quia intellectio deberet necessariò produci quando adesset species. Tota difficultas huius rationis consistit in probanda libertate intellectionis quoad suum *produci*: quòd autem ita sit libera, seu quòd liberè producatur, probat Scotus tantùm authoritate Philosophi. Sed potest tamen vlteriùs probari experienta, quia constat voluntatem posse auertere illum ab vna consideratione ad aliam; & hinc aliquæ considerationes quandoque sunt peccaminosæ, quando scilicet voluntariè conseruantur. Posset responderi quidem iuxta doctrinam Auicennæ, quòd vt intellectiones essent liberæ, ita etiam & species; sed id gratis diceretur, nisi aliunde ostenderetur ratio necessaria connexionis speciei cum intellectione.

Non potest assignari ratio necessaria cõnexionis speciei intelligibilis & intellectionis.

13. *Quarta impugnatio.*

Impugnat quartò eandem sententiam; & meo iudicio maximè efficaciter; quia sensus internus materialis habet species conseruatas, quando actu non sentit per illas: ergo idem dicendum est de intellectu. Probatur consequentia, primò, quia non potest assignari disparitas: secundò, quia quodcunque principium sufficit ad colligendum quòd conseruentur species sensitiuæ internæ: sufficit etiam ad colligendam conseruationem specierum intelligibilium: tertiò denique, quia, vt benè Doctor, quod est perfectionis in inferiori eiusdem rationis & generis, debet conuenire superiori: intellectus autem & sensus internus sunt eiusdem generis potentiæ cognitiuæ, vt sic, vt patet, & ex illis intellectus sine dubio est perfectior: ergo quæ perfectio conuenit sensui interno, debet etiam conuenire intellectui: sed perfectionis est in potentia sensitiua interna habere species conseruatas etiam cùm actu non vtitur iis: ergo debet talis perfectio concedi intellectui, præsertim cùm nullam aliam imperfectionem argueret in ipsa. Probatur subsumptum, quia per hoc fit vt minùs dependeat ab obiecto & extrinsecis quibuscunque, quandoquidem non dependeat ab illis nisi in sola productione prima speciei: sed quo minùs aliquid dependet, cæteris paribus, eo magis est perfectum.

Eadẽ est ratio de conseruatione specierũ intelligibiliũ & sensitiuarum.

Quod est perfectionis in inferiori debet attribui superiori si nihil impedit.

Confirmat hoc Doctor, quia statuendo quòd intellectus possit habere speciem absque cognitione, saluaretur minor dependentia eius ab intellectione, quàm si id non statueretur: ergo id argueret maiorem perfectionem in intellectu. His addi posset alia ratio, quòd anima separata recordetur rerum in corpore gestarum, tam quæ separatur in statu damnationis, quàm quæ separatur in statu salutis: ergo retinet species in corpore acceptas, & consequenter intellectus habet vim conseruatiuam earum. Dices, species ipsi tum infundi à Deo. Contrà, quia non debemus recurrere absque necessitate ad talem infusionem quoties possumus in natura assignare causam sufficientem istarum specierum.

b *Aliqui adducunt vnam rationem*, &c. Ad hæc addit Doctor rationem, quam pro conseruatione specierum contra Auicennam addit S. Thomas 1. *part. quæst.* 79. *art.* 6. & ex eo cursus Complutensis *de Anima, disp.* 19. *quæst.* 1. §. 1. *num.* 3. Ratio autem est hæc, quod recipitur in aliquo, recipitur in eo secundùm modum recipientis; intellectus autem est magis stabilis naturæ, quàm memoria corporalis; si ergo materia corporalis formas, quas recipit, non solùm tenet, dum per eas agit, sed etiam postquam agere cessauerit; multò fortiùs intellectus immobiliter & infallibiliter recipit species intelligibiles, siue à sensibilibus acceptas, siue etiam ab aliquo superiori intellectu effluxas. Hæc sunt propria verba D. Thomæ. 14.

Ratio S. Thomæ.

Verùm, vt benè Doctor, non admodum vrget hæc ratio, seu congruentia; quia ipsa intellectio recipitur in intellectu, & tamen non recipitur in ipso tam stabiliter & immobiliter, quàm multæ formæ corporales recipiuntur in materia corporali: ergo ex eo quòd species intelligibiles recipiantur in intellectu, non sequitur quòd stabiliter & inamissibiliter in eo conseruenter, nec quòd stabiliùs etiam quàm formæ corporales recipiuntur, & conseruantur in materia corporali.

Reijcitur.

Deinde non video in quo fundetur, quod dicit S. Doctor, intellectum scilicet esse stabilioris naturæ, quàm materiam corporalem, nam materia corporalis prima est secundùm suam entitatem omnino tam stabilis, quàm intellectus, vtpote tam in

Materia corporalis est tam stabilis natura quam intellectus.

ingenerabilis & incorruptibilis formaliter, & nullo modo indestruibilis, aut producibilis, nisi à solo Deo, nec ad eam datur vlla dispositio præuia, necessitans ad ipsam connaturaliter, sicut datur ad animam rationalem. Quod si loqui dicatur D. Thomas de stabilitate materiæ corporalis, non quoad *esse* suum proprium, sed quoad conseruationem formæ, certum est materiam corporalem cœlestem tam stabiliter tenere formam substantialem cœlestem, quàm intellectus conseruat vllas formas accidentales sibi. Et præterea non potest sic explicari; quia aliàs in maiori peteret principium; nam intellectum esse sic stabiliorem est illud ipsum, quod erat probandum.

Itaque existimo illud principium; *omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur*, non rectè applicatum à S. Thoma ad propositum, idque conuinci instantia Doctoris de intellectione & instantiis aliis de formis corporalibus substantialibus, quæ non recipiuntur in materia per modum recipientis, quantùm ad stabilitatem, seu firmitatem in conseruatione sua. Nec sanè debet receptum habere omnem modum recipientis: vnde ex eo præcisè quòd recipiens haberet aliquem modum, non colligitur receptum habere talem modum, substantia enim recipiens accidens habet modum perseitatis, & accidens in eo receptum non habet talem modum: sensus ergo istius axiomatis est, quòd receptum debet recipi ad modum recipientis, id est, iuxta quod possit recipi à recipiente, ita scilicet vt non habeat aliquem modum, quo posito non possit à recipiente recipi: verbi gratiâ, res corporalis habens partes, extra partes, non potest recipi in substantia spiritali, quæ non habet tales partes; quia id ex terminis repugnat; vnde debet quod recipitur in substantia spiritali habere modum indiuisibilitatis, quantùm ad non habendum partes extra partes, quia aliàs non esset proportionatum receptibile, ad substantiam spiritualem.

Quomodo receptum debet habere modũ recipientis.

SCHOLIVM.

Resoluit conseruari speciem intelligibilem, adducens pro eodem authoritatem Philosophi. Quærit occasionaliter quid opus est conuerti ad phantasmata si manent species, & impugnata responsione D. Thom. respondet, propter duo talem conuersionem fieri. Primum, quia quod intelligimus in vniuersali, phantasiamur in singulari Secundum, quia intellectus possibilis vt ad proprium actiuum, ad phantasma, à quo simul & ab intellectu agente, recipit speciem intelligibilem, & soluit rationes pro Auicenna positas num. 24.

27. AD quæstionem [a] igitur dicendum, quòd manent species in memoria, actu intelligendi non manente. Cuius ratio est, quia vt habetur tertio de Anima, *intellectus inquantum intellectus, potest esse sapiens de se*; sed de se nullo modo esset sapiens de aliquo subiecto, nisi inquantum esset sibi præsens in ratione cognoscibilis: sed hoc non contingit nisi per speciem intelligibilem: ergo.

Vide text. 18. & 37. & 38. & alibi sæpè.

Sed tunc [b] restat vna difficultas, cùm ex quo habet speciem, in qua relucet obiectum, quare in actu intelligendi oportet intellectum conuerti ad phantasmata, & quòd oporteat conuerti dicit Philosophus 3. *de Anima*, dicit enim quòd quidquid intelligimus, necesse est simul phantasmata speculari. Hoc etiam ostenditur experientia, aliàs læso organo phantasiæ posset esse intellectus in actu recto intelligendi, ex quo species habuisset, cuius contrarium videmus.

Quare conuertimur ad phantasmata? Text. 12. 30. & 39.

Ad hoc respondent quidam, quòd pro tanto oportet fieri conuersionem ad phantasmata, quia proprium obiectum intellectus coniuncti est quiditas rei materialis, quæ non est nisi in hoc singulari, vel in illo: ideò non cognoscitur perfectè, nisi existens in hoc vel in particulari, vel singulari. Singularium autem est phantasma: & ideò oportet, quòd ad hoc, quòd intellectus intelligat obiectum suum, quòd conuertat se ad phantasma, vt speculetur naturam vniuersalem existentem in particulari.

D. Th. vbi supr. q. 3.

28. Sed hæc responsio nulla est, quia aut cognouit primò singulare, vel vniuersale. Non singulare, quia tantùm cognouit singulare per reflexionem, secundùm eos. Si vniuersale, tunc arguo sic: nunquam secundùm totam suam indifferentiam, potest vniuersale cognosci in inferiori, nec tanquam in obiecto, nec tanquam in repræsentatiuo.

Præterea, dato quòd verum esset, quòd quiditas rei materialis esset proprium obiectum intellectus coniuncti, quod tamen falsum est, vt suprà est ostensum: tamen ratio sua non est vera: nam secundùm suam rationem Angelus, cùm cognoscat perfectè quiditatem rei materialis, oportet quòd ipsam aspiciat in phantasmate, quod est falsum.

Dist. præsẽti q. 3. & 4.

Præterea, species Angeli siue quiditas Angelica, non minùs existit in supposito suæ speciei, quàm quiditas rei materialis in indiuiduo eius, si ergo Angelus non abstrahit, nullo modo intelligit quiditatem suæ speciei, sub ratione vniuersalis.

Licèt ergo quiditas non existat nisi in supposito, vel singulari: potest tamen intelligi ab intellectu, non intelligendo, quòd existat in eo: & sic falsum est quod assumit, scilicet, quòd non possit intelligi quiditas, nisi vt existens in singulari intelligatur. Non enim est de ratione quiditatis, vt quiditas est, quòd in singulari existat, licèt non nisi in eo existat realiter.

Ideo

Ideò dicendum [e], quòd duplex eſt neceſſitas conuerſionis intellectus ad phantaſma. Vna eſt conformitas actionum potentiæ intellectiuæ, & phantaſiæ; quia quicquid intelligimus in vniuerſali, illud idem phantaſiamur in ſuo ſingulari, & ſimul neceſſariò. Ex quo accidit, quòd impedita operatione phantaſiæ impeditur intellectus: ſicut ſimul operatio ſenſus communis, & particularis, & impedita operatione ſenſus particularis, impeditur operatio ſenſus communis.

Duplex neceſſitas conuertendi ad phantaſmata. Vide D Th. 1.p. q. 89. art. 1. & alibi.

Quoad cauſam ſecundam, vel neceſſitatem, eſt intelligendum, quòd ſpecies intelligibilis abſtrahitur à phantaſmate, vt actu per ipſum phantaſiatur obiectum particulare phantaſia. Antequam igitur intellectus habeat ſpeciem, neceſſariò oportet ipſum conuerti ad phantaſmata, ſicut proprium paſſiuum conuertitur ad ſuum proprium actiuum, à quo ſimul, & ab intellectu agente recipit ſpeciem intelligibilem, & ſi eam habet, recipit intenſionem actus, quia clariùs videt obiectum. Stante enim voluntate ad hoc, & phantaſiâ non fatigatâ, quantò ipſa eſt magis in actu ordinato, intellectus intenſiùs videt obiectum ſuum proprium.

Impeditâ phantaſiâ, impeditur intellectus.

Sed dices, ſi actus eſt intenſior, quantò plus phantaſia eſt in actu: ergo videtur quòd non habeat terminum: cuius falſitas patet in patria. 29.

Inſtantia.

Dicendum, quòd generaliter in his, quæ ſuſcipiunt magis, & minùs, ſicut in habitibus, non quilibet actus auget habitum, vel ſaltem ille actus, qui non virtualiter continet ipſum generatum, vnde aquam calidam, non facit calidiorem modicus ignis, vel modicus calor, puta tepidus, ſed calor intenſior, puta, calor, qui virtute eſt talis. Si autem formæ tales habent terminum, non amplius illi actus intendunt habitum: ita eſt in propoſito.

Quis actus auget habitum?

Ad argumentum primum dicendum, quòd ſunt ibi plures ſimul. Ad probationem dicendum, quòd ſecundùm Philoſophum 4 *Metaph.* & Commentatorem, ea, quæ oppoſitionem habent in re, non habent oppoſitionem in mente. Nam ſpecies contrariorum ſimul ſunt in anima: cùm tamen contraria ſimul eſſe non poſſint in eodem ſubiecto: poſſunt tamen aliqualiter eſſe idem in eſſe cognito: nam vnum eſt ratio cognoſcendi alterum, ſicut rectum eſt iudex ſui, & obliqui 1. *de Anima.*

Ad arg. 1. quæſt. Text. 23. Oppoſita in re non opponuntur in mente. Text 85.

Ad ſecundum dicitur, quòd illa ſpecies dicitur, & eſt habitus, non tamen eiuſdem rationis cum illo, qui per actus acquiritur. Nam ex actibus, non acquiritur niſi habilitas ad actus conſimiles: nunquam tamen per illam habilitatem fit obiectum in intellectu præſens: per habitum autem, qui eſt ſpecies, fit præſens.

Ad 2.

COMMENTARIVS.

15. *SVPPLEM. PONCII. Cõcluſio Doctoris. Quid eſt intellectum poſſe eſſe de ſe ſapientem.*

a AD *quæſtionem igitur dicendum*, &c. Concludit Doctor conſeruari ſpecies intelligibiles in intellectu, etiam quando actu non intelligit. Ad quod probandum, præter præmiſſas rationes adiungit aliam innixam authoritati Philoſophi; nimirum quòd intellectus poſſit eſſe de ſe ſapiens aliquando, hoc eſt, quòd poſſit ex ſe & iis quæ ſunt intrinſeca ipſi, cognoſcere aliqua obiecta, ita vt non indigeat recurrere ad aliqua principia Phyſica iſtius cognitionis, ab extrinſeco mutuanda: ſed ſi non haberet ſpecies intelligibiles conſeruatas, nunquam poſſet eſſe ſic ſapiens de vllo obiecto, quia nullum poteſt intelligere ſine ſpeciebus, aut obiecto concurrente immediatè ad cognitionem: ergo dicendum eſt, quòd habeat ſpecies intelligibiles aliquando conſeruatas.

Tota difficultas huius probationis conſiſtit in hoc, an intelligatur illud eſſe de ſe ſapiens, vt iam explicatum eſt, eo enim dato, & admiſſa authoritate Philoſophi, ſequitur intentum clariſſimè: quòd autem ita illud intelligendum ſit, videtur ex mente Commentatoris in textum 18. lib. 3. de Anima.

16. *Obiectio.*

b *Sed tunc reſtat vna difficultas*, &c. Proponit hîc vnam difficultatem grauiſſimam contra reſolutionem ſuam, & communem, de conſeruatione ſpecierum; quia ſi intellectus haberet ſpecies conſeruatas, non eſſet neceſſe vt conuerteretur ad phantaſmata, quoties intelligeret: ſed id eſt neceſſe, vt patet tum authoritate Philoſophi 3. *de Anima text.* 12. tum experientia, quia læſo, aut impedito organo phantaſiæ, non intelligimus rectè, vt patet in phreneticis, dormientibus, & infirmis: ergo non habet ſpecies conſeruatas. Probatur ſequela, quia ideò recurreret, vt haberet ſpecies ab ipſis, ſeu iis mediantibus.

Intellectus neceſſariò ſemper conuertitur ad phantaſmata.

Confirmari poteſt, quia ſenſus internus, ex eo quòd habet ſpecies conſeruatas, poteſt ſentire obiecta ſua ſine conuerſione ad ſenſus externos, à quibus recipit ſpecies, iiſque non ſolùm læſis, ſed omnino deperditis: ergo ſimiliter intellectus ſi haberet ſpecies conſeruatas, poſſet intelligere abſque conuerſione ad phantaſmata, à quibus recipit ſpecies, læſáque, ac deſtructâ etiam phantaſiâ.

Confirmatur ſecundò, quia ſenſus externus non ponitur habere vim conſeruatiuam ex ſe ſpeciei, quia nunquam poteſt vti ſpecie, quin actu conuertatur ad ipſum obiectum, aut quin ipſum obiectum ſit præſens taliter, vt poſſit cauſare ac conſeruare ſpeciem; ſed intellectus non poteſt vti ſpecie intelligibili, quin actu conuertatur ad phantaſmata, & quin phantaſmata ſint ſic applicata vt poſſint cauſare, ac conſeruare illam ſpeciem: ergo non eſt dicendum quòd intellectus habet ex ſe vim conſeruatiuam ſpeciei, niſi ſaltem quando actu intelligit.

Confirmatur tertiò, quia ſi intellectus haberet vim

vim conseruatiuam speciei nunquam posset perdere speciem; sed hoc videtur contra experientiam, quâ constat nos res antè cognitas ita obliuisci, vt nunquam possimus recordari quando postea occurrunt, nos antè cognouisse illas, quod non videtur posse esse verum, si remanerent semper species earum. Probatur sequela, quia si intellectus esset sufficiens causa conseruatiua speciei, quandoquidem ad hoc faciendum sit semper sufficienter applicatus, semper deberet eam conseruare: causa enim naturaliter agens applicata necessariò agit, nisi impediatur; sed non posset intellectus impediri per aliam causam vllam, cùm nulla causa possit impedire actionem, aut conseruationem alterius causæ, nisi producendo aliquid incompossibile cum effectu producto, aut conseruato per illam alteram causam; nullus autem effectus est incompatibilis cum specie intelligibili, vt patet: & consequenter intellectus nequit per vllam aliam causam impediri à conseruatione speciei intelligibilis semel producti.

17. *Responsio S. Thomæ.* Ad hanc obiectionem difficilem adfert Doctor primò responsionem D. Thomæ 1. *part. q.* 84. *art.* 7. qui asserit rationem conuersionis intellectus ad phantasiam, seu phantasmata, esse, quòd intellectus nostri coniuncti cum corpore obiectum proprium sit quiditas rei materialis sensibilis; de ratione autem huiusmodi quiditatis est quòd in aliquo indiuiduo existat, quod indiuiduum non est absque materia corporali, quare non potest talis quiditas completè, & verè cognosci, nisi vt in particulari existens; particulare autem cognoscimus per sensum, & imaginationem: vnde quamuis habeat intellectus species conseruatas, oportet ipsum conuerti ad phantasmata, & consequenter neganda est, iuxta hanc doctrinam, sequela maioris.

Hanc responsionem meritò sanè reiicit Doctor pluribus rationibus, quarum cùm faciat mentionem nullam Caietanus in commentario huius loci, solúmque ex Scoto adferat contra D. Thomam quod negârit quiditatem rei materialis esse obiectum adæquatum intellectus; magnam mihi coniecturam dat hanc quæstionem non esse partem scripti Oxoniensis; quo solo vtebatur Caietanus ex operibus Scoti, vt ab impugnationibus in eo contentis vendicaret sanctum Thomam.

18. *Reijcitur primò.* Prima replica Doctoris contra responsionem D. Thomæ est, quòd sequeretur intellectum non intelligere quiditatem rei materialis dum primò intelligit ipsam, quod implicat. Probatur sequela, quia in prima intellectione non intelligit ipsū vt singulare, ex sententia D. Thomæ, in qua intellectus non intelligit singulare, nisi per reflexionem; reflexio autem nequit esse in prima intellectione; sed nec intelligit ipsum vt vniuersale, aut vt abstractum negatiuè, aut præcisiuè ab vniuersali, ac singulari, in eadem sententia, quia negat D. Thomas posse illam intelligi, nisi vt in singulari, & propterea in omni intellectione asserit necessariam esse conuersionem ad phantasmata.

Sic posset intelligi replica Scoti, sed magis ad verba intelligenda est aliter, hoc modo: si intellectus non posset perfectè cognoscere quiditatem rei materialis, nisi vt existentem in singulari, prout asserit D. Thomas, sequeretur quòd in prima intellectione non cognosceret ipsam perfectè, quia non cognosceret ipsam vt singulare propter rationem iam præmissam: ergo vt vniuersale, sed vt vniuersale non posset perfectè cognosci vt in singulari existens, nam vt vniuersale non potest perfectè cognosci, nisi cognoscatur secundùm totam suam indifferentiam; vt sic autem nequit cognosci, quando cognoscitur vt existens in vno singulari, vt patet. *Vniuersale nō cognoscitur perfectè vt in singulari existens.* Quòd si dicatur quòd prima cognitio, non sit perfecta cognitio; quidquid sit de huius veritate, nō facit ad rem: quia sequitur in ordine ad talem cognitionem, saltem imperfectam; non esse necessariam semper conuersionem ad phantasmata, non obstante responsione S. Thomæ: vnde ex illa responsione non habetur adæquata ratio conuersionis ad phantasmata in omni cognitione intellectiua: quod & Caietanus ipse fatetur, admittens hanc rationem D. Thomæ non concludere vniuersaliter immediatè, sed immediatè de intellectione perfecta, & mediatè de imperfecta: quatenus scilicet si intellectio perfecta habet dependentiam à phantasmatibus, & imperfecta etiam à potiori talem debet habere. Verùm nec consequentia hæc etiam valet, quia perfectior cognitio potest indigere aliquo, quo non indigeret imperfectior, vt manifestum est: itaque nisi sit eadem ratio dependentiæ à phantasmate in vtraque cognitione perfecta & imperfecta, non sequitur, si perfecta dependet, imperfectam etiam dependere: non est autem eadem ratio, si sola ratio cur cognitio perfecta dependeat à phantasmate, sit, quam assignat D. Thomas.

Secunda replica Doctoris est, quòd, (admisso gratis supposito D. Thomæ, nempe quiditatem rei materialis esse obiectum adæquatum intellectus; quòd tamen *hac dist. quæst.* 3. improbatum est) adhuc falsum sit eam non posse perfectè cognosci, nisi phantasiando singulare, in quo existit, quia aliàs Angelus non posset perfectè cognoscere quiditatem rei materialis, nec anima separata, cùm non habeant phantasiam. 19. *Reijcitur secundò. Vniuersale potest perfectè cognosci sine cognitione phantastica singularis.*

Confirmatur hoc primò, quia supponendo quòd Angelus intelligeret materialia, sicut de facto intelligit, & quòd nihil aliud posset intelligere, saltem directè, tum obiectum adæquatum intellectus eius esset quiditas rei materialis; non secus ac est hominis: sed tamen hoc non obstante, & non obstante etiam quòd quiditas illa rei materialis non existat, nisi in singulari, intelligeret sine phantasmate; quia intellectio, quam haberet in tali casu, esset talis, qualis est intellectio, quam habet de facto: ergo ex hoc præcisè quòd quiditas rei materialis sit obiectum adæquatum intellectus humani coniuncti, & quòd non reperiatur nisi in aliquo singulari sensibili, non sequitur quin possit homo intelligere illam quiditatem absque phantasmatibus.

Confirmatur secundò, quando Angelus intelligit quiditatem rei materialis, vel intelligit simul singulare, in quo existit, vel non. Si non intelligit, ergo similiter potest intellectus coniunctus intelligere illam quiditatem, non intelligendo singulare, in quo existit: eadem enim est ratio quantùm ad hoc. Si intelligit, ergo similiter posset intellectus coniunctus intelligere vtrumque per speciem intelligibilem vnam, aut plures, & consequenter, si tales species possent conseruari absque phantasmate, posset intellectus per illam speciem intelligere vtrumque absque phantasmate.

Confir

Confirmatur tertiò, & simul probatur consequentia præcedens, quia si quiditas rei materialis posset infundere speciem, qua perfectè repræsentaretur sine singulari in quo existit, posset intellectus, non obstante dependentia ad phantasmata quantùm ad productionem speciei, intelligere illam quiditatem, vel non posset absque conuersione ad phantasmata, si posset; ergo si illa quiditas rei materialis infundat speciem, qua cognoscatur ipsa & singularitas, vtraque poterit absque conuersione ad phantasmata perfectè cognosci. Si non possit; ergo aliqua alia ratio est, ob quam non cognoscitur quiditas rei materialis sine conuersione ad phantasmata præter illam rationem de cognitione singularitatis simul cum illa.

20. *Reijcitur tertiò*

Angelus potest præscindere naturam Angelicam ab indiuidualitate.

Tertia replica est: quiditas rei materialis non magis necessariò est, aut cognoscitur in singulari materiali, quàm quiditas substantiæ immaterialis Angelicæ in supposito, seu singulari Angelico: sed Angelus non obstante inexistentia quiditatis immaterialis in singulari suo potest ipsam intelligere, sine eo quòd intelligat ipsam in suo indiuiduo, aliàs non posset abstrahere cognitionem eius, vt est vniuersalis, à suis singularibus: ergo intellectus humanus potest intelligere quiditatem rei materialis inexistentis in singulari materiali, sine eo quòd intelligat ipsam vt inexistentem singulari, & consequenter falsum supponit D. Thomas.

Itaque concludit Doctor benè, licèt quiditas non sit nisi in singulari, eam posse intelligi sine eo quòd vt sic existens intelligatur, & sic etiam dixerat *dist.* 1. *quæst.* 2. visionem intuitiuam essentiæ diuinæ existentis in tribus personis posse dari sine eo quòd videretur vt existens formaliter in tribus personis. Sic etiam licèt albedo sit in substantia aliqua existens, posse tamen videri, & intelligi sine eo, quòd vt sic existens formaliter intelligatur; & ratio est, quia quotiescunque est obiectum aliquod ex se sufficiens ad terminandum cognitionem: non debet asseri quòd nequeat videri sine aliquo alio obiecto, aut conditione, nisi ostendatur necessaria dependentia illius in ordine ad terminandam cognitionem ab illo alio obiecto, aut conditione, sine qua diceretur quòd non posset cognosci.

Vnum obiectũ potest videri sine alio, nisi sit intrinseca aliqua dependentia vnius ab alio in cognosci.

21. Propter has, aut alias difficultates, quas habet responsio hæc D. Thomæ, crediderim Complutẽses Carmelitas in suo Thomistico cursu, dum hanc difficultatem tractarent *disp.* 19. *de Anima*, sect. 2. ea non fuisse vsos, nec vllam eius mentionem fecisse, cùm tamen nihil aliud ferè magis videantur intendisse, quàm non solùm conclusiones, sed & rationes D. Thomæ defendere. Respondent tamen ipsimet aliter, duobus modis: primò refundentes necessitatem speciei conseruatæ ad habendas intellectiones præuias ad phantasmata. Itaque dicunt quamuis intellectus recurrat ad phantasmata, tamen necessarias esse species, quia sunt aliqui actus intellectus præuij ad phantasmata, quibus scilicet imperat intellectus ipsamet phantasmata hæc, vel illa; nam isti actus cùm non præsupponant phantasmata, non possunt fieri mediantibus speciebus tum receptis à phantasmatibus, ergo mediantibus speciebus antecedenter acceptis, & conseruatis.

Responsio Complutensiũ prima.

22. *Reijcitur.*

Verùm hæc responsio destruit suppositum commune vtriusque scholæ de necessaria conuersione intellectus ad phantasmata in omni intellectione. Quod vt clariùs pateat, quæro ab his authoribus, an ille actus intellectus, qui est prior actu phantasiæ, quem imperat, dependeat ab alio aliquo actu phantasiæ, tanquam ab aliquo priori natura, vel simultaneo; necne? Si sic: ergo manet difficultas obiectionis: quia non potest assignari cur indigeret speciebus conseruatis ad illum actum; & præterea frustrà recurritur ad phantasias posteriores, vt manifestum est. Si non indiget, ergo alij quicunque actus intellectus possunt esse independentes à conuersione ad phantasmata priora, aut simultanea cum illis; sed hoc est absurdum. Probatur minor, tum, quia pro illo priori, quo reperitur actus sine phantasmatibus, obiectum est quiditas rei materialis, secundùm D. Thomam, existens in singulari: ergo non potest videri, nisi in singulari, & consequenter non potest videri, nisi phantasietur secundùm eundem D. Thomam. Tum etiam, quia si non debet phantasia operari priùs, aut simul cum intellectu habente illum actum non potest assignari ratio cur debeat sequi operatio phantasiæ, & sic simpliciter contra omnes posset haberi operatio intellectus sine phantasiæ operatione vllo modo.

Quòd si dicas solos actus imperantes esse posse sine operatione phantastica priori, eos autem non posse sine operatione phantastica posteriori, quia sunt imperia eius. Contrà primò, si eatenus isti actus habent operationem phantasiæ annexam, quatenus imperant ipsam: ergo alij actus, qui non imperant ipsam, possunt esse sine phantasiæ operatione vllo modo, non enim est maior ratio cur operationes illæ imperantes phantasmata possunt esse sine phantasmatibus secundùm omnem rationem in ipsis repertam, præter rationem imperij potiùs quàm aliæ operationes, quæ non habent rationem imperij. Contrà secundò, quia quamuis imperaret intellectus phantasmata, non tamen esset necesse, quòd semper phantasmata sequerentur ex vi imperij præcisè; quia non videtur quòd intellectus habeat maiorem vim ad impetrandam operationem phantasiæ quàm voluntas, aut intellectus ad imperandum actum potentiæ loco motiuæ; sed hunc semper imperare nequeunt, vt patet: ergo. Adde falsum esse dari in intellectu huiusmodi actus imperantes. Deinde experientia patet non posse nos ad libitum imperare quæ volumus phantasmata. Omitto alia multa, quæ contra hanc responsionem omnino ineptam obiici possent.

Responsio secunda Complutensium.

Respondetur ergo secundò, non posse intellectum quoties ad phantasmata conuertitur recipere ab illis species; quia cùm debeat recipere species immobiliter in prima conuersione ad phantasmata, supponitur ante alias posteriores conuersiones habere illas; non potest autem recipere de nouo quod antè habuit. Sed hæc etiam responsio æquè insufficiens est; nam in primis petit principium: supponit enim species immobiliter recipi; cuius contrarium contendit difficultas obiectionis. Deinde non assignat rationem cur debeat intellectus recurrere ad phantasmata, si habeat species conseruatas.

Reijcitur.

c *Ideò dicendum quòd duplex est.* Melius itaque multò respondet Doctor, assignando duplicem rationem necessariæ conuersionis ad phantasmata inter intelligendum. Prima est ex ordine potentiarum intellectiuæ & phantasiæ, quæ pro hoc statu habent talem conformitatem in operando, vt intellectus non possit intelligere aliquid, quin vel 23.

Responsio Doctoris.

Prima ratio necessaria cõuersionis intellectus ad phãtasmata.

vel singulare illius, vel aliquod aliud singulare conducens ad eius intellectionem, percipiat phantasia; non ex eo præcisè quòd illud quod percipitur ab intellectu existat in illo singulari, vt vult D.Thomas,& suprà impugnatum est; sed ex subordinatione ipsarum potentiarum. *Secunda ratio eiusdem conuersionis.* Secunda ratio necessariæ huius conuersionis est, quantum ad primam intellectionem, quia non reciperet species intelligibiles nisi mediante operatione phantasiæ, & quantùm ad alias intellectiones sequentes, quia non intenderentur species intelligibiles, nisi per concursum phantasiæ: sicut enim non possent produci nisi mediante eius concursu, sic etiam intendi nequeunt, nisi eo mediante: vnde vt intellectus habeat intensiores species, & perfectiores intellectiones, requiritur conuersio eius ad phantasmata; non solùm dum primò producuntur species, sed postea etiam. Quod autem contra hoc replicat Doctor non indiget explicatione, sicut nec responsio.

Replicatur contra primā rationem. Verùm aliæ replicæ occurrunt contra vtramque rationem; contra primam quidem, quòd non assignet rationem istius subordinationis potentiarum harum, cùm tamen in ea sit tota difficultas; nam qui negaret species conseruatas, facilè daret rationem, nimirum quia intellectus non posset intelligere vnquam sine specie: ad speciem autem habendum, nisi semel producta conseruaretur, semper deberet, sicut prima vice, recurrere ad phantasiam: quòd si, qui admittunt species conseruari, non possunt assignare rationem subordinationis potentiarum prædictæ; vel hoc ipso videntur peius philosophari. *Replicatur contra secundam.* Contra secundam rationem facit quòd ex ea non sequitur necessaria conuersio ad phantasmata, nisi quando intellectio perfectior, & species consequenter perfectior habenda est: si enim propterea recurrendum est vt species intensior habeatur, certè non est recurrendum quando non est habenda: sed certum est experientia quòd non semper habetur intensior, & id etiam fatetur Doctor *in responsione ad suam replicam.*

24. *Satisfit primæ replicæ. Vnde oritur ligatio intellectus ad phātasmata.* Ad primam ex his replicis respondeo Scotum hîc quidem non assignare rationem subordinationis harum potentiarum in operando, sed eam supponere, ex dictis suprà *quæst.*3.*num.*24. vbi dixit hanc subordinationem pro hoc statu oriri ex ordinatione diuina statuentis non concurrere cum intellectu ad intelligendum aliquid, nisi phantasia operante, idque probabiliter in pœnam peccati originalis, vt ibi asserit Doctor, & etiam *in* 2. *d.*3. *quæst.*8.*ad primum principale, ac quæst.*19. *de Anima:* vnde secundùm ipsum non esset talis subordinatio in statu innocentiæ, sicut nec secundùm omnes est de facto in statu gloriæ. Itaque iuxta hanc doctrinam, ratio conuersionis intellectus ad phantasmata proxima est quòd non possit pro hoc statu habere speciem intelligibilem sibi sufficienter obiectiuè applicatam, quin phantasia etiam habeat species phantasticas sibi similiter applicatas, & propterea quoties intellectus operatur, phantasia etiam operetur necesse est. Ratio autem cur non possit intellectus habere istas species applicatas sibi quin phantasiā etiam suas applicatas habet, oritur ex ordinatione particulari Dei, vt dictum est, & ratio denique, ob quam Deus habuit huiusmodi particularem ordinationem, est peccatum originale.

Satisfit secundæ replicæ. Ad secundam replicam concedo totum, existimo enim Scotum non attulisse illam rationem ad concludendam necessariam conuersionem ad phantasmata in omni intellectione, sed in aliquibus tantùm, in quibus non ideò recurrendum esset ad phantasmata, vt haberetur species, vt intendit sententia negans species conseruari; sed vt intenderetur species priùs habita.

His suppositis nunc respondeo in forma ad obiectionem principalem positam num. 16. negando sequelam cum sua probatione: non ideò enim necessariò semper conuertitur ad phantasmata, vt recipiat species, quandoquidem eas recipit in prima conuersione; sed quia nunquam applicantur ipsi suæ species, quin species phantasticæ etiam phantasiæ repræsententur. 25. *Respondetur obiectioni principali in forma.* Ad primam confirmationem nego antecedens, non enim ideò solùm; sed etiam quia possunt suæ species sensibus internis applicari obiectiuè & sensibiliter, sine eo quòd applicentur suæ species sensibus externis, vt patet experientia. *Respondetur primæ confirmationi.* Ad secundam confirmationem nego maiorem, sed ex eo, & quia nulla alia ratio suppetit, ex qua possit colligi, quòd conseruet species; suppetit autem ratio ad probandum quòd intellectus conseruet species. *Respondetur secundæ.* Ad tertiam confirmationem concessa maiori cum Suarez *disp.*44.*Metaph.* Vasq.& aliis; nego minorem, quidquid dicant Gabr. & Almain. *Respondetur tertiæ.* Ratio autem cur obliuiscamur rerum cognitarum successu temporis est, quia perdimus species phantasticas, aut impeditur dispositio organi phantasiæ, tali modo, vt non possint proponi ipsi istæ species obiectiuè, & perceptibiliter; *Cur perdātur aliquādo species.* hinc enim fit vt propter dependentiam intellectus ad phantasiam pro hoc statu non possint etiam intellectui proponi suæ species, sic vt possit recordari obiectorum aliàs cognitorum.

26. Hæc sufficienter soluunt difficultatem propositam contra communem doctrinam conseruatione specierum; verùm quia solutio dependet ab ordinatione diuina speciali habita ob peccatum originale, cuius cognitio non potest haberi naturaliter, sed mediante reuelatione, conandum est ostendere aliquam rationem naturalem istius & phantasiā cōnexionis necessariæ, quæ est inter intellectū. *Alia respōsio ad obiectionē principalem. Omnis cognitio huius status dependet intrinsecè ab obiecto phantastica proposito.* Itaque potest dici quòd propterea intellectus in omni intellectione depēdet à phāasmate; quia pro hoc statu omnis intellectio eius est ex natura sua intrinseca, dicēs ordinem ad obiectum phātasticè propositum, ita vt obiectum sic propositum sit terminus cognitionis cuiuscunque eius. Quemadmodum ergo voluntas, licèt, secundùm probabiliorem opinionem, sit causa adæquata suæ volitionis, dependet tamen in omni sua volitione ab obiecto intelligibiliter proposito tanquam à termino suæ volitionis, ad quem dicit ordinem intrinsecum: ita etiam licèt intellectus cum specie conseruata sit causa adæquata intellectionis, & propterea non dependeat à phantasmate tanquam causa effectiua totali, aut partiali intellectionis; tamen dependet ab illo tanquam à termino, quem essentialiter respicit intellectio eius omnis quam pro hoc statu habet.

Replicatur contrà. Dices, si hoc esset verum, esset dependentia intrinseca intellectionis à phantasmatibus, & consequenter secundùm nullum statum posset haberi sine phantasmatibus. *Soluitur.* Respondeo, distinguēdo sequelam, intellectionis omnis, quæ de facto habetur, aut quæ est eiusdem rationis cum illa, concedo sequelam; intellectionis diuersæ rationis, nego sequelam. Itaque non solùm Angeli, sed anima separata, & etiam coniuncta corpori glorioso, habent

habent alium modum intelligendi corporea, & spiritualia obiecta, quàm modò homines pro hoc statu habent, in ordine, ad quem modum intelligendi non requiritur propositio obiecti phantastica.

Replica 2. Dices secundò, ergo non remanent in anima beata species illæ, quas pro hoc statu acquirit. Probatur sequela, quia istæ species sunt tantùm natæ producere tales intellectiones, quales hîc habemus, & proinde si tales intellectiones pro statu separationis habere nequeat, frustrà manerent species illæ in ipsa. *Responsio.* Respondeo, propter hoc probabile esse quòd saltem non vtitur anima separata speciebus hîc acquisitis pro statu separationis: nec tamē propterea dicendū est, quòd non habeat illas, quia iis vti poterit quando iterum cōiungetur corpori. Quòd si quæratur, quomodo ergo poterit intelligere quæ gessit in corpore, in statu separationis? Respōdeo, quòd recipiet à Deo species omnes ad hoc requisitas, præter illas, quas ipsamet acquirere potest. Certum enim est Deum posse infundere species animæ, per quas posset recordari ea quæ antè fecit; sicut enim Angelus per species à Deo infusas potest recordari quòd homo fecerit talia, vel talia, in vita; ita ipsa anima per species à Deo infusas poterit recordari se in vita fecisse talia, vel talia opera.

Dices, ergo ex memoria, aut recordatione animæ separatæ, nō possunt colligi species. Respondeo, concedendo totum, iuxta hunc probabilem modum dicendi, quem non absolutè asserimus, sed proponimus iudicio lectoris. Posset tamen ex recordatione rerum, quas gesserunt in hac vita homines beati, & damnati, colligi ista necessitas; quia nihil impedit quo minùs per species hîc acquisitas habeant illam recordationem.

Respondeo secundò faciliùs, & conformiùs ad communiora principia, negando sequelam huius secundæ replicæ, quia illæ species, quas de facto habet intellectus, possent concurrere quantùm est ex se ad intellectiones, quæ de facto producuntur, ac sunt dependentes essentialiter ab obiecto phantasticè proposito, & ad alias etiam intellectiones eiusdem obiecti, non sic depēdentes. Et si quæras, cur ergo vtrasque intellectiones non producit? Dico rationem huius non posse in aliud refundi, quàm in voluntatem diuinam, quæ statuit secundùm Scotum non concurrere cum hominibus ad tam perfectas rerum cognitiones in pœnam peccati, quam aliàs naturaliter habuisset. Dices, secundùm hanc responsionem recurrimus ad ordinationem diuinam, ad quam fugiendā inuenimus hunc nouum modum philosophādi: ergo hæc responsio non est commoda. Respondeo, distinguēdo sequelam, recurrimus ad illam ordinationem ad ostendendam subordinationem intellectus ad phantasmata; quantùm ad intellectiones omnes, quas de facto habet, nego antecedēs; ad ostendēdum cur alias intellectiones, quas non repugnat ipsi habere ex natura potentiarum independentes à phantasmatibus, concedo antecedens; nec ad vitandum hunc recursum excogitauimus prædictum philosophandi modum, sed potiùs ad ostendendam rationem dependentiæ intellectus à phantasmatibus, quoad intellectiones omnes, quas de facto habet. Supposita hac responsione manerent species hîc acquisitæ in anima separata, iisq; vti posset, & propterea dixi hāc respōsionem esse faciliorem, & cōformiorem cōmunibus principiis, quo nomine ipsam præfero priori responsioni. Et si dicas, quòd species omnes hîc acquisitæ, cùm producantur ab obiectis secūdùm illam rationem, quâ apprehenduntur à sensibus materialibus externis & internis, aut secundùm rationem abstractam, aut deductam per consequentiam ab illa ratione videantur debere repræsentare res cum ordine ad illā rationem. Responderi potest, licèt mediantibus his speciebus, repræsentetur res secundùm talem rationem, quòd tamen possit hîc repræsentari sine dependentia à phantasia actu operāte. Sicut enim ipsa phantasia licèt abstrahat species à rebus, vt percipiuntur per sensus externos, nihilominus potest intelligere res non operātibus illis potentiis, ita similiter intellectus, licèt abstraheret species ab obiectis vt propositis phantasticè, posset ex natura sua intelligere res non operāte phantasia per illas ipsas species; sed intellectione tamen, quæ esset distinctæ rationis ab illa, quam haberet per species immediatè productas à rebus, secundùm illas rationes, & quæ esset imperfectior quàm illa; quamuis vtraque intellectio esset independens immediatè à phantasmatibus. An autem intellectio habita de rebus per species causatas à phantasmatibus, & independens ab actuali phantasmate, qualē habere posset secundùm hanc responsionem anima separata per species hîc acquisitas, esset perfectior intellectione, quam pro hoc statu per easdem species habemus de eodem obiecto cum dependētia actuali, & immediata à phātasmate; non adeò mihi constat; nam ex vno capite videri posset quòd esset perfectior, quia indepēdentior à phantasmate. Ex alio verò capite videretur posse esse imperfectior; quia sicut non exigeret illam propositionem phantasticam obiecti, ita videri posset quòd non repræsentaret rem tam perfectè, quàm intellectio exigens istam proportionem. Quod etiam cōfirmari posset, quia dicitur communiter phantasia perfectiùs operari, quando agit actu sensus externus, & per ipsum proponitur obiectum sensibile, quàm quando non agit: ergo similiter intellectus perfectiùs posset dici intelligere rem secundùm rationem obiectiuā abstractam à phantasmatibus quando operatur actu ipsa phantasia, quàm quando non operaretur. Sed quidquid de hoc dicatur, perinde est quantùm ad nostrum intentum impræsentiarum.

Dices tertiò, ergo ex natura rei, & non ex ordinatione diuina, oritur dependentia intellectus ad phantasmata pro omni intellectione huius status; sed hoc videtur esse contra Scotum suprà: 27. ergo & hæc doctrina. Respondeo primò concedendo Maiorem; sed negando Minorem; quia *Responsio 1.* Scotus non dicit absolutè illam dependentiam esse in pœnam peccati, sed vel in pœnam peccati, vel ex ordine potētiarum: ordo autem iste potentiarum hoc modo commodissimè intelligi potest; qui alio modo esset valdè difficilis. Respondeo secundò, distinguendo Minorem, pro omni intelle- *Responsio 2.* ctione, quæ de facto habetur. Est contra Scotum, quòd dependentia intellectus à phantasmatibus sit ex natura, & non ex ordinatione diuina, nego Minorem. Est contra Scotum quòd non haberet intellectus vllas intellectiones pro hoc statu ob naturam potentiarum, nisi dependenter à phantasmatibus, etiamsi non interuenisset peccatū, nec Deus in pœnam eius haberet ordinationem specialem, quâ id statueret, concedo Minorem.

Itaque quando dicit Scotus probabile esse quòd in pœnam peccati intellectus subordinetur phan

phantasmatibus, id non necessariò sic intelligi debet, vt intellectiones, quas de facto habet, sint dependentes à phantasmate ob illam pœnam; sed quòd ita subordinetur phantasmatibus in pœnam peccati, vt de facto nullas intellectiones habeat, quæ non dependent à phantasmatibus, cùm tamen si non interuenisset peccatum, plures intellectiones habere posset non dependentes à phantasmatibus, sicuti pro statu gloriæ habet, pro quo etiam statu habet plures cognitiones dependentes à phantasmatibus.

Iuxta ergo hanc doctrinam respondeo iterum ad difficultatem principalem propositam n. 16. in forma negando sequelam, quia, non obstante specie, indigeret phantasmate tanquam termino, quem intrinsecè respicit omnis intellectio huius status. Ad primam confirmationem nego antecedens; illa enim non est ratio præcisa, sed etiam quia sensationes eius non respiciunt essentialiter rem propositam per sensus externos, vt sic propositam tanquam terminum suum. Ad secundam & tertiam confirmationem, etiam tenendo hanc doctrinam, benè responsum est suprà num. 25.

26. *1. Argumentum principale.* *Ad argumentum primum*, &c. Hîc respondet ad duo argumenta principalia in initio huius quæsiti proposita; quorum primum erat, quòd sequeretur species contrarias, vrbi gratiâ, illas, quæ repræsentant contraria obiecta, vt album & nigrum, esse simul in eodem intellectu; nam potest intellectus successiuè intelligere contraria per species; vnde non deberet potiùs conseruare species vnius contrarij, quàm alterius, & consequenter vel nullas, vel vtrasque deberet conseruare: sed hoc esset absurdum, quia sicut idem corpus nequit figurari diuersis figuris; ita nec idem intellectus diuersis speciebus: species enim est quædam configuratio intelligibilis, & intentionalis intellectus ad obiectum.

Responsio. Respondet Doctor, concessa maiori, negando minorem, cum sua probatione; nam licèt species sit quædam configuratio, tamen non est eadem ratio negandi plures tales configurationes ad diuersa obiecta in eodem, ac negandi plures configurationes corporales in eodem corpore: ratio autem disparitatis est quòd configuratio corporalis consistit in tali ordine partium corporis ad se inuicem: vnde si adueniret alia ordinatio partium, vt esset necessarium ad aliam configurationem, tolleretur prior, & propterea duæ simul repugnant, cùm vna inferat negationem alterius. *Cur idē corpus non possit habere diuersas figuras simul.* Configuratio autem quæ fit per speciem consistit in hoc quòd intellectus per speciem sit aliquo modo similis virtualiter, vel formaliter obiecto speciei: non est autem absurdum quòd sit similis per vnam speciem vni obiecto, & per aliam alteri; neque enim ad vnam speciem sequitur negatio alterius necessariò, aut connaturaliter. Quòd si etiam loqueremur de configuratione corporali alicuius corporis, quæ fieret mediante aliqua qualitate reali ad aliquod extrinsecum, potest idem corpus configurari diuersis, vt mediante calore esse configuratus, seu similis vni corpori, & mediante siccitate alteri. Addit ad hæc Doctor pro maiori confirmatione authoritatem Philosophi, & Commentatoris, quâ dicunt, quæ sunt contraria in re, non esse contraria in mente, id quod patet experientiâ.

Alterum argumentum est, quòd sequeretur speciem esse habitum, cùm esset quid permanens, difficulter mobilis. Sed hoc est absurdum, quia habitus intellectualis per se acquisitus debet necessariò præsupponere actum, nam per actum acquiritur, nec requiritur ad *esse* simpliciter actus; species autem præsupponitur necessariò ad actum, & requiritur simpliciter, naturaliter loquendo ad *esse* eius. 27. *2. Argumentum principale.*

Respondet Doctor distinguendo maiorem, esset habitus capiendo *habitum* pro qualitate insensibili acquisita difficulter mobili, provt capi debet *habitus*, quæ est species Qualitatis distincta à dispositione, potentia naturali, impotentia naturali, passione & patibili qualitate, conceditur esse habitus eiusdem rationis specificæ cum habitu, qui acquiritur per actus, negat maiorem. Et differentiam vtriusque assignat ex effectibus eorum; nimirùm quòd habitus, qui est species, habeat constituere obiectum præsens, & *esse* simpliciter requisitum tanquam causa partialis concurrens cum intellectu, loco obiecti, ad productionem intellectionis; habitus autem, qui acquiritur per actus, non habeat constituere obiectum præsens, nec concurrere loco obiecti ad producendam intellectionem: vtraque tamen qualitas conueniunt in ratione habitus vt sic, & inter se, & cum habitibus supernaturalibus in substantia; distinguuntur verò à se inuicem secundùm rationes particulares. *Responsio.* *Quomodo differt species intelligibilis ab habitu acquisito per actum.*

Si vlteriùs obiiceretur fundamentum Auicennæ; nimirum quòd sequeretur intellectum habiturum semper intellectionem si haberet species conseruatas, quia species cum intellectu est causa adæquata intellectionis, & sufficienter applicatur per hoc quod insit intellectui. Respondendum est negando sequelam: & ad probationem dicendum, quòd quamuis sit causa adæquata, tamen dependet ab obiecto suo proposito phantasticè, tanquam à termino circa quem versari debet intellectio, vt dictum est suprà; vnde non potest agere nisi eo sic proposito. Deinde quamuis non dependeret à tali obiecto, non esset sufficienter applicata species ad producendum cum intellectu intellectionem, per hoc præcisè, quòd inhæreret intellectui; quia aliàs anima separata, & Angelus haberent tot intellectiones conseruatas, quot species habent conseruatas, quod est absurdum. *Respondetur fundamento Auicennæ.*

SCHOLIVM.

Tertium quæsitum huius quæstionis, an detur in intellectu nostro notitia producta; & pro parte falsa, positis tribus argumentis adducit rationem ad oppositum ex Augustino.

30. *Quæst. 3. An in intellectu sit actualis no-*

QVæritur vtrùm in intellectu nostro sit actualis notitia genita, vel producta. Arguo quòd non: actionis non est actio, nec vt termini, nec vt subiecti, nec passionis

sionis est passio 5. *Physic.* sed notitia actualis est actio, vel passio: ergo ipsa non est genita, vel producta: quia hoc esset alia passione, vel actione, & ita esset terminus actionis, vel passionis. Minorem probo, primò sic: notitia est actus secundus, sed omnis actus secundus est actio, vel passio: ergo. Secundò sic: nullum entium consistit præcisè in *fieri*, & successione, nisi sit actio, vel passio: notitia non est permanentium: ergo, &c. *titia genita, vel producta. Text. com. 10. & inde.*

Tertiò sic, Philosophus 9. *Metaph.* distinguit actionem in immanentem, & transeuntem: sed notitia est operatio immanens: ergo est actio, quia continetur sub vna specie actionis, scilicet immanentis. *Text. 16.*

Secundò sic ad principale. Augustinus 4. super Genes. cap. 8. dicit quòd *aër præsente lumine non est factus lucidus, sed fit*: quia si factus esset lucidus, & non fieret absente corpore luminoso maneret lucidus. Ex his habeo, quòd illud quod factum est, intraneè, & de se manet: sed illa notitia non manet: ergo non est facta, nec est genita. *Arg. 2.*

Tertiò sic, Philosophus 7. *Metaphysic.* probat, quòd formæ non est generatio, sed tantùm compositi: sed notitia non dicit compositum, sed tantùm formam: ergo, &c. *Arg. 3. Text. com. 22. 27. & 32.*

Contrà, Augustinus de Trinit. cap. 12. & 13. *Liquidò tenendum est, quòd omnis res quamcunque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab vtroque enim notitia paritur, & à cognoscente, & à cognito.* & aliquantulum infrà, *partum mentis antecedit appetitus quidam, quo id quod nosse volumus quærendo, & inueniendo, nascitur proles, notitia ipsa.* *Ratio ad oppos. A quibus paritur notitia secundum Aug.*

COMMENTARIVS.

1\. SVPPLEM. PONCII. *Summa quæstionis huius.*

QVæritur vtrùm in intellectu nostro sit actualis notitia genita? Hæc est secunda quæstio à Lycheto omissa, & ex Reportatis huc (vt mihi videtur probabile) translata, ad cuius solutionem Scotus præmissis tribus rationibus pro parte negatiua, & vna pro affirmatiua, tres quæstiunculas determinat. Primò, intellectiones, volitiones, & similes actus vitales esse qualitates. Secundò, ad eas dari mutationem. Tertiò eas non accipere *esse* per veram productionem. Deinde infert ex sua resolutione philosophica vnum corollarium Theologicum de *intelligere*, & *velle* diuino, & soluit argumenta principalia. Quòd autem hæc etiam quæstio sit hìc addita præter rationes superiùs assignatas, vlteriùs coniici potest; quia inferiùs *in hac ipsa dist. quæst. 9. ad tertium principale*, tractat partem principalem eius, quæ est, an intellectio sit actio de genere Actionis, eodem ferè modo, quo hìc, sine vlla relatione ad ea, quæ hìc dicit: non videtur autem probabile quòd in eadem distinctione eandem difficultatem bis eodem modo fusè tractaret.

SCHOLIVM.

Resoluit tres quæstiones, & in prima intellectionem, aliásque operationes esse de prima specie qualitatis. In secunda ad eam dari mutationem. In tertia, eam non produci, quia secundùm Philosophum compositum tantùm producitur, esse tamen terminum mutationis: & ex doctrina quam affert, argumenta in oppositum facilè soluit. de qua re latissimè agit Quodlib. 13. & 15. infr. quæst. 9. ad 3. & 4. dist. 10. quæst. 5 & dist. 11. quæst. 2. & alibi sæpè.

HIc sunt tres breues [a] quæstiones; prima, cuiusmodi entitas sit intellectio, & volitio, & huiusmodi operationes immanentes. 31.

Vbi intelligendum est, quòd vt ex diuisione entis patet, non sunt substantiæ, quia intellectio adest, & abest præter subiecti corruptionem: nec quantitas, quia non est nisi in corporibus, vel in pluribus realiter distinctis, vt *numerus*: nec sunt habitus, nec positio, nec quando, nec vbi, quia hæc dicunt habitudinem ad corpora; vel sunt passiones corporalium, nec aliquid aliorum, vt actio, vel passio, aut relatio: ergo qualitas. Quod autem dico de intellectione, hoc idem dico de volitione, visione, auditione, & sic de aliis operationibus immanentibus. *De natura & essentia operationū immanentium. Operationes esse qualitates.*

Et primò probo, quòd non sit relatio, nec actio, nec passio, quia operatio immanens est vltima perfectio naturæ absolutæ operantis: sed nulla relatio, actio, vel passio est huiusmodi: ergo, &c. tamen benè potest importare relationem. Minor patet, quòd scilicet vltima perfectio naturæ, non sit relatio: relatio enim perfectionem non importat inquantum huiusmodi. & quòd vltima perfectio esset relatio repugnantiam includit. Nec est actio, quia actio non perficit agentem, sed passum. *10. Ethic. An relatio dicat perfectionem.*

Præterea, actionis est aliqualis terminus realis, hìc autem præter intellectionem,

non eſt aliqualis terminus : nec eſt paſſio, quia iam non eſſet vltima perfectio, quare, &c.

32. Secundò probo ſpecialiter de quolibet, primò quòd intellectio non ſit relatio, ſic: Auguſt.7.de Trin.cap.1. *Omnis eſſentia, quæ relatiuè dicitur, eſt aliquid excepto eo quod relatiuè dicitur*,&c. ſed intellectio ſubeſt relationi,quia dicitur relatiuè ad obiectum:ſicut enim ſcientia refertur ad ſcibile, vt menſuratum ad menſuram 5. *Metaph.* ita & intellectio : ergo ſecundùm rem,& abſolutum ſuum,ſiue poſitiuum ſuum, non eſt relatio.

Text. com. 10.

Quòd autem non ſit actio,vel paſſio,probo ſic : Actio, & paſſio ſunt alicuius termini accipientis eſſe per ipſas : ſed operationes immanentes ſunt vltimi termini, quibus nihil accipit eſſe. non anima, nec obiectum : nec enim obiectum accipit *eſſe* per ipſas.

Quòd ſi dicas, quòd cùm per actus habitus generantur, habitus eſt terminus dictarum operationum, & ſic ſunt actio,vel paſſio.

Dicendum, quòd dicta reſponſio magis eſt ad oppoſitum, nam quod non eſt forma actiua, non eſt principium formale inducendi aliquam formam:ſed per operationes immanentes inducitur habitus, qui eſt aliqua forma : ergo operationes immanentes non ſunt relatio, actio vel paſſio. Actus ergo, quia virtualiter continent habitum, ipſum generant, & intendunt.

De immanentibus actionibus latè Scot. Quodl. 13. & 15.& 4. d.11.q.2.

Ad argumentum tamen (licèt ſit ad oppoſitum)dicendum, quòd actio illa, quæ propriè eſt ad terminum, non poteſt intelligi ſine termino : ſed operationes huiuſmodi poſſunt intelligi ſine habitu, & eſſe, vt patet in habentibus habitum intenſiſſimum, vt in Beatis : ergo propriè non dicitur terminus quaſi intrinſecus, ſed quaſi conſequens, & accidentalis. Cùm ergo huiuſmodi operationes aliquid ſint, & probatum eſt,quòd non ſunt ſubſtantia, nec relatio, nec actio, aut paſſio, neque quantitas, vel aliquid extrinſecus aduenientium,relinquitur,quòd ſint in genere Qualitatis,& conſtat, quòd non ſunt in tertia,vel quarta ſpecie,quia talia ſolùm ſunt corporalia : nec in ſecunda,quia illa ſunt naturalis potentia,vel impotentia. Sunt ergo in prima, in qua,credo,eſt omnis perfectio ſubſtantiæ ſpiritualis, quæ non eſt Deus, vel quæ non eſt de eius ſubſtantia : ergo qualitates.

Operationes ſunt in prima ſpecie qualitatis.

33. Secunda quæſtio eſt, an ad huiuſmodi operationes ſit aliqua per ſe mutatio. Et eſt dicendum breuiter, quòd ſic : quod patet. Nam ſecundùm Philoſophum 6. Phyſic. *Mutari eſt aliter ſe habere nunc, quàm priùs :* ſed intellectus actu intelligens, ſe habet aliter nunc, quàm priùs : ergo verè eſt mutatio per ſe : ergo propriè mutatio ad huiuſmodi operationes terminatur.

Text. com. 32.& 73.

Tertia quæſtio eſt, an huiuſmodi operationum ſit productio, vel generatio. Vbi intelligendum, quòd ſecundùm Philoſophum 7. Metaph. *Forma per ſe non generatur, ſed compoſitum,* tam in generatione ſubſtantiali quàm ſecundùm *quid :* & ſua ratio eſt, quia omne,quod ſit, ſit ex materia, tanquam ex eo,quod eſt pars ipſius,quod ſit : cùm igitur materia non ſit pars niſi compoſiti,generatio per ſe ſolius erit compoſiti.

Text. com. 22.27. & 33.quæſt.3. de oper.imman.

Præterea,generatio cùm ſit via de *non eſſe* ad *eſſe*, illius per ſe eſt generatio, cuius per ſe eſt eſſe : compoſiti autem, ſiue ſuppoſiti per ſe eſt eſſe : ergo, &c. ſecundùm ergo intentionem Philoſophi.Quod per ſe generatur,eſt diuiſibile in duo, ſcilicet in materiam, & formam. & ideò dixerunt quidam,quòd forma accidentalis habet ſuum potentiale ex quo ſit, & ſuum formale tanquam intrinſeca ſui generis. Quod non videtur, quia accidentia non habent materiam, ex qua, ſed in qua : nec eſt ad intentionem Philoſophi, quia ipſe intelligit,quòd compoſitum in generatione per accidens,per ſe generatur,compoſitum dico ex ſubiecto & accidente,ſicut ſua exempla oſtendunt:& ratio ſua eſt,quod generatur, ex eo generatur, quod præexiſtebat. Ergo dicendum, quòd etſi notitia poſſit eſſe terminus mutationis : non tamen generatur, nec producitur : ſed per ſe intellectus noſcens, vel potiùs homo noſcens, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, quare, &c.

8. Metaph. text.12.

34. Contra hoc arguo, quòd intellectus noſcens non per ſe generatur, quia non eſt ens per ſe, ſed per accidens : ergo non eſt per ſe terminus generationis.

Item, notitia eſt per ſe terminus productionis,quia mutationis ; ſed omne tale producitur : ergo notitia producitur, & generatur.

Ad primum dicendum, quòd ens ſecundùm *quid*, & per accidens eſt ſimpliciter per accidens, & ſecundùm *quid :* ſicut homo mortuus eſt homo ſecundùm *quid*, ſimpliciter autem dicitur mortuus : generatio ergo ſimpliciter eſt in ſubſtantia, ſecundùm *quid* verò in accidentibus. *primo de Generatione :* generatio ergo entis per accidens, & ſecundùm *quid*, eſt generatio ſimpliciter per accidens, & ſecundùm *quid.*

Text.11.& circiter idẽ 5.Phyſ.t.7.

Ad

Ad secundum dicendum, quòd est terminus alterationis, & mutationis: terminus autem alterationis est forma, & similiter mutationis: non tamen productionis: vbi intelligendum quòd mutatio est per se mutabilis, alteratio alterabilis, & motus mobilis. Illud autem dicitur propriè alterari, & mutari, quod de non tali fit tale, puta de non albo album, de non noscente noscens: forma ergo, qua fit tale, propriè est terminus mutationis; non tamen mutatur, sed tantùm mutabile mutatur. Productio autem propriè est solius termini, cui per productionem acquiritur esse: cùm ergo forma, quæ est mutationis terminus, non habeat *esse* propriè, sed sit illud, quo compositum habet *esse*, ideò ipsa non dicitur produci, nec esse terminus productionis, sed tantùm compositum, siue illud compositum sit ens per se, siue per accidens. Et huiusmodi differentia patet, quia de termino mutationis, vel de forma, non dicitur, quòd mutetur, vel alteretur, sed est terminus mutationis tantùm: de termino autem generationis, & productionis dicitur, quòd est generatus, & productus, siue generatur, & producitur. *Operatio est terminus mutationis, non productionis, vel generationis.*

Ex his corollariè potest concludi, quòd *intelligere*, & *velle* in Deo, non sunt actus productiui, nec per consequens principia actuum notionalium, qui sunt *generare*, & *spirare*. *Intelligere* enim, & *velle* in Deo, actus operatiui sunt, quibus ipse beatus quasi perficitur: non autem sunt productiui. Ex quo patet, quòd nec notitia simplex, nec amor simplex, sunt rationes productiuæ, sine quibus personæ non producuntur, vt quidam dicit, & superiùs est improbatum. Vnde *intelligere*, & *velle* in nobis, non sunt actiones, vel passiones, vt dictum est, *dicere* autem siue intellectionem producere, & *spirare*, seu amorem elicere, sunt actiones in nobis, & de genere actionis, vel quasi de genere actionis; quare, &c. *Henr. vbi sup. dist. 2. part. 2.*

Ad argumenta principalia. Ad primum dicendum, quòd maior est vera, sed minor est falsa. Ad euidentiam autem eius, & argumentorum, quibus ipsa minor probatur, intelligendum, quòd actio propriè sumpta, tres habet proprietates, vna est, quòd est in continuo *fieri*: æquè enim dependet ab agente in secundo, & vltimo instanti, & in primo: imò in quolibet quantùm durat. Secunda proprietas est, quòd est circa aliquid, circa quod operatur, in quo est vt in subiecto. Nam actio non est in agente, sed in passo. Tertia proprietas est, quòd est circa aliquem terminum, ad quem terminatur, qui *esse* accipit per eam. Idem intelligit de passione. Operationes ergo immanentes assimilantur actioni, & passioni in prima conditione, & secunda, non autem in tertia, quæ est completiua. 35. *Ad arg. 1. Ob duas conditiones actionis operatio dicitur actio.*

Ad argumentum ergo primum, quo prædicta minor probatur, concedo quòd est actus secundus: nego tamen quòd omnis actus secundus, sit actio, vel passio: imò est qualitas. *Ad 2.*

Ad secundum dicendum, quòd assimilatur in prima conditione: vnde lumen, etsi fit etiam continuè, non tamen est actio, sed actionis terminus.

Ad tertium dicendum, quòd diuisio actionis quædam est immanens, quædam transiens: vno modo est æquiuoci, siue vocis in sua significata: alio modo vniuoci, siue generis in suas species. Si enim accipiatur actio transiens, & operatio immanens, quæ est *intelligere, velle, videre*, & huiusmodi, significata sunt vnius vocis tantùm, scilicet actionis, & nullius vniuoci. Si autem dicatur, actio quædam est transiens, quædam immanens, vt elicitio intellectionis, quæ immanet, sicut & ipsa intellectio, tunc est diuisio vniuoci in suas species. *Ad 3. Qualis diuisio actionis in trãseuntem, & immanentẽ.*

Ad secundum principale dicendum, quòd non intendit Augustinus negare lumen esse, vt fieri ab agente, & factum esse simul, sed non permanet sine præsentia agentis, sicut nec creatura rationalis conseruatur in gratia, sine diuina præsentia. nam ad hoc, ipse eam inducit. *Ad arg. 2. principale.*

Ad tertium patet per prædicta in tertia quæstione, quare, &c.

COMMENTARIVS.

SVPPLEM. PONCII.

a HIc *sunt tres breues quæstiones*, &c. Ex tribus quæstiunculis, quas examinat in hoc quæsito, primam, quæ est, qualis entitas sit intellectio, & similes actus vitales, hîc soluit. Vt verò meliùs examinetur hæc difficultas, proponendæ sunt breuiter variæ, quæ de ea sunt sententiæ.

Sententia 1. De natura intellectionis. Prima sententia est Godfredi *Quodlibeto* 4. Ægidij *Quodl.* 3. *q.* 12. & Suessani *lib.* 5. *de intellectu, cap.* 9. qui tenent intellectionem nihil aliud esse quàm receptionem speciei intelligibilis.

Sententia 2. Secunda sententia est intellectionem esse veram, & propriam actionem de prædicamento Actionis, per quã nullus terminus producatur: ita de omni intellectione Aureolus sentire dicitur apud Capreolum 1. *dist.* 2. Sed Aureolus nihil tale habet; imò *in* 1. *dist.* 35. potiùs videtur conuenire cum prima sententia. At de omnibus intellectionibus intuitiuis, quales habent Beati in patria de Deo, Caiet. 1. *part. quæst.* 27. cum Capreolo, & Ferrariensi hoc tenent.

Sententia 3. Tertia ſententia eſt, eam conſiſtere in qualitate de Prædicamento qualitatis per nullā actionem de prædicamento Actionis, ſed ſeipſa productam indiſtinctam à verbo mentis: ſic Auerſa *quæſt.75.de Anima ſect.3.*

Sententia 4. Quarta ſententia eſt, intellectionem conſiſtere formaliter in actione de prædicamento Actionis, per quam tamen ſemper neceſſariò aliqua qualitas producatur, quæ ſit verbum mentis. Hanc tenent Conimbricenſes 3.*de Anima, cap.*8. *quæſt.*3. *art.*3. Monteſ. 1.2. *diſp.*3. *quæſt.*5. Fonſeca 5.*Metaph.cap.*15.*quæſ.* 10.*ſect.*2. Gonzales 1.*part. quæſt.*12.*art.*2.*diſp.*25.*ſect.*4.

Sententia 5. Quinta ſententia eſt, intellectionem formaliter conſiſtere in actione & paſſione de prædicamento Actionis & Paſſionis, & etiam in qualitate per illas producta, ita vt illa tria ſint de eſſentia intellectionis. Ita Hurtado *de Anima diſp.* 6. *ſubſec.*1. qui Suarem & alios pro ſe citat, immeritò tamen, vt examinanti pateat.

Sententia 6. Sexta ſententia, quòd intellectio ſit qualitas ſeipſa producta, ſed diſtincta realiter à verbo mentis: ſic Complutenſes *diſput.* 21. *de Anima quæſt.* 3.

Sententia 7. Septima ſententia, eam conſiſtere formaliter in qualitate per veram actionem de prædicamento Actionis productam, & indiſtinctam à verbo mentis; ſic Scotiſtæ communiter cum Scoto, hîc, & aliis locis citatis à Scholiaſte, quos ſequitur Ruuius, qui eam ſententiam putat D. Thomæ 1. *part.quæſt.*34. *art.*1. *ad* 3.

Quid probabilius tenendum ſit ſequentibus propoſitionibus proponemus, in quibus probandis textum Doctoris explicabimus, & confirmabimus quantum opus fuerit.

3. *Intellectio nō cōſiſtit in ſola receptione ſpeciei intelligibilis.* Prima concluſio, *Intellectio non conſiſtit in ſola receptione ſpeciei intelligibilis.* Hæc eſt communis contra primam ſententiam: & probatur primò

Prima probatio. authoritate S. Auguſtini 9. *de Trinit. cap. vltimo,* dicente quòd à cognoſcente & cognito pariatur, & producatur notitia: ergo intellectus cognoſcens habet aliquam actiuitatem reſpectu intellectionis & notitiæ, & conſequenter non conſiſtit intellectio in ſola receptione ſpeciei, ita vt intellectus merè paſſiuè ſe habeat ad intellectionem, vt volunt aliqui ex authoribus primæ ſententiæ.

Potentia vitalis debet eſſe actiua. 2. Probatio. Probatur ſecundò, ratione, quia potentia vitalis eſt perfecta potentia; ergo eſt actiua: ſed non debet eſſe actiua reſpectu vllius potiùs quàm reſpectu vitæ in actu ſecundo, qualis eſt intellectio, & omnis ſenſatio: ergo debet eſſe actiua reſpectu intellectionis & ſenſationis cuiuſcunque, & non paſſiua tantùm.

Reſponſio. Dices, intellectum habere actiuitatem reſpectu ſpeciei intelligibilis, quia eam producit partialiter: ergo quamuis per hoc formaliter intelligeret quòd haberet ſpeciem impreſſam receptam in ſe, adhuc poſſet eſſe verum quòd viuens in actu primo eſſet actiuum, & quod à cognoſcente & cognito pareretur, & produceretur notitia, ac intellectio. Vnde ex his duabus probationibus non ſequitur falſam eſſe primam ſententiam.

Replica 1. Contrà primò, quia hæ rationes non neceſſariò adducuntur ad improbandam primam ſententiam vniuerſaliter, ſed tantùm quatenus teneretur quòd neque ad productionem ſpeciei intelligibilis concurreret, ſed merè paſſiuè ſe haberet tam ad intellectionem, quàm ad omne quod ad ipſam concurrit.

Replica 2. Non ſufficit actiuitas potentiæ vitalis in ordine ad productionem ſpeciei impreſſæ. Contra ſecundò, quia ſenſus authoritatis Auguſtini, & rationis eſt, quòd quandocunque intellectus, qui eſt potentiæ vitalis in actu primo, reducitur à non habente notitiam ad *eſſe* habens notitiam, & à *non eſſe* viuens in actu ſecundo, ad *eſſe* viuens in actu ſecundo, tum actiuè ſe habeat & productiuè in actu ſecundo, cùm antea ſic ſe non haberet; ſed quamuis haberet ſpeciem intelligibilem impreſſam, non neceſſariò eſſet viuens in actu ſecundo, aut habens notitiam, & poſtea ſine noua productione ſpeciei intelligibilis poſſet eſſe viuens in actu ſecundo, & habens notitiam: ergo actiuitas, quam intendit authoritas Auguſtini, & noſtra probatio competere intellectui, non conſiſtit in actiuitate, quam haberet intellectus in ordine ad productionem ſpeciei impreſſæ intelligibilis, ſed in aliqua alia, & conſequenter reſponſio non tollit vim authoritatis, aut probationis.

Confirmatur hoc primò, quia intellectus non minùs debet habere actiuitatem reſpectu intellectionis, quàm viſus reſpectu viſionis; ſed actiuitas viſus reſpectu viſionis non conſiſtit in productione ſpeciei impreſſæ viſibilis, cùm, vt ſuppono, illa ſpecies producatur ab obiecto tanquam à cauſa totali: ergo nec actiuitas intellectus reſpectu intellectionis poteſt conſiſtere in productione ſpeciei intelligibilis impreſſæ. Confirmatur ſecundò, quia ſpecies intelligibiles, ſi non omnes, ſaltem plurimæ infunduntur à Deo Angelis & animabus ſeparatis: ergo debent habere aliam actiuitatem ad intellectiones, quas iis mediantibus habent, præter actiuitatem in ordine ad illas ſpecies.

4. *Probatio 3. concluſionis.* Confirmatur tertiò; & ſimul probatur concluſio tertiò efficaciter: dantur plures ſpecies receptæ in potentia ſine intellectionibus, vt cùm impeditur phantaſia per ſomnum & phreneſim; & etiam quando non impeditur non habet tot intellectiones, quot ſpecies; patétque experientia recipi ſpecies viſibiles in oculo aperto dormientis, cùm tamen actu non videat: ergo non conſiſtit intellectio formaliter in receptione ſpeciei intelligibilis; ſeu, quod idem eſt: ergo non per hoc formaliter intelligit intellectus, quod habeat ſpecies impreſſas in ſe receptas.

Reſponſio aduerſariorum. Hoc argumento coguntur aduerſarij fateri non ſufficere vt quis intelligat, quamcunque receptionem ſpeciei; ſed aliqui dicunt vlteriùs requiri aliquem conatum intellectus, & idem eſt de quacunque alia potentia ſenſitiua.

Impugnatio. Contrà, quia hinc ſequitur noſtrum intentum; quia non poteſt explicari in quo conſiſtat iſte conatus, niſi aſſerendo quòd potentia quando eum adhibet, efficit aliquid, quod aliàs non efficiebat.

Reſpōſio Aureoli. Aureolus *in* 1. *d.* 35. dicit vltrà receptionem ſpeciei requiri ad intellectionem quòd obiectum appareat; ad hoc autem non videtur exigere quòd intellectus aliquid producat.

Impugnatio. Sed contrà, non poteſt intelligi, quomodo obiectum appareat; niſi quatenus intellectus aliquid produceret vltrà receptionem ſpeciei. Quæro enim de obiecto applicato potentiæ viſiuæ, & producente in ipſa ſpeciem tum cùm non videt, à quo habet formaliter apparere, cùm poſtea apparet, non ſeipſo, nec per hoc quòd applicetur in tali diſtantia potentiæ; nec per hoc quòd imprimat ſpeciem impreſſam, nec per hæc omnia ſimul, quia omnia hæc habentur, quando non videtur, nec apparet: ergo ab aliquo alio; ſed nihil aliud poteſt aſſignari

gnari quod sufficiat, nisi dicatur quòd potentia aliquid efficiat, cùm videt, quòd non faciebat antè, quod est nostrum intentum.

Responsio. Dices, obiectum apparere per hoc quòd proponatur in tali distantia potentiæ non impeditæ. *Replica.* Contrà, quia non potest assignari quomodo impediretur potentia, nisi quatenus impediretur ab aliquo producendo, aut recipiendo quod antea non producebat, vel recipiebat, quando non videbat; sed non impediebatur ab aliquo producendo secundùm Aureolum; nihil enim recipit quando videt, nisi speciem impressam; hanc autem recipiebat antè: ergo impediebatur ab aliquo producendo, & consequenter quando videt, aliquid producit, quod non producebat antè.

5. *Obiectio 1.* Obiiciunt aduersarij, primò, authoritatem Philosophi 3. de Anima, cap. 2. vbi dicit: *Vnus quidem est actus sensibilis & sensitiui, esse autem alterum.* Quibus verbis intendit actum realem sensibilis obiecti esse eundem cum actu reali sensitiuæ potentiæ; sed actus realis sensibilis obiecti est species impressa: ergo illa est actus potentiæ sensitiuæ; sed actus potentiæ sensitiuæ est sensatio eius: ergo sensatio eius est species impressa in ipsa recepta, & consequenter intellectio, quæ est sensatio intellectus, consistet in specie intelligibili in ipso recepta. *Responsio D. Thom. & Ruuij.* Respondet Ruuius suprà cum D. Thoma *in Commentario istius loci*, Philosophum loqui non de vnitate reali vtriusque actus sensibilis & sensitiui, sed de vnitate subiecti istius actus, ita vt sensus sit, quod tam actus sensitiui, quàm actus sensibilis habeant idem subiectum, nēpe potentiam sensitiuam; cum quo tamen stat illos actus esse distinctos realiter.

Verùm quidquid sit de hac responsione, quæ, si verba respiciuntur, omnino dura est; sicut esset durus modus loquendi, dicere quòd actus calefactiui & siccatiui esset vnus, quando producerent siccitatem & calorem in eodem subiecto. *Melior responsio.* Respondeo aliter, concedendo dicta Aristotelis in sensu formali & reali: nam siue loquamur de specie impressa, illa potest dici actus sensitiui, quatenus ipsum perficit & complet in ordine ad producendam sensationem; & est actus sensibilis quatenus ab illo producitur, siue loquamur de specie expressa, seu sensatione, illa etiam est actus sensibilis, quatenus ab illo producitur; vel immediatè, vel mediante specie sua; & est pariter actus sensitiui, non solùm quatenus ipsum actuat & perficit, sed etiam quatenus ab ipso procedit effectiuè. Minorem autem distinguo, actus sensibilis est species impressa tantummodò, nego: actus eius est illa species, sed non tantùm, concedo. Et similiter distinguo consequens. Distinguo etiam subsumptum illud: *Actus potentiæ sensitiuæ est sensatio eius.* Omnis actus eius est sensatio, nego; aliquis actus, concedo, & nego consequentiam.

Obiectio 2. Obiicies secundò, intellectus intelligit quando fit similis obiecto; sed fit similis obiecto per hoc quòd recipiat speciem intelligibilem impressam: ergo per hoc intelligit. *Responsio.* Respondeo, quando fit similis obiecto per similitudinem expressam eius, concedo; per similitudinem impressam, nego. Distinguo etiam minorem, fit similis per hoc quòd recipiat speciem impressam similitudine expressa, nego; impressa, concedo; & nego consequentiam. Et si quæratur, cur esse similem vno modo sufficiat potiùs quàm altero? Respondeo id colligi ex fundamētis nostræ conclusionis, per quæ patet non sufficere ad hoc vt intelligat intellectus quòd recipiat speciem, atque adeò non sufficere ad hoc vt intelligat, quòd habeat similitudinem quamcunque quam possit dare ipsi ista species in ipso recepta.

Conclusio secunda: *Intellectio nulla neque abstractiua, neque intuitiua consistit actione vera & propriè dicta de prædicamento actionis, per quam nullus terminus producatur.* Hæc est communissima sententia Philosophorum ac Theologorum contra secundam sententiam. Probatur primò ex Doctore hîc §. *Præterea actionis.* & §. *Quod autem non sit actio*, quia omnis actio de prædicamento Actionis debet habere terminum per ipsam productum: ergo implicat dari actionem de prædicamento Actionis, quæ talem terminum non habet, & consequenter intellectio non potest consistere in tali actione. 6. *Conclusio 2. Intellectio nō consistit in actione vera per quā nullus terminus producitur. Probatio 1.* Probatur antecedens, quia per hoc distinguitur prædicamentum Actionis à cæteris Prædicamentis omnibus, nec vllus alius conceptus actionis vt sic, assignari potest, quo distinguatur ab illis, quàm quòd dicatur esse determinatio actualis essentialiter faciens causam actiuam producentem actu aliquid: ergo essentialiter dicit ordinem ad terminum per illum producendum. *Actio de prædicamento Actionis necessariò habet terminum.* Probatur hoc vltimum antecedens, quia aliàs non posset assignari quomodo distingueretur ab aliqua specie qualitatis.

Responsio. Dices, Actionem distingui posse ab aliqua specie qualitatis per hoc quòd esset determinatio actualis ad terminum. *Replica.* Contrà, vel intelligis hoc de termino, vt sic, abstrahendo à termino per eum producto, vel de termino producto: si secundum dicis, habemus intentum: si primum, contrà est, quia sic omnis determinatio actualis ad terminum, esset de prædicamento Actionis; quod patet esse falsum, quia *vbi* intrinsecum est determinatio ad terminum, & tamen non est de prædicamento Actionis.

7. *Probatio 2. contra Caiet.* Probatur secundò conclusio contra Caietanum, quia intellectio vt sic, potest dari absque termino per eam producto, vt ipse asserit, quia admittit aliquam intellectionem absque termino producto: ergo & omnis. Probatur consequentia, quia qua ratione intellectus per aliquam intellectionem sine termino per eam producto posset intelligere, eadem ratione posset per omnem: ergo nulla deberet habere terminum productum; ideò enim deberet aliqua habere, quia aliàs per eam non posset intelligere intellectus. *Si aliqua intellectio posset esse absque termino, omnis posset.* Probatur antecedens, impugnando disparitatem, quam assignat Caietanus, dicens, propterea intellectionem intuitiuam sufficere absque termino producto, qui esset verbum mentis, seu species expressa; quia tum obiectum ipsum secundùm se est realiter præsens intellectui; species autem requiritur tantùm, quando non est sic præsens, vt per eam constituatur præsens intentionaliter. Contra hanc disparitatem, quia præsentia quæcunque obiecti, quæ requiritur in quacunque cognitione, est præsentia præcedens ipsam cognitionem: ergo per nullam cognitione debet produci aliquid, quo constituatur vllo modo præsens. *Præsentia obiecti requisita ad intellectionem est præsētia præuia ad intellectionem.* Confirmatur, præsentia realis obiecti quando requiritur ad aliquam cognitionem debet præsupponi ipsi cognitioni: ergo præsentia intentionalis debet præsupponi cognitioni, ad quam requiritur, & consequenter nihil posterius vlla cognitione requiritur ad ponendum obiectum vllo modo præsens.

Contra eandem disparitatem secundò: quando ipsum obiectum est præsens, videtur non per se ipsum formaliter, sed per ipsam cognitionem sine termino producto per illam; ergo sic etiam posset videri, quando esset absens, quamuis nihil per eam produceretur. Probatur consequentia, quia non esset potior ratio cur obiectum absens posset videri mediante termino producto per cognitionem, quàm mediante ipsamet cognitione, si per cognitionem posset videri quando esset præsens.

8. *Responsio.* Dices, cognitionem debere terminari ad aliquid præsens: vnde quando obiectum non est præsens realiter, debet esse præsens intentionaliter, vt terminet cognitionem; sic autem esse non potest præsens, nisi producatur species expressa per cognitionem. *Replica.* Contrà, quia, producta specie expressa, obiectum absens realiter, fit præsens intentionaliter ita sufficienter, vt possit terminare intellectionem, & vt verè cognitio actu terminetur ad illud: ergo, quamuis non produceretur illa species distincta à cognitione, posset esse sic præsens. Probatur consequentia, quia si aliquid impediret, maximè quia vt esset intentionaliter, seu intelligibiliter præsens, dum abesset realiter, requireretur præsentia realis alicuius, in quo contineretur intelligibiliter, & ad quod realiter terminaretur cognitio: sed absque specie expressa producta per cognitionem haberetur aliquid tale præsens realiter: ergo si cognitio in vllo casu potest sufficere, vt intellectus videat, poterit semper. Probatur minor, quia species impressa, quæ est gerens vicem obiecti, est sic præsens, & nihil impedit quo minùs possit supplere omne illud, ad quod poneretur species expressa producta per cognitionem: ergo, &c.

Responsio. Dices, speciem impressam non esse similitudinem expressam obiecti & formalem, sed virtualem tantùm, & propterea eam non sufficere. *Replica.* Contrà, quia si id quod dicitur similitudo expressa, & formalis, non dicatur esse actualis cognitio obiecti (vt communiter dicitur esse) hoc gratis dicitur. Deinde tam conuenit ipsi esse talis similitudo, quàm speciei, aut qualitati vlli productæ per cognitionem. Denique non est ratio cur requiratur similitudo expressa, aut formalis, si species impressa, aut ipsa cognitio nō sit talis.

Dices secundò, per speciem impressam fieri obiectum præsens, tanquam principium intelligendi, non verò tanquam obiectum. Contrà, quia si potest fieri præsens tanquam obiectum per speciem cognitione productam, nihil impedit quo minùs sic dicatur fieri præsens per speciem impressam: vtrumque enim munus non repugnat speciei impressæ. Quemadmodum enim ipsum obiectum, quando est realiter præsens, habet vtrumque munus respectu cognitionis intuitiuæ, ita etiam speciei impressæ potest competere vtrumque munus respectu cognitionis abstractiuæ. Et sanè per hoc, meo iudicio, conuincitur esse superfluam speciem vllam, quæ produceretur per cognitionem, si vnquam cognitio potest sufficere ad cognoscendum absque specie producta per ipsam: vnde prædicta disparitas & sententia Caietani in ea fundata, nec probabilitatem quidem habere videtur.

Probatio 3. Contra illam disparitatem, & sententiam tertiò, quia pro illo priori, quo antecedit cognitio speciem, seu qualitatem illam in absentia obiecti productam, intellectus est cognoscens: absurdum enim videtur esse cognitionem in intellectu pro aliquo instanti, quin per ipsam pro eodem cognoscat: ergo non requiritur aliqua qualitas posterior ipsa cognitione vt dicatur cognoscens, & consequẽter nullo modo requiritur talis qualitas distincta à cognitione, & per ipsam producta, neque in absentia, neque in præsentia reali obiecti.

Quartò denique contra Caietanum facit quòd si intellectio sit actio de prædicamento Actionis, vt debet esse, si per eam vnquam producitur verbum mentis, semper debet necessariò habere terminum productum, actualis enim determinatio alicuius ad aliud semper debet esse talis, vt patet ex doctrina communi de relationibus & modis. 9. *Probatio 4.*

Fundamentum aduersariorum esse potest, quòd intellectio sit actio immanens & operatio, & quòd distinguatur ab actione transeunte, per hoc quòd transiens relinquat opus post se, & consequenter habeat terminum; immanens verò non relinquat opus post se, & consequenter non habeat terminum. Quod discrimen vtriusque desumitur ex Philosopho 9. *Metaph. text.* 19. dicente: *Quorum non est aliud opus præter actionem in ipsismet actio, vt visio in vidente, speculatio in speculante, & vita in anima*: ergo intellectio non habet terminum per ipsam productum. Respondeo primò, hinc sequi contra Caietanum, quòd nunquam habeat terminum productum. Respondeo secundò, concedendo totum: sed inde non sequitur quòd consistat in actione de prædicamẽto Actionis nō habente terminum per ipsam productum. Itaque si capiamus actionem immanentem pro ipsa intellectione, seu specie expressa, quam intellectus in se producit: illa quidem non habet terminum productum, nec est de prædicamento Actionis; si verò per actionem immanentem intelligamus actionem per quam agens illam speciem producit, illa habet terminum & est de prædicamento Actionis, vt patet. Cætera fundamenta proponemus infrà, contra nostram sententiam. *Fundamentũ Caietani.* *Respondetur.*

Conclusio tertia: Intellectio non consistit in qualitate de prædicamento Qualitatis, quæ per nullam actionem producitur. Hæc est communior contra tertiam sententiam, quam expresse tenet Auersa, & probabilem reputat Suarez, ac Hurtado, quod & ego etiam censeo. 10. *Conclusio 3.*

Probatur tamen conclusio; quia ideò esset qualitas producta sine actione distincta, quia seipsa egrederetur à potentia intellectiua, applicatis aliis comprincipiis, & proptereа superfluè poneretur actio realiter distincta: sed hoc est falsum; quia aliàs, vt dicemus conclusione sequenti, non posset eadem intellectio procedere ab intellectu & habitu, qui procederet ab intellectu solùm, & sic habitus simpliciter requireretur ad omnem intellectionem, quæ ab ipso procedit: sicut enim eadem actio non potest ab intellectu & habitu procedere, ita etiam neque eadem intellectio; si intellectio seipsa egrederetur à potentia sicut actio, vt fieret secundùm aduersarios. Respondet Auersa, negando minorem: & ad probationem respondet primò concedendo sequelam, & negando absurdum id esse: sed certè id minùs probabile apparet, & minùs conforme principiis communibus: & præterea non potest assignari vlla alia qualitas absoluta, quæ seipsa sic egreditur, aut ita determinat vnam causam secundam, quin ab aliqua alia etiam possit procedere. Fateor tamen hanc responsionem vix impugnari posse, & propterea videtur mihi probabilis. *Intellectio nō est qualitas producta sine actione.* *1. Probatio.* *Responsio Auersæ.* *Replica.* *Prædicta responsio est probabilis.*

Respon

Responsio 2. eiusdem.

Respondet secundò ad eandem probationem, negando sequelam, quia licèt actus vitalis seipsa egreditur à potentia vitali, tamen non seipsa egreditur ab aliis causis, & consequenter possunt iidem actus vitales à diuersis causis aliis, vt à diuersis habitibus, vel à diuersis speciebus prouenire. *Replica. Præter actionem totalem nulla alia actio requiritur.* Hæc responsio multò minùs sufficit, quia quotiescunque est actio totalis, aut supplens vicem actionis totalis, per quam effectus aliquis producitur, nunquam debet assignari alia actio respectu ipsius; sed si actus vitalis seipso egrederetur à potentia vitali, quoties produceretur à parte rei, poneretur actio totalis, aut supplens vicem actionis totalis respectu ipsius sine vllis aliis actionibus: ergo superfluè adessent omnes aliæ actiones præter ipsam, & entitatem actus vitalis.

II. *Probatio 2.*

Probatur secundò conclusio: quando intellectus intelligit aliquid producit verè & realiter, vt fatentur aduersarij; ergo habet actionem de prædicamento Actionis: talis enim actionis munus est dare illam denominationem: ergo non habet solam qualitatem de prædicamento Qualitatis. Confirmatur, si esset aliqua ratio ob quam non daretur talis actio, maximè, quia haberet talem connexionem actus vitalis cum potentia vitali, vt non possit existere à parte rei realiter, quin ab ipsa sit producta. *Productū ab aliquo sine quo non posset existere potest produci per actionem à se distinctam.* Sed hæc ratio non sufficit, quia etiam Filius æternus habet talem connexionem cum Patre æterno, vt non possit existere realiter, quin producatur à Patre æterno, & tamen producitur per dictionem ab ipsomet realiter distinctam repertam in Patre: ergo non obstante illa connexione, quamuis eam admitteremus, adhuc posset produci ille actus per veram actionem ab ipsomet realiter distinctam. Deinde in nostra sententia intellectio potest à solo Deo in intellectu produci: vnde hæc ratio supponit falsum.

Doctrina Cōplutensiū de natura intellectionis.

Complutenses Carmelitæ conuenire videntur cum Auersa *disp. 21. de Anima, quæst. 4.* vbi dicunt dictionem non esse aliam operationem ex æquo distinctam ab intellectione, sed esse ipsammet intellectionem cum modo quodam, seu formalitate modali superadditam, quem modum, seu formalitatem ponunt non vt producatur ipsamet intellectio, sed potiùs vt intellectio producat verbum. Pro qua doctrina citant plures authoritates D. Thomæ. *Reiicitur.* Sed imprimis si tanti res esset, facilè esset ostendere nullo modo fauere ipsis dictas authoritates. Deinde postea ostendemus quòd dicunt de verbo producto per intellectionem, quæ esset qualitas absoluta, malè fundari.

Tertiò denique quod asserunt dictionem non distingui ex æquo ab *intelligere*, sed solùm esse modum quendam ipsi superadditum, si per hoc intelligunt quòd non habeat tantam distinctionem ab intellectione ex hypothesi quòd intellectio producat verbum, quantam habet actio vlla à sua causa, omnino falsum est; quia est eadem ratio ponendi æqualem distinctionem actionis à sua causa, vel subiecto, ac dictionis ab *intelligere*, vt discurrenti patet. Rursus quamuis intelligere produceret verbum, tamen dictio quæ esset productio, non deberet esse modus ipsius *intelligere*, sed ipsius verbi, in Thomistarum sententia, qui ponunt actionem ex parte termini.

12. *Prima ratio Cōplutēsium.*

Sed examinemus etiam rationes, quas adducunt ad probandam hanc suam doctrinam. Itaque probant primo verbum procedere ab *intelligere*, & consequenter dictionem, quæ dicitur verbum, non esse distinctam ab intelligere, seu intellectione: verbum procedit à notitia rei intellectæ: ergo ab intelligere. Probatur antecedens primò, quia hoc ipso, quo nihil intelligatur, nihil potest intellectualiter dici: ergo verbum procedit ab intelligere. Secundò, quia præcisè per hoc quod prædicatur verbum habet res intellecta esse intellectam: ergo verbum procedit ex notitia rei intellectæ. Tertiò, quia de ratione verbi mentalis est quòd procedat ab intellectu tanquam terminus suæ operationis; sed operatio adæquata intellectus est notitia rei intellectæ. Quartò denique, quia Verbum diuinum procedit ex cognitione essentiæ diuinæ: ergo verbum creatum procedit ex aliqua cognitione.

Respondeo negando antecedens: nam potiùs verbum est ipsa notitia rei cognitæ. *Responsio.* Ad primam probationem nego consequentiam; quia non ideò nihil dicitur si nihil intelligitur quòd id quod dicitur procedit ab intelligere, sed quòd id quod dicitur sit ipsamet intellectio. Ad secundam probationem, nego etiam consequentiam: ideò enim res intellecta habet esse talis præcisè, per hoc quod producatur verbum; quia ipsum verbum est intellectio. Ad tertiam probationem distinguo maiorem; tanquam terminus suæ operationis, quæ est dictio, seu actio productiua intellectionis & notitiæ genitæ, concedo; tanquam terminus operationis quæ est qualitas, nego maiorem. Distinguo etiam Minorem, operatio quæ est qualitas, concedo; operatio quæ est dictio, seu actio de prædicamento Actionis, nego. Ad quartam probationem, distinguo antecedens, tanquam ex ratione formali producendi, nego; tanquam ex aliqua perfectione præsupposita necessariò, transeat: & nego consequentiam; quia ad verbum creatum non debet præsupponi notitia, neque tanquam ratio formalis, neque tanquam perfectio necessariò competens supposito ante productionem verbi.

Probant secundò dictionem esse modificationem intellectionis; quia per hoc quòd intellectio producat verbum, non infertur specialis aliqua habitudo intellectionis ad obiectum: ergo talis productio addit modificationem tantùm, & non nouam speciem intellectionis. *Secūda ratio eorundem.*

Respondeo, negando antecedens; quia per hoc quòd producat verbum, colligitur quòd sit distinctæ speciei ab intellectione non producente, cùm illa, quæ non producit, debeat esse abstractiua; altera, quæ producit, intuitiua: abstractiua autem cognitio sine dubio distinguitur specie ab intuitiua. *Responsio.* Deinde si concederetur totum, non sequeretur, quin dictio distingueretur tantùm ab *intelligere*, quantum vlla actio à suo subiecto, vel causa.

Cætera quæ prædicti authores dicunt in solutione argumentorum quæ sibi proponunt, facillimè impugnari possent: sed breuitati impræsentiarum studebimus, alio loco de his fusiùs acturi. 13.

Conclusio 4. Intellectio nō consistit in actione productiua termini.

Conclusio quarta: Intellectio non consistit formaliter in actione, per quam producitur semper terminus aliquis, nec in actione, & illo termino simul. Hæc est contra quartam sententiam & quintam, quas vt meliùs percipiat quis, aduertendum inter illas & Scoti sententiam vix esse aliam, quam de modo loquendi differentiam; nam cùm illæ ponant necessarium esse semper

per

per quoties intellectus intelligit, quod habeat & actionem de prædicamento Actionis, & qualitatem per eam productam, quæ sit species expressa obiecti, & nihil aliud requirant; quandoquidem Scotus etiam vtrumque horum requirat, quantum ad rem ipsam videntur conuenire, & in hoc solùm discrepare quòd quarta sententia ponat intellectionem consistere formaliter in ipsamet actione sola & præcisè considerata; quinta verò in actione & qualitate simul; nos verò in sola qualitate.

Probatio 1. Probatur ergo conclusio quoad primam partem ex Doctore §. *Quod autem non sit actio.* Intellectio est vltima perfectio intelligentis, qua intellectiuus est: ergo non consistit in actione productiua termini. Antecedens patet, quia eo ipso, quo intelligeretur intellectus reductus ad actum secundùm perfectum intellectionis alicuius obiecti, quamuis nihil aliud intelligeretur aduenire ipsi, intelligeretur vltimatè compleri in ordine ad tale obiectum. Probatur consequentia, quia nulla actio de prædicamento Actionis productiua termini, potest esse aut intelligi vltima perfectio rei cuius est; quia omnis talis essentialiter ordinatur ad terminum per eum producendum, qui terminus si perficiat agens, erit potiùs vltimata perfectio eius, quàm ipsamet actio ad ipsum ordinata, vt patet; si verò non perficiat agens, tum nec actio erit perfectio agentis, sed potiùs erit perfectio illius quod recipit terminum productum, aut ipsiusmet termini producti, si producatur in seipso.

Per intellectionem vltimate completur intellectus.

Nulla actio de prædicamento Actionis est vltima perfectio agentis.

14. *Replica.* Quòd si dicas intellectionem, aut alios actus immanentes non posse esse vltimam perfectionem agentis per ipsas, quandoquidem per ipsas producantur habitus.

Responsio 1. Respondet Doctor primò ex hoc ipso probari, quod intellectio non possit esse actio, quia actus immanentes non sunt productiones habituum, eo modo, quo actio de prædicamento Actionis est productio sui termini, quandoquidem sæpè habeantur, cùm non producatur habitus (vt cùm habitus est summè intensus, aut cùm actus est longè remissior, quàm habitus antè acquisitus, secundùm aliquos) & semper haberi possent, si Deus nunquam vellet concurrere ad productionem habitus; sed producunt habitus per modum principiorum actiuorum, aut dispositiuorum, habentium virtutem productiuam, aut dispositiuam in actu primo. At actio de prædicamento Actionis est productio tantùm sui termini, & non est causa productiua eius: ergo si actus immanentes producunt habitus, non sunt actiones de prædicamento Actionis. Confirmatur, actio de prædicamento Actionis est relatio secundùm veriorem Scotistarum sententiam, aut modus secundùm recentiores; sed nec relatio, nec modus potest habere virtutem productiuam qualitatis realis, qualis est habitus: ergo si actio immanens producit habitum, non potest esse actio de prædicamento Actionis.

Differētia inter modū quo actio producit terminum, & actus vitalis habitum.

Responsio 2. Respondet secundò, habitum non posse esse terminum intrinsecum, ad quem per se ordinetur intellectio, tum quia, vt dictum est, intellectio potest haberi sine habitu sequente; tum, quia ipsimet habitus ordinantur ad aliam intellectionem, & tandem sistitur in aliqua intellectione, quæ non indigeat habitu; vnde potiùs intellectio est vltimus terminus & vltima perfectio intellectus quàm habitus: cuius etiam indicium est quòd si posset haberi intellectio perfectissima, & perfectissimo modo sine habitu, sufficienter perficeretur intellectus per illam: sed si haberetur habitus perfectissimus & perfectissimo modo sine intellectione, non sufficienter perficeretur intellectus: ergo intellectio potiùs est vltima perfectio, quàm habitus.

Habitus non est vltima perfectio subiecti.

Probatur secundò quoad eandem partem, quia si ipsamet actio de prædicamento Actionis esset intellectio, nullum haberet effectum qualitas sequens: sed est absurdum ponere aliquā qualitatem absque aliquo munere, vel effectu: ergo cognitio non consistit formaliter in illa actione. Probatur sequela, quia nullus effectus tribui potest ipsi nisi in ordine ad constituendum intellectum intelligentem; sed hoc habet formaliter ab intellectione. Dices intellectionem non posse esse sine illa specie, quæ est terminus eius; & consequenter esse necessariam illam qualitatem vt sit intellectio. Contrà, quia hinc sequeretur non esse necessariam qualitatem illam, nisi in ordine ad hoc vt habeatur ista actio, quæ est formaliter intellectio, & non habere aliud munus; sed hoc est absurdum: ergo nulla responsio. Probatur subsumptum, quia vniuersaliter potiùs actio est in ordine ad terminum, & ad hoc vt sit terminus, quàm terminus in ordine ad hoc vt sit actio: vnde si terminus non esset proficuus, nec actio esset proficua: ergo terminus debet habere aliquem effectum distinctum ab hoc quod est terminare actionem, aut adesse vt sit actio. *Probatio 2.* *Responsio.* *Replica.*

Probatur tertiò eadem pars, quia si intelligere esset producere, intelligi esset produci; sed hoc est absurdum: sic enim Deus deberet dici toties produci, quoties intelligeretur: ergo & illud vnde sequitur. Dices Deum produci in esse diminuto, seu intentionali quoties intelligitur. Contrà, quia secundùm oppositam sententiam intelligere non solùm esset producere intentionaliter, sed producere realiter: ergo intelligi non esset tantùm produci in esse intentionali, sed etiam in esse reali, & consequenter responsio nulla. *Probatio 3.* *Replica.* *Responsio*

Probatur quartò conclusio, quoad vtramque partem, secundùm communem modum loquendi Scholasticorum, & præsertim Augustini 9. *de Trinit. cap. vlt.* intellectio, & notitia ac cognitio obiecti dicitur produci, & gigni ab obiecto & intellectu; sed actio de prædicamento Actionis non dicitur propriè gigni, aut produci: ergo intellectio non consistit formaliter in actione de prædicamento Actionis: nec sola, vt vult tertia sententia Conimbricens. nec in illa simul, & suo termino, ac passione, vt vult quarta sententia Hurtadi. *Probatio 4.*

Probatur quintò contra vtramque sententiam, quia sequeretur habitum ad actum immanentem, quem producit, simpliciter requiri, ita vt nec de potentia absoluta posset ille actus fieri absque illo habitu. Sed hoc est contra vulgare axioma, quòd habitus acquisiti requirantur non ad *esse* simpliciter actus, sed ad faciliùs ipsum producendum; & quòd per hoc distinguatur partim ab habitu supernaturali in substantia: ergo non est dicendum. Probatur sequela, quia si actio sit essentia, aut de essentia operationis immanentis, verbi gratiâ intellectionis, certum est intellectionem prouenientem ab habitu non posse esse sine ipsa; modificatio enim & determinatio essentialis vnius termini, aut subiecti, qualis est actio, *Probatio 5.*

non

non potest esse sine illo termino, vel subiecto; & hinc similitudo vnius parietis non potest de potentia absoluta poni in alio pariete.

Probatio 6. Probatur sextò contra quartam sententiam specialiter, quia secundùm eam, operatio immanens esset ens per accidens, & ad nullum propterea Prædicamentum pertinens, quod absque necessitate non est dicendum. Confirmatur, actio transiens est aliquid vnum per se spectans ad vnum aliquod Prædicamentum: ergo & immanens; eadem enim est ratio.

15. *Obiectio 1.* Obiicies pro Conimbricensibus, intellectio est assimilatio quædam inter intellectum & obiectum, ratione cuius Philosophus 3. *de Anima, text.* 16. ait, intellectum in actu, & sensum quoque fieri ipsam rem cognitam; & inde etiam Augustinus 14. *de Trinit. cap.* 17. dicit visione beatifica intellectum perfectè assimilari Deo, iuxta illud 2. Ioan. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est:* ergo per intellectionem Dei necessariò producenda est similitudo expressa Dei.

Responsio. Respondeo, negando consequentiam: sed potiùs sequitur ipsammet intellectionem esse similitudinem Dei, magis enim formaliter intelligitur locutio Augustini, & Scripturæ, si dicatur quòd ipsa visio & intellectio Dei sit similitudo eius expressa, quàm quòd per eam producatur similitudo expressa eius.

Obiectio 2. Obiicies secundò pro Hurtado, & quarta sententia: *Intelligere est quoddam pati*, ex Philosopho 3. *de Anima:* ergo includit passionem. *Responsio.* Respondeo negando consequentiam; quia eatenus est quoddam pati, quatenus debet intellectio recipi, non quatenus est passio de prædicamento Passionis, aut quatenus includeret essentialiter passionem.

Obiectio 3. Obiicies tertiò pro eodem: Intellectio est vita in actu secundo: ergo includit actionem per quam producitur qualitas, seu species expressa. Probatur consequentia, quia vita in actu secundo est id quod facit viuens in actu primo viuere formaliter in actu secundo: sed vel ipsa actio productiua speciei expressæ hoc facit, vel certè includitur essentialiter in eo, quòd hoc facit; & consequenter vel actio erit intellectio, vel erit de essentia intellectionis.

Responsio. Respondeo, negando consequentiam, & distinguendo Maiorem probationis, est illud quod hoc facit per modum actionis, nego Maiorem: per modum formæ productæ per actionem, concedo Maiorem. Et similiter distinguo Minorem, & nego consequentiam. Quòd si argumentum aliquid valeret, probaret calorem non esse actum secundum calidi, sed calorem cum receptione, aut informatione eius; quia talis receptio, aut informatio necessariò requiritur vt subiectum calidum fiat formaliter calidum in actu secundo; hoc autem videtur esse contra omnes.

16 *Conclusio 5. Per intellectionem non producitur verbum.* Conclusio quinta: Per intellectionem nunquam producitur verbum aliquod mentis, aut species expressa, quæ esset qualitas distincta à qualitate ipsiusmet intellectionis; & consequenter intellectio non distinguitur realiter à verbo mentis, aut specie expressa obiecti. Hæc est contra sextam sententiam, & Complutenses, qui dicunt intellectionem ipsam esse qualitatem, & per eam, quandoque saltem, produci aliam qualitatem realiter distinctam, quam putant esse verbum mentis, & speciem expressam, ac similitudinem obiecti intellecti, sine qua quandoque non posset terminare intellectionem.

Probatur conclusio facilè ex dictis in secunda conclusione contra Caietanum; quia eo ipso quo habet intellectus intellectionem, quæ non sit, præsertim actio de prædicamento Actionis, sed qualitas absoluta, quamuis nulla alia qualitas per ipsam produceretur, intellectus intelligeret: ergo chimæricum est asserere necessitatem alterius qualitatis. Probatur antecedens; quia haberet omnia quæ essent necessaria vt diceretur intelligere, haberet enim intellectionem, & speciem impressam, & obiectum sufficienter applicatum, sed nihil aliud requiritur: ergo. Confirmatur efficaciter: si esset necessitas speciei expressæ productæ per qualitatem intellectionis, maximè vt haberetur aliquid, quod terminaret intellectionem, in casu quo obiectum esset realiter absens, aut materiale, ac propterea improportionatum secundùm se ad terminandum intellectionem: sed vel non requiritur aliquid quod terminet intellectionem realiter, vel certè sufficiet ad terminandam ipsam, species impressa, in qua tam benè potest repræsentari obiectum, supposita intellectione, quàm potest repræsentari in specie expressa: ergo superfluè ponitur species expressa producta per qualitatem intellectionis. *Probatio 1.* *Confirmatio.*

Probatio 2. Probatur secundò, ipsamet intellectio, seu notitia genita, est verbum mentale, aut saltem species expressa & similitudo formalis obiecti: ergo præter eam non requiritur vnquam alia species expressa, aut verbum mentale. Consequentiam admittent sine dubio aduersarij, ne cogantur admittere duo verba eiusdem obiecti simul requiri ad eius intellectionem. Probatur antecedens; tum, quia est repræsentatio formalis obiecti, tum, quia ratione eius simus similes obiecto; vnde in patria vbi habebimus cognitionem intuitiuam Dei, nec producetur aliud verbum distinctum à cognitione secundùm aduersarios, erimus tamen similes Deo ratione visionis beatæ, iuxta illud 2. Ioan. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Repetentur supradicta contra Caietanum. *Intellectio est verbum.*

17. *Obiectio.* Obiicies: Verbum mentale est obiectum internum intellectionis, supplens locum obiecti quantùm ad terminandam intellectionem, quando obiectum aut est absens, secundùm *esse* reale suum, aut est materiale: ergo distinguitur realiter ab intellectione; neque enim hæc terminari potest ad seipsam. Probant antecedens Complutenses, primò variis authoritatibus D. Thomæ. Probant secundò, quia proprium est intellectus trahere ad se obiectum, & proprium est obiecti, & mouere ad intellectionem, & terminare illam: ergo secundùm vtramque rationem, & vt motiuum, & vt terminatiuum debet trahi ab intellectu, quoties ipsummet obiectum non est per se vnitum illi, aut sufficienter proportionatum; sed per speciem intelligibilem distinctam ab intellectione trahitur vt motiuum, & vt sic solùm trahitur per eam: ergo debet per aliam speciem expressam distinctam à cognitione trahi vt terminatiuum.

Responsio. Respondetur facilè, negando antecedens, & ad primam probationem ex D. Thoma facilè esset eius authoritates explicare contra Complutẽses, si iis moueremur. Ad secundam verò probationem transeat antecedens, & consequentia prima, &

& concedo subsumptum pro prima parte, nego verò ipsum pro secunda parte simul cum consequentia. Itaque, vt dixi antea, si requiritur ad intelligendum obiectum, vt secundùm suum *esse* reale, aut secundùm *esse* intentionale quod habet in aliqua qualitate distincta à qualitate intellectionis, reperiatur intra intellectum, profectò nihil prorsus impedit quo minùs sit intra intellectum secundùm *esse* intentionale, per hoc quòd species intelligibilis impressa ipsius sit intra intellectum: quemadmodum enim ipsum obiectum, si esset realiter vnitum intellectui, secundùm aduersarios, posset & mouere ad intellectionem intuitiuam, & terminare intellectionem intuitiuam sui: ita etiam posset species impressa eius & mouere ad intellectionem, & terminare intellectionem ea ratione, qua posset species expressa id facere.

Species impressa potest, & mouere ad intellectionem, & terminare illam.

18. *Conclusio 6. Intellectio est vera qualitas producta per actionem.*

Conclusio sexta: Intellectio est vera qualitas de prædicamento Qualitatis producta per actionem de prædicamento Actionis, non exigens aliam qualitatem posteriorem seipsa vt reddatur quis per eam actu intelligens. Hæc est communior sententia cum Scoto hîc & suis: probatúrque ex dictis sufficienter. Confirmatur; quia non est Substantia, cùm adsit, & absit, instar aliorum accidentium; nec Quantitas, quia hæc est accidens corporeum in solis corporeis repertum, vt patet; nec *Habitus* vltimi prædicamenti, qui est respectus ad vestes; nec *Vbi*, quod est respectus ad locum; nec *Quando*, qui est respectus ad tempus; nec Actio, aut Passio ex dictis, nec relatio intrinsecùs adueniés, cùm non oriatur necessariò ex positione fundamenti & termini, verbi gratiâ intellectus & obiecti; nec ex positione vllius prioris, quod non sit actio productiua ipsius: ergo est qualitas propriè dicta de prædicamẽto Qualitatis.

Confirmatur secundò ex Doctore quantùm ad hoc quòd non sit relatio, auctoritate Augustini 7. *de Trinit.* Omnis essentia quæ relatiuè dicitur, est aliquid excepto eo, quod relatiuè dicitur, id est, dicit aliquid præter relationem, per quam relatiuè dicitur; sed intellectio dicitur relatiuè, refertur enim ad intelligibile per modum mensurati ad mensuram; sic scilicet vt ex perfectione obiecti possit colligi, cæteris paribus, perfectio intellectionis; quemadmodum ex applicatione mensuræ ad aliquid potest cognosci quantitas eius, siue molis, siue perfectionis, prout mensura applicatur ad ipsum: ergo dicit aliquid præter relationem, quam dicit ad obiectum, quòd non sit relatio ad obiectum: sed illud nihil aliud esse potest quàm qualitas: ergo, &c.

19. *Obiectio.*

Obiicies: Philosophus 10. Ethicorum, cap. 3. ait: *Nec enim virtutis operationes qualitates sunt, neque fœlicitas*; sed operationes virtutis & fœlicitatis sunt actiones immanentes intellectus, & voluntatis: ergo tales actiones non sunt qualitates, & consequenter intellectio non est qualitas. Confirmatur, quia idem Philosophus 9. *Metaph.* 9. & 1. *Magnorum moralium vlt.* diuidit veram & propriam actionem in transeuntem, & immanentem: ergo vtraque est vera actio de prædicamento Actionis, & consequenter intellectio, quæ est secundùm omnes, actio immanens, erit de prædicamento Actionis, non de Qualitatis.

Responsio 1.

Respondeo primò, Philosophum non tam asseruisse quàm supposuisse ex sententia eorum, quorum ibi argumento respondebat, operationes virtutis non fuisse qualitates, & tamen fuisse bonas; vt inde ostenderet non valere ratiocinationem eorum inferentium quòd voluptas non esset bona, quia non erat qualitas: nam cùm operatio virtutum secundùm ipsos fuisset bonum quid, quamuis non esset qualitas; voluptas etiam posset esse bonum, licèt non esset qualitas. Respondeo secundò quamuis absolutè vellet illas operationes non esse qualitates, id intelligendum de qualitatibus diu, & perseueranter permanentibus in *esse*, aut de qualitatibus conseruatiuis, aut corruptiuis.

Responsio 2.

Ad confirm.

Ad confirmationem dico, duo reperiri in potentiis vitalibus actu operantibus, quæ possent vocari actus immanentes; vnum est ipsa dictio per quam producitur species expressa; alterum est ipsa species expressa. Si ergo de prima loquamur, concedo actionem vt sic, de prædicamẽto Actionis diuidi vniuocè in immanentem, & transeuntem; & has vtrasque propterea esse proprias actiones de prædicamento Actionis. Si autem loquamur de secundo, quod vocatur *actio immanens*, nego actionem vt sic, diuidi vniuocè in immanentem & transeuntem, & consequenter nego immanẽtem debere esse de prædicamento Actionis. Vnde in forma distinguo antecedens, loquendo de actione immanenti, quæ est actus potentiæ vitalis; diuidit actionem vt sic, in actionem immanentem & transeuntem, diuisione vniuoci in vniuocata, nego, æquiuoci in æquiuocata, vel analogi in analogata, concedo antecedens, & nego consequentiam.

An qualitas vitaliter producta sit propriè dicta actio.

Et si quæras, an actus vitalis sit propriè dicta actio? Respondeo esse quæstionem de nomine, & ad propositum præsens sufficere quòd non sit propriè dicta actio de prædicamento Actionis, siue secundùm alium conceptum sit propriè dicta actio, siue non. Sed quia probabile est quòd ratio cur vocetur actus immanens actio, seu operatio, est propter proportionem, quam habet specialem cum actione de prædicamento Actionis: quæ proportio consistit in hoc quòd quemadmodum actio de prædicamento Actionis est in ipsomet agente (vt Scotistæ tenent) & dependet in *esse* & *fieri* ab ipso, vt agens est, & habet virtutem actiuam, éstque determinatio illius ad aliud. Hinc probabilius censeo actum immanentem non vocari propriè actionem, quia quæ analogicè & propter proportionem, quam habent cum alia, dicuntur talia, non propriè sic dicuntur, aliàs prata dicerentur propriè ridere, dum florent, contra omnes.

20. *Obiectio 2.*

Obiicies: Secundò sequeretur quòd intellectio esset terminus productus per actionem intellectus; sicut calor est productus per calefactionem; sed hoc est absurdum, quia illa actio intellectus esset intellectio, esset enim actus potentiæ intellectiuæ. Confirmatur primò, quia ad actionem non datur actio: ergo intellectio non producitur per actionem, & consequenter erit actio de prædicamento Actionis. Confirmatur secundò, quia per intellectionem producitur verbum mentis: ergo est actio de prædicamento Actionis.

Responsio.

Respondeo, negando minorem cum sua probatione, neque enim esset actus intellectus, sed potiùs actio intellectus, quòd si etiam dicenda esset actus intellectus, tunc falsum esset quòd omnis actus intellectus esset intellectio; sed solus iste actus ipsius esset talis, qui esset qualitas. Ad primã confirmationem, distinguo antecedens, ad actionem de prædicamẽto Actionis, concedo; ad actionem de prædicamẽto Qualitatis, nego antecedens

&

& consequentiam; quia intellectio est actio de prædicamento Qualitatis. Ad secundam confirmationem dico, nobis non facere difficultatem, quia negamus antecedens, intellectio enim est ipsum verbum, quoties habetur verbum in intelligente. Complutensibus autem faceret difficultatem illa confirmatio, concedentibus intellectione produci verbum: sed nobis pro ipsis respondendi cura non est sumenda.

21. *An possit intellectio à solo Deo produci.* Ex his resoluenda est breuiter difficultas valde agitata inter Philosophos, an de potentia absoluta possit intellectio à Deo solo produci sine concursu effectiuo potentiæ intellectiuæ. Respondendum enim est si intellectio dicatur esse aut qualitas seipsa ab intellectu producta sine interuentu actionis, vt tenet Auersa; aut si dicatur consistere in sola actione productiua qualitatis, quæ est species expressa, vt tenent Conimbricenses; vel includere essentialiter talem actionem cum qualitate, vt tenet Hurtado; non posse Deum se solo effectiuè producere intellectionem, etiam de potentia absoluta: quia secundùm omnes non potest se solo producere actionem de prædicamento Actionis alicuius causæ creatæ; cuius ratio est, quia essentia talis actionis est esse determinationem actualem agentis; vnde non potest esse existens, quin sit talis determinatio, & consequenter si esset à solo Deo, sequeretur quòd causa secunda, cuius esset determinatio, ageret effectiuè, & non ageret; non ageret enim ex suppositione quòd solus Deus ageret; ageret autem quia haberet actionem, qua formaliter determinaretur ad agendum.

Non potest Deus se solo producere actionem propriè dictam causæ creatæ.

Si intellectio sit qualitas potest à solo Deo produci. Si autem dicatur intellectionem consistere in qualitate sola non seipsa egrediente, sed per actionem producta, dicendum est, quòd à solo Deo posset produci; quia nihil impedit, & ex communi axiomate Deus potest supplere omnem causalitatem effectiuam causæ secundæ respectu cuiuscunque effectus, qui non est essentialis determinatio effectiua istius effectus, aut cuius productio non argueret in ipso Deo imperfectionem: talis autem esset qualitas intellectionis in hac sententia, quæ cùm nostra sit, absolutè asserendum est nobis contra Vasquez 1. 2. *disp. 9. cap. 1.* Ruuium, & alios, intellectionem à solo Deo produci posse. Confirmatur primò, quia intellectus non habet vllam causalitatem respectu intellectionis, nisi causalitatem effectiuam & materialem extrinsecam, talem scilicet, qualem habet subiectum respectu accidentis ex eius potentia educti; sed huiusmodi causalitates potest supplere Deus, alioquin non potest producere calorem, aut quantitatem extra subiectum: ergo potest qualitatem intellectionis producere absque concursu effectiuo & materiali etiam, quod maius est, intellectus.

Deus potest supplere causalitatem materialem extrinsecam.

22. Confirmatur secundò, quia quòd illa qualitas sit vitalis non impedit quominùs à solo Deo producatur; sed ex hoc potissimùm capite proueniret impedimentum: ergo à solo Deo produci potest. Probatur maior, tum à priori, quia vitalitas eius posset dici consistere in hoc quòd nata sit connaturaliter à suo subiecto solummodo prouenire; tum secundo à posteriori, quia terminus vitaliter acquisitus per mutationem, & augmentationem vitalem animantium potest à solo Deo produci, ita vt animalia augeantur, & nutriantur sufficienter sine cooperatione effectiua sua.

Replica. Dices cum Vasquez, de essentia actus vitalis est quòd per ipsum potentia attendat obiecto; sed illa attentio explicari nequit absque efficientia potétiæ: ergo actus vitalis nequit esse absque tali efficientia, & consequenter nequit esse à solo Deo effectiuè agente. Respondeo, distinguendo maiorem, quando produceretur in ipsa potétia effectiuè concurréte, transeat: quando nó produceretur in ipsa vllo modo, aut quando non produceretur in ipsa sic concurrente, nego maiorem, quæ etiam simpliciter negari potest; nec probatur à Vasquez. *Responsio prima.*

Responsio secunda. Respondeo secundò, negando minorem, quamuis enim ex eo quòd præter receptionem speciei impressæ requiritur ad percipiendum obiectum, quòd potentia attendat & adhibeat peculiarem aliquem conatum, quem non necessariò adhibet, per hoc ipsum quòd recipiat talem speciem, nos suprà collegimus cum communi sententia, requiri quòd potentia produceret aliquid, & non sufficere quòd merè passiuè se haberet recipiendo speciem impressam, tamen cùm non constet, quòd haberet qualitatem speciei expressæ, quin eo ipso, quo haberet ipsam, necessariò attenderet per illam, non improbabiliter fortè dici posset, quòd potentia haberet attentioné, per hoc ipsum quòd haberet in se receptam ipsam speciem expressam, quamuis non haberet vllum concursum actiuum respectu ipsius, siue in producendo, siue in conseruando ipsam. Vnde posset dici quòd attentio potentię ad obiectum consisteret in determinatione formali actuali ipsiusmet potentiæ facta per speciem expressam in ea receptam; ad quam determinationem impertinens esset, à quo produceretur in potentia species expressa, an ab ipsa potentia, an à solo Deo, vel ab aliqua extrinseca causa.

Per intellectionem non productam ab intellectu, posset attendere obiecto.

23. *Non ex efficientia colligitur attentio potentiæ.* Quæ doctrina confirmari potest primò, quia Deus ipse vitaliter attendit obiectis intelligibilibus per intellectionem non productam, sed sibi formaliter communicatam: ergo similiter posset intelligere, & attendere ad obiecta intellectus creatus per intellectionem non productam. Confirmatur secundò, quia non ex efficientia præcisè potest colligi ipsa attentio, ac sensibilis conatus, quem adhibet potentia, & quo fatigatur quando percipit obiectum: ergo non improbabile est, quòd oriatur formaliter ab ipsamet intellectione. Consequentia patet, quia ideò non oriretur formaliter ab intellectione, quatenus colligeretur necessariò ex efficientia. Probatur antecedens, quia potentia habet efficientiam respectu speciei intelligibis impressæ, & producendæ, & conseruandæ, & tamen non habet attentionem, aut conatum aliquem sensibilem, quo fatigatur, vt patet: ergo ex efficientia præcisè non oritur ista attentio, aut conatus.

Dices, hinc sequeretur quòd ex attentione, & conatu potentiæ nó possit colligi actiuitas eius, & consequenter tolleretur vna ex principalibus viis impugnandi eos, qui negant intellectum concurrere effectiuè ad intellectionem producendã, quâ etiam vtitur Doctor *quæst. sequenti huius, d. n. 17.* *Replica.*

Responsio. Ex attentione præcisè non colligitur efficientia. Respondeo, ex illa attentione præcisè, concedo; ex ipsa, & aliis, nego sequelam primam & secundam. Itaque primò ex attentione colligitur esse aliquid in potentia quod non fuit antè, cùm non esset attendens. Deinde quandoquidem posset esse species impressa in potentia, quin esset ista attentio, colligitur optimè aliquid aliud requiri vt fit, præter speciem impressam & intellectum passiuè se habentem: vnde quandoquidem non sit necesse, nec conueniens recurrere ad Deum, nec ad Angelos tanquam ad causam præcisam, & solam istius attentionis & formæ, per quam

Quomodo ex attentione colligitur effectio potentiæ vitalis.

quam potentia attendit; nec aliquod inconueniens sequatur ex eo quòd ipsa potentia dicatur ad illam effectiuè concurrere, optimè colligitur potentiam effectiuè concurrere; & sic colligit Doctor ex attentione actiuitatem potentiæ. Sic etiam Philosophi communiter colligunt actiuitatem aquæ respectu frigoris, quod semel calefacta in se recipit, dum iterum frigescit, nec aliqua alia causa secunda adest, cui ista productio frigoris ascribi possit.

24. Hinc alias duas difficultates cum præmissis connexas soluere poterimus. Prima est, an scilicet potentia intellectiua, in qua produceretur à solo Deo intellectio, intelligeret per eam? Respondendum enim est quòd sic cum Doctore, quæstione sequenti *num.* 37. dicente quòd *si Deus eam causaret, & intellectu nostro imprimeret, non minùs ea intelligeremus:* vnde optimè infert quòd propterea dixit Philosophus *intelligere* esse quoddam pati, non quòd intellectio non procederet actiuè de facto ab intellectu; sed quòd ad constituendum ipsum intelligentem formaliter, ista productio, seu efficientia esset impertinens; cùm ad id solùm sufficeret, & necessariò requireretur receptio intellectionis.

Intellectus intelligeret per intellectionem à solo Deo productam.

Ratio autem huius est, quòd gratis requireretur aliquid vt potentia intelligeret aliud, quàm vt haberet in se receptam intellectionem: in tali autem casu in se haberet receptam intellectionē. Dices vltra intellectionem requiri respectum tendentiæ ad obiectum. Contrà; quia hoc admisso, de quo aliàs, nihil impedit, quo minùs sit iste respectus, aut possit esse, quando Deus se solo intellectionem produceret: ergo adhuc quamuis requireretur vltra intellectionem iste respectus, posset potentia non concurrens actiuè ad intellectionem in se receptam intelligere per illam. Dices secundò: ad intellectionem requiritur attentio potentiæ, sed talis non posset esse absque actione potentiæ; nullam autem actionem debet habere nisi in ordine ad ipsam intellectionem habendam: neque enim assignabilis est terminus alius, quem deberet producere per actionem illam aliam quam simul cum intellectione deberet habere. Respondeo primò, iuxta communiorem modum dicendi Scotistarum, distinguendo maiorem; absolutè & simpliciter nego, quando debet produci cognitio ab ipsammet potentia, concedo. Respondeo secundò iuxta paulò antè præmissa, negando minorem; quia illa attentio esset formaliter per ipsammet intellectionem, siue produceretur ab intellectu, siue non.

Attentio pot. ſt absque efficientia potentia.

25. Secunda difficultas ex his soluenda est, an possit intellectio poni in alio subiecto, quàm in intellectu? ad quam respondendum, quod si ponatur intellectio esse qualitas ex se nata prouenire ab intellectu sine præuia actione, aut si ponatur consistere in actione de prædicamento Actionis, aut includere talem actionem probabilius esse quòd non posset poni in alio subiecto quàm in intellectu; quia nulla alia potentia habet actiuitatem ad illam nec naturalem, nec obedientialem; actio autem, & quod habet egredi ab aliquo absque actione, nequit prouenire ab aliquo subiecto, quàm à subiecto habente actiuitatem ad illa, vt patet: ergo, &c. Maiorem suppono ex doctrina communiori tradita in materia de visione, vbi concluditur oculum corporeum non posse eleuari ad videndum Deum; cum qua doctrina hæc maior connexionem habet.

An possit intellectio poni in alio subiecto quàm in intellectu.

Non si includat actionem de prædicamento actionis, aut si sit qualitas se ipsa producta.

Quid dicendum in nostra sententia.

Si autem nobiscum teneatur, intellectionem consistere in qualitate non includente actionem, nec dicente ordinem essentialem ad actionem sui subiecti; nec à se formaliter à suo subiecto egrediente, sed in qualitate tali, quæ possit à solo Deo actiuè produci. Maior est difficultas; nam siue subiectum, de quo dubitaretur, an in eo produci posset, sit spirituale, vt voluntas, aut essentia animæ, aut Angeli, siue corporale, vt appetitus sensitiuus, aut oculus, difficile omnino videtur assignare repugnantiam, cur non possit in eo poni de potentia absoluta, & hoc esset fundamentum partis affirmatiuæ. Ex alia verò parte fundamentum partis negatiuæ esset, quòd sequeretur ex illa possibilitate, oculum, aut lapidem posse intelligere; quia effectus formalis primarius intellectionis est facere suum subiectum intelligens, & propterea non posset esse in aliquo, cui istum effectum non communicaret.

Ratio pro parte affirmatiua.

Ratio pro parte negatiua.

Et si diceretur, quòd facere intelligens est effectus formalis ipsius, non tamen respectu cuiuscunque subiecti; sed respectu intellectus tantummodo. Contrà est; quia effectus formalis primarius nihil aliud est, quàm communicatio suiipsius absque productione alicuius alterius; sed intellectio producta in oculo, aut lapide, esset tam intimè communicata ipsi; & idem est de quocunque altero subiecto eius immediato, ac est de facto: intellectui ergo omnem effectum formalem, quē habet respectu intellectus, haberet respectu voluntatis, aut alterius subiecti, in quo immediatè inhæreret. Confirmatur, effectus formalis eius significatur per *intelligere*, & *intelligere* nihil aliud est, quàm habere intellectionem in se subiectatam: sicut nec esse album est aliquid quàm habere albedinem in se subiectatam; sed voluntas & oculus, in quo produceretur intellectio, esset habens intellectionem: ergo esset intelligens. Confirmatur secundò, quia si poneretur albedo in cœlo connaturaliter incapaci eius, cœlum esset album: ergo quamuis voluntas esset connaturaliter incapax intellectionis, adhuc esset intelligens, si per potentiam absolutam poneretur intellectio in illa, & idem esset de lapide.

Quid sit effectus primarius intellectionis.

Dices, effectum formalem aliquando dependere ab aliqua conditione particulari ex parte subiecti, quæ conditio si non adsit, quamuis forma sit in subiecto, non dabit illi suum effectum formalem, ergo ex eo quòd intellectio poneretur in lapide, non sequeretur quòd lapis esset intelligens. Probatur antecedens, quia effectus formalis personalitatis est facere personam, & tamen in ordine ad dandum hunc effectum exigit ex parte naturæ singularis quam personat, conditionem intellectualitatis. Vnde quamuis personalitas diuina assumeret naturam irrationalem, non tamen faceret cum ipsa personam, sed suppositum, quia scilicet illa natura non esset intellectualis, sicut debet esse illa, cum qua facere possit personalitas personam. 26.

Sed contrà, quia ideò personalitas non facit personam cum quacunque natura, quam afficit, quia denominatio personalitatis est denominatio extrinseca deriuata ab ipsa natura intellectuali, & non significat effectum aliquem particularem ex se præcisè conuenientem isti formæ, quæ sic vocatur; vnde non est mirum quòd non habeat constituere personam, nisi cum natura intellectuali, à qua sola accipit istam denominationem. Quòd si ista denominatio personalitatis esset intrinseca ipsimet, & significans effectum aliquem conuenientem ipsi

Cur personalitas non faciat personā nisi naturam intellectualē.

ipsi ex natura sua, eodem modo diceretur quòd deberet facere personam quamcunque naturam, quam afficeret sine dependentia ab aliqua conditione particulari ex parte subiecti, sicut diceretur quòd intellectio deberet facere intelligens quodcunque subiectum, in quo inhæreret, per quod patet exemplum de personalitate non facerè ad propositum. Quòd autem personalitas non tribuat aliquem effectum formalem à parte rei naturæ intellectuali ex se, quem non tribuit naturæ irrationali, patet, quia nullum alium effectum tribuit naturæ intellectuali, quàm vltimò complere ipsam, & facere ipsam incommunicabilem: sed sic compleret naturam irrationalem, & faceret ipsam incommunicabilem, vt patet: ergo non requirit personalitas in ordine ad effectum quemcunque, quam ex se formaliter tribuit, vllam conditionem particularem ex parte naturæ, quam afficit; vnde ex hoc exemplo

Personalitas tribuit omnē effectum suū proprium omni naturæ quam afficit.

Confirmatur tertiò, pars negatiua præmissa, nimirum quòd intellectio posita in lapide faceret ipsum intelligentem: quia sicut personalitas communicat cuicunque naturæ, quam afficit, necessariò effectum suum primarium, qui est complere ipsam vltimatè, aut facere ipsam incommunicabilem: ita etiam à pari intellectio debet communicare effectum suum formalem cuicunque subiecto cui inhæret, atque adeò debet facere ipsum intelligens.

Quid est lapidem esse intelligentem?

Confirmatur idem quartò, quia quando quæritur an lapis habens intellectionem esset intelligens. per ly *intelligens* non possumus intelligere intellectum habentem intellectionem, quia sic non posset esse controuersia, & quæstio esset nugatoria. Sed sensus verus, & realis est, an illa forma, quæ vocatur *intellectio*, ex se faciat aliquid circa intellectum, quod non faciat ex se circa lapidem, si poneretur in illo. Sed videtur omnino quòd non faciat, quia non facit formaliter aliquid nisi communicando se, communicat autem se lapidi, si sit in lapide, non minùs quàm intellectui, nec potest Deus impedire quo minùs sic se communicat, si sit in ipso: vnde communiter dicitur quòd Deus nequeat suspendere effectum primarium causæ formalis inexistentis subiecto.

Confirmatur quintò, quia non potest ostendi, cur absurdum sit lapidem intelligere, si admittatur intellectionem posse poni in eo: sed omnes meritò existimant id esse absurdum: ergo non est asserendum quòd intellectio poni possit in eo.

27. *Sententia asserens intellectionem non posse poni extra intellectum.*

Hanc difficultatem vt quis euaderet, posset dicere primò quòd quamuis intellectio non includeret actionem, nec seipsa egrederetur ab intellectu, haberet tamen ordinem intrinsecum, & essentialem ad intellectum, tanquam ad subiectum, eo modo, quo *vbi* intrinsecum, aut relatio, qua constituitur aliquod subiectum in loco, habet ad illud subiectum, & vnio animæ ad animam, ac personalitas (si sit quid positiuum) ad naturam singularem, cuius est propria personalitas; quòd si huiusmodi ordinem haberet intellectio ad intellectum, tam quemadmodum illæ relationes, aut modi absoluti nequeunt esse in alio, quàm in suis propriis subiectis, eodem modo dici poterit de intellectione, quòd non poterit poni in alio subiecto quàm in intellectu, nec etiam vlla ratione extra intellectum. Fundamentum autem hoc modo philosophandi de intellectu esset. Primò quòd non repugnet eam dicere talem ordinem ad intellectum, quandoquidem aliæ formæ sic sint determinatæ ad quædam subiecta, & dicant talem ordinem. Secundò quòd propter rationes præmissas pro parte negatiua huius quæsiti, aliàs sequeretur eam posse poni in voluntate, & quòd consequenter voluntas posset intelligere.

Fundamentum eius.

Contra hunc modum dicendi pro præsenti solùm occurrit. Primò quòd intellectio non sit relatio, nec modus, sed qualitas absoluta perfecta, & consequenter quòd non possit dicere huiusmodi ordinem essentialem ad aliquod determinatum subiectum, ita vt non possit sine eo existere tam benè, quàm forma substantialis potest sine materia prima vlla; aut saltem tam benè quàm quantitas sine suo subiecto, quandoquidem intellectio sit perfector forma, quàm quantitas, atque adeò tam debet esse independens à subiecto, quàm quantitas. Secundò contrà occurrit, quòd falsum sit, ex positione intellectionis in lapide, aut voluntate, secuturam quòd lapis, aut voluntas intelligeret, vt postea videbitur.

Reijcitur.

Posset dici secundò ad soluendam præmissam difficultatem quòd intellectio posset quidem poni extra intellectum, quia non esset tam imperfectæ entitatis, quàm relationes & modi, qui non possunt poni sine suis subiectis; sed quòd cum hoc tamen ex natura sua intrinseca determinat sibi pro subiecto intellectum; ita vt non possit poni in alio subiecto illo: sicut enim de facto formæ substantiales aliquæ, vt anima rationalis potest existere extra omne corpus, sed tamen non potest existere in vllo corpore, nisi in humano: ita posset quis philosophari de intellectione quòd posset poni supernaturaliter extra omne subiectum, sed quòd non posset poni in vllo alio subiecto quàm in intellectu.

Sententia tenens intellectionem posse poni extra intellectum, sed non in alio subiecto.

Fundamentum autem huiusmodi dicendi esset non repugnantia eius, confirmata prędicto exemplo de anima, & prætere quòd alias sequeretur quòd intellectio non posset separari ab intellectu, vt tenet præcedens dicendi modus, vel quòd lapis intelligeret.

Fundamentū eius.

Sed contra hunc dicendi modum facit primò, quòd supponat lapidem, verbi gratia, intellecturum, si in eo poneretur intellectio, quod inferius ostendemus esse falsum. Secundò quòd supponat repugnare formam absolutam, qualis est intellectio, posse poni in alio subiecto quàm in intellectu, si possit conseruari absque intellectu. Quid enim impediret quo minus possit poni vnio inhęsionis ipsius ad voluntatem, vel lapidem, quandoquidem ad terminandam inhæsionem, vt sic, lapis & voluntas habeant sufficientem capacitatem, & inhæsio particularis talis nullam particularem rationem exigat in suo termino. Exemplum verò illud de anima, nihil fauet, sed potiùs est ad oppositum, quia quamuis anima non faceret cum alio corpore quàm cum humano hominem, nec fortè cum alio posset producere sensationes, aut operationes sensitiuas vllas; tamen nihil impedit, quo minùs posset vniri corpori equino per potentiam supernaturalem: ergo similiter quamuis intellectio non faceret voluntatem, aut lapidem intelligentem, tamen posset vniri inhæsiuæ illis de potentia absoluta.

Reijcitur.

Itaque tandem concludendum sentio intellectioné posse poni in alio subiecto quàm in intellectu vt in voluntate, & etiam in lapide, (nisi spiritualitas eius impediat, vt impedire non puto, quamuis de hoc modò nolim agere) quia in hoc nulla

Intellectio potest poni in alio subiecto.

nulla est repugnantia, arguit maiorem perfectionem intellectionis: magisque conforme est principiis asserentibus Deum se solo posse eam producere.

28. Vt autem soluantur rationes in oppositum, & ostendatur quòd in eo casu lapis, verbi gratia, non intelligeret, dici poterit intellectionem non facere intelligens actu suum subiectum, nisi quatenus illud per eam percipit obiectum intellectionis; non potest autem subiectum intellectionis percipere obiectum per eam, nisi quatenus percipit aliquo modo ipsammet intellectionem; sed intellectionem non poterit percipere vllo modo, nisi habeat virtutem perceptiuam per eam, vnde quamuis intellectio ponatur intrinsecè inhærens alicui subiecto, verbi gratia, voluntati, aut lapidi, quia tamen hæc subiecta non habent in actu primo virtutem perceptiuam per intellectionem, propterea non intelligent per intellectionem. Itaque effectus formalis intellectionis respectu cuiuscunque subiecti, in quo est inhæsiuè, est communicatio sui ipsius, sed hîc non est à quo formaliter habet quid esse intelligens; vnde esse intelligens non est esse habens intellectionem; sed effectus formalis eius, quo constituitur aliquid intelligens, est determinatio subiecti ad percipiendum per ipsam, hanc autem determinationem nequit præstare, nisi subiecto habenti virtutem perceptiuam per illam, qualem cùm solus intellectus habet, solum intellectum potest facere intelligentem & percipientem formaliter.

Quomodo facit intellectio intelligens.

Intelligere non est habere intellectionem quomodocunque.

Confirmatur hæc doctrina: quia intellectio diuina licèt intimè identificetur voluntati diuinæ, non facit tamen formaliter voluntatem intelligentem; nec volitio diuina, licèt intimè identificetur intellectui realiter, facit intellectum volentem formaliter: nam hæ propositiones in sensu formali sunt falsæ: *Intellectus diuinus vult formaliter. Voluntas diuina intelligit formaliter.* Et inde sequitur Filium non posse dici produci formaliter per voluntatem, nec Spiritum sanctum per intellectum: sed huius non est alia melior ratio, quàm quòd voluntas non sit intellectiua formaliter in actu primo; nec intellectus volitiuus: ergo vt aliquid dicatur & sit intelligens formaliter, oportet ipsum esse intellectiuum formaliter in actu primo, & natum percipere per intellectionem, & consequenter, quamuis intellectio inhæreret voluntati, non poterit tamen constituere ipsam formaliter intelligentem.

Cur voluntas diuina formaliter nō intelligat.

29. Confirmatur secundò, quia Deus non dicitur formaliter intelligens ex eo, quòd producat intellectionem in se, cùm reuera ipsam non producat, nec ex eo, quòd habeat sibi identificatam intellectionem, quia sic voluntas diuina possit dici formaliter intelligens, sed ex eo à priori, quia habet intellectum & intellectionem ipsi applicatam sufficienter: ergo vt quid dicatur intelligere, debet habere intellectum, aut esse intellectus, & vlteriùs debet habere intellectionem sibi applicatam.

Deus non est intelligens formaliter quod producat intellectionem aut eam habeat.

Confirmatur tertiò, quia intellectus creatus non colligitur intelligere ex eo quòd producat intellectionem in se. Primò, quia, vt suprà dixi, quamuis Deus eam produceret se solo in intellectu, intellectus intelligeret. Secundò, quia Deus ipse intelligit per intellectionem, non productam à se. Tertiò quia scimus nos intelligere experientia, cùm tamen non experiamur nos producere in nobis intellectionem effectiuè, sed ad id probandum vtamur operoso discursu, & adhuc fortè non demonstremus concursum effectiuum intellectus, idque à multis Philosophis negetur, licèt minùs probabiliter, ergo si maneret talis immutatio formalis, qualem sentimus, sine efficientia alicuius rei per intellectum, potuissemus colligere quod intelligeremus: sed nihil impedit quo minùs talis fiat immutatio, quamuis Deus ipse suppleret efficientiam intellectus respectu intellectionis: ergo vt intelligamus formaliter, non requiritur talis efficientia. Quartò denique, quia intellectus producit in se speciem intelligibilem, & tamen non intelligit per illam: ergo non potest colligi quòd intelligat ex eo quòd producat aliquid in se. Dices, non ex eo quòd producat, sed ex eo quòd producat intellectionem id colligi. Contrà, quia quæro quando producit intellectionem cùm dicitur producere intellectionem, & non dicitur producere intellectionem quando producit speciem. Dices, quia illa forma quam producit, dum dicitur intelligere & producere intellectionem, est distinctæ rationis ab ea, quam producit quando non intelligit, & quādo dicitur producere speciem intelligibilem.

Intellectus non intelligit formaliter eo quòd producat intellectionem.

Sed contrà iterum, quia quæro vnde colligitur quòd istæ formæ sint diuersæ rationis? non ex eo quòd intellectus producat aliquo modo vnam, quo non producit alteram, cùm vtramque producat in se: nec etiam ex eo quòd producat vnam non vitaliter, nimirum speciem impressam intelligibilem, & alteram, nempe intellectionem, vitaliter, tum quia non satis probatur, quin vtraque productio sit æquè vitalis, nisi quatenus vna diceretur vitalis à termino, & altera non, quia non haberet talem terminum: vnde priùs deberet cognosci distinctio terminorum, quàm posset colligi quòd vna produceretur vitaliter, & altera non. tum præterea, quia duæ intellectiones colliguntur distingui inter se, quamuis vtraque producatur vitaliter, & simili omnino quoad omnia modo: ergo non ex productione colligitur diuersitas istarum formarum: sed ex eo colligitur diuersitas speciei intelligibilis ab intellectione, quòd alio modo formaliter immutent potentiam, seu ex eo quòd potentia sentiat per formam, quæ dicitur intellectio, & non sentiat formaliter per formam, quæ dicitur species intelligibilis; & ex eo colligitur diuersitas vnius intellectionis sine alia, quòd sentiat potentia per vnam aliquid, quod non sentit per alteram: ergo per hoc præcisè quòd sic immutaretur formaliter potentia, & sic sentiret per formam, diceretur intelligere, quamuis non produceret effectiuè illam formam, & consequenter non habet intelligere formaliter intellectus creatus per hoc, quòd producat effectiuè intellectionem. 30.

Dices non posse intellectum immutari formaliter per intellectionem, nisi quatenus produceretur per ipsum. Contrà, quia si non habet immutari potentia per ipsammet actionem effectiuam formaliter, sed vlteriùs vt immutetur, requirat inhæsionem qualitatis, quæ dicitur intellectio, gratis dicitur, quòd sola qualitas non immutaret sic intellectum: nam non magis difficile est quòd immutaret illa forma intellectum totaliter in genere causæ formalis, quàm quòd immutaret ipsum partialiter: ergo si debet dici quòd immutet partialiter, vt certè debet, quia aliàs frustrà requireretur, omnino dicendum

Cur requiritur effectio intellectionis ab intellectu.

dicendum est quòd immutet totaliter, & quòd actio productiua intellectus requiratur tantùm vt ratio formalis productiua ipsius, non verò vt conditio, aut causa partialis alio modo requisita ad determinationem intellectus. Ex quibus satis probatur propositio prima assumpta in hac confirmatione: vnde ex ea infero hanc aliam: ergo forma, quæ est intellectio, habet vim aliquam formaliter determinatiuam intellectus, sic vt faciat intellectum percipientem, & consequenter cùm non posset habere talem vim, nisi intellectus haberet in actu primo virtutem perceptiuam correspondentem, sequitur quòd quamuis intellectio poneretur in voluntate, vel in lapide, non faceret illa actu intelligentia vel percipientia.

31. Iuxta hanc ergo doctrinam intelligi, & explicari debet, quod dictum est suprà *num.*28. nempe quòd intellectio, vt facia intelligens actu suum subiectum, prærequirat in ipso vim perceptiuam proportionatam, quæ cùm solummodo in intellectu reperiatur, sequitur intellectionem, vt faciat intelligens, prærequirere quòd suum subiectum sit intellectus. Ex hac autem doctrina facilè solui possunt fundamenta posita *num.*25. ad probandum quòd intellectio non posset poni extra intellectum in aliquo alio subiecto.

Soluuntur fundamẽtum & confirmationes partis negatiuæ.

Negandum enim est quòd lapis, aut voluntas habens intellectionem intelligeret, & similiter negandum quòd effectus formalis primarius, quem scilicet per se primò dat intellectio, sit facere intelligens, quamuis ille sit effectus primarius, hoc est, propter quem principaliter ordinata est.

Plures effectus formales formæ.

Vt hoc autem meliùs intelligatur, aduertendum formam aliquam plures posse habere effectus formales, vnum directum, & alterum indirectum. Directus est, quam ex se positiuè dat, & ad quem intelligendum non necessariò intelligitur expulsio alterius formæ, & huiusmodi est facere album, facere intelligens, nec possunt à solo Deo conferri sine causis formalibus: Deus enim nequit facere aliquid album formaliter sine albedine, nec intelligens sine intellectione: quia id implicaret, cùm sequeretur quòd res alba, verbi gratia, haberet & non haberet albedinem. Effectus indirectus, & qui communiter vocatur secundarius, est expulsio alterius formæ positiuæ, facta per introductionem formæ expellentis in idem subiectum; & hic effectus potest fieri à Deo sine causa formali expellente: potest enim Deus expellere nigredinem à subiecto sine introductione albedinis. Potest etiam hic effectus, quandoque saltem, impedire etiam applicata sufficienter causa formali, quia potest Deus efficere vt non expellatur nigredo, quamuis introduceretur albedo in idem subiectum, possunt enim contraria in summo esse simul in eodem subiecto de potentia absoluta, vt modò suppono ex Philosophia.

Effectus secundarius formalis quis? Potest esse sine causa formali & non esse ea posita.

32. Rursus effectus formalis primarius formæ potest diuidi in album, qui magis intenditur à natura, & ad quem magis per se ordinatur forma, & in illum quem magis necessariò habet semper coniunctum secum in suo subiecto; effectus autem primarius primo modo intellectionis, de qua agimus, est determinatio illa formalis potentiæ, per quam fit vt potentia intelligat: & hic effectus non semper concomitatur intellectionem, sed solummodo quando est in intellectu: imò fortassis impedire potest etiam, cùm intellectio esset in ipsomet intellectu, vt si esset nimium occupatus per alias intellectiones, de quo tamen non mihi constat quidpiam certi. Effectus primarius secundo modo intellectionis, & cuiusuis alterius formæ, est communicatio suiipsius, seu ipsamet forma communicata subiecto inhæsiuè aut informatiuè, aut vnitiuè, quomodocunque; vnde nequit intellectio in vllo subiecto esse sine hoc effectu. Per quæ facilè respondetur ad confirmationes prædicti fundamenti.

Effectus formalis primarius duplex.

Ad primam enim confirmationem, nego maiorem pro secunda parte; nam intelligere non est habere intellectionem quomodocunque, sed potiùs percipere per intellectionem. *Ad confirm. primam respondetur.*

Ad secundam confirmationem, nego consequentiam: & ratio est, quia esse album nihil aliud est, quàm habere albedinem, sed esse intelligens non est habere intellectionem, sed percipere per intellectionem habitam, quod nequit conueniri nisi potentiæ intellectiuæ. & propter similem rationem nego sequelam tertiæ confirmationis. *Ad secũdam & tertiam.*

Ad quartam confirmationem, concedo maiorem totam, & nego minorem, quia facit intellectum percipientem, non verò faceret lapidem percipientem. *Ad quartã.*

Ad quintam confirmationem, nego maiorem, quia nihil potest intelligere quod non potest percipere per intellectionem, & nihil potest percipere per ipsam, quod non sit intellectiuum in actu primo, vt suprà ostensum est, vnde cùm lapis non sit sic intellectiuus, sequitur quòd non possit intelligere, quamuis haberet intellectionem. *Ad quintam.*

33. *Secunda quæstio est an ad*, &c. Ex tribus quæstionibus circa intellectionis naturam motis, hîc soluit secundam, quæ est solummodo de modo loquendi. *Secunda quæstio Doctoris.*

Concludit ergo ad intellectionem dari aliquam mutationem per se, quia intellectus habens iam intellectionem, quam non habuit antè, aliter sine dubio se habet iam, quàm antè: ergo iam mutatur, & consequenter habet mutationem; sed illa mutatio, quæ iam est in intellectu, dum intelligit, non est necessaria ad aliquam aliam formam, quàm ad intellectionem; ergo est per se ad intellectionem: illa enim mutatio est per se ad aliquam aliam formam, quæ mutatio est ad illam; & non est ad illam ratione alterius formæ: ad quam per se primò terminaretur mutatio. Confirmatur, non est potior ratio cur daretur per se mutatio ad calorem, quàm ad intellectionem; sed secundùm omnes datur per se ad calorem: ergo & ad intellectionem. Nec refert quòd mutatio ad calorem sit successiua & corruptiua, & consequenter motus propriè dictus, qualis non est mutatio, quę est ad intellectionem; nam quamuis mutatio ad calorem non esset successiua, nec corruptiua, cõueniret ipsi ratio mutationis vt sic. *Datur mutatio ad intellectionem.*

Dices, posset esse mutatio in intellectu, quando haberet intellectionem, quamuis ipsa mutatio non esset ad intellectionem: ergo non colligitur sufficienter mutationem esse ad intellectionem, ex eo quòd dum est intellectio in intellectu sit in eo mutatio. Probatur antecedens, *Instantia.*

dens, quia si intellectio seipsa produceretur ab intellectu, vt tenet Auersa; aut seipsa vniretur intellectui; quamuis mutaretur intellectus per illam, non tamen daretur mutatio ad illam, sed potiùs fieret mutatio per illam; sicut quando agens habet actionem, licèt possit dici quòd mutaretur, quia ea posita aliter se habet quàm antè, non tamen potest dici quòd daretur mutatio ad illam actionem, sed potiùs quòd per ipsam actionem mutaretur, quia actio seipsa egreditur ab agente, & seipsa vnitur illi.

Replica. Contrà, quia supponimus ex dictis intellectionem non egredi seipsa ab intellectu, nec seipsa inhærere ipsi, quandoquidem possit à solo Deo produci, & quidem extra intellectum. Vnde in forma respondeo distinguendo consequens replicę: ex eo præcisè, transeat ex eo, & ex hypothesi quòd non seipsa produceretur, aut vniretur intellectui, nego consequentiam.

Duplex mutatio ad intellectionem Pro complemento huius difficultatis aduerte duplicem posse hîc mutationem ad intellectionem considerari, vnam actiuam per quam effectiuè fieret, alteram quasi passiuam, per quam fieret vt vniretur subiecto, quod mutaretur per ipsam: prima mutatio conuenit intellectui, quatenus est actiua, & est ipsa dictio, quæ est actio de prædicamento Actionis: altera conuenit ipsi quatenus recipit intellectionem, & est ipsamet vnio, quam habet intellectus ad intellectionem, & sine qua posset esse & intellectus & intellectio simul existentes in rerum natura. Quælibet autem ex his mutationibus datur de facto ad intellectionem quamcunque creatam, sed sunt tamen realiter separabiles; quia hæc vltima posset esse sine prima, vt in casu quo à solo Deo produceretur intellectio in intellectu non concurrente effectiuè ad eius productionem.

34. *Tertia quæstio circa naturam intellectionis.* *Tertia quæstio est: An huiusmodi operationum sit productio.* Hæc difficultas est magis adhuc nominalis, seu de modo loquendi, quàm præcedens, & sufficienter expedita à Doctore, qui concludit non dari, propriè loquendo iuxta modum loquendi Philosophi, productionem aut generationem ad intellectionem, seu quod idem est, non posse dici propriè loquendo, quòd intellectio producatur, aut generetur; & quamuis pro illo

Intellectio nō dicitur propriè produci iuxta modū loquēdi Philosophi. instanti, quo intellectus habet intellectionem, habeat etiam productionem, & illa productio sit actio, per quam intellectio fit, tamen non debet dici productio propriè loquendo, vt præcisè terminatur ad intellectionem, sed vt terminatur aut totum compositum per accidens, quod coalescit ex intellectione & intellectu, nimirum ad intelligens. Duo proponit Doctor fundamenta huius modi loquendi. Primum quòd secundùm

Forma non dicitur generari, sed compositum. Philosophum forma non dicatur propriè generari, sed compositum; & hoc siue loquamur de generatione substantiali, per quam producitur totum compositum per se substantiale, & quæ generatio simpliciter, ac sine addito dicitur generatio; siue de generatione accidentali, per quam producitur totum compositum accidentale, vt album, aut dulce, & quæ vocatur generatio secundùm *quid* ad differentiā prioris generationis. Sed intellectio non est compositum neque substantiale, neque accidentale, vt patet: ergo mutatio, quæ ad ipsam terminatur, vt ad ipsam præcisè terminatur, non est productio aut generatio; nec ipsa potest dici propriè loquendo produci, aut generari, siue generatione simpliciter, siue generatione secundùm *quid*.

Alterum fundamentum est quòd generatio 35. sit via à *non esse* ad *esse*, & consequenter quòd *Generatio est via ad esse.* debet dici propriè loquendo, ad illud terminari tanquam ad terminum proprium, quod habet *esse* propriè loquendo: sed propriè loquendo compositum tantùm in materialibus, non verò *Compositum, non forma, habet propriè esse.* forma dicitur esse, seu existere; quandoquidem forma sit ratio qua constituitur compositum intrinsecè: ergo solum compositum, non verò forma debet dici produci & generari. Confirmat hoc; quia secundùm intentionem Philosophi, quod generatur ac producitur à causis secundis sublunaribus, de quibus hîc loquimur, debet esse diuisibile in duo, ex quibus coalescit tanquam ex partibus intrinsecis, nimirum in materiam & formam; & propterea aliqui ex mente ipsius collegerunt formam accidentalem habere partes su-s intrinsecas realiter distinctas, quarum vna esset materialis & altera formalis: & quamuis in hoc errauerint, cùm formæ ac- *Formæ accidentales non habent materiam ex qua, sed in qua.* cidentales non habeant materiam, ex qua tanquam ex parte intrinseca constituerentur; nullum enim sit indicium vnde id colligatur, & propterea gratis assereretur & superfluè; sed materiam, in qua tanquam in subiecto producerentur, & ex cuius potentia educuntur, quod etiam æquè verum est de formis substantialibus: & quamuis etiam malè quoad hoc intellexerint Philosophum, dum dixit, id quod generatur generatione accidentali componi ex materia & forma, eatenus enim hoc dixerat quatenus existimat compositum per accidens quod ad illam generationem sequitur *esse* illud quod propriè generari dicitur: quamuis inquam in hoc errauerint, & malè intellexerint Philosophum, tamen signum est quòd Philosophus voluerit illud quod generatur, tam generatione substantiali & simpliciter, quàm generatione accidentali, & secundùm *quid* debere esse diuisibile in duo. Cum ergo intellectio non sit diuisibilis in huiusmodi duas partes, sequitur eam non posse esse proprium terminum productionis seu generationis, vt productio & generatio formaliter. Si autem quæratur vnde colligatur quòd Philosophus per compositum quod est terminus generationis secundùm *quid*, intelligat compositum ex subiecto & accidente; non verò compositum de nouo productum quoad omnes suas partes. Respondet Doctor id colligi tum ex exemplis Philosophi 8. Metaphys. text. 12. tum ex ratione, quæ est, quod id, quod generatur, est ex eo, quod præexistebat; sed illud quod præexistebat totius per accidens est subiectum: ergo ex eo constat: & consequenter illud quod generatur generatione accidentali est totū compositum ex subiecto præexistente & ex forma educta ex potentia eius; non verò totum aliquod compositum ex partibus de nouo productis.

Contra hoc arguo, &c. Proponit duas diffi- 36. cultates contra doctrinam traditam: prima, quòd *Obiectio 1.* intellectus noscens aut intelligens non possit per se generari, quandoquidem non sit ens per se, sed per accidens. Ad hanc respondet distinguen- *Responsio.* do antecedens: non potest per se generari generatione quæ sit simpliciter generatio, concedo; non potest per se generari generatione quæ sit generatio secundùm *quid* & simpliciter ex natura sua terminatur ad totum seu compositum per

per accidens, quod licèt non sit simpliciter totum, est tamen simpliciter totum per accidens, seu totum secundùm *quid*; negat antecedens. Itaque ea ratione qua aliquid est compositum tale, potest ad illud dari generatio talis simpliciter; si sit totum simpliciter, potest simpliciter dari ad ipsum generatio, quæ sit simpliciter generatio: vnde si sit totum per accidens & secundùm *quid*, potest ad ipsum simpliciter dari generatio, quæ sit accidentalis, & secundùm *quid* tantùm generatio.

Obiectio 2. Altera difficultas est, quòd intellectio sit terminus mutationis, quandoquidem ad ipsam detur mutatio, vt in secunda quæstiuncula huius quæstionis resolutum est: ergo & productio ac generatio; quia mutatio est ipsamet productio.

Responsio. Ad hanc respondet negando cõsequentiam; quia licèt mutatio, & productio sit realiter in creatis idem, tamen certum est quòd non omne illud quod denominatur à mutatione, vt mutatio est, denominetur à productione; quia subiectum recipiens per mutationem formam denominatur mutari, & tamen non denominatur produci: ergo quamuis mutatio, & productio esset idem, non tamen sequitur quòd id, quod est terminus productionis, vt productio est, sit terminus mutationis, vt mutatio est: sicut non sequitur quòd omne illud quod est subiectum denominationis mutationis, vt mutatio est, sit subiectum denominationis productionis, vt productio est: nec è contra illud quod est subiectum denominationis productionis, seu quod denominatur produci, est subiectum denominationis mutationis, vt mutatio est, seu id quod dicitur mutari, aut alterari.

Hæc dicta sunt quantum ad modum proprium loquendi iuxta mentem Philosophi: qui tamen quia modò non est in vsu, ita quin communiter dicatur quòd intellectus producat in se intellectionem, & quòd intellectio producatur, & pariatur, & gignatur ab obiecto & intellectu; propterea iam absolutè & simpliciter concedi potest productionem terminari ad intellectionem; nec hoc videri debet contra Scotum, qui id negauit iuxta modum loquendi Philosophi, solummodo. *Potest iam absolute dici quòd intellectio producatur.* Confirmatur hoc, quia secundùm ipsummet Scotum quæstione sequenti, notitia, & cognitio causatur ab intellectu, & vocatur vbique ab ipso notitia genita, & proles, ac verbum mentis: sed iam communiter omne illud quod causatur, & gignitur, dicitur produci: ergo potest admitti quòd intellectio producatur. Immò Augustinus citatus in principio huius quæstionis expresè dicit notitiam congenerari in nobis à re, quam cognoscimus.

Denique quod maius est ad propositum nostrum, ipsemet Scotus infrà *dist.27.quæst.3.num* 12. expresè asserit verbum esse actum intelligentiæ productum à memoria perfecta: & postea ibidem docet *num.* 14. verbum esse actualem intellectionem: ergo ipsemet concedit intellectionem produci.

37. *Ex his corollariè potest concludi*, &c.* Ex doctrina hactenus tradita de natura intellectionis, præsertim in prima quæstione, in qua concludit intellectionem genitam in nobis esse qualitatem recipientem esse, non per aliam qualitatem, sed per actionem de prædicamento Actionis, infert in confirmationem suæ doctrinæ suprà *dist.* 2.*q.* 7.*num.*15.*intelligere*, & *velle* non esse actus productiuos ex sua ratione formali; nec per consequens principia actuum notionalium diuinorum, dictionis scilicet, qua producitur Verbum: & spirationis, qua producitur Spiritus sanctus, cuius oppositum docuit Henricus *quodlib.6.quæst.* 1. Probatur autem hoc ex dictis, quia ideò Henricus existimauit actus intelligendi, & volendi essentiales, hoc est, intellectionem & volitionem, quibus formaliter Pater intelligit & vult, & quæ non sunt productæ, esse actus productiuos, seu principia actuum notionalium, quia existimauit *intelligere* in nobis esse productiuum; sed in nobis *intelligere* non est productiuum dictionis, nec principium ad ipsam prærequisitum: ergo nec in diuinis.

** Num.34.*

Intelligere, & velle diuinū nō sunt actus productiui.

Ad argumenta principalia, &c. Hæc argumenta sufficienter sunt soluta ex dictis: sed maioris claritatis gratia hîc etiam ea breuiter soluemus. Primum est: quòd ad actionem non detur actio; ex 5. *Physicor.* cuius ratio est, quòd aliàs daretur processus in infinitum: sed intellectio est actio; primò, quia est actus secundus, secundò, quia solùm manet, dum est in *fieri*, quod soli actioni conuenit, aut passioni ipsi correspondenti: tertiò denique, quia actio vt sic de prædicamẽto Actionis diuiditur in immanentem, & transeuntem; sed intellectus est actio immanens: ergo est actio de prædicamento Actionis. 38. *Primum argumentum principale.* Respondet Doctor minorem esse falsam, loquendo scilicet de actione de prædicamento Actionis, de qua solùm verum est quòd ad eam non detur actio. *Responsio.* Præterea autem ostendit, cur intellectio, seu cognitio vocetur actio; quia nimirum habet proportionem talem cum actione de prædicamento Actionis; *Ad quam actionem non datur actio.* primò, in hoc quòd quemadmodum actio de prædicamẽto Actionis dependet semper ab agente per ipsam pro omni instanti, pro quo est, nec potest sine ipso conseruari saltem connaturaliter; ita etiam intellectio dependet semper connaturaliter ab intelligente per ipsam. *Cur intellectio dicitur actio.* Secundò, in hoc quòd quemadmodum per actionem de prædicamento Actionis agens versatur circa aliquod passum, quod per actionem, seu mediante actione mutatur, (propter quod etiam actio dicitur esse in passo, & non agente; quia scilicet versatur, vt dixi, actio circa passum qua passum, non circa agens qua agens, non verò quia est in passo subiectiuè, hoc enim esset manifestè contra principia Doctoris & Scotistarum vbique, & speciatim *in 4.dist.*13.*quæst.*1.*num.*10.) ita etiam intelligens, seu cognoscens mediante intellectione versatur circa aliquid aliud actu, nimirum circa obiectum, quod per intellectionem cognoscit.

Itaque propter hanc similitudinem, quam habet intellectio cum actione de prædicamento Actionis, potest optimè vocari actio; sed quia non habet terminum aliquem per se causatum, quem scilicet mediante ipsa tãquam ratione formali agendi, intellectus causat, prout habere debet illa actio, quæ est de prædicamento Actionis, præterea intellectio non potest esse actio de illo prædicamento. Vnde in forma respondeo ad tres probationes minoris negatæ. Ad primam, negando omnem actum secundum esse actionem de prædicamento Actionis. Ad secundam etiam negando quòd soli actioni de prædicamento Actionis conuenit esse semper in *fieri*, seu semper dependens ab actuali præsentia suæ causæ, à qua oritur, aliàs lumen quod est sic semper in *fieri*, &

species visibiles externæ essent actiones, quod est absurdum secundùm omnes. Ad tertiam respondeo vt suprà, si per actionem immanentem intelligatur in illa diuisione, intellectio & similes operationes vitales, negando maiorem, & negando actionem, vt sic, vllam vniuocè diuidi in illas actiones. Si verò intelligatur per actionem immanentem ipsamet dictio, seu elicitio intellectionis, concedo maiorem, & nego minorem.

39. *Argumētum secundum principale.* Secundum argumentum principale est, quòd intellectio si non esset actio, fieret per actionem; sed non fit per actionem, quia secundùm Augustinum, aër præsente lumine non est factus lucidus, sed fit lucidus; quia scilicet non manet lucidus, nisi præsente luminoso: sed etiam intellectus non manet intelligens, nec manet intellectio, nisi manente causâ primò causatiuâ intellectionis: ergo non potest dici quòd sit facta intellectio per aliam actionem. *Responsio.* Respondet Doctor quòd si argumentum aliquid valeret, probaret lumen non produci in aëre mediante actione, vt patet, sed hoc est absurdum: ergo non debet intelligi Augustinus sic vt velit lumen non fieri per actionem, sed solùm quòd non fit per actionem, ita vt possit manere sine luminoso causante ipsam; & consequenter non debet inferri quòd intellectio non fiat per actionem de prædicamento Actionis, ex dictis Augustini; sed solùm quòd non fiat sic, vt maneat sine causa ipsam per Actionem eliciente, eo modo, quo manent habitus intellectuales, & calor, & similia permanentia.

Argumentum tertium principale. Tertium argumentum est quòd formæ non sit generatio, nec productio, sed compositi; sed intellectio non est compositum: ergo non producitur, nec generatur, & consequenter non datur notitia genita, aut producta in intellectu. *Responsio.* Ad hoc respondet remittendo se ad dicta in solutione tertiæ quæstiunculæ, iuxta quæ totum esset concedendum; sed inde non haberetur quin daretur notitia in intellectu, quando intelligeret, quæ antè non fuit, & quæ non esset actio de prædicamento Actionis: sicut non sequitur ex eo quòd calor non debeat dici produci, aut generari iuxta Philosophum, quandoquidem non sit compositum, quòd non reperiatur calor in ligno quòd calefit de nouo, qui non fuit antè, & qui non sit actio de prædicamento Actionis. In rei autem veritate, & secundùm communem iam modum loquendi, vsurpatum etiam, vt vidimus *num.* 32. ab ipso Scoto, negari potest maior.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm [a] pars intellectiua, vel aliquid eius sit causa gignens, vel ratio gignendi notitiam actualem.

D. Thom. 1. *par. quæst.* 56. *art.* 1. *& quæst.* 85. *art.* 2. Henric. *quodlib.* 4. *quæst.* 7. *& quodlib.* 5. *quæst.* 14. Goffred. *quodlib.* 6. *quæst.* 7. *& quodlib.* 8. *quæst.* 2. Capreol. 1. *dist.* 35. *quæst.* 1. *art.* 1. Conimbricenses 2. *de Anima, cap.* 6. *quæst.* 2. *art.* 3. Occam 1. *dist.* 1. *quæst.* 2. Bargius *dist.* 1. *quæst.* 4. Scot. *quodlib.* 13. *& latius quodlib.* 15. *art.* 1. *& in prolog. Metaph. &* 9. *Metaph. quæst.* 10. 14. *&* 15. *in Theorem.* §. omne agens, *&* §. Si formæ sint plures, *&* 1. *Physicor. quæst.* 2.

1. *Al. quartò quæro.* SECVNDÒ quæro de notitia genita, quæ sit causa gignens, vel ratio gignendi eam. Et quæro vtrùm pars intellectiua propriè sumpta, vel aliquid eius, sit causa totalis gignens notitiam actualem, vel ratio gignendi. *Text. com. 52.* *Argum. 1.* Et arguitur, quòd non [b]: quia *secundo de Anima* probat Philosophus sensum esse passiuum, non actiuum, per hoc quòd si esset actiuus, semper ageret: sicut si combustibile esset combustiuum, semper combureret. Ita arguitur in proposito, si pars intellectiua esset actiua, respectu intellectionis, semper intelligeret, & ita sine obiecto: quod est falsum. *Text. com. 128. & inde.* Confirmatur ratio ex secundo de Anima: *sensibilis, & sensus, est vnus actus*, puta sonatio, & auditio est idem actus: ergo à simili motio actiua obiecti, & motio passiua intellectus, quæ est intellectio, est idem actus: ergo intellectio est ab obiecto.

Text. com. 18. *Arg. 2.* Secundò sic, tertio de Anima [c] *Intellectus possibilis est, quo est omnia fieri, sicut intellectus agens est, quo est omnia facere:* ergo intellectus possibilis saltem non erit causa actiua respectu cognitionis, sicut potentia passiua non est actiua respectu actus.

Argum. 3. Tertiò sic [d]: Actiones distinguuntur penes distinctionem principiorum actiuorum: si igitur intellectus, qui est indistinctus, sit principium actiuum omnis intellectionis: tunc omnes intellectiones essent eiusdem speciei, & si omnes intellectiones: ergo & omnes habitus, & ita consequenter omnes scientiæ essent eiusdem speciei.

Text. 3. & inde. *Ratio ad opp. 1.* Ad oppositum Auicenna 9. Metaph. *Immaterialitas est ratio intellectiui sicut intelligibilis*: igitur intellectus siue pars intellectiua, ex immaterialitate sua, se sola est actiua respectu intellectionis, sicut receptiua.

Ratio 2. *2. de Ani. text. c. 33.* Item si obiectum, vel aliquid eius, esset ratio formalis agendi: ergo intellectiones obiectorum diuersorum specie, essent diuersæ specie, quod est falsum. Consequentia probatur, quia actus differunt specie, qui sunt à causis diuersis specie. Falsitas consequentis probatur, quia tunc de qualibet specialissima, esset propria scientia, & ita de pluribus speciebus specialissimis, non posset esse vna scientia.

Probatur

Probatur etiam idem per Philosophum *primo Ethicor.* vbi vult, quòd *intelligere* est propria operatio hominis, secundùm quòd homo: vnius autem speciei est operatio vna secundùm speciem. *Cap. 9. Ratio 3.*

COMMENTARIVS.

1. *Ratio formalis gignendi differt à causa gignente.*

a PRo intelligentia tituli quæstionis præmitto aliqua.

Primò, quòd differentia est inter rationem formalem gignendi, & causam gignentem: quia primum dicitur principium, quo suppositum, vel singulare gignit: secundum dicit principium *quod.* Exemplum: Ignis calore calefacit: calor est ratio formalis calefaciendi: & dicitur principium *quo.* Ignis verò est causa calefaciens, & dicitur principium *quod.*

Secundum, pars intellectiua propriè sumpta tantùm includit intellectum agentem, & intellectum possibilem. Potest ergo titulus quæstionis intelligi, an pars intellectiua, videlicet intellectus agens simul, & intellectus possibilis, vel aliquid eius, id est, vel solus intellectus agens, vel solus possibilis sit ratio formalis totalis gignendi notitiam actualem cuiuscunque obiecti perceptibilis à tali potentia? Loquendo de intellectu existente in corpore propriè dicimus: an intellectus sit principium *quo* gignendi, siue ratio formalis; & suppositum sit principium quod gignit: vt in quarto exponam *dist.* 12. Loquendo verò de intellectu etiam nostro separato, talis intellectus potest esse principium *quod:* vt patebit *in* 4. *dist.* 45. *& in quodlib. quæst.* 9. *& quæst.* 14. Et sic patet titulus quæstionis.

2. b Primum argumentum, quo probatur animam non habere actiuitatem respectu intellectionis, fundatur super dictum Philosophi 2. de Anima, text. com. 52. *Manifestum*, inquit, *igitur quòd non actu, sed potentia tantùm: vnde non sentiunt: sicut combustibile non comburitur ipsum à seipso sine combustiuo, combureret enim seipsum, & nihil indigeret actu ignem esse.* Vult dicere quòd si sensus esset actiuus, semper ageret sensationem absque quocunque extrinseco: sicut si combustibile esset combustiuum, semper combureret seipsum. Et ibi Commentator: *Sensus non est ex virtutibus actiuis, quæ agunt ex se, absque eo quòd indigeant actione, quæ prouenit ab eis motore extrinseco: sed quia sunt ex virtutibus passiuis, quæ indigent motore extrinseco, & ideò non sentiunt ex se: quemadmodum combustibile non comburitur ex se absque motore extrinseco, scilicet igne: & quemadmodum combustibile si esset combustibile ex se. Si tunc possibile esset vt combureretur, sine igne extrinseco existente in actu. Sic sensus si sentirent ex se, secundùm quòd sunt virtutes actiuæ, tunc possibile esset, vt sentirent absque extrinseco.* Hæc ille. Ergo si anima intellectiua esset actiua respectu intellectionis, semper intelligeret, & ita sine obiecto, quia esset optimè disposita in recipiendo.

c Secundò arguitur ex tertio de Anima, dicit enim Aristoteles sic: *Et est intellectus hic quidem talis in omnia fieri, ille verò in omnia facere, sicut habitus quidem, & sicut lumen, quodam enim modo, & lumen facit potentia existentes colores actu colores.* Et alia litera habet sic: *Oportet igitur vt in ea*, scilicet anima, *sit intellectus secundùm quòd efficitur omne:* & loquitur de intellectu possibili. *Et intellectus qui est intellectus secundùm quòd facit in ipsum intelligere omnia.* Et loquitur de intellectu agente. Expressè ergo habetur ab Aristotele quòd intellectus possibilis sit tantùm passiuus: & hoc idem à Commentatore. Vide ibi. 3.

d Tertiò arguit sic: quia si esset actiuus, sequeretur quòd omnes intellectiones essent eiusdem speciei, quod est falsum. Probatur consequentia, quia actiones distinguuntur specie propter principia specie distincta: sed intellectus vnus, & idem numero, si poneretur causa actiua intellectionis, esset causa actiua omnium, cùm non sit maior ratio de vna quàm de alia: & sic omnes intellectiones essent eiusdem speciei.

SCHOLIVM.

Positis tribus rationibus pro vtraque parte, ponit opinionem Henrici tribuentis totam actiuitatem respectu intellectionis, ipsi animæ, quam probat duobus locis Augustini, & 4. rationibus.

IN ista quæstione est vna opinio, quæ attribuit totam actiuitatem respectu intellectionis, ipsi animæ, & imponitur Augustino, qui dicit 12. super Genes. Quòd *quia imago corporis est in spiritu, qui est præstantior corpore, ideò est præstantior imago corporis in spiritu, quàm ipsum corpus in sua substantia.* & sequitur, *nec sanè putandum est, facere aliquod corpus in spiritum, tanquam spiritus corpori facienti materiæ vice subdatur. Omni enim modo præstantior est res, quæ facit illa re, de qua facit, nec vllo modo præstantius est corpus spiritu, immò spiritus corpore. Quamuis ergo incipiat imago corporis esse in spiritu, tamen eadem imagine, non corpus in spiritu, sed spiritus, in seipso facit celeritate mirabili.* & sequitur, *cuius imago mox, vt oculis visa fuerit in spiritu videntis, sine vllius puncti temporalis interpositione formatur.* 2. *Opinio Hēric. quodlib. 4. q. 7. & præpositiui.* *3. de Anima, text. 19.*

Item 10. de Trinit cap. 5. *Anima conuoluit, & rapit imagines corporum factas in semetipsa, & de semetipsa, dat enim eis formandis quiddam substantiæ suæ, seruat autem aliquid, quo liberè de talium imaginum specie iudicet, hoc est, mens, id est, rationalis intelligentia, quæ seruatur, vt iudices. Nam illas animæ partes, quæ informantur corporum similitudinibus etiam cum bestiis communes nos habere sentimus:* igitur ipsa anima in se format imagines ipsorum cognitorum, vt dicit ista auctoritas, & expressiùs præallegata.

Pro

Henr. quodlib. 5 q. 5. Lib. 2. c. 15. & 15. de Trinit. c. 4. & 2. de Gen. animal. in pr.

Pro ista opinione arguit per rationes sic: Effectus non excedit causam in perfectione: *melius est autem omne viuum non viuente*, secundùm Augustinum *de Ciuit.* ergo operatio vitalis, non potest esse, nisi à principio agendi vitali, vel viuo: istæ operationes cognoscendi sunt operationes vitales: ergo sunt ab ipsa anima sicut à ratione gignendi.

Secundò sic: quantò forma est perfectior, tantò est actualior; & per consequens actiuior, quia actiuum esse conuenit alicui inquantum est in actu: sed anima intellectiua inter omnes formas est actualissima: ergo maximè actiua. Igitur, se habet in ratione actiui, & se sola seipsam mouet in operatione sua; cùm etiam hoc possint formæ imperfectiores, sicut patet de formis elementorum, & quorundam mistorum.

Text. 25. Cap. 5. Text. 18. Actio & factio quomodo differant?

Tertiò sic: Philosophus 2. *Physic.* & 6. *Ethicor.* & 9. *Metaph.* distinguit inter actionem, & factionem, & vult, quòd actio propriè dicta manet in agente, sicut exemplificat ibi de speculatione: intellectio igitur propriè est operatio manens in agente: manet autem in parte intellectiua, vt dicit Philosophus 9. *Metaph.* ergo erit ab ea, vt agente.

Quartò, & est quasi idem, Actio propriè dicta, vt distinguitur contra factionem, denominat agens, *intelligere* autem denominat hominem secundùm partem intellectiuam: ergo est actiuè à parte intellectiua, vel ab homine secundùm partem intellectiuam.

COMMENTARIVS.

IN ista quæstione est vna opinio, quæ attribuit totam actiuitatem respectu intellectionis ipsi animæ. Hæc est opinio Henrici quodlib. 4. quæstione 7. Et in ista quæstione tenebo hunc ordinem. Primò, adducam opiniones improbandas. Primò opinionem primam, & respondebo ad argumenta pro opinione illa. Deinde improbabo secundam, & respondebo ad argumenta pro illa opinione: & sic deinceps. Secundò principaliter exponam aliqua dicta Doctoris respondendo ad quæstionem; & tertiò respondebo ad argumenta principalia. Primam opinionem improbat Doctor auctoritatibus, & ratione; primò auctoritatibus.

SCHOLIVM.

Impugnat Henricum duplici testimonio Augustini, & ratione, quia aliàs mens semper esset sub intellectione, quia ipsa esset actiua & passiua sine impedimento.

3. COntra istam [a] opinionem quòd non sit intentio Augustini apparet 9. de Trinit. cap. vlt. *Liquidò tenendum est, quòd omnis res, quàm cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui: ab vtroque enim paritur notitia, à cognoscente scilicet & cognito.* Idem 2. de Trinit cap. 2. *Ex visibili, & vidente gignitur visio.*

Item 15. de Trinit c. 10. & 24. *vt prædictum est, Formata quippe cogitatio ab ipsa re, quam scimus, verbum est:* ergo intendit attribuere aliquam causalitatem obiecto.

Text. 28. Text. 1. Causæ per se approximatæ impeditæ sine omni alio causant.

Hoc etiam arguitur [b] ratione sic: quia tantùm sunt quatuor genera causarum per se, sicut apparet ex 2. *Physic* & 5. *Metaph.* ergo illis existentibus, in se perfectis, & non impeditis, & sufficienter approximatis, sequetur effectus ex illis, si sint causæ naturales: vel poterit saltem esse, si sint causæ liberè agentes: & quia forma habet *esse* aliquo modo per productionem, & finis sequitur productionem rei in *esse:* aut si præcedit, hoc est, inquantum mouet efficiens ad agendum; ideò quando duæ causæ priores ipsa re, scilicet efficiens, & materia, sunt in se perfectæ, & approximatæ, & non impeditæ, sequitur effectus, vel saltem potest sequi: ergo, si anima est totalis causa actiua notitiæ genitæ, & ipsa est materia disposita, siue subiectum receptiuum, vel susceptiuum respectu eiusdem, & ipsa est semper actu præsens, cùm sit causa naturalis, semper erit actualis intellectio in ea, cuius ipsa est causa, & cuius ipsa est causa de se, vel saltem aliqua, in quam potissimè ipsa potest. Non enim potest poni imperfectio alicuius causæ in se, retenta prima hypothesi, nec non approximatio, nec impeditio, quia nihil videtur tunc impediens.

Fugere autem [c] ad causam *sine qua non*, quæ requiritur ad hoc, vt notitia gignatur, hoc est dicere, quòd omnes per se causæ, non sunt sufficientes causæ, sed requiritur aliquid aliud, à quo res causanda dependet essentialiter: ergo non erunt tantùm quatuor causæ, siue quatuor genera causarum, sed plura: vel aliquid dependebit essentialiter ab aliquo, quod non est causa eius.

ADDITIO. *Item, omnes causæ præter quatuor dicta, sunt accidentales rei: igitur non simpliciter res dependet ab eis, nec in* esse *nec in* fieri. *Antecedens dicit expressè Comment. 2. Physic. comm. 30. & 31. Item, probat quòd non sunt nisi quatuor causæ cuiuslibet rei, vel aliqua istarum, 2. Physic. comm. 68. 69. & 70. per demonstratiuam sufficientiam.*

4. Per hoc etiam improbantur diuersi modi ponendi, tenentium istam opinionem: siue enim ponatur obiectum necessarium in ratione causæ *sine qua non*, vel in ratione termini,

mini, vel in ratione excitantis, si non detur sibi aliqua per se causalitas, cùm ipsæ per se causæ sint perfectæ in se, & approximatæ, & omne impedimentum remotum, quomodo saluabitur, quòd ipsum necessariò requiratur, nisi ponendo quinque genera causarum?

Specialiter etiam illud de excitatione, non videtur valere. Quæro enim quid sit excitare? si aliquid causare in intellectiua potentia, ergo obiectum aliquid causat antequam intellectiua de se agat: ergo intellectiua non est tota causa prima respectu cuiuslibet in se causati, sed etiam obiectum. Si excitare non sit aliquid causare in potentia intellectiua, non aliter se habet in se post excitationem, quàm antè, & ita non magis excitatur nunc, quàm priùs. Hæc tamen ratio concluderet simili modo, vt videtur, contra actionem voluntatis. Vnde ad ipsam responderi potest, quòd quando aliquæ formæ habent essentialem ordinem, ita quòd vna recipitur mediante altera in eodem siue sit natura, siue potentia, & hoc siue ab eodem agente, siue ab alio, dato etiam quòd neutra sit ratio recipiendi alteram, nunquam secunda potest induci ab agente in suo receptiuo, nisi prima sit priùs inducta. Exemplum de volitione, & delectatione, ponendo illa esse diuersa realiter, nunquam secunda recipitur, nisi priùs prima recipiatur, cùm tamen secunda habeat causam actiuam naturalem præcedentem, etiam antequam sit volitio, & in huiusmodi ordinatis negatur maior. Similiter de specie intelligibili ad intellectionem, ponendo speciem intelligibilem non esse causam effectiuam, nec receptiuam intellectionis. Similiter de lumine, & si non sit actiuum, neque receptiuum respectu speciei coloris. ADDITIO.

Aliter dicitur, quòd quandoque aliquam formam recipi in suo potentiali, de necessitate præexigit aliam formam recipi in suo receptiuo, & falsa est illa maior, agens perfectum approximatum passo, & non impeditum potest agere intelligendo de potentia proxima, & hoc siue receptiuum formæ prioris sit eadem potentia cum receptiuo formæ posterioris, (exemplum, volitio, & delectatio in voluntate) siue sint eadem realiter (exemplum, in anima intellectio, & volitio ponendo totaliter voluntatem actiuam respectu velle *) siue in eodem supposito recipiantur, non in vna natura, nec potentia (exemplum de phantasmate, & intellectione si negetur species intelligibilis, & actio tota detur intellectui) siue in alio, & alio supposito recipiatur forma prior, & posterior, (exemplum, lumen in aëre, & in aqua à Sole.)* *Actiuum approximatum in impeditum non semper agere potest.*

Nec hîc saluatur propositio, quòd forma prior sit actiua respectu posterioris, vel ratio recipiendi, sicut lumen in medio respectu speciei coloris: quia si in talibus instetur, nihil valet instantia: quia ibi actiuum proximum deficeret, vel passiuum proximum: in quatuor autem instantiis positis neutra conditio accidit: nam nec volitio est causa actiua delectationis, sed obiectum: nec receptiua, sed voluntas. Sic in aliis secundùm illas opiniones.

Nec est dicendum, quòd maior illa est vera, nisi ab eodem sint duo effectus necessarij secundùm ordinem producibiles, quia etiam non est vera, si necessariò est ordo inter formas à diuersis agentibus inducibiles, sicut patet instantiis positis. Vniuersaliter ergo quæcunque forma, ad hoc vt recipiatur in suo passiuo, requirit aliam priùs recipi in quocunque: nunquam actiuum formæ secundæ est in potentia accidentali ad agendum in receptiuum illius, nisi forma prior iam sit inducta: ergo potest dici, quòd pro instanti, pro quo est causabilis, dependet ab aliis: quia non est causabilis, nisi naturaliter post aliam qua præexigitur. Igitur forma posterior, quo ad fieri *dependet essentialiter ab alio, quàm à suis per se causis in* fieri, *quæ sunt agens, & materia. Concedi potest igitur hæc conclusio; quòd priùs essentialiter, non tantùm conuenit esse, vt effectus sit, sed etiam posteriùs: patet in tractatu de primo principio, tamen non probabiliter negatur illa maior, nisi ostendatur prioritas alterius formæ veluti actiuæ respectu secundæ, vel vt rationis recipiendi, vel vt effectus propinquioris causæ communi, vel causæ necessariò priùs causanti.* Cap. 1. & 2.

COMMENTARIVS.

1\. a *Contra istam opinionem.* Per has auctoritates Doctor intendit probare, quòd pars intellectiua non sit totalis causa notitiæ: sed etiam obiectum concurrit saltem, vt partialis causa: & auctoritates claræ sunt in litera.

b *Hoc etiam arguitur ratione sic.* Nota hanc singularem rationem, quam probat Doctor quòd anima, siue pars intellectiua non sit totalis causa intellectionis: & in ista ratione præmittit duo.

Primum, quòd tantùm sunt quatuor genera causarum per se: vt patet 2. *Physic. text. com.* 28. quæ sunt materia, forma, efficiens, & finis, quæ numerantur ab Aristotele, vbi suprà sic dicente: *Vno quidem igitur modo causa dicitur, ex quo fit aliquid cùm insit, sicut æs statua, & argentum phiala:* & hæc est causa materialis. Subdit: *Alio autem modo species, & exemplum: hæc autem ratio est ipsius, quod quid erat esse:* & hoc tangit causam formalem, à qua principaliter, & vltimatè accipitur *quod quid erat esse* totius compositi. Subdit text. com. 29. qui textus sic incipit: *Amplius vnde principium mutationis primum: aut quietis est, vt consilians causa, & pater filij, & omnino faciens facti: & commutans*

tans commutari : & hæc est causa efficiens. Et de causa finali statim sequitur : *Adhuc autem quemadmodum finis : hic autem est, quod cuius causa, vt ambulandi sanitas : propter quid enim ambulat? dicitur vt sanetur.* Istæ etiam causæ patent ab Aristotele 5. Metaph. text. com. 2. Et incipit text. ibi *Causa verò dicitur vno quidem modo, ex quo fit aliquid in existente*, & vide literam. Et infrà : *Omnes*, inquit, *causæ dictæ in quatuor cadunt modos manifestissimos.* Et ibi Commentator exponit, quòd omnes causæ reducuntur ad hæc quatuor genera.

Secundò supponit Doctor quòd causa formalis, cùm sit terminus alicuius productionis, est posterior efficiente, & materia, vt patet : finis verò si accipitur tantùm in intentione, supple inquantum amatus, & desideratus, mouet efficiens, est prior efficiente. Sed finis in re, qui principaliter intenditur ab agente, vt sanitas est simpliciter posterior : vbi ergo est agens perfectum, & non impeditum approximatum materiæ dispositæ, & omni impedimento amoto : si tale agens agat per modum naturæ, de necessitate sequitur actio : cùm ad actionem tantùm illa requirantur, à quibus dependet in *esse*.

2. His præmissis Doctor per hanc rationem deducit opinionem ad manifestissimum inconueniens : videlicet, quòd si anima intellectiua est totalis causa intellectionis : de necessitate actu intelliget quodcunque obiectum, cuius oppositum experimur. Et quòd hoc sequatur, probatur sic. Actiuo naturali, & totali, & passiuo debitè approximatis, & non impeditis, de necessitate sequitur actio respectu cuiuscunque. Actiuum naturale est totale actiuum, & passiuum naturale eorundem est receptiuum. Ista propositio exposita est suprà *in quæst. 1. prologi.* Sed anima per Henricum est totale actiuum respectu intellectionis cuiuscunque intelligibilis : & ipsa eadem est principium passiuum, siue receptiuum intellectionis cuiuscunque intelligibilis : & ibi non apparet aliquod impedimentum, cùm ipsa anima sit perfectissimè sibi præsens : ergo poterit sequi cognitio cuiuscunque intelligibilis absentis, immò nec aliquo modo existentis : patet, quia intellectio tantùm dependet in *esse*, & *conseruari* à totali causa effectiua, & à subiecto receptiuo, cùm sit accidens inhærens. Et sic patet litera. Et quod dicit ibi:

Non enim potest poni imperfectio alicuius causa in se retenta prima hypothesi, scilicet quòd si tantùm sunt quatuor genera causarum, & illæ causæ sunt sufficientes respectu effectus, stante hoc supposito, non potest poni imperfectio : nec causæ effectiuæ totalis, nec passiuæ. Sequitur:

3. c *Fugere tunc ad causam sine qua non, qua requiratur ad hoc, quòd notitia gignatur.* Quia fortè diceret Henricus, & si obiectum non concurrit effectiuè ad intellectionem : concurrit tamen vt causa *sine qua non.* Dicit Doctor contrà : quia hoc est asserere quòd omnes per se causæ non sunt sufficientes causæ, quod est contra suppositum : sed requiritur aliquid aliud, à quo res causanda dependet essentialiter, supple in *esse* : ergo non erunt tantùm quatuor genera causarum, sed plura ; vel si plura non ponantur : aliquid dependebit essentialiter ab aliquo in suo *esse*, quod tamen non est causa eius, quod non est intelligibile : & sic patet euidentia rationis Doctoris.

4. *Primum dubium.* In ista tamen ratione occurrunt aliqua dubia. Primum, quia statim videtur sequi, quòd anima semper intelligat seipsam, cuius oppositum experimur : & accipio vnum dictum Doctoris *in q. 2. præsentis dist.* videlicet : *Causa naturalis non impedita producit effectum perfectissimum, quem potest* : sed anima intellectiua est totalis causa intellectionis suæ, qua intelligit seipsam : patet, quia in hoc non est differentia inter animam cognoscentem seipsam, & Angelum cognoscentem seipsum : & tamen essentia Angeli est tota ratio formalis cognoscendi se, vt patet à Doctore *in 2. dist. 3. quæst.* 8. sequitur ergo, quòd ipsa anima (cùm sit totalis causa cognitionis sui, & respectu aliorum tantùm causa partialis, vt patet à Doctore præsenti quæst.) semper perfectiùs, & immediatiùs cognoscet seipsam.

Dico, quòd propositio ista, scilicet *actiuo, & passiuo*. debet sic intelligi, quando actiuum est perfectè præsens præsentia requisita ad actionem : quia color est actiuus visionis, & tamen maior præsentia potest impedire visionem : si enim actu applicaretur oculo, visio non causaretur : requiritur ergo præsentia cum debita proportione. Sic dico in proposito, quòd quamuis anima sit sibi perfectissimè præsens præsentia entitatiua, cùm sit simpliciter eadem res : ex tali tamen præsentia non sequitur actio, siue intellectio : requiritur ergo præsentia obiectalis, quâ sit præsens in ratione obiecti intelligibilis : & talis præsentia pro statu isto non potest haberi, nec mediatè, nec immediatè, vt suprà patuit *quæst. 3. præsentis dist.* vbi probatum est, quòd pro statu isto nulla substantia immutat intellectum nostrum ad cognitionem sui. Et si anima aliquando sit præsens intellectui proprio, in ratione obiecti intelligibilis, hoc non erit respectu conceptus proprij : sed tantùm respectu conceptus communis sibi, & sensibilibus, vt suprà patuit *quæst 3. præsentis dist.* Dico tamen, quòd anima separata erit tunc totalis causa cognitionis suæ, de quo aliàs. *Responsio.*

5. *Secundum dubium.* Secundum dubium est in hoc, quòd Doctor dicit, quòd *si anima est totalis causa intellectionis, puta lapidis, non requiritur obiectum, vt causa sine qua non* : hoc videtur esse contra ipsum Doctorem, quia posito, quòd voluntas sit totalis causa sui actus, quod fortè tenere videtur, vt patet *in 2. dist. 25. & dist.* 27. non excludendo tamen causam primam : & tamen voluntas præsupponit actum intellectus, vt causa *sine qua non* : vt ipse videtur dicere *in 2. dist. 25.*

Item aliud. Præterea; Ipse vult expressè, quòd cognitio intuitiua sit respectu obiecti præsentis, & existentis, ita quòd talis notitia esse non potest, nisi terminetur ad rem existentem, inquantum existens est : vel ad aliquid, quod eminenter, & virtualiter contineat illud, vt patet *in primo, dist. prima, & dist. 8. quæst. penult. & in multis aliis locis* : & tamen talis præsentia, & existentia non est causa cognitionis intuitiuæ : patet, quia ratio formalis agendi est ratio quiditatiua, siue entitas quiditatiua, vt patuit in quæstione immediatè præcedenti. Si ergo actus voluntatis dependet ab actu intellectus, & non vt à causa effectiua : sequitur vel quòd non erunt tantùm quatuor genera causarum ; vel quòd aliquid dependebit ab alio, quod non est causa eius, vt ipse arguit contra Henricum. Et hoc idem dico de notitia intuitiua.

6. *Responsio ad secũdum.* Respondeo, quòd ratio Doctoris contra Henricum est euidentissima : & istæ instantiæ nihil conclu

concludunt contra Doctorem. Et quod dicitur de voluntate, non eſt ſimile: tum, quia voluntas eſt potentia eſſentialiter poſterior intellectu in operando: neceſſariò enim præſupponit operationem intellectus: & ideò poſito quòd ſit totalis cauſa ſui actus; tamen non poteſt illum immediatè producere circa aliquod obiectum, niſi intellectus priùs cognouerit illud. Intellectus verò, vt intellectus circa obiectum intelligibile non præſupponit actum alterius potentiæ circa tale obiectum. Et de hoc vide, quæ expoſui ſuper *2. diſt.* 42. *quæſt.* 1. quomodo ſcilicet voluntas præexigit neceſſariò cognitionem: hoc idem vide in expoſitione quodlib.

Item alia. Dico ſecundò, quòd ſi voluntas poſſet habere actum ſuum circa obiectum, nullo actu alterius potentiæ præſuppoſito, ita poſſet cauſare volitionem illius obiecti, ſi eſſet abſens, ſicut quando eſt præſens: quia ipſa voluntas eſſet totale actiuum reſpectu volitionis, & receptiuum eiuſdem.

Ad aliud. Ad aliam inſtantiam. Dico primò, quòd exiſtentia obiecti, & approximatio eiuſdem in *eſſe* exiſtentiæ requiritur, vt diſpoſitio neceſſaria reſpectu notitiæ intuitiuæ: quia natura lapidis, etſi ſit ratio formalis producendi notitiam intuitiuam, non tamen erit actu ratio formalis alicui ſuppoſito, niſi actu exiſtat, vt patuit in quæſtione immediatè præcedenti. Et ideò dixi: *Actiuo, & paſſiuo debitè approximatis, & non impeditis*: quia Doctor dicit *in 2. d.* 26. quòd notitia intuitiua, & abſtractiua differũt ſpecie propter aliam, & aliam præſentiam obiecti, non quòd illa præſentia obiecti ſit ratio formalis agendi; ſed natura ipſa eſt ratio formalis: licèt aliter, & aliter præſens ſit ratio formalis producendi alium, & alium effectum; hoc idem *in 3. diſt.* 31. vbi vult, quòd fruitio in via, & fruitio in patria differant ſpecie, propter aliam, & aliam præſentiam obiecti fruibilis; hoc idem *in 4. diſt.* 49. *& in quodlib.* Et ſic poſito quòd obiectum ſit partialis cauſa cognitionis, aliter tamen, & aliter, quando eſt in ſe præſens, & quando eſt præſens in ſpecie intelligibili; quia, vt in ſpecie intelligibili eſt tantùm natum cauſare notitiam ſui abſtractiuam: vt verò in ſe præſens, eſt natum tantùm cauſare immediatè cognitionem ſui intuitiuam. Si verò ponatur obiectum nullo modo eſſe cauſa intellectionis, ſed tantùm ipſa anima intellectiua, argumentum Doctoris ſtat in ſuo robore; quia cùm ipſa ſit totalis cauſa, & perfectè præſens, & nullum appareat impedimentum: poſſet habere ex ſe cognitionem cuiuſcumque obiecti, ſiue intuitiuam, ſiue abſtractiuam, ſiue obiectum ſit, ſiue non ſit.

7. d *Per hoc etiam improbantur diuerſi modi*, &c. *Quomodo ſaluabitur*, quòd *ipſum*, ſupple obiectum, *neceſſariò requiratur: niſi ponendo quinque genera cauſarum?* vel niſi ponendo aliquid dependere ab alio in ſuo *eſſe*, cuius tamen non ſit cauſa, quod eſt manifeſtè falſum. Et ſic patet euidentia huius rationis: non enim patet neceſſitas obiecti, vt requiſiti ad intellectionem, ſi anima intellectiua eſt totalis cauſa intellectionis. Et ſi aliquando præter cauſas aliquid requiritur, hoc erit propter indiſpoſitionem agentis, vel paſſi, Exemplum: Ignis eſt cauſa effectiua ignis producendi in materia ligni; & ſi lignum ſit humidum, dicimus quòd ſiccitas, vel caliditas, eſt cauſa *ſine qua non* reſpectu ignis producendi: non quòd ipſum attingat; ſed quia ignis non poſſet ipſum producere, niſi præmiſſa diſpoſitione in ligno; ſed quando agens, & paſſum ſunt optimè diſpoſita, non requiritur talis cauſa *ſine qua non*, ſiue diſpoſitio. Cùm ergo intellectus ſit per ſe totalis cauſa intellectionis, & optimè diſpoſitus ad agendum, & ad recipiendum intellectionem: ergo, &c.

Si dicas, quòd non poteſt intelligere puto lapidem, niſi lapis ſit præſens: ergo ex hoc ſequitur, quòd obiectum erit cauſa ſaltem partialis. *Obiectio.*
Cauſam enim naturalem hoc modo probamus aliquid cauſare: quia quando eſt præſens, ſequitur effectus; & quando eſt abſens non ſequitur, ſicut ignis eſt cauſa caloris in ligno, quando eſt præſens: quia tunc lignum calefit, & quando eſt abſens lignum non fit calidum. Nam nihil aliud videmus, niſi talem præſentiam; ſic in propoſito de obiecto. *Reſponſio.*

Si iterum dicatur: Nónne requiritur præſentia multorum obiectorum ad hoc vt intelligantur: & tamen non mouent, nec cauſant intellectionem, vt patet de relationibus realibus, & intentionalibus? De ratione enim obiecti etiam ſecundùm Doctorem, & alios ſequentes viam Doctoris, eſt principaliter terminare actum intellectus: & quòd ſit effectiuum actus accidit ſibi. 8. *Alia obiectio*

Dico, quòd intellectus non poteſt eſſe cauſa totalis cognitionis alterius entis, non contenti in eo eſſentialiter, vel virtualiter. Et licèt multa entia non ſint ſecundùm ſe motiua intellectus, tamen ſic continentur in aliquo obiecto, quòd eſſet impoſſibile intellectum habere cognitionem illorum, niſi obiectum continens partialiter moueret intellectum, cognitionem illorum cauſando. Non ergo abſolutè requiritur vt terminatiuum ante actum intellectus; quia priùs eſt actus intelligendi in ſe cauſatus, quàm intelligatur terminari ad obiectum, vt patet à Doctore *in quæſt.* 13. *Quodlib.* vbi vult, quòd actus intelligendi ſit entitas abſoluta: & prior relatione, quæ fundatur in illo, & terminatur ad obiectum: vide ibi. Priùs enim aliquid eſt in ſe tale, quàm habeat reſpectum ad aliquid aliud, vt ſuprà patuit *quæſt.* 5. de illa participatione paſſiua contra Henricum. Patet etiam in ſimili *in diſt. 2. quæſt.* 1. contra poſitionem Thomæ, dicentis quòd forma finitur per materiam, vbi ſic dicit: *Quæcunque eſſentia abſoluta finita in ſe eſt finita, vt præintelligitur omni comparatione ſua ad aliam eſſentiam*: ſic in propoſito actus intelligendi abſolutè, priùs in ſe eſt talis, vt præintelligatur omni comparatione ad aliud. *Reſponſio.*

Si dicatur: poſito quòd lapis ſit perfectè præſens intellectui in propria exiſtentia, & præſentialitate propria: & quòd nullo modo ſit actiuus ſuæ cognitionis, nec eminenter ſecundùm ſuam entitatem contineat in intellectu; nónne intellectus cognoſcit ipſum intuitiuè? 9. *Obiectio.*

Dico quod non: quia cognoſcere aliquid, eſt formaliter habere cognitionem illius. Vnde Doctor infrà ſic ait: Formaliter autem intelligimus intellectu, inquantùm intellectus recipit intellectionem; quia ſi cauſat eam actiuè, non tamen dicor intelligere intellectu, inquantùm cauſat, ſed inquantùm habet intellectionem, vt formam: habere enim qualitatem eſt eſſe qualem; & ita intellectum habere intellectionem, ſiue recipere (quod idem eſt) eſt ipſum eſſe intelligentem. Nos igitur intelligimus intellectu, inquantùm intellectus recipit intellectionem, *Solutio.*

Ideò Philosophus loquens sic de intellectu 3. *de Anima, text.* 2. dicit *intelligere est pati:* & necesse habuit dicere ipsum esse passiuum: & quòd *intelligere est quoddam pati:* hoc est, quòd intellectio inquantùm est quoddam, quo formaliter intelligimus; est forma quædam recepta in intellectu: non autem intelligimus eâ, inquantùm est quid causatum ab intellectu, si causatur ab eo. Nam si Deus eam causaret, & eam intellectui nostro imprimeret: non minùs ea intelligeremus: oportet ergo priùs ipsam cognitionem esse in se causatam, quàm includat respectum ad aliud.

Si dicas, quòd quando lapis est sic præsens: tunc cognoscitur. Dico, quòd est euidens signum ipsum lapidem esse partialem causam talis cognitionis. Et benè nota, quæ dixi in ista ratione: quia ex his poteris multa soluere.

SCHOLIVM.

Ponit sententiam Goffredi negantis omnem actiuitatem intellectui, eiúsque fundamentum, scilicet quia actiuum, & passiuum differunt subiecto, quod ex variis principiis Philosophi probat Goffredus.

5. *Goffr. quodl. 6. q. 7. & quodl. 8. q. 2. & quodl. 9. quæst. 19. & quodlib. 13. q. 2. Text. 17. Text. 38. Text. 70. Text. 17. & 20.*

ALia opinio, quæ totaliter est in alio extremo, quæ dicit, sicut colligitur ex diuersis locis sic opinantis, quòd anima intellectiua, vt intellectiua est, nihil habet actiuitatis, vel causalitatis respectu intellectionis: non enim habet talem causalitatem intellectus possibilis, siue informatus specie intelligibili, quam ipsi negant; siue nudus, quia, secundùm eos, nihil idem potest agere in seipsum. Quod probant, quia cùm agens sit tale in actu, quale passum est in potentia, vt apparet 3. *Physic.* & 1. *de Generatione*, sequitur tunc, quòd idem esset in potentia, & in actu. Quod primò videtur esse oppositum primi principij Metaphysici noti per rationem actus, & potentiæ; & tunc etiam idem esset efficiens, & materia, quod videtur esse contra Philosophum 2. Physic *Materia, & efficiens non coincidunt.* Tunc etiam idem referretur ad se, relatione reali, quod videtur impossibile, 5. *Metaphysic.* propter oppositionem talium relationum. Tandem ad hæc deducunt, quòd poneretur quodlibet in se agere, & mouere se, vtpote, quòd aër ad præsentiam Solis illuminaret se, & non Sol, & lignum ad præsentiam ignis calefaceret se, & non ignis. Nec esset ratio quare non esset aliquid naturaliter sic causatiuum cuiuscunque noui in se, quia non esset vnde probaretur quin quodlibet esset causatiuum cuiuscunque noui in se.

Ex istis propositionibus dicunt, quòd agens, & patiens distincta sunt subiecto; & dicunt, quòd quæcunque difficultates accidunt in aliqua materia, non sunt propter eas neganda ista principia: quia tunc tollitur omnis inquisitio veritatis per talia principia negata: qua enim ratione negantur in vna materia, & in alia.

6. Propter idem dicunt, quòd intellectus agens non potest aliquid causare effectiuè in intellectu possibili, quia non distinguitur ab eo subiecto, sed quasi formaliter ipsum lumine suo perfundendo, vel perficiendo, huius illustrationem facit: sicut cùm producitur aliquod corpus luminosum, in quo sunt istæ duæ perfectiones, scilicet diaphaneitas, & ipsa lux, dicitur, quòd lux hoc corpus perspicuum facit luminosum, non transmutando ipsum à potentia præcedente actum ad talem actum, sed totum simul factum est secundùm rationem causæ efficientis, ab agente extrinseco producente corpus tale, aut tale, ad *esse* tale: sed ideò dicitur lux facere illud corpus luminosum, quia est formaliter perficiens illud corpus. Ita est in proposito, intellectus agens in ratione causæ efficientis, nihil agit in intellectum possibilem, sed qui creauit animam per modum causæ efficientis, ipse in ea hanc illustrationem fecit, istas potentias simul in eadem substantia producendo.

Similiter ponunt, quòd intellectus agens, nullam operationem habet respectu intellectionis, nisi quatenus habet actionem circa obiectum intelligibile, quatenus scilicet agit ad hoc, vt illud habeat rationem mouentis, & obiecti in actu: ergo ad ipsam intellectionem præter ista duo, intellectus agens nullam actionem immediatè habebit. Quid igitur causabit effectiuè intellectionem?

Explicatur opinio Goffredi. Respondent, quòd obiectum idem secundùm rem efficit intellectionem, & volitionem, & hoc inquantùm relucet in phantasmate illustrato ab intellectu agente, non effectiuè, sed quasi formaliter concurrente, respectu intelligibilis.

Qualiter autem sit possibile phantasma mouere intellectum possibilem, cùm tamen virtus phantastica, & intellectus possibilis sint in eadem substantia animæ, & phantasma non distinguatur subiecto ab intellectu possibili Dicunt quòd anima potest considerari dupliciter, vel secundùm essentiam, vel secundùm potentias. Primo modo est totum in qualibet parte corporis, nec est principium alicuius operationis. Secundo modo,

aliqua

aliqua potentia determinat aliquam partem corporis, vt organica: aliqua non, vt intellectiua: quia ipsa sub ratione talis potentiæ, non est in ista parte corporis, nec in illa, quia in nulla est, quia per se nec in toto, nec in aliqua parte: sicut nec operationes, quæ per eam exercentur. Sicut ergo potentia, quæ esset in alia parte corporis, quàm est phantasia, posset immutari ab eo, quod est in phantasia, ità potentia, quæ non est determinata ad partem, in qua est phantasia, sed est extra illam, sic quòd non est ibi plus, quàm in pede: poterit immutari ab eo, quod est in phantasia. Ita est in proposito, quia illæ potentiæ non sunt alligatæ, & immersæ materiæ sicut aliæ.

SCHOLIVM.

Reiicit Goffredum. Primò, quia sequeretur omnem operationem mentis, esse à solo Deo, vel à phantasmate tantùm. Secundò, Angelus non posset intelligere, nec velle. Tertiò, non posset esse intellectio vera, & falsa de eodem. Quartò, actio & factio non differrent ob diuersa principia, contra Philosophum. Quintò, nullus habitus ponẽdus esset in intellectu. Sextò, nullus esset discursus. Septimò, non causaretur secunda intentio, nec relatio rationis. Octauò, non posset intellectus reflectere super suum actum. Nonò, vilificaretur multùm anima.

COntra istam [a] opinionem. Intellectus agens secundùm eum, nihil causat, quod sit formaliter in phantasmate: sed solùm fit remotio prohibentium per quendam contactum spiritualem huius lucis ad phantasmata, qua remotione facta virtute intellectus agentis fit informatio intellectus possibilis. & ex hoc sequitur, quòd nihil, quod est in intellectiua parte, vt intellectiua, comprehendit intellectum agentem, & possibilem, habebit aliquam rationem actiui, siue agentis, siue vt rationis agendi respectu cuiuscunque intellectionis. & ita tantùm phantasma effectiuè se habet ad intellectionem. Vel si fit ibi efficientia aliqua, per quam effectiuè fiat irradiatio, vel illustratio super phantasmata, illa efficientia erit præcisè ipsius Dei, qui creauit tale lumen in intellectu possibili. Vel ergo Deus agit immediatè ad intellectionem quamcunque, vel tantùm phantasma erit causa omnium actionum intellectiuæ partis, tam intellectionum, quàm volitionum. Nihil ergo aliud à Deo se habet actiuè respectu intellectionis cuiuscunque, nisi phantasma solùm. Hoc videtur valdè inconueniens, quia vilificat valdè naturam animæ: nullam enim videtur perfectionem phantasma causare posse in intellectu, quæ excedit nobilitatem eius: quia effectus æquiuocus, non potest excedere causam suam, sed deficit: igitur nihil causatum præcisè à phantasmate, sicut à tota causa actiua (sicut ponit ista opinio de intellectione) potest esse perfectius phantasmate, sed necessariò imperfectius. & ita nulla operatio, siue intellectio erit in homine perfectior phantasmate, quod est absurdum.

7 Cõfutat opinionem Goffredi.

Item [b], secundò ex ista opinione sequitur, quòd Angelus, in quo non potest poni talis distinctio in subiecto, nullam intellectionem posset habere nouam, quantumcunque habeat obiecta multa præsentia habitualiter; imò nullam potest habere effectiuè, nisi à Deo, quia opposito posito, intellectus mouebitur à se, vel agens, & patiens erunt indistincta subiecto. Hoc videtur ipse concedere, quia ponit quòd Angelum posse habere nouam intellectionem, est merè creditum. 8.

Hæc responsio non videtur Christiani, sed purè Philosophi Pagani, cùm Angelus multa noua sciat, & sit beatus in operatione sua.

Hoc etiam non euadit. Nullum enim creditum repugnat conclusioni sequenti ex veris principiis. Ex isto autem principio necessariò, agens, & patiens sunt distincta subiecto; sequitur quòd intellectus non potest habere ex se aliquam intellectionem actiuè: ergo si oppositum huius conclusionis est creditum, principium illud, ex quo sequitur ista conclusio, est falsum: hoc magis patet de velle. *Constat enim, quòd primum* velle *malum Angelus immediatè non habuit à Deo. Patet igitur, quòd ibi agens fuit indistinctum subiecto à passo.*

ADDITIO. *Quia veritas fidei non repugnat naturali veritati.*

Tertiò sequitur, quòd non oportet ponere aliquem habitum in intellectu, quia ad ordinatè intelligendum requiritur, & sufficit, secundùm istam opinionem, quòd phantasmata ordinatè occurrant, quæ occurrentia ordinatè mouent intellectum: sed quòd ipsa ordinatè occurrant, non potest fieri per habitũ in intellectu; quia nihil in passo dat mouenti ordinatè mouere, aut saltem per habitum in phantasia possunt ordinatè occurrere, absque omni habitu in intellectu: ergo.

Confirmatur, quia ideò, secundùm istos, negatur habitus in voluntate, quia ipsa faciliter mouetur conformiter intellectui: ergo à simili, cùm mouetur intellectus à phantasmatibus, eo modo quo occurrunt, sufficit habitus in phantasia ad hoc, quòd ordinatè occurrant. Hæc tria argumenta pondero.

9. Tertiò [c], si phantasma causat omnem intellectionem effectiuè,& causa naturalis non agit nisi secundùm naturam illam, qua est actu; phantasma nunquam causabit aliquam intellectionem in intellectu, nisi conformem phantasmati; & ita nunquam causabit compositionem falsam, repugnantem rationi terminorum, quorum phantasmata sunt in virtute phantastica: aut si quodam modo potest, sicut respondet, quòd per vnum oppositum cognitum potest suum oppositum cognosci: hoc non est, nisi quia per vnam compositionem veram, potest cognoscere oppositam esse falsam. Sed nunquam idem phantasma causabit aliquam intellectionem falsam tanquam veram, vel è conuerso.

Et si dicas, quòd phantasma falsè repræsentat obiectum, ideò causat intellectionem falsam in intellectu: sequitur, quòd idem phantasma manens idem, nunquam potest causare assensum oppositum, & ita non poterit intellectus eandem complexionem apprehendere, nunc vt veram, nunc vt falsam.

Item, quando [d] dicitur, quòd intellectio secundùm Philosophum est actio manens intrà.

Respondent,quòd *intelligere*, secundùm modum significandi Grammaticalem,significat actiuè,& *intelligi* passiuè:tamen secundùm rem, *intelligere* est passio,& quod intelligitur est agens. *Intelligere* enim non significat aliquid,vt habet esse in subiecto in se,& absolutè,sed quasi tendens in alterum,vt in obiectum,siue vt in terminum:& quia actionis est procedere ab agente,& tendere in passum: ideò tales perfectiones,quæ in re sunt passiones,hoc est,manentes in eo,quod denominatur ab eis per modum actionis,dicuntur esse actiones immanentes.

Text. 25. Contrà. Philosophus distinguens actionem à factione 2.*Phys.*& 6.*Ethic.c.* 5.*&* 9.*Met.*
Text. 16. assignat diuersa principia propria actioni,& factioni:quod non oporteret, si intelligeret, quòd illud,quod asignat esse actionem, esset passio; quia tunc non oporteret asignare sibi principium actiuum proprium. Non enim oporteret prudentiam esse actiuam, sicut ars est habitus factiuus, si actio nihil esset nisi quædam forma recepta in alio, vt in eo quod dicitur agens.

10. Item,habitus [e] nō ponitur præcisè ad patiendum,& maximè in pasiuo summè dispositο ad formam: non enim oportet illud facilitari ad recipiendum,quod in se est summè dispositum ad recipiendum;sed intellectus est summè dispositus ad quamcunque intellectionem, quia nihil habet contrarium: ergo non oporteret ponere aliquem habitum in intellectu, si præcisè esset passiuus respectu intellectionis. Probatur prima propositio, quia *Habitus est, quo vtimur cùm volumus: & habitus habentem perficit, & opus eius bo-*
Cap. 5. *num reddit*, ex 2.Ethic. omnia ista attribuunt aliquam actiuitatem habitui.

Item,quomodo intellectus discurret syllogizando, vel argumentando, si phantasma causat omnem intellectionem? Non enim videtur intelligibile,quomodo phantasmata decurrentia,causant omnem discursum.

11. Item [f], quomodo causabuntur intentiones Logicæ, vel relationes rationis? Si enim
alias *intentionem.* phantasma causat omnem intellectionem, quæcunque causata ab eo erit realis;quia illa dicitur esse realis intellectio, quæ causatur immediatè à re, vel à specie repræsentante rem in se;ergo nulla intellectio causabit intentiones Logicas,vel relationes rationis;quia intellectus nullo actu suo poterit conferre obiectum ad aliud, quæ collatio causat relationem rationis,vel intentionem secundam in obiecto.

De hoc 2.d. 42.q.1. Item,quomodo reflectetur intellectus supra actum suum,& hoc quomodo erit in potestate potentiæ reflectentis?Si enim phantasma causans aliquam intellectionem, habet naturaliter causare reflexionem super istam actionem: pari ratione, & reflexionem re-
Cap. 12. flexionis,& sic in infinitum,vt dicit Augustinus 15.*de Trinitate.*Si autem non habet causare reflexionem,sed tantùm actum absolutum,& postea occurrat aliud phantasma,non
Effectus æquiuocus imperfectior suâ causâ. videtur posse assignari,quomodo posset esse aliqua reflexio super aliquem actum. Item, quomodo illud non vilificat animam,quòd omnem actionem suam naturalem, quæ est perfectio naturalis tam perfecti entis, effectiuè causat phantasma? nullam enim perfectionem videtur posse causare phantasma in intellectu, quæ excedat nobilitatem eius, quia effectus æquiuocus non potest excedere causam æquiuocam,sed deficit;igitur nihil præcisè causatum à phantasmate,sicut à tota causa actiua potest esse perfectius phantasmate,sed imperfectius eo; & ita nulla perfectio erit in homine maior ipso phantasmate, quod est absurdissimum,&c.

Additio. *Istarum rationum factarum contra opinionem Diui Thomæ, & Goffredi, prima non cogit contra eos. Quæret enim difficultatem communem omni opinioni, siue enim phantasma ponitur causa actiua intellectionis, siue species intelligibilis, siue intellectus: cùm quodcunque istorum sit principium naturaliter agendi, non liberè: semper æquè potest quæri: quomodo*

opposita

opposita possunt causari in intellectu, vt nunc opinio vera, vel scientia de aliquo: nunc opinio falsa, vel error de eodem.

Secunda non cogit, quia prudentia ponitur principium actuum propter actum alium, qui est actio, ad quam suus proprius extenditur, vt regula ad regulatum, sicut proprius actus artis extenditur ad alium, qui est factio, licèt tamen neuter habitus sit propriè principium actuum respectu sui actus.

Item, illud secundi Ethicorum, habitus est, qui habentem perficit, &c. debet intelligi non effectiuè, quia non sic bonum reddit sed tantùm inclinatiuè.

Quartum coincidit cum tertio ponderato, scilicet quomodo habitus discurrit, vt phantasmata ordinatè in discursu occurrant: nisi ponatur ille habitus in virtute phantastica, non in intellectu, quod forte concederet. *Soluit tertium argumentum, & sequentia.*

Sextum verò quærit, quomodo in potestate nostra est, quam intellectionem habeamus post alteram: & per quid cognoscitur actus, super quem reflectimus Primum quidem est propter voluntatem, secundum est per vestigium derelictum ab actu illo: igitur illo derelicto potest haberi actus reflexus per illud elicitiuè, voluntate imperante: & potest non haberi, voluntate imperante aliam intellectionem.

Aliter potest dici, quòd cognoscitur per phantasma, quòd primò ostendit obiectum, secundò causatum ab obiecto. Tamen non erit necesse ipsum causare intellectionem intellectionis, nisi quando voluntas imperat.

Quintum videtur ponderandum: si nulla comparatio est relatio rationis, quàm extrema nata sunt causare in intellectu. Si enim ista propositio est vera, tunc licèt intellectiones simplicium comparatorum causantur ab illis, non tamen comparatio illa, quæ est in actu collatiuo, quo causatur in extremo relatio rationis.

Posset dici, quòd aliqua habitudo consequitur extrema in re, & illa in cognitione, consequitur extrema cognita puta qualitas ista est realis, alia non consequitur extrema in re, nec necessariò in cognitione: possunt tamen ipsa extrema causare actum collatiuum elicitiuè, quia voluntas imperat: causato autem actu collatiuo secundùm talem respectum, qui non consequitur extrema in re, causatur relatio rationis.

COMMENTARIVS.

1\. a *Contra istam opinionem.* Hîc Doctor improbat opinionem istam multis rationibus. Et primò deducit ad hoc inconueniens, quòd in parte intellectiua (vt intellectiua comprehendit intellectum agentem, & possibilem) nulla erit ratio formalis agendi respectu intellectionis: quod videtur valdè inconueniens: quia tantùm phantasma se haberet effectiuè respectu intellectionis, quæ est operatio propria intellectus: vel si sit ibi efficientia aliqua (præter efficientiam phantasmatis) per quam effectiuè fiat irradiatio, vel illustratio super phantasmata, illa erit præcisè ipsius Dei, qui creauit tale lumen in intellectu possibili: nam isti ponunt intellectum agentem esse effectum lucis increatæ: & sic est quoddam lumen creatum à luce increata. Et sic sequitur, vel quòd Deus agit immediatè ad intellectionem quamcunque: quia illustratis phantasmatibus, effectu lucis increatæ, sequitur intellectio obiectorum: & si talis intellectio nullo modo est ab intellectu, sequitur vel quòd immediatè erit à Deo; vel tantùm à phantasmate illustrato: & sic tota pars intellectiua esset priuata omni operatione propria: & sic nec intellectionem, nec volitionem aliquam posset causare: quod est absurdum, cùm à natura inferiori non negetur, quin sit actiua operationis, vel actionis suæ propriæ: & natura nobilior dignificanda est, vbi non apparet contradictio, & impossibilitas.

2\. b *Item, secundò ex ista opinione.* Hîc arguit Doctor deducendo ex dictis Goffredi ad hoc inconueniens, scilicet quòd Angelus non posset habere intellectionem nouam, quantumcunque habeat obiecta multa præsentia habitualiter: puta per species intelligibiles: patet, quia secundùm Goffredum agens, & passum sunt distincta subiecto: modò intellectus Angeli habentis plures species intelligibiles, per quas obiecta sunt præsentia habitualiter: non distinguitur subiecto ab illis speciebus, vt patet: ergo non possunt agere in intellectum Angeli causando aliquam notitiam nouam quod est inconueniens. Sed fortè diceret ipse, quòd est merè creditum, Angelum posse habere nouam intellectionem.

c *Tertiò si phantasma.* Pro intelligentia huius literæ nota, quòd assensus intellectus quamuis sit actus intellectus simplex, & incomplexus, dicitur aliquando verus: & est quando assentit complexo vero; aliquando falsus, & est quando intellectus assentit complexo in se falso: aliquando assentit alicui complexo assensu vero: vt quando assentit huic, quòd homo est risibilis: aliquando assentit eidem assensu falso: puta quando assentit illi, vt vero, vel vt falso, vel dissentit. Cùm ergo phantasma, vel relucens in phantasmate, agat secundùm vltimum potentiæ suæ, semper causabit assensum verum: vel semper causabit assensum falsum: & sic de eodem non poterit esse aliquando assensus verus, & aliquando assensus falsus: cuius oppositum experimur in multis: & sic patet litera. *Assensus intellectus quandoque falsus.*

d *Item, quando dicitur, quòd intellectio secundùm Philosophum est actio manens intrà.* Si contra opinionem istam arguatur deducendo ad hoc inconueniens: quòd tunc intellectio esset subiectiuè in obiecto: quia actio est in agente.

Respondet Goffredus dicens: quòd licèt *intelligere*

gere Grammaticaliter significet actiuè, & *intelligi* passiuè: tamen secundùm rem *intelligere* est passio: & quod intelligitur est agens: & patet litera.

3. *Differētia inter actionem, & factionem.* *Contrà: Philosophus distinguens actionem à factione.* Et nota, quòd secundùm Philosophum distinguitur actio à factione propter diuersa principia: loquendo de actione pro re producta, & de factione pro re facta: non autem de actione respectus, & factione respectus: quia vt sic, non distinguuntur propter diuersa principia: cùm vtraque sit in subiecto, scilicet factio in faciente, & actio in agente: sed res acta, puta intellectio, & omnis operatio, tam intellectiua, quàm sensitiua, semper est in potentia agente: res verò facta, vt forma artificialis, vel naturalis, recipitur in alia materia, quàm in faciente: vt patet de igne respectu ligni, in quod producit calorem, vel formam substantialem ignis: actio ergo & factio distinguuntur propter distincta principia receptiua. Si ergo *intelligere* esset realiter passio (cùm passio non recipiatur propriè in agente, sed in passo) factio, & actio non differrent propter diuersa principia receptiua: cùm vtraque reciperetur in passum extra agens: & sic patet litera.

Obiectum nō est causa totalis intellectionis. e *Item habitus.* Hîc Doctor arguit contra principale intentum, probando quòd obiectum non sit totalis causa intellectionis, & intellectus sit tantùm potentia receptiua: & arguit quodammodo inquisitiuè: quia certum est apud omnes, quòd multi habitus ponuntur in intellectu, quibus intellectus faciliter, promptè, & expeditè operatur: ergo disponunt ipsum intellectum, non ad patiendum (cùm sit optimè dispositus ad recipiendum quamcunque intellectionem: vt ab omnibus conceditur) ergo ponitur habitus, vt disponat intellectum ad agendum: ergo sequitur, quòd respectu intellectionis habebit aliquam actiuitatem. Sed de hoc prolixiùs tractatur infrà *d.* 17.

4. *Nota logicè hàc litteram.* f *Item quomodo causabuntur intentiones Logicæ.* Si ergo secunda intentio fit à phantasmate (cùm tantùm sit causa realis) sequitur, quòd nulla intellectio causabit intentiones Logicas: quia intellectus nullo actu suo poterit conferre vnum obiectum ad aliud: quæ collatio causat secundam intentionem. Et hoc dictum potest habere plures sensus. Primus, quòd si intellectus non habet in potestate sua intellectionem obiecti: nec etiam habebit in potestate sua actum, quo comparat vnum cognitum ad aliud: cùm talis intellectio necessariò præexigatur actui comparatiuo. Sicut etiam Doctor arguit de voluntate, quæ si non habet in potestate sua actus intellectus, quòd etiam non habebit in potestate sua actum discurrendi ab vno ad aliud: vide *in* 2. *distinct.* 42. *quæstione* 1. Sed in proposito patet quòd intellectus causat actum comparatiuum, quo comparat vnum obiectum cognitum ad aliud: ergo etiam causat actum cognoscendi, &c. Secundus sensus est: si intellectus est verè actiuus actus comparatiui, erit etiam actiuus actus intelligendi. Et cùm dicit, quòd intentio causatur ab intellectione, non accipitur hîc *intelligere* propriè, quo obiectum intelligitur: sed accipitur pro actu intellectus comparatiui: nisi dicatur quòd actus comparatiuus sit intellectio; quod non videtur.

Hîc tamen nota, quòd secunda intentio non propriè causatur, nec ab intellectu, nec ab aliquo actu intellectus, cùm omnia talia causent naturaliter, & secundùm vltimum potentiæ: & omne causatum à re, vt res est, erit necessariò reale: & hoc etiam patet in litera: accipitur ergo hîc *causari* pro derelinqui: nam quando intellectus actu suo comparat vnum cognitum ad aliud, statim resultat quædam relatio rationis: sicut etiam, positis duobus albis, statim resultat ex natura rei similitudo realis: sic posito actu collatiuo intellectus comparantis vnum cognitum ad aliud cognitum, statim resultat talis relatio rationis. Sed esset bona difficultas, quòd *esse* habet secunda intentio, posito quòd ipsa non recipiatur nec in obiecto, nec in intellectu: de hoc in Vniuersalibus. Sequentia clara sunt. 5. *Secunda intentio non causatur ab actu intellectus.*

SCHOLIVM.

Ponit tertiam opinionem, quæ etiam est Henrici, qui dicit obiectum, vt relucet in phantasmate, (negat Henricus speciem intelligibilem) producere sui intellectionem confusam, qua posita intellectus potest suffodiendo actiuè intelligere, distinctè componere, diuidere, ratiocinari; alibi tamen ait, quòd phantasma tantùm inclinat intellectum. Vtramque opinionem refutat vnica ratione clara.

12. *Opinio Hērici quodl. 5. q. 14.* TErtia opinio * ponit, quòd intelligibile, vt simpliciter præsens intellectui, non per speciem intelligibilem, sed per phantasma, vt illustratur ab intellectu agente, est in intellectu possibili, vt in memoria; vt autem immutat ad actum intelligendi, est in eo, vt in intelligentia, cuius notitia terminatur in ipsum obiectum, & quantùm ad ista duo, intellectus est passiuus, videlicet inquantùm est memoria habens obiectum simpliciter præsens, & inquantùm intelligentia est, ab obiecto sic præsente mota, ad primum actum intelligendi.

Sed intellectus factus in actu primo naturali acumine suo potest suffodere, & discurrere in vnoquoque quid sit, componendo, diuidendo, differentias conuenientes cum diuiso, & ratiocinando, & sic inquirere quid respectu intellectus simplicis, & propter quid, respectu complexi, vt respectu conclusionis scibilis & in isto discursu intellectus, inquantùm discurrit, est actiuus, inquantùm tamen concipit, est passiuus.

Iste idem istam positionem de passione respectu notitiæ primæ simplicis, & confusæ, & actione respectu notitiæ distinctæ inuestigatæ, videtur retractare, & corrigere alibi, vbi

vbi inquirens de principio actiuo actionum vitalium, scilicet sensationis, & intellectionis, ponit quòd illud principium est aliquid in ipso animato, & non solùm obiectum extrà, sicut & in sensu ponit, quòd species impressa in organo, tantùm inclinat, & inclinando excitat potentiam: & quasi euocat ipsam ad propriam operationem. Ita phantasma in virtute phantastica inclinat intellectum, ita quòd intellectus inclinatus sit in vltima dispositione ad eliciendum intellectionem, tanquam suam propriam operationem. & pro ista opinione adducit ibi vnam rationem pro istis actionibus, quia sunt vitales, & nulla actio transcendit perfectionem agentis, & aliam de actione manente in agente, & istæ sunt propriæ actiones, & denominant propriè ipsum agens, sicut *lucere* se habet ad ipsam lucens, non *illuminare*. *Hēr. quodl. 3.q.4.*

Ad hoc concordat ratio Augustini, quòd anima format in se imagines cognitorum, quæ tres rationes adductæ fuerunt priùs pro prima opinione.

Contrà [b]. Neutra istarum opinionum, nec retractata, nec retractans, videtur esse vera: non retractata, quia aut intellectus factus in actu secundùm notitiam primam confusam, est actiuus virtute sui, respectu intellectionis secundæ, aut virtute illius notitiæ primæ confusæ. Si virtute sui, non videtur rationabile, quòd aliqua causa possit esse actiua respectu perfectioris in aliqua specie, & nullo modo possit esse causa actiua respectu imperfectioris eiusdem rationis: intellectio autem confusa, & distincta albi, videntur esse intellectiones eiusdem rationis, quia eiusdem obiecti: ergo videtur inconueniens, quòd intellectus de se possit esse causatiuus respectu secundæ intellectionis, quæ est perfectior, & nòn respectu primæ. 13.

Si autem dicas, quòd respectu secundæ est actiuus virtute actus primi; contrà, actus imperfectior non potest esse ratio formalis causandi actum perfectiorem, quia tunc non esset vnde posset probari Deum esse perfectissimum ens, si effectus posset excedere causam suam totalem in perfectione: cognitio autem distincta, est nobilior cognitione confusa: ergo illa confusa non est formalis ratio eliciendi, vel causandi illam distinctam.

Opinio etiam retractans, non videtur esse vera, quia quæro quid intelligitur per inclinationem? aut aliqua forma, quæ sit in intellectu, per quam inclinetur, aut nihil. Si nihil, non magis inclinatur nunc quàm priùs inclinabatur. Si aliqua forma, aut actus intelligendi, & tunc oppositum opinionis eorum; quia obiectum causabit actum, aut aliquid prius actu intelligendi, vt species, quam ipsi negant.

Item, in causis essentialiter ordinatis, inferior non inclinat superiorem, sed è conuerso: respectu autem intellectionis pars intellectiua est causa superior, quàm species alicuius obiecti, vt patebit in sequenti quæstione; ergo obiectum non inclinat intellectum.

COMMENTARIVS.

1. *Opinio Henr.* a Tertia opinio. Hæc est opinio Henr. *quodl. 5. q. 14.* qui dicit, quòd intelligibile, vt simpliciter præsens intellectui non per speciem intelligibilem, sed per phantasma, vt illustratur ab intellectu agente, est in intellectu possibili, vt in memoria: vt autem immutat ad actum intelligendi est in eo, vt in intelligentia, cuius notitia terminatur in ipsum obiectum. Et quantùm ad ista duo intellectus est passiuus, id est, quòd obiectum, vt relucens in phantasmate est in intellectu possibili, vt in memoria; siue est præsens intellectui possibili, vt in memoria; siue vt pars memoriæ. Nam vt sic, mouet intellectum ad cognitionem confusam: & sic intellectus patitur ab illo realiter; quia recipit ab obiecto cognitionem confusam. Vt autem immutat ad actum intelligendi: & hoc tantùm intentionaliter est in intellectu possibili, vt intelligentia, id est, est præsens intellectui possibili, vt informato illa cognitione confusa: quia tunc talis cognitio terminatur ad ipsum obiectum. Et hoc modo patitur etiam intellectus ab obiecto intentionaliter tantùm. Et quid sit pati intentionaliter, vide suprà in quæstione immediatè præcedenti: vbi declaraui hoc. *Intellectus pati ur ab obiecto tantùm intentionaliter.*

2. Deinde addit Henricus, quòd intellectus factus in actu primo, id est, vt habens cognitionem confusam obiecti: naturali acumine suo potest suffodere, & discurrere in vnoquoque quid sit: componendo, diuidendo, ratiocinando, & sic inquirere *quid* respectu intellectus simplicis, id est, notitiæ incomplexæ distinctæ: & *propter quid* respectu complexæ: vt respectu conclusionis simplicis. In isto discursu intellectus inquantùm discurrit est actiuu. Inquantùm tamen concipit est passiuus.

Iste idem istam positionem de passione, &c. Et litera stat in hoc, quòd Henricus quodl. 3. quæst. 6. videtur dicere, quòd phantasma, siue obiectum relucens in phantasmate, tantùm inclinat intellectum possibilem, & excitat, quo excitato causat notitiam confusam: & patet litera. *Henric. retractat.*

3. b *Contrà. Neutra istarum.* Hîc Doctor improbat Henricum quantùm ad hoc, quòd dicit quòd intellectus factus, in actu secundùm notitiam primam confusam, est actiuus notitiæ distinctæ. Et quærit Doctor, aut est actiuus virtute sui: aut virtute notitiæ confusæ? Si virtute sui, non videtur rationabile, quòd aliqua causa possit esse actiua respectu perfectioris in aliqua specie: & nullo modo possit esse causa actiua respectu imperfectioris eiusdem speciei. Et addit *in eadem specie:*

Xᵗ semper potens producere perfectius potest & imperfectius.

quia non sequitur absolutè: si aliquid est causa perfectioris, quòd possit esse causa imperfectioris, vt patet; quia agens naturale est causa formæ substantialis, quæ est perfectior materia: & tamen non potest esse causa materiæ: sed si potest causare perfectius in aliqua specie: potest etiam causare imperfectius in eadem specie. Cùm ergo in proposito intellectio confusa, & distincta eiusdem obiecti videntur alibi esse eiusdem rationis, quia eiusdem obiecti: ergo.

4. Aduerte tamen, quòd non sequitur absolutè, quòd notitiæ dicantur eiusdem rationis, quia eiusdem obiecti: quia statim sibi contradiceret: quia in secundo vult expressè *distinct.* 25. *& alibi*, quòd cognitio intuitiua, & abstractiua differant specie, etiam respectu eiusdem obiecti. Sic er- intelligitur, quòd duæ notitiæ abstractiuæ sunt eiusdem speciei: quando sunt eiusdem obiecti non in se præsentis: sed in aliquo repræsentatiuo. Si autem dicas, quòd respectu secundæ notitiæ, scilicet distinctæ, intellectus est actiuus virtute notitiæ confusæ. Contra hoc arguit Doctor; quia tunc sequeretur, quòd imperfectius esset ratio formalis producendi perfectius, quod est impossibile. Hæc etiam opinio retractata est: & suprà improbata dist. 2. part. 2. & dist. 3. quæst. 6. Improbatur etiam infra dist. 26.

Quomodo duæ notitiæ abstractiuæ sint eiusdē speciei.

c *Opinio etiam retractans non videtur esse vera*, &c. *Si nihil, non magis inclinatur* intellectus nunc ad intelligendum obiectum, *quàm priùs inclinabatur. si aliqua*, aut illa *forma* est *actus intelligendi: & tunc oppositum opinionis eorum: quia obiectum causabit actum:* quod ipse negat retractando positionem primam: *aut* illa forma est *aliquid prius actu intelligendi, vt species* intelligibilis recepta in intellectu possibili, *quam* tamen *negant:* vt suprà patuit in quæst. immediatè præcedenti.

Item in causis ordinatis inferior non inclinat superiorem: sed è conuerso: sed intellectus est causa superior, quàm species alicuius obiecti: patet, quia intellectus vtitur magis specie obiecti, quàm è contra: sicut etiam dicimus, quòd potentia est causa superior habitu: posito, quòd habitus sit causa actiua actus: quia vtitur habitu non è conuerso: vt patet infrà dist. 17. ergo obiectum relucens in tali specie non inclinabit intellectum.

SCHOLIVM.

Ponit sententiam Diui Thomæ (quicquid Thomistæ commententur) scilicet intellectum esse merè passiuum, & speciem intelligibilem esse totam gignendæ notitiæ rationem, probatur auctoritatibus, & duplici ratione.

14. *Opinio Diui Thomæ 1. p. q. 85. art. 2. & 3. de Anima, tex. 8.*

QVinta opinio ponit, quòd species obiecti in intellectu, vel ipsum obiectum in se præsens, est gignens: vel est ratio gignendi notitiam actualem in intellectu: & ipse intellectus tantummodo se habet tanquam materiale, vel informatus illa specie, vel per obiectum supplens vicem speciei.

Text. 32. *Text. 5.*

Ad hoc arguitur sic, Commentator 3. de Anima, comm. 5. *Intellectus se habet ad formas vniuersales, sicut materia prima ad formas indiuiduales:* & alibi. *Anima nostra est infinitum in genere intelligibilium, sicut materia in genere entium:* & 3. de Anima, & 8. Physic. *Intellectus ante habitum est in potentia essentiali, sicut materia ante formam:* & 3. de Anima, *intellectus nihil est eorum, quæ sunt ante intelligere.* Ex omnibus istis concluditur potentiam intellectiuam respectu intelligibilis, esse purè potentialem: sed quod est purè potentiale, non potest esse principium actiuum alicuius actus, nisi informatum aliqua forma: & tunc principium formale erit forma.

Arguitur vlteriùs, quòd ipsa forma, quæ est principium agendi, sit similitudo obiecti: quia sicut factio est formaliter per formam, quâ faciens assimilatur facto: ita actio videtur esse formaliter per illam formam, quâ agens assimilatur obiecto: & ita illa similitudo erit formalis ratio agendi.

Ad hoc etiam adducitur, quòd agens indeterminatum non potest in actionem determinatam, vel circa obiectum determinatum, nisi determinetur: intellectus de se est indeterminatus ad omne intelligibile, & ad omnem intellectionem: ergo ad hoc quòd intelligat aliquid, requiritur determinatio aliqua: illa non est nisi per speciem intelligibilem: igitur illa species intelligibilis requiritur, vt principium determinatiuum.

COMMENTARIVS.

1. *Opinio Diui Thomæ.*

QVinta opinio. Hæc est Diui Thomæ *in* 1. *parte summæ, quæst.* 85. *art.* 2. qui vult, quòd species intelligibilis sit ratio formalis gignendi notitiam actualem: ita quòd intellectus tantùm passiuè se habet. Et hanc positionem probat auctoritatibus, & rationibus. Primò auctoritate Commentatoris 3. *de Anima, cap.* 5. circa principium, paulò ante positionem Theophrasti, & Themistij. *Intellectus se habet ad formas vniuersales: sicut materia prima ad formas indiuiduales.* Et alibi. *Anima nostra est infima in genere intelligibilium: sicut materia in genere entium.* Et 3. de Anima: tex. com. 2. *Intellectus ante habitum est in potentia essentiali, sicut materia ante formam.* Hoc idem 8. Physic. text. comm. 22. & 3. de Anima. *Intellectus nihil est eorum, quæ sunt ante intelligere. Dico autem intellectum, quo opinatur, & intelligi anima: & hoc nihil aliud est actu eorum, quæ sunt ante intelligere.* Et ibi Commentator scilicet 3. de Anima, comm. 5. *Et intendo*, inquit, *per intellectum virtutem animæ: quæ dicitur intellectus verè: non virtutem, quæ dicitur intellectus largè, scilicet, virtutem imaginatiuam: sed virtutem,*

quæ

qua distinguimus res speculatiuas, & cogitamus in rebus operatiuis futuris. Et infrà. *Definitio igitur intellectus materialis, siue possibilis, est illud, quod est in potentia ad omnes intentiones formarum materialium vniuersalium, & non est in actu aliquod entium, antequam intelligat ipsum.* hæc ille.

2. Ex omnibus istis auctoritatibus concluditur potentia intellectus respectu intelligibilis esse purè potentialis: & quod est purè potentiale, non est principium actiuum alicuius actus, nisi informatus aliqua forma: & tunc principium formale erit forma.

Expositio literæ. *Arguitur vlterius.* Deinde probat Diuus Thomas suam positionem per rationem: & litera sic exponitur: Faciens dicitur assimilari facto primo fundamentaliter, quando ratio faciendi fundamentaliter est similis termino formali rei factæ. Exemplum: Ignis facit ignem in materia ligni: nam forma ignis in igne (quæ est ratio formalis agendi, vel faciendi) est similis formæ ignis receptæ in materia ligni. Secundò faciens dicitur assimilari facto formaliter, scilicet per factionem, quæ est respectus: & tali factioni competit talis similitudo non ex se, sed à ratione formali, id est, quia talis factio respectus est talis formæ; ideò per illam faciens assimilatur facto. Sic dico de actione, quòd per ipsam assimilatur obiecto, modo prædicto de factione: cùm ergo intellectio sit similis obiecto: sequitur, quòd ratio formalis, quæ erit ratio agendi, erit illa forma, per quam agens assimilatur obiecto: circa quod est talis actio; & illud videtur species intelligibilis. Et cùm dicit: Et ita illa similitudo erit formalis ratio agendi. accipit similitudinem fundamentaliter pro forma.

Factioni competit similitudo nõ ex se, sed à ratione formali.

Ad hoc etiam adducitur. Adducit Thom. aliã rationem, qua probat, quòd intellectus sit tantùm passiuus respectu intellectionis. Et ratio stat in hoc: Nullum agens indeterminatum potest in aliquam actionem determinatam circa obiectum determinatum, nisi determinetur aliunde, intellectus est de se indeterminatus ad omne intelligibile, & ad omnem intellectionem: ergo ad hoc, quòd intelligat aliquid, requiritur determinatio aliqua: & illa determinatio erit species intelligibilis: ergo, &c.

SCHOLIVM.

Opinio Ægidij ferè eadem cum præcedenti, dicit intellectionem esse speciem, eámque causari ab ipso obiecto in se præsente, vel ab alia specie, vice eius, suadetur quoad primam partem, ex Augustino, & Philosopho.

Sexta opinio, quæ redit in idem quantùm ad conclusionem huius quintæ opinionis, 15.
est, quòd ipsa notitia actualis genita, siue in sensu, siue in intellectu est species: & tunc sicut ratio formalis gignendi speciem actualem, quæ dicitur notitia actualis, est ratio obiecti, vel species obiecti in memoria: ita sequitur quo ad propositum, quòd ratio formalis gignendi notitiam actualem, est primum obiectum, vel aliqua species in virtute obiecti.

Opinio Ægidij quodl. 3. q. 12. & 13.

Et hoc, ita quòd quando obiectum est in se præsens, ab eo egreditur, vel generatur species, quæ est intellectio: cùm autem non est in se præsens, sed per speciem in memoria: tunc per illam speciem, vel virtute illius speciei, gignetur alia species, quæ est intellectio.

Pro ista opinione, quatenus dicit speciem intelligibilem esse notitiam actualem, adducitur Augustinus 2. de Trinitate, cap. 2. vbi inquit. *Illa tamen informatio sensus, quæ visio dicitur, à solo imprimitur corpore quod videtur:* quod autem imprimitur, vel gignitur à solo corpore, est species: ergo illa species est visio secundùm Augustinum. Hoc idem secundò probatur per Philosophum 2. *de Anima*, qui vult, quòd idem sit sonatio, & auditio, quia idem est actus actiui, & passiui, & per Philosophum 3. *Physicorum*; sed sonatio in actu causat speciem soni in aure: ergo illa species causata, est idem cum auditione, & ita species intelligibilis, & intellectio idem erit.

Text. 138. *Text. 18.*

COMMENTARIVS.

1. Sexta opinio. Hæc est opinio Ægidij *Quodlib. 3. quæst. 12. & 13.* qui dicit, quòd notitia actualis genita, siue in sensu, siue in intellectu, est species. Et ratio formalis gignendi notitiam actualem est ipsum obiectum: vel aliqua species in virtute obiecti: sic intelligendo, quòd quando obiectum est in se præsens, ab eo causatur immediatè notitia, quæ est species intelligibilis: quando verò non est præsens in se, sed in specie intelligibili, tunc vna species intelligibilis causatur ab alia.

Ægid. de Roma.

2. *Hoc idem secundò probatur* per Philosophum 2. de Anima, text. comm. 138. Dicit enim ibi Aristoteles. *Sensibilis autem actus, & sensus idem est vnus: esse autem ipsorum non idem:* & ibi Commentator. *Actio, inquit, sensibilis ex anima in mouendo sentiens: & actio sensus, quæ est in sentiente, scilicet qualitas, quæ sentiens: qualitates in mouendo etiam virtutem visionis, est eadem actio: licèt modus esse sensibilis extra animam differat à modo sui esse in sentiente: verbi gratia, quòd sonus qui est in actu extra animam: ita mouet instrumentum auditus, sicut auditus, qui est in actu mouet virtutem auditus.* Et vide literam.

Idem est sonatio, & auditio.

SCHO

SCHOLIVM.

Conclusionem, in qua Diuus Thomas, & Ægidius conueniunt, videlicet intellectum non esse actiuum, reiicit Scotus, per aliquot argumenta adducta num. 7. & sequentibus contra secundam opinionem Goffredi, tribuentis totam actiuitatem obiecto, & per alias tres rationes speciales.

16. *Reprobatio opinionis D. Thom. & Ægidij.* CONclusio istarum duarum opinionum vltimarum improbatur per quædam argumenta facta contra opinionem secundam. Nam effectus æquiuocus non potest excedere in perfectione causam æquiuocam, sed deficit necessariò ab ea: intellectio esset effectus æquiuocus speciei intelligibilis, si ab ea sola causaretur: & ita simpliciter esset imperfectior specie intelligibili, quod non est verum.

Similiter habitus non videtur necessarius, sicut argutum est ibi in quinta ratione. Similiter quomodo fieret discursus? Similiter quomodo reflexio? quomodo causarentur relationes rationis, siue intentionis Logicæ? quomodo complexio falsa, cui assentiretur tanquam veræ, si sola species intelligibilis genita à phantasmate, esset ratio formalis omnis intellectionis?

17. Similiter tunc species esset magis potentia intellectiua, quàm intellectus, & ita ipsa separata haberet eundem actum, sicut calor separatus calefaceret. Similiter secundò tunc *intelligere* non videretur propria perfectio ipsius intellectus, quia nihil videtur essentialiter ordinari ad illam operationem, ad cuius principium se habet in potentia contradictionis, sicut ad accidens per accidens, sicut calefieri non videtur propria perfectio ligni, ex quo lignum se habet ad calorem sicut ad accidens per accidens: sed ita se haberet intellectus secundùm istam opinionem, ad speciem intelligibilem, quæ esset principium intellectionis: igitur, &c. Similiter tertiò tam in sensu, quàm in intellectu posito eodem repræsentante, maior attentio, vel conatus facit actum perfectiorem. Idem enim habens eandem speciem intelligibilem, vel phantasma, perfectiùs intelligit illud, ad cuius intellectionem magis conatur, & minùs, quando minùs: ita etiam in sensu eodem obiecto præsente, & in eodem lumine, & in eadem distantia, perfectiùs videtur aliquid per maiorem attentionem in videndo. Patet etiam ex hoc quòd magis quandoque læditur visus propter maiorem attentionem, imò cæteris paribus, vnus oculus magis attentus, posset multum offendi in visione alicuius, in qua minùs alius offenditur, sicut patet per experientiam. Patet etiam secundùm Augustinum 2. *de Trinitate, cap. 2.* quòd in attento multùm remanent species post visionem, quæ non remanent in oculo non attendentis.

ADDITIO. *Ad ista tria media potest responderi. Ad primum, quòd potentia intellectiua, est qua intelligimus: intelligimus autem eâ inquantùm ipsa habet formaliter intellectionem; species autem non est nata habere eam, necesse ratio habendi illam. Quod adducitur, quòd etiam separata haberet actum; si intelligatur habere subiectiuè, patet quòd non valet: si effectiuè, respondeo non habet passum in quod agat, præcipuè si non est nata esse principium agendi in aliud; quia non est factionis principium, sed tantùm actionis immanentis in eodem subiecto cum ipsa.*

Ad secundum potest dici, quòd maior illa, scilicet nihil videtur essentialiter ordinari, &c. falsa est in his, quæ non possunt ex se consequi finem, ad quē ordinantur, sed tantùm actione extrinseci dantis sibi aliquod accidens, per quod operatur, & attingat finem suum; sic est hîc.

Ad tertium, illa attentio voluntatis est, qua vehementiùs applicante se ad obiectum, potentia cognitiua inferior vehementiùs patitur ab illo obiecto; & ideò perfectiùs cognoscit, licèt non agat ad illam secundùm actum.

SCHOLIVM.

Reiicit specialiter Ægidium, quatenus dicit, intellectionem, seu visionem esse ipsam speciem, tam quoad visum, quàm quoad intellectum.

18. SEd contra secundam opinionem arguitur specialiter, quòd ipsa sit falsa, tam in sensu, quàm in intellectu. In sensu, quia si species ista, quæ est visio, sit eiusdem rationis cum illa, quæ est in medio; illa in medio erit formaliter visio: ergo medium formaliter habens eam erit formaliter videns. Si autem præter hanc speciem in visu, quæ ponitur visio, sit alia alterius rationis ab ea, & alia eiusdem rationis cum illa, quæ est in medio; habetur propositum: scilicet, quòd licèt illud, quod est visio, dicatur species, tamen est aliquid aliud prius eo in oculo, & alterius rationis, & illud vt communiter dicitur, est species, & ita species propriè dicta differret ab actione.

Si

Si dicas, quòd species in medio differt à specie in oculo propter diuersa recipientia, hoc nihil est, quia sicut albedo est eiusdem rationis in lapide, & equo, & ideò vtrumque est formaliter album secundùm eandem rationem albi; ita si illa qualitas, quæ dicitur species, sit eiusdem rationis in oculo, & in medio; si illa de se sit visio formaliter, visio formaliter erit in vtroque: & in quocumque est formaliter visio, illud formaliter est videns. Principale etiam propositum patet, quia in oculo cæco, manente tamen sic mixto, vt priùs, causatur species; similiter in oculo dormientis, aliàs non excitaretur ab excellenti sensibili præsente: non etiam aliter aliquis excitaretur à sono excellenti, nisi species esset in aure; tamen in istis non est visio, ita etiam in oculo benè disposito recipitur aliqua species eiusdem rationis cum illa, quæ est in medio, ex hoc quòd ipsum organum est similis dispositionis cum medio, propter perspicuitatem vtriusque, & diaphaneitatem, *ex 2. de Anima*, & ista non erit formaliter visio, sed prior visione.

Quòd etiam hoc de intellectu sit falsum, patet, coniungendo aliqua dicta sic opinantis. Posuit enim nullam esse aliam speciem ab essentia diuina in visione beata, & beatitudinem essentialiter consistere in sola visione. Coniunge istud dictum, quòd visio formaliter est species, & sequitur, quòd beatitudo nostra erit formaliter essentia diuina: probatio, beatitudo formaliter est visio secundùm eos; visio formaliter est species secundùm eos, species est formaliter essentia diuina; ergo essentia diuina est formaliter beatitudo nostra. Sed hæc conclusio est inconueniens, aut negent istam præmissam, quòd visio est species, aut ponant, quòd essentia diuina habet aliam speciem à se, aut beatitudinem essentialiter in alio, quàm in actu visionis. 19.

Si dicatur, vbi est species intelligibilis alia ab obiecto, illa est intellectio: sed vbi non est alia species ab obiecto, ibi intellectio non est obiectum in beatitudine; igitur negarent speciem aliam ab obiecto, & actu, sed non negatur esse alia ab obiecto. ADDITIO.

Contrà: Nullius obiecti est alia species intelligibilis nisi sola intellectio, secundùm istos: igitur cuius obiecti est intellectio alia ab ipso, eius est species intelligibilis: igitur ita debet concedi species in visione Dei, sicut in intellectione cuiuscunque alterius obiecti.

Nota, quòd intellectionis ad obiectum, inquantùm est motiuum intellectus, siue magis propriè, inquantùm est causatiuum intellectionis, est relatio pertinens ad secundum modum relatiuorum, sicut Filij ad Patrem, vel coloris geniti ad gignentem. Relatio etiam intellectus ad obiectum, vt mobilis ad motiuum, pertinet ad secundum modum, sicut relatio calefactibilis ad calefactiuum: sed præter istas relationes secundi modi, est alia relatio intellectionis ad obiectum, vt terminati ad terminans. Non enim tantùm intellectio est ab obiecto, vt à causa efficiente totali, vel partiali, sed est ad ipsum, vt ad terminans, siue vt circa quod ipsa est. Differentia istarum relationum patet, quia vtraque est sine alia. Prima sine secunda in calore genito: secunda sine prima in intellectione lapidis, si fieret immediatè à Deo in me. Prima non est identica, quia idem absolutum posset fieri ab alia causa. Secunda videtur identica, quia nullus actus natus esse circa obiectum, posset esse idem, & non terminari ad idem obiectum. Secunda non est ad aliquam causam, quia positis omnibus causis, præter hoc requiritur in tali actu aliquid terminans. Patet etiam diuidendo, non est forma, nec efficiens. Patet, non finis quia obiectum, vt est primum circa quod est actus, non est propter quod amatum, elicitur actus, nec est materia circa, siue in, siue ex qua. De hoc vide 13. quodl.

COMMENTARIVS.

1. CONclusio istarum duarum opinionum vltimarum improbatur per quadam argumenta facta contra opinionem secundam: quæ opinio attribuebat totam actiuitatem obiecto, vt suprà patuit. Et litera patet vsque ibi: *Sed contra secundam opinionem arguitur specialiter, quòd ipsa sit falsa, tam in sensu quàm in intellectu*: quia tunc medium diceretur videre, si species sensibilis, & visio essent idem: quia species sensibilis, etiam recipitur in medio. Nec valet dicere, quòd species in medio, & in organo sunt alterius rationis: quia receptiua sunt alterius rationis: quia albedo in lapide, & in equo sunt eiusdem rationis: & tamen equus, & lapis differunt specie. Tum etiam, quia in oculo cæco, manente tamen sic misto, vt priùs causatur species: & tamen non videt. Similiter in oculo dormientis: aliàs non excitaretur ab excellenti sensibili præsente. Et tota ista litera clara est. *Albedo in lapide, & in equo sunt eiusdem rationis.*

SCHOLIVM.

Resoluit Scotus obiectum non esse totam causam intellectionis, propter adducta contra secundam, quintam, & sextam sententias, neque animam esse totam causam, propter allata contra primam opinionem Henrici, & alias rationes speciales hîc positas; sed totalem causam intellectionis conflari ex obiecto, & anima, vt ex duabus causis partialibus, essentialiter subordinatis: quod clarè explicat.

Ad

20. AD quæstionem [a] respondeo, & dico quòd intellectio actualis est aliquid in nobis, non perpetuum: sed habens *esse* post *non esse*, sicut experimur. Istius ergo oportet ponere aliquam causam actiuam,& aliquo modo in nobis,alioquin non esset in potestate nostra intelligere,cùm volumus: quod est contra Philosophum 2. *de Anima*, apparet etiam hîc, quòd oportet concurrere animam,& obiectum præsens, & hoc in specie intelligibili, sicut dictum est in præcedenti quæstione, quia alio modo non est præsens, vt actu intelligibile,loquendo de sensibili obiecto,& materiali Dico ergo tunc,quòd istius intellectionis non est totalis causa actiua obiectum, nec in se, nec in sua specie,sicut apparet per rationes contra secundam,quintam,& sextam opinionem. Et etiam quia tunc non posset saluari imago in mente, vt mens est: quia nihil ipsius mentis haberet rationem parentis,nec tota causa intellectionis est anima intellectiua,vel aliquid eius formaliter,propter rationes factas contra primam opinionem.

Text. 55. & 60.

Et etiam [b], quia tunc actus non esset similitudo obiecti, nec distingueretur essentialiter propter distinctionem obiecti,quia essentialis distinctio,non est ab eo,quod non est causa, nec esset simpliciter perfectior intellectio perfectioris intelligibilis, posito æquali conatu hinc inde ex parte intellectus. Probatio, quia posita causa totali efficaciùs operante,sequitur perfectior actio,& ita si anima esset causa totalis, vbicunque ipsa ex parte sui perfectius ageret ex maiori conatu,perfectiorem intellectionem produceret,& ita intellectio Dei non esset perfectior intellectione muscæ, quod est contra Philosophum 10.*Eth.c.*1.ponentem fœlicitatem in speculatione obiecti perfectissimi.

Cõsimiliter videtur posse argui de partiali causalitate respectu infinitorũ, quare in collatione Paris.

Videtur etiam [c] quòd tunc esset infinita actiuitas in intellectu inquantùm est actiuus respectu omnium intellectionum,quia ad vnam intellectionem vnius rationis requiritur aliqua perfectio in causa illius intellectionis, & ad aliam intellectionem alterius rationis requiritur tanta perfectio,vel maior: ergo habens hanc,& illam,est perfectius,quàm habens illam tantùm:& ita habens infinitas tales,vt totalis causa,est infinitũ in perfectione.

Similiter non videretur quomodo aliqua tota scientia contineretur virtualiter in obiecto,si sola anima intellectiua haberet causalitatem respectu actus,& habitus.

Ex istis soluitur quæstio sic: Si ergo nec anima sola,nec obiectum solum sit causa totalis intellectionis actualis,& ista sola videntur requiri ad intellectionem,sequitur,quòd ista duo sunt vna causa integra respectu notitiæ genitæ.

Et ista est sententia Augustini 9. *de Trin. c.vlt.* Sicut allegatum fuit arguendo contra primam opinionem,*Liquidò tenendum est,&c.*

21. Qualiter [d] autem hoc sit intelligendum, distinguo de pluribus causis concurrentibus ad eundem effectum. Quædam enim ex æquo concurrunt sicut aliqui duo trahentes aliquod idem corpus. Quædam verò non ex æquo: sed habentes ordinem essentialem: & hoc dupliciter, vel sic, quòd superior moueat inferiorem,ita quòd inferior non agat, nisi quia mouetur à superiore, & tunc inferior habet à superiore virtutem illam, qua mouet.

Quandoque autem superior non mouet inferiorem, nec dat ei virtutem, qua mouet, sed superior de se habet virtutem perfectiorem agendi,& inferior habet imperfectiorem virtutem agendi: nec tamen recipit virtutem istam imperfectiorem à superiori, quæ est perfectioris virtutis. Exemplum primi membri huius secundæ diuisionis, de potentia motiua, quæ est in manu, & baculo, & pila. Exemplum secundi membri, si mater ponatur virtutem actiuam habere in generatione prolis, illa & potentia actiua patris concurrunt, vt duæ causæ partiales, ordinatæ quidem: quia altera perfectior reliqua, non tamen imperfectior recipit suam causalitatem à causa perfectiore: nec tota illa causalitas est eminenter in causa perfectiori: sed aliquid addit causa imperfectior, in tantùm quòd effectus non solùm * non potest esse perfectior à causa perfectiori, plusquam ab imperfectiori: imò non potest plus esse à perfectiori tantùm, quàm ab imperfectiori tantùm.

**aliàs potest esse perfectior à causa perfectiori,& imperfectiori simul quàm à causa sola perfectiore.*

Ad propositum, obiectum intelligibile præsens in se, vel in specie intelligibili, & pars intellectiua, non concurrunt, vt causæ ex æquo ad intellectionem: quia tunc alterum haberet causalitatem talem imperfectam, & reliquum suppleret eam: & si alterum esset perfectum, posset habere in se vno existente, totam causalitatem amborum; sicut si virtus motiua vnius esset perfecta,suppleret virtutem alterius; & tunc species esset quasi quidam gradus intellectualitatis, supplens gradum intellectualitatis deficientem intellectui, & tunc si fieret perfectior intellectus, secundùm gradum talem, posset sine specie,& sine obiecto habere actum intelligendi,quod est falsum.

Optimè explicat quomodò intellectus, & species sunt causæ subordinatæ, essentialiter.

Concurrunt ergo ista duo, vt habentia ordinem essentialem, non tamen primo modo; quia nec intellectus dat obiecto, vel speciei rationem suæ causalitatis. Non enim obiectum

obiectum natum est in se, vel in specie sui facere intellectionem, per aliquid, quod recipit ab intellectu, sed ex natura sua, nec intellectus recipit suam causalitatem ab obiecto, vel specie obiecti, sicut probatum est contra quintam, & sextam opinionem in ista quæstione.

Sunt igitur causæ essentialiter ordinatæ vltimo modo, scilicet, quòd vna est simpliciter perfectior altera, ita tamen, quòd vtraque in sua partiali causalitate est perfecta non dependens ab alia.

Si arguitur [e] contra istud, quòd in causis talibus essentialiter ordinatis, neutra est perfectio alterius: ergo species intelligibilis non erit forma ipsius intellectus.

Similiter ad idem, si sit perfectio intellectus, & totum hoc sit ratio agendi: ergo vna operatio, vtpote intellectio, non habebit vnam formalem rationem agendi, sed erit ab ente per accidens, quale est hoc totum, intellectus habens speciem, quod est inconueniens; quia quidquid non est per se ens, non per se est ratio formalis agendi.

Respondeo ad primam, accidit speciei, inquantum est causa partialis respectu actus intelligendi cum intellectu, vt cum alia causa partiali, quòd ipsa perficiat intellectum: quia etsi perficiat eum, non dat tamen intellectui aliquam actualitatem pertinentem ad causalitatem intellectus: exemplum, potentia motiua in manu potest vti cultello, inquantum acutum est, ad diuidendum aliquod corpus; ista acuties, si esset in manu, vt in subiecto, posset manus vti ea ad eandem operationem, & tamen accideret manui, inquantum in ea est potentia motiua, quòd in ea acuties esset, & è conuerso, quia acuties nullam perfectionem daret manui, pertinentem ad potentiam motiuam. Quod apparet, quia æquè perfecta est potentia motiua sine tali acutie, & ita eodem modo vtitur ea, quando est in alio coniuncto manui, vt cultello, sicut vteretur ea si esset in manu. Ita in proposito, si species posset esse inexistens intellectui absque inhærentia per modum formæ, si isto modo inexistens esset sufficienter coniuncta intellectui, possent istæ duæ causæ partiales, intellectus & species, coniunctæ sibi inuicem, in eandem operationem, in quam modo possunt, quando species informat intellectum. Quod etiam apparet, ponendo aliquod intelligibile præsens sine specie. Illud enim obiectum est causa partialis, & non informat intellectum, qui est altera causa partialis: sed istæ duæ causæ partiales approximatæ, absque informatione alterius ab altera, per solam approximationem debitam, causant vnum effectum communem.

Inhærentia speciei est per accidens ad rationem intellectus.

Per idem patet ad secundum, quia in vnoquoque ordine causæ oportet ponere respectu vnius effectus, vnam per se causam, & vnam per se rationem causandi. Ita intellectus in suo ordine causalitatis, est vnus, & habet vnam formalem rationem causandi: & species, vel obiectum in suo ordine causandi est vna causa, & habet vnam rationem causandi, sed non oportet talem causam, provt complectitur omnes causas partiales, habere vnam rationem causandi, nisi vnitatem ordinis, quia si cum vnitate ordinis concurrat vnitas per accidens, hoc accidit: sed vnitas ordinis est per se. Exemplum, Sol in suo ordine causandi habet vnam rationem causandi respectu prolis, & pater in suo ordine causandi est vna causa vnius rationis: sed causa totalis, quæ complectitur patrem, & Solem, non habet aliquam vnam rationem formalem causandi, sicut non est vna causa, nisi vnitate ordinis, etsi contingat causas sic ordinatas præter vnitatem ordinis, habere vnitatem per accidens, inquantum scilicet vna accidit alteri, hoc non conuenit eis per se inquantum causæ sic ordinatæ.

23. *In causa cõplectẽte plures partiales, non requiritur vnitas nisi ordinis, etsi adsit vnitas per accidẽs hoc accidit.*

COMMENTARIVS.

1. *Opin. Scot. à quo causetur intellectio.*

a AD *quæstionem respondeo.* Nunc Doctor respondendo ad quæstionem declarat intentionem suam; videlicet quòd intellectio causatur ab intellectu, & ab obiecto, vt à duabus causis partialibus. Et primò dicit, quòd obiectum non est totalis causa intellectionis: sicut suprà expositum est: & ad hoc adducit vnam specialem rationem: quia si obiectum esset totalis causa, non posset saluari imago in mente, vt mens est: quia nihil ipsius mentis haberet rationem parentis: accipit enim hîc *mentem* pro ipsa anima intellectiua: & vult, quòd in mente, vt mens est, sit imago Trinitatis, vt patet per Augustinum 14. *de Trinit.* quia meminit sui, cognoscit se, & diligit se. Quæro ergo à quo ipsa cognitio est causata? Si dicis, quòd non ab ipsa anima, vel à parte intellectiua animæ, sequitur, quòd in ipsa non sit imago: quia tunc non erit ibi prima pars imaginis, quæ est parens, quæ repræsentat Patrem, in quo est summa ratio parentis: ergo anima concurrit actiuè ad intellectionem. Sed de hoc prolixè patebit *quæst. vlt. præsentis dist.* & *in 2. dist.* 16.

Nec tota causa intellectionis est anima intellectiua. Propter rationes factas contra opinionem primã: & vltra illas assignat etiam aliquas speciales. 2. *Anima nõ est tota causa intellectionis.*

Prima. Quia si obiectum non esset aliquo modo causa actiua intellectionis, tunc actus intelligendi non esset similitudo obiecti: quod patet, quia cognitio talis est determinata similitudo talis obiecti: & repugnat sic, quòd sit similitudo alterius

terius obiecti. Sequitur ergo, quòd ipsa in essendo habeat *esse*, saltem partialiter à tali obiecto: nam ex quo intellectus ex se vniformiter agit circa quodcunque obiectum: non videtur quòd possit dari vni actui intelligendi, quòd sit similitudo magis vnius obiecti, quàm alterius. Sicut ergo species sensibilis, puta albedinis, sic est similitudo albedinis, quòd non potest esse similitudo nigredinis: & hoc habet ab albedine causante ipsam speciem sensibilem: sic videtur impossibile, quòd vnus actus intelligendi sit sic determinata similitudo alicuius obiecti, quòd nullo modo alterius, & non sit causatus ab obiecto dante sibi tale *esse*.

Nota. Et nota, quòd actus intelligendi non dicitur similitudo obiecti in essendo: sed tantùm in repræsentando: differenter tamen à specie intelligibili: quia aliter actus intelligendi est similitudo obiecti, & aliter species intelligibilis, vt exposui in quæst. de specie intelligibili, in responsione ad quæstionem.

Si dicatur: Nónne actus intelligendi abstractiuè causatur à specie intelligili; & non ab obiecto relucente in tali specie?

Dico, quòd sic. Quomodo ergo actus intelligendi erit similitudo obiecti, ex quo non causatur ab illo? Dico, quòd sufficit quòd sit causatus à specie intelligibili supplente vicem obiecti: præcipuè cùm ipsa sit talis naturæ, quòd habet causare actum intelligendi similem obiecto, cuius est species: est enim species intelligibilis causa determinati actus determinatè repræsentantis præcisè tale obiectum.

3. Secunda ratio est ibi: *Nec distingueretur essentialiter propter distinctionem obiecti.*

Duplex est distinctio essentialis. Pro intelligentia huius literæ, nota, quòd duplex est distinctio essentialis, siue aliqua dicuntur essentialiter distingui dupliciter. Vno modo formaliter, & quiditatiuè, vt homo, & asinus distinguuntur essentialiter per rationes formales distinguendi, quæ sunt de intrinseca ratione illorum, vt homo per rationale, & asinus per irrationale. Alio modo extrinsecè, & originatiuè: sicut homo, & asinus dicuntur distingui essentialiter per causas effectiuas essentialiter distinctas causantes aliud, & aliud *esse*: quando ergo cognitio hominis, & cognitio asini dicuntur distingui essentialiter per hominem, & asinum, tanquam per duo obiecta specie distincta, non potest dici, quòd talis distinctio sit ab obiectis, vt tantùm terminatiuis. Tum, quia obiectum, vt terminatiuum est posterius actu intelligendi, ad quem terminatur: accipiendo obiectum terminatiuum, vt includit respectum, quo actu terminat: & tunc non distinguerentur propriè essentialiter, sed tantùm per aliquid posterius. Tum, quia de rigore sermonis aliquid distingui essentialiter per alia, vel est propter distinctas rationes essentiales in eis, vel propter distincta principia essentialiter nata causare essentialiter distincta. Si ergo istæ cognitiones distinguuntur essentialiter per obiecta, hoc erit tantùm, quia illa obiecta nata sunt causare tantùm distinctas cognitiones essentialiter.

4. Tertia ratio est ibi: *Nec esset simpliciter perfectior*, &c. Et ratio est clara in litera.

Dubitatio. Sed in ista ratione occurrunt aliquæ difficultates. Primò, quia diceretur, quòd cognitio hominis esset nobilior cognitione lapidis: quia esset distincta specie à cognitione lapidis: & nobilior species ex sua ratione formali: species enim se habent sicut numeri: vt patet 8. *Met. t. c.* 25.

Dico, quòd si distinguerentur specie, inquantum producuntur ab anima, vt à totali causa: tunc quæro à quo habent, vt distinguantur sic? non quia terminantur ad diuersa obiecta: cùm priùs sint in se talia, quàm intelligantur terminari. Aut ideò distinguuntur specie, quia anima habet virtutem posse producere intellectiones obiectorum species distinctas, & hoc non: quia tunc, vel omnes simul produceret, vel nullam: patet, quia quando agens est dispositum, & materia disposita, si est agens naturale, statim sequitur actio. Sed anima, per te, est talis causa, & disposita: & ipsa etiam est passiua, siue receptiua, & optimè disposita, & respectu omnium intellectionum: ergo omnes intellectiones producibiles simul erunt productæ, vel nulla, cùm non sit maior ratio de vna, quàm de alia: si enim agens non potest simul producere distincta: puta ignis diuersos ignes: hoc est, quia simul non habet materiam dispositam ad recipiendum: & si haberet decem materias æquè dispositas, & æqualiter sibi præsentes, vel simul produceret decem, vel nihil: quia non esset maior ratio de vno, quàm de alio: sequeretur etiam, cùm sit actiua merè naturaliter, & passiua optimè disposita, etiam respectu infinitarum intellectionum, quòd simul intelligeret infinita, vt potest deduci ex his quæ suprà dixi *dist. 2. quæst. 1.* vbi probatur infinitas Dei.

Secunda difficultas est ibi: *De dicto Philosophi, quòd felicitas est in speculatione.* Hoc non probat cognitionem esse nobiliorem, quia causata à nobiliori obiecto. Tum, quia substantia separata non mouet intellectum nostrum pro statu isto: de alio autem statu dubitauit Aristoteles. Tum, quia tantùm cognoscimus de illis communia nobis, & illis, vt suprà patuit *in quæst. 1. prologi, & præsenti dist. quæst. 1.* & cognitio illorum communium tantùm causatur à sensibilibus, vt suprà patuit *præsenti dist. quæst. 1. 2. & 3.* & sic non sequitur ista nobilitas propter causalitatem obiecti: cùm illud sit tantùm sensibile. Si autem loquamur de statu alio, adhuc non sequitur: quia felicitas maximè nobilissima erit in speculatione primæ substantiæ, & illa non mouet aliquem intellectum præter diuinum, vt probat Doctor *q. 14. quodlib.* 5. *Alia dubitatio.*

Dico saluo semper meliori iudicio, quòd phantasma, puta entis in actu entis absoluti, vt puta phantasma albedinis causat vnà cum intellectu agente speciem intelligibilem albedinis, & coloris, & qualitatis, & actus, & absoluti, & entis, vt suprà exposui *q. 1. præsentis dist. 2. q. 2.* Similiter phantasma alicuius primi in alio genere causat similitudinem alicuius primitatis, & superiorum. Similiter phantasma alicuius boni causat speciem intelligibilẽ boni talis naturæ specificè, & vltimò omnium superiorum: & sic de aliis. Et nota, quòd species intelligibilis entis in se, & primitatis, & bonitatis (cùm non necessariò includant imperfectionem, cùm possint stare cum infinitate) potest dici nobilior specie intelligibili albedinis, quæ de necessitate includit imperfectionem: species ergo intelligibilis entis (supponendo quòd habeat speciem intelligibilem propriam) sic causat partialiter cognitionem abstractiuam entis, quòd non posset alia species intelligibilis causare: & similiter species boni, & primi, & actus, & coniungendo ista simul causant cognitionem partialiter, puta entis primi, actus primi, summi boni, & sic de aliis, & sic concurrunt *Solutio ingeniosa.*

plures

plures causæ partiales. Si ergo tota cognitio esset ab anima, vna cognitio non esset nobilior alia.

6. Dico secundò: quòd si felicitas consistat secundùm Aristotelem in speculatione substantiarum separatarum, & hoc quo ad propria ipsarum: si illæ non concurrerent actiuè, dando talem perfectionem cognitioni; cognitio illarum non esset nobilior cognitione lapidis: imò cognitio lapidis posset esse nobilior, si anima maiori conatu ipsam producat: & si pro statu isto non moueant: tamen pro alio statu poterunt mouere, loquendo de substantiis separatis aliis à prima. De alio autem statu dico, quòd licèt essentia diuina non moueat naturaliter, nisi intellectum diuinum: tamen voluntas diuina perfectè supplet vicem illius obiecti causando partialiter, vel totaliter visionem diuinæ essentiæ in intellectu Beati, &c.

c Quarta ratio, qua probat, quòd anima non sit totalis causa actus intelligendi est ibi: *Videtur etiam, quòd tunc esset infinita actiuitas in intellectu.* hæc ratio patet hîc, & ex his, quæ dicta sunt suprà in dist. 2. quæst. 1.

Quinta ratio est ibi: *Similiter non videretur, quomodo aliqua tota scientia virtualiter contineretur in obiecto, si sola anima intellectiua haberet causalitatem respectu actus, & habitus:* & hæc ratio suprà exposita est in quæstione de specie intelligibili respondendo ad rationes Henrici. Concludit ergo Doctor quòd intellectus, & obiectum sunt duæ causæ partiales intellectionis integrantes vnam totalem: quia secundùm Augustinum 9. de Trinit. *ex cognoscente, & cognito paritur notitia.*

Quomodo intellectus, & obiectum sunt dua causa partiales integrãtes vnã totalem.

Tamen Doctor non vult, quòd omne obiectum intelligibile sit partialis causa intellectionis: quia tunc entia rationis possent causare partialiter notitiam sui, & similiter relationes reales, & similiter negationes, & priuationes, & huiusmodi, cuius oppositum probatum est suprà *q.* 3. *præsentis dist.* Debet ergo sic intelligi, quòd ex cognoscente, & cognito causatur notitia, ita quòd causatur partialiter ab ipso cognito, vel saltem ab aliquo virtualiter, vel essentialiter continente ipsum: & in hoc supplente vicem talis obiecti, vt prolixè exposui suprà *dist. præsenti quæst.* 3.

7. d *Qualiter autem hoc sit distinguo de pluribus.* Hîc intendit declarare, quomodo obiectum, & intellectus concurrant, vt duæ causæ partiales ad actum intelligendi. Declarat ergo primò quomodo dicuntur plures causæ concurrere ad eundem effectum. Et dicit, quòd quædam concurrunt ex æquo: sicut duo trahentes aliquod corpus. Et dicuntur concurrere ex æquo, quia sunt causæ eiusdem rationis: ita quòd vna non dicuntur ex sua ratione formali principalis, & alia minùs principalis, quia si virtus vt octo, esset necessaria ad trahendam nauem, si vnum trahens haberet virtutem vt sex; & aliud vt duo, licèt illud vt sex perfectiùs concurrat, & illud vt duo imperfectiùs: tamen hoc est in eadem virtute secundùm speciem, licèt in vno sit perfectior, & in alio imperfectior: & si virtus vt duo, augeretur vt sex, æquè perfectè traheret, & si haberet virtutem vt octo, solus sufficeret.

Declaratio quo modo causa partiales dupliciter possunt concurrere.

Sunt ergo concurrentes ex æquo, quia vt sic sunt simpliciter eiusdem rationis: & per consequens inter illas nullo modo est ordo essentialis, sic quòd nec vna dicitur ex sua quiditate formali perfectior alia, nec vna dependet ab alia in agendo. Quædam verò concurrunt, non ex æquo, sed habentes ordinem essentialem adinuicem: & hoc dupliciter: vel sic, quòd superior moueat inferiorem, ita quòd inferior non agat, nisi quia mouetur à superiore: & tunc inferior habet virtutem illam, qua mouet à superiore. Exemplum potentia motiua, quæ est in manu, baculo, & pila: si enim baculus mouet pilam, hoc habet à manu actu mouente baculum: & hoc modo Deus, & homo sunt causæ essentialiter ordinatæ: quia homo non agit, nisi in virtute Dei, & eo modo mouet, quo mouetur à prima causa: & de hoc satis dictum est *in isto primo dist. 2. parte* 1. contra Ocham. Non credo tamen quòd baculus habeat formaliter aliquam actiuitatem respectu motus pilæ, sed tota actiuitas est à manu mouente baculum, & vtente ipso, vt instrumento, sicut vtens serra in scindendo lignum: de hoc *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *&* 4. vide ibi: & quæ etiam exposui. Sed homo habet propriam actiuitatem, propriam formam agendi: tamen in agendo dependet à prima causa, & quomodo hoc, vide suprà *dist. 2. & in 4. dist. 1. quæst.* 1.

Exemplum pulchrum.

Sunt ergo aliquæ causæ essentialiter ordinatæ, 8.
quarum vna agit in virtute alterius, sic, quòd tota actiuitas est à superiore, vt dixi de mouente pilam mediante baculo, & alia agit in virtute alterius, sic tamen, quòd habet actiuitatem, & formam propriam respectu eiusdem effectus. Sequitur: *Quandoque autem superior non mouet inferiorem, nec dat ei virtutem, quia mouet, sed superior de se,* id est, ex sua ratione formali habet virtutem perfectiorem agendi, & inferior imperfectiorem, nec recipit virtutem istam à perfectiore. Exemplum. Si mater ponatur habere virtutem actiuam in generatione prolis: vt ipse tenet *in* 3. *dist.* 4. illa potentia actiua matris, & potentia actiua patris concurrunt, vt duæ causæ partiales, ordinatæ quidem: quia altera perfectior reliqua: non tamen imperfectior recipit suam causalitatem à perfectiore, nec tota illa causalitas est eminenter in causa superiore, seu perfectiore: sed aliquid addit imperfectior in tantum, quòd effectus non solùm non potest esse perfectior à causa perfectiori plusquam ab imperfectiori, imò non potest plus esse à perfectiori tantùm, quam ab imperfectiori tantùm, cùm necessariò ab vtraque dependeat.

Exemplum pulchrum.

Ad propositum obiectum intelligibile præsens in se, 9.
vt in cognitione intuitiua: *vel in speice intelligibili,* vt in cognitione abstractiua, *& pars intellectiua, non concurrunt, vt causæ ex æquo ad intellectionem,* &c. Dicit ergo Doctor, quòd si intellectus, & obiectũ concurrerent ad actum intelligendi, sicut duo homines trahentes nauem: si intellectus fieret perfectior, posset ex se solo causare intellectionem. Si etiam obiectum fieret perfectius, posset ex se solo causare intellectionem, cuius tamen oppositum experimur. Vtraque ergo causa in suo ordine est perfecta, & si alia cresceret in infinitum, semper esset partialis causa intellectionis obiecti. Nec credo, quòd essentia diuina, quamuis sit formaliter infinita, possit mouere aliquem intellectum, vt totalis causa intellectionis suæ: dato, per possibile, vel per impossibile, quòd possit mouere intellectum creatum: semper enim intellectus creatus concurreret, vt partialis causa, & ipsa similiter, vt partialis causa: licèt tamen principaliter.

Et si dicatur: nónne voluntas diuina potest causare cognitionem Deitatis, vt totalis causa?

Instantia.

Solutio. Dico, quòd sicut non tamen posset causare in ratione obiecti intelligibilis: cùm obiectum in ratione obiecti intelligibilis tantùm moueat potentiam naturaliter, vt communiter conceditur.

e *Si arguitur contra istud; quòd si in causis talibus essentialiter ordinatis neutra est perfectio alterius,* vel ergo species intelligibilis non erit causa partialis intellectionis, vel si erit, non erit forma informans intellectum. Similiter, vnius effectus per per se oportet assignare vnam causam per se, siue vnam rationem formalem agendi: sed intellectio, cùm sit de nouo causata, est effectus per se: ergo respondebit sibi vna causa per se. Sed hoc totum *intellectus habens speciem intelligibilem,* est vnum per accidens: ergo non potest esse ratio formalis producendi intellectionem.

10. Respondet Doctor. Ad primum, quòd accidit speciei intelligibili, vt sit perfectio intellectus: non enim ex hoc dat intellectui aliquam perfectionem agendi, nec similiter recipit, & dat exemplum, quod clarum est in litera. Si enim species intelligibilis esset per se existens, & debitè approximata intellectui possibili esset ratio formalis agendi; & sicut etiam patet de obiecto præsente in se, quod est per se causa partialis intellectionis: & tamen non informat intellectum: species ergo intelligibilis est per se causa partialis intellectionis ex sua ratione formali: quòd modò perficiat intellectum accidentaliter, hoc sibi accidit.

Ad secundum dicit Doctor quòd in ordine essentiali causarum, non oportet ponere vnam per se rationem formalem causandi respectu vnius effectus: imò quot sunt causæ essentialiter ordinatæ, tot sunt rationes formales causandi respectu eiusdem effectus. Et quando omnes simul concurrunt, possunt dici vna causa tantùm vnitate ordinis: quia vna vt prima, & alia vt secunda. Et posito, quòd vltra vnitatem ordinis vna causa accidat alteri: hoc non conuenit eis per se inquantum causa, sic in proposito, intellectus est per se causa partialis intellectionis; & similiter species intelligibilis, & dicunt tantùm per se vnitatem ordinis: quia vna est principalis in agendo, & alia minùs principalis: licèt minùs principalis non dependeat à principali in agendo: quòd modò vna accidat alteri, vel quòd sit vnita per accidens, hoc non conuenit eis inquantum sunt per se causæ.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta singularum opinionum per ordinem, & primò allata pro prima opinione Henrici, docentis animam esse totam causam intellectionis, ostenditque suam sententiam Augustino conformem esse.

24. AD argumenta opinionum per ordinem. Primò ad auctoritates Augustini dico, quòd imago, quæ ponitur ab eo esse in spiritu, oportet quòd intelligatur esse in anima, vel in aliquo animæ, vt in subiecto, & non præcisè in corpore sic mixto: aliter non concluderetur illam imaginem esse nobiliorem omni corpore, sicut dicit ipse 12. *super Gen.* quod autem est in anima, vel in aliquo animæ, vt in subiecto, non est illa species, quæ communiter dicitur species: sed illa recipitur in parte organi, quæ est corpus sic mixtum; sed illud, quod recipitur in anima, vel potentia animæ, est actus cognoscendi: ergo per imaginem intelligit ipse talem actum. Ista glossa arguitur ex dicto eius 11. *de Trin. cap. 2.* vbi vult, quòd informatio sensus, quæ fit à solo corpore, visio dicitur: illa autem informatio est propria species, quæ recipitur in parte organi, scilicet in corpore sic mixto. Hoc patet ex hoc, quod dicit, quod gignitur à solo corpore, quod videtur; sicut ergo illud, quod est propriè imago, dicitur visio: ita è conuerso, visio potest dici imago, & multo veriùs, quia visio, secundùm veritatem est quædam qualitas, & talis qualitas est quædam similitudo obiecti, & fortè perfectior, quàm illa similitudo prior, quæ dicitur vsitatè species.

Hoc intellecto faciliter patet ad auctoritates eius. Concedo enim, quòd istam imaginem, quæ est sensatio, non causat corpus in spiritu, vt totalis causa, sed anima causat in se mira celeritate: non tamen vt tota causa: sed ipsa, & obiectum: vnde dicit ibid. 12. *super Gen.* quòd *mox, vt visum fuerit, &c.* Innuens quòd præsentia obiecti requiritur in ratione visibilis, vt anima faciat in se visionem, & non requiritur, nisi vt aliquo modo causa partialis, sicut ipsemet exprimit 11. de Trinit. cap. 2. & 5. quòd *à vidente, & visibili gignitur visio.*

25. *Agens præstantius patiente, explicatur.* Istam [b] conclusionem sic intellectam probat ratio sua in auctoritate præallegata, quia illa propositio, scilicet quòd agens est præstantius patiente, non est immediata, sed dependet ex istis tribus, scilicet agens est præstantius effectu: & effectus agentis est actus & forma patientis, & actus est nobilior potentia: ergo agens inducens huiusmodi formam est nobilius patiente: vbi igitur istæ propositiones sunt veræ, ibi propositio Augustini quam accipit, est vera. Ista autem, quòd agens est præstantius effectu, non est vera, nisi de causa æquiuoca totali: potest enim aliqua esse causa partialiter agens ad aliquem effectum nobiliorem se, sicut elementum in virtute corporum cœlestium potest agere ad generationem mixti, quod est nobilius ipso elemento agente, vt partiali causa. istud patet [c] ad secundam auctoritatem Augustini 10. de Trin. c. 5. Format enim anima in

in se imaginem, hoc est, sensationẽ, & de se, hoc est, ipsa est in potentia naturali ad sensationem, & non in potentia neutra, sicut superficies ad albedinem est in potentia neutra, & non naturali, & istam naturalitatem ostendit, cùm dicitur, *de se*, & loquitur ibi tantùm de sensationibus, vt apparet: quia dicit ibidem, quòd illas partes animæ, quæ corporum similitudinibus informantur, habemus communes cum bestiis, hoc verum est de illis, quæ informantur imaginibus, hoc est sensationibus, extendendo nomen imaginis ad sensationem.

Ad rationem [d] primam pro illa opinione dico, quòd concludit pro me; quia cognitio, cùm sit operatio vitalis, non est à non viuo, sicut à totali causa, potest tamen non viuum esse causa partialis alicuius viui, vel effectus vitalis, sicut sol non viuus, est causa partialis cum patre ad generandum filium viuum, & multò magis in proposito est possibile, quia hîc causa principalior est viua, sicut patebit in sequenti quæstione.

Cùm arguitur [e] pòst de forma perfecta, hoc concludit, quòd aliquam actiuitatem habeat respectu propriæ operationis. Sed quia videtur concludere totalem causalitatem in ea respectu suæ propriæ operationis. 26.

Respondeo, quòd ista forma ex perfectione sua ordinatur ad habendum aliquam operationem circa totum ens, vt dicitur tertia quæstione huius distinctionis, quia verò non est simpliciter perfecta, quia non est infinita: ideò non potest in se habere totum ens: ex eius ergo perfectione cum sua imperfectione, concluditur quòd aliquam actiuitatem habeat, non tamen sufficientem: quia non posset habere totalem causalitatem cognitionis respectu totius entis, nisi haberet in se totum ens, & ideò dico: quòd formæ imperfectiores, benè possunt esse causæ totales respectu suarum operationum, quia operationes earum sunt limitatæ ad res, respectu quarum habere totalem actiuitatem non concludit aliquam perfectionem actiuam nisi limitatam. Sed in ista forma perfecta, quæ ordinatur ad totum ens, non potest poni totalis causalitas respectu cognitionis totius entis; tunc enim poneretur in ea virtus actiua illimitata: sed tamen potest poni causalitas partialis in ea, & partialis in obiecto, vt sic ipsa possit cooperari perfectioni suæ circa quodcunque obiectum, & obiectum etiam quodcunque cooperari sibi, magnum obiectum ad magnam perfectionem eius, & paruum ad paruam.

Quare intellectus se solo non facit actũ sicut alia forma etiã imperfectiores.

Alia duo [f] argumenta de actione, vt distinguitur contra factionem, & quòd actio denominat agens: concedo. Pono enim actum intelligendi, verè manere in agente, non tantùm in supposito agente, ita quòd non transeat extra suppositum, sed nec transit extra partem intellectiuam in sensitiuam, nec extra intellectiuam in appetitiuam, nec extra principium eius actiuum in aliam potentiam: sed manet in parte intellectiua, quæ est causa partialis eius, non autem oportet actionem propriè dictam manere in sua causa totali, sed sufficit, quòd maneat in sua causa partiali.

Actio manet in causa partiali.

COMMENTARIVS.

Corpus non agit in spiritum virtute sua actiua naturali, & naturaliter, sed tanquam instrumētum diuinæ iustitiæ.

1. a *AD argumenta opinionum per ordinem*, &c. Nunc Doctor respondet ad rationes pro opinione Henrici. Et sententia literæ stat in hoc: quòd nullum corpus potest agere in spiritum, causando scilicet aliquid in spiritu: ergo obiectum materiale, & corporale non erit partialis causa alicuius recepti in spiritu: & expono auctoritatem: *Quia*, inquit, *imago corporis est in spiritu, qui est præstantior corpore: ideò est præstantior imago corporis in spiritu, quàm ipsum corpus in sua substantia.* Si præstantior: ergo corpus non agit ipsam imaginem in spiritu: & quòd non possit agere, probat cùm subdit: *Nec sanè putandum est facere aliquod corpus in spiritu, tanquam spiritus corpori facienti materiæ vice subdatur: omni enim modo præstantior est res, quæ facit illa re de qua facit*, id est, quòd omne agens est præstantius passo. Sequitur. *Nec vllo præstantius est corpus spiritu: imò spiritus corpore:* & sic sequitur, quòd corpus non potest aliquid agere in spiritu: cùm ergo imago corporis sit in spiritu: patet quòd non erit causata à corpore, sed à spiritu: vt patet per hoc quod dicit: *Quamuis ergo incipiat imago corporis esse in spiritu: tamen eandem imaginem non corpus in spiritu, sed spiritus in seipso facit celeritate mirabili:* quia quando corpus est præsens spiritui, ipse spiritus quodammodo instantaneè in seipso imaginem corporis efficit.

Item 10. de Trin. cap. 5. *Anima conuoluit. & rapit imagines corporum factas in semetipsa, & ex semetipsa* Ista auctoritas exponetur infrà à Doctore primò ad primam ibi: *Ad argumenta opinionum per ordinem:* & responsio stat in hoc, quòd imago (de qua loquitur Augustinus; quæ immediatè recipitur in spiritu: vtputa imago coloris) non accipitur pro specie sensibili coloris: sed pro visione ipsius: patet, quia species sensibilis tantùm recipitur in organo sic misto: visio verò recipitur in aliqua parte animæ: & ideò Augustinus accipit imaginem corporis pro actu: & concedit Doctor, quòd corpus non est totalis causa actus, sed partialis: & litera clara est. Et ex hac litera habetur à Doctore quòd etiam pars sensitiua actiuè concurrat ad actum: potentia enim visiua est partialis causa, & principalis visionis: nec est inconueniens apud Doctorem (vt aliàs patebit) ponere sensum agentem, & sensum possibilem. 2.

b *Istam conclusionem sic intellectam probat*, &c. Hîc Doctor ostendit quomodo ista propositio est vera; *Omne agens est præstantius patiente:* illa enim

Omne agens est præstãtius passo debet sanè intelligi.

enim propositio est vera tribus præsuppositis. Primò, quòd agens sit præstantius effectu: secundò, quòd effectus agentis sit actus, & forma patientis: tertiò, quòd actus sit nobilior potentia. Et sic sequitur, quòd agens inducens huiusmodi formam est nobilius patiente.

Quomodo debet intelligi agens præstãtius passo vide Scot. in 4. sent. dist. 44. quæst. 2.

Nota tamen, quòd non est absolutè verum: agens esse nobilius in se passo, etiam illis tribus præsuppositis: quia ignis agit caliditatem in substantia nobiliori, puta in substantia mista: & tamen ignis in se non est nobilior substantia mista: nec est intelligendum quòd effectus productus sit in se nobilior potentia passiua in se: quia intellectus possibilis, cùm sit substantia, est nobilior omni intellectione: imò aliquando melius est simpliciter esse potentiam receptiuam, quàm esse aliquam actiuam: quia melius est simpliciter posse recipere intellectionem, quàm agere calorem. Fit ergo ista comparatio sic: Agens in eo, quòd agit, semper est præstantius passo; siue receptiuo in eo, quòd recipit. Et hæc non est immediata: sed est vera, quando agens producit effectum, quo effectu est nobilius: & effectus ille natus est informare tale passum: ergo erit nobilius, in eo, quòd agit ipso passo in eo quòd patitur; siue in eo quòd recipit talem effectum illius agentis. Et sic patet expositio propositionis Augustini, quam etiam Doctor simili modo exponit *in 4. dist.* 44. Et loquitur tantùm de causa totali, vt patet in litera: quia illa, si est æquiuoca, semper est nobilior effectu: partialis verò æquiuoca aliquando erit ignobilior: vt patet.

3. c *Per istud patet ad auctoritatem Augustini* 10. de Trin. c. 5. vel 15.

Nunc exponit secundam auctoritatem: *Format enim anima in se imaginem*, hoc est, sensationem: *& de se*, hoc est, ipsa est in potentia naturali ad sensationem: quia habet naturalem inclinationem ad illam: & non est in potentia neutra: sicut superficies ad albedinem: & istam naturalitatem ostendit, cùm dicitur *de se*: & loquitur ibi Augustinus tantùm de sensationibus, quia dicit ibi, quòd *illas partes animæ, quæ corporum similitudinibus informantur, habemus communes cum bestijs.* Hoc verum est de illis, quæ informantur imaginibus, hoc est, sensationibus, extendendo nomen imaginis ad sensationem, vt suprà patuit.

d *Ad rationem primam pro illa opinione.* Prima ratio Henrici est ista: Intellectio est operatio vitalis, & sic perfectior omni non viuo: nunc autem effectus perfectior non potest esse à causa imperfectiori. Dicit Doctor quòd effectus perfectior non potest esse à causa imperfectiori totali, potest tamen esse à causa partiali: & sic operatio vitalis potest esse à non viuo. Nota tamen, quòd nulla intellectio in se absolutè sumpta potest esse perfectior aliqua substantia, quantumcunque minima, cùm substantia sit prior accidente definitione, & cognitione, vt patet 7. *Metaph. t. c.* 4. participatiuè tamen potest dici perfectior: vel potest dici perfectior ex hoc, quòd vnit obiecto perfectiori: vt patet à Doctore *in quodl. q.* 13. *& in 4. dist.* 10. Intellectio tamen albedinis est simpliciter perfectior ipsa albedine: quamuis albedo sit partialis causa.

Quomodo effectus perfectior possit esse à causa imperfectiori.

4. Secundò arguit Henricus ibi: *Secundò sic: Quanto forma est perfectior, tanto est actualior, & per consequens actiuior: sed anima intellectiua inter omnes formas est actualissima: ergo maximè actiua.* Cùm ergo forma inferior sit totalis causa suæ operationis, vt patet de igne, à fortiori anima intellectiua erit totalis causa intellectionis, quæ est propria operatio eius.

e Respondet Doctor ibi: *Cùm arguitur pòst de forma perfecta*, &c. Et quòd non possit esse causa totalis respectu intellectionis circa quodcunque ens: & quòd aliqua forma inferior possit esse totalis causa suæ operationis, euidenter Doctor ostendit dicens: quòd si anima esset totalis causa intellectionis respectu cuiuscunque entis, in se continet quodcunque ens: supple virtualiter, vel eminenter: & ex hoc sequeretur, quòd ipsa esset simpliciter illimitata, quod est falsum. Hoc concludit tenendo, quòd obiectum possit esse partialis causa suæ intellectionis: & quòd intellectiones specificentur ab obiectis, vt suprà exposui *dist. 2. quæst.* 1. & vide singularem glossam quam feci super *dist.* 3. *quæst.* 10. *secundi.* Si enim obiectum tantùm requireretur vt terminatiuum, non concluderetur talis illimitatio: quia verò Doctor supponit quod priùs probauit, quòd obiectum est sic partialis causa intellectionis suæ, quòd talis intellectio à nullo potest causari, nisi virtualiter, vel eminenter contineat tale obiectum. Et quod dicit de formis inferioribus, &c. benè concludit, quòd si sunt causæ totales suarum actionum, quòd ex hoc non sint simpliciter illimitatæ. Si tamen agerent circa obiecta specie distincta, quorum quodlibet natum esset partialiter concurrere ad actionem: non possent poni totales causæ, nisi virtualiter continerent illa obiecta: & sic cõcluderetur illimitatio talis formæ. Exemplum: Pono quòd ignis agat circa omnia combustibilia. Si combustibilia tantùm passiuè se habent, non concluditur maior illimitatio ignis in agendo. Si verò combustibilia essent partialis causa actionis ignis, non posset poni ignis totalis causa actionis respectu cuiuscunque combustibilis, nisi eminenter, vel virtualiter contineret entitatem illorum. Et ex hoc sequeretur illimitatio ignis in agendo.

Tertiò arguit Henricus ibi. *Tertiò sic: Philosophus 2. Physic.* Ista ratio stat in hoc: Intellectio est operatio immanens, & operatio immanens tantùm est in agente. Hoc autem probatur multis auctoritatibus, scilicet 2. Phys. t. c. 25. qui incipit: *Duæ igitur sunt principiantes materiam:* vide ibi Commentatorem, & 6 Eth. cap. 6. *Est*, inquit, *aliud facere, aliud agere. Itaque habitus cum ratione actiuus, alind est quàm habitus cum ratione factiuus, nec alter in altero continetur: nam neque actio est factio: neque factio est actio:* & patet ibi: & in com. quo actio est in agente: sed hoc clariùs patet 9. Met. t. c. 16. vbi dicit: *Quorumcunque igitur aliquid alterum est, quod fit præter vsum: horum actus in facto est vt ædificatio in ædificato: & contextio in contexto. Similiter autem & in alijs: & totaliter motus in eo quod mouetur. Quorum verò non est aliquod aliud opus præter actionem in ipsis existit actio, vt visio in vidente: & speculatio in speculante, & vita in anima.* Hæc ille. 5.

Ex hac litera patet expressè, quòd actio, cuiusmodi est intellectio, est propriè in agente. Nam & huiusmodi actio dicitur finis potentiæ: vt ibi dicit Aristoteles & Commentator: vnde Commentator sic ait: *Quædam res sunt, quarum finis est agere tantùm, & quædam sunt, quarum finis est aliquod actum. Omnia igitur entia conueniunt in hoc quòd complementum, & perfectio eorum*, supple 6.

vltima

vltima est in operatione propria: & hoc duobus modis: quoniam aut finis erit agere, vt in visu, cuius finis erit videre: aut aliquod actum, vt in ædificatoria. hæc ille. Ex hoc arguit Henricus quòd si obiectum esset causa intellectionis, cùm intellectio sit tantùm operatio, siue actio: tunc esset subiectiuè, scilicet in obiecto agente.

Quartò, & est quasi idem. Actio propriè dicta, vt distinguitur contra factionem denominat agens: vt patet per Aristotelem, vbi suprà, sic dicentem: *Quoniam verò est horum quidem vltimum visu: & visus visio: & præter hanc supple visionem nullum sit alterum à visô opus.* Et Commentator vbi suprà, sic ait: *Omnia verò, quæ non habent acta: sed finis eorum est actio,* &c. Sequitur: *Actiones enim eorum existent in eis, vt videre in visu, & vita in anima: & fortuna in ea,* id est, fœlicitas: vt inquit Aristoteles. Et sic patet quomodo actio denominat agens. Modò *intelligere* denominat hominem secundùm intellectum: ergo *intelligere* erit ab intellectu.

Respondet Doctor ad ista duo argumenta ibi: *Alia duo argumenta,* &c. Dicit quòd sufficit ad rationem actionis, quòd denominet agens, & sit in agente: & si agens aliquod ponitur totalis causa, tunc actio erit in illo. Si verò sunt plures causæ partiales, sufficit, quòd sit vna illarum: nec refert an sit principalis, vel minùs principalis: patet, quia si intellectus meus moueretur ab essentia Angeli: ipsa esset causa principalis cognitionis, & intellectus meus causa minùs principalis: vt patebit in quæstione immediatè sequenti: & tamen intellectio causata reciperetur in intellectu meo: similiter si moueretur à lapide, lapis esset causa minùs principalis, & intellectus magis principalis: & tamen intellectio lapidis reciperetur in intellectu.

Occurrit tamen aliqualis difficultas: quia dicit Doctor quòd intellectio, quæ est actio, non tantùm est in eodem supposito agente: sed est in eadem parte intellectiua: nec est extra principium eius actiuum: sed manet in parte intellectiua, quæ est partialis causa eius. Hoc videtur repugnare dictis eius: quia intellectus agens, & obiectum causans intellectionem: & tamen intellectio non recipitur in intellectu agente: sed tantùm in intellectu possibili. 7. *Dubium.*

Responsio. Dico primò, quòd intellectus agens, & possibilis non distinguuntur, vt duæ potentiæ: sed tantùm, vt duæ realitates: vt suprà dixi, & sunt simpliciter eædem potentiæ.

Secundò dico, quòd nō tātùm intellectus agens est partialis causa intellectionis: sed etiam intellectus possibilis, vt patet à Doctore *in 15. q. quodl.*

SCHOLIVM.

Soluit argumenta secundæ opinionis Goffredi denegantis omnem actiuitatem animæ, respectu suarum operationum: & dat pulcherrimam & variam doctrinam.

AD argumenta [a] pro secunda opinione, quamuis posset ibi tangi, vtrùm ista causalitas, quæ attribuitur parti intellectiuæ, conueniat propriè intellectui agenti, vel possibili, tamen illam difficultatem dimitto vsque aliàs. 27.

Vide Cōm. 3. de Anima, com. 18. quære in quodl. q. 15. & in collationibus Paris. q. 3.

Cùm [b] probatur, quòd possibilis non potest habere illam causalitatem, quia nihil idem agit in se. Respondeo, quòd illa propositio non est vera, nisi de aliquo agente vniuoco: nec ista probatio eius, quòd tunc idem esset in actu, & in potentia, concludit, nisi quando agens agit vniuocè, hoc est, inducit in passum formam eiusdem rationis, cum illa per quam agit. Si enim aliquid sic ageret in se, sequeretur, quòd simul haberet formam eiusdem rationis, ad quam moueretur, & dum moueretur ad illam, careret illa: igitur simul haberet illam, & non haberet, saltem hoc sequitur de duabus formis eiusdem speciei, vel de eadem. In agentibus autem [c] æquiuocè, id est, in illis agentibus, quæ non agunt per formam eiusdem rationis cum illa, ad quam agunt, propositio illa, quòd nihil mouet se, non habet necessitatem, nec probatio eius, quòd aliquid sit in potentia, & in actu respectu eiusdem, aliquid concludit. Non enim ibi agens est tale formaliter in actu, quale passum est formaliter in potentia: sed agens virtualiter est tale in actu, quale formaliter est in potentia patiens. & quòd idem sit virtualiter tale in actu, & formaliter tale in potentia, nulla est contradictio.

Nihil agit in se vniuocè, sed benè æquiuocè, explicatur.

Ista glossa de agentibus vniuocis, & æquiuocis necessaria est, quia Philosophus posuit motum non tantùm in genere Qualitatis, sed Quantitatis, & *Vbi.* in quantitate autem, & *vbi* nullum est agens vniuocum, quia in genere Quantitatis, & *vbi*, nulla est forma, quæ sit principium inducendi similem formam, immò (vt generaliter dicatur) quicunque motus est ad formam non actiuam, non est ab agente vniuoco, quia ex quo forma talis terminans non est actiua, nulla eiusdem rationis est principium agendi: sunt igitur apud Philosophum multi motus ab agente non vniuoco, sed æquiuoco, & ibi agens est virtualiter tale in actu, quale patiens formaliter in potentia. *5. Phys. t. 9. & seq.*

Motus ad formam non actiuam nō est ab agente vniuoco.

Si arguas [d], ergo in omnibus posset idem esse in actu virtuali, & in potentia ad actum formalem: & sic quodlibet potest mouere se.

Respondeo, quòd in ista illatione est non causa vt causa. Nam ex generali ratione actus virtualis, & potentiæ ad actum formalem, nulla est repugnantia, quia si ex ista ratione esset repugnantia, tunc & in quolibet esset repugnantia; tamen in aliquo, cum actu virtuali concurrit aliquid aliud, propter quod repugnat sibi quandoque esse in potentia, vel actu formaliter tale: exemplum, esse calidum virtualiter in actu, & formaliter in 28.

Simul esse in actu & potentia, explicatur.

in potentia, de se non includit contradictionem, vel repugnantiam; & ideò in nullo subiecto includunt repugnantiam, quòd propter hoc non possint esse simul, nec alterum esse ibi, quia alterum: tamen Sol, qui est calidus virtualiter, non potest esse calidus formaliter: tamen hoc non est propter repugnantiam istorum. Probo, quia Saturnus est frigidus virtualiter, & tamen non potest esse calidus formaliter: ergo actus virtualis non erat in eo causa repugnantiæ, sed aliquid aliud, quod est commune Soli, & Saturno, puta, quòd ista sunt corpora incorruptibilia: & caliditas est qualitas corporis corruptibilis.

Vide 1. Cœl. text. c. 21.

Sed si obiicias [e], quòd talia principia Metaphysica, ex quo sunt generalia, non debent negari propter aliquas difficultates speciales.

Respondeo, quòd nulla sunt principia Metaphysica, quæ habent multa singularia falsa, intelligendo autem, quòd nihil est in actu virtualiter, & in potentia ad actum formalem, & quòd ista repugnantia accipiatur ex parte, vel ratione actus, & potentiæ, non est principium Metaphysicum; quia multa singularia satis patenter sunt falsa: ex quo patet, quòd illud non est principium Metaphysicum, sed quòd nihil est in actu formali, & in potentia respectu eiusdem actus formalis, verum est quòd sic nihil est in actu, & in potentia.

29. Et si omnino contendas, quòd etiam loquendo de actu virtuali, & potentia ad formalem actum, sit principium Metaphysicum; quomodo alij erant ita cæci, & iste solus videns, vt rationem communium terminorum Metaphysicorum, non possent concipere, & ex eis apprehendere veritatem talis complexi, quod ipse ponit principium Metaphysicum? quod non tantùm ab aliis non ponitur principium, immò in multis falsum, & nunquam necessarium in ratione terminorum?

Materia & efficiens non coincidunt, explicatur de materia pura, non de subiecto. text. comm. 70.

Cùm [f] arguitur secundò, ex *secundo Physicorum*, de causa materiali, & efficiente, quòd non coincidunt, verum est de materia, quæ est in potentia pura: sed non de materia secundùm *quid*, qualis est subiectum respectu accidentis: necesse est enim aliquid idem quandoque esse materiam & efficiens respectu eiusdem, quod apparet, quia aliàs passio non prædicaretur per se secundo modo de subiecto; quia si prædicetur per se secundo modo de eo, est eius causa materialis, sicut materia est in accidentibus; quia ponitur in definitione eius, vt additum; si etiam est prædicatio per se: igitur & necessaria. Sed quod est sola causa materialis respectu alicuius, non habet necessitatem respectu eius: ergo oportet præter causalitatem materiæ, ponere in subiecto causalitatem efficientis ad saluandum necessitatem.

9. Metaph. text. c. 17.

Quod [g] arguitur postea de relationibus realibus oppositis: dico quòd aliquæ relationes oppositæ sunt incompossibiles in eadem natura, & in eodem supposito: aliquæ in eodem supposito, sed non in eadem natura: aliquæ nec in eadem natura, nec in eodem supposito. Vnde ex ratione relationum realium in communi, non potest concludi repugnantia earum in eodem.

Relationes quædam incompossibiles in eadem natura & supposito, alia in eodem supposito, non in eadem natura, alia nec in eadem natura, vel supposito repugnant.

Exempla prædictorum, causa & causatum in eadem natura, siue supposito repugnant, quia si non, tunc idem dependeret à se: producens & productum non repugnant in eadem natura, quia natura potest communicari sine diuisione sui, qualis est natura diuina; repugnant tamen in eodem supposito: mouens autem, & motum nec in eadem natura, nec in eodem supposito repugnant; quia hîc non ponitur dependentia essentialis, qualem ponunt relationes causæ, & causati. Nec per idem ponitur, quòd idem sit antequam sit, quod ponere videtur ratio producti, & producentis, sed tantùm ponitur hîc, quòd idem dependet à se, quantùm ad actum accidentalem, sicut motum à mouente dependet, quantùm ad actum accidentalem, quem recipit ab eo. Incompossibilitatem igitur aliquarum relationum oportet reducere ad aliquam incompossibilitatem priorem: & vbi ista prior non inuenitur, ibi nec illa incompossibilitas relationum oppositarum concludetur.

30. Hoc etiam ampliùs declaratur, quia sicut istæ relationes producentis, & producti, quæ sunt repugnantes in eodem supposito, possunt fundari in eadem natura illimitata, sicut in essentia diuina: ita istæ relationes mouentis, & moti, quæ multo minorem habent repugnantiam, fundari possunt in eadem natura aliqualiter illimitata: quidquid autem est in potentia ad aliquem actum formaliter, & cum hoc habet eandem actualitatem virtualiter, sicut cùm idem mouet se, est aliqualiter illimitatum; ponitur enim non tantùm capax illius perfectionis, sed vt causans eam: ibi igitur propter illimitationem aliqualem benè compatiuntur se istæ relationes oppositæ.

31. Ad Achillem [h] eorum, quòd quodlibet moueret se. Dico, quòd sicut argutum est contra primam opinionem in excludendo causam, *sine qua non*, quòd nihil est causa totalis

talis & perfecta, & naturalis effectiua alicuius, quin ipsum approximatum totali receptiuo, & non impeditum causet illud: lignum autem semper est approximatum sibiipsi, & sufficienter, & non potest poni aliquod perpetuum impedimentum, quando ignis non est præsens sibi; quia si ponatur hoc impediens, amoueatur illud, & non erit impeditum, si aliud, amoueatur illud, & sic discurrendo per singula, habebitur sibi præsens lignum, & nullo modo impeditum: igitur si ipsum esset causa actiua totalis respectu caloris, & ipsum est etiam totalis causa receptiua: igitur semper esset calidum; non autem semper est calidum: ergo cùm non possit poni non causalitas totalis propter impedimentum, nec propter non approximationem, nec propter receptiuum, concludetur quòd in ligno non est causalitas actiua totalis, quod est propositum. Sic igitur non omnia mouebunt se vt causæ totales, quia nullæ tales naturæ, quæ non habent semper actum, sunt causæ naturales totales illius actus. *Vnde cõstat quòd lignũ se non calefaciat sicut intellectus se intelligit?*

Sed dices, saltem dicam lignum esse causam partialem, vt præsente igne coagat ad calefactionem sui, in ratione effectiui, vel actiui partialis. Nec ista cauillatio valet, quia causæ duæ partiales non ponuntur respectu eiusdem effectus, quando altera præcisè habet totum effectum in virtute sua vniuocè, vel æquiuocè. Probo, si enim altera haberet in virtute sua totum effectum, sequitur, quòd totum potest producere: igitur alia causa partialis nihil potest producere, vel idem bis produceretur. ignis autem, qui ex præcedenti argumento, conclusus fuit habere actiuitatem respectu *calefacere* in ligno, habet in se virtualiter totum calorem ligni: ergo lignum hîc nullam habet causalitatem partialem.

Ad propositum igitur, quia anima non semper est in actu respectu cuiuscunque intellectionis, cùm tamen ipsa sit receptiua respectu cuiuscunque intellectionis, & ipsa sit sibiipsi approximata, & non semper impeditur; concluditur ipsam non esse causam actiuam totalem, sed aliquid aliud requiritur: illud autem aliud concluditur esse obiectum; quia eo præsente, sequitur effectus, eo non præsente, non potest haberi effectus.

Concluditur ergo primò, causalitas aliqualis in obiecto, nec totalis; quia obiectum propter sui imperfectionem, non potest habere in virtute sua totaliter intellectionem propter suam perfectionem, & ideò concluditur [1], quòd cum obiecto requiritur aliqua alia causa actiua partialis: non autem alia ab intellectiua, quia ipsa concurrente cum obiecto sequitur intellectio. Sic ergo concluditur hîc duas esse causas partiales actiuas, & in aliis multis, non quia nihil mouet se, nec totaliter, nec partialiter. Istud etiam (quod habetur pro Achille) non videtur multùm efficax argumentum. Hæc enim videtur esse cautela quædam, diuertendo à parte opponentis, ad partem respondentis; quia propter defectum argumentorum induunt tales formam respondentium, vt respondentes, faciant argumenta ad probandum vnum necessarium, scilicet, quòd lignum non calefaciat se.

Ad responsionem Achillis, videtur sequi, quòd lignum non calefaciet se nisi præsente alio, sine quo non, sicut per se voluntas non volificat se, nisi præsente obiecto per cognitionem. Additio.

Si etiam dicas, quòd semper calefacit alterum, qui habet virtutem calefaciendi.

Respondetur, quòd priùs calefaciet se, quàm aliud; & hoc primum non est nisi præsente causa, sine qua non. Vel fortè nunquam calefacit aliud, sicut nec voluntas volificat etiam voluntatem. Nam concesso, quòd aliqua actio de genere actionis, sit immanens, dicetur, quòd qualibet, vel qualiter non?

Aliter contra Achillem, quòd præsentibus diuersis lignis, ignibus similiter dispositis omnia calefiunt, præsente autem eodem obiecto, diuersis voluntatibus, non omnes similiter volificantur. 12.*Trinit.c.*6.*August. igitur hîc agit ignis, & non ibi obiectum, quia tunc æquè ageret in omnes voluntates.*

Contra hoc instatur, quia si voluntates non similiter patiuntur præsente causa, sine qua non, hoc est, quia agent liberè per te; lignum præsente causa, sine qua non, agit naturaliter. Ita probatur hîc, quòd ignis sit causa hîc, aliter quàm sine qua non, sed dicitur tantùm, lignum est naturale, voluntas verò non.

Tertio modo contra Achillem, quòd quidquid patitur ab aliquo patitur: vbi ergo aliquid non potest à se pat., oportet ponere, quòd patiatur ab alio: & vbi non potest ab alio, oportet ponere, quòd à se, voluntas non potest pati ab alio, non loquendo de Deo, tùm quia tunc volitio non esset in potestate eius: tùm quia tunc aliquod aliud mouens eodem modo se habens, & respectu eiusdem passi, posset indifferenter in vtrumque oppositorum, quia voluntas potest velle, & nolle eodem modo præsentatum. Itaque necessarium est attribuere voluntati principaliter motionem sui ad velle, quia ipsa sola habet indifferentiam in agendo proportionatam tali passo:

passo: sed lignum non habet in agendo indifferentiam proportionatam sibi in ratione passi: est enim receptiuum qualitatum disparatarum, & contrariarum etiam, quarum aliqua intensa facta corrumpit ipsum, nec habet principia tot vniuoca. Patet etiam, quia nihil vniuocè mouet se, nec vnum principium vniuocum, quia quomodo esset ita illimitatum, nisi dicendo quodlibet posse in omnes qualitates susceptibiles in ipso, etiam corruptiuas sui. In voluntate autem qualibet, in quam potest, est operatio eius & aliqualis perfectio.

COMMENTARIVS.

1. a AD *argumenta pro secunda opinione.* Doctor respondet ad argumenta facta pro positione Goffredi. Et primum argumentum est tale: Impossibile est idem respectu eiusdem esse in actu, & in potentia; sed si intellectus esset causa actus, esset in actu respectu actus: & cùm talis actus recipiatur in ipso intellectu, tunc esset in potentia ad eundem actum. Declaro tamen literam istius Doctoris, quâ probatur quòd impossibile est idem respectu eiusdem esse in actu, & in potentia: quia agens tale est in actu, quale passum est in potentia: vt patet 3. *Phys. text. comm.* 17. vide expositionem Commentatoris sic dicentis: *Illud quod est in actu in motore, per quod mouet est illud, per quod motor induxit illud, quod est in potentia in actu: verbi gratia, quoniam homo qui est in actu facit, exempli gratia, de sanguine menstruoso, qui est homo in potentia, hominem in actu. Et inducit hoc ad declarandum, quòd motor non mouet, nisi secundùm quòd est in actu: & per motum mouetur secundùm quòd est in potentia.* Hæc ille.

Hoc idem patet primo de Generatione, text. c. 18. vbi Commentator sic ait: *Et quia illud, quod augmentatur, non crescit, nisi adueniente cibo extrinseco: cibus autem non est actu id, ad quod aduenit, verbi gratia; neque actu est os, neque caro, sed potentia: quapropter cibus aliquo modo est similis.* Hæc ille. Si ergo agens tale est in actu, quale passum est in potentia: sequitur quòd idem non possit agere aliquid in seipso: quia tunc respectu eiusdem esset in actu, & in potentia: quod videtur esse oppositum primi principij Metaphysici noti per rationem actus, & potentiæ.

2. Idem etiam esset efficiens, & materia: quod videtur esse contra Philosophum 2. *Physic. text. comm.* 70. vbi vult, quòd multoties causa formalis, & finalis, & efficiens coincidant in vnum, & hoc maximè apparet in agentibus vniuocis: materia autem non coincidit cum aliquo istorum. Vnde Commentator ibi exponens sic ait: *Multoties reducuntur tria ad vnum, id est, & accidit in scientia naturali vt tres causæ, scilicet agens: & forma, & finis sint vnum secundùm subiectum, & plures secundùm definitionem: & hoc accidit, quando naturalis voluerit reddere causam generationis, non causas generabilium: & generatio est ab æquali in specie: verbi gratia, quoniam homo generatur ex homine: ideò generans & generatum sunt vnum secundùm formam: & forma generata est finis motus materiæ ab agente: & sic ista forma erit agens, & finis, & forma.* Hæc ille. Sequitur: Tunc etiam idem referretur ad se relatione reali: quod videtur impossibile 5. Met. text. comm. 20. & 27. Vbi expressè habetur, quòd relatiuum ad aliud refertur.

Generatio est ab æquali in specie.

Tandem ad hæc deducunt: videlicet, quòd si intellectus posset agere in seipsum, producendo intellectionem in seipso: posset poni quodlibet in se agere, & mouere se.

Respondet Doct. ibi: *Ad argumenta pro secunda opin.* Quod tangit, an ista causalitas conueniat intellectui agenti, an possibili: vide *in quodl. quæst.* 15. vbi specialiter pertractat hanc materiam.

b *Cùm probatur, quòd possibilis non potest habere illam causalitatem: quia nihil idem agit in se.* 3.

Respondeo: quòd illa propositio non est vera, nisi de aliquo agente vniuoco, id est, quòd ista propositio: *Nihil agit in seipsum: habet veritatem in agente vniuoco:* quia tunc esset in actu formali, & in potentia formali respectu eiusdem: quia si est agens vniuocum respectu alicuius effectus similis sibi, tunc actu haberet formam eiusdem speciei, & esset in potentia ad formam eiusdem speciei. Exemplum: Posito quòd Franciscus possit producere Ioannem in seipso, alterum duorum sequeretur, vel quòd natura humana in Francisco, quæ est tota ratio producendi, & assimilandi sibi Ioannem, esset ratio formalis recipiendi Francisco aliam naturam humanam, puta naturam Ioannis: & sic Francisco essent duæ humanitates formaliter, & quiditatiuè, quod est impossibile. Et si possent esse duæ, ita & infinitæ possent esse. Vel sequeretur, quòd simul esset & non esset: patet, quia dum Franciscus causat humanitatem vniuocè, aut causat illam, quam habet, & tunc quando causat, habet illam, quia illa est ratio formalis causandi: & dum causatur illa, & mouetur ad recipiendum illam, careret illa, & sic esset, & non esset. Aut causat aliam humanitatem, quam tamen non potest recipere simul cum alia: & tunc simul esset, & non esset: patet, quia si in instanti *A* causat in se illam aliam humanitatem, necessariò habet humanitatem, quæ est ratio formalis causandi: & in eodem instanti, quo recipit illam aliam, alia non est, quia tunc essent in eodem instanti duæ humanitates: ergo in eodem instanti, quo causat habet; & in eodem instanti, quo recipit non habet: ergo esset, & non esset.

Nihil agit in seipsum, verum est de agente vniuoco.

Si dicatur, quòd sicut quando ignis producit ignem in materiam ligni, in eodem instanti desinit forma ligni, & introducitur forma ignis: sic quando recipitur illa alia humanitas, in eodem instanti desinit prima. Dico, quòd non est simile: quia tunc humanitas prima ageret, quando non esset. Et probatur sic: quia in instanti *A* agit: ergo in instanti *A* est, & in eodem instanti recipit illam aliam: ergo in eodem instanti non est: alioquin essent duæ humanitates simul in eodem instanti in eodem supposito, & hoc est, quod dicit Doctor: si enim aliquid sic ageret in se vniuocè, sequeretur quòd simul haberet formam eiusdem rationis, ad quam mouetur: & dum moueretur ad illam, careret illa: igitur simul haberet illam, & non haberet: saltem hoc sequitur de duabus formis eiusdem speciei, vel de eadem. 4.

Si dicatur. Nónne Doctor in 5. Metaphysicæ suæ concedit, quòd duo indiuidua eiusdem speciei possunt esse in eodem: vt duæ intellectiones eiusdem speciei; vel duæ species sensibiles eiusdem speciei 5.

Scotus concedit duo indiuidua eiusdē speciei posse esse in eodem.

speciei in eodem puncto aëris: & similiter duo lumina eiusdem speciei: ergo similiter in proposito.

Dico, quòd non est simile: licèt enim idem agens, vel duo agentia possint producere duo indiuidua eiusdem speciei in eodem subiecto: vt duas intellectiones eiusdem speciei: non tamen vnum indiuiduum existens in illo subiecto potest esse ratio formalis producendi aliud eiusdem speciei in eodem subiecto.

c *In agentibus autem æquiuocè*, &c. Et quod dicit infrà de actu virtuali, & potentia formali: est sciendum, quòd idem esse in actu virtuali, & in potentia formali respectu alicuius, nihil aliud importat, nisi quòd idem, puta voluntas respectu actus volendi, est in actu virtuali, id est, quòd habet in actu virtutem, siue potentiam producendi volitionem: & eadem voluntas dicitur in potentia formali, id est, quod inquantum est in potentia ad recipiendum volitionem vt formam, est in potentia formali: quia apta nata informari tali forma: quando ergo aliquid habet actu virtutem producendi aliquid, & est in potentia ad recipiendum, illud dicitur in actu virtuali, & in potentia formali: nec ista repugnant: esse verò formaliter actu album, & in potentia ad recipiendum eandem albedinem, benè repugnat.

6. d *Si arguas: ergo in omnibus posset esse idem in actu virtuali*, &c. Respondet Doctor quòd in ista illatione est non causa, vt causa: vt arguendo sic: Non repugnat idem esse in actu virtuali, & in potentia formali respectu eiusdem: ergo non repugnat Solem esse in actu virtuali respectu caloris, & in potentia formali respectu eiusdem. Committitur fallacia, quæ est à non causa, vt causa: non enim repugnat Soli ex ista ratione generali, quòd sit in actu virtuali, & in potentia formali: vt puta sic dicendo: ideò Sol non potest esse in actu virtuali respectu caloris, & in potentia formali respectu eiusdem, quia ista repugnant ad inuicem, scilicet, simul esse in actu virtuali, & in potentia formali: non enim hæc est causa præcisa quare Sol non possit esse in actu virtuali, & in potentia formali respectu caloris: sed causa præcisa quare non sic possit esse, est, quia corpora cœlestia non suscipiunt peregrinas impressiones: & sic patet quomodo arguitur à non causa ad causam. Istam tamen difficultatem de actu virtuali, & potentia formali vide in Doctore *in 2. distinct.* 25. vbi prolixiùs pertractat hanc materiam.

7. e *Sed si obijcias, quòd talia principia Metaphysica*, scilicet de actu, & potentia, *ex quo sunt generalia non debent negari propter aliquas difficultates speciales*. Dicebat enim Goffredus hoc esse vnum principium Metaphysicale, scilicet, quòd idem non sit in potentia, & in actu. Dicit Doctor quòd nullum est principium Metaphysicale, sub quo continentur multa singularia falsa: & patet litera: non enim hoc est principium Metaphysicale: Nihil idem est in actu virtuali, & in potentia formali respectu eiusdem: vt suprà patuit: sed benè hoc est vnum principium Metaphysicale: Nihil idem est in actu formali, & in potentia respectu eiusdem actus formalis: vt quòd Franciscus sit actu formaliter albus, & quòd simul sit in potentia ad eandem albedinem, est impossibile.

f *Cùm arguitur. 2. Physic.* Dicit Doctor quòd loquendo de materia prima, quæ est altera pars compositi, non coincidit cum causa efficiente: quia illa materia non potest esse causa alicuius, & receptiua eiusdem: vt quòd materia ligni sit receptiua formæ substantialis ignis, & effectiua eiusdem, est omnino impossibile. Loquendo tamen de materia secundùm *quid*, quæ non est altera pars compositi per se: cuiusmodi est subiectum accidentis, nam accidentia habent substantiam pro materia non *ex qua*, sed pro materia *in qua* recipiuntur: dicit Doctor quòd est necesse idem quandoque esse materia, & efficiens respectu eiusdem: & hîc vult expresè, quòd subiectum sit causa necessaria propriæ passionis, & receptiua eiusdem: sed quomodo hoc intelligatur, suprà exposui, in quæst. de subiecto Theologiæ, vide. *Subiectum est causa effectiua, id est, ebullitiua, & emanatiua.*

g *Quod arguitur postea de relationibus realibus oppositis*, patet littera: & vide expositionem, quam suprà feci *dist.* 2. *parte* 2. *quæst.* 3. illius partis: sed prolixiùs vide expositionem, quam feci in d. 25. secundi.

h *Ad Achillem eorum.* Hîc ostendit quando aliquid est causa alicuius totalis. Si enim ad præsentiam *A* respectu alicuius passi, puta *B*, dispositi, & non impediti statim sequatur effectus: puta *C*, ex hoc arguimus, quòd *A* est causa totalis *C*. Sic per oppositum quando non sequitur talis effectus, signum est, quòd non est causa illius. Et ideò arguimus, quòd lignum non calefacit se: quia lignum est semper approximatum sibiipsi, & sufficienter: & non potest poni aliquod impedimentum: & tamen nullo alio posito non sequitur calefactio in ligno: sed posita præsentia ignis, sequitur calefactio ligni. Ex hoc arguimus, quòd lignum non est causa calefactionis suæ, sed benè ignis. 8. *Lignum non est causa suæ calefactionis, sed ignis.*

i *Et ideò concluditur, quòd cum obiecto requiritur aliqua alia causa actiua partialis.* Et licèt obiectum sit aliquando perfectius ipsa intellectione: tamen ipsa intellectio est talis entitas: quòd non potest esse, nisi ab obiecto, & à potentia: & hoc patet per experientiam: quia posita præsentia obiecti, cum potentia sequitur intellectio: & ipsa remota nullo modo sequitur. Et ideò arguimus intellectionem dependere ab vtroque.

SCHOLIVM.

Explicat vberiùs tertiam opinionem Henrici dicentis notitiam simplicem confusam, esse ab obiecto tantùm, distinctam verò & discursiuam ab intellectu fieri, & concordat eam cum quarta opinione eiusdem. Deinde arguit contra varia falsa dicta Henrici. Primum est, quòd quidditas, seu quod quid est, relucens in phantasmate, sit ratio intelligendi. Secundum, quod inchoatio habitus scientialis, præcedit omnem actum. Tertium, quòd intellectus accepta notitia confusa, ratione cuius passiuè se habet, occurrit tali passione, transmittens eam ad sua intima, & sic eam recipit à se intimiùs quàm possit eam recipere ab obiecto.

PRo tertia * & quarta opinione non sunt argumenta adducta, ad quæ oporteat respondere. 33.

Qui

Qui vult credere de actu primo simplici,& de secundo distinctè cognoscendi : vel illud dictum quartæ opinionis,quòd species inclinat,credat : non credenti tamen, non sit articulus fidei, nisi per rationem ostendatur.

Henr.quodlib.4.q.8. Istæ tamen duæ opiniones, scilicet tertia, & quarta, quæ videntur inter se oppositæ, concordantur ad inuicem, & confirmantur, & hoc sic : Ad agendum requiritur ratio formalis agendi, & ratio agentis : agens est suppositum, ratio agendi est forma elicitiua actionis. In prima agitur actione in intellectum possibilem, agens est phantasma, sed quod quid est splendens in phantasmate, est ratio agendi in ipsum, & hoc inquantum illud, *quod quid est*, stat in lumine intellectus agentis, & penetratur ab ipso lumine, & ambitur ab ipso agente. & hac ratione agendi primum impressum in intellectum possibilem, est inchoatio habitus scientialis, quæ inchoatio non est species intelligibilis, nec forma mouens ad actum intelligendi : quia obiectum est in se præsens, quatenus relucet in phantasmate, quia phantasma præsens est intellectui, qui vbique est in corpore. igitur non requiritur aliqua alia species, per quam obiectum sic sit præsens, nec aliquid aliud tenens vicem obiecti, vel repræsentans ipsum, cùm ipsa impressio prima habeat rationem, & *quo*, & *quod*, respectu intellectionis; *quo*, quia per ipsam est intellectus in potentia propinqua, & accidentali ad actum intelligendi, sicut per grauitatem est corpus in potentia ad *vbi* : & etiam est *quo*, quantùm ad hoc, quòd manet in intellectu impedito ab actuali intellectione. est etiam *quod*, quia sibi primò occurrit, sicut secundùm Auicennam primum sensatum est species, non vt obiectum terminans, sed vt *quod*,quasi deducens,non per collationem,sed per continuationem ducit in obiectum.

Sic igitur concordantur prima opinio, & secunda,quo ad hoc,quòd prima negat speciem, & secunda concedit inclinationem præcedentem actum. Quo ad hoc autem, quòd prima opinio ponit intellectum esse passiuum respectu primi actus, & actiuum respectu secundi actus : & secunda opinio videtur ponere, quòd anima seipsa eliciat actum; hoc concordatur sic,quia facta tali impressione prima in intellectum possibilem, ipse intellectus occurrit tali passioni,quia omne passum occurrit agenti, inquantum passum nititur saluare suum esse; hoc etiam vult August. 6. *Musicæ*, vbi loquitur de illis numeris occursoriis, & de aliis. In isto occursu intellectus imbibit illam intellectionem confusam, & transmittit ad intima sua, & tunc recipit eam à se intimiùs, quàm possit eam recipere ab obiecto : illi etiam impressioni sic intimatæ occurrit intellectus secundo, & in illo secundo occursu immergit se illi penetrando illam, & in hoc est distincta, & perfecta cognitio intellectus.

34. Quidquid [b] sit de opinionibus illis,quas iste medius nititur exponere,arguitur contra multa hîc dicta. Quod primò ponit,scilicet, *quod quid est* relucens in phantasmate, esse rationem agendi formalem phantasmati.

Quiditas in esse intellecti, non est causa realis actionis. Contrà, quomodo aliquid est ratio agendi alicui, in quo non est formaliter? Aut si quoquo modo, *quod quid est*, ponatur in phantasmate, cùm istud sit esse eius secundùm *quid*,quia secundùm esse repræsentati, & non secundũ aliquod *esse* existentiæ;quomodo ipsum, *quod quid est*, secundùm istud esse erit ratio formalis agendi aliquam actionem realem? & ita cùm istud phantasma, per quod conuenit sibi istud esse, non sit principalis causa agendi,secundùm eos,nec *quod quid est*,secundùm quod existit in eo,est principalis ratio agendi, quod est contra eos.

Præterea [c], præter hæc,quæro quid est, *quod quid est*, stare in lumine intellectus agentis? Si nihil aliud est nisi intellectum agentem esse in anima,& in phantasia eiusdem animæ esse phantasma : ergo perpetuò, quando phantasma est in virtute phantastica, sit ista penetratio,& ambitio,& ita erit in phrenetico,& dormiente: quod negat ille, cuius opinio exponitur. Si aliquid aliud est quàm illa duo esse simul, & sit aliqua actio noua. detur igitur eius terminus nouus. non erit in phantasmate : igitur erit in intellectu possibili : ergo *quod quid est*, non agit per aliquam penetrationem, quæ penetratio præcedit actionem, *quod quid est*; sed tantummodò *quod quid est*, cum intellectu agente coagit causando aliquam impressionem nouam in intellectu possibili. hoc dicit opinio illa prima.

35. Si dices [d], alia opinio ponit speciem intelligibilem impressam, ista non ponit speciem talem, sed inchoationem habitus scientialis.

Contrà ista opinio ponit istam impressionem esse primum, quo intellectus est in potentia accidentali, cùm tamen priùs esset in potentia essentiali : sed si per istam impressionem non est obiectum intelligibile præsens nunc magis quàm priùs, non magis est nunc in potentia accidentali,quàm priùs. Si est præsens aliquo modo nunc, quo modo non fuit priùs præsens, illud quo nunc est præsens est species intelligibilis. Hoc etiam magis

magis apparet, ex hoc, quòd primò ei occurrit, tanquam ostendenti obiectum propter naturalem continuationem ad ipsum: hoc non posset esse, nisi obiectum reluceret in eo, & ita haberet rationem speciei.

Similiter hoc, quod dicitur, inchoationem habitus scientialis præcedere actum, non est verum, quia habitus, propriè loquendo, vt Philosophus loquitur *secundo Ethicorum*, generatur ex aliquo actu elicito. & sicut vltimus gradus habitus generatur ex vltimo actu, ita primus ex primo. ita quòd quicumque gradus habitus, est posterior aliquo actu: ergo illud quod est simpliciter primum in intellectu possibili, non est aliquid ipsius habitus. *Cap. 1. & seq.*

Hoc confirmatur secundùm opinionem illius Doctoris, qui exponitur, quia ponit istam inchoationem esse essentiam habitus totam. *Henric. quodlib. 5. quæst. 19.*

Quod vlteriùs dicitur de occursu illo; ratio occursus non benè assignatur, nec ad intentionem Augustini. Patiens enim occurrens agenti, nititur saluare se, & contra agere agenti corrumpenti se. hîc istud agens, agit ad perfectionem & salutem passi; ergo non occurrit ei propter illam rationem, vt saluet se. nec ista est intentio Augustini: vult enim, quòd anima occurrens passioni factæ ab aëre in aure, vehementiùs agitat illum aërem, & causat magis auditionem, quàm solus sonus causaret. hoc igitur occurrere est ei coagere. 36. *2. & 3. de Anima.*

Et tunc respondeo breuiter ad Augustinum, impressione speciei sensibilis facta in organo, vel speciei intelligibilis facta in intellectu, anima per potentiam talem occurrit, id est, cum illa specie impressa coagit ad actum aliquem perfectiorem, quàm posset illa species de se sola causare.

Et cùm vltrà additur de illo duplici occursu, primò occurrit passioni quasi coagenti. pòst passioni imbibitæ; quæro quid significent ista verba metaphorica? si significent, quòd per secundum occursum, causatur aliquid perfectius quàm per primum, & illud intimiùs perficit, sicut dicitur materia intimiùs perfici à forma perfectiori, quæ magis actuat eam; ergo in secundo occursu, non transmittitur passio illa ad intima magis quàm priùs: sed anima coagens illi passioni causat aliquid perfectius, quod est intimius in anima, quàm illa passio priùs causata.

COMMENTARIVS.

1. *Henr. quodl. 2. quæst. 8.* a PRo *tertia & quarta opinione non sunt argumenta adducta, ad quæ oportet respondere.* In ista litera concordantur opinio tertia, & quarta. Prima opinio Henrici, quæ ponitur tertia in ordine, ponit obiectum, vt in phantasmate illustratum ab intellectu agente esse causam cognitionis confusæ, quæ dicitur inchoatio habitus, & habita cognitione confusa, intellectus mediante illa est actiuus notitiæ distinctæ. Secunda opinio ipsius Henrici, quæ est quarta in ordine, ponit intellectum esse actiuum omnis intellectionis: & phantasma in virtute phantastica tantùm inclinat intellectum, vt suprà patuit.

Istæ opiniones sic concordantur: quia intellectus dicitur passiuus, inquantùm recipit illam inchoationem habitus, quæ dicitur passio, inquantùm recipitur, vel imprimitur in intellectu possibili: & talis passio impressa intellectui ab obiecto relucente in phantasmate, & illustrato ab intellectu agente, non est species intelligibilis: nec forma mouens ad actum intelligendi, nec aliquid aliud tenens vicem obiecti, vel repræsentans ipsum: cùm ipsa impressio prima habeat rationem, & *quo*, & *quod* respectu intellectionis. *quo*, quia per ipsam est intellectus in potentia propinqua ad actum intelligendi: sicut per grauitatem est corpus in potentia ad *vbi*: est etiam *quo* quantùm ad hoc, quòd manet in intellectu impedito ab actuali intellectione, & dicitur *quod*, quia sibi primò occurrit, sicut secundùm Auicennum primum sensatum est species, non vt obiectum terminans, sed vt *quod* quasi deducens: non per collationem, sed per continuationem ducit in obiectum: vult ergo, quòd illud impressum sit quædam passio ducens, & inclinans intellectum ad actum intelligendi. Et intellectus dicitur actiuus secundùm opinionem, inquantum occurrens illi passioni imbibit illam, & transmittit ad intima sua: & sic recipit eam à se intimiùs, quàm ab obiecto. Secundò, est actiuus inquàntùm coagit illi passioni transfusè ad causandum notitiam distinctam de eodem obiecto, Et hoc est, quod dicit: illi etiam passioni sic intimatæ occurrit intellectus secundò, & illo secundo occursu immergit se illi penetrando illam: & in hoc est distincta, & perfecta cognitio intellectus. *Quomodo intellectus dicatur actiuus.*

2. *Scotus arguit contra Henricum.* b *Quidquid sit de opinionibus illis, quas*, &c. In ista litera Doctor arguit contra multa dicta in superiori litera. Et primò contra hoc, quod suprà dictum est, scilicet *quod quid est* relucens in phatasmate esse rationem formalē agendi phantasmati, & accipit *quod quid est* pro quiditate obiecti relucente in phantasmate. Et arguit, quòd talis quiditas (vt sic) nō sit ratio formalis agendi ipsi phantasmati: & ratio stat in hoc: Nihil est ratio formalis agendi alicui, quod non inest formaliter: non enim dicimus, quòd calor separatus à ligno sit ratio formalis calefaciendi ipsi ligno: sed quiditas obiecti non inest phantasmati: quod patet. non enim quiditas albedinis, siue *quod quid est* albedinis inest formaliter phantasmati albedinis: ergo.

Si dicatur quòd licèt non insit formaliter, est tamen ibi secundùm *esse* repræsentatum.

Contrà, Nihil est ratio formalis agendi alicui

actione reali: quod non habet *esse* reale, & realiter existens. Hæc præposito fuit declarata suprà in quæstione de specie intelligibili, & in quæst. de sinceris veritatibus. Sed *quod quid est*, vt relucens in phantasmate, habet tantùm *esse* secundùm *quid*, siue diminutum: quia habet tantùm *esse* repræsentatum: ergo. Et ex hoc apparet expressè intentio Doctoris quòd obiectum, vt relucens in specie intelligibili non sit partialis causa intellectionis, quæ est actio realis: quia vt sic, tantùm habet *esse* secundùm *quid*: vt patet.

3. c *Præterea præter hoc*, &c. quia Henricus dixit, quòd *quod quid est*, splendens in phantasmate est ratio agendi in ipsum, scilicet intellectum: & hoc inquantum illud *quod quid est* stat in lumine intellectus agentis, & penetratur ab ipso lumine, & ambitur ab ipso intellectu agente. Quærit modò Doctor quid est ipsum *quod quid est* stare in lumine intellectus agentis; si nihil aliud est, nisi intellectum agentem esse in anima (quia ipse Henricus ponit intellectum agentem esse effectum in anima lucis increatæ, vt suprà patuit,) & in phantasia eiusdem animæ esse phantasma, scilicet ipsius *quod quid est*: & vt sic, ipsum *quod quid est*, est ratio agendi in ipsum intellectum: ergo perpetuò, quando phantasma est in virtute phantastica, fit ista penetratio, & ambitio ab intellectu agente, & ita erit in phrenetico, & dormiente: quod ipse negat, cuius est opinio. Si enim quandiu fit ista penetratio, *quod quid est*, est ratio formalis agendi in intellectum; ergo erit actualis operatio in dormiente: quod negatur ab ipso. Si verò *quod quid est* stare in phantasmate, &c. dicit aliquid aliud, quàm tantùm stare in phantasmate, & in lumine intellectus agentis: illud tale non videtur posse poni, nisi aliqua actio noua: sed respectu actionis nouæ oportet assignare terminum nouum, siue nouum productum. tali actione noua: ille terminus productus non erit formaliter in phantasmate, vt patet: ergo erit in intellectu possibili: ergo *quod quid est* non agit per aliquam penetrationem, quæ penetratio præcedit actionem *quod quid est*: ipse Henricus concordando illas duas opiniones dicit, quòd benè *quod quid est* dicitur agere, pro quanto agit per quandam penetrationem in intellectum, qua penetratione facta, tunc intellectus agit, &c.

Scotus arguit contra Henricum.

Sed contra hoc arguit Doctor, quia *quod quid est* est in phantasmate, & in intellectu agente, est talis penetratio. Sed ponitur, quòd vltra hoc, est etiam actio noua: ergo per illam aliquid recipitur in intellectu possibili, id est, quòd *quod quid est* cum intellectu agente coagit causando aliquam impressionem nouam in intellectu possibili. Sed hoc dicit illa prima opinio, quæ ponit, quòd primò causatur notitia confusa, &c. & sic non concordat eam cum secunda.

d *Si dices, alia opinio ponit speciem intelligibilem impressam*, sed ista opinio ponit tantùm inchoationem habitus scientialis. 4.

Contrà, Doctor ostendit, quòd ista secunda opinio habet ponere speciem intelligibilem impressam, quia ista opinio istam impressionem in intellectu possibili esse primum, quo intellectus est in potentia accidentali, id est, propinqua: cùm tamen priùs, ante scilicet illam impressionem fuerit in potentia essentiali, siue remota ad actum intelligendi, & sic per istam impressionem obiectum est magis præsens in ratione obiecti intelligibilis, quàm priùs: & sic intellectus magis in potentia accidentali, sed si per talem impressionem non est magis præsens nunc in ratione obiecti intelligibilis, quàm priùs, sequitur quòd non est magis intellectus nunc in potentia accidentali, quàm priùs: ergo si ponitur per talem impressionem magis præsens nunc, quàm priùs: sequitur quòd illud, quo est sic præsens, est species intelligibilis: quia per illam tantùm est præsens in ratione obiecti actu intelligibilis. Nam per inchoationem habitus scientialis non habetur sic præsens, vt suprà patuit. Et quòd ista opinio habeat sic ponere speciem intelligibilem, apparet ex hoc, quod dicit, scilicet quòd intellectus primò ei occurrit, tanquam ostendenti obiectum propter naturalem continuationem ad ipsum, sicut dicit Auicenna, quem adducit, primum sensatum est species, non vt obiectum terminans: sed vt quod quasi deducens non per collationem, sed per continuationem ducit in obiectum, sed hoc non posset esse, nisi obiectum reluceret in eo, scilicet intellectu, & ita haberet rationem speciei.

Similiter hoc quod dicitur. Hic improbat aliud, quia ista opinio concordans dicit, quòd illa inchoatio habitus scientialis præcedit actum intelligendi: contrà, quia habitus, propriè loquendo de habitu, vt Philosophus loquitur 2. *Ethic.c.*1. generatur ex aliquo actu elicito: & sicut vltimus gradus habitus generatur ex vltimo actu: ita primus gradus habitus, qui dicitur inchoatio habitus, generatur ex primo actu: ergo non præcedit omnem actum intelligendi. 5. *A quo generetur habitus.*

Hoc confirmatur secundùm ipsum Henricum *quodlib.* 5. *q.*19. quia ponit istam inchoationem esse totam essentiam habitus.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta quintæ opinionis D.Thom. tribuentis totam actiuitatem respectu intellectionis, speciei intelligibili: & explicat egregiè varia axiomata satis communia, sed non satis benè ab omnibus intellecta.

37. *Intelligere est quoddam pati, explicatur. Intelligimus in quantum recipimus, nõ in quantũ elicimus intellectionẽ, alias in diuinis non esset intellectio absoluta, quia non est elicita, sed quasi recepta.*

AD auctoritatem [a] Philosophi 3. *de Anima*, quòd *intelligere* est *pati*, quæ adducitur pro quinta opinione: hîc tamen non determinando, dico, quòd Philosophus locutus est communiter de potentiis animæ, inquantum sunt, quibus formaliter sumus in actu secundo: puta de sensu inquantum est, quo formaliter sentimus, de intellectu inquantum est, quo formaliter intelligimus: formaliter autem intelligimus intellectu inquantum recipit intellectionem, quia si causet eam actiuè, non tamen dicor intelligere intellectu inquantum causat, sed inquantum habet intellectionem vt formam. Habere enim qualitatem est esse *quale*: & ita intellectum habere intellectionem, siue recipere, quod

quod idem est, est ipsum esse intelligentem, nos igitur intelligimus intellectu inquantum recipit intellectionem.

Ideò Philosophus loquens, sic de intellectu, necesse habuit dicere, eum esse passiuum, & quòd *intelligere est quoddam pati*, hoc est, quòd intellectio inquantum est quoddam, quo formaliter intelligimus, est forma quædam recepta in intellectu. Non autem intelligimus eâ inquantum est quid causatum ab intellectu si causatur ab eo. Nam si Deus eam causaret, & eam in intellectu nostro imprimeret, non minùs eâ intelligeremus, sicut dixi intelligentia actualiter; ita dico de *scire* habitualiter, quòd intellectus est, quo scimus habitualiter, inquantum recipit habitum, non inquantum istum causat, si illum causat. Dico igitur, quòd omnes auctoritates, quæ sonant passibilitatem intellectus possibilis, possunt exponi de eo, inquantum eo cognoscimus habitualiter, vel inquantum cognoscimus eo actualiter, & isto modo concedo, quòd est passiuus: & si sit actiuus, non tamen secundùm istam rationem: sed accidit ei, quòd sit actiuus, secundùm istam rationem: affirmant ergo istæ auctoritates de intellectu, quòd verum est, quòd sit passiuus, non loquentes de intellectu sub ratione actiui, sed asserentes ipsum habere rationem receptiui, licèt ipsum non dicant nón esse actiuum: locus autem ab auctoritate non tenet negatiuè.

Et per idem [b] respondetur ad illud de potentia accidentali, & essentiali. Non enim intellectus est in potentia essentiali, quia deficiat sibi aliqua ratio causalitatis, quantum est ex parte sui; sed intellectus est in potentia essentiali, quando alia causa partialis non est sibi præsens, quam oportet esse præsentem, ad hoc, quòd sequatur actio: & quando illa causa partialis est approximata, est in potentia accidentali, siue propinqua ad agendum. 38.

Locus ab auctoritate non tenet negatiuè.

Potentia essentialis, & potentia accidentalis, quomodo differũt? D. Thom. 1. p. q. 87. art. 1. & Ægidius quodl. 1. q. 3. & quodl. 2. q. 23. Vide Var. in 2. q. 1. de cognitione Angeli soluendo 1. principale. Reiicit expositionẽ D. Tho. & Ægid.

Sed illa auctoritas, quæ dicit, quòd intellectus possibilis nihil est eorum, quæ sunt ante *intelligere*, requirit aliam expositionem, quàm intantum pertractant aliqui, vt dicant, intellectum possibilem esse in pura potentia in genere intelligibilium, sicut materiam primam in genere corporalium: quæ non est intentio Philosophi, quia potentia ad accidens, nunquam fundatur, nisi in substantia in actu: intellectio autem, siue species intelligibilis, non est forma substantialis, sed accidentalis: igitur quod est immediatum receptiuum illius, est aliquid in actu substantiali, aut saltem, quod est mediatè receptiuum. Et tunc quod immediatè recipit, erit aliquis actus accidentalis, sicut se habet superficies ad albedinem: intellectus igitur possibilis, secundùm quòd est illud in quo recipitur species intelligibilis, vel intellectio, vel illud secundùm quòd species recipitur in anima, non erit purum potentiale, sed erit aliquid in actu primo, licèt iste respectus potentiæ, non sit aliquid in actu. Cùm enim loquor de potentia receptiua albedinis, non loquor de potentia, quæ dicit respectum ad albedinem: ille enim respectus non est aliquid in actu, sicut nec albedo ad quam est, est aliquid in actu: sed illud in quo est ista potentia, est aliquid in actu, vt superficies, quæ est receptiua albedinis. Ita hîc, licèt ante intellectionem potentia ante actum, quæ est respectus ad intellectionem, non sit aliquid in actu, sicut nec intellectio ad quam est; tamen illud in quo est ista potentia, quod est fundamentum istius respectus, est aliquid in actu, & illud est intellectus possibilis. Non est igitur apud Philosophum intellectus possibilis nihil in actu, sicut isti accipiunt: sed oportet [c] exponere illam auctoritatem, hoc modo naturaliter intelligimus primò illa, quæ primò occurrunt ex phantasmatibus, sicut dictum est in quæstione secunda huius distinctionis. Nihil igitur possumus potentia propinqua intelligere ante intellectionem alicuius imaginabilis: ideò non possumus intelligere intellectum ante *intelligere* alterius intelligibilis: ergo nec intellectus potest intelligi à nobis ante *intelligere* alterius intelligibilis: ergo non est intelligibilis ante intellectionem alicuius alterius; sicut primum antecedens est verum, sic & consequens: ideò sic intelligendum est ipsum non esse aliquid eorum, quæ sunt ante *intelligere*, scilicet intelligibilium, non quia antequam intelligat, nihil sit in actu, sed quia non est aliquid, quod possit potentia propinqua intelligi à nobis, ante *intelligere* alterius, propter intellectionem nostram naturalem incipientem à phantasmatibus.

Intellectus nihil est eorũ quæ sunt ante intelligere, explicatur optimè.

Et cùm pòst [d] arguitur de illa similitudine, quòd sit ratio, tam faciendi, quàm agendi: Dico, quòd in faciente, benè forma est ratio faciendi, in qua forma faciens assimilat sibi factum: sed in agente nihil est productum nisi ipsa actio. Actio enim est vltimus terminus, nec habet alium terminum, & ideò non oportet quòd in agente ratio agendi sit aliquid in quo assimiletur agens alicui alteri producto. 39.

9. Metaph. t. c. 16. & alibi.

Sed dices [e], saltem illa est ratio agendi, in qua agens assimilat sibi productum, scilicet actionem ipsam. Benè concedo, quòd species illa, quæ est similitudo obiecti, & per quam intel

Ratio qua agens assimilat sibi

passum, non est necessariò primaria vis actiua.

intellectus assimilatur cognitioni productæ, est aliqua ratio agendi; sed non talis ratio, nec etiam ratio principalis, sicut patebit in sequenti quæstione. Sed quando duæ causæ concurrunt, sufficit in propinquiore similitudo formalis, & in remotiore virtualis, siue similitudo æquiuoca: & ita intellectus, quasi causa superior æquiuocè, & virtualiter, assimilatur cognitioni & intellectioni: species autem quasi causa propinquior, quasi vniuocè & formaliter assimilatur ei.

Cùm [f] arguitur pòst de indeterminatione intellectus ad diuersos actus & obiecta. Respondeo, quòd alia est indeterminatio materialis, propter defectum actus, alia est indeterminatio agentis propter illimitationem virtutis actiuæ: sicut Sol est indeterminatus ad multa generandum. Primo modo indeterminatum, non agit nisi determinetur per aliquem actum, quia aliàs non est in actu sufficiente, sed in potentia. Secundo modo indeterminatum, nulla forma alia à se determinatur, sed ex se determinatur ad producendum quemcunque effectum, ad quem ex se est indeterminatum. Et hoc præsente passo receptiuo: sicut Sol, præsente passo, generat quodlibet generabile, ex quo ipsum natum est generari. Ita in proposito indeterminatio intellectus, non est indeterminatio potentialitatis passiuæ in ordine causalitatis; sed est indeterminatio actualitatis, quasi illimitatæ, & ideò non determinatur per formam, quæ sibi sit ratio determinatè agendi, sed tantummodo per præsentiam obiecti, circa quod determinatum, nata est esse determinata intellectio.

Causa inferior determinat superiorem illimitatam prabendo ei suum particularem cōcursum.

Vel aliter posset dici, quòd sicut causa superior determinatur ad agendum, concurrente aliqua particulari causa inferiori: sicut Sol ad generandum hominem, concurrente homine agente, & bouem, concurrente boue, non autem per aliquam formam in se receptam: ita intellectus, qui est causa superior, & causa illimitata, determinatur ad hoc obiectum, concurrente causa particulari determinata, puta ad agendum circa hoc obiectum, concurrente hac specie. Non enim istud determinans, determinat effectiuè causam indeterminatam superiorem, neque formaliter, sicut ratio agendi; sed sic determinat, hoc est virtus actiua superior indeterminata, potest indeterminatum effectum, tali virtute inferiori determinata concurrente.

COMMENTARIVS.

1\. *Vide quomodo intelligere sit pati.*

a AD *auctoritatem Philosophi.* Hìc Doctor respondet ad auctoritates adductas pro opinione 5. Et quando dicit, quòd *intelligere est pati.* Dicit quòd homo intelligit formaliter non inquantum causat intellectionem: sed inquantum recipit eam. Sicut dicimus quòd ignis est formaliter calidus, non inquantum causat caliditatem: sed inquantum recipit ipsam, qua denominatur. Et quia recipere formam est quoddam pati, ideò *intelligere* formaliter (quod nihil aliud est nisi recipere intellectionem, qua intelligimus) erit quoddam pati: & hoc modo dicitur intellectus passiuus: quia inquantum formaliter intelligit est receptiuus intellectionis, & sic passiuus; non autem dicit Aristoteles quòd si sit passiuus respectu intellectionis, quòd nullo modo sit actiuus respectu eiusdem: & litera clara est.

Recipere formā est quoddam pati.

b *Et per idem respondetur ad aliud de potentia accidentali, & essentiali.* Litera patet hìc: suprà diffusè exposui in quæstione immediatè præcedenti, exponendo argumentum principale ad oppositum in principio quæst. ibi vide.

2\. c *Sed oportet exponere illam auctoritatem hoc modo: Naturaliter intelligimus primò illa quæ primò occurrunt ex phantasmatibus*, &c. Et sententia huius literæ est, quòd intellectus possibilis antè *intelligere* aliorum, puta sensibilium, non est de numero intelligibilium in potentia propinqua: oportet enim priùs intelligere sensibilia: quia illa sola pro statu isto mouent intellectum, vt suprà patuit *quæst. 1. & 3. præsentis dist.* & ideò ante *intelligere* sensibilium licèt intellectus possibilis sit de numero entium intelligibilium in potentia remota: non tamen erit de numero entium intelligibilium in potentia propinqua, nisi priùs habita intellectione sensibilium.

Intellectus possibilis est de numero entium intelligibilium in potentia remota.

Et aduerte, quòd Doctor non intelligit, quòd post *intelligere* aliorum intellectus possibilis sit de numero intelligibilium potentia propinqua, id est, quòd possit intelligi sub ratione propria, vel in conceptu proprio; quia si sic intelligeret, sibi contradiceret: quia *in quæst. 3. præsentis dist.* probauit quòd pro statu isto non cognoscimus aliquam substantiam: neque materiam primam, nisi in conceptu communi nobis, & sensibilibus. Erit ergo intellectus possibilis de numero intelligibilium in potentia propinqua, quantum ad conceptus communes nobis, & sensibilibus, quia intellectus cognoscendo aliquod sensibile, potest abstrahere multos conceptus communes, & postea applicare illos, vt suprà diffusè exposuimus. Ista etiam propositio, scilicet intellectus non est aliquod intelligibilium ante *intelligere*, id est, non est possibile intelligere se ante *intelligere* aliorum, est multiplex secundùm compositionem & diuisionem, vt notat Doctor *in 2. d. 3. q. 8. in responsione ad primum argum. principale.* & ibi vide expositionem, quam feci.

d *Et cùm post arguitur de illa similitudine.* Dicit Doctor quòd in faciente forma est ratio faciendi, in qua forma faciens assimilat sibi factum, vt exemplificaui suprà. Sed in agente nihil est productum, nisi ipsa actio. Hìc accipit *actionem*, non pro actione respectus: sed pro qualitate producta, quæ recipitur in agente. Et quare talis qualitas dicatur actio, infrà patebit *quæst.* 3.

quæst. vlt. præsentis dist. in responsione ad vltimum argumentum, & in quodlib. quæst. 13. Et quod dicit hîc quòd non oportet, quòd agenti ratio agendi sit aliquid, in quo assimiletur agens alicui alteri producto. Hoc debet intelligi de assimilatione vniuocationis: quia agens, vt agens non potest producere in se aliquid eiusdem rationis cum forma, quæ est ratio formalis agendi in ipso agente, vt suprà patuit respondendo ad argumenta Goffredi. Sed loquendo de similitudine æquiuocationis, de qua patebit in quæstione immediatè sequenti, ratio formalis agendi in agente ratio assimilandi æquiuocè ipsum agens producto.

e *Sed dices, saltem illa est ratio agendi.* Ista responsio, scilicet quòd faciens, &c. In faciente puta igne producente ignem in materiam ligni: est forma, per quam ignis faciens est similis igni facto, sed quia D. Thom. vult, quòd species intelligibilis agit intellectionem, quæ dicitur actio, & ipsam assimilat obiecto repræsentato per speciem intelligibilem, ideò dicit Scotus quòd non est simile: quia in primo faciens per formam tantùm assimilatur facto. Hîc autem intellectio est vltimus terminus productus: ergo forma, siue quiditas speciei est tantùm ratio, qua species assimilatur intellectioni productæ, & non qua assimilatur alteri à producto: puta obiecto. Et pòst dicit: *ergo illa quiditas speciei est ratio agendi, qua species, siue agens sibi assimilat actionem, siue intellectionem productam.* Et patet responsio. Et sic explano literam Doctoris cùm dicit. *Benè concedo, quòd species illa,* supple intelligibilis, *quæ est similitudo obiecti,* &c.

4. *Hîc habetur à Doctore quòd species intelligibilis sit causa intellectionis.*

Ex hac litera patet expressè, quòd intentio Doctoris est, quòd species intelligibilis sit partialis causa cognitionis abstractiuæ, & non obiectum relucens in tali specie, vt quidam volunt intelligere Doctorem. Sequitur: *Sed quando duæ causæ concurrunt: sufficit in propinquiori similitudo formalis, siue vniuoca, & in remotiori virtualis, siue æquiuoca.* Exemplum: Ad productionem hominis concurrunt Deus, Sol, & homo: ipse Deus assimilat hominem productum tantùm æquiuocè; homo verò assimilat sibi vniuocè. Sequitur: *Et ita intellectus quasi causa superior æquiuocè,* &c.

Apparēs contradictio.

Ex hoc loco videtur, quòd Doctor sibi contradicat: quia suprà dixit contra Thomam quòd intellectio esset effectus æquiuocus, si species esset causa totalis: ergo similiter quando est partialis; & tamen hîc dicit, quòd species intelligibilis assimilatur intellectioni formaliter, id est, vniuocè: ergo intellectio erit effectus vniuocus.

Dico, quòd tam intellectus, quàm species dicuntur causæ simpliciter æquiuocè respectu intellectionis: dicitur tamen, quòd ipsa assimilatur formaliter intellectioni ex hoc, quia est causa magis proxima, & magis specificatiua intellectionis: nam vna intellectio dicitur propriè distingui specie ab alia intellectione: quia est ab obiecto tali specie distincto ab alio. Intellectus verò dicitur magis assimilari virtualiter: quia causa magis remota. Tum etiam, quia non propriè specificat intellectionem: nec propriè dicitur talis intellectio: quia talis intellectus, sed quia talis obiecti.

5. *Duplex est indeterminatio ad agendum.*

f *Cùm arguitur pòst de indeterminatione intellectus.* Dicit Doctor quòd indeterminatio ad agendum est duplex. Quædam est materialis, propter defectum actus. Sicut lignum est indeterminatum ad calefaciendum, ad frigefaciendum, ad humectandum, & huiusmodi: quia ex se non est sufficiens, nec includit aliquam rationem formalem calefaciendi, frigefaciendi, vel humectandi. Si ergo determinatur ad calefaciendum, hoc erit per aliquam formam receptam, quæ erit ratio formalis calefaciendi ipsi ligno. Alia est indeterminatio agentis propter illimitationem virtutis actiuæ, sicut Sol est indeterminatus, & non determinatur aliunde ad aliquid producendum: sed ex forma sua, id est, quòd quiditas talis agentis erit ratio formalis agendi, & producendi. In proposito autem intellectus est indeterminatus secundo modo, & non primo modo. Et sic patet responsio ad rationes Thomæ.

Ad rationes pro sexta opinione. Ad auctoritatem Augustini patet, quòd accipit ibi *visionem* pro specie sensibili, impropriè tamen, vt suprà patuit exponendo illam auctoritatem in quæst. immediatè præcedente. 6.

Ad illud de Philosopho, quòd idem est sonatio, & auditio: patet quòd non accipit ibi speciem sensibilem alicuius soni, & auditionem propriè dictam esse idem, vt patet intuenti literam Aristotelis, & Commentatoris.

Sed in præsenti adduco responsiones, quas facit Alphonsus ad argumēta Doctoris, quibus probat, quòd anima intellectiua non sit totalis causa actus intelligendi. Ipse enim Alphonsus tenet expressè, quòd intellectus agens sit totalis causa. Respondet Alphonsus primò reducēdo argumentum contra Doctorem, quia dicit Doctor in illo argumento: *Intellectiones distinguuntur per obiecta: ergo causantur ab illis.* Addit, sed propria passio habet formaliter distinctionem à subiecto: cùm subiectum ponatur in definitione passionis: vt patet 7. *Metaph.* ergo propria passio causatur à subiecto. Hoc est contra Doctorem, quia passio non distinguitur realiter. Ad rationem Doctoris respondet negando istam, scilicet quòd actus habeant ab obiectis, quòd distinguantur formaliter. Et cùm dicitur, actus distinguuntur per obiecta: ergo habent aliquid effectiuè ab obiectis, vt formaliter distinguantur. Negat consequentiam: sicut non sequitur actus distinguuntur per suas proprias rationes formales: ergo ab eis habent aliquid effectiuè, vnde formaliter distinguantur. Concedit ergo, quòd actus distinguantur per obiecta: quia circa aliud, & aliud obiectum intellectus causat alium, & alium actum: & sic obiectum tantùm requiritur, vt materia circa quam.

Alphon. Tole. in primo dist. 3 q. 1.

7. *Responsio ad dicta Alphon. Tole.*

Dico primò ad illud de passione, quòd passio secundùm Doctorem est à subiecto causata, vt suprà patuit *in quæst. de subiecto Theologiæ, & præsenti dist. q. 7.* vide expositionem, quam feci ibi *in q. de subiecto Theologiæ,* quomodo dicatur causari: & tamen non distinguitur realiter à subiecto.

Dico secundò, quòd posito, quòd non sit causata à subiecto. Doctor non diceret, quòd passiones habent à subiectis, vt formaliter distinguantur inter se: quia si non effectiuè, vel originatiuè à subiectis: non est concedendum, quòd à subiectis habeant, quòd formaliter distinguantur. Et cùm dicit, quòd subiectum ponitur in definitione passionis. Verum est tanquam additum: sicut etiam alia accidentia dicuntur definiri per substantiam, definitione tantùm additamentali, & tamen si accidentia non essent causata

Quomodo subiectum ponitur in definitione passionis.

sata à subiectis eorum, non dicerentur formaliter distingui per subiecta. Et quando dicit, respondendo ad formam argumenti Doctoris, quòd non sequitur, actus distinguuntur per obiecta: igitur habent aliquid effectiuè ab obiectis, vt formaliter distinguantur: patet quòd non rectè negat illam consequentiam, vt suprà exposui: quia quòd aliqua distinguantur essentialiter per *A.* & *B.* aut hoc erit, quia *A.* & *B* sunt differentiæ essentiales illorum: aut quia *A* & *B.* distincta essentialiter ab inuicem causant distincta essentialiter. Et illa instantia, quam adducit, non est ad propositum: quia quando dicit, actus distinguuntur formaliter per *A.* & *B.* tanquam per rationes formales: ergo actus habent effectiuè ab *A.* & *B*, vt formaliter distinguantur: patet quòd hoc non est ad propositum: quia iam supponit Doctor quòd actus formaliter distinguantur suis rationibus formalibus, & per consequens habent formaliter ab illis, vt distinguantur formaliter: sed quia obiecta non sunt rationes formales actuum, vt patet. Si ergo conceditur quòd actus distinguuntur formaliter per obiecta: statim sequitur, quòd ab obiectis habent effectiuè entitatem, qua formaliter distinguantur. Et cùm dicit, quòd distinguuntur per obiecta tanquam per materiam *circa quam.* hoc nihil est, quia non dicimus aliqua propriè distingui formaliter per *A.* & *B.* tanquam per materiam *circa quam:* quòd enim actus magis terminetur ad vnum obiectum, quàm ad aliud, ex hoc non dicitur distingui formaliter ab alio per aliud, & aliud in ratione termini.

Actus formaliter distinguuntur suis rationibus formalibus.

8. *Item Alph.* Ad aliud Doctoris, quando dicit, quòd si actus intelligendi non esset effectiuè ab obiecto, vnus actus intelligendi non esset perfectior alio. Dicit Alphonsus quòd non sequitur, actus intelligendi est perfectior, quia perfectioris obiecti: ergo est effectiuè ab illo. patet instantia: homo est perfectior asino, quia habet perfectiorem differentiam: ergo homo est effectiuè à tali differentia: non sequitur.

Responsio. Respondeo quòd non rectè intelligit mentem Doctoris: nam Doctor præsupponit, quòd aliquid est perfectius alio formaliter per suam rationem formalem: & sic habet ab illa formaliter, quòd sit perfectius. Si ergo conceditur, quòd actus est formaliter perfectior, quia perfectioris obiecti, cùm non habeat ab obiecto formaliter illam perfectionem, quia obiectum esset perfectio intrinseca actus: sequitur quòd habebit illam effectiuè ab obiecto: quia perfectius obiectum natum est causare perfectiorem actum.

Ad aliud Doctoris quo probat, quòd si anima esset totaliter causa intellectionis, quòd tunc esset formaliter infinita, &c.

Item Alph. Respondet Alphonsus primò reducendo rationem contra Doctorem, quia Doctor ponit, quòd est partialis causa omnis intellectionis: ergo erit formaliter infinita. apparet consequentia: quia vt est partialis causa vnius intellectionis, requirit aliquem gradum perfectionis: & vt erit partialis causa alterius intellectionis, specie distinctæ, erit maioris perfectionis: ergo si infinitarum perfectionum, erit infinitæ perfectionis. Respondet ergo ad rationem Doctoris concedendo quòd causa, quæ potest habere infinitos actus simul, & pro simul quantùm est ex se est infinita intensiuè: non tamen causa potens habere infinitos actus simul, sed nón pro simul, erit infinita intensiuè: modò anima habet infinitos actus simul, sed non pro simul.

Dico primò, quòd ratio reducta contra Doctorem nihil concludit: non enim sequitur, quòd si sit partialis causa infinitorum actuum, quòd sit infinita: & quomodo hoc non sequatur, suprà exposui *dist.* 2. *quæst.* 1. & clariùs *in dist. quæst.* 10. *secundi.* 9. *Responsio ad Alphon.*

Ad aliud quando dicit, quòd causa potens habere infinitos actus simul, & pro simul est infinita intensiuè. Si loquatur de actu eiusdem speciei, multi Doctores hoc negant. Si tamen daretur, quòd si æquè perfectè posset simul in infinitos actus, sicut in quemlibet seorsum sumptum, fortè haberet euidentiam, vt suprà deduxi *dist.* 2. *quæst.* 1. Si verò potest habere infinitos actus simul, vt totalis causa, qui actus specie distinguantur, clarum est, quòd erit intensiuè infinita: sed non probat, quòd si anima esset totalis causa, quòd non possit habere simul, & pro simul infinitos actus. Ex quo enim ponitur totalis causa, & agit circa subiectum optimè dispositum, non apparet quin simul, & pro simul possit habere infinitos actus: quia ex quo est causa totalis, & agit secundùm totam virtutem, aut simul, & pro simul habebit infinitos actus: aut nullum habebit, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio, vt aliàs deduxi. Dico vltrà, quòd si esset causa infinitorum actuum, specie distinctorum: licèt non pro simul, sed tantùm successiuè, adhuc sequeretur quòd esset infinita intensiuè, vt clarè ostendi suprà *dist.* 2. *q.* 1.

Ad aliud Doctoris, quod stat in hoc, quòd si anima esset totalis causa actus: ergo potest actu intelligere obiectum, absque hoc, quòd obiectum requiratur: quia non saluatur necessitas obiecti propter hoc, vt concurrat vt causa *sine qua non*, vel in ratione termini, vel in ratione excitantis, vt patuit suprà. Si ergo requiritur obiectum, de necessitate requiritur, vt causa effectiua actus. Respondet Alphonsus quòd non sequitur: quia finis necessariò requiritur ad actionem agentis naturalis, & tamen causa finalis non est causa effectiua. *Alphon.*

Dico, quòd hæc responsio nihil facit contra Doctorem, quia dixi in illa ratione, quòd quando habentur causæ perfectæ, & priores effectu, circunscripto quocunque alio, effectus potest sequi: causæ autem priores sunt efficiens, & materia: finis verò, qui est causa finalis, si requiritur, tantùm requiritur vt amatus, & desideratus. Si ergo intellectus est causa effectiua, & totalis intellectionis, & similiter est causa receptiua eiusdem, & agit propter finem desideratum, & amatum: patet quòd omni alio circunscripto potest causare actum intelligendi. Et ex his patet, quòd responsiones Alphonsi ad rationes Doctoris nihil contra Doctorem concludunt. 10. *Responsio ad Alphon.*

Item, Alphonsus vbi suprà negat omnem actionem ab intellectu possibili respectu actus intelligendi: concedendo, quòd tota actiuitas respectu actus intelligendi tantùm inest intellectui agenti. Sed quia apud Doctorem adhuc non extat declaratum, an actiuitas respectu actus intelligendi competat solùm intellectui agenti, vel intellectui possibili, vel vtrique simul, sed de hoc se determinat in 15. *quodlib.* ideò vsque ibi differatur.

SCHO

SCHOLIVM.

Soluit argumenta principalia pro vtraque parte quæstionis allata.

AD argumenta [a] principalia. Ad primum dico, quòd argumentum Philosophi *secundo de Anima*, benè concludit, quòd sensus non est causa totalis respectu sensationis. quod concedo, & ita argutum est suprà contra primam opinionem, quòd anima non est causa totalis actiua ad intellectionem, & hoc concedo. Sed non concludit, quin sit partialis causa: sed non sequitur ex hoc, quòd semper sit in actu, nisi quando reliqua causa partialis concurrit. 40. *Ad argumenta q.*

Ad secundum [b], non tractando illam difficultatem, vtrùm actiuitas illa competat intellectui agenti, vel possibili: dico, quòd intellectus possibilis, secundùm quòd Philosophus loquitur de eo, est illud quo formaliter sumus intelligentes, & eo modo præcisè est, quo est omnia fieri: quia, vt dicebatur priùs, sumus eo formaliter intelligentes, inquantùm recipit, non inquantùm agit, licèt agat: quia hoc accidit sibi, inquantùm est quo intelligimus. *Possibilis est quo est omnia fieri explicatur.*

Ad tertium, licèt [c] consequentia non sit necessaria, quia Sol potest esse causa multorum differentium specie, propter distinctas virtutes in ipso, quæ sufficiunt, in ratione causæ effectiuæ, ad distinguendum effectus: tamen ad propositum potest concedi consequentia. Concludit enim, quòd anima non est causa totalis omnium intellectionum, quod concessum est.

Ad primum in [d] oppositum concedo, quòd anima, quia immaterialis est, est receptiua cuiuslibet intellectionis. Ipsa etiam est actiua cuiuscumque intellectionis obiecti alterius à se, vt causa partialis, & actiua intellectionis de se, vt totalis causa: quia vt * cognoscens & vt cognita secundùm Augustinum 9. *de Trinit. cap. vlt.* sed talem intellectionem non habemus pro statu isto: sed ex immaterialitate eius non sequitur, quòd ipsa sit totalis causa cuiuscumque intellectionis obiecti alterius ab ipsa. 41. *Ad rationes in opp.* * *al. gignēs & vt genita.*

Ad secundum concedo [e] conclusionem, quòd cognitiones diuersarum specierum propriè, scilicet, virtute ipsarum habitæ, differunt specie, quod probo, quia ad indiuidua eiusdem speciei non requiritur totalis causa diuersa specie, vel aliquid in totali causa, diuersum specie ab eo, quod est in totali causa alterius indiuidui. Nunc autem ad intellectionem albi, & nigri, necessariò requiruntur aliqua diuersa specie, puta album & nigrum, vel aliqua includentia ipsa: ergo ista duo magis differunt, quàm indiuidua vnius speciei: ergo differunt specie.

Cùm arguis vltrà, quòd tunc omnes habitus talium differrent specie, concedo de habitibus, qui habentur virtute propria talium obiectorum: & probatur hæc conclusio, sicut præcedens per causas.

Et cùm dicis [f], quomodo tunc esset vna scientia de pluribus speciebus specialissimis?

Respondeo, quòd vna species specialissima, potest includere multas alias species virtualiter; siue passiones earum; siue per modum causæ; siue per alium ordinem essentialem: & tunc habitus ille, qui est formaliter illius obiecti primi includentis alia, est virtualiter aliorum obiectorum, licèt non formaliter & primò. Est igitur ille habitus vnus ab vnitate primi obiecti virtualiter continentis omnia, quæ continentur in illo: non est autem proprius cuicunque virtualiter contento in primo obiecto, sed qui essent proprij illis, essent distincti, sicut illa sunt distincta.

COMMENTARIVS.

1. a AD *argumenta principalia.* Hîc Doctor respondet ad argumenta nunc facta, & responsio clara est.

Ad primum dicit, quòd dictum Aristotelis esset verum, si sensus esset causa totalis actus sentiendi, sed non concludit quando est tantùm causa partialis.

Ad secundum dicit, quòd intellectus possibilis ex hoc dicitur possibilis, quia est ille, quo formaliter sumus intelligentes, &c. sed hanc difficultatem de intellectu possibili, an sit actiuus, vel ne, prolixè Doctor pertractat *in 15. quæst. quolib.* vide ibi. *An intellectus possibilis sit actiuus.*

Ad tertium dicit primò: posito quòd intellectus esset totalis causa intellectionis: non sequeretur omnes intellectiones esse eiusdem speciei: patet, quia Sol vnus, & idem numero est causa multorum specie distinctorum. Secundò respondet, concedendo consequentiam, si intellectus esset causa totalis: ideò concluditur, quòd tantùm sit causa partialis.

Deinde facit duo argumenta, quæ videntur probare, quòd anima sit totalis causa intellectionis. Primum est ibi: *Ad oppositum Auicenna, 9. Metaph.* Immaterialitas est ratio intellectui, sicut intelligibilis: ergo intellectus ex sua immaterialitate se solo est actiuus respectu intellectionis.

Secundò, si obiectum est ratio formalis agendi: ergo intellectiones obiectorum diuersorum specie, essent diuersæ specie: patet, quia actus differunt specie, qui sunt à causis diuersis specie. Falsitas consequentiæ probatur: quia tunc de qualibet specie specialissima esset propriè scientia: & ita de pluribus speciebus specialissimis non posset esse vna scientia: quod videtur manifestè falsum, & contra communem opinionem.

Ad primum in oppositum. Concedit Doctor quòd est partialis causa intellectionis aliorum obiectorum à se, & est totalis causa respectu intellectionis sui: sed hanc pro statu isto non potest habere.

Ad secundum concedo conclusionem. Hîc Doctor admittit, quòd cognitiones diuersarum specierum habitæ virtute ipsarum differant specie: & probat, quia ad indiuidua eiusdem speciei non requiritur totalis causa diuersa specie, vel aliquid in totali causa diuersum specie, ab eo, quod est in totali causa alterius indiuidui. Nunc autem ad intellectionem albi, & nigri necessariò requiruntur aliqua diuersa specie: puta album, & nigrum: vel aliqua includentia ipsa: ergo ista duo magis differunt, quàm indiuidua vnius speciei: & sic specie differunt. Et vltrà concedit Doctor quòd omnes habitus, qui habentur virtute obiectorum specie distinctorum, differunt specie.

Species specialissima includit multas species virtualiter.

f *Et cùm dicis, quomodo,* &c. Sensus huius literæ est: quòd quando aliqua vna species continet virtualiter plures species: vel vt passiones sibi inhærentes, vel per modum causæ, &c. (& hoc intelligendum est de obiectis nullo modo motiuis ad sui intellectionem: quia de illis essent habitus proprij: quia & ipsa obiecta essent causa cognitionis suæ) puta pro statu isto, albedo, quæ continet virtualiter multas passiones secundùm earum entitates: & sic secundùm earum cognoscibilitatem continet etiam virtualiter multas relationes, vt similitudinem, & huiusmodi. tunc species intelligibilis in intellectu partialiter causat primò cognitionem albedinis, vt obiecti primi: & pòst causat cognitionem proprietatum, & aliorum virtualiter contentorum: & sic scientia omnium istorum potest dici vna, non formaliter, cùm sint plures notitiæ: sed vna virtualiter: quia vt obiecti primi virtualiter continentis cognitionem aliorum.

Dubium.

Sed est difficultas, primò, quia Sol continet virtualiter multas species: ergo species intelligibilis Solis causat cognitionem illarum in intellectu: patet quòd non.

Responsio.

Dico, quòd si Sol contineret illas secundùm totam entitatem, & præcisè, & adæquatè: ita quòd ipso circunscripto in alio non continerentur: etiam posito quocunque alio, vel circunscripto quocunque alio à Sole, adhuc Sol contineret: tunc species intelligibilis Solis causaret cognitionem illarum, vel si illarum essent propriæ species intelligibiles: tunc illæ tantùm virtute Solis, & intellectus agentis causarentur: sicut suprà exposui, *quæst.* 1. *&* 2. 3. *&* 6. *præsentis, dist.* Sed Sol non sic continet, nisi proprias passiones: & fortè aliquas relationes, partialiter tamen loquendo de relationibus, quia relatio dependet à fundamento, & à termino: & cognitio eiusdem dependet ab vtroque: vt exposui *in quæst.* 3. *præsent. dist.*

Dubium.

Secundò est difficultas: an omnes cognitiones, quæ habentur virtute vnius obiecti specifici, differant specie; vel sint eiusdem speciei? Videtur, quòd specie differant: vt patet per Doctorem hîc in litera.

Contrà primò. Quia cognitio entis, vt ens potest haberi, vel causari ab aliquo inferiori: quia vt suprà patuit à Doctore, inferius potest causare cognitionem sui, & superiorum: & sic Metaphysica non distinguerentur specie à scientia inferiorum.

Item aliud.

Secundò, quia quæro à te, si cognitio lapidis haberetur immediatè à Deo in intellectu meo, ipso lapide non concurrente, an distingueretur specie à cognitione hominis, habita virtute hominis? si sic: habetur propositum: si non, ergo etiam nec distingueretur specie, si produceretur ab ipso lapide: quia respectus ad aliud, & aliud agens non variat speciem: vt patet à Doctore.

Item aliud.

Tertiò, quia si cognitio vnius speciei, virtualiter contentæ in alia, etiam secundùm cognoscibilitatem non distingueretur à specie à cognitione speciei continentis: sequeretur, quòd de aliqua specie non posset esse scientia propriè: quod est inconueniens, cùm quælibet species habeat propriam definitionem, & passionem demonstrabilem de ea.

Responsio ad primum.

Respondeo ad primum: quòd sicut superius tantum obiectiuè distinguitur ab inferiori, & non specie, sic scientia superioris obiectiuè distinguitur: siue sit causata à superiori, siue ab inferiori: & hoc sufficit ad habendum distinctos habitus. Si dicatur, ergo sunt vnius speciei. Negatur, quia inferius, & superius, nec differunt specie specialissima, nec sunt eiusdem speciei.

Ad secundum.

Ad secundum dico, quòd differunt specie: & cùm dicitur illa cognitio non habetur virtute lapidis. Dico, quòd sufficit, vt habeatur à Deo supplente vicem lapidis in huiusmodi causalitate. Sicut cognitio habita à Francisco, & cognitio habita à Ioanne sunt eiusdem speciei: si modò cognitionem Ioannis causaret Deus supplendo vicem Ioannis, esset etiam eiusdem speciei: sic in proposito.

Ad tertium.

Ad tertium, scientiam esse propriam vnius speciei contingit dupliciter. Primò, quòd habeatur virtute illius, vel à supplente vicem illius. Secundò, quòd sic sit propria terminatiuè: quòd non potest terminari ad aliud. Secundo modo concedo, sed non semper primo modo: nisi quando species est motiua. Si etiam diceretur, quòd cognitio illa, quæ non habetur virtute sui obiecti, distingueretur specie ab alia, non esset inconueniens. quia sicut ipsa si posset haberi, virtute sui obiecti, distingueretur specie: sic potest dici distingui specie, quando habetur solùm virtute alterius speciei: & non est inconueniens vnum obiectum esse causam partialem plurium cognitionum specie distinctarum. Circa hanc materiam de vnitate habitus, vide diffusè alios sequentes doctrinam Scoti, vt Ioannem Canonicum, & multos alios.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm principalior causa notitiæ sit obiectum in se, vel in specie, vel ipse intellectus?

Doctores citati ad quæstionem præcedentem de hac videri possunt.

QVÆRO de comparatione istarum duarum causarum partialium, quæ causant notitiam genitam, Vtrùm principalior causa notitiæ genitæ, sit obiectum in se, vel in specie præsens, vel ipsa pars intellectiua animæ? 1.
Quòd obiectum probo. Quia illud est principalius mouens, quod mouet non motum, quàm quod mouet motum; sicut apparet in omnibus causis essentialiter ordinatis: obiectum autem mouet non motum, sicut habetur à Philosopho *tertio de Anima*, intellectus autem non mouet nisi motus: ergo, &c. *Arg. 1.* *Text. 54.*

Item, agens assimilat sibi effectum quantum potest: ergo illud est principalius agens, quod magis assimilat, vel cui magis assimilatur effectus: actus autem magis assimilatur obiecto, quàm intellectui, ergo. *Arg. 2.*

Item, vnitas scientiæ assignatur penes vnitatem obiecti virtualiter continentis eam: non autem attribuitur intellectui talis continentia virtualis respectu habitus. Continere autem virtualiter conuenit causæ actiuæ: ergo principalior causa illius habitus erit obiectum, quàm intellectus. & si causa habitus, igitur & actus. *Arg. 3.*

Ad oppositum arguitur sic: Quantò aliquid est actualius, tantò formalius & perfectius, tantò & actiuius: ergo anima, quæ est forma actualior, multis aliis causis concurrentibus, erit actiuior, & ita quando concurrit cum eis in agendo, erit principalius agens: sed in intellectione concurrit cum obiecto, tanquam causa partialis: igitur in intellectione erit causa principalior, quàm obiectum. *Ratio ad opp.*

Item, enti secundùm *quid*, non conuenit actus simpliciter: sed quando habet *esse* tale secundùm *quid* per aliud simpliciter ens, tunc principaliùs conuenit illi enti simpliciter, si illud aliquo modo sit actiuum respectu eiusdem: obiectum autem à nobis modo naturaliter intellectum, habet esse secundùm *quid* tantùm in intellectu nostro, propter *esse* simpliciter ipsius partis intellectiuæ: quia obiectum in ea est sicut cognitum in cognoscente: ergo illius actionis, ad quam ista duo concurrunt, non erit obiectum habens tale *esse* principalis causa, sed pars intellectiua, propter quam obiectum habet tale *esse*.

SCHOLIVM.

Resoluit intellectum esse principaliorem causam respectu cognitionis, ad quam naturaliter mouetur, non tamen respectu visionis beatificæ. Primum patet primò, quia est causa actiua illimitatio. Secundò, quia ipsi coagit species vel obiectum, non è contrà, quia intellectus est participatiuè liber. Tertiò, intellectus se habet vt causa principalis, species vt instrumentalis. Prima ratio maioris est efficaciæ.

RESPONDEO, quòd pars intellectiua habet principaliorem causalitatem respectu cognitionum, modò nobis naturaliter conuenientium. Probo primò, quia quando causarum ordinatarum altera est indeterminata ad multos effectus, & quasi illimitata: altera autem quasi secundùm vltimum virtutis suæ, determinata ad certum effectum: illa, quæ est illimitatior & vniuersalior, videtur esse principalior & perfectior. Exemplum de Sole, & de particularibus generantibus. Intellectus autem habet virtutem quasi illimitatam & indeterminatam respectu omnium intellectionum: obiecta autem à nobis naturaliter cognita, habent virtutem determinatam respectu determinatarum intellectionum, quæ sunt ab ipsis, & hoc secundùm vltimum suæ virtutis, sicut quodlibet ad intellectionem sui: ergo intellectus est causa vniuersalior & principalior intellectionis, quàm obiectum pro statu isto. 2.

Secundò, quia illa est principalior causa, qua agente, alia causa coagit, & non è conuerso: intellectu autem nostro agente ad intellectionem, obiectum in se, vel in sua specie, coagit. Est enim in potestate nostra intelligere, quia intelligimus cùm volumus, *2. de Anima*. Hoc autem non est propter speciem principaliter, quæ est forma naturalis: sed propter intellectum, quo vti possumus cùm volumus. Principalem autem actionem intellectus, sequitur actio speciei, quæ nata est esse semper vniformis ex parte speciei. *Text. 55. & 60.* *De hoc 2. d. 42. q. 1. vbi agitur quomodo cogitatio est in manu nostra?*

Tamen

Tamen aliquod obiectum excedens multùm facultatem partis intellectiuæ, puta obiectum beatificum, vt clarè visum, posset poni habere totam causalitatem respectu visionis, aut principaliorem quàm pars intellectiua; & hoc propter excellentiam talis obiecti, & propter defectum partis intellectiuæ. Sed de hoc in quarto libro. De obiectis autem, quæ modò naturaliter cognoscimus, prima pars solutionis videtur esse vera. Videtur enim intelligibilium naturaliter à nobis intellectorum, species in intellectu esse, quasi instrumentum ipsius intellectus, non motum ab intellectu vt agat, quasi scilicet aliquid recipiat ab intellectu: sed quo intellectus vtitur ad suam actionem; vtputa quando intellectus agit, species illa, tanquam minus principale agens, coagit ad idem, vt ad effectum communem.

Dist. 49. q. 11. & in quodlib. 14. & 15.

COMMENTARIVS.

1\. Respondeo, quòd pars intellectiua, &c. Hic Doctor intendit probare per duas rationes, quòd intellectus sit principalior causa respectu intellectionis, quàm obiectum: & hoc loquendo de illis obiectis, quæ naturaliter à nobis cognoscuntur. Et prima ratio, quæ fundatur super hoc, quòd intellectus est causa illimitatior, & vniuersalior, quàm obiectum, patet in litera. Et similiter secunda ratio, quæ fundatur super hoc, quòd intellectu nostro agente ad intellectionem obiectum in se, vel in sua specie coagit, & non ècontra, patet.

Prima difficultas.

In ista tamen litera possunt occurrere aliquæ difficultates. Prima. Si Doctor tantùm intelligitur de obiectis, quæ mouent intellectum nostrum pro statu isto, nulla est difficultas: quia obiecta motiua intellectus nostri pro statu isto sunt tantùm sensibilia, vt suprà patuit. Sed si loquatur de intellectu ex natura potentiæ, tunc est difficultas, præsertim si comparetur ad naturam creatam perfectiorem ipso intellectu. Posito ergo, quòd essentia Angeli sit perfectè præsens intellectui nostro in ratione obiecti, an talis essentia sit principalior causa? Et videtur quòd sic: quia causalitas sequitur entitatẽ, & quantò entitas est perfectior, tantò causalitas erit perfectior. Cùm ergo essentia Angeli sit simpliciter perfectior intellectu nostro: ergo videtur, quòd sit causa principalior.

2\. *Responsio.*

Respondeo, quòd si principalitas causalitatis accipitur à perfectiori ratione causandi, essentia Angeli in ratione obiecti erit principalior causa. Si verò principalitas accipitur ratione maioris illimitationis, vel vniuersalitatis, intellectus erit causa principalior: quia partialiter potest concurrere ad cognitionem cuiuscunque obiecti: non sic essentia Angeli in ratione obiecti: vt patet. Si etiam principalitas in causa accipitur ex hoc, quòd vna agente, alia coagit, & non ècontra: posset dici, quòd intellectus est causa principalior: nam existente præsente essentia Angeli, intellectu causante cognitionem Angeli, essentia Angeli necessariò coagit intellectui, non autem ècontra: quia voluntas posset auertere intellectum ab essentia Angeli, & conuertere ad aliud obiectum. Sed quicquid sit de hoc, scilicet an voluntas possit impedire, siue auertere intellectum ab essentia Angeli ad aliud obiectum, prolixiùs habet videri *in 2. d. 9.*

3\. Secunda difficultas est de illo textu Aristotelis 2. de Anima, *text. com.* 55. *&* 60. quòd intelligimus cùm volumus: ait enim sic: *Ille autem, quia volens possibilis est considerare, nisi aliquid prohibeat exterius.* Est enim in facultate intellectus, habita specie intelligibili obiectum ipsum intelligere: sic quòd non indiget aliquo exteriori: non sic est de sensu, qui etsi habeat speciem sensibilem in organo, actu tamen sentire non potest, nisi obiectum sensibile fit in se præsens. Nec st intelligendum absolutè, quòd sit in facultate intellectus intelligere obiectum, vel non intelligere, posita præsentia obiecti in se, vel in aliquo repræsentatiuo: quia tunc Doctor contradiceret sibiipsi. Vult enim *in dist. 1. quæst.* 3. quòd intellectus necessariò assentiat obiecto præsenti: hoc idem *in q. 4. respondendo ad argumenta:* quòd intellectus, quantùm est ex se de necessitate assentit primis principiis, & conclusionibus propter illa: hoc idem vult *ibidem,* ponendo differentiam inter intellectum, & voluntatem, dicit quòd non est in potestate intellectus dissentire vero. Et *in d. 2. parte 2.* vult quòd intellectus, vt comparatur ad operationem propriam similiter agat per modum naturæ: & quod quantùm est ex se, necessariò sit contrariorum, & multa alia possent adduci. Non est ergo intelligenda illa auctoritas sic absolutè: quòd sit in facultate intellectus intellgere, & non intelligere, posita præsentia obiecti: sed sic debet intelligi: vel quòd intelligimus, cùm volumus: quia habita specie intelligibili possumus intelligere, absque præsentia obiecti exterioris: vel possumus intelligere cùm volumus propter libertatem voluntatis, quæ non tantùm potest sibi imperare, & potentiis sensitiuis: sed etiam potest imperare intellectui, vt vtatur modò vna specie intelligibili, modò vna alia: præhabita tamen cognitione obiecti, vt suprà patuit à Doctore, *in q. 6. præsentis d.* & hoc idem in *d. 9. secundi.* Sed hoc clariùs vide *in 2. d.* 42. & vide ibi, quæ prolixè exposui, *quæst.* 1.

Secunda difficultas.

Intellectus necessariò assentit obiecto præsenti.

Possumus intelligere cum volumus, quomodo hoc sit intelligendum.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta pro falsa parte quæstionis adducta, optimè explicans quomodo intellectus sit mouens motus, & an causa magis sibi assimilans effectum, sit principalior, & alia pulchra.

3\. *Ad arg. 1.* AD primum argumentum *, dico, quòd duplex est actus intellectus respectu obiectorum, quæ non sunt præsentia in se, qualia sunt illa, quæ modò naturaliter intelligimus. Primus actus est species, quâ obiectum est præsens, vt obiectum actu intelligibile. Secundus actus est ipsa intellectio actualis, & ad vtrumque agit intellectus, non motus

motus ab eo, quod est causa partialis, secum concurrens ad illam actionem, licèt vnum actum intellectus præcedat motio eius ad alium actum.

Ad primum autem actum agit intellectus agens cum phantasmate, & ibi intellectus agens est principalior causa quàm phantasma, & ambo integrant vnam totalem causam respectu speciei intelligibilis.

Ad secundum autem actum agit pars intellectiua, siue intellectus agens, siue possibilis, non curo modò, & species intelligibilis, sicut duæ partiales causæ, & ibi agit pars intellectiua non mota specie, sed priùs mouens, scilicet, agens vt species sibi coagat. Cùm igitur dicitur obiectum mouet non motum; dico, quòd in vtraque motione, obiectum est mouens secundarium, licèt non sit motum, id est, aliquid recipiens in se à principali siue priori mouente. Cùm dicis, quòd intellectus non mouet nisi motus: dico, quòd non mouet secunda motione nisi motus priori motione. Hæc igitur est comparatio duarum motionum intellectus: non autem duarum causarum partialium concurrentium in vna motione. Si autem compares causas partiales in vtraque motione: dico, quòd intellectus vtrobique mouet non motus à causa partiali concurrente in eadem motione. *Obiectum magis est mouens motum, quàm intellectus.*

Ad secundum argumentum [b] dico, quòd effectus formaliter magis assimilatur causæ proximæ inferiori, quàm remotæ, & principali & perfectiori, sicut apparet de filio respectu patris & Solis. Vnde illud argumentum est ad oppositum, quia probat quòd actus intelligendi sit ab obiecto, vt à causa proxima, quia magis sibi assimilatur formaliter: ita etiam species intelligibilis magis formaliter assimilatur phantasmati, quàm intellectui agenti: & tamen minùs principaliter est à phantasmate, quàm ab intellectu agente. *Ad 2.* *Causa magis sibi assimilans effectum est minus principalis, & quare.*

Contrà, cùm agens intendat assimilare sibi passum: quomodo principale agens non magis assimilat sibi formaliter?

4\. Respondeo, principalius agens, communiter est æquiuocum, & eminentius habet in se perfectionem effectus, quàm causa vniuoca: & ideò non magis assimilatur sibi formaliter, quia hoc esset imperfectionis in causa, sic assimilari effectui. Sed assimilat magis, hoc est, dat magis formam effectui, per quam sibi assimilatur æquiuocè, quàm det agens particulare, & ista assimilatio actiua est ex perfectione causæ, licèt non sit magis assimilatio formaliter. Similiter causa perfectior magis assimilat effectum ei, cui est assimilabilis, quàm imperfectior. Magis enim causat effectum, qualis est causabilis, & assimilabilis: assimilabilis autem est effectus formaliter causæ propinquæ: ideò ipsa causa remotior magis assimilat effectiuè ipsum effectum causæ proximæ, quàm ipsamet causa proxima sibi. Quòd enim formaliter filius est similis patri, hoc magis est à causa remota assimilante filium patri effectiuè, quàm ab ista causa propinqua: quia quæ plus dat formam, qua assimilatur, plus dat effectiuè assimilationem.

Ad tertium dico; quòd vnitas scientiæ assignatur penes obiectum, quia illud est penes quod scientiæ distinguuntur, non penes intellectum: quia intellectus vnus est respectu omnium scientiarum, & hoc modo distinguendo scientias, illa est vna, quæ est vnius subiecti primi quatenus obiectum primum habet continere scientiam illam virtualiter: sed hoc non est nisi vt causa partialis. Præter enim hæc, intellectus est alia causa partialis continens illam: non est igitur aliud reducere scientiam ad obiectum primum, quàm in altera causa partiali, habente in suo genere ordinem essentialem, reducere ad primum ibi simpliciter, & ab ipso assignare vnitatem effectus inquantùm effectus est ab eo. Sed cùm hoc stat, quòd multò perfectiùs contineatur in reliqua causa partiali. *Ad 3.* *Vt inquit Aristot. 1. Post. text. comm. 43. Vnde desumenda vnitas scientiæ. vide in prolog. q. 3. q. 2. later.*

COMMENTARIVS.

a AD primum argumentum. Respondet Doctor, & responsio stat in hoc. Quia intellectus respectu obiectorum, quæ non sunt in se præsentia, duplicem actum habet, scilicet speciem intelligibilem, & actum intelligendi: & respectu vtriusque actus est principalior causa. De specie intelligibili patet: quæ causatur à phantasmate, & ab intellectu agente, qui intellectus agens est principalior causa: similiter respectu actus intelligendi, & respectu vtriusque actus non dicitur moueri ab obiecto: sic intelligendo, quòd in actione sua dependeat ab obiecto. Et quando dicitur, quòd intellectus non mouet nisi motus: sic exponitur: quòd non potest mouere ad actum secundum, causando illum partialiter: nisi priùs sit motus ad actum primum, scilicet recipiendo speciem intelligibilem, per quam obiectum est præsens: in vtraque tamen motione semper est principalior causa. Et quod dicit, quòd obiectum mouet non motum, sic intelligitur: quòd licèt sit partialis causa speciei intelligibilis, & quantùm ad hoc moueat: quia tamen illam non recipit, nec similiter actum intelligendi, ideò non dicitur moueri. *Quomodo intellectus non mouet nisi motus.*

b *Ad secundum.* Respondet primò quòd argumentum est magis ad oppositum: quia effectus magis

magis assimilantur causæ proximæ, & minùs principali, quàm causæ remotæ, & magis principali: vt patet de homine producto ab alio homine, à Sole, & à Deo: & sic actus intelligendi magis assimilatur obiecto, vt causæ proximæ, & minùs principali.

Duplex est assimilatio. Dat aliam responsionem, dicens quòd duplex est assimilatio, scilicet æquiuoca & vniuoca: loquendo de assimilatione æquiuoca, principalior causa magis assimilat æquiuocè: quia perfectiùs concurrit ad effectum, & magis ad formam, qua effectus assimilatur sibi æquiuocè, non autem vniuocè: quia hoc esset imperfectionis in causa prima, si assimilaret effectum sibi vniuocè: quia tunc non esset simpliciter perfectior suo effectu. Dicit etiam vnum notabile, quòd loquendo de assimilatione vniuoca, principalior causa magis assimilat effectum formaliter, & vniuocè non sibi, sed causæ proximæ: quia magis, & perfectiùs dat formam, & entitatem, qua effectus est similis vniuocè causæ proximæ, quàm ipsa causa proxima det.

Tertium argumentum cum sua responsione patet hîc, & ex dictis suprà, *in fine, quæst. præcedentis*, vbi aliqualiter exposui de vnitate scientiæ, quomodo ab obiecto dicatur vna.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm in mente sit imago Trinitatis?

Alensis 1. *p.q.*61.*membr.*3. D. Thom. 1. *p.q.*93. *art.*5.6.*& per totum.* Richardus *hîc art.*1.*q.*1.*&* 2.*& art.*3. *q.*1. D. Bonauen. 2.*p.art.*1.*q.*1.*& art.*2.*per totum.* Durandus 2.*p.q.*1. Bachon *q.*3. Scot. *in prolog. Met.*

1. *Arg.* 1. VLTIMÒ circa istam partem distinctionis. Quæro vtrùm in mente sit distinctè imago Trinitatis? Quòd non, arguo. Quia imago repræsentat illud distinctè, cuius est imago: igitur mens distinctè repræsentat Trinitatem. Hoc est falsum. Probatio; tum, quia tunc naturali ratione posset concludi Trinitas ex mente naturaliter notâ; tùm, quia nulla creatura in repræsentando excedit perfectionem suæ ideæ: idea autem mentis non repræsentat Deum inquantùm trinus: quia idea est Dei, inquantum est causa, & est causa inquantùm vnus.

Arg. 2. Item, nihil in mente plus repræsentat vnam personam quàm aliam personam: ergo nec tota mens repræsentat totam Trinitatem. Probatio antecedentis, 15. de Trin. cap. 7. *Pater est memoria, intelligentia, & voluntas*, &c. ergo Pater ita formaliter est intelligentia, & voluntas sicut memoria, & Filius similiter: igitur memoria non magis distinctè repræsentat Patrem, quàm Filium.

Arg. 3. Item tertiò, in Trinitate duæ personæ sunt productæ: in imagine autem nihil est productum, vt probabo: ergo non est repræsentatiua productionis. Probatio assumpti, in anima non sunt nisi actus primi, vel secundi: actus primi non sunt originati à se inuicem, quia sunt creati ipsi animæ: nec actus secundi sunt originati. Probatio, quia actionis non

Text. 10. est actio, nec vt subiecti, nec vt termini, 5. *Physicorum*: quia tunc esset processus in infinitum: istorum igitur actuum, vt terminorum, non est actio, quia sunt formaliter actiones. Probatio, siue enim actus secundi, & non primi: sed si non essent actiones, essent actus primi.

Item, ex ipsis generatur habitus: actio, qua generatur aliqua forma, est actio de genere actionis: igitur isti actus secundi sunt actiones de genere actionis.

Ratio ad opp. Ad oppositum Augustinus 14. de Trin. cap. 8. *Ibi quærenda est imago, & est inuenienda, quo etiam natura nostra nihil habet melius.*

COMMENTARIVS.

1. TITVLVS quæstionis sic debet intelligi: *An in anima intellectiua sint aliqua quæ distinctè repræsentent Trinitatem*, id est, ex quo Trinitas dicit vnitatem essentiæ, distinctionem personarum, & originationem vnius personæ ab alia, an in anima intellectiua ista tria possint reperiri, scilicet vnitas essentiæ, & realis distinctio inter aliqua tria, quæ repræsentant Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, & verè sit originatio vnius ab alio.

2. Primò arguit sic: *Imago repræsentat illud distinctè, &c. quia idea est Dei inquantum est causa*: quia idea est ratio æterna in mente diuina; secundùm quam aliquid est formabile extrà, vt secundùm propriã, vt infrà patebit, *dist.* 35. idea ergo vt idea, respicit causabile à Deo: sed Deus non est causa, nisi inquantum vnus, cùm ratio formalis causandi sit tantùm voluntas diuina, vt patet ex Doctore *in* 2.*d.*2. *q.*1. *& quodl.*9.8. imò causare primò conuenit Deo vt est hic Deus, non vt est in tribus suppositis; si enim illa supposita non essent, adhuc perfectissima ratio causandi esset in eo, vt patet infrà *dist.*4.*q.*2.*& in* 2.*dist.*1.*q.*1. Secundum argumentum patet.

Tertium stat in hoc: quia si in mente est imago Trinitatis, ergo est ibi aliquod productum: sed nihil est ibi productum, quia actus secundi non sunt ibi producti: patet, quia actionis non est actio, nec vt subiecti, nec vt termini, vt dicit Aristoteles 5. *Physic. text. comm.* 10. qui sic ait: *Neque in agere & pati est motus; neque motoris aut moti: quoniam motus non habet motum; neque generatio habet generationem; & vniuersaliter neque transmutatio* 3.

transmutatio transmutationem. Et ibi Commentator: *Actio, inquit, & passio non habent motus, neque motoris & moti, neque generati generantis, & vniuersaliter transmutantis & transmutati, quoniam motus non habet motum; neque transmutatio habet transmutationem vniuersaliter.* Hæc ille.& in textu sequenti dicit Aristoteles expresse quòd *motus non habet motum, vt subiectum, neque vt transmutando aliquid.* vide ibi.

4. Dico ergo quòd actionis non est actio, neque vt termini, quia vna actio de genere Actionis non potest esse terminus productus ab alia actione, quia tunc quærerem de illa producente si esset producibilis, aut non. Si primò, ergo mediante alia actione, & sic processus in infinitũ. Similiter si aliqua actio potest produci, ergo alia actione producitur, & quæro de illa alia, &c. Item actionis nõ est actio vt subiecti, quia vna actio non est subiectum alterius: cùm ergo actus secundi, scilicet intellectio & volitio sint formaliter actiones: ergo nõ sunt productæ, quia si essent productæ, tunc essent termini actionum, & sic actionis esset actio.

SCHOLIVM.

Positis rationibus pro parte falsa, declarat rationem imaginis, & in quo differt à vestigio, de quo suprà quæst. 5. Item officium eius, nempe repræsentare Trinitatem personarum, vnitatem naturæ, & ordinem originis.

HIc primò videndum est, quid sit ratio imaginis in corporalibus, vnde translatum est vocabulum ad propositum. Secundò, respectu cuius in Trinitate sit imago. Tertiò, in quo in nobis est imago. 2.

Quantùm ad primum, sicut dictum est in quæstione de vestigio, dico quòd imago est repræsentatiuũ totius: & in hoc differt à vestigio, quod est repræsentatiuũ partis. Si enim totum corpus esset impressum pulueri, sicut pes est impressus, illud derelictum esset imago totius, sicut istud est imago partis, & vestigium totius: sed ista cõformitas expressiua totius, non sufficit, sed requiritur imitatio; quia secundùm August. 83. q. q. 74. *Quantumcumque duo oua sunt similia, vnm non est imago alterius, quia non est natum imitari ipsum.* & ideò requiritur, quòd imago nata sit imitari ipsum cuius est imago, & exprimere illud.

Vestigium ab imagine differt. suprà q. 5.

De secundo, sciendum, quòd cùm conceptus vnius personæ in intellectu nostro, sit partialis respectu conceptus Trinitatis, illa creatura, quæ ducet nos in cognitionem Trinitatis, per modum imaginis repræsentabit Trinitatem quantùm ad illum conceptum, quem intellectus noster potest habere de ea, repræsentabit igitur distinctionem trium personarum, vnitatem essentiæ, & ordinem originis; quia illa distinctio realis in diuinis est per originem: habebit etiam imitationem essentialem ad ipsam Trinitatem, quam repræsentat.

COMMENTARIVS.

5. *HIc primò videndum est quid sit ratio imaginis in corporibus.* Dicit Doctor quòd imago in corporibus dicitur esse repræsentatiua totius immediatè: sicut si totum corpus esset impressum pulueri, illud repræsentatiuum derelictum in puluere diceretur imago illius corporis: quia totum distinctè repræsentaret: est ergo imago in corporibus similitudo totius. Et addit, quòd etiam requiritur imitatio: quia non sequitur: hoc est simile huic: ergo est imago illius, vt patet de duobus ouis omnino similibus: requiritur ergo imitatio, ita quòd illud, quod dicitur imago, verè imitetur imaginatum: quæ imitatio dicit dependentiam essentialem imaginis ad imaginatum, vel causati ad causam, vel mensurati ad mensuram: vel vt participati ad imparticipatum: nisi enim diceret ordinem, & essentialem dependentiam ad imaginatum, non diceretur imago propriè. In imagine ergo Trinitatis creata requiritur, quòd talis imago sit similitudo totius Trinitatis: & cum hoc dicat veram imitationem ad totam Trinitatem.

Imago in corporibus est similitudo totius.

6. *De secundo sciendum, &c.* Pro intelligentia huius literæ nota, quòd esse partem alicuius contingit dupliciter. Primò propriè, sicut caput est pars hominis. Secundò impropriè, scilicet pro conceptu de aliqua re formato, non complectente totam entitatem rei: sicut conceptus animalis in homine: vel conceptus intellectus possibilis de intellectu absolutè: & sicut intellectus possibilis sic conceptus, potest dici pars intellectus, vt intellectus comprehendit agentem, & possibilem, quamuis non sit verè pars: sic in Trinitate accipitur ratio partis, & ratio totius impropriè: non enim Trinitas est quoddam totum propriè constitutum ex partibus, cùm in Deo non sit pars: sed in conceptu potest dici pars Trinitatis: & ipsa Trinitas potest dici quoddam totum. Dicit ergo Doctor quòd cùm conceptus vnius personæ in intellectu nostro sit partialis respectu conceptus Trinitatis: illa creatura, quæ ducet nos in cognitionem Trinitatis per modum imaginis repræsentabilis Trinitatem quantùm ad illum conceptum, quem intellectus noster potest habere de ea: & dicit *per modum imaginis:* quia non sequitur: aliquid ducit nos in cognitionem Trinitatis: ergo erit imago Trinitatis. Quia species intelligibilis impressa in intellectu Angelico repræsentans Deum sub ratione obiecti intelligibilis ducit intellectum Angeli in cognitionem Trinitatis, vt patet à Doctore *in 2. d. 3. quæst. 9.* & tamen non est imago Trinitatis. Et similiter visio Beatorum ducit in cognitionem Trinitatis: & tamen non est imago. Ad hoc ergo, vt aliquid dicatur imago, oportet quòd ducat nos in cognitionem Trinitatis per modum imaginis: ita quòd illud sit repræsentatiuum vnitatis essentiæ, Trinitatis personarum, & originationis vnius personæ ab alia: & hoc semper cum imitatione essentiali ad ipsam Trinitatem, quam repræsentat.

Esse partem alicuius dupliciter contingit.

Ad hoc vt aliquid dicatur imago.

SCHOLIVM.

Declarat perspicuè ad mentem Augustini quomodo ratio imaginis Trinitatis consistit in anima, quatenus est fœcunda ad gignendum & spirandum, & sic habet rationem parentis perfectè; & quatenus est receptiua notitia genita, & amoris spirati, expedit duo dubia. Primum, quomodo anima nostra non sit potius imago quaternitatis. Secundum, quomodo saluatur ratio originis in imagine nostra.

3. DE tertio [a], primò videndum est de illis, quæ sunt manifesta esse in mente. Secundò, in quibus non consistit imago. Tertiò, in quibus consistit. Quantùm ad primum, experimur in nobis esse actum intellectionis, & actum volitionis: istos actus aliquo modo esse in potestate nostra, quando obiectum est præsens: ergo oportet in nobis ponere aliquo modo principia actiua ad istos actus, & potentias, quibus sumus potentes respectu istorum actuum: non potest autem idem (sub eadem ratione formali) esse principium istorum duorum actuum secundorum: quia isti actus secundi requirunt oppositam rationem principiandi in suis principiis: ergo oportet habere aliquam distinctionem actuum primorum, & hoc proportionaliter correspondentem distinctioni actuum secundorum.

Vide dist. 1.3. de potentijs animæ pro hoc & dist. 16. 2. De secundo [b] in isto articulo, dico quòd nec in actibus primis solùm, nec in actibus secundis solùm, est imago. Quod apparet dupliciter. Primò, quia hi sunt duo tantùm, & illi duo tantùm: ergo tantùm esset imago dualitatis, non trinitatis. Secundò, quia in primis actibus, licèt sit ibi cõsubstantialitas: non tamen est ibi distinctio realis rei & rei, nec ordo originis. In actibus secundis etiã, licèt sit distinctio & origo aliquo modo, non cõsubstantialitas. Ex his sequitur [c] tertium, quòd imago consistit in actibus primis & secundis simul. & hoc intelligo sic: anima habet in se aliquam perfectionem, secundùm quam formaliter est actus primus respectu notitiæ genitæ, & habet in se aliã perfectionem, secundùm quam recipit formaliter notitiam genitam, & habet in se aliam perfectionem, secundùm quam recipit formaliter volitionem. Istæ tres perfectiones dicuntur memoria, intelligentia, & voluntas, vel anima inquantũ habet ipsas. Anima igitur inquantum habens actũ primum totalẽ respectu intellectionis, scilicet, anima vel aliquid animæ, & obiectũ sibi præsens in ratione intelligibilis, dicitur memoria, & hoc memoria perfecta, includendo tam intellectum, quàm illud, quo obiectũ est sibi præsens. Ipsa etiam eadem anima, inquantũ recipit notitiam genitã, dicitur intelligentia, & intelligentia perfecta, vt est sub illa notitia genita. Voluntas etiam dicitur perfecta inquãtum est sub illo actu perfecto volendi Accipiendo igitur ista tria ex parte animæ, vt sunt sub tribus actibus suis, in istis, inquam, tribus, est cõsubstantialitas, ratione illarũ trium realitatũ, quæ sunt ex parte animæ: sed est distinctio, & *De his vide 15.q.quodl.* origo, ratione istarũ actualitatum receptarũ in anima, secundùm istas realitates in anima.

4. Sed hic occurrunt [d] duo dubia. Primum, quia tunc videtur esse quaternitas in imagine Nam actus primus respectu volitionis, non concurrit cum aliquo trium in imagine: non cum tertia parte patet, quia idem non est principium sui: nec cum secunda, manifestum est, quia actualis notitia non est voluntas: non etiam cum prima, quia memoria dicit propriè principium productiuum notitiæ genitæ; non volitionis: ergo voluntas erit quartum cum istis. Secundum dubium, quia non videtur hic saluari ordo originis sicut est in diuinis: ibi enim prima persona originat secundam, & duæ tertiam: hæc prima pars imaginis nostræ est causa secundæ, sed nec prima, nec secunda est causa tertiæ: ergo.

Ad primum dico, quòd imago potest dupliciter assignari, secundùm quòd eam dupliciter assignat Augustinus: vno modo 9. *de Trin.* c.4. & deinceps, *mens, notitia & amor.* Alio modo, sicut eam assignat 10. *de Trin* c. 10. & deinceps, *memoria, intelligentia & voluntas,* & de ista duplici assignatione imaginis loquens Augustin. 15. *de Trin.c.*2. dicit quòd illa quæ posita est in 10. est euidentior. Dico igitur primò pertractando primã assignationem, quòd per mentem possumus intelligere actum primum perfectum respectu vtriusque actus secundi, scilicet fœcunditatem ad gignendum, & ad spirandum. & hoc modo mens habet *Si Pater nõ esset à se fœcundus, nullo modo fœcundus esset.* rationẽ perfectè parentis, quia includit perfectè vtramque fœcunditatem, & tunc illa alia duo, scilicet amor & notitia, sunt duo producta ab anima, licèt ordine quodã: & tunc non erit quaternitas: quia in parente habente perfectam rationẽ parentis, concurrit actus primus duplex. & isto modo est in diuinis, quia in Patre non solùm est fœcunditas ad generandum, sed ad spirandũ, & hoc à se: quia si Pater non haberet fœcunditatẽ à se ad spirandum, sed haberet eam derelictã sibi ex productione Filij sicut quidam dicunt, sequ tur (vt *Henr. quodlib.6.q.2. De hoc suprà d.1.q.2.* videtur) hoc impossibile, quòd Pater nunquã haberet illam fœcunditatem. Nullam enim realitatem siue absolutã, siue relatiuam habet Pater aliquo modo per productionẽ, quam antè non habuit, & ideò quamcumque realitatem non habet in primo signo originis, inquantũ, scilicet præintelligitur ordine originis Filio, illã nunquam habebit: igitur si illam fœcunditatem duplicẽ non habet in se in isto primo signo originis, nunquã habebit illam.

Si

Si autem mens accipiatur præcisè, vt actus primus, habens solummodò fœcunditatem respectu notitiæ genitæ; hoc modo imperfectè assignatur imago, quia hoc modo mens non habet rationem parentis perfectè. Ita dico de alia assignatione: quòd si memoria accipiatur præcisè pro parente respectu notitiæ genitæ, est imperfectè parens: parens autem perfectè, non tantùm habet rationem vnde generet, sed vnde spiret, quia non potest illud habere ab alio, & oportet illud habere in toto; & ideò oportet, vt habeatur in parente à se. Si autem accipiatur memoria pro tota anima, vt habet habitualiter in actu primo fœcunditatem istam duplicem; hoc modo habet perfectè rationem parentis. Sed licèt memoria sit euidentior parens, sicut oportet concedere propter verba Augustini 15.*de Trinitate,cap.*3. Quatenus, scilicet magis exprimit habitudinem gignentis ad genitum, quàm mens: tamen mens nostra videtur perfectiùs importare rationem parentis, si accipiatur, vt includit vtramque fœcunditatem. Breuiter ergo quomodocunque assignatur Trinitas in imagine, vel sic, vel sic, non est quaternitas,quia duplex concurrit habitudo fœcunditatis in parente, si est perfectè parens. 5.

Ad secundum [e] dico, quòd in nobis in hoc non potest esse similitudo imaginis ad Prototypum: notitia enim genita in imagine creata, accidens quoddam est, cui non communicatur fœcunditas illa ad producendum amorem, quâ formaliter est aliquid productiuum dilectionis. Accidens enim tale, non est natum esse formaliter intelligens vel volens: & ideò memoria gignens notitiam actualem, accipiendo memoriam, vt est perfectè gignens, non potest communicare genito illam perfectam fœcunditatem, quam priùs habuit: quia non communicat sibi eandem naturam, sed producit eam æquiuocè in alia natura. Pater autem generans Filium, communicat ei eandem naturam, & eandem fœcunditatem spirandi amorem, quæ non intelligitur in generatione Filij habere terminum adæquatum: & ideò Filius eandem fœcunditatem habens, potest producere sicut Pater. Patet igitur ratio, quare non potest ista productio saluari in partibus imaginis creatæ, sicut in personis Trinitatis; quia non potest esse eadem fœcunditas in duabus primis partibus imaginis: potest esse autem, & est in duabus personis respectu tertiæ. Similiter si notitia genita esset alicuius productiua aliquo modo, hoc non esset nisi per modum naturæ, & non liberè. 6.

Quare nostra notitia genita non producit amorem, sicut notitia genita Dei.

Est tamen [f] hîc aliquis ordo inter secundam partem imaginis, & tertiam, quia tertia præsupponit secundam naturaliter, licèt non sit ab ea. Etiam illud August. 15. de Trinit. cap. 27. *Velut parentem, & prolem tertiâ voluntate, siue dilectione iungente, quam quidem voluntatem de cognitione procedere nullus ambigit*, & subdit statim, & exponit quomodo intelligat; *nemo enim vult quòd omnino quid, vel quale sit, nesciat, non tamen esse cognitionis imaginem, &c* Patet igitur, quòd istum ordinem originis præcisè ponit propter naturalem ordinem volitionis ad intellectionem, non autem, quòd intellectio sit causa respectu volitionis. Patet igitur secundùm intentionem Augustini quòd *voluntatem*, secundùm quòd est tertia pars imaginis, accipit ibi pro actu volendi, sicut hîc accipit, cùm subdit, *quam voluntatem procedere*, &c. Quod non est verum de voluntate, vt est potentia: sed si verum sit, hoc est de actu volendi.

Alij tenent amorem effici à notitia, de quo Scot. 2.d.25.

Vlteriùs [g] in speciali, cùm omnia ista prædicta reperiantur in intellectu, vel in mente respectu cuiuscunque obiecti; notandum est, quòd perfectissima, & vltima ratio imaginis est, quando ista concurrunt in mente respectu Dei, vt obiecti; quia tunc anima non habet tantùm similitudinem expressiuam, quantùm ad prædicta ex ratione eorum in se, sed ea etiam ratione, qua actus ipsi conformantur obiecto. Est enim actus verè similitudo obiecti, sicut dictum est in præcedenti quæstione; & ideò quando isti actus sic sunt in mente, quòd non tantùm habent substantialitatem, & similitudinem, distinctionem, & originem: sed etiam habent vlteriorem assimilationem ad Deum, ex ratione obiecti circa quod sunt, est perfectior similitudo: minùs autem perfecta, quando anima habet se pro obiecto; quia, licèt tunc non habeatur similitudo ab ipso Deo immediatè tanquam ab ipso obiecto proximo, habetur tamen aliqualiter inquantum in mente, vt in imagine cognoscitur Deus. Et istam duplicem Trinitatem assignat Augustinus, illam quæ est respectu Dei. 12. de Trinit. cap. 4. dicens: *In eo solo, quòd ad contemplationem pertinet æternorum, non solùm est Trinitas, sed etiam imago Dei. In hoc autem, quod deriuatum est in actione temporalium, etiamsi Trinitas possit, non tamen imago Dei inueniri potest.* Hoc intelligendum est de expressiua imagine, quantùm ad summam expressionem, siue similitudinem. de eadem etiam 15. de Trinit. c. 20. *Vnde potest sempiterna atque immutabilis natura recoli, conspici, concupisci*, &c. *Profectò reperit summæ Trinitatis imaginem, ad quam reminiscendam, videndam, diligendam totum debet referri, quod viuit.* De alia imagine loquitur 14. de Trinit. cap. 8. *Ecce*, inquit, *mens meminit sui, intelligit se, diligit se, hoc si cernimus,* 7.

Secundum August. in anima vt intelligit & amat inferiora se est imago imperfecta, vt intelligit & amat se perfecta, vt intelligit & amat Deum perfectissima.

cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed iam imaginem Dei.

Ista autem secunda auctoritas videtur contradicere primæ, nisi intelligitur modo prædicto. & tunc patet quomodo respectu omnium obiectorum inferiorum à mente, non ponit imaginem in mente, quia nullum aliud obiectum est imago Dei, respectu cuius potissimè, & respectu imitationis eius secundariò, est imago in mente, quantùm ad illam similitudinem, quæ habetur ab obiecto.

8. Ex istis apparet corollariè quare in parte sensitiua non est imago. primò, quia ibi non est consubstantialitas operantium, siue totorum illorum * sumptorum cum suis operationibus; quia principium sentiendi non tantùm est aliquid animæ, sed totum compositum ex anima, & parte corporis sic mixta, quod est totum organum. Similiter principium appetendi appetitus sensitiui, non est aliquid animæ tantùm, sed similiter est compositum. Ista autem duo, quorum sunt istæ operationes, non sunt consubstantialia; quia licèt istæ potentiæ animæ sint in eadem essentia, & fortasse idem essentiæ animæ, non tamen totales causæ operationis, puta tota ipsa organa; quia partes corporis non sunt consubstantiales, nec inter se, nec potentiis animæ. Similiter in parte sensitiua non est duplex modus originandi; quia sicut sensus naturaliter sentit, ita appetitus sensitiuus naturaliter appetit. Vnde secundùm Ioannem Damascenum lib. 2. bruta in suis actionibus non agunt, sed aguntur.

* al. *assignatorum.* *Quare in parte sensitiua non est imago.* Cap. 29.

9. Ad primum [h] argumentum principale, concedo, quòd quælibet essentia creata, inquantum hæc essentia producta, secundùm talem ideam, non repræsentat Deum sub ratione trini, sed sub ratione vnius, quia non causatur nec ideatur à Deo sub ratione trini, sed sub ratione vnius. Sed tamen aliqua natura ratione essentiæ suæ, & multorum concurrentium in ea, tanquam vnum aggregatum, potest esse repræsentatiuum Trinitatis & eorum, quæ apprehenduntur in Trinitate: tale quid est mens accepta in se, & cum operibus suis, quia ibi est vnitas, & distinctio, & ordo originalis: tale autem etiam, quantùm ad talem concursum, nihil est, quod sit inferius mente, sicut patuit in parte sensitiua. Sed cùm arguitur, quòd si esset imago, posset Trinitas cognosci per cognitionem mentis.

Arg. 1. Imago Trinitatis in mentem deseruit tantùm credẽtibus, vnde ex mentis cognitione non cognoscitur.

Ad 2. Respondeo, ista concurrentia in mente valent credenti Trinitatem ad perscrutandum, & persuadendum, quomodo possit esse: non autem non credenti concludunt eam esse, quia tota ista aggregatio plurium in mente, in quibus consistit imago, posset esse, & est in vna persona: & ideò ex ipsa non potest demonstratiuè concludi, ipsam esse imaginem Trinitatis. De hoc August. 15. de Trinit. cap. 24. *Qui vident suam mentem, & in ea trinitatem istam, nec tamen credunt eam esse imaginem Dei, speculum quidem vident, sed non vident per speculum, cùm nec ipsum, quod vident, sciant esse speculum:* qualiter autem valeat deductio ad ostendendum tres personas ex ratione intellectus, & voluntatis in diuinis, dictum fuit *distinctione 2. quæst.* 4. de duabus productionibus.

Henric. quodlib. 6. quæst. 2.

Ad secundum dico, quòd illud argumentum videretur efficax, si poneretur Patrem gignere inquantum intelligit, sicut ponit vna opinio superiùs improbata *secunda dist. quæst. prædicta,* quæ ponit actualem notitiam Patris habere aliquo modo rationem producentis respectu gignitionis Filij, & rationem formalem principij productiui. Sed secundùm aliam viam, quam ibi tenui, quòd Pater inquantùm habet essentiam sibi præsentem sub ratione actu intelligibilis, quod conuenit Patri inquantum est memoria: hoc modo Pater gignit, non autem inquantùm intelligens, sicut ibi fuit declaratum: tunc falsum est antecedens, quia memoria magis repræsentat Patrem, quàm filium, non quo ad hoc, quòd sola memoria sit in Patre, & sola intelligentia sit in filio: sed quo ad hoc, quòd Pater gignit filium inquantùm Pater, habet rationem memoriæ, non autem, vt Pater habet rationem intelligentiæ, vel voluntatis.

10. Ad tertium [i] dico, quòd actus secundi sunt producti. cùm probas per Philos. 5. *Physic.* argumentum est pro me: cùm enim actio non sit terminus actionis, & ista verè terminat actionem: sicut August. dicit 9. de Trin. cap. vlt. *quòd notitia gignitur verè, & volitio procedit*, vt dicit. 15. *de Trin. cap.* 28. ergo ista non sunt actiones de genere Actionis, sed sunt formæ absolutæ de genere Qualitatis. Cùm probas, quòd sunt actiones propriæ, quia sunt actus secundi: Dico, quòd quædam formæ habent *esse* fixum non dependens continuè à sua causa quasi in *fieri*, sicut calor in ligno: quædam habent quasi continuam dependentiam ad suam causam, sicut lumen in medio ad Solem. Et hoc dicit August. 8. super Gen. ad litteram, dicens, *quòd aër non est factus lucidus, sed fit lucidus.*

Ad. 3. Intellectio est forma absoluta nõ actio. Cap. 19.

Primæ formæ propter suam independentiam in *esse*, non habent rationem actionis nec

nec motus. Secundæ, propter continuam suam dependentiam, magis videntur habere esse in *fieri*, quàm in *facto esse*. & ita habent *esse*: quia semper dum sunt, æquè causantur, sicut in primo instanti, quando incipiunt esse: & ideò causa cessante causare, istæ formæ cessant esse. Non tamen ex hoc sequitur, quòd sunt actiones de genere actionis: sed oppositum, quia sunt termini talium actionum.

Operationes vitales continuè dependent à sua causa.

11.

Hoc secundo modo se habet intellectio, quia ipsa est in continua dependentia ad præsentiam suæ causæ, quia aliter non haberet *esse*, sicut patet per August. 11 *de Trinit. c. 3.* Cùm autem cogitantis acies auersa inde fuerit, nihil formæ, quæ impressa erat in eadem acie, remanebit. Non enim manet actus intelligentiæ absque tali præsentia causæ, quasi continuè influentis. Sed istud solùm non concludit ipsam esse actum secundum; ita enim poneretur lumen in medio esse actus secundus. & ideò cum ista est alia conditio vlterior, videlicet, quòd istæ formæ de ratione sui transeant in aliquid, vt in terminum, & hoc siue illud aliud sit intrà operans, siue extrà, non curo: non est enim intelligibile quòd sit intellectio, & volitio, & quòd non sit alicuius termini. Hoc autem conuenit actioni propriè dictæ, vt transeat in aliquid, vt in terminum Propter istas igitur duas conditiones concurrentes in istis formis, dicuntur istæ formæ esse actus secundi, cùm verè sint formæ manentes.

Intellectio & volitio, dicuntur actiones, quia dependent continuè à suis causis, & quia tendũt in aliquid vt in terminum attingentia.

Ad aliam probationem, cùm dicitur, quòd actus talis est generatiuus habitus Respondeo, argumentum est in oppositum, quia actio de genere actionis, non potest esse eiusdem rationis, nisi termini sint eiusdem rationis; sicut calefactio non est eiusdem rationis, nisi calor terminans sit eiusdem rationis; ergo si actus generaret habitum, vt actio de genere actionis terminata ad habitum vt ad terminum, non posset esse actio eiusdem rationis cum altera, nisi illa alia esset per se generatiua habitus. imò contradictio videretur, quòd esset actus eiusdem rationis, & non alicuius termini, quia non potest esse actio de genere actionis, nisi sit alicuius termini. nunc autem aliquis actus intellectionis vel volitionis, potest esse eiusdem rationis, licèt non sit alicuius termini producti: ergo actus iste non est generatiuus vt actio, sed vt forma, qua formaliter generatur iste habitus. Tunc dico breuiter, quòd actus est generatiuus habitus, sicut forma aliqua est causa, vel ratio causandi aliam formam: sicut lumen Solis in medio, est ratio gignendi ibi calorem. Non est autem talis actus gignitiuus, vt actio, sed tali actione gignitur tam actus quàm proprius habitus, vt terminus talis actionis. & ad significandum gignitionem talem, quæ est actio de genere actionis, dicimus potentiam elicere actum intelligendi.

COMMENTARIVS.

7. a DE *tertio*, scilicet in quibus consistat imago in nobis. Et declarat tria in isto articulo. Primum est de his, quæ manifesta sunt in nobis. Secundum, in quibus non consistit imago. Tertium, in quibus consistit.

Primum ibi: *Quantum ad primum.* Hîc ostendit quomodo notum est nobis per experientiam habere actum intelligendi, & actum volendi: qui actus sunt aliquo modo in potestate nostra, quando obiectum est præsens: & si sic, oportet ponere in nobis aliquo modo principia actiua, & potentias, quibus sumus potentes respectu ipsorum actuum: aliter non essent in potestate nostra: vt suprà patuit *quæst. 7. præsentis dist.* arguendo contra opinionem Goffredi. Et addit, quòd eadem potentia sub eadem ratione formali non potest esse principium actus intelligendi, & actus volendi, propter oppositos modos principiandi: quia actus volendi causatur per modum libertatis, & actus intelligendi per modum naturæ: qui modi sunt repugnantes, vt suprà vidimus *dist. 2. parte 2.* experimur ergo in nobis actum intelligendi, & potentiam intellectiuam, quæ est principium actus intelligendi: experimur etiam actum volendi, & potentiam volitiuam, quæ est principium elicitiuum actus volendi.

8. b *De secundo in isto articulo.* Hîc Doctor ostendit in quibus non consistit imago. Consistit enim imago in his, quæ experimur in nobis: experimur autem duos actus primos, scilicet intellectum, & voluntatem, & dicuntur actus primi, quia sunt principia operationis. Experimur etiam in genere duos actus secundos, scilicet actum intelligendi, & actum volendi: qui dicuntur actus secundi, quia sunt operationes productæ ab actibus primis. Dicit ergo, quòd imago Trinitatis non consistit in solis actibus primis, scilicet in intellectu, & voluntate: tum, cùm sint tantùm duo, non repræsentarent Trinitatem, sed magis dualitatem. tum, quia etsi inter intellectum, & voluntatem sit consubstantialitas, & realis identitas, vt subtiliter probat Doctor in 1. *dist.* 16. non tamen inter illas est distinctio realis, quæ requiritur in Trinitate; nec ordo originis: quia nec intellectus originatur à voluntate, nec è contra. Nec est imago in solis actibus secundis, puta in actu intelligendi, & in actu volendi: tum, quia tantùm repræsentarent dualitatem: tum, quia inter illos non est consubstantialitas, vt patet.

c *Ex his sequitur tertium.* Hîc Doctor dicit, quòd imago consistit simul in actibus primis, & in actibus secundis, id est, quòd imago simul comprehendit intellectum, & voluntatem: actum intelligendi, & actum volendi. Et expono istam literam. Cùm dicit: *Anima habet in se aliquam perfectionem, secundùm quam formaliter est actus primus* 9.

In quibus consistit imago.

respectu notitiæ genitæ; quia habet in se formaliter intellectum, qui dicitur actus primus, siue principium notitiæ genitæ, & habet in se aliam perfectionem, secundùm quam recipit formaliter notitiam genitam, & illa perfectio est intellectus possibilis, secundùm quem anima recipit notitiam genitam: quia intellectus possibilis est ratio formalis recipiendi illam.

Obiectio. Si dicatur, quòd intellectus possibilis est actus primus, siue principium productiuum notitiæ genitæ, vt videtur innuere Doctor *15. q. quodlib.*

Solutio. Dico tunc, quòd intellectus possibilis potest dupliciter considerari. Vno modo in ratione principij actiui, & sic dicitur actus primus respectu notitiæ genitæ. Alio modo in ratione receptiui, & sic est id, secundùm quod anima intellectiua recipit notitiam genitam. Sequitur: *Et habet in se aliam perfectionem, secundùm quam recipit formaliter volitionem.* Voluntas enim potest dupliciter considerari. Vno modo in ratione principij actiui, & sic est actus primus respectu volitionis. Alio modo in ratione principij receptiui, & sic est id, secundùm quod anima recipit volitionem. Voluntas enim est ratio formalis recipiendi volitionem. Sequitur:

10. *Quomodo accipiatur memoria.* *Istæ tres perfectiones dicuntur memoria, intelligentia, & voluntas.* Accipit hîc *memoriam* pro principio productiuo totali respectu notitiæ genitæ, & talis memoria includit intellectum, & obiectum præsens, vel in se, vel in aliquo repræsentatiuo. Comprehendit etiam sub memoria perfecta voluntatem, quæ est principium productiuum actus volendi. *Intelligentia* accipitur hîc pro intellectu, vt informato actu intelligendi, & *voluntas* accipitur pro voluntate, vt informata actu volendi: ita quòd per memoriam repræsentatur Pater in quo est perfectissima fœcunditas respectu Filij, & Spiritus sancti; per intelligentiam repræsentatur Filius, qui producitur, vt notitia genita: & per voluntatem repræsentatur Spiritus sanctus, qui producit per modum amoris. Sequitur:

Anima igitur inquantum habens actum primum totalem respectu intellectionis, scilicet anima, vel aliquid animæ, & obiectum sibi præsens in ratione intelligibilis dicitur memoria, id est, quòd ipsa anima, vt est intellectus habens obiectum præsens, dicitur memoria. Sequitur: *Et hoc memoria perfecta, includendo tam intellectum, quàm illud, quo obiectum est sibi præsens*, id est, quòd tunc est memoria perfecta, quando includit intellectum, vt actum primum respectu notitiæ genitæ, & vt includit obiectum, vel in se præsens: siue vt includit id, quo obiectum est præsens, puta speciem intelligibilem, per quam obiectum est præsens in ratione intelligibilis, & hoc totum vocatur memoria perfecta, quæ attribuitur Patri. Sequitur,

Ipsa eadem anima, inquantùm recipit notitiam genitam, dicitur intelligentia, & intelligentia perfecta, vt est sub illa notitia genita: non enim vult Doctor quòd secunda pars imaginis sit notitia genita: quia illa non dicit consubstantialitatem cum anima, cùm realiter distinguatur: sed vult quòd anima, vt est habens intellectum informatum notitia genita, sit secunda pars imaginis, id est, quòd intellectus, vt informatus notitia genita est secunda pars imaginis: quia dicit consubstantialitatem cum anima saltem ratione intellectus. Sequitur: *Voluntas etiam dicitur perfecta, inquantùm est sub illo actu volendi:* non enim Doctor vult, quòd *Quomodo voluntas dicatur perfecta.* actus volendi, siue amor productus sit tertia pars imaginis, cùm non dicat aliquam consubstantialitatem cum anima: quia realiter distinguitur ab ipsa: sed vult quòd ipsa voluntas, vt informata actu volendi, siue amore sit tertia pars imaginis: quia ratione voluntatis dicit consubstantialitatem. Sequitur: *Accipiendo igitur ista tria ex parte animæ, vt sunt sub prædictis actibus suis*, &c.

Pro intelligentia huius literæ, nota, quòd si accipiatur *memoria productiua* pro intellectu agente (qui tunc dicitur esse sub actu suo, vt habet præsentiam obiecti in se, vel in specie. Nam obiectum dicitur actus, quia pars memoriæ, & intellectus possibilis sit virtus tantùm receptiua) tunc sunt tres entitates, quæ sunt vna res realiter, scilicet intellectus agens, possibilis, & voluntas, & sic ibi vera consubstantialitas. Sed si possibilis pertinet propriè ad memoriam productiuam, vt suprà dixi: non esset fortè inconueniens ipsum secundùm vnam realitatem esse productiuum, & secundùm aliam receptiuum: & hoc modo diceretur memoria, vel pars memoriæ: vt productiuus, & intelligentia, vt receptiuus. Et similiter voluntas diceretur parens, vt productiua, & vt receptiua diceretur voluntas, vt habens actum volendi, & sic voluntas, & intellectus, vt productiua, complent perfectam rationem parentis, vt patet à Doctore: & sic realitas productiua intellectus, & realitas receptiua (ponendo ibi aliqualem distinctionem) & similiter voluntas sunt vna res realiter cum anima: & realitas intellectus productiua dicitur esse sub actu, quando habet obiectum præsens in se, vel in aliquo alio, vt partem memoriæ: quia tunc dicitur esse in potentia propinqua, & realitas receptiua dicitur esse sub actu suo, inquantum habet actualem intellectionem. Et similiter voluntas, vt productiua dicitur esse sub actu, quando est in potentia propinqua ad volendum: quod tunc contingit, quando habet omnia requisita ad actum volendi, & dicitur, vt receptiua sub actu, quando actu habet in se amorem obiecti. Si etiam dicatur, quòd in intellectu possibili non sunt istæ duæ realitates, tunc debemus dicere quòd realitas intellectus possibilis vt productiua habens obiectum præsens, repræsentat Patrem. Secundò eadem realitas intellectus possibilis, vt habens in se formaliter intelligentiam actualem obiecti, repræsentat Filium. idem dico de voluntate. 11. *Singularis declaratio de intellectu possibili & voluntate.*

Quando ergo dicit Doctor, *Ista tres realitates, vt sub actibus suis*, &c. Secundùm istum tertium modum prima realitas est intellectus possibilis, vt pars memoriæ productiuæ: & voluntas, vt principium productiuum: secunda est idem intellectus, vt habens actualem intellectionem. tertia est eadem voluntas, vt habens actualem amorem. Est ergo consubstantialitas, quia istæ entitates, quæ sunt simpliciter vna res, realiter habent in se notitiam, & amorem: sic paternitas, & filiatio, & spiratio passiua in diuinis sunt eadem essentialiter: quia tantùm est vna essentia fundans in se, & identificans sibi realiter illa. In imagine verò nostra est tantùm similitudo, quo ad hoc: quia vna essentia animæ, vt includens tres realitates modo prædicto, est eadem respectu notitiæ, & amoris, &c. *In imagine nostra est tantùm similitudo.*

12. *Duo dubia occurrunt. Primum dubium.* *Sed hic occurrunt duo dubia.* Nunc Doctor contra superiùs dicta innuit duas difficultates. Prima est de voluntate, quæ est actus primus volitio

volitionis, quia non pertinet ad primam partem imaginis: quia non est memoria, nec pertinet ad memoriam, nec ad secundam partem: quia non notitia genita; nec ad tertiam, quia non est amor productus: ergo in anima non est assignanda perfecta ratio imaginis.

Secundum dubium. Secunda difficultas est in hoc: quia prima persona in diuinis originat secundam:& prima,& secunda originant tertiam:sed certum est quòd tertia pars imaginis nostræ non originatur simul à prima,& secunda: vt patet.

Respondet Doctor ad primum, quòd accipiendo primam partem imaginis, sicut accipit Augustinus *9. de Trinit. cap.* 4. Et deinceps mens, notitia, & amor. Per *mentem* intelligit actum primum perfectum respectu vtriusque actus secundi, & hoc modo mens habet rationem perfectæ parentis. Similiter accipiendo primam partem imaginis, vt accipit Augustinus 10. *de Trinit. cap.* 10. Et deinceps memoria, intelligentia, & voluntas. Accipit ibi *memoriam* pro actu primo perfecto respectu vtriusque actus secundi: qui dicit perfectam fœcunditatem: & patet litera.

Et quod dicit ibi contra Henricum *quodlib. 6. quæst.* 2. qui videtur dicere, quòd Pater non habeat ex se fœcunditatem ad spirandum: sed eam habeat quodammodo sibi derelictam ex productione Filij. Contra hoc arguit Doctor, licèt in simili hanc positionem priùs reprobauerit, suprà *dist.* 1. *q.* 2. tamen hîc specialiter hoc reprobat, & improbatio clara est.

13. *Quomodo in nobis sit imago Trinitatis.* e *Ad secundum dico.* Dicit Doctor quòd etsi in nobis sit imago Trinitatis quantum ad hoc, quòd est repræsentatiua vnitatis essentiæ, distinctionis personarum,& originationis: non tamen in nobis est sic imago, vt sit secundùm omnia repræsentatiua: sufficit enim quòd sit repræsentatiua Trinitatis,& vnitatis, quæ requirunt consubstantialitatem, distinctionem, & originem, licèt non sit repræsentatiua secundùm omnem modum: quia tertia persona in diuinis est verè producta à prima, & secunda persona: sed in imagine nostra tertia pars imaginis non est simul producta à prima, & secunda, vt patet: & rationem huius assignat, quæ stat in duobus dictis.

Primum est: Filius potest producere Spiritum sanctum: quia in productione Filij communicatur à Patre tota fœcunditas, siue tota ratio formalis producendi Spiritum sanctum, vt infrà patebit *dist.* 10. & ideò Filius verè producit Spiritum sanctum.

Quæ sit memoria in nobis. Secundum est: Memoria in nobis, quæ est intellectus cùm præsentia obiecti: producendo notitiam, non communicant sibi rationem formalem producendi amorem: quia tunc talis notitia, quæ est accidens, esset formaliter voluntas: quæ voluntas est ratio formalis producendi amorē,& patet litera. Et similiter si poneretur notitia genita aliquo modo productiua tertiæ partis imaginis, non esset productiua, nisi per modum naturæ: quia non esset formaliter voluntas, nec haberet in se formaliter voluntatem,& tamen tertia pars imaginis non producitur per modum naturæ: sicut nec Spiritus sanctus, sed producitur per modum voluntatis.

f *Est tamen hîc aliquis ordo inter secundam partem imaginis, & tertiam: quia tertia præsupponit secundam naturaliter: licèt non sit ab ea*, saltem vt à causa totali: licèt fortè possit esse ab ea, vt à causa partiali secundùm illam opinionem positam à Doctore *in 2. dist.* 25. & patet litera.

g *Vlterius in speciali.* Ista litera est satis clara: stat in tribus dictis fundatis super dictis Augustini, vt patet in litera. Primum est, quòd in anima potest esse imago, imperfectè tamen, quando intelligit inferiora,& amat illa. Secundum est, quòd in anima potest esse imago perfectior, quando habet intelligentiam sui,& diligit se. Tertium est, quòd in anima tunc est perfectissima imago, quando actu intelligit Trinitatem, & actu amat: quia tunc non tantùm est ibi imago Trinitatis, sed etiam similitudo: quia actus intelligendi est similitudo obiecti.

h *Ad primum argumentum principale.* Respondet, quòd quælibet essentia creata, inquantum hęc essentia producta secundùm talem ideam, non repræsentat Deum sub ratione trini, sed sub ratione vnius: quia non causatur, nec ideatur à Deo sub ratione trini, sed sub ratione vnius, sed tantùm aliqua natura ratione essentiæ suæ, & multorum concurrentium in ea, tanquam vnum aggregatum potest esse repræsentatiuum Trinitatis, & eorum, quæ comprehenduntur in Trinitate, tale quid est mens accepta in se,& cum operibus suis: quia ibi est vnitas,& distinctio,& ordo originis: tale autem etiam quantùm ad talem concursum nihil est, quod sit inferius mente, sicut patuit in parte sensitiua. 14.

Imago dicit relationem ad imaginatum. *Et cùm arguitur, quòd si ibi esset imago.* Respondet ista concurrentia in mente valent credenti Trinitatem ad perscrutandum, & persuadendum quomodo possit esse. Sed hoc clariùs, vide *in quodlib. q.* 14. quia imago dicit relationem ad imaginatum: cognoscere ergo mentem sub ratione imaginis est cognoscere relationem imaginis ad imaginatum: sed relatio cognosci non potest, nisi termino præcognito: oportet ergo priùs cognoscere Trinitatem: sed hoc vide ibi: & multa alia, quæ faciunt ad propositum.

Ad secundum, patet responsio.

Ad tertium dico, quòd actus secundi sunt producti. 15.
Responsio stat in hoc: intellectio, volitio, visio, auditio, & sic de omnibus aliis actibus aliarum potentiarum, licèt sint qualitates absolutæ, vt probat Doctor *q.* 13 *quodlib.* & verè sint producta per actionem intellectus,& obiecti,& nullo modo dicantur actiones de genere Actionis: quia illæ tantùm sunt entia respectiua: tamen quo ad aliquas conditiones, quæ conueniunt actioni de genere Actionis, possunt dici actiones, siue actus secundi.

Prima conditio actionis est, quòd cessante agente non habet *esse* permanens: sed tantùm habet *esse* quantum agens continuat actionem. Secunda est, quòd actio necessariò est alicuius, vel vt producti, vel vt obiecti. Tertia, quòd actio propriissimè est ad formam diuisibilem, cuius vna pars acquiritur post aliam. Intellectio, volitio,&c. dicuntur actus secundi, siue actiones: licèt sint qualitates absolutæ quo ad secundas primas conditiones: quia tamdiu habent *esse*, quamdiu potentiæ continuant illa. Secundò terminantur de necessitate ad obiectum. Lumen verò, quia non est alterius à se, vel vt termini producti, vel vt obiecti: circa quod non dicitur actus secundus, siue actio: imò nec intellectio, nec visio, nec lumen acquiruntur actione propriè dicta, quæ terminatur ad formam: cuius vna pars nata est acquiri post aliam.

k *Ad aliam probationem. Cùm dicitur quòd actus* 16.

talis est generatiuus habitus, est facilis responsio: quia esse generatiuum vt actio, nihil aliud est, nisi actionem ipsam, quæ est relatio de genere Actionis terminari ad productum, esse verò principium formale productiuum, est habere in se virtutem producendi. In proposito intellectio producit habitum secundo modo, id est, vt est quædam ratio formalis absolutè producendi, & non primo modo, supple vt sit actio de genere Actionis: quia vt suprà patuit est ens absolutum, & nullo modo actio de genere Actionis, imò primo modo non est producere: quia vt sic, est tantùm quædam relatio, & via ad productum.

Aduerte hanc declarationē. Quia tamen hæc litera videtur aliqualiter obscura, ipsam declaro. Cùm dicit: *Actio de genere Actionis non potest esse eiusdem rationis, nisi termini sint eiusdem rationis:* patet, quia duæ calefactiones dicuntur esse eiusdem rationis: quia calores terminantes sunt eiusdem rationis. Sequitur: *Ergo si actus generaret habitum*, &c. Vult dicere, si vnus actus intelligendi sit generatiuus habitus, vt actio de genere Actionis, sequeretur quòd alius actus intelligendi eiusdem rationis esset generatiuus habitus, hoc tamen patet esse falsum; quia aliquis actus intelligendi eiusdem rationis non est generatiuus habitus, vt patet: non enim vna intellectio remissa est generatiua habitus: vt patet, cùm habitus generetur ex frequentatis actibus, vel ex vno valde intenso, & perfecto. *Actus est generatiuus habitus.* Si ergo actus intelligendi est generatiuus habitus, non est generatiuus, vt est actio de genere Actionis: sed vt est quædam forma absoluta. Sequitur: *Tunc dico breuiter, quòd actus est generatiuus habitus, sicut forma aliqua*, supple absoluta, est causa, vel ratio causandi aliam formam: non est autem talis actus gignitiuus, vt actio de genere Actionis: tali enim actione de genere Actionis gignitur tam actus, quàm proprius habitus terminatiuus talis actionis: eo modo, quo dicimus producens productione producit: vel agens actione agit, vt suprà declaraui. Sequitur: *Et ad significandum gignitionem talem, quæ est actio de genere Actionis, dicimus potentiam elicere actum intelligendi*, id est, quòd nomine actionis vtimur elicitione: sicut enim dicimus agens actione agit: ita dicimus, quòd potentia eliciens actum, elicitione elicit: ita quòd tam actio, quàm elicitio in re idem important, sed differunt nomine, vel ratione.

DISTINCTIO QVARTA.

A. *De comparatione generationis ad terminū essentialem concretum qualis solutio.*

HIc oritur quæstio satis necessaria. Constat enim & irrefragabiliter verum est, quòd Deus Pater genuit Filium. Ideò quæritur vtrùm concedendum sit, quòd Deus genuit Deum. Si enim Deus genuit Deum, videtur quòd aut se Deum, aut alium Deum genuerit. Si verò alium Deum genuit, non est tantùm vnus Deus. Si autem se ipsum Deum genuit, aliqua res se ipsam genuit. Ad quod respondentes dicimus, sanè & Catholicè concedi, quòd vnus vnum genuit, & quòd Deus Deum genuit: quia Deus Pater, Deum Filium genuit. *Niceno.* In symbolo quoque scriptum est, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Quod verò additur, ergo genuit se Deum, vel alium Deum: neutrum concedendum esse dicimus. Quòd alium Deum non genuit, manifestum est: quia vnus tantùm Deus est. *Cap. 1.* Quòd autem se ipsum non genuit, ostendit Augustinus in primo libro de Trinitate, dicens, [Qui putant eius potentiæ esse Deum, vt se ipsum ipse genuerit: eo plus errant, quòd non solùm Deus ita non est, sed nec spiritualis, neque corporalis creatura. Nulla enim res est, quæ se ipsam gignat vt sit,] & ideò non est credendum, vel dicendum, quòd Deus genuit se.

Alia quæstio de eodem.

B. SEd adhuc ponunt garruli ratiocinatores, dicentes. Si Deus Pater genuit Deum, aut genuit Deum, qui est Deus Pater: aut Deum, qui non est Deus Pater. Si genuit Deum, qui non est Deus Pater: ergo Deus est, qui non est Deus Pater: non ergo vnus tantùm Deus est. *Responsio.* Si verò genuit Deum, qui est Deus Pater, ergo genuit se ipsum. Ad quod respondemus determinantes istam propositionem, qua sic proponunt: Si Deus Pater genuit Deum, aut Deum qui est Deus Pater, aut Deum qui non est Deus Pater. Hoc enim sanè, &

& praue intelligi potest: & ideò respondendum est ita, Deus Pater genuit Deum, qui est ipse Pater. Hoc dicimus esse falsum, & concedimus alteram, scilicet genuit Deum, qui non est Pater: nec tamen genuit alterum Deum, nec ille qui genitus est, est alius Deus quàm Pater, sed vnus Deus cum Patre. Si verò additur, genuit Deum, qui non est Deus Pater: hîc distinguimus, quia dupliciter potest intelligi. Genuit Deum, qui non est Deus Pater, scilicet Deum Filium, qui Filius non est Pater, qui Deus est. Hic sensus verus est. Si verò intelligatur sic, genuit Deum, qui non est Deus Pater, id est, qui non est Deus qui Pater est, hic sensus falsus est. Vnus enim & idem Deus est Pater & Filius, & Spiritus sanctus: & è diuerso, Pater & Filius & Spiritus sanctus vnus est Deus.

Opinio quorundam dicentium tres personas esse vnum Deum, vnam substantiam: sed non è conuerso, scilicet, vnum Deum, vel vnam substantiam esse tres personas.

QVidam tamen veritatis aduersarij, concedunt Patrem & Filium & Spiritum sanctum, siue tres personas, esse vnum Deum, vnam substantiam: sed tamen nolunt concedere, vnum Deum, siue vnam substantiam esse tres personas: dicentes, diuinam substantiam prædicari de tribus personis, non tres personas de substantia diuina. Fides autem Catholica tenet ac prædicat: & tres personas esse vnum Deum, & vnam substantiam, siue essentiam, siue naturam diuinam, & vnum Deum, siue vnam essentiam diuinam, esse tres personas. Vnde Augustinus in 1. lib. de Trinitate ita ait: Rectè ipse Deus Trinitas intelligitur, beatus & solus potens. Ecce quàm expressè dixit ipse Deus Trinitas: vt ostenderet, & ipsum Deum esse Trinitatem, & Trinitatem ipsum Deum. Item in eodem, In verbis, inquit, illis Apostoli, quibus de aduentu Christi agens dicit, Quem ostendet beatus & solus potens: Rex regum & Dominus dominantium: qui solus habet immortalitatem, &c. nec Pater propriè nominatus est, nec Filius, nec Spiritus sanctus: sed beatus, & solus potens, id est, vnus & solus Deus verus, qui est ipsa Trinitas. Ecce & hîc apertè dicit, vnum solum verum Deum, esse ipsam Trinitatem: & si vnus Deus Trinitas est; ergo vnus Deus est tres personæ. Item in lib. 5. de Trinitate. Non tres Deos, sed vnum Deum dicimus esse ipsam præstantissimam Trinitatem. Item in libro qui dicitur Enchiridion ad Laurentium, Satis est Christiano, rerum creatarum causam visibilium, siue inuisibilium, non nisi bonitatem credere creatoris, qui est Deus verus & vnus: nullámque esse naturam, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso: eúmque esse Trinitatem, Patrem scilicet, & Filium, & Spiritum sanctum. Item Augustinus in sermone de fide. Credimus vnum Deum, vnam esse diuini nominis Trinitatem. Idem in 6. lib. de Trinitate. Dicimus Deum solum esse ipsam Trinitatem. Ecce & his & aliis pluribus auctoritatibus euidenter ostenditur, dicendum esse & credendum quòd vnus Deus est Trinitas, & vna substantia tres personæ, sicut è conuerso Trinitas dicitur esse vnus Deus, & tres personæ dicuntur esse vna substantia.

C. — Cap. 6. — August. de Trin. lib. 1. — 1. Tim. 6. — Cap 8. — Cap. 9. — Aug. serm. 129 feria 5. cœna Domini cap. 7.

Redit ad præmissam quæstionem, scilicet an Deus pater se Deum, an alium Deum genuerit.

NVnc ad præmissam quæstionem reuertamur: vbi quærebatur an Deus Pater genuerit se Deum, an alium Deum? Ad quod dicimus, neutrum fore concedendum. Dicit tamen Augustinus in epistola ad Maximum, quòd Deus

D. — Aug. Epist. 66. Maximo medico.

Deus Pater ſe alterum genuit, his verbis. [Pater vt haberet Filium de ſe ipſo, non minuit ſe ipſum: ſed ita genuit de ſe alterum ſe, vt totus maneret in ſe, & eſſet in Filio tantus, quantus & ſolus.] Quod ita intelligi poteſt, id eſt, de ſe alterum à ſe genuit: non vtique alterum Deum, ſed alteram perſonam: vel genuit ſe alterum, id eſt, genuit alterum, qui hoc eſt quod ipſe. Nam etſi alius ſit Pater quàm Filius, non eſt tamen aliud quàm Filius, ſed vnum.

QVÆSTIO I.

Vtrùm iſta ſit vera, Deus genuit alium Deum?

Alenſis 1 *p.q.50.m.3.art.2.§.1.* Henric. *2.p.ſum.art.53.* Richardus *hîc q.2.* D. Bonauent. *hîc q.2.* D. Thom. 1.*p.q.39.art.4.* Hugo Victor *ſum tract.*. *cap.* 1. Marſil 1.*q.8.* Duran. *hîc q.1.* Gabr *q.vnic.art.3.* Vaſques 1.*p.diſp.157.cap.7.* Suares 1.*p.tract.3.lib.6.cap.7.* Baſſol. *hîc quæſt.4.*

1. *Magiſt. A.B. Iſta quæſtio non eſt de ſcripto Anglico, ſed ex reportationibus Pariſieſibus diſt. præſenti, & eſt varietas literæ hinc inde plerũque, poteſt tamen ſatis competenter intelligi litera, vt hîc habetur.*

CIRCA quartam diſtinctionem Quæro, vtrùm iſta ſit vera, *Deus generauit alium Deum?* Videtur, quòd ſic: Deus generauit Deum: aut ergo ſe Deum, aut alium Deum: non ſe, primo de Trinitate: ergo alium.

Secundò ſic: Generans diſtinguitur à generato: ſed Deus genuit Deum: ergo Deus genitus diſtinguitur à Deo generante: & per conſequens Deus genuit alium Deum.

Tertiò ſic: Deus generat alium: aut igitur Deum, & ſic habetur propoſitum; aut non Deum, quod falſum eſt, quia ſic genitus non eſſet Deus.

Quartò ſic: Deus generauit alium habentem Deitatem, quia aliam perſonam ſubſiſtentem in Deitate: ergo genuit alium, conſequentia patet per Damaſc. 5. cap. *Deus eſt diuinam habens naturam, homo humanam.*

Contrà, non eſt alius Deus: ergo non genuit alium Deum, antecedens patet Deut. 6. *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt.*

SCHOLIVM.

Reſoluit non eſſe veram hanc, Deus genuit alium Deum, quia Filius eſſet alius Deus genitus, quod eſt falſum, quia ly alius *ſignificat Deitatem communem eſſe extremis alietatis, & in eis plurificatam, quod ei repugnat, cùm ſit de ſe hæc, & explicat inſigniter Logicè, quomodo tres iſtæ propoſitiones differunt. Socrates eſt alius ab homine, eſt alius humanitate, eſt alius in humanitate: applicátque ad propoſitum. Vide D. Bonauent. infrà diſt. 21. art. 1. quæſt. 1. de nomine, alius, & aliud.*

2. *Ratio ad oppoſ.*

RESpondeo [a] ad quæſtionem, quòd non genuit alium Deum, quia cuilibet entitati formali correſpondet adæquatè aliquod ens, vel aliquid ens, entitate tali: iſta autem Deitas, quæ eſt entitas formalis, quia ſe tota eſt forma, non habet ſic ſibi adæquatè correſpondens *quod*, niſi *Deum*, quia ipſum includit. Deitas autem eſt de ſe, *hoc*, ergo Deus eſt de ſe *hoc*, illi autem, quod eſt de ſe *hoc*, repugnat non identitas: ergo & alietas, quæ includit non identitatem: ergo non poteſt eſſe alius Deus: ergo Deus non genuit alium Deum, quia non genuit, quod non poteſt eſſe, & hoc quantum ad rem.

Sicut diſtinctio alietatẽ, ita alietas non idẽtitatem infert.

Quantum ad Logicam [b], dico, quòd hæc tria differunt. *A eſt alius à Deo: A eſt alius Deitate. A eſt alius in Deitate*, ſicut hæc tria differunt: *Socrates eſt alius ab homine: Socrates eſt alius humanitate: Socrates eſt alius in humanitate*, in prima cùm dicitur, *Socrates eſt alius ab homine*, negatur vniuerſaliter Socratem habere identitatem cum termino, per negationem importatam in ly, *alius*, quia aliud includit non identitatem: igitur terminus ibi prædicatus, negatur pro quolibet ſui: ſed non negatur, niſi negetur reſpectu cuiuſlibet termini; ideò terminus alietatis confunditur confusè & diſtributiuè; ideò ſequitur, *Socrates eſt alius ab homine: igitur eſt alius ab homine, & ab iſto*, & ſic de omnibus aliis. Sic etiã ſequitur. *A eſt alius à Deo: igitur eſt alius à qualibet perſona diuina.* In ſecunda cùm dicitur, *Socrates eſt alius humanitate*, humanitas ſignificatur eſſe formalis ratio differentiæ. Sic non eſt in prima, quia in ipſa, *homo* ſignificatur eſſe terminus differentiæ, in hac autem ſecunda, notatur eſſe formalis ratio differentiæ vniuerſaliter, ſic quòd in nullo indiuiduo illius naturæ conuenit, quia eſt aliud indiuiduum alterius naturæ, per illam formam, per quam hoc differt ab illo.

Vnde

Vnde nota [c], quòd licèt ratio formalis alietatis stet vniuersaliter quantum ad negationem inclusam; vnde sequitur, *Socrates est humanitate alius à Brunello: igitur in nullo indiuiduo sunt idem, nec conueniunt in humanitate*; tamen illa ratio formalis differentiæ non stat vniuersaliter, quãtum ad illam affirmationem ibi inclusam. Vnde non sequitur, *Socrates differt à Brunello humanitate: ergo differt ab illo hac humanitate*, scilicet Platonis, quia antecedens est verum, & consequens falsum: quia in consequente significatur, quòd humanitas Platonis sit formalis ratio differentiæ, qua Socrates à Brunello differt. In tertia cùm dicitur [d], *Socrates est alius in humanitate*, alietas ibi ponit suum determinabile esse commune vtrique extremo: & distingui, siue diuidi in ipsis extremis: & ideò, hæc non est vera, *Socrates in humanitate est alius à Brunello:* quia non diuiditur humanitas in eis, nec est commune eis. Sed hæc est vera, *Socrates in animalitate est alius à Brunello:* quia animal commune est eis, & diuiditur in eis. Vnde in hac tertia propositione, alietas connotat aliquam conuenientiam extremorum in suo determinabili, & tamen notat aliquam non identitatem eorum in eodem determinabili.

Ad propositum igitur [e], quam istarum trium significat hæc locutio, *Filius est alius Deus?* Dico, quòd nec primam, nec secundam: non primam, quia non sequitur, Socrates est alius homo, ergo est alius ab homine. Antecedens est verum, & consequens falsum. Nec secundam, quia etsi Socrates est alius homo à Platone, non tamen sequitur, ergo est alius humanitate à Platone: quia humanitas non est ratio formalis differentiæ Socratis à Platone, sed significat tertiam. Vnde benè sequitur, Socrates est alius homo à Platone, ergo Socrates est alius à Platone in humanitate; & è conuerso, & idem est cùm dicitur, Filius est alius Deus à Patre, quòd Filius genitus est alius Deus à Patre generante: ita quòd ly *alius* ponit suum per se significatum circa per se significatum extremorum, & sui determinabilis, denotans ipsa inter se esse distincta, & illud determinabile esse commune vtrique extremo alietatis; & tamen distingui in eis, quod non conuenit Deo, & hoc etiam significatur in tertia propositione prædicta, propter quod idem sunt. Ex quo sequitur, cùm hæc sit falsa, *Filius est alius Deus genitus*, vt nunc declaratum est, erit hæc falsa, *Deus genuit alium Deum.*

COMMENTARIVS.

1\. a RESpondeo ad quæstionem quòd non genuit alium Deum. Sensus huius literæ est, quòd cuilibet entitati abstractiuè sumptæ, & maximè vltimatè abstractæ: de qua infrà patebit *dist. 5. quæst. 1.* correspondet aliquod ens, scilicet concretum, quod est tale tali entitate, vt humanitati correspondet homo: qui dicitur primò homo humanitate, & humanitas est seipsa talis: accipiendo *se ipsum tale* formaliter: & sic Deitati correspondet primò ipse Deus: cùm ergo Deitas sit ex se, siue ex sua ratione formali hæc: quia nullo modo contrahibilis per aliquam hæcceitatem, vt infrà patebit *dist. 5. q. 2. & in quodlib.* sequitur quòd ipse Deus erit primò hic: sicut dicimus, quòd hic homo est hac humanitate homo, & homo in communi est homo humanitate in communi. Sequitur in litera: *Illi autem, quod est de se hoc.* Sensus huius literæ est: Omne ens, quod de se est hoc, id est, ex natura sua, siue ex sua ratione formali intrinseca est hoc, est simpliciter multiplicabile in plura. Sed Deitas est de se hæc: ergo *Deus* adæquatè correspondens *Deitati* est de se hic: ergo repugnat ei alietas, sicut enim est impossibile esse plures Deitates: ita est impossibile esse plures Deos. Realiter ergo loquendo hæc est falsa: *Deus genuit alium Deum:* quia in re importatur alietas Deitatis.

2\. *Notanda Logicalis declaratio.* b *Quantum ad Logicam dico, quòd hæc tria differunt.* Et expono ista tria sigillatim. Nam quando dicitur, Socrates est alius ab homine, ly *homo* stat confusè, distributiuè, mobiliter: quia isti termini, *alius, aliud, non idem:* & huiusmodi ratione negationis inclusæ confundunt terminum sequentem (si est capax confusionis) confusè, distributiuè, mobiliter: quia licet descendere sub illo copulatiuè, vt patet in ista. *Socrates est alius ab asino, & isti sunt omnes asini: ergò est alius ab isto asino, & ab isto*, &c. Sensus enim est, Socrates est alius ab asino, id est, Socrates non est asinus, ideò ista est falsa. Socrates est alius ab homine, quia esset alius à se ipso: nam si est alius ab homine: statim sequitur, quòd non sit homo.

3\. c *Vnde nota, quòd licèt ratio formalis alietatis*, &c. Pro intelligentia huius literæ dico, quòd de rigore sermonis in ista: Socrates est humanitate alius à Brunello, ratio formalis illius alietatis stat vniuersaliter, id est, confundit vniuersaliter, quia sensus est, quòd Socrates in nullo indiuiduo humanitatis conuenit cum Brunello: quia humanitas est ratio conuenientiæ eorum tantùm, quæ sunt indiuidua humanitatis: vnde Socrates humanitate est idem Platoni. Sed humanitas, quæ est ratio differentiæ, quæ affirmatur de indiuiduis humanitatis, non stat, nec distributiuè mobiliter: quia tunc sequeretur, quòd Socrates esset alius à Brunello hac humanitate, & sic de aliis: & sic esset alius à Brunello humanitate Platonis: quod est falsum. Nec stat determinatè, quia non licet descendere disiunctiuè, loquendo generaliter: quia de rigore sermonis hæc est falsa: *Socrates est alius à Platone: ergo hac humanitate est alius à Platone*; non sequitur, quia ipsa non est ratio differentiæ, & sic patet litera.

d *In*

d *In tertia cùm dicitur,&c.& distingui ipsis extremis :* ſicut in iſta : *Socrates eſt alius in humanitate à Ioanne :* iſta autem eſt falſa : *Socrates eſt alius in humanitate à Ioanne*, extrema ſunt : *Socrates, & Ioannes :* & determinabile per alietatem humanitatis, quæ notatur diſtingui in Socrate & Ioanne, & ſic iſta eſt vera, *Socrates eſt alius in humanitate à Brunello :* quia tunc notaretur humanitas diſtingui in Socrate, & Brunello, & eſſe communis eis, quod eſt manifeſtè falſum, & patet litera.

4. *Nota.* e *Ad propoſitum igitur quam iſtarum trium,* &c. Hæc eſt falſa. *Filius eſt alius Deus Deitate à Patre :* quia tunc notaretur, quòd Deitas eſſet ratio formalis diſtinguendi Filium à Patre : quod eſt falſum ; eſt enim ratio formalis conuenientiæ perſonarum ad inuicem. Sequitur : *Sed ſignificat tertium*, &c. Senſus huius literæ eſt cùm dicitur : Filius genitus eſt alius Deus à patre generante : ly *alius* ponit ſuum ſignificat, ſcilicet alietatem circa per ſe ſignificatum extremorum, quæ ſunt *Filius genitus, & Pater generans :* denotans vnum eſſe ab alio, ſiue diſtingui ab alio : etiam ly *alius* ponit ſuum ſignificatum, ſcilicet alietatem circa ſignificatum determinabilis, ſcilicet *Deus :* denotans ipſum Deum eſſe communem vtrique extremo, ſcilicet, *Filio, & Patri*, & diſtingui in eis : ita quòd Deus in Filio ſit alius à Deo in Patre : quod eſt falſum. Et ſic iſta propoſitio eſt falſa, Filius genitus eſt alius in Deitate à Patre generante, vel Filius genitus eſt alius Deus à Patre.

SCHOLIVM.

Optimè explicat non ſequi, Deus genuit Deum, ergo ſe Deum, vel alium Deum : concedendum tamen, ſequi, ergo genuit eundem Deum : quia identitas ſignificat ſuum determinabile, non diſtingui in extremis, quia oppoſita eſt alietati : explicat etiam vim illius conſequentiæ, genuit alium, ergo alium Deum, vel non Deum, & alias conſequentias Logicè Theologicè.

3. AD primum [a] argumentum dico, quòd hoc antecedens eſt verum *Deus genuit Deum*, quia termini in concreto poſſunt ſupponere pro ſuppoſitis reſpectu prædicatorum, reſpectu quorum non extraneantur ſuppoſitaliter, & ideò ſicut hæc eſt vera, *Deus Pater genuit Deum Filium :* ita hæc, *Deus genuit Deum*, ſed conſequentia non valet, vnde non ſequitur, ergo Deus genuit ſe Deum, aut alium Deum. Primum non ſequitur, quia non eſt intelligibile, quòd idem producat ſe : nec ſecundum ſequitur, quia (ſicut dictum eſt) cùm dicitur, *Deus genuit alium Deum*, alietas notat ſuum determinabile diſtingui in extremis, quod non ſignificatur in antecedente. Vnde ſicut propoſitio [b] eſt falſa, vbi alietas additur determinabili, quod non eſt commune ſuis extremis; ſicut hæc eſt falſa, *Sol eſt alius mus*, & ideò non ſequitur, ſi Sol generat murem : igitur ſe murem, aut alium murem, ſed alium qui eſt mus. Ita in propoſito, illa propoſitio eſt falſa, in qua alietas additur determinabili, quod non diſtinguitur in extremis, ſic hæc eſt falſa : *Pater in Deitate eſt alius à Filio*, & ideò non ſequitur : Deus Pater genuit Deum, aut igitur ſe Deum, aut alium Deum ; ſed ſequitur, quòd genuit alium, qui eſt Deus, ſicut exponit Magiſter in litera.

Propoſitio eſt falſa, vbi alietas additur determinabili quod non eſt commune extremis, & plurificabile in eis.

Quòd ſi probetur [c] illa conſequentia ſic, ſi generat Deum, aut igitur eundem Deum, aut diuerſum Deum : quia *idem*, & *diuerſum* immediatè diuidunt quodlibet ens, ex 10. Metaphyſicæ ; ſi eundem, vel diuerſum : igitur ſe Deum, vel alium Deum. *Text.12.*

Reſpondeo, poteſt concedi, quòd genuit eundem Deum, quia ſicut alietas ponit ſuum ſignificatum circa ſuum determinabile, denotans ipſum alietate, & diſtingui, & diuidi in extremis, quibus eſt commune ; ita per oppoſitum, identitas ponit ſuum ſignificatum circa ſuum determinabile commune extremis, denotans ipſum non diſtingui, nec diuidi in eis, & ideò hæc eſt vera ; *Deus Pater genuit eundem Deum*, quia Filius, qui eſt idem Deus, ſed non ſequitur, ergo genuit ſe Deum, quia Pronomen reciprocum, denotat actum terminari ad idem ſuppoſitum, à quo procedit ille actus ; aliter non eſſet reciprocum. Antecedens autem non eſt reciprocum. Vnde conſequens non ſolùm refert eundem in eſſentia Deitatis, ſed eundem in ratione ſuppoſiti : non tantùm autem ponitur per antecedens, ſed ſolùm, quòd genuit eundem Deum, & ideò eſt fallacia conſequentis, & figuræ dictionis.

Ly ſe denotat actum terminari idem ſuppoſitum à quo procedit.

4. Ad ſecundum dicendum [d], quòd iſta deductio reducenda eſt ad duos Syllogiſmos, quorum primus eſt iſte, *generans diſtinguitur à genito, Deus eſt generans, ergo Deus diſtinguitur à genito.* Alius eſt iſte, *genitum eſt Deus, Deus diſtinguitur à genito ; ergo Deus diſtinguitur à Deo.* In vtroque Syllogiſmo eſt fallacia accidentis. Nam in primo Syllogiſmo maior eſt vera propter * formalem oppoſitionem extremorum. Sic autem extraneatur medium vtrique extremo, in quo extrema ſunt vnum, ſiue idem. Vnde fallacia eſt accidentis, niſi maior extremitas dicatur de medio ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam medium dicatur de extremis, vt patet, ſi ſic arguitur, Album diſtinguitur

Sumit mediũ pro ſubiecto minoris.
** al. perſonalem.*
al. Vnde vniuerſali-

tur à dulci, & eodem modo peccat alius Paralogismus. Vnde in vtroque Syllogismo ex distinctione formali, quæ est inter ista relatiuè opposita, *generans*, & *genitum*, concluditur distinctio essentialis, & ideò non sequitur conclusio.

ter est fallacia accidentis vbi maior extremitas dicitur de medio secundùm illã rationem, secundũ quam medium & eius oppositum æqualiter se habent ad extremum.

Ad tertium [e], cùm dicitur, Deus genuit alium: igitur alium Deum, vel alium non Deum.

Dicendum, quòd neutrum concederetur, & cùm probatur per rationem contradictionis; dicendum, quòd contradictio est tam in complexis, quàm in incomplexis, & loquendo de contradictoriis complexis, semper verum est, quòd altera est vera, & altera falsa. Et sic est in proposito, hæc est falsa, *Deus genuit alium Deum:* & hæc vera, *Deus non genuit alium Deum*, quæ est sua contradictoria, & non ista, *Deus genuit alium non Deum.* Et si arguatur, Deus non genuit alium Deum: ergo genuit alium non Deum; quia ex negatiua de prædicato finito, sequitur affirmatiua de prædicato infinito, sicut sequitur, homo non est iustus: ergo est non iustus.

Respõdeo, dicendum, quòd quamuis illa regula sit vera, sicut potest probari per naturam contradictionis, nunquam tamen tenet in prædicatis compositis, non enim sequitur, lapis non est lignum album: ergo lapis est lignum non album, quia affirmatur lignum in secunda, quòd non affirmabatur in prima, & si arguitur in contradictoriis incomplexis; dico, quòd licèt de quolibet dicatur alterum illorum; non tamen dicitur de quolibet quodcunque prædicatum determinatum per alterum illorum, quia nec ipsum determinabile dicitur de quolibet, & ideò licèt *Deus*, vel *non Deus*, dicatur de quolibet, non tamen *aliud*, siue *alium*, sic determinatum per *Deum*, vel per *non Deum*, & ideò quamuis Deus genuit alium, non tamen alium, nec alium non Deum. Nec est hæc contradictio, quia non sequitur, cum hoc contradictorio, vel illo, & hoc in sensu composito, quia non ex omnibus diuisis sequitur coniunctum. Concedo igitur, quòd sequitur, genuit alium, ergo Deum, vel non Deum; sed non sequitur, genuit alium, & Deum: ergo genuit alium Deum, propter variationem alietatis.

5. Nisi scilicet totũ prædicatum negetur, quod nõ fit hîc.

Cõtradictio duplex, cõplexa & incomplexa.

Alterum contradictoriorum cum determinatione nõ dicitur de quolibet.

Ad quartum [f] dicendum quòd non sequitur, *genuit alium habentem naturam diuinam: ergo genuit alium Deum*, quia in antecedente subintelligitur substantiuum huius adiectiui, *habens* quod substantiuum idem significat, quod persona, & circa illud ly *alius*, ponit suum significatum. In consequente autem ponit ly *alius*, suum significatum circa significatum Dei, & sic commutatur *hoc aliquid* in *quale quid*, & arguitur ab inferiori ad suum superius, cum negatione, quam importat *alius*.

Vide Scot. 1. Periherm. q. 2. 3. & 4.

Ad probationem per Damascenum dico, quòd descriptio sua est quædam explicatio nominis, non autem expressio per se significati, quia nomen concretum de per se significato non importat hoc, quod est *habens* siue *habere*, sed tantùm de modo significandi, in quo distinguitur ab abstracto, solùm enim concretum importat ipsam formam, quia album solàm qualitatem significat. Vnde importat hoc, quod est *habens*, quia concernit suppositum habens suum significatum: tamen idem significat concretum, & abstractum, licèt modus significandi sit alius, & ideo in huiusmodi etymologiis, & descriptionibus, non oportet, quòd quidquid potest verè coniungi cum descriptionibus, & descriptis.

Concretum & abstractum idem significãt nõ eodem modo.

Aue. 5. Met. com. 14.

COMMENTARIVS.

1\. a AD *primum argumentum*. Respondet Doctor concedendo antecedens: quia termini, &c. id est, quòd terminus concretus in suppositione personali potest supponere pro suppositis. Sicut in ista, *homo currit*, ly *homo* supponit personaliter: quia talia sunt subiecta, qualia permittunt eorum prædicata: nam hoc prædicatum *currere* tantùm verificatur de suppositis: & per consequens supposita hominis non extraneantur huic prædicato. Si verò dicatur, homo est species, ly *homo* non potest supponere pro suppositis: quia species tantùm nata est verificari de homine in communi, & non de aliquo supposito hominis, ideò supposita hominis respectu huius prædicati extraneantur, modò in proposito, cùm dicimus, *Deus genuit Deum*, ly *Deus* stat personaliter, quia hoc prædicatum *generare* non verificatur, nisi de supposito. Non enim poterit verificari de Deitate, quia Deitas, nec generat, nec generatur, vt infrà patebit d. 5. q. 1. Sed non sequitur modò. Deus genuit Deum, id est, Deus Pater genuit Deum Filium: ergo genuit se Deum, aut alium Deum. Patet quòd nec se Deum, nec alium Deum, non alium Deum: quia alietas notat suum determinabile: puta Deitatem distingui in extremis: quod non significatur in antecedente, in quo dicitur, Deus genuit Deum. Sequitur,

Deus stat personaliter. generare verificatur de supposito.

Vnde sicut propositio est falsa vbi alietas additur determinabili, quod non est commune suis extremis. Sicut hæc est falsa. Franciscus est alius homo à Brunello, siue est alius in humanitate à Brunello, vt suprà patuit. Similiter hæc est falsa, *Sol est alius mus*: quia tunc notaretur, quòd natura muris esset diuisa in Solem, & in murem; sicut cùm dico Ioannes est alius homo, denotatur, quòd homo distinguitur: nec enim cõceditur quòd Ioannes sit alius asinus: quia tunc natura asini conueniret Ioanni; sic in proposito, cũ dicitur: *Sol est alius mus*, sequitur,

sequitur, quòd natura muris conuenit Soli, & sic Sol esset vnus mus distinctus ab alio mure. Si ergo Sol generat murem: igitur se murem, aut alium murem? sed alium, qui est mus. Ita in proposito, propositio est falsa, in qua alietas additur determinabili, quod non distinguitur in extremis. Sic hæc est falsa: *Pater in Deitate est alius à Filio*, & ideò non sequitur, Deus Pater genuit Deum: aut igitur se Deum, aut alium Deum, sed sequitur, quòd genuit alium, qui est Deus: sicut exponit Magister in litera. Sequitur,

Deus genuit alium qui est Deus.

2. c *Quòd si probetur illa consequentia sic, omne namque*, scilicet ens, *aut diuersum, aut idem*, & secundùm aliam literam: *omne enim ens, aut diuersum, aut idem*, & ponit ibi differentiam inter diuersum, & differens, vide ibi. Respondet Doctor, & responsio clara est: & concedit, quòd Deus genuit eundem Deum: quia Filium, qui est idem Deus: sed non sequitur, ergo genuit se Deum: quia pronomen reciprocum, cuiusmodi est ly *se*: denotat actum terminari ad idem suppositum, à quo procedit ille actus: patet, quia cùm dico, Franciscus diligit se: denotatur, quòd dilectio, quæ egreditur à Francisco, terminetur ad eundem Franciscum. Sic in proposito, si ista essent verè reciproca, Deus Pater genuit se Deum: denotaretur, quòd generatio ipsa egrederetur à supposito Patris, & terminaretur ad illud suppositum, & sic idem suppositum generaret se ipsum, quod est impossibile. Ideò non sequitur: Deus Pater genuit eundem Deum: ergo se Deum: quia antecedens non est reciprocum: notatur enim generatio egredi à supposito Patris, & terminari ad suppositum Filij: qui est idem Deus cum Patre? Et hoc est, quod dicit: *& committitur fallacia consequentis, & figura dictionis.*

3. De fallacia consequentis patet: quia arguitur à propositione consequentis ad positionem antecedentis: nam, cùm dicitur. Deus genuit eundem Deum: ergo se Deum, non sequitur: quia antecedens in plus se habet: quia benè sequitur, Deus genuit se Deum, ergo genuit eundem Deum: non tamen è conuerso, sicut si argueretur: homo currit, ergo animal currit, benè sequitur: quia arguitur à positione antecedentis ad positionem consequentis: siue à minùs vniuersali ad magis vniuersale, sed è conuerso non sequitur, animal currit, ergo homo currit: arguitur enim à positione consequentis, siue à positione magis communis ad positionem minùs communis, siue antecedentis. Similiter committitur fallacia figuræ dictionis: quæ potest contingere dupliciter: quia in antecedente supponit Deus pro Filio, & in consequente pro Patre, scilicet dicendo: Deus genuit eundem Deum: ergo se Deum, vel alium Deum, ly *se Deum* supponit pro Patre, & ly *aliū Deum*, supponit pro alio à Deitate Patris. Secundò ex quadam similitudine: quia cùm dicitur, Deus genuit eundem Deum: ergo se Deum, vel alium Deum, non sequitur: quia propter similitudinem personæ generantis ad personam genitam in Deitate: quia idem Deus dicitur de vtraque, velle modò concludere hoc de ipso Deo, vel tantùm de vna persona, committitur fallacia figuræ dictionis: nam ly *se Deum* stat pro Patre, & ly *alium Deum* stat pro alio in Deitate, & sic committitur fallacia figuræ dictionis.

Deus genuit Deū, ly Deus stat pro persona ratione actus personalis.

4. Ad secundum. Respondet quòd ista argumentatio reducenda est ad duos syllogismos, qui patent in litera. Et dicit, quòd in isto syllogismo, *generans distingitur à genito, &c.*

Et nota, quòd medium accipitur hîc pro subiecto minoris; & licèt generans, & genitum sint idem ipsi absolutè, & essentialiter: quia generans est essentialiter Deus: & genitum est essentialiter idem Deus: tamen Deus extraneatur vtrique extremo, vt vnum extremum distinguitur realiter ab altero: concludere ergo distinctionem realem, vel essentialem Dei à genito propter distinctionem generantis, & geniti, quibus, vt sic Deus extraneatur, est facere fallaciam Accidentis: vnde fit fallacia Accidentis, nisi maior extremitas, scilicet *genitum* dicatur de medio, scilicet de minori extremitate in conclusione secundùm illam rationem, secundùm quam medium, scilicet *Deus*, dicatur de extremis, scilicet *generante, & genito*: dicitur autem Deus de eis, vt est idem essentialiter, & realiter illis. In conclusione verò *genitum* dicitur de Deo, vt aliud ab ipso. Et accipitur hîc *medium* pro illo, in quo conueniunt duo extrema, & non accipitur hîc propriè pro medio syllogismi. Similiter dico, quòd in alio syllogismo committitur fallacia Accidentis, quando arguitur sic: genitum est Deus: Deus distinguitur à genito, ergo Deus distinguitur à Deo: quia genitum est Deus: & Deus generans est Deus, & sic Deus extraneatur generanti Deo, & Deo genito, vt generans distinguitur à genito, vt suprà patuit. Sicut lac est dulce, & album: tamen extraneatur vtrique, vt album distinguitur à dulci.

Quomodo accipiatur medium.

e Ad tertium. Respondet concedendo, quòd Deus genuit alium, & negat, quòd alium Deum, vel alium non Deum, nec ista contradicunt. Nam loquendo de contradictoriis complexis, ista contradicunt: *Deus genuit alium Deum*, *Deus non genuit alium Deum.* ista secunda est vera, & prima falsa. Istæ autem non contradicunt, *Deus genuit alium Deum, & Deus genuit alium non Deum.* 5.

Et si arguitur in contradictorijs incomplexis, &c. Pro intelligentia huius literæ nota, quòd contradictoria complexa sunt propositiones, & contradictoria complexa sunt termini. Exemplum primi: *Omnis homo est animal, aliquis homo non est animal.* Exemplum secundi: *Homo aut est animal, aut non animal.* Et aliquando in vna propositione erunt prædicata complexa, vt homo, aut est animal rationale: aut non animal rationale: contradictoria ergo omnino incomplexa dicuntur de quolibet: ita quòd alterum necessariò inest. Et sic in proposito. Deus genuit aut alium, aut non alium. Dico quòd alium. Similiter Deus genuit aut Deum, aut non Deum. Dico, quòd Deum, & sic alterum contradictoriorum verificatur de Deo. Si verò vnum illorum determinetur per alterum alterius contradictionis, tunc non verificatur. Exemplum primæ contradictionis, *alium non alium.* Exemplum secundæ: *Deum nòn Deum.* Si modò alius determinetur per *Deum*, vel *non Deum*, vel è contra: ita quòd *Deus* determinetur per *alium*, vel *non alium*, non contradicunt. Exemplum primi: Deus genuit: ergo alium, vel non alium: ergo vel alium Deum, vel alium non Deum. Exemplum secundi: Deus genuit: ergo Deum, vel non Deum: ergo genuit alium Deum, vel alium Deum, vel non alium Deum.

Quænam sint contradictoria incomplexa, & cōplexa.

Dico, quòd nec hoc, nec illud, & hoc si *alium Deum*, vel *alium non Deum* accipiantur in sensu composito: quia sensus est, quòd genuit vel aliud in

in Deitate, vel aliam personam non Deum. Ista benè contradicunt: aut genuit alium Deum: aut non genuit alium Deum. Et secunda est vera, & est contradictio in complexis. Si verò accipiantur in sensu diuiso: tunc contradicunt, & est sensus; aut genuit alium Deum, id est, genuit aliam personam, quæ est Deus; aut alium non Deum, id est, genuit aliam personam quæ non est Deus. Et prima propositio est vera, & secunda falsa.

Et quod dicit ibi: *De diuisis ad coniuncta*, &c. sic intelligitur, quòd non sequitur ex diuisis omnibus coniunctim: quia diuisim ista sunt vera, Deus genuit alium, Deus genuit Deum. Et tamen non sequitur coniunctim, ergo genuit alium Deum.

6. *Ille terminus alium potest bifariam cõsiderari.* f *Ad quartum.* Respondet, & responsio stat in hoc: Nam quando ly *alius*, stat absolutè substantiuatur, vt hic Deus genuit alium habentem Deitatem, ly *Deus* stat pro persona. Et cùm dicitur: ergo alium Deum, ly *alius* stat adiectiuè, & substantiuum est *Deus*, & ponit suum significatum, scilicet ipsam alietatem circa *Deitatem*, & sic est fallacia figuræ dictionis, vt patet hîc. Est etiam fallacia consequentis à negatione antecedentis ad negationem consequentis, nam *alius* includit negationem. Exemplũ. Franciscus est alius à Ioanne, & Ioãnes est homo, ergo est alius ab homine, quia sequitur. Franciscus non est Ioannes, & Ioannes est homo, ergo Franciscus non est homo. Similiter hîc: Deus Pater genuit alium habentem Deitatem, scilicet Filium, & Filius est Deus, & Pater est alius à Filio: ergo alius à Deo: quia ex primo sequitur, quòd Pater non est Filius: ergo Pater non est Deus. quod sequitur ex secundo.

Ad Damascenum cap. 5. *Deus est diuinam habens naturam, & homo humanam.* Dicit Doctor, quòd descriptio Damasceni est tantùm quædam explicatio nominis, non autem expressio per se significati, id est, hoc quod dico *habens Deitatem*, non importat suppositum habens Deitatem de principali significato: quia concretum, quale est hoc, *habens Deitatem* significat formam, quæ inest supposito, & non significat suppositum, sed tantùm connotat: sicut *album* significat albedinem; connotando subiectum, siue concernendo suppositum; *album* enim importat hoc, quòd *habens albedinem*, vt cùm dico, *Franciscus albus*, id est, Franciscus habens albedinem, tamen concretum & abstractum idem significant: licèt modus significandi sit alius, id est, quòd *album* significat eandem albedinem: sed diuerso modo: quia cùm significat eam in cõcreto, significat ipsam, vt inhærentem, vt cùm dico habens albedinem: & cùm significat in abstracto, significat eam vt nullo modo inhærentem, nec vt sic natam denominare suppositum, vt albedo in se considerata, quæ vt sic, est tantùm nata prædicari de inferioribus, vt de hac albedine, & illa, & non de subiecto: cùm ista sit falsa *A est albedo*, potest benè fieri maior abstractio, vt dicendo *albedineitas*, de qua infrà *dist.* 5. *q.* 1. Et loquitur hîc Doctor tantùm de concretis concretione ad subiectum, & non de concretis concretione ad suppositum.

Ad propositum applicando dico, quòd in huiusmodi etymologiis, & descriptionibus non oportet, quòd quicquid potest verè coniungi cum descriptionibus, & descriptis. Descriptio huius: *Deus est habens Deitatem*, ly *Deus* est descriptum: ly *habens Deitatem* est descriptio, & nota quòd ly *Deus*, vt explicatur per ly *habens Deitatem* non supponit pro Deo absolutè, non concernendo aliquod suppositum diuinum, quia hæc est falsa: *Deus, vt Deus, est habens Deitatem*, sed suppositum, de quo dicitur, Deus est habens Deitatem: aliquid ergo verè coniungitur cum ista descriptione, scilicet *habens Deitatem*: quod verè non potest coniungi cum descripto, scilicet *Deo*, patet, quia ly *alius* coniungitur verè cum ista descriptione *habens Deitatem*: quia ista est vera: *Deus genuit alium habentem Deitatem*: quia genuit Filium habentem eandem Deitatem: qui est alius à Patre, & tamen ly *alius* non potest verè coniungi cum hoc descripto, scilicet *Deus*: quia ista est falsa *alius Deus*: & similiter ista. *Deus genuit alium Deum*, & ideò non sequitur: Deus genuit alium habentem Deitatem; ergo genuit alium Deum. Sicut etiam hinc non sequitur, *sciens*, id est, habens scientiam. Franciscus est habens duas scientias, ergo Franciscus est duo sciens: ly *duo* benè coniungitur cum hac descriptione, id est, *est habens scientiam*, & tamen non rectè coniungitur cum descripto, vt patet. 7.

QVÆSTIO II.

An hæc sit vera, Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus?

Alensis 1. *p.q.* 65. *m.* 3. *ari.* 1. D.Thom. 1. *p.q.* 39. *art.* 4. 5. 6. D.Bonau. *hîc q.* 4. Duran. *q.* 2. Gabr. *q.* 2. Suares 1. *p. tract.* 3. *lib.* 4. *c.* 6. *& lib.* 6. *c.* 7. *vbi ponit regulas ad prædicationem notionaliũ de essentialibus.* Vasq. 1. *p. disp.* 157.

CIRCA secundam partem quartæ distinctionis quæro de veritate huius: *Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.* Videtur, quòd non sit vera; quia eius contradictoria videtur esse vera, *nullus Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, quia quælibet singularis est vera, quia nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus. 1. *Mag.C.D. Arg.* 1.

Præterea, Cuiuslibet propositionis veræ indefinitæ, aliqua singularis est vera: sed nullam est dare veram singularem huius indefinitæ: igitur ipsa non est vera. *Arg.* 2.

Contrà, hæc, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus Deus*, est vera: ergo & eius conuertens. Antecedens patet per Augustinum *de Trinitate*, multis in locis. *Vide de fide ad Petrum c.* 2. *& 1. de Trin. cap.* 6.

SCHOLIVM.

Respondet affirmatiuè, quia Deus significat primò diuinam naturam, cui tres personæ sunt idem. Idem est de hac, Deitas est Pater, *&c. sed hæc non est formalis, quia de vltimatè abstracto, nihil prædicatur nisi identicè, vel in primo modo dicendi, de quo dist. seq. q.* 1. *explicat pro quo supponit Deus in illa propositione.*

2. Respondeo [a], quòd propositio est vera, quia terminus subiectus, quod primò significat, hoc primò ponit in oratione, & si illi aliud extremum, quod prædicatur, sit idem: propositio affirmatiua denotans talem identitatem vera est. Deus autem significat naturam diuinam, vt est nata prædicari de supposito, & illud significatum est idem tribus personis; igitur propositio hoc significans, est vera.

Additio. *Verum est tamen* [b], *quòd in eius conuersa est magis prædicatio formalis, quia ibi intelligitur quasi superius, vel quasi commune prædicari de per se suis suppositis. Prædicatio autem formalior est quando commune prædicatur de minùs cõmuni, vel quasi minùs communi, quàm è contra.*

Sed nũquid [c] eadẽ est veritas illius & huius, *Deitas est Pater, Filius, & Spiritus sanctus?*

Respondeo, sicut prædicatio in diuinis distinguitur in veram formaliter, & veram per identitatem, hoc est, quòd illa sit formalis quando prædicatum conuenit formaliter subiecto: per identitatem verò quando propter infinitatem diuinam, prædicatum est idem subiecto, licèt non formaliter: ita hæc, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt Deus*, vera est formaliter, & hæc per identitatem; *Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt Deitas*, non autem formaliter: ergo & ista, *Deus est Pater*, &c. habet aliquam veritatem, loquendo de prædicatione formali, quam non habet ista, *Deitas est Pater*, &c.

De hoc Scot. infrà dist. 8. q. 4.

Sed pro [d] quo supponit *Deus*, intelligendo istam esse verã, quasi prædicatione formali?

3. Respondeo, vnicuique *quo*, correspondet proprium *quod*, vel *quis*. Et ideò Deitati, vt Deitas est, correspondet *quod*, vel *quis*, quia illud *quod*, vel *quis*, est primò Deitate ens, vt Deitas est: & sicut Deitas est de se *hæc*, ita Deus, qui Deus est Deitate, est de se hic, & in isto conceptu non includitur incommunicabilitas, nec ratio personæ; quia Deitas communicabilis est: & ideò Deus, vt Deitate est Deus, non includit aliquid incommunicabile formaliter. Isti termino sic intellecto absque conceptu personarum, seu personalium proprietatum, verè possunt competere aliqua prædicata realia, quæ videlicet non competunt naturæ, vt existenti in ratione suppositi, sed existenti in hac natura, inquantum existens in ea. Hoc modo fortè est ista vera: *Deus creat*, & similes: intelligendo subiectum pro hoc Deo existente in natura diuina, non intelligendo aliquod suppositum, vel aliquod incommunicabile in illa natura: quia incommunicabilitas non est ratio talium actuũ, & ita potest poni, quòd ista; *Deus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*, est vera, quatenus Deus stat pro hoc Deo, inquantum est per se ens Deitate: non autem pro aliquo supposito propriè dicto, in quo est natura diuina; quia quando est veritas pro primis significatis terminorum, non oportet quærere veritatem in aliis, in quibus includuntur ista significata. Sicut quando consequens habet propriam veritatem, non oportet quærere veritatem eius præcisè pro aliquo antecedente.

Deus non supponit pro personis, vnde nihil includit incõmunicabile.

Exemplum huius, color hic singularis existens, non determinat sibi rationem suppositi, quia ratio suppositi propriè non reperitur in accidentibus: & licèt sit in supposito substantiæ: tamen inquantum intelligitur absque vlla subsistentia in supposito, vt hîc color existens, potest esse principium operationis realis: sicut si eadem albedo esset existens in tribus suppositis, vel superficiebus, haberet actum realem, scilicet vnam rationem disgregandi. Et si quæras à me de veritate huius propositionis, *hic color disgregat*, pro quo supponit ibi ly *color?* Dico, quòd supponit pro primo significato suo, puta pro hoc colore existente; non autem pro aliquo colore inferiori ad hunc colorem, puta pro hoc colore in hac superficie, vel in illa: quia ista contrahentia colorem, non sunt causa veritatis huius propositionis, sed est vera propter prima extrema: multò magis esset hoc verum, si hic color, vt hic, esset per se existens. Deitas autem est per se ens, & ideò Deus inquantum est Deus Deitate, est per se ens, quia 7. de Trinitate Augustinus dicit. *Pater eodem est, quo Deus est, licèt non eodem sit, & Pater sit*, & ideò huic Deo non intelligendo aliquam rationem suppositi, siue personæ, imò rationi huius Dei, potest attribui Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.

Cap. 4.

4. Ad primum [e] argumentum in oppositum dico, quòd illa non est eius contradictoria, si præcisè fiat distributio pro personis, quia tunc non negatur quod primò affirmatur, in affirmatiua. Si autem illa neget prædicatum à primo significato Dei, scilicet ab hoc Deo, falsa est illa, & hoc est, quod vsitatè dicitur, quòd talis vniuersalis negatiua, non contradicit termino habenti suppositionem simplicem, licèt contradicat termino habenti suppositionem personalem. Hoc autem videtur probabile, si illa maxima Sophistarum est vera, *quando in aliqua dictione officiali, vel syncategorica, includuntur duo, ad nihil refertur vnum, ad quod non alterum*. In hoc autem signo, *nullus*, includuntur duo, scilicet negatio, & distributio: ergo cùm distributio præcisè respiciat supposita talis naturæ, negatio præcisè erit pro eisdem, & tunc illa negatio vniuersalis est vera, sed non est contradictoria primæ: sed ista, *Deus non est Pater, Filius, & Spiritus sanctus*,

Ad arg. 1. Quæ est cõtradictoria huius, Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

sanctus, vbi idem negatur, quòd priùs affirmabatur, & ista est falsa pro eodem subiecto, pro quo affirmatiua est vera.

Ad euidentiam secundi argumenti, est sciendum, quòd sicut dictum est in quæstione præcedenti, cuilibet vnicæ naturæ, adæquatè correspondet vnum singulare; quod singulare, vel est incommunicabile, sicut in creaturis: vel communicabile, sicut in Deo. Natura autem diuina, vnica est, omnino implurificabilis, & innumerabilis: ergo ei adæquatè correspondet vnum singulare, quod exprimitur nomine Dei, quod naturali intelligentia intelligitur ante quamcunque proprietatem personalem, & si consideretur illud singulare, vt quoddam ens ad se, cui conueniunt omnes proprietates essentiales, & perfectiones, ante omnem proprietatem personarum, quod quidem est ad se ens, & per se nullo modo plurificabile, vel numerabile, licèt communicabile sit in suppositis pluribus, quæ communicatio intelligitur per proprietates notionales. Et sicut est illa vera: *Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus*; ita ista, *hic Deus est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*. Exemplum iam tactum est, quia si esset vnus color in tribus superficiebus, ille color, puta albedo, disgregaret, & haberet omnes perfectiones albedini competentes: sed non vt primò est in illa, vel in illa superficie, sed secundùm se, licèt illas haberet existens in illis superficiebus, non tamen primò, sic autem est hîc.

COMMENTARIVS.

1. a RESpondeo, quòd propositio est vera. Respondet Doctor, & primò declarat quid sit propositio affirmatiua vera: dicens quòd illa propositio affirmatiua est vera, quando terminus subiectus, quod primò significat hoc primò ponit in propositione, & quando prædicatum est idem subiecto: semper enim in propositione affirmatiua vera intelligitur prædicatum esse idem subiecto: saltem aliqua identitate, vel essentiali, vel formali, vel reali, vel saltem sic intelligitur esse idem, quando prædicatum sic conuenit subiecto, quod supponit pro eo, vel quòd habeat aliquam identitatem: saltem vnionis veræ, in ratione qua prædicatur. Secundò declarat quomodo ista propositio: *Deus est Pater*, &c. sit vera: quia terminus subiectus, scilicet *Deus*, quod primò significat hoc primò ponit in oratione: significat enim *Deitatem*, & sic illud significatum primò ponit in oratione, & additur prædicatum, cuius significatum est verè idem significato subiecti: quia tres personæ sunt realiter, & essentialiter idem Deitati: Deitas enim est communis tribus personis per veram identitatem realem, & essentialem.

Quomodo Deitas sit cõmunis tribus personis.

2. b *Verum est tamen, quòd in eius conuersa.* Licèt hæc litera ponatur extra textum Doctoris, tamen verum est, quòd ista prædicatio: *Pater est Deus*: est formalior, & magis per se, quàm ista: *Deus est Pater*, sicut etiam ista est formalior, *homo est animal*: quàm ista: *animal est homo*.

c *Sed nunquid eadem est veritas*, &c. Dicit, quòd licèt in re sit eadem veritas propter veram identitatem realem: tamen logicè loquendo vna prædicatio multum differt ab alia. Nam cùm dico: *Deus est Pater*, &c. hæc est prædicatio formalis. Cùm verò dico, *Deitas est Pater*, est prædicatio per identitatem, siue identica, de qua infrà patebit *dist. 5. quæst. 1.* In re tamen est eadem: quia Deus, & Deitas tantùm nomine, vel tantùm ratione differunt, vt suprà patuit *dist. 2. part. 2. quæst. 1.* & infrà patebit *dist. 8. quæst. penult.*

Prædicatio formalis denominatiua & identica.

3. Et nota pro intelligentia huius literæ, quòd in prædicatione formali semper prædicatum conuenit formaliter subiecto, id est, quòd quando prædicatum conuenit subiecto per quandam inhæsionem, siue per modum formæ informantis, siue inhærentis, & hoc vel essentialiter, vel denominatiuè. Essentialiter, vt *homo est animal*. Denominatiuè, vt *homo est albus*: semper enim concretum, siue substantiale, siue accidentale, vt sic, natum est prædicari formaliter, vt infrà declarabo *dist. seq.* Prædicari verò identicè nihil aliud est, nisi prædicatum esse realiter idem cum suo subiecto, & non per modum formæ: siue inhæsionis, & maximè propter infinitatem vtriusque extremi, vel saltem alterius: quia quando vnum extremum est formaliter infinitum propter sui infinitatem, & simplicitatem, identificat sibi realiter omne, quod conuenit illi. Si ergo prædicatum non est natum prædicari formaliter, scilicet per inhærentiam, saltem in modo prædicandi, si prædicatur de infinito intensiuè, prædicatur tantùm per identitatem, siue identicè, sicut hæc, *Deitas est Pater, & Filius*, &c. est tantùm prædicatio identica, & sic patet litera.

d *Sed pro quo supponit Deus, intelligendo istam esse veram, quasi prædicatione formali.* 4.

Respondet Doctor per aliqua dicta. Primum, quòd vnicuique *quo* correspondet proprium *quod*, vel *quis*: & hoc adæquatè; licèt alicui *quo*, possint correspondere plura *quod*: non tamen adæquatè: patet, quia humanitas est *quo* respectu cuiuscunque suppositi hominis. Hæ enim sunt veræ: *Hic homo est humanitate hic homo*, & similiter, *Ille homo est humanitate homo*. Sed proprium adæquatum, *quod* humanitatis in communi est *homo* in communi, & proprium adæquatum, *quod* huius humanitatis est *hic homo*: sicut ergo Deitas est de se hæc, ideò proprium, & adæquatum *quod* est *hic Deus*. Et sic hic *Deus* est hac Deitate Deus. Et in hoc, quod dico, *hic Deus*, non intelligo aliquod incommunicabile, imò simpliciter est communicabile tribus suppositis: proprium ergo, & adæquatum *quod* Deitatis est *hic Deus*: non includendo aliquem conceptum personæ. Et vt sic, ista est vera: *Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, vt nullum simpliciter concernit suppositum.

Deus est communicabilis tribus suppositis.

Et addit Doctor quòd fortè ista est vera: *Deus creat*: accipiendo ly *Deum*. vt est adæquatum *quod* Deitatis, & vt non includit conceptum alicuius incommunicabilis. Et quod dicit hîc de colore, cùm dicitur: *hic color disgregat*, quòd ly *color* supponit pro primo significato suo: puta pro hoc colore existente: non autem pro colore existente in superficie: quia videtur dicere, quòd si hic color esset separatus à superficie, adhuc hoc 5.

prædicatum, quod est *disgregare*, conueniret sibi ita quòd posset verè disgregare: hoc non debet sic absolutè intelligi: nam si color, per possibile, vel impossibile, esset separatus ab omni superficie, non posset immutare sensum, vt expressè patet à Doctore *in 4. dist. 12. quæst. 2.* Dico ergo, quòd si color esset separatus à quantitate, adhuc esset verè immutatiuus sensus: non tamen potentia propinqua, quia vt sic, actu non potest immutare, sed benè potentia remota: quia ratio formalis immutandi non est à quantitate: sed ab ipso colore singulari existente, non est tamen immutatiuus actu, nisi vt existens in debita quantitate: requiritur ergo quantitas, non vt aliquid pertinens ad rationem immutandi sensum, sed tantùm dispositio requisita, vide Doctorem *in 4. vbi suprà.*

Quomodo color immutat sensum.

6. *Dubitatio.* Sed posset dubitari, An hic Deus, vt non includit conceptum alicuius incommunicabilis, possit generare Filium, sicut conceditur ipsum posse creare, & gubernare, & conseruare mundum?

Solutio. Dico, quòd non: & ratio quia inter generans, & genitum semper est realis distinctio. Si ergo hic Deus, vt non includit conceptum personæ possit generare Deum: tunc hic Deus generans realiter distingueretur à Deo genito: & cùm hic Deus, vt sic, tantùm dicat Deitatem, sequeretur, quòd Deitas realiter distingueretur à se ipsa. Et ideò necesse est hunc Deum supponere pro aliquo supposito, cùm dicimus, *hic Deus generat*, sed non est simile, quando dicimus, quòd *hic Deus* (vt non supponit pro aliquo supposito) *creat mundum*, quia vt sic includit omnia necessaria ad creationem: est enim ens infinitum actualissimè existens per se: licèt non sit incommunicabile: non enim actio de necessitate præsupponit suppositum, vt suprà declaraui.

Actio de necessitate non præsupponit suppositum.

Et addit Doctor quòd ratio incommunicabilitatis non est ratio agendi, siue creandi. Sed hæc ratio non videtur sufficere: quia diceretur, quòd etsi non sit ratio formalis agendi: est tamen conditio agentis, necessariò requisita ad agendum, sicut etiam ipse dicit, quòd singularitas non est ratio formalis agendi, sed tantùm conditio agentis, vt suprà patuit *dist. 3. quæst. 6.*

Obiectio. Solutio. Dico, quòd non est simile de ratione suppositi, & ratione singularitatis: quia singularitas est conditio simpliciter necessaria respectu actionis: quia natura nunquam potest esse ratio formalis agendi, nisi realiter existat in aliquo singulari: vt exposui suprà *dist. 3. quæst. 6.* non est autem simpliciter necesse ad hoc, vt sit ratio formalis agendi, & propinqua, quòd actu existat in aliquo supposito. nam calor separatus à substantia esset verè ratio formalis calefaciendi, & proxima etiam: tamen non includit rationem suppositi.

Si dicatur, si ratio suppositi non esset simpliciter necessaria ad actionem: ergo Deitas, vel memoria fœcunda, vt non includit rationem suppositi, poterit esse ratio formalis generandi filium, & propinqua. Dico primò, quòd ratio suppositi est necessaria non simpliciter propter generationem: sed propter distinctionem realem producentis, & producti: quia enim generatio requirit extrema realiter distincta, ideò in diuinis necesse est ponere rationem suppositi respectu generantis, & si generatio per possibile, vel impossibile posset esse in diuinis sine reali distinctione generantis, & geniti, non esset inconueniens dicere memoriam fœcundam esse simpliciter rationem formalem generandi proximam, & optimè dispositam, vt patet ex dictis Doctoris *infra dist. 7. & in quodlib. quæst. 3.* Et vide expositionem, quam suprà feci *dist. 1.* 7. *Obiectio.* *Solutio.*

Ad primum argumentum in oppositum. Respondetur quòd ista: *nullus Deus est Pater*, &c. non est contradictoria huic. *Deus est Pater*, &c. si præcisè fiat distributio pro personis: quia tunc non negatur, quod primò affirmatur in affirmatiua: nam in affirmatiua affirmatur, tres personas dici tantùm de Deo, vt ly *Deus* non includit aliquam rationem incommunicabilitatis, siue vt tantùm supponit pro Deo præcisè, & non pro aliquo supposito, sed in ista, quando dicitur, nullus Deus est Pater, &c. accipitur ly *Deus*, vt supponit pro suppositis. Si verò acciperetur *Deus*, vt non includit aliquod suppositum, hæc est falsa, *nullus Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.*

Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & quòd Deus est Trinitas.

Secunda ratio cum sua responsione clara est in litera: licèt responsio sit extra textum Doctoris.

DISTINCTIO QVINTA.

A. *De comparatione generationis ad terminũ essentialem abstractum, qui est essentia. Ratio prima quare ita sit.*

POST hæc quæritur vtrùm concedendum sit, Quòd Pater genuit diuinam essentiam, vel quòd diuina essentia genuit Filium, vel essentia genuit essentiam, an omnino non genuit, nec genita est diuina essentia? Ad quod, Catholicis tractatoribus consentientes, dicimus: quòd nec Pater genuit diuinam essentiam, nec diuina essentia genuit Filium, nec diuina essentia genuit diuinam essentiam: hîc autem nomine *essentiæ* intelligimus diuinam naturam, quæ communis est tribus personis: & tota in singulis. Ideò non est dicendum, quòd Pater genuit diuinam essentiam: quia si Pater diceretur genuisse diuinam essentiam, diuina essentia relatiuè diceretur ad Patrem, vel pro relatiuo poneretur. Si autem relatiuè diceretur, vel

vel pro relatiuo poneretur, non indicaret essentiam. Vt enim ait Augustinus in 5. *libro de Trinit.* Quod relatiuè dicitur, non indicat substantiam. *Cap.7. circa finem eiusdem.*

Secunda ratio.

ITem, cùm Deus Pater sit diuina essentia, si eius esset genitor, esset vtique genitor eius rei quæ ipse est: & ita eadem res seipsam genuisset, quod Augustinus negat, vt suprà ostendimus. *B.* *Distinctione quarta primi.*

Tertia ratio & potior.

ITem, si Pater est genitor essentiæ diuinæ, cùm ipse essentia diuina sit, & Deus sit: eo quòd generat, & est, & Deus est. Ita ergo non illud quod generatur est à Patre Deus, sed Pater eo quòd generat, & est, & Deus est. & si ita est, non genito gignens, sed gignenti genitus causa est, vt & sit, & Deus sit. Simili ratione probat Augustinus in *lib.7. de Trinit.* quòd Pater non est sapiens sapientia quam genuit: quia [si ea sapiens est, ea est: hoc enim est ibi esse, quod sapere. Quòd si hoc est ibi esse, quod sapere: non per illam sapientiam, quam genuit Pater, sapiens est. Quid enim aliud dicimus, cùm dicimus, hoc illi est esse quod sapere: nisi, eo est, quo sapiens est? Ergo quæ causa illi est vt sapiens sit, etiam ipsa illi causa est vt sit. Si ergo sapientia, quam genuit, illi causa est vt sapiens sit, & causa illi est vt sit. Sed causam Patri, quâ sit, à Patre genitam, nullo modo quisquam dixerit sapientiam: quid enim est insanius?] Ita ergo si Pater genuit essentiam quâ est, essentia quam genuit, causa est illi vt sit. Non ergo ipsam quâ est, essentiam genuit. Nam in illa simplicitate, vt inquit Augustinus: [quia non est aliud sapere quàm esse, eadem est ibi sapientia quæ essentia,] ideóque quod de sapientia, hoc de essentia dicimus. Sicut ergo non genuit sapientiam, quâ sapiens est, ita nec essentiam, quâ est. Vt enim sapientia sapiens est, & potentia potens: ita & essentia ipse est. Eadémque sapientia est & potentia, quæ essentia. Patet itaque ex prædictis, quia Pater essentiam diuinam non genuit. *C.* *Cap.10.* *Ibidem.*

Huic aduersari videtur Augustinus.

HVic autem videtur contrarium quod Augustinus ait in libro vnico de fide & Symbolo. [Deus cùm Verbum genuit, id quod ipse est genuit: nec de nihilo, nec de aliqua iam facta conditáque materia, sed de seipso id quod ipse est.] Item, [Deus Pater qui verissimè se indicare animis cognituris & voluit & potuit, hoc ad seipsum indicandum genuit, quod est ipse qui genuit.] Ecce apertè dicit his verbis, Deum Patrem genuisse illud quod ipse est. Illud autem quod ipse est, non est nisi diuina essentia: videtur ergo diuinam essentiam genuisse. Ad quod respondemus, illa verba sic intelligenda esse: dicentes, Pater de seipso genuit illud quod ipse est, id est, Filium, qui est illud quod Pater est. Nam quod Pater est, & Filius hoc est: sed non qui Pater est, & Filius hic est. *D.* *August. cap.3.* *Ibidem.*

Alias partes quæstionis exequitur.

ITa etiam non est dicendum, quòd diuina essentia genuit Filium, quia cùm Filius sit diuina essentia, iam esset Filius res, à qua generatur: & ita eadem res seipsam generaret. Ita etiam dicimus quòd essentia diuina non genuit essentiam. Cùm enim vna & summa quædam res sit diuina essentia, si diuina essentia essentiam genuit, eadem res ipsam genuit, quod *E.*

omnino esse non potest: sed Pater solus genuit Filium, & à Patre & Filio procedit Spiritus sanctus.

Quæ videantur prædictis esse contraria.

F. *August. de Trinit. lib. 7. c. 1. & 2.*

PRædictis autem videtur contrarium esse quod dicit Augustinus in *lib. 7. de Trinit.* Hoc, inquit, est Deo esse, quod sapere: vnde Pater & Filius simul sunt vna sapientia, quia vna essentia: & singillatim sapientia de sapientia, sicut essentia de essentia. Ecce his verbis apertè dicit Augustinus sapientiam de sapientia, & essentiam de essentia, vbi videtur significare quòd sapientia sapientiam, & essentia genuerit essentiam. Idem in lib. de fide ad Petrum ait, [Sic Christum Dei Filium, id est, vnam ex Trinitate personam, Deum verum crede, vt diuinitatem eius de natura Patris natam esse non dubites.] Hîc videtur dicere quòd natura Filij sit nata de natura Patris. Idem in *lib. 15. de Trinit.* ait. [Dicitur Filius consilium de consilio, & voluntas de voluntate: sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia.] Et hîc videtur dicere quòd substantia sit genita de substantia, & sapientia de sapientia. Sed hoc ita determinamus, Sapientia de sapientia, & substantia de substantia est, id est, Filius qui est sapientia, qui est substantia, est de Patre qui est eadem substantia & sapientia: & Filius qui est diuinitas, natus est de Patre, qui est natura diuina. Et, vt expressiùs dicamus, dicimus Filium sapientiam, esse de Patre sapientia: & dicimus Filium substantiam, esse genitum de Patre & à Patre substantiâ. Quòd autem ita intelligi debeat, Augustinus ostendit in *lib. 7. de Trinit.* dicens. [Pater ipse sapientia est: & dicitur Filius sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris, id est, sicut lumen de lumine, & vterque vnum lumen: sic intelligatur sapientia de sapientia, & vterque vna sapientia & vna essentia.] Item, [ideò Christus dicitur virtus & sapientia Dei, quia de Patre virtute & sapientia, etiam ipse virtus & sapientia est, sicut ipse lumen de Patre lumine est, & ipse fons vitæ est apud Deum Patrem fontem vitæ. Filius ergo sapientia de Patre sapientia est, sicut Filius lumen de Patre lumine, & Deus Filius de Deo Patre. vt & singulus sit lumen, & singulus sit Deus, & singulus sit sapientia: & simul vnum lumen, vnus Deus, vna * substantia.] Ecce manifestè his verbis aperit Augustinus ex quo sensu accipienda sint prædicta verba & his similia, scilicet cùm dicitur substantia de substantia, vel substantia genuit substantiam.

Cap. 3. — *Cap. 20. Determinatio eorũ quæ videtur cõtraria.* — *August. de Trinit. lib. 7. cap. 1. circa finem capitis. Eodem lib. cap. part. 3. 1. ad Cor. 1.* — * sapientia.

Quod videtur prædictæ expositioni contrarium.

G. *Hilar. non lõgè à principio lib. Circa finem libri quinti paulò post medium. Quòd natura Dei in forma sua manens, formam naturæ & infirmitatis corporalis acceperit: quòd natura*

HVic verò etiam id contrarium videtur, quod Hilarius ait in 4. *libr. de Trin.* [Nihil, inquit, nisi natum habet Filius, & geniti honoris admiratio in honore generantis est.] Cùm ergo Filius essentiam habeat, (tota enim in eo est diuina essentia) videtur quòd ipsa diuina essentia nata sit. Item in 5. *lib.* ait. [Natiuitas Dei non potest eam ex qua prouecta est, non tenere naturam. Nec enim aliud quàm Deus subsistit, quòd non aliunde quàm de Deo subsistit.] Ecce hîc dicit natiuitatem Dei prouectam ex natura: & ita videtur ex his verbis atque prædictis natura Dei & genita, & genuisse. Quod apertiùs dicit in *lib. 9. de Trinit.* Nos, inquit, [vnigenitum Deum in forma Dei manentem in natura hominis mansisse profitemur: nec vnitatem formæ seruilis, in naturam diuinæ vnitatis refundimus: nec rursum corporali insinuatione Patrem in Filio prædicamus, sed ex eo eiusdem generis genitam naturam, naturaliter in se gignentem habuisse naturam: quæ in forma

naturæ

naturæ se gignentis manens, formam naturæ & infirmitatis corporalis acceperit. Non enim defecerat Dei natura ne esset: sed in se humilitatem terrenæ natiuitatis manens sibi Dei natura susceperat, generis sui potestatem in habitu assumptæ humilitatis exercens.] Ecce hîc apertè dicit, & naturam genuisse, & naturam genitam, & naturam assumpsisse naturam: quod à plerisque negatur. Item in eodem, [Nunquid vnigenito Deo contumelia est, Patrem sibi innascibilem Deum esse, cùm ex innascibili Deo natiuitas vnigenita in naturam vnigenitam subsistat.] Ecce & hîc dicit vnigenitam naturam. *Dei non est minuta in assumptione.* *Paulò inferius.*

Quomodo sint intelligenda præmissa verba Hilarij?

SEd quia hæc verba sanè vult intelligi, ipse idem dicit in 4. *lib.* [Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei sermo subiectus est.] Hæc ergo verba ita intelligi possunt. Nihil habet Filius nisi natum, id est, nihil habet secundùm quòd Deus est, nisi quod nascendo accepit: & ipse nascendo Patris in se subsistentem naturam habuit: vnde Hilarius addit in 5. *lib.* [Eandem naturam habet genitus, quam ille qui genuit: ita tamen, vt natus non sit ille qui genuit. Nam quomodo erit Pater ipse, cùm genitus sit? Sed in his ipsis subsistit ille qui genitus est, in quibus totus est ipse qui genuit: quia non est aliunde qui genitus est: & ideò non refertur ad aliud quod in vno subsistit, & ex vno. Ac sic in generatione Filij & naturam suam, vt ita dicam, sequitur indemutabilis Deus indemutabilem Deum gignens, nec naturam suam deserit ex indemutabili Deo indemutabilis Dei perfecta natiuitas. Subsistentem ergo in eo Dei naturam intelligamus, cùm in Deo Deus insit, nec præter eum qui Deus est, quisquam Deus alius sit: quia ipse Deus, & in eo Deus. Naturæ ergo Dei Patris veritas in Deo Filio esse docetur, cùm in eo Deus intelligitur esse qui Deus est. Est enim vnus in vno, & vnus ab vno.] *H.* *Circa medium eiusdem quarti.* *Circa finem quinti.* *Expositionē cōfirmat per verba eiusdem.* *Ioann. 4. Ego in Patre, & Pater in me.*

Quòd legitur Pater de sua substantia genuisse Filium, & Filium substantiæ Patris.

DIcitur quoque, & frequenter in Scriptura legitur, Patrem de sua substantia genuisse Filium. vnde Augustinus in lib. de fide ad Petrum ait, [Pater Deus de nullo genitus Deo, semel de sua natura sine initio genuit Filium Deum sibi æqualem, & eadem quâ ipse naturaliter æternus est, Diuinitate coæternum.] Ecce hîc dicit Augustinus Filium genitum de natura Patris. Est autem vna natura Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Si ergo de natura Patris genitus est Filius, genitus est de natura Filij & Spiritus sancti: immò de natura trium personarum. Idem quoque Augustinus in *lib. 15. de Trinit.* dicit Christum esse Filium substantiæ Patris, & de substantia Patris genitum, tractans illud verbum Apostoli loquentis de Deo Patre sic, [Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij charitatis suæ. Quod dictum est, inquit, Filij charitatis suæ, nihil aliud intelligatur quàm Filij sui dilecti, quàm Filij substantiæ suæ. Charitas quippe Patris, quæ in natura eius est ineffabiliter simplici, nihil est aliud quàm ipsa natura atque substantia, vt sæpè diximus, & sæpè iterare non piget: ac per hoc, Filius charitatis eius nullus alius est, quàm qui de substantia eius est genitus.] Ecce hîc apertè dicit Augustinus Filium esse genitum de substantia Patris, & Filium substantiæ *I.* *August. c. 2.* *Cap. 19. circa finem.* *Ad Col. 1.*

Augustin. tom.6.c.14. tiæ Patris. Idem quoque Augustinus in *lib.3.* contra hæreticum Maximinum, substantiam Dei genuisse Filium, & Filium genitum de substantia Patris asserit, dicens, [Carnalibus cogitationibus pleni substantiam Dei de seipsa gignere Filium non putatis, nisi hoc patiatur quod substantia carnis patitur quando gignit. Erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei. Nullo enim modo verum Dei Filium cogitatis, si eum natum esse de substantia Patris negatis. Non enim iam erat hominis Filius, & Deo donante factus est Dei Filius ex Deo natus, gratia, non natura. An fortè etsi non hominis Filius erat, tamen iam aliqua erat qualiscunque creatura, & in Dei Filium Deo mutante conuersa est? Sed nihil horum est: ergo aut de nihilo, aut de aliqua substantia natus est. Sed ne crederemus vos putare de nihilo, esse Dei Filium, affirmatis non vos dicere de nihilo esse Dei Filium. De aliqua ergo substantia est: etsi non de substantia Patris, de qua sit, dicite: sed non inuenietis. Iam ergo vnigenitum Dei Filium Iesum Christum, de Patris esse substantia: non vos nobiscum pigeat confiteri.] Idem in eodem, [Vtrique legimus vt simus in vero Filio eius Iesu Christo. Dicite ergo nobis, vtrùm iste verus Dei Filius, ab eis qui gratia Filij sunt, quadam proprietate discretus, de nulla substantia sit, an de aliqua? Non dico, inquis, de nulla: nec dicam de nihilo, ergo de aliqua substantia est. Quæro, de qua? si non de Patris substantia est, aliam quære, si aliam non inuenis, Patris agnosce substantiam, & Filium cum Patre *homousion* confitere:] Idem in eodem [Confiteor Deum Patrem omnino incorruptibiliter genuisse: sed quod est ipse genuisse.] Item, [Dico quod sæpè dicendum est. Aut de aliqua substantia est natus Dei Filius, aut de nulla, si de nulla, ergo de nihilo, quod vos iam non dicitis: si verò de aliqua, nec tamen de Patris substantia, non est verus Filius: si verò de Patris substantia, vnius eiusdémque substantiæ sunt Pater & Filius. Vos autem nec Filium de substantia Patris genitum vultis, & tamen eum nec ex nihilo, nec ex aliqua materia, sed ex Patre esse conceditis: nec videtis quàm necesse sit, vt qui non est ex nihilo, nec ex aliqua alia re, sed ex Deo, nisi ex Dei substantia esse non possit, & hoc esse quod Deus est. de quo est, id est, Deus de Deo natus: quia non alius priùs fuit, sed natura coæterna de Deo est.]

Matth.22. c. Cõtra Paulianos. Contra Arrium & Donatum. 1. Ioan.5. Paulò inferiùs. Ex eodem cap. circa principium.

Colligens summam prædictorum, aperit ex quo sensu accipienda sint.

K. His verbis præmissis innui videtur, quòd diuina substantia Filium genuerit, & quòd Filius sit genitus de substantia Patris, & quòd de Deo est natura coæterna, & quòd Pater id quod ipse est genuit. Id autem quod ipse est, diuina essentia est: & ita putari potest Pater diuinam essentiam genuisse. Vehementer mouent nos hæc verba, quæ quomodo intelligenda sint, mallem ab aliis audire, quàm ipse tradere. Vt tamen sine præiudicio, atque temeritate loquar, ex hoc sensu dicta possunt accipi: Natura coæterna de Deo est, id est, Filius coæternus Patri, de Patre est, ita quòd est eadem cum eo natura, vel eiusdem naturæ. Quem sensum confirmat Augustinus ibidem subiiciens, & quod dixerat quasi explanans. Dicto enim, Natura coæterna est de Deo, addit, [Non est aliud Filius, quàm illud de quo est, id est, vnius eiusdémque substantiæ est.] Deinde apertiùs talem intellectum ex prædictis verbis fore habendum aperit in eodem libro contra Maximinum, dicens, [Trinitas hæc vnius eiusdémque substantiæ est: quia non de aliqua materia, vel de nihilo est Filius, sed de eo de quo est genitus, item Spiritus sanctus non de aliqua materia,

August. lib. 3. contra Maximinum, c.14. circa principium capitis. Eodem capite.

materia, vel de nihilo eſt, ſed inde eſt vnde procedit.] His vtique verbis apertè oſtendit ea ratione dici Filium eſſe de ſubſtantia Patris, quia eſt de Patre genitus, ita quòd eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum eo: & Spiritum ſanctum eſſe de ſubſtantia Patris & Filij, quia ab vtroque procedit, ita quòd eſt eiuſdem ſubſtantiæ.

Quòd nec Filius, nec Spiritus ſanctus eſt de nihilo, ſed de aliquo, non tamen de materia.

OStenditur quoque ex illis verbis, Filium & Spiritum ſanctum non eſſe L.
de nihilo, ſed de aliquo: nec tamen de aliqua materia. Vnde etiam
Hilarius in *duodecimo libro de Trinitate*, ait, [Vnigenitus Deus cùm natus ſit, *Hilar. non*
Patrem teſtatur auctorem: cùm ex manente natus eſt, non eſt natus ex *longè à me-*
nihilo: & cùm ante tempus natus eſt, omnem ſenſum præuenit naſcen- *dio lib. 12.*
do.] Hìc apertè dicitur, quòd Filius non eſt natus ex nihilo. Similiter &
Spiritus ſanctus non eſt dicendus eſſe, vel procedere ex nihilo: quia Filius
de ſubſtantia Patris natus eſt, id eſt, à Patre eſt, cum quo eiuſdem ſub-
ſtantiæ eſt, & eadem ſubſtantia. Ex quo ſenſu etiam accipiendum eſt il-
lud, [Pater genuit id quod ipſe eſt, id eſt, Filium, qui eſt hoc quod Pater.] *Ex cap. 3.*
Et hoc ita debere intelligi Auguſtinus aperit, dicens in 1. *lib.* contra Maxi- *lib. de fide*
minum, [Hoc genuit Pater quod eſt: alioquin non eſt verus Filius, ſi quod *& ſymbolo*
eſt Pater, non eſt Filius.] Item, ſubſtantia Dei genuit Filium, id eſt, Pa- *paulo antè citato.*
tris ſubſtantia genuit Filium, qui eſt eadem ſubſtantia, & eiuſdem ſub- *Circa me-*
ſtantiæ. Quod ſic eſſe intelligendum Auguſtinus oſtendit, dicens ad Ma- *dium 1. lib.*
ximinum, [Sicut dicis, Spiritus Spiritum genuit: ita dic, ſpiritus eiuſdem *Ex lib. 3.*
naturæ, vel ſubſtantiæ ſpiritum genuit. Item ſicut dicis, Deus Deum ge- *cõtra Maximinum, cap. 14.*
nuit: ita dic, Deus eiuſdem naturæ, vel ſubſtantiæ, Deum genuit. Hoc *Lib. 3. c. 15.*
ſi crediderìs & dixeris, nihil de hac re vlteriùs accuſaberis.] His enim ver-
bis aperit, quomodo prædicta debeant intelligi. Similiter Filius natus eſt
de ſubſtantia Patris, vel Pater genuit Filium de ſua natura, ſiue eſſentia, id
eſt, de ſe natura, & eſſentia genuit Filium eiuſdem ſubſtantiæ ac naturæ,
& qui eſt eadem eſſentia, ac natura. Similiter expone illud, Filius ſubſtan-
tiæ Patris, & Filius Patris ſubſtantiæ, id eſt, qui eſt ſubſtantia, cum quo &
Filius eadem ſubſtantia eſt, quia conſubſtantialis eſt Patri Filius. Et hic
ſenſus adiuuatur ex his verbis Auguſtini: qui *in libro ſeptimo de Trinitate*, ait. *Auguſt. c. 6.*
[Tres perſonas eiuſdem eſſentiæ, vel tres perſonas vnam eſſentiam dici-
mus. Tres autem perſonas ex eadem eſſentia non dicimus, quaſi aliud ibi
ſit quod eſſentia eſt, aliud quod perſona.] His verbis oſtenditur, non eſſe
dicendum perſonam eſſe ex eſſentia, niſi ex ſenſu prædicto. Qui ſenſus
confirmatur etiam ex eo quod in libro decimoquinto de Trinitate idem
ait, [Sicut noſtra ſcientia, ſcientiæ Dei, ſic & noſtrum verbum, quod *Cap. 13. &*
naſcitur de noſtra ſcientia, diſſimile eſt illi verbo Dei, quod natum eſt *14.*
de Patris eſſentia. Tale eſt autem ac ſi dicerem, de Patris ſcientia, de
Patris ſapientia: vel quod eſt expreſſiùs, de Patre eſſentia, de Patre ſcien- *Ex cap. 14.*
tia, de Patre ſapientia. Ex hoc itaque intellectu, verbum Dei Patris vni-
genitus Filius per omnia Patri ſimilis, & æqualis rectè dicitur Deus de
Deo, lumen de lumine: ſapientia de ſapientia, eſſentia de eſſentia:
quia hoc eſt omnino quod Pater, non tamen Pater: quia iſte Filius,
ille Pater.

Quare

Quare verbum Patris dicatur Filius natura?

M. INde est, quòd solus vnigenitus Dei dicitur natura Filius, quia eiusdem naturæ est, & eadem natura est cum Patre: vnde Hilarius in libro primo de
1.5.6.& 7. Trinitate, de Christo loquens ait, Natura Filius est, quia eandem naturam quam ille qui genuit habet.

QVÆSTIO I.

Vtrùm essentia diuina generet, vel generetur?

Alensis 1.*p.q.*42.*m.*3.*art.*1. D.Thom. 1.*p.q.*39.*art.*5. D.Bonauent. *hîc q.*1.*art.*1. Richard.*q.*1.*&* 2. Durand. *quæst.vnic.* Gabr.*q.*1.*art.*2. Gregor.*q.*1. Suarez 1.*p tract.*3.*lib.*6.*c.*7. *Vide regulas quas ibi ponit, de huiusmodi prædicationibus. Vide* Scot.9.*Met.q.*2.3. *&* 1.*Phys.q.*9.*vbi de distinctione formali.*

CIRCA istam quintam distinctionem, in qua Magister agit de generatione in comparatione ad essentiam, quæro duo. Primò, vtrùm essentia diuina generet, vel generetur? Quòd sic, August. 7. de Trinit. cap.2. *Idem*
Argum.1. *dici accipiamus, cùm dicitur verbum, ac si dicatur nata sapientia: vt in vno eorum, eo quòd nata est, & verbum, & Filius, accipiatur. & in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quæ ad se dicitur, ac in altero, quod est sapientia: demonstretur essentia, ac per hoc ad se dicitur:* ergo expresse vult, quòd sapientia, vt est sapientia, & ad se dicitur, dicatur nata, vt natum est proprium Filij.

Secundò sic: Richardus 6.*de Trinit.cap.*22. videtur expresse loqui contra Magistrum Sententiarum, *Multi, inquit, temporibus nostris surrexere, qui non audent dicere substantiam genitam, quin potiùs, quod est periculosius, & contra Sanctorum auctoritates, audent negare, & modis omnibus conantur refellere, quòd substantia gignat substantiam, pertinaciter negantes, quod omnes Sancti affirmant. Ad illud, quod ipsi dicunt, auctoritatem inuenire non possunt; ad hoc quod dicimus, auctoritates multas etiam ipsi adducunt, in morem Goliæ,* &c. &
1. Regum cap.17. quia Magister exponit illas auctoritates, quas adducit contra se, ideò Richardus subdit ibidem de eo. *Benè dicunt Patres, quòd substantia substantiam gignit, vestra autem expositio ad hoc contendit, quòd credamus, quòd substantia substantiam non gignat, fidelis expositio, & omni acceptione digna, quia hoc quod sancti Patres clamant, contendit falsum esse, & quod nemo Sanctorum asserit, contendit verum esse.* hæc ille. Videtur deridere Magistrum, qui contra intentionem Patrum exponit auctoritates, quas adducit contra se, & videtur asserere oppositum illius, quod tenet Magister, esse de intentione Sanctorum.

2. Item, per rationem, essentia communicatur: ergo producitur. Antecedens patet per Augustinum 15. de Trinit. cap.26. *Essentiam præstat Filio sine initio generatio.* Probatio consequentiæ, tum quia *communicare, & communicari* sunt relatiuè opposita, & non dicunt nisi relationes originis: non enim dicunt relationes communes, patet: igitur dicunt relationes originis oppositas: igitur idem, quod *producere, & produci:* tum quia si sint aliqua duo correlatiua, si vnum extremum vnius sit idem vni extremo alterius, & reliquum reliquo.

Exemplum, si *A* & *B* essent duo correlatiua, & *C* & *D* correlatiua; si *A* & *C.* sit idem: *B* & *D.* erunt idem. Probatio, quia alioquin diceretur idem ad plura correlatiua, sicut *A.* quod idem est, quod ipsum *C.* diceretur correlatiuè ad *B* & *D.* quæ per te sunt diuersa. Hæc est vna combinatio relatiuorum, producens, & productum. & hæc alia, communicans, & communicatum: sed communicans, & producens idem sunt: ergo & extrema eis correspondentia sunt eadem.

Item per argumenta Logica, quando prædicatum prædicatur per se de subiecto, potest supponere pro eo. Patet de superioribus, & inferioribus: sed essentia prædicatur per se de Patre, quia Pater est essentia: ergo potest supponere pro eo: igitur sicut illa est vera; *Pater generat*, ita ista videtur esse vera, *essentia generat*, prout supponit pro Patre. Probatio minoris, quia non per accidens, quia nec vnum accidit reliquo, nec ambo tertio. &
Text.7. isti sunt duo modi vnitatis per accidens, qui ponuntur 5.*Metaphysica, cap de vno.*

Item *essentia est Pater:* ergo *essentia generat.* Antecedens patet per conuersionem simplicem. Probatio consequentiæ, de quocunque prædicatur subiectum, & propria passio. & hoc probatur, quia subiectum est medium ad demonstrandum propriam passionem suam

ſuam de eo, cui non primò conuenit illa paſſio: generatio autem videtur propria operatio, vel paſſio Patris, ergo conſequentia eſt bona. Item, eſſentia eſt Pater Filij: ergo eſſentia generat. Probatio antecedẽtis per conuerſionem: Pater Filij eſt eſſentia; igitur eſſentia eſt Pater Filij. Probatio conſequentiæ, eſſentia eſt Pater Filij: ergo Filius eſt Filius eſſentiæ. Probatio iſtius conſequentiæ, quia in relatiuis eſt conſequentia mutua: ſi *A*, eſt Pater *B*: ergo *B* eſt Filius *A*: ergo ſi eſſentia eſt Pater alicuius, ille erit Filius eſſentiæ.

Item vltimò genitum inquantum genitum, eſt aliquid, quia generatio non terminatur ad nihil, & inter nihil, & aliquid non eſt medium: ſed nihil in diuinis eſt aliquid, niſi ſit eſſentia: ergo Filius inquantum genitus, eſt eſſentia: ergo eſſentia generatur.

Contrà eſt Magiſter in litera.

SCHOLIVM.

Reſpondet negatiuè, & oſtendit hæreticum eſſe Abbatem Ioachim, qui oppoſitum tenuit, contra quem adducit, cap. Damnamus, de ſum. Trin. & rationes Alenſ. & Magiſtri.

IN iſta quæſtione errauit Abbas Ioachim, vt habetur *extrà de ſum. Trinit & fid. cap. Damnamus.* Dixit enim Magiſtrum Petrum eſſe hæreticum, quia dixit rem eſſe in diuinis, quæ nec producit, nec producitur. Ex hoc enim intulit Ioachim, quòd Petrus poneret quaternitatem in diuinis. Poſuit enim tres res, rem generantem, rem genitam, rem ſpiratam, & poſuit rem nec generantem, nec genitam, nec ſpiratam: ergo quatuor res. Hoc igitur inconueniens, quod ſequi videbatur, vitando, poſuit Ioachim, quòd nulla res vna eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: ſed tantùm dixit perſonas illas eſſe vnam rem, ſicut multi fideles dicuntur vna Eccleſia, propter vnam fidem, & charitatem. Et iſtud probauit per illud Saluatoris in Ioan. orantis Patrem pro ſuis fidelibus, *Vt ſint vnum*, inquit, *ſicut & nos.* Intulit igitur Ioachim, cùm fideles non ſint vnum vnitate naturæ: ergo nec Filius eſt vna res cum Patre. 3. *Cap.7.*

Iſtud ſecundum [a] in opinione Ioachim, eſt hæreticum, ſcilicet, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus non ſint aliqua vna res: quia ſicut arguitur cap præallegato, Pater gignendo, dedit eſſentiam ſuam Filio. Nullam enim aliam potuit dare, quâ Filius eſſet Deus: & ſimili ratione, ambo eam dederunt Spiritui ſancto. Non autem erat iſta communicatio partis eſſentiæ, quia eſſentia eſt ſimplex, & indiuiſibilis: ergo totius eſſentiæ; ergo tota eadem eſſentia, quæ eſt in Patre, eſt in Filio, & Spiritu ſancto, & propter ſimplicitatem diuinam, quælibet perſona eſt illa res, & tres perſonæ ſunt illa res. *Vide in 4. d. 5. q. 1. vbi dicit Ioachim, eſſe hæreticum.*

Quod autem arguit de Euangelio, ſoluitur ibi. Nam Saluator intelligit in oratione ſua, quòd ſcilicet illi fideles ſint vnum vnitate ſibi proportionabili, ſicut Pater, & Filius ſunt vnum vnitate ſibi proportionabili, hoc eſt, quòd ſicut Pater, & Filius ſunt vnum vnitate charitatis, quæ eſt natura eorum, ita fideles ſint vnum charitate participata.

Et iſta expoſitio probatur ibi per ſimile dictum Saluatoris Matth. 5. dicentis diſcipulis ſuis: *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt*, vbi non monuit, quòd ſimus perfecti naturaliter ex nobis, ſicut Pater ex ſe naturaliter eſt beatus, vel perfectus: ſed vt eſſemus perfecti perfectione nobis competente, ſcilicet gratiæ, & virtutum.

Quantùm autem [b] ad primum articulum, in quo Ioachim dixit Magiſtrum Petrum eſſe hæreticum, contradicit ſibi Papa. *Nos autem ſacro approbante Concilio credimus, & confitemur* (cum Petro, ſcilicet) *quòd vna ſumma res eſt eſſentia, vel natura diuina, quæ nec generatur: & tamen non ſequitur, quòd ſit quaternitas, quia illa tres res, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt illa vna res. Quaternitas autem eſſe non poſſet, niſi eſſet quartum realiter à tribus diſtinctum.* 4. *Extrau. de ſum. Trinit. vbi ſuprà.*

Pro iſta igitur opinione Magiſtri ſic ſolenniter approbata, adducitur talis ratio. Res generans generat aliam rem, & realiter diſtinctam: quia nulla res ſeipſam gignit, vt ſit, *primo de Trin. cap.* 1. eſſentia autem in diuinis eſt penitus indiſtincta: ergo nec generans, nec genita, quia qua ratione generans, & genita. *Vide Alex. de Ales prima parte q. 42. membro 3. art. 1.*

Ad hoc adducuntur [c] rationes Magiſtri in litera, quia eſſentia referretur ad ſe, & diſtingueretur à ſe.

Tertia ratio eſt [d], quia Pater eſt formaliter eo, quod generat, quia Pater eſt formaliter ipſa eſſentia, quæ eſt in Filio propter indiſtinctionem ipſius eſſentiæ, & ſi ipſam generaret, non eſſet formaliter ipſa eſſentia, quia illa eſſet diſtincta realiter ab eo, vt poſterior origine.

Adducitur etiam alia ratio, quia in creaturis forma non generat, nec generatur: ſed compoſitum; Deïtas autem ſe habet quaſi forma in perſona: ergo ipſa non generat, nec generatur: iſta ratio minorem habet euidentiam hîc, quàm in creaturis, quia ibi forma

non est aliquid per se existens, vt possit esse operans. Hîc autem, Deitas, non cointelligendo proprietates personales, est de se ens in actu.

Tamen [e] confirmatur ratio sic, quia operatio, quæ est necessariò distincti operantis, non potest esse eius, quod hîc est vt forma, quia ipsa est per se indistincta in tribus: talis autem operatio est personalis, quæ est *generare*.

Hæc quantum ad realitatem huius quæstionis dicta sint.

COMMENTARIVS.

1. *Contra hanc opin.* IN *ista quæst. errauit Abbas Ioachim*, &c.

a *Istud secundum in opinione Ioachim est hæreticum, scilicet quòd Pater, Filius, & Spiritus sanctus non sunt vna res vnitate naturæ*, hoc est dictu, quòd non includunt realiter, & essentialiter vnam, & eandem rem: & probat, quòd tres personæ sint simpliciter vna res, & accipit ibi *rem* pro re, quæ dicitur essentia, siue natura dans verum esse essentiale, & perfectissimum *esse* perfectionale, & non accipit *rem* pro aliquo incommunicabili; quia hoc modo tres personæ non sunt vna res, sed tres res, id est, tria incommunicabilia, siue tria supposita. Et quòd sint vna res essentialiter, patet; quia Pater generando Filium, communicauit eandem essentiam Filio: & Pater, & Filius, spirando Spiritum sanctum, eandem essentiam communicauerunt Spiritui sancto, & sic sunt vna res.

Quomodo possit defendi Abbas Ioachim vide Bargiũ in 1. sent. dist. 5.

2. b *Quantum autem ad primum articulum.*

Pro ista igitur opinione Magistri adducitur talis ratio. Quia omne generans realiter distinguitur à genito, vt patet in primo de Trinitate. essentia non distinguitur realiter ab aliquo in diuinis, quia propter sui simplicitatem, & infinitatem identificat sibi realiter quicquid dicitur de essentia. Cùm ergo non potest habere aliquod realiter distinctum: patet quòd ipsa nullo modo generat.

Ad hoc adducuntur rationes magistri in litera; quia si essentia referretur ad se, distingueretur à se, id est, quòd si essentia esset generans, & genita: tunc essentia, vt generans realiter referretur ad essentiam, vt genitam. Sed omne, quod realiter refertur ad aliquid, realiter distinguitur ab illo.

Essentia diuina est res ad alterũ identicè non formaliter.

Difficultas. Hîc tamen videtur difficultas; quia non sequitur, *A* realiter refertur ad *B*, ergo *A* realiter distinguitur à *B*. Nam Doctor expressè suprà *d. 2. p. 2. quæst. 3.* quòd eadem voluntas realiter refertur ad seipsam: patet, quia mouet seipsam; modò mouentis ad mobile est relatio realis, & tamen non distinguitur realiter. Hoc idem vult *d. 3. q. 7.* quòd idem in actu virtuali, & in potentia formali agit in seipsum actione reali: modò agentis ad passum est relatio realis, & tamen non distinguitur realiter à seipso, cùm idem sit agens, & passum. Hoc idem infrà *dist. 26. & in 2. d. 2. q. 10.* vbi quærit, an Angelus possit mouere se. Ibi expressè vult, quòd aliquid idem possit se mouere motu reali. Et similiter hoc idem vult *in d. 25. secundi.* Et sic non videtur sequi, *A* realiter refertur ad *B*, ergo *A*, distinguitur realiter à *B*.

Solutio. Dico, quòd licèt in locis præallegatis non sequatur distinctio realis, cùm non sit ibi relatio originis, scilicet agentis ad passum, siue mouentis ad mobile: est tamen ibi relatio realis respectu alicuius tertij verè producti nati recipi in eodem agente. Et ideò quando idem producit aliquid in seipso, licèt realiter distinguatur à producto, non tamen realiter distinguitur à seipso, vt receptiuo talis producti, & de hoc vide expositionem, quam feci *dist. 25. q. vnica secundi.* Sed in proposito, si essentia generaret, tunc includeret relationem originis terminatam ad genitum in se: illud autem genitum non posset esse, nisi essentia, quia qua ratione dicitur generans, eadem ratione diceretur genita: & sic includeret relationem originis ad seipsam: sed relatio originis de necessitate est inter extrema realiter distincta, videlicet originantis, & originati.

Tertia ratio est, quia Pater est formaliter eo, quo generat, id est, quòd est formaliter eo, quod per generationem communicat genito. Ista ratio supponit vnum, scilicet quòd eadem essentia sit in tribus personis formaliter, & quòd essentia est id, quo Pater verè est, supple essentialiter, & quiditatiuè, non autem id, quo Pater est Pater, vt patet per Augustinum, quia Pater paternitate est Pater formaliter: & Pater est supple ens quiditatiuè ipsa essentia. Secundò supponit, quòd genitum non est id, quo generans est quiditatiuè, siue essentialiter tale ens: patet, quia tunc genitum esset de ratione formali generantis: sequitur ergo per hanc rationem, quòd Pater non generat essentiam, quia si essentia esset genita, tunc essentia non esset id, quo Pater esset tale ens quiditatiuè, siue essentialiter; quia suum *esse* essentiale realiter distingueretur à Patre, & hoc est, quod intelligit per hanc rationem. 3.

7. de Trin. cap. 6.

d *Adducitur etiam alia ratio, quia in creaturis forma non generat, nec generatur*, quia generatio per se terminatur ad compositum: vt patet 7. Metaph. *text. com.* 22. sed clariùs, *text. com.* 26. 27. & 32. forma autem non dicitur per se generari. Ait enim sic Aristoteles text. com. 22. *Omnia quæ sunt à natura, aut artificio, habent materiam: quodlibet enim habet potentiam ad esse, & non esse, & hoc in quolibet est materia, & quod habet naturam, & est generatum habens naturam, vt domus, animal: & illud, per quod est illa natura, est illud, quod dicitur per formam, aut simile formæ, & est in alio: homo enim generatur: illa enim quæ sunt per naturam secundùm hoc generantur.* Et ibi vide expositionem Commentatoris, vbi expressè patet quòd solùm compositum per se generatur. Forma autem, quæ habet esse in composito, non generatur. & quomodo hoc intelligatur vide Doctorem *in 2. dist. 17.* & quæ ibi prolixè notaui. cùm ergo essentia diuina se habeat quasi forma in persona: ergo ipsa nec generat, nec generatur.

An forma, quæ habet esse in cõposito, generetur.

Dicit Doctor quòd hoc minùs valet in natura, quàm in creaturis; quia in creaturis forma non dicitur per se generari, quia quod per se generatur, est actu existens, & per se existens, & sic sola substantia per se generatur: vt homo, & asinus. Cætera enim generabilia magis dicuntur actiones, vt patet per Aristotelem 2. *Metaph. text. comm.* 22. & ibi Commentator sic ait: *Generabilia autem alia, quæ sunt in substantiis magis dicuntur acta, quàm generata.* Hæc ille. Actum autem propriè respicit passum, in quo recipitur. Cùm ergo forma in creaturis non sit per se ens existens: ideò non per se generatur: sed essentia diuina est perfectissimè ens, & actualissimum, & perfectissimum per se existens: etiamsi per impossi

impossibile nulla persona esset: adhuc esset perfectissimè per se existens summa existentia, & actualitate, imò vt sic præintelligitur omni proprietate hypostatica, vt patet à Doctore in pluribus locis *in isto* 1. *d.* 1. *&* 2. *&* 7. *&* 28. *& alibi sæpè.* ergo videtur, quòd ista ratio non sic concludat de essentia diuina, sicut concludit de forma in creaturis.

5. *Quid sit generare.* e *Tamen confirmatur ratio sic.* Ratio stat in hoc, generare est operatio alicuius generantis realiter distincti à genito: ergo non est operatio essentiæ diuinæ, vt hæc essentia: sine, vt hæc forma; quia ipsa, vt sic, est simpliciter idem realiter, & essentialiter tribus personis, & si talis generatio esset propriè operatio essentiæ, vt hæc de necessitate distingueretur realiter à persona genita, quod est falsum.

Nota hanc differentiam in litera. Nota tamen quòd aliud est dicere generare esse operationem alicuius, vt principij formalis productiui, & esse operationem alicuius, vt producentis. Primo modo non est alicuius, vt realiter distincti à producto: memoria enim fœcunda in diuinis est principium *quo* formale productiuum notitiæ genitæ, vt suprà patuit *d.* 2. *p.* 2. ergo generatio est operatio memoriæ fœcundæ, vt principij *quo* formalis productiui; & constat, quòd ipsa non distinguitur realiter à producto. Secundo modo de necessitate est alicuius, vt realiter distincti: vt patet, quia persona patris est principium, *quod* producens, & realiter distinguitur à producto. Et quomodo generare dicatur operatio alicuius suppositi realiter distincti est difficile saluare: sustinendo quòd primum suppositum in diuinis constituatur in *esse* per relationem ad Filium: vt patet infrà *d.* 28. Et tamen talis generatio non præsupponit aliquo modo suppositum generans: cùm constituatur in *esse* suppositali per huiusmodi generationem actiuam. Et ideò hoc tangit bonam difficultatem, quam aliqualiter, suprà *dist.* 1. pertractaui: sed magis clarè infrà *dist.* 7. Deo duce pertractabitur, vbi erit materia specialis. Doctor tamen *in Quodlib. q.* 4. Hanc materiam respondendo ad principalia argumenta subtilissimè, & acutissimè pertractat: quam benè nota.

SCHOLIVM.

Logicè explicat illam propositionem, essentia generat, *esse negandam per hanc regulam, quia quando subiectum est vltimatè abstractum, vt est essentia: & prædicatum non potest prædicari nisi formaliter, cuiusmodi est,* generat: *non potest propositio esse vera, nisi in primo modo per se, explicat abstractionem vltimatam tam in substantia, quàm in accidente absoluto, & respectiuo, & quomodo in diuinis substantiua prædicentur formaliter & identicè, adiectiua, formaliter tantùm: quam regulam defendant & variè limitant Tartaret, Leuchet, Mayron, & alij Scotistæ, respondendo multis argumentis in oppositum, & iuxta eam tenent abstractum limitatum non prædicari de abstracto, vt humanitas est animalitas: sed communiter admittunt hanc, humanitas est entitas, propter infinitatem permissiuam prædicati: aliqui tamen hoc ipsum negant: dissentiunt etiam, an hæc sit vera, hæc humanitas est humanitas. Sed ista, ad modum loquendi tantùm spectant, paruíque sunt momenti, quod ad præsens attinet, propter periculum errandi, quia essentia secundùm communem loquendi modum, non supponit pro supposito, sicut supponit Deus, hæc negatur,* essentia generat, *ista verò admittitur,* Deus generat.

SEd loquendo de Logica ratione, quare non potest hæc esse vera, *essentia generat,* vt essentia supponit ibi pro persona, sicut ista est vera: *Deus generat,* quia Deus supponit pro Patre, & tamen Deus non distinguitur à se, nec Deus est formaliter is qui generatur, licèt Deus generet Deum. 5.

Respondeo *. Quandocunque est subiectum abstractum vltimata abstractione, & prædicatum ex ratione sua, non potest prædicari nisi formaliter: non potest propositio esse vera, nisi sit per se primo modo: subiectum, hoc est, abstractum vltimata abstractione, & prædicatum hoc, de ratione sua non est natum prædicari nisi formaliter: ergo propositio non posset esse vera nisi per se primo modo. Sic autem non est vera hæc, quia prædicatum non est de per se intellectu subiecti, *Omne enim, quod dicitur ad aliquid, est aliquid præter relationem* 7. de Trin. 2. cap. ita quòd relatio non est intra conceptum absoluti; hujus Syllogismi maiorem declaro sic. *De vltimatè abstracto nihil prædicatur, nisi sit per se primo modo, explicatur.*

In substantiis quamuis in eadem re simplici possint esse perfectiones multæ substantiales formaliter distinctæ, & ibi vna ratio formalis possit abstrahi ab alia, remanente adhuc concretione vtriusque formalitatis ad sua propria supposita: verbi gratiâ, licèt hæc sit vera, *substantia intellectiua est volitiua,* vbi est prædicatio concretiua vnius perfectionis de altera: tamen hæc negatur, *intellectus est voluntas,* quia illa significant perfectiones illas, vt abstractas à se inuicem, & secundùm proprias formalitates: tamen adhuc sic abstracta concernunt propria supposita, vt hic intellectus est intellectus, & hæc voluntas est voluntas. Accipiendo tamen *substantiam,* siue simplicem, siue compositam præcisè secundùm rationem suam formalem quiditatiuam, tantùm est abstractio à supposito propriæ naturæ, quia communiter non sunt natæ concernere aliquid alterius naturæ: ideò ibi ista abstractio est maxima. Abstrahendo enim naturam humanam à suppositis, quæ sunt illius naturæ, sicut abstrahitur cùm concipitur humanitas: non 6. *In substantia vna est abstractio in accidente soluto duplex in relatiuo plures. vide Vall. in formalit.*

remanet vlteriùs abstractio alia. & ideò illud, vt sic conceptum præcisè, est ipsummet præcisè, quia cuilibet alij extraneum, sicut dicit Auicenna 5. Metaph. quòd *equinitas est tantùm equinitas, & nihil aliud.* (C. 1. & 2.)

Sed in accidentibus, quantò plura possunt concernere, tantò plures possunt fieri abstractiones. Concernunt quidem accidentia, supposita alterius naturæ, licèt ab his abstrahantur: concernunt tamen indiuidua propriæ naturæ, sicut *album* concernit lignum. & licèt ab hoc abstrahatur albedo, tamen adhuc concernit albedinem hanc, & illam, quæ sunt indiuidua sua. Sed vlteriùs est abstractio quiditatis à supposito, qualis dicta est fieri in substantiis, & illam circumloquimur per hoc, quòd dicimus quiditas albedinis, & illa non concernit aliquod suppositum, nec eiusdem naturæ, nec alterius.

In relationibus etiam (quæ plura concernunt) adhuc plures possunt esse abstractiones: concernit enim relatio suum proprium indiuiduum, fundamentum, & subiectum. & licèt abstrahatur à posteriori, non tamen à priori.

Exemplum, hoc concretum, quod est *causa*, dicitur de igne, qui causat calorem in ligno, vt de subiecto: sed abstrahendo à subiecto, remanet adhuc concretio ad fundamentum, puta si dicatur potentia causandi. Calor enim est potentia causandi calorem, non tamen ignis est potentia causandi illum. Adhuc potest fieri vlterior abstractio ad proprium genus, vt puta si dicatur *causalitas*, & tunc nec ignis, nec calor recipit prædicationem istius: tamen adhuc hæc causalitas est causalitas. Vltima abstractio, qualis est in substantiis, est per hoc, quòd dicimus, quiditas causalitatis, & hæc de nullo prædicatur alio. Ex istis narratis apparet, quæ sit vltima abstractio, quia quiditatis absolutissimè sumptæ ab omni eo quod est quocunque modo extra rationem quiditatis.

Quid sit abstractio vltimata, explicatur?

7\. *Nomina substantiua in diuinis dupliciter prædicantur, adiectiua formaliter tantùm.*

Circa alium terminum maioris, scilicet quòd prædicatum de quocunque dicitur, de necessitate formaliter prædicatur, notandum est, quòd substantiua possunt dupliciter prædicari in diuinis: quandoque formaliter, quandoque per identitatem. Sed adiectiua, si prædicantur, de necessitate formaliter prædicantur, & hoc quia sunt adiectiua. Nam ex hoc quòd sunt adiectiua, significant formam per modum informantis, & ideò de nullo dicuntur verè, nisi ad quod se habent per modum informantis, de quo videlicet formaliter dicuntur. Talia sunt, non tantùm nomina adiectiua, sed omnia participia, & verba.

His intellectis, patet illa maior assumpta, quando aliquid est abstractum vltimata abstractione, ita quòd est abstractum ab omni eo, quod est extra rationem eius, & prædicatum eius non prædicatur de aliquo, nisi formaliter, non est vnio vera talium extremorum, nisi sit formalis, & per se primo modo; quia istud prædicatum præcisè, natum est prædicari formaliter, ideò non potest saluari veritas per identitatem tantùm, & quia subiectum est summa abstractione abstractum, non potest stare pro aliquo qualitercunque alio à se, sed præcisè pro se formaliter. & ideò oporteret, quòd sua ratio præcisa formalis, esset idem illi prædicato, quod non posset esse, nisi ista ratio præcisa includeret illud prædicatum. Patet igitur illa maior.

Patet etiam illa minor, quòd talia sunt ista extrema. *Essentia generat*, vel *Deitas generat*, quia *Deitas* est abstractum vltimata abstractione, *generat* autem est verbum. Ideò non potest prædicari nisi formaliter: non sic autem abstrahitur vltimata abstractione hoc nomen *Deus*, & ideò potest supponere pro persona, vt cùm dicitur, *Deus creat*, *Deus generat*.

ADDITIO. *Istud tamen, quod dictum est de multiplici abstractione, quid valet? nam hæc humanitas est humanitas, hæc albedineitas est albedineitas, & vniuersaliter nulla potest esse abstractio, quantumcunque vltima, (dum tamen conceptus abstractus sit communis, sicut semper oportet) quin abstractum dicatur de suo singulari, & per se: sed illud singulare non est suppositum, quando abstrahitur quiditas ab habente quiditatem. Ita in accidentibus, nunquam abstractum habet pro singulari suppositum. Itaque in accidentibus licèt ponatur multiplex abstractio à subiecto remotiori, & propinquiori, sicut relatio à supposito, siue subiecto, & fundamento, & in substantia vnica, scilicet à supposito, sed non à singulari, non tamen oportet quòd in aliqua abstractione abstractum non prædicetur de aliquo, nec aliquid de ipso, quia hoc est impossibile: sed sufficit ad propositum hoc, quòd vltimatè abstractum, hoc est ab omni alterius natura, & à supposito proprio, non à singulari, de illo non prædicetur aliquid formaliter, nisi prædicetur per se primo modo: igitur nunquid humanitas est animalitas? humanitas enim non est singulare animalitatis, sed hæc animalitas: homo autem est quasi quoddam suppositum animalis.*

COMMENTARIVS.

1. a RESpondeo. In ista litera nota multa singularia dicta. Primum, quando subiectum est abstractum vltimata abstractione, & prædicatum ex ratione sua non potest prædicare, nisi formaliter, non potest propositio esse vera, nisi per se primò.

Pro intelligentia huius est intelligendum, quòd hîc Doctor loquitur de abstracto vltimata abstractione primæ-intentionaliter. Sicut dicimus, quòd humanitas est vltimatè abstracta : & non pro ratione fabricata ab intellectu: sicut dicimus, quòd ratio bonitatis non est ratio Deitatis: nec è contra, licèt Deitas, quæ est vltimatè abstractum, verè dicatur bonitas.

Adiectiua vt sic tātùm nata sunt prædicari formaliter. Secundum, aliqua sunt prædicata, quæ de sua ratione tantùm sunt nata prædicari formaliter: sicut omnia adiectiua adiectiuè sumpta; quia omnia talia prædicantur de subiecto per modum formæ inhærentis : sicut generare, generans, spirare, spirans, sapiens, bonus, & huiusmodi. Et dicuntur ista tantùm prædicari formaliter propter modum prædicandi, qui modus est suo modo inhærentiæ prædicati ad subiectum per modum formæ.

Tertium, vltimatè abstractum, vt sic tantùm includit in prædicatione formali illa prædicata primi modi dicendi per se : & sic concedimus, quòd Deitas est substantia, est ens: quæ vt sic prædicantur : tantùm sunt nata prædicari formaliter. Si verò prædicatum non est de quiditate illius, & natum sit tantùm prædicari formaliter: nunquam poterit prædicari de sic vltimatè abstractis; quia vltimatè abstracta, vt huiusmodi, non possunt terminare dependentiam alicuius formæ per modum informantis, vel inhærentis.

Et ex his patet ista propositio : quòd de vltimatè abstractis nullum prædicatum, quod tantùm natum est prædicari formaliter potest verificari, nisi sit natum prædicari in primo modo dicendi per se.

2. Secundum dictum est, quòd relatio concretiuè sumpta tantùm nata est prædicari formaliter de fundamento : & si fundamentum esset vltimatè abstractum non poterit prædicari de illo, nisi in primo modo dicendi per se. Sed essentia diuina est vltimatè abstracta, & non includit in suo conceptu relationem : ergo nulla relatio potest prædicari formaliter de essentia diuina, & quòd non includat probat per August. 7. *de Trin.* quam auctoritatem suprà exposui *dist.* 1. *quæst.* 2.

Tertium dictum est, *quòd in substantiis, siue simplicibus, siue compositis vltima abstractio est abstrahere substantiam à suppositis.*

Quid sit abstrahere substantiā à supposito. Pro intelligentia huius, nota, quòd abstrahere substantiam à supposito propriè est sic considerare ipsam, vt non sit apta nata prædicari de supposito, à quo abstrahitur. Exemplum in natura humana, quæ dupliciter potest considerari. Vno modo vt est apta nata prædicari de supposito : & sic habet rationem concretj, & tunc accipitur pro homine; quia hæc est vera, *hic homo est homo.* Alio modo potest considerari in se præcisè, vt non concernit suppositum propriæ naturæ, quod tunc est : considerando ipsam, vt nullo modo aptam verificari de supposito, sicut humanitas. Hæc est enim falsa de rigore sermonis, *hic homo est humanitas.*

Si dicatur : Nónne hæc est vera : *hæc humanitas est humanitas?* Dico, quòd sic : ergo vt abstracta verificatur de supposito propriæ naturæ. Dico, quòd verificari, siue concernere suppositum propriæ naturæ est ipsum concernere per modum formæ inhærentis quando formaliter prædicatur, quod tunc est, quando accipitur concretiuè: nec hæc humanitas dicitur proprium suppositum naturæ : sed benè hîc homo.

Et nota, quòd istæ abstractiones non fiunt in re: sed tantùm per intellectum : patet, quia in re idem est penitus homo, & humanitas. Addit in ista litera, quòd in substantiis propriè tantùm est vna abstractio, quæ est naturæ ad supposita propria, modo præexposito. natura enim humana, cùm non sit apta nata prædicari, nisi de supposito proprio, ideò tantùm concernit illud. *Abstractiones fiunt per intellectum.*

Si dicatur, quòd etiam potest prædicari de supposito alterius naturæ: vt patet de facto de natura humana assumpta à Verbo : & etiamsi assumeretur à lapide, quod Deus posset facere, vt patet à Doctore *in* 3. *dist.* 2. adhuc prædicaretur de lapide, quia hæc esset vera, *lapis est homo.* 3. *Obiectio.*

Dico primò, quòd concernere suppositum est concernere illud per modum formæ informantis, vel inhærentis : sed natura humana respectu alterius suppositi non se haberet per modum formæ; quia nullum actum daret : nec quouis modo perficeret, vt exposui in 3. *dist.* 1. & 2. *Solutio.*

Dico secundò, & magis ad propositum, quòd tantùm concernit suppositum propriæ naturæ: vel aliud suppositum supplens vicem suppositi propriæ naturæ : & sic Verbum supplet vicem proprij suppositi naturæ humanæ, vt patet à Doctore *in* 3. *dist.* 1. & *in Quodlib. q.* 19. *Quid sit concernere suppositum.*

Addit etiam, quòd quando in eadem substantia sunt plures perfectiones realiter idem, tunc possunt fieri duæ abstractiones : vt quando vna perfectio concernit suppositum propriæ naturæ, & concernit suppositum alterius naturæ. Exemplum : Intellectiuum est volitiuum, tunc enim volitiuum prædicatur de intellectiuo : & vt sic concernit aliquod suppositum intellectiui : concernit etiam suppositum proprium. Sicut voluntas concernit hanc voluntatem, vt suppositum proprium, quia hæc est vera : hæc voluntas est voluntas, prima abstractio fit ab intellectiuo quando volitiuum sic consideratur, vt non possit prædicari de intellectiuo, vt considerando voluntatem in se, tunc hæc est falsa, intellectiuum est voluntas.

Secunda abstractio fit quando consideratur voluntas, vt non possit prædicari de hac voluntate, quæ est suppositum propriæ naturæ, vt accipiendo sic pro quiditate voluntatis, & tunc hæc est falsa: hæc voluntas est quiditas voluntatis.

Et nota, quòd non accipitur hîc suppositum simpliciter pro incommunicabili, de quo suprà dictum est : sed accipitur suppositum propriæ naturæ pro omni eo, quod potest recipere prædicationem naturæ in *quid:* & sic hæc albedo dicitur suppositum albedinis; suppositum verò alterius naturæ accipitur pro omni eo, quod potest recipere prædicationem denominatiuè, vt ly *denominatiuè* distinguitur contra prædicationem essentialem : & sic paries dicitur suppositum albedinis, quando prædicatur de illo, vt cùm dicimus, paries est albus. *Quomodo hic accipiatur suppositum.*

Secundum dictum est ibi : *Sed in accidentibus*

Nota de multiplici abstractione.

quantò plura possunt concernere, tantò plures possunt fieri abstractiones.

In ista litera sunt duo consideranda. Primum, quòd in accidentibus absolutis possunt fieri saltem duæ abstractiones. Vna à supposito alterius naturæ, & alia à supposito propriæ naturæ; quia saltem ista duo possunt concernere.

In accidentibus absolutis fiunt duæ abstractiones.

Prima fit à supposito alterius naturæ, quod fit considerando accidens, vt non possit prædicari de supposito alterius naturæ: vt cùm considero albedinem in se. nam hæc est falsa: *paries est albedo.*

Secunda fit considerando naturam albedinis, vt non sit apta nata prædicari de supposito proprio, puta de hac albedine: vt considerando quiditatem albedinis in se; siue albedineitatem, & tunc hæc est falsa, *Hæc albedo est albedineitas*, vel quiditas albedinis.

In accidentibus respectiuis fiunt tres abstractiones.

Secundum est, quòd *in accidentibus respectiuis aliquando possunt fieri tres abstractiones, & plures, si plura concernunt.* Et exemplum clarum est in litera. Infert ergo Doctor quid sit vltima abstractio, quia est quiditatis absolutissimè sumptæ ab omni eo, quod est quocunque modo extra rationem quiditatis, vt humanitas inquantùm humanitas, tantùm includit illa, quæ sunt de sua ratione formali, & quiditatiua, vt exposui in 2. *dist.* 3.

Ista est falsa, humanitas est animalitas.

Et ex his infero, quòd ista de rigore sermonis est falsa: *Humanitas est animalitas*, quia animalitas, vt animalitas, de nullo formaliter potest prædicari: fortè tamen ista est vera, *humanitas est animal*; quia animal consideratur sub ratione qua est idem humanitati. Ista tamen, *humanitas est entitas*, est vera prædicatione identica: quia entitas, etsi non sit formaliter infinita: est tamen permissiuè infinita, & hæc erit vera prædicatione formali: *humanitas est ens*, quia ens in concreto consideratum non est natum prædicari, nisi formaliter, & fortè ex istis posset ista negari: *Hæc humanitas est humanitas*; quia humanitas in communi, ex quo nihil concernit, non est nata prædicari, nisi de seipsa: dicere enim humanitatem prædicari de hac humanitate formaliter, est dicere humanitatem vltimatè abstractam concernere aliquid, de quo verè prædicetur per modum formæ inhærentis: & vt sic, non consideratur vt vltimatè abstracta: nec est vera prædicatione identica, quia humanitas non est formaliter infinita, nec permissiuè, cùm sibi repugnet infinitas.

5. Ex suprà dictis etiam infero, quòd de rigore sermonis istæ propositiones sunt falsæ, *Deitas est bona, est sapiens, est intelligens, est volens, est generans*, & huiusmodi: quia vt sic, vltimatè abstracta non includit formaliter, nisi tantùm prædicata essentialia. Nec valet dicere quòd sunt veræ prædicatione identica; quia huiusmodi prædicata tantùm sunt nata prædicari formaliter, & adiectiuè, & per modum formæ inhærentis.

Vbi autem est prædicatio identica, consideratur perfecta indentitas prædicati ad subiectum: ita quòd prædicatum non consideratur vt aliquid inhærens: sed consideratur, vt eadem res cum subiecto. Sed omnes istæ sunt veræ: *Deitas est paternitas, est generatio actiua, est bonitas, est intellectio, est volitio, est sapientia*, & huiusmodi: sunt enim veræ tantùm prædicatione identica; quia vt sic, non sunt natæ prædicari formaliter de essentia, cùm sint vltimatè abstracta: nec concernunt aliquid, de quo vt sic, verificari possint: quia tamen propter infinitatem essentiæ diuinæ considerantur, vt sunt eadem res cum essentia diuina: erunt veræ per identitatem; siue per prædicationem identicam, quæ prædicatio identica aliquando fit abstracti de abstracto, inquantùm vtrumque est infinitum: & sic ista, *Sapientia est bonitas*: est vera tantùm prædicatione identica: vtrumque enim extremum est formaliter infinitum, vt infrà patebit *dist.* 8. *quæst. pen.* Aliquando est identica ratione vnius extremi formaliter infiniti, vt in ista: *Bonitas est paternitas.* Vbi verò considerantur abstracta vltimata abstractione, & vnum non est formaliter infinitum, nunquam vnum verificatur de altero, nec identicè, nec formaliter: vnde hæc est falsa: *Paternitas est filiatio: generatio actiua est generatio passiua*, & huiusmodi.

Propositiones tantùm identicè in diuinis.

Vltimum dictum in ista litera est, quòd *substantiua possunt dupliciter prædicari in diuinis, scilicet formaliter, & per identitatem: adiectiua verò si prædicantur, de necessitate formaliter prædicantur.* Exemplum de substantiuis: *Deus est Pater*; siue, *Pater est Deus.* Hæc enim est prædicatio formalis: sed hæc est identica tantùm: *Pater est Deitas*, vel è contra: accipiendo semper *Pater* substantiuè. 6.

Substantiua possūt duobus modis prædicari, in diuinis.

Aliqui etiam dicunt, quòd *sapiens* potest accipi substantiuè: & tunc est prædicatio formalis: *Deus est sapiens*, & hæc identica: *Deus est sapientia.* Credo tamen, quòd hoc non sit propriè dictum, quia *sapiens* significat formam per modum inhærentis.

Si dicatur quòd erit idem de Patre, & paternitate. Dico, quòd hoc non sequitur in diuinis; quia *Pater*, vt Pater, est verè substantiuum, cùm sit quoddam constitutum per se ex essentia, & paternitate, non sic in creaturis.

Et cùm dicitur, quod infrà patebit, quòd aliquando accipitur adiectiuè. Dico, quòd tunc *Pater* non accipitur inquantùm Pater, sed inquantùm generans: & si *generare*, siue *generans* adiectiuè accipiatur: substantiuè verò accipitur *generans* pro generatione. Sequentia clara sunt ex dictis suprà.

Nonnulli arguunt contra multa dicta Doctoris, & primò contra illam propositionem, videlicet: *Quando subiectum est abstractum vltima abstractione: & prædicatum ex ratione sua non est aptum natum prædicari, nisi formaliter: non potest esse propositio vera, nisi sit se primò.* Hanc propositionem dicit esse falsam dando instantias contra eam: quia ista secundùm Scotum est vera: *Essentia diuina communicatur Filio.* Similiter ista, *Essentia diuina videtur ab intellectu creato.* Similiter ista, secundùm Scotum, in 1, dist. 1. *Essentia diuina est obiectum fruibile.* Et adducit Ocham responsionem quorundam, qui dicunt quòd *communicari, videri*, & huiusmodi, dicunt præcisè relationem rationis super essentiam: & ideò non ponunt aliquid reale in essentia, & propter hoc non sunt prædicata distinctiua in essentia. Sed *generare* est aliquid reale in essentia, & reale prædicatum distinctiuum illius, cui conuenit ab alio: & ideò tale prædicatum non potest prædicari de essentia vltimatè abstracta. 7.

Ochā in prolog. dist. 3. q. 1. Alfons. Tol. in prol. dist. 5.

Contra hanc responsionem arguit Ocham, dicens: Abstractum vltimata abstractione non magis abstrahitur ab ente reali, quàm ab ente rationis: ergo tale abstractum non magis recipit prædicationem entis rationis, quàm entis realis. Confir

Confirmatur, quia secundùm Auicennam. Sicut equinitas, inquantùm equinitas, non est vna, nec plures: ita nec est in effectu, nec in intellectu, nec vniuersale, nec particulare.

Præterea, supposito quòd *communicari*, & *videri ab intellectu creato*, dicant præcisè relationem rationis: tamen *intelligere*, & *velle*, *esse bonum*, & *esse sapientem*, & huiusmodi, dicunt aliquod reale, sicut & *generare*, & tamen istæ sunt veræ: *Essentia diuina intelligit*, *Essentia diuina vult*, *est bona*, *est sapiens*, & huiusmodi.

Præterea, hæc est vera: *Essentia diuina creat*; *Essentia diuina distinguitur à creatura*, & tamen prædicata sunt distinctiua, quia necessariò inferunt essentiam diuinam distingui ab aliquo.

Præterea, Ratio sua non concludit, quia huius deberet assignari ratio quare tale prædicatum reale distinctiuum non prædicatur de essentia: & assignat rationem, quia subiectum est abstractum vltimata abstractione, & prædicatum non est natum prædicata, nisi formaliter: sed ista causa est communis, siue prædicatum sit distinctiuum, siue aliud.

8. *Solutio rationum Ocham.* Respondeo ad omnes istas obiectiones, præmittendo vnum, scilicet quòd multa conceduntur ex vsu loquentium, quæ tamen de rigore sermonis non sunt vera, vt in multis apparet. Et vltrà, multa admittuntur propter carentiam exprimendi conceptus, quæ tamen de rigore sermonis non admittuntur. Dico ergo, quòd de vltimatè abstracto nihil potest prædicari formaliter, nisi in primo modo dicendi per se. Et cùm dicit, *Essentia est communicabilis*, & huiusmodi. Dico, quòd de rigore sermonis ista propositio non admittitur: ista enim est vera, quòd *Deus sub ratione Deitatis est communicabilis*, siue *Deus sub ratione Deitatis est principium formale communicandi*: non enim *Deus*, vt est adæquatum *quod*, siue concretum Deitatis, includit rationem incommunicabilis, siue supponit pro aliqua persona, vt suprà expositum est *dist.4.quæst.2.* Et similiter ista est falsa de rigore sermonis, *Essentia videtur*: sed hæc est vera: *Deus sub ratione Deitatis videtur*; & breuiter omnes consimiles propositiones de rigore sermonis non admittuntur. Et ideò, iudicio meo, non oportet recurrere ad entia rationis, scilicet *communicabile*, & huiusmodi: quòd sit ens rationis, & per consequens prædicabile de essentia; quia concedo cum Ocham, quòd ita entia rationis repugnant vltimatè abstracto, sicut & *generare*, id est, quòd de voluntate abstractis huiusmodi prædicata non verificantur: sicut nec hoc prædicatum *generare*.

9. Est tamen aliqualis differentia inter huiusmodi prædicata; quia etsi entia rationis non verificentur de essentia vltimatè abstracta, verificantur tamen de adæquato concreto essentiæ, vt præscindit ab omni ratione suppositali: vt patet de ista: *Deus est communicabilis*: *Deus videtur*, &c. Aliqua verò sunt prædicata, quæ non prædicantur de essentia vltimatè abstracta, nec de Deo, vt præscindit à suppositis: siue vt non supponit pro aliquo supposito. Et sic hoc modo hæc est falsa: *Deus generat*, *Deus spirat*, *Deus generatur*, quia *generare*, cùm importet realem distinctionem generantis ad genitum, tantùm supposito competit: & ideò si ista conceditur: *Deus generat*, vera est, prout ly *Deus* supponit pro persona Patris. Et sic patet quòd huiusmodi prædicata distinctiua non verificantur de essentia: nec de adæquato concreto essentiæ, quod est *Deus*: vt non supponit pro aliquo supposito. Si dicatur, ista est vera: *Obiectio.* *Deus creat*, vt non supponit pro aliquo supposito, vt suprà patuit *dist.4. quæst.2.* Et tamen *creare* est prædicatum distinctiuum. Dico, quòd nulla præ- *Solutio.* dicata distinctiua ad intrà verificantur de Deo, nisi inquantùm supponit pro aliquo supposito: prædicata verò distinctiua, quæ important respectum ad extrà, possunt verificari de Deo, vt non supponit pro aliquo supposito.

Ad alias instantias dico, quòd omnes istæ pro- 10. *De vltimatè abstractis quid non prædicetur.* positiones de rigore sermonis sunt falsæ, scilicet *Essentia intelligit*, *Essentia diligit*, *Essentia est bona*, & *sapiens*, & huiusmodi: & quòd sint falsæ, patet suprà, exponendo mentem Doctoris. Et si aliquando conceduntur, hoc non erit de rigore sermonis: sed ex impropriè vsu loquentium. Et sic patet responsio ad istas instantias, & ad omnes alias, quæ fieri possunt: & loquendo de abstractis vltimatæ abstractionis, siue in Deo, siue in creaturis, omnes istæ negarentur de rigore sermonis: *Equinitas inquantum equinitas*, *distinguitur à Deo*, *Equinitas est creata*; *Equinitas est vna*, & huiusmodi. Sed benè istæ sunt veræ: *Equus sub ratione equinitatis distinguitur à Deo*, *est creatus*, &c.

Idem Ocham arguit. Deinde arguit Ocham, vbi suprà, improbando aliud dictum Doctoris, videlicet, quòd *in substantiis sit tantùm abstractio à suppositis propriæ naturæ*: dando instantiam, quia hæc est vera: *Filius Dei est homo.* & hæc est falsa, *Filius Dei est humanitas*: ergo substantia concernit aliquod suppositum alterius naturæ.

Item, hæc est vera: *Hæc humanitas est humanitas*: quamuis non prædicetur de supposito alterius naturæ: ergo *humanitas* non est abstractum vltimata abstractione, sicut nec albedo à suis singularibus.

Responsio. Dico, quòd ad omnia ista patet responsio ex his, quæ suprà exposui, mouendo difficultates circa dicta Doctoris. Et breuiter, si rectè intueantur, quæ exposui suprà, omnes instantiæ contra Doctorem possunt solui. Et ex his patet responsio ad argumenta Alfonsi Tol. *in 1.d.5.q.vnica.* Et quia illa argumenta incidunt cum argumentis Ocham, ideò non replico illa.

SCHOLIVM.

Soluit argumenta realia, seu Theologica: ostenditque differentiam inter communicari *&* produci, *&* communicare *&* producere: *quòd* producere *&* produci *dicunt relationes reales,* communicare *&* communicari, *relationes rationis.*

AD argumenta in oppositum *. Ad primam auctoritatem Augustini respondeo, 8. quòd *sapientia* licèt abstrahatur à *sapiente*, quod est operans: tamen adhuc significat potentiam operatiuam, vel principium operatiuum. & ideò non abstrahitur summa

abstractione, quia potentia operatiua aliquo modo concernit aliquid, & propter talem concretionem aliqualem, aliqualiter conceditur, quòd sapientia est nata, nullo autem modo, quòd essentia sit nata. Quòd autem Augustinus dicit aliquando, *Filium esse essentiam de essentia*, hoc exponetur in sequenti quæstione, quòd hoc non probat essentiam esse genitam, vel generantem, sed esse illud, de quo Filius generetur.

Ad dictum Richardi, si intendit reprehendere Magistrum ibi, sicut ex verbis eius apparet, cùm doctrina Magistri, & præcipuè ista, authenticetur per Concilium generale in capite præallegato, nego Richardum, tenendo Magistrum: & quòd dicit Magistrum adducere multas auctoritates contra se, Magister benè exponit eas, sicut patebit in sequenti quæstione. Nullam autem habet pro se auctoritatem, sed habet illam vniuersalis Ecclesiæ, capite præallegato, quæ maxima est, quia dicit Augustinus in libello contra Epistolam Fundamenti. *Euangelio non crederem, nisi Ecclesia Catholica crederem*, quæ Ecclesia sicut determinauit, qui libri habendi sunt in Canone Bibliæ, ita etiam determinat qui libri habendi sunt authentici in libris Doctorum; sicut patet in Canone, & post istam auctoritatem Canonis non inuenitur in corpore Iuris scriptum aliquod ita authenticum, sicut scriptum Magistri, præallegato capitulo.

Celebre dictum Aug. D.15. Can. Scripturas vel 5. Rom. eccl.

9. Ad rationem illam [b] de *communicare*, dico, quòd productio habet productum pro termino suo primo: & dico hîc primum terminum, terminum adæquatum. & hoc modo dicit Philosophus 7. *Metaphysicæ*, quòd compositum primò generatur, quia est quod primò habet *esse* per productionem, hoc est, adæquatè: in composito tamen forma est formalis terminus generationis, non autem terminus per accidens, sicut apparet per Philosophum 2. *Physicorum*, vbi probat formam esse naturam per hoc, quòd generatio est naturalis, quia est via in naturam: est autem via in formam: ergo, &c. Quæ ratio nulla esset, si forma esset tantùm terminus per accidens generationis. & in eodem etiam vult, quòd forma, & finis coincidunt in idem: quod non est verum de fine geniti, sed generationis: ergo terminus formalis generationis verè est ipsa forma: ipsum igitur generans vnam habet habitudinem ad primum terminum, qui dicitur productus, siue genitus, & aliam habitudinem habet ad formalem terminum: & in creaturis vtraque habitudo est realis, quia vtraque habitudo habet terminos realiter distinctos, & realis dependentia est vtriusque producti ad ipsum producens. In proposito autem producens ad primum productum habet relationem realem, quia distinctionem realem, & realem originem: ad terminum autem formalem in producto, non habet relationem realem, quia non distinctionem realem, sine qua non est relatio realis. *Producere* igitur in diuinis dicit relationem realem: *communicare* autem dicit relationem originis, & quasi rationis, concomitantem illam realem. Cùm igitur dicitur, quòd istæ sunt relationes oppositæ, scilicet *communicare*, & *communicari*: Dico, quòd sunt relationes rationis oppositæ, secundùm proprias rationes suas, licèt necessariò concomitentur aliquas relationes reales oppositas, scilicet *producere*, & *produci*: sed istæ relationes, & illæ non sunt eorundem relatorum formaliter.

Text. com. 26.2.& 32.

Text. 14.

Text. 70.

In creatis duplex respectus realis gignẽtis ad genitum, in diuinis tãtùm vnus.

Per idem ad secundum dico, quòd nullum extremum vnius correlationis, est idem formaliter cum extremo alterius correlationis. Communicans enim & producens, licèt concurrant in eodem supposito, quia natura non dicitur propriè communicans se, sicut dicitur communicata: tamen communicans non dicit formaliter eandem relationem, quam dicit producens, vt producens: *communicari* autem, & *produci*, nec eandem dicunt relationem, nec idem primò denominant.

COMMENTARIVS.

1. a *Ad argumenta in oppositum.* Hîc Doctor respondet ad argumenta principalia. Et primò ad illa quæ sunt realia.

Sed in responsione ad primam occurrit dubium; quia non videtur, quòd propter hoc, quòd sapientia, est principium operandi, debemus concedere quòd sit nata, vel quòd sit generans, cùm ista prædicata semper importent distinctionem realem; & si hoc absolutè concederet, haberet concedere, quòd memoria fœcunda possit generare: quia ipsa est potentia generandi, vt infrà *dist.* 7. & tamen non conceditur,

Dico primò, quòd non haberem pro inconuenienti dicere istam propositionem non esse veram de rigore sermonis, scilicet *Sapientia est nata.* *Solutio.*

Dico secundò, quòd adeò concedit istam: *Sapientia est generans*: quia vt est principium summè dispositum generandi, sic concernit aliquod suppositum. Et ideò ratione illius conceditur, quia suppositum sapientiæ, vt principio formali productiuo, siue, vt potentia generandi verè generat. Et similiter posset dici de memoria fœcunda, quæ, vt est potentia generandi, concernit

cernit aliquod suppositum, cuius dicatur potentia generandi. Sed essentia, vt vltimatè abstracta, non dicitur potentia generandi. sicut nec ista dicitur potentia generandi intellectualitas, siue quiditas intellectus; sed benè intellectus potest dici potentia generandi.

Ad secundum responsio clara est in litera.

2. b Ad tertium respondet Doctor, & in responsione ponuntur plura dicta. Primum, quòd terminus adæquatus productionis est ipsum productum totale: quia compositum primò generatur, vt patet 7. Metaph. *text. com.* 22. 26. & 27. id est, quòd adæquatus terminus generationis est compositum.

Secundum dictum est, quòd in composito genito forma est terminus formalis generationis: loquendo de forma, quæ est pars compositi, non autem de forma totius. Et est terminus per se formalis generationis: non autem per accidens, quia generatio per se terminatur ad formam, quæ est pars compositi: non autem per accidens, vt patet 2. *Physic. text. comm.* 14. vbi sic habetur: *Et etiam natura, quæ dicitur de generatione, est via ad naturam*, &c. vbi Commentator: *Hoc nomen*, natura, inquit, *dicitur de generatione, quæ est via ad hoc, quod forma fiat*, id est, quòd generatio dicitur naturalis, quæ est via ad formam: de qua prædicatur natura: ideò sequitur, *Ideò forma est dignior: hoc enim nomen* transmutari *deriuatur in rebus naturalibus ab eo, ad quod est transmutatio*, id est, quòd transmutatio dicitur naturalis, quia terminatur ad ens naturale. Et hoc patet per exemplum Commentatoris. *Illud*, inquit, *quod transmutatur de nigredine in albedinem, dicitur albescere, non nigrescere, & similiter dicimus, quòd illud, quod alteratur de frigore in calorem calefieri, & non infrigidare.* Hæc ille.

3. *Forma est terminus formalis generationis.* Dicit ergo Doctor quòd forma est per se terminus formalis generationis, quia generatio per se terminatur ad formam: patet, quia generatio dicitur per se naturalis; quia per se est via formæ, de qua forma per se prædicatur natura, vt patet 2. *Physic. text. com.* 4. vide ibi textum cum comm. Probat etiam, quòd sit terminus per se generationis, quia generatio dicitur per se, quia terminatur ad formam per se: patet, quia si aliquid dicitur per se finis, siue terminus generationis, dicitur per se generatio: sed forma est per se finis generationis naturalis: patet, quia forma, & finis coincidunt per Philosophum 2. *Physic. text. com.* 70. quod intelligitur de fine generationis, non autem de fine geniti: vt patet ibi in litera Philosophi, secundùm translationem aliam: *Et multoties reducuntur tria ad vnum.* Et ibi Commentator: *Accidit enim* (inquit) *in scientia naturali, vt tres causæ, scilicet agens, forma, & finis sint vnum secundùm subiectum, & plura secundùm definitionem.* Et parum infrà: *Quoniam homo generatur ex homine: ideò generans, & genitum sunt vnum secundùm formam, & forma generata est finis motus materiæ ab agente. Et sic ista forma erit agens, & finis, & for-* *Quomodo agens, forma, & finis sint vnum.*

ma; & quia hoc non est verum in rebus, quæ non generantur ab æquali sibi in specie, neque in finibus rerum generabilium, ideò finis generationis est alia à fine generati. Hæc ille. Et sic patet expressè quomodò forma dicitur per se finis generationis naturalis.

Tertium dictum in litera Doctoris est, quòd generans habet vnam habitudinem ad primum terminum, qui dicitur productus, & aliam habitudinem habet ad formalem terminum, siue ad illud, quod est formalis terminus generationis, & in creaturis vtraque habitudo est realis; quia vtraque habitudo habet terminos realiter distinctos, & est realis dependentia vtriusque producti ad ipsum producens. Exemplum: Ignis generat ignem. ignis est principium *quod* generans, & forma substantialis ignis est ratio formalis generandi, siue est *quo* ignis generat, vt principio formali generandi, & ignis genitus est compositum, quod propriè generatur, & forma ignis geniti est terminus formalis generationis, siue est quo, vt principio formali generationis, ignis genitus principaliter accipit *esse*, & patet in creaturis, quòd tam ignis producens, & ignis productus realiter distinguuntur, quàm forma in igne producente, quæ est ratio formalis generandi, & forma in igne genito, quæ est terminus formalis generationis, quæ etiam realiter distinguuntur: ideò sicut relatio ignis generantis ad ignem genitum est realis: ita & relatio principij formalis generandi ad terminum formalem generationis erit verè realis. Si tamen eadem forma numero, quæ est principium formale generandi, communicaretur igni genito: tunc eadem, vt in igne generante diceretur principium formale generandi, & in igne genito tantùm diceretur terminus formalis generationis, & sic relatio formæ, vt principij productiui ad seipsam, vt terminum formalem productionis, esset tantùm rationis: quia non esset inter extrema realiter distincta, vt patet. Et quòd tantùm sit relatio rationis, patet per Aristotelem 5. Metaphys. *text. non habente, com. in cap. de eodem*, qui textus incipit: *Eadem verò dicuntur*, &c. vbi vult Aristoteles quòd identitas non sit relatio realis, quia non est inter extrema realiter distincta. 4. *Relatio realis præsupponit extrema realia distincta realiter.*

Quartum dictum est, quòd in diuinis relatio generantis ad genitum est verè realis, quia inter extrema realiter distincta: relatio verò communicantis ad communicatum, siue relatio principij formalis generandi ad terminum formalem generationis, est tantùm rationis: quia eadem essentia numero, vt in Patre, est ratio formalis generandi, & vt in Filio est terminus formalis generationis. Dicerem tamen de rigore sermonis, quòd essentia, vt vltimatè abstracta, non est communicans, nec communicata, sed Pater communicat eam Filio per realem generationem, & in Filio habetur vt terminus formalis generationis, & sic patet responsio ad ista argumenta realia. 5. *Identitas non est relatio realis.*

SCHOLIVM.

Soluit argumenta Logica contra resolutionem quæstionis, explicans quomodo hæc est vera, essentia est Pater, & similiter hæc, essentia est Pater Filij sumendo ly Pater *substantiuè, non adiectiuè: & reiicit Henricum impugnantem Alensem quo cum conuenit.*

AD argumenta Logica [c], cùm primò arguitur de prædicatione per se; dico quòd essentia non prædicatur per se primo modo de Patre, neque formaliter. Cùm probas, 10.

bas, quia non per accidens; dico, quòd (ſicut in creaturis) non omnis prædicatio eſt per ſe, vel per accidens, accipiendo *accidens* propriè, vt quando accidens prædicatur de ſubiecto. Non enim genus per ſe prædicatur de differentia, nec ſic per accidens, quia neutrum neutri accidit, nec ambo tertio: ſed eſt ibi medium extraneum ſiue inferius, contrahens aliud, quod inferius poteſt dici accidens ſuperiori, id eſt, extraneum, ſed non propriè accidens: in diuinis autem non omnia ſunt per ſe eadem, id eſt, formaliter, nec tamen ineſt aliquid alicui per accidens propriè, ſed aliquid eſt idem alicui abſoluta identitate, abſque formali identitate, & ita eſt in propoſito.

Pater ſumitur ſubſtantiuè, & adiectiuè.

Ad aliud dico [d], quòd iſta, *eſſentia eſt Pater*, poteſt diſtingui, quia Pater poteſt ſumi adiectiuè, vel ſubſtantiuè. Secundo modo ſignificat perſonam, cuius eſt Paternitas: & concedo eam eſſe veram per identitatem, quia ſubſtantiuum poteſt prædicari de aliquo per identitatem. Primo modo ſignificat ipſam proprietatem denominatiuè, & hoc modo exponit Magiſter *diſt.*27. Quia idem eſt Patrem eſſe, & genuiſſe: hoc modo iſta eſt falſa, *eſſentia eſt Pater*, quia ſignificat Patrem formaliter prædicari de eſſentia. Quando igitur arguis, de ſubiecto & paſſione, dico, quòd quando paſſio poteſt prædicari prædicatione eiuſdem rationis cum illa, qua prædicatur ſubiectum, vel quando habet ſimilem modum prædicandi, poteſt ex ſubiecto inferri paſſio: quando non, non. Hoc ſubiectum, ſi ſit ſubſtantiuum, poteſt prædicari per identitatem: paſſio autem, ſi eſt paſſio, non poteſt, ſed tantùm formaliter, quia eſt adiectiuum.

Eſſentia eſt Pater quomodo vera, & falſa?

Paſſio non ſemper dicitur de uo ſubiectum.

11\. *Henr.1.p.q.20.m.3.a.1. In reſponſ. ad 5. argumentum.*

Ad aliud [e], *eſſentia eſt Pater Filij*, quidam Doctor repetit opiniones aliorum. Primam Magiſtri Alexandri, qui diſtinguit iſtam, *eſſentia eſt Pater Filij*, ſicut iam diſtincta eſt illa præcedens, ſcilicet *eſſentia eſt Pater*, quòd Pater poteſt ſumi adiectiuè, vel ſubſtantiuè. Primo modo dicit ipſam eſſe falſam, & conſequentiam non valere; ſecundo modo veram.

Ratio Præpoſitiui 1.

Aliam Magiſtri Præpoſitiui, qui dicit eam ſimpliciter eſſe veram, ad quod habet duas rationes: vnam per conuerſionem, quia ſi conuertens eſt vera, conuerſa erit ſimiliter vera: ſed hæc eſt vera, *Pater Filij eſt eſſentia*; *ergo eſſentia eſt Pater Filij.*

Ratio 2.

Aliam habet rationem, quia hæc eſt ſimpliciter vera, *eſſentia eſt Pater*, aut igitur alicuius, aut nullius: ſi nullius, ergo omnino non eſt Pater: ſi alicuius, & non niſi Filij: ergo eſſentia eſt Pater Filij.

Henricus admittit hanc, eſſentia eſt Pater, negat hanc, eſſentia eſt Pater Filij.

Contra Magiſtrum [f] Alexandrum arguit ſic, & probat quòd ly *Pater*, tantùm tenetur adiectiuè: quoniam nomina, quæ imponuntur à potentia actiua, & paſſiua, vt ſunt *Magiſter*, & *diſcipulus*, *Pater*, & *Filius*, *ædificator*, &c. ſumuntur tantùm in ſignificatione adiectiua, & hoc in reſpectu, quem habent ad aliud quod reſpicit potentia, à qua imponuntur: ſed quandocunque aliquid habet rationem adiacentis, vel adiectiui ex reſpectu ad aliud, quantò magis eſt determinatus eius reſpectus, tantò magis habet rationem adiacentis, vel adiectiui, & tantò minùs, quanto magis eſt indeterminatus. Sicut patet de reſpectu modi infinitiui, quem Grammatici dicunt poſſe ſupponere magis, quàm alios, quia illi dicunt finitam inclinationem ad ſuppoſitum, ille verò infinitam inclinationem ad ſuppoſitum: infinitiuus autem, & adiectiuum in neutro genere, potiùs ſubſtantiuantur, quàm in genere maſculino vel fœminino: ergo cùm ly *Pater Filij*, habeat finitam, & expreſſam habitudinem, non ſic autem cùm per ſe ponitur ly *Pater*, ideò licèt poſſet teneri ſubſtantiuè dicendo, *eſſentia eſt Pater*, non tamen niſi adiectiuè, dicendo *eſſentia eſt Pater Filij*, & ſic ſimpliciter iſta eſt falſa, *eſſentia eſt Pater Filij.* Et ſi obiiciatur, Eſſentia eſt Pater, & non eſt Pater niſi Filij, ergo eſt Pater Filij, aut non eſt Pater.

12\. Reſpondeo, patet, quòd eſt fallacia figuræ dictionis, quia in prima propoſitione, *Pater*, per ſe ſupponit pro tota perſona: in ſecunda autem cùm dicitur, quòd eſt Pater Filij, copulat proprietatem tantùm circa ſubiectum.

Patet etiam, quòd non valet argumentum primum Præpoſitiui, Pater Filij eſt eſſentia: ergo eſſentia eſt Pater Filij, per conuerſionem, quia debet ſic conuerti; ergo aliquid, quod eſt eſſentia, eſt Pater Filij; ſicut iſta, *Indiuiduum eſt homo*, non ſic conuertitur: ergo homo eſt indiuiduum, ſed ſequitur, ergo aliquid, quod eſt homo, eſt indiuiduum.

Similiter ſecunda ratio non valet, cùm arguitur, eſſentia eſt Pater, aut igitur alicuius, aut nullius. Dicendum, quòd non ſequitur propter fallaciam figuræ dictionis, quia ſtatim cùm additur, *alicuius, vel nullius*, aliter copulat, quàm priùs ſupponebat. Et dicendum eſt, quòd nullius eſt Pater, id eſt, non alicuius eſt Pater. & non ſequitur ex hoc, quòd non ſit Pater, propter figuram dictionis, ſed ſequitur tantùm; ergo non conuenit ei proprietas Paternitatis.

Ideò reſpondet tertio modo, quòd hæc eſt ſimpliciter falſa, *Eſſentia eſt Pater Filij*, quia ly *Pater*, tantùm tenetur adiectiuè propter rationem præmiſſam.

Contra

Contra modum eius dicendi arguo sic; Quod includitur essentialiter in conceptu alicuius sicut pars conceptus, non potest ab eo excludi sub quocunque modo concipiatur: si enim sub aliquo modo concipiatur, & illud excludatur, tunc ille modus repugnat rationi conceptus, qui concipitur. Cùm ergo in conceptu relatiui ex hoc, quòd conceptus relatiuus, non vt hoc modo conceptus, vel illo, necessariò includatur correlatiuum, vt terminus eius, quia non potest esse, nec intelligi sine eo, sicut nec sine termino, hoc est enim esse eius: ergo quocunque modo concipiatur, siue adiectiuè, siue substantiuè, semper includeretur correlatiuum, vt terminus: & ita nullo modo potest intelligi, vt absolutum. *Refutat modum dicēdi Henrici.* *Relatiuum concipi nequit sine correlatiuè.*

Item, tunc ista esset incongrua, *Pater Filij est essentia*; quia adiectiuum non substantiuatum, non supponit congruè pro subiecto, ibi quippe in subiecto determinatur Pater per Filium, ad quem habet determinatum respectum: ergo, &c. *Adiectiuū non reddit suppositum verbo.*

Ideò teneo opinionem Alexandri, distinguendo (sicut ipse distinguit) quòd substantiuè est vera, adiectiuè falsa.

Ad rationes Præpositiui; dico, quòd conuersa est vera substantiuè, adiectiuè incongrua; quia masculinum non potest substantiuari. *Ad Præpositiuum.*

Ad secundam eius rationem dico, quòd essentia est Pater, igitur alicuius: & concedo, quòd est Filij: sed cùm arguitur in ratione principali: si essentia est Pater Filij, ergo Filius est Filius essentiæ: nego consequentiam. Cùm probatur per illam consequentiam mutuam in relatiuis; dico, quòd illa consequentia mutua tenet in illis relatiuis, quæ sunt primò relatiua. Tenet etiam in his quæ referuntur per relationes: si tamen dicantur formaliter relationes de eis, sicut si formaliter Socrates est Pater Platonis, è conuerso formaliter, Plato est filius Socratis: in his tamen, quæ non referuntur primò, nec etiam denominantur formaliter ab ipsis relationibus, sed relatio prædicatur de altero eorum per identitatem, non valet consequentia; quia ibi in consequente plus significatur, quàm in antecedente. In antecedente enim notatur identitas ad aliquid, de quo dicitur: sed in consequente significatur illud aliud referri ad illud formaliter. Cùm enim dicitur, *Filius est Filius essentiæ*, ex vi constructionis, significatur *essentiam* esse proprium correlatiuum eius, quod est *Filius*, & ita Filium esse formaliter Filium essentiæ: antecedens autem non significat relationē Paternitatis formaliter cōuenire essentię, sed tantùm per identitatem. 13. *Ad 2. Soluitur secundùm principale.* *Quare non admittitur, Filius est Filius essentiæ, sicut datur hæc essētia est Pater Filij.*

Ad vltimum dico, cùm accipis, genitum inquantùm genitum est aliquid, nego, nisi *aliquid*, vt extendit se ad *aliquid*: & tunc minor est falsa. & cùm dicis, non est nihil, dico, vt sæpè prædictum est, quòd inter contradictoria est medium, cum ly *inquantùm*, ita quòd neutrum inest cum *inquantùm*. Sicut nec homo inquantùm homo est albus, neque inquantùm homo est non albus: tamen non sunt duo contradictoria complexa simul falsa. Ista enim contradictoria est vera, *Homo non inquantùm homo est albus*. Ita hîc, genitum non inquantum genitum, est aliquid, quia ratio gignitionis non est formalis ratio inhærentiæ prædicati, ita scilicet quòd ly *inquantùm*, dicat rationem formalem geniti: licèt genitum in se formaliter sumptum, sit per identitatem essentia. 14. *De contradictoriis cū determinatione.* *Scot. suprà d.2.q.vlt.n. 52. & d.4. q.1.ad 3.*

Quid igitur dicetur de genito inquantùm genitum? Potest concedi, quòd genitum inquantùm genitum, est persona, vel subsistens: sed non sequitur vlteriùs: ergo inquantùm genitum est aliquid, accipiendo *aliquid*, pro essentia, propter non identitatem formalem rationis personalis cum essentia.

COMMENTARIVS.

c *AD argumenta Logica.* Hîc doctor respondet ad argumenta Logica, quibus probat, quòd essentia generet, & generetur, quæ argumenta ponuntur circa principium quæstionis.

Item, per argumenta Logica. Ad primum respondet dicens, quòd essentia non prædicatur per se primò de Patre, nec formaliter, vt satis suprà patuit, quia vltimatè abstractum non potest formaliter prædicari de aliquo supposito. Et cùm probatur, quòd non per accidens, patet litera; quia multæ sunt prædicationes, quæ non sunt per se, neque per accidens: accipiendo *per accidens* pro prædicato accidentali, quod est propriè accidens. Non enim genus per se prædicatur de differentia, nec sic per accidens; quia neutrum neutro accidit, nec ambo tertio. Sed est ibi medium extraneum, siue inferius comprehendens aliud, quòd inferiùs potest dici accidens superiori, id est, extraneum, sed non propriè accidens. Nec enim rationale accidit animali, nec è contra, nec ambo tertio: puta homini, sicut vnum accidens accidit alteri, vel ambo tertio: rationale ergo se habet vt medium, quia extraneatur animali dicitur sic accidere. Similiter inferius hoc modo accidit superiori. In proposito *in diuinis non omnia sunt per se eadem*, &c. *Multæ sunt prædicationes, quæ non sunt per se, neque per accidens.*

Ista litera sic intelligitur, quòd in diuinis non sunt omnia per se eadem, id est, formaliter, accipitur autem *formaliter* prout prædicatum inest subiecto, sicut suprà exposui, scilicet vel per modum inhærentis, vel informantis, sed aliquid est idem alicui absoluta idētitate, id est, prædicatione identica. Et sic respondet argumento, quando dicit, *Prædicatum quod per se prædicatur de subiecto, potest* *In diuinis nō sunt omnia eadem formaliter.*

supp

supponere pro eo. Verum est, si prædicatur formaliter, vt *Socrates est homo*, ly *homo* supponit pro Socrate, & si Socrates generet, sequitur, ergo homo generat. Sed in prædicatione identica non valet: vt hîc *Pater est essentia.* Nota tamen, quòd *Pater* hîc accipitur substantiuè, scilicet prò paternitate, siue pro persona: secus si adiectiuè, ideò essentia non supponit pro Patre.

Obiectio. Et si arguitur, Pater generat: Pater est essentia: ergo essentia generat: patet syllogismus, quia in syllogismo resolutorio oportet extrema coniungi.

Responsio. Dico, quòd si *Pater* in minori stat adiectiuè, est falsa: quia vltimatè abstractum non potest prædicari identicè de adiectiuo: sic nec è contra, si verò accipitur substantiuè, est fallacia figuræ dictionis, commutando prædicationem identicam in formalem.

3. *Pater substãtiuè, & adiectiuè.* d Ad secundum respondet Doctor distinguendo istam: *Essentia est Pater*, quia *Pater* potest accipi adiectiuè, vel substantiuè: substantiuè *Pater* significat personam, quæ est paternitas: & sic ista est vera, *Essentia est Pater*, tantùm prædicatione identica: adiectiuè verò *Pater* significat proprietatem denominatiuè, quod est generans, vel generare: *Essentia est Pater generans.* sicut exponit Magister *d.* 27. quòd est idem Patrem esse, & genuisse, & sic negatur ista propositio: *Essentia est Pater*, quia significat Patrem formaliter prædicari de essentia. Et hoc modo accipiendo, sensus est, quòd essentia generat, vel est generans, *Quando igitur arguis de subiecto, & passione.* Sensus literæ est: si subiectum passionis prædicatur identicè de essentia, & *generare* (quod dicitur passio prout est operatio, vt est in subiecto) tantùm prædicatur de Patre formaliter, non sequitur quòd prædicetur de essentia identicè: patet, quia adiectiuum non prædicatur identicè de vltimatè abstracto: nec formaliter, quia non primo modo. Et hoc est, quod dicit Doctor.

Respõsio Magistri Alex. prima parte sum. qu. 42. memb. 3. e Ad tertium antequam det responsionem propriam, adducit responsiones aliorum. Prima responsio est Magistri Alexandri quando dicitur: *Essentia est Pater Filij*: si *Pater* accipitur adiectiuè est falsa; si verò substãtiuè est vera: sic quòd quando dicimus, *Essentia est Pater Filij*, accipiendo *Patrem* adiectiuè est falsa, & consequentia vera; quia cùm dicitur, *Essentia est Pater Filij*, accipitur ly *Pater* pro *generare*, vt suprà patuit, & sic sequitur, quòd essentia generat, substantiuè verò antecedens est verum, sed consequentia non valet.

Respõsio Præpositiui. Secunda responsio est Magistri Præpositiui, qui dicit, quòd ista est simpliciter vera, scilicet, *Essentia est Pater Filij*: tum, quia conuertens est vera, scilicet *Pater Filij est essentia*; ergo & conuersa: tũ, quia ista simpliciter est vera, *Essentia est Pater*, aut ergo est Pater alicuius, aut nullius: si nullius, ergo non est Pater: si alicuius, ergo non nisi Filij.

4. *Contra primam rationem arguit Henricus.* *Contra Magistrum Alex. arguitur sic.* Hîc Doctor adducit rationem, quam facit Henricus contra Magistrum Alexãdrum, quia Henricus dicit, quòd ly *Pater* tantùm tenetur adiectiuè: quoniam nomina, quæ imponuntur à potentia actiua, & passiua (vt sunt Magister, & discipulus) sumuntur tantùm in significatione adiectiua. Et sensus huius literæ stat in hoc: Nomina sumpta à potẽtia actiua (vt Pater à potentia actiua generandi, vel à potentia passiua, vt Filius à potentia passiua generandi, & sic de aliis) dicuntur adiectiua, & quantò magis sunt determinata ad aliud, vel magis respectus est determinatus ad aliud, vt dicendo Pater Filij, respectus Patris ad Filium est magis determinatus, cùm sit actu ad Filium, quàm respectus Patris absolutè, & sic patet ista litera.

Et quod dicit de respectu modi infinitiui, quem Grammatici dicũt magis supponere, quàm alios; quia illi dicunt finitam inclinationem ad suppositum: ille verò infinitam inclinationem ad suppositum. Infinitiuus autem, & adiectiuum in neutro genere potiùs substantiuantur, quàm in genere masculino, vel fœminino. Exemplum de infinitiuo, sicut *amare* potest stare pro prima, secunda, & tertia persona: vt me amare, te amare, & Ioannem amare. Alij autem modi non sunt ita indeterminati, vt de Indicatiuo patet. Et infinitiuum, & adiectiuum si accipiantur in neutro genere, magis substantiuantur, quàm in masculino, vel fœminino: nam album magis est indeterminatum, quia potest stare pro ligno albo, pro lapide, & huiusmodi, quàm Franciscus albus. Similiter *amare* absolutè magis est indeterminatum, quia pro prima, secunda, & tertia persona: me autem amare stat tantùm pro prima persona. Sic in proposito est de Patre absolutè sumpto, & de Patre Filij, quia ly *Pater Filij* habet finitam, & expressam habitudinem: non sic autem cùm ponitur Pater absolutè. Et ideò licèt *Pater* possit teneri substantiuè dicendo, essentia est Pater: non tamen, nisi adiectiuè, dicendo, *Essentia est Pater Filij*, & sic simpliciter ista est falsa, essentia est Pater Filij.

Contra modum eius dicendi. Hîc Doctor impro- 5. bat positionem Henrici quo ad illum modum dicendi. *Improbatio positionis Henrici.* Et improbatio stat in hoc: Si enim animal sit de conceptu essentiali hominis, sub quocunque modo concipiatur homo, puta, vel sub modo concretiuo, vel abstractiuo: si excludatur ipsum animal, talis modus repugnabit homini: patet, quia modus rei præsupponit ipsam rem: & si animal excluditur ab homine, homo non erit. Sed in conceptu relatiui ex hoc, quòd conceptus relatiuus (non vt hoc modo conceptus, vel illo, id est, non conceptus adiectiuè, vel substantiuè) necessariò includitur correlatiuum, vt terminus eius: non quòd correlatiuum sit de essentia eius: sed sic debet intelligi, quòd includit essentialiter respectum ad correlatiuum, & hoc loquendo de definitione quiditatiua relatiui, quæ datur per genus, & differentiam. Si verò de definitione additamentali loquamur, tunc correlatiuum, siue absolutum correlatiui est de conceptu additamentali relatiui, vt patet à Doctore in isto *primo dist.* 30. & per consequens, *Pater* quomodocunque accipiatur, siue adiectiuè, siue substantiuè, semper includit respectum ad correlatiuum vt ad terminum, & ita nullo modo potest intelligi vt absolutum.

Item, tunc ista esset incongrua. Sensus huius literæ est, quòd nunquam adiectiuum non substantiuatum supponit pro subiecto, id est, quòd non habet rationem subiecti, & hoc de rigore sermonis. Et ideò hæc erit falsa de rigore sermonis: albus est lignum, vel lapis: & hæc vera, album est lignum, vel lapis. *Scotus est cũ Alexandro.* Cùm ergo per Henricum *Pater Filij*, tantùm habeat rationem adiectiui, & ponitur vt subiectum; hæc erit falsa de rigore sermonis: *Pater Filij est essentia.*

Ideò teneo opinionem Alexandri. Hîc Doctor 6. dat propriam responsionem. Et concordat cum Magistro Alexandro, & dicit conformiter, vt ibi exposui.

Ad

Responsio ad rationes Præpositini.

Ad rationes Præpositiui dico, &c.

Ad secundam eius rationem dico Et tota responsio stat in hoc. Quando aliquid est primò relatiuum, vt pater inquantùm pater: erit consequentia mutua cũ correlatiuo: vt pater filij pater, ergo filius patris filius: si etiam relatio conueniat formaliter, scilicet vel per informationem, vel per inhærentiam alicui subiecto: vt paternitas Ioanni; tunc est mutuitas relatiuorum, vt Ioannes est pater Francisci; ergo Franciscus est filius Ioannis.

In proposito quando dicitur, essentia est pater filij: nec essentia est primò relatiuum: sed est hoc, quod dico *pater filij*: nec etiam ipsa paternitas prædicatur de essentia formaliter, sed tantùm identicè; ideò non sequitur, essentia est pater filij identicè: ergo filius est filius essentiæ non sequitur; nec identicè, nec formaliter; quia cùm dico, filius est filius essentiæ, necessariò sequitur ipsam esse, formaliter correlatiuum filij, id est, quòd necessariò sequitur ipsam referri ad filium formaliter mediante paternitate: & sic pater prædicatur de illa formaliter, quod est falsum: vt suprà patuit: & sic arguitur à prædicatione identica ad formalem. Nam in ista: *essentia est pater filij*, est prædicatio identica: & in ista: *ergo filius est filius essentiæ*: denotatur ex vi sermonis ipsam essentiam esse patrem filij formaliter, & per consequens esse prædicationem formalem: & sic patet ista litera.

Respondet Doctor negando istam: quòd genitum inquantùm genitum sit aliquid. Et dicit, quòd inter contradictoria est medium cum ly *inquantùm*: vt suprà expositum est *dist. 1. p. 2. q. 1.* respondendo ad argumenta principalia: nec enim homo inquantùm homo est albus: nec inquantùm homo est non albus: & hoc accipiendo ly *inquantùm* reduplicatiuè: quia si homo inquantùm homo esset albus, sensus esset, quòd homo sit causa præcisa, & adæquata quare albedo inest homini. Similiter si ista esset vera, *homo inquantùm homo est non albus*: sensus esset, quòd homo esset causa præcisa, & adæquata: quare albedo non inest homini: & sic albedo simpliciter repugnaret homini. Nec sunt duo contradictoria complexa simul falsa, cùm illa non contradicant. Sed ista contradicunt: *homo inquantùm homo est albus: homo non inquantùm homo est albus*: & ista secunda est vera, vt patet. Sic in proposito, ista est vera: *genitum non inquantùm genitum est aliquid*; quia ratio gignitionis non est formalis ratio inhærentiæ prædicati: ita scilicet quòd ly *inquantùm* dicat rationem formalem geniti, licèt genitum in se formaliter sumptum sit per identitatem essentiæ.

Inter contradictoria cum ly inquãtùm datur mediũ.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Filius generetur de substantia Patris?

Alensis 1. *p. q. 42. m. 4. art. 2.* D. Thom. 1. *p. q. 41. art. 3.* Richard. *hic q. 3* Henr. *sum. art. 5. q. 3.* D. Bonau. *hic art. 1. q. 2.* Cap. eol. *q. 1.* Gabr. *q. 2. art. 2.* Greg. *q. 2. art. 1.* Vasq. 1. *p. d. 162* Suar. 1. *par. tract. 3. lib. 6. c. 6. Vide* Scot. 9. *Met. q. 10. 11. 13. & 1. Physic. q. 20. & 5. Physic. q. 1. & 2.* Durand. *d. 5. q. 2.* Mayron. *q. 6.* Baccon. *d. 4. q. 5.*

SECVNDÒ quæro de secunda parte distinctionis. Vtrùm Filius generetur de substantia Patris? Quòd non, quia 7. de Trin. cap. 6. *Tres personas ex eadem essentia non dicimus*: substantia autem videtur vniformiter se habere ad quamlibet personam: ergo nulla persona est de alterius substantia. 1. *Mag. I, K, L. Arg. 1.*

Item, constructio alicuius cum suo genitiuo, non notat maiorem distinctionem constructibilium, quàm præpositio cum suo casuali, quando additur eidem constructibili: ergo nõ maior distinctio notatur hìc, *Filius essentia Patris*, quàm *Filius de essentia Patris*: sed nõ conceditur, quòd sit Filius essentiæ Patris, quia tunc essentia generaret Filiũ, ergo. *Arg. 2.*

Item, cùm dicitur, Filius est de substantia Patris, aut ly *de* notat distinctionem, aut non: si sic, propositio falsa est, quia essentia non distinguitur realiter à Filio: si non, igitur hæc est vera: *Pater est de essentia Filij*, vel *de essentia Patris*, quod non conceditur. *Arg. 3.*

Oppositum 15. de Trin c. 19. August. tractans illud ad Colos. *Transtulit nos in regnum Filij charitatis suæ*; quod dictum est, ait, *Filij charitatis suæ*, nihil aliud est, quàm Filij substantiæ suæ: ergo est de substantia Patris. *Opposit. ratio c. 1.*

Præterea, ad hoc est auctoritas August. contra Maximinum, & ponitur in litera, *nullo modo verum Filium Dei cogitatis, si hunc de substantia Patris esse negatis.*

Item, Filius in creaturis non est, nisi gignatur de substantia Patris: ideò in inanimatis non est paternitas, nec filiatio, quia generatum est de materia aliena, sicut ignis generat ignem de materia aëris: ergo non est vera filiatio, nisi vbi vera substantia Patris, vel aliquid de substantia Patris est materia respectu Filij: sed Filius in diuinis est verè Filius Patris: ergo de substantia Patris est tanquam de materia. *Quare inanimatis tantùm est paternitas.*

SCHOLIVM.

Ponit opinionem Henrici asserentis Filium generari de substantia, seu de essentia, vt de quasi materia: ad quam accedit opinio Goffredi, dicens essentiam generari subiectiuè, seu esse subiectum generationis. Vtramque opinionem explicat, & variis rationibus roborat.

IN ista [a] quæstione dicitur, quòd sicut in substantia creata generabili, aliquid est potentiale, quod supponitur generationi, vt materia: & aliquid inductum per genera- 2.

Opinio Herici in sum. art. 54. q. 3. & in quodl. 8. q. 9. vide eum quodl. 6. q. 1. tionem, vt forma: & ex eis est productum, quod est genitum. Ita correspondent proportionaliter quasi tria in diuinis consimilia. Persona quippe est quasi compositum, & relatio quasi forma, & essentia quasi materia: est igitur Filius genitus de substantia Patris: sicut quasi de materia.

Istud probatur per rationem Augustini contra Maximinum, quæ ponitur in litera; Filius enim nullo modo est de nihilo, neque negatiuè, vt aliquis dicitur loqui de nihilo, *Ratio 1.* quando non loquitur: neque affirmando ly *de nihilo*, vt ly *de*; sit nota materialitatis, vel quasi materialitatis, quia *nihil* non potest esse materia alicuius, neque affirmando ly *de*, originaliter, siue ordinaliter, id est, post *nihil*: quos tres modos intelligendi aliquid esse de nihilo ponit Anselm. Monol. c. 8. Si nullo modo Filius est de nihilo, ergo de aliquo, ergo cùm non de alio, quàm de substantia Patris, patet quòd est de substantia Patris.

Et si respondeatur (sicut videtur Magister respondere in litera) quòd est de substantia Patris, id est, de Patre, qui est substantia.

Arguitur, quòd ista expositio non sit sufficiens, quia tantùm exponit *de*, vt notet rationem principij originantis, vel efficientis. Et posito, quòd hoc modo sit de Patre, adhuc restat quæstio, vtrùm de aliquo, vel nihilo, sicut de materia, vel de quasi materia: & cùm non sit de nihilo sic, quia hoc modo creatura est de nihilo: ergo de aliquo: & stat argumentum.

Ratio 2. Ad hoc etiam adducitur auctoritas Augustini 7 de Trinit. cap. 3. *quòd Filius est sapientia genita, vel nata.*

3\. Si arguitur [c] contra istam positionem, quòd actus purus non potest esse quasi materia respectu generationis, quia nullo modo est in potentia.

Præterea: per rationem Magistri, cùm sit vna essentia trium personarum, generaretur Filius de essentia trium.

Respondent ad primum distinguendo, quòd aliquid est in potentia ad aliquid duobus modis: vno modo ad aliquid, quod est absolutum, & differt ab ipso re, vel intentione, & vadit de potentia ad actum per motum, & per transmutationem rei, vel rationis. Alio modo aliquid est in potentia ad aliquid, quod est rationis tantùm, & differt ab ipso sola ratione, nunquam vadens per transmutationem quamcunque de potentia ad actum, sed semper naturaliter est coniunctum actui. Primo modo in creaturis materia est in potentia ad formam tanquam ad differens re ab ipsa, & transiens de potentia in actum per realem transmutationem: & similiter forma generis est in potentia ad formam differentiæ, tanquam ad aliquid differens ratione, vel intentione ab ipso, & transiens de potentia ad actum per transmutationem rationis, nullo tali modo diuina essentia est in potentia ad aliquid, & de ista potentia habet veritatem medium in argumento, quia illa repugnat actui puro. Non sic est de potentia secundo modo, quia de natura formæ diuinæ, inquantùm est actus purus, est etiam, quòd sit secundo modo in potentia ad plures respectus.

Breuiter igitur productio diuina summè differt à productione naturali, quia in ista itur per transmutationem ad perfectionem, & ibi distat potentia ab actu; in ista autem nequaquam. Differt etiam ista specialiter à productione naturali, quæ est generatio, quia illa est de imperfecto substantialiter, ista verò est de perfecta substantia: in quo plus conuenit cum productione, quæ est alteratio, quia in illa subiectum, quod est in potentia secundùm *quid*, est aliquid existens in actu. Sed differt in hoc, quia subiectum in alteratione est in potentia ad aliquid reale absolutum, realiter differens ab ipsa: in productione autem diuina nequaquam: & in hoc diuina productio conuenit plus cum productione speciei ex genere; sed differt, quia in hac productione, genus est sicut subiectum, & materia, & est in potentia ad aliquid absolutum, vt ad differentiam, quæ tamen sola intentione differt ab ipso: hìc autem subiectum est in potentia ad aliquid respectiuum, quod differt ab ipso sola ratione. Et ita licèt ista productio speciei ex genere sit magis *Quære in summa vsque ibi Ad secundum.* similis diuinæ, quàm alia; in multis tamen differt, quia productio speciei ex genere procedit ab *esse* incompleto ad *esse* completum, assumendo complementi determinationem per differentiam, vt secundùm aliud, & aliud reale descendat in aliam, & aliam speciem, & erit tantùm genus vnum commune secundùm rationem. In productione autem diuina subiectum non est aliquid incompletum determinatum per assumptam proprietatem, sed vnum, & idem re singulare totaliter habet *esse* per productionem in diuersis proprietatibus relatiuis, quod est commune non secundùm rationem, sed secundùm communicationem.

Ad secundum dicitur, quòd non est de substantia inquantùm est trium, sed vt est Patris substantia.

Huic opinioni [d] additur ab aliis, quòd essentia diuina dicitur generari subiectiuè, quod enim subiicitur generationi, potest dici subiectiuè generari, per Philosoph. 5. *Physic.* vbi arguit, quòd generatio non est motus, per hoc argumentum, *quod mouetur est, quod generatur non est: ergo quod generatur, non mouetur.* Accipit autem, *quod mouetur* pro subiecto motus, non pro termino. Si enim acciperet *quod generatur*, pro termino generationis, non pro subiecto, argumentum non valeret; quia dum motus est, terminus motus non est: ergo oportet quòd accipiat ibi *quod generatur* pro eo, quod subiicitur generationi. Idem probatur per Commentatorem *ibid. comm.* 8. *&* 9. 4. *Opinio Gofredi quodl.* 9. *Text.* 8.

Pro ista opinione adducuntur rationes tales. Illud verè dicitur generari subiectiuè, siue esse subiectum generationis, quod manet idem sub vtroque termino generationis, essentia autem diuina manet eadem in Patre, & Filio: ergo ipsa erit verè subiectum ipsius.

Confirmatur ratio, quia in eodem est terminus, & transmutatio, sicut dispositio, & forma, ad quam disponit: ergo cùm in essentia sit relatio, quæ est quasi terminus generationis, in ipsa etiam erit ipsa generatio.

Præterea, Omni potentiæ actiuæ correspondet aliqua potentia passiua: ergo fœcunditati Patris, quasi actiuæ correspondet aliqua potentia quasi passiua, de qua potest producere. *1. Cal. cōtra Plat. & 3. de Anima.*

Vltimò arguitur sic: Si ignis generaret ignem de substantia sua, adhuc substantia ignis generantis ita esset in potentia ad formam ignis generandi, sicut modò est materia aliena, de qua generatur. Sic igitur in proposito, essentia Patris, de qua Pater generat, erit quasi materia respectu generationis.

COMMENTARIVS.

1. a IN *ista quæstione.* Hîc recitatur primò opinio Henrici *in summa art.* 54. *quæst.* 3. *& in quodl.* 8. *quæst.* 9. quæ opinio vt clariùs intelligatur resoluitur in dicta. Primum, in substantia creata generabili sunt tria, scilicet materia, quæ subiicitur generationi: & forma inducta per generationem in materia, & compositum resultans ex materia, & forma, & hoc dictum Doctor non improbat.

Secundum, quòd persona diuina, puta Filius, est quasi composita, quia includit essentiam quasi materiam, & relationem quasi formam: & sic Filius dicitur genitus de substantia Patris, sicut de quasi materia: supple, vt quasi receptiua proprietatis Filij: sicut etiam dicimus, quòd ignis est genitus de materia ligni, quia forma ignis recipitur in tali materia. Et probat Henricus per Augustinum contra Maximinum, scilicet quòd Filius sit genitus de substantia Patris vt de quasi materia: & arguit sic: Filius nullo modo est de nihilo, neque negatiuè, vt cùm quis dicitur loqui de nihilo, quando scilicet nihil loquitur; neque affirmatiuè, vt ly *nihil* sit nota materialitatis; quia *nihil* non potest esse materia alicuius, quia materia est ens positiuum; neque affirmando ly *de* originaliter, siue ordinaliter, id est, post nihil, ita quòd ly *nihil* præcedat duratione: modò Filius habet *esse* ab æterno. Hos tres modos ponit Anselmus Mon. cap. 8. si ergo Filius nullo modo est de nihilo: ergo est de aliquo; ergo de essentia; quia non videtur posse aliud assignari: & hoc dictum Doctor absolutè improbat.

2. b *Et si respondeatur sicut videtur Magister,* &c. Dicit Henricus, quòd ista expositio non est sufficiens; quia tantùm exponit *de* vt notat rationem principij originantis: & posito quòd hoc modo sit de Patre, vt supple de principio originatiuo, adhuc restat quæstio, vtrùm sit de aliquo, vel nihilo, sicut de materia, vel quasi materia.

c *Si arguitur contra istam positionem, actus purus non potest esse quasi materia respectu generationis.* Sed essentia diuina est huiusmodi. Et secundò per rationem Magistri, quòd essentia non sit quasi materia; cùm sit vna trium personarum; quia tunc Filius generaretur de essentia vt trium.

Respondet ad primum, per aliqua dicta. Primum, in creaturis materia est in potentia ad formam tanquam ad differens re, & transiens de potentia in actum per realem transmutationem: sicut materia ligni realiter transmutatur de forma ligni ad formam ignis: quæ forma ignis realiter distinguitur à tali materia: & in hoc benè dicit. *Dictum* 1.

Secundum dictum; Forma generis est in potentia ad formam differentiæ, tanquam ad aliquid differens ratione, vel intentione, & transiens de potentia ad actum per transmutationem rationis. Et sic animal in communi differt tantùm ratione à rationali: & est in potentia ad illud, sicut determinabile ad determinatiuum. Et quo ad hoc, quòd animal tantùm ratione differat à rationali, non tenetur à Doctore. *Secundum.*

3. Tertium dictum: Essentia diuina non est in potentia ad aliquid, puta ad filiationem primo modo: tum, quia non differt re à filiatione: tum, quia essentia non distat ab actu. *Tertium.*

Quartum dictum: Productio diuina differt à productione naturali: quia in productione naturali potentia, siue materia distat ab actu, & verè transmutatur de vno in aliud: non sic essentia diuina transmutatur, nec distat ab actu. Differt secundò, quia in productione naturali transitur de imperfecto, puta de materia ad perfectum, puta ad formam. Sed in generatione diuina transitur de perfectissimo, quia de essentia diuina. *Quartum.*

Quintum dictum: Productio diuina plus conuenit cum productione speciei ex genere: sed differt, quia in hac productione speciei genus est sicut subiectum, & materia, & est in potentia ad aliquid absolutum, vt ad differentiam, sicut animal ad rationale: quæ tamen sola intentione differunt, scilicet genus, & differentia. Sed in productione diuina: essentia est tantùm in potentia ad aliquid respectiuum differens ab illo sola ratione. *Quintum.*

Dictum sextum. Sextum dictum est, quòd productio speciei ex genere in multis differt à productione diuina: tum, quia productio speciei procedit ab *esse* incompleto ad *esse* completum, sicut ab animali ad rationale: tum, quia secundùm aliam, & aliam differentiam realem descendit ad species: licèt genus sit tantùm vnum commune secundùm rationem. In productione verò diuina essentia non est aliquid incompletum determinatum per proprietatem: sed vnum, & idem re singulare totaliter habet *esse* per productionem in diuersis proprietatibus relatiuis: quod est commune non secundùm rationem, sed secundùm communicationem. Et sic vltimatè Henricus respondet, quòd Filius non est de substantia, inquantùm est trium, sed vt est substantia Patris: & sic patet positio Henrici, quam Doctor intendit improbare, principaliter quantùm ad hoc, quod dicit, quòd Filius est de substantia Patris, vt de quasi materia, vel quasi potentia: quæ improbatio infrà patet.

4. *Goffr. opinio.* d *Huic opinioni additur ab aliis.* Hîc recitatur opinio Goffredi *Quodl. 9.* qui dicit, quòd essentia diuina in generatione Filij habet rationem quasi materiæ, cùm dicatur subiectiuè generari: quam opinionem probat primò per argumentum Philosophi *5. Physic. text. comm.* 8. vbi arguit, quòd generatio non est motus per hoc argumentum.

Quod mouetur est, id est, quod est subiectum motus, est ens in actu completo: *quod generatur non est*, id est, subiectum generationis nô est in actu completo: *ergo quod generatur non mouetur*, id est, quod ex hoc motus dicitur differre à generatione; quia subiectum motus est ens in actu completo: subiectum verò generationis est ens in potentia, siue ens in actu incompleto: ergo sequitur, quòd materia generatur subiectiuè, quia est subiectum generationis. Quare autem accipiatur pro subiecto generationis in argumento Philosophi, & non pro termino, patet: quia si acciperetur tantùm pro termino generationis, argumentum non valeret: quia dicit, *quod mouetur est*: si enim *quod mouetur* acciperetur pro termino motus, patet quòd talis terminus, dum motus fit, non est, cùm per motum acquiratur; ergo ly *quod mouetur*, accipitur pro subiecto motus. Sicut ergo in generatione naturali materia dicitur generari subiectiuè, quia est subiectum generationis: sic essentia diuina dicitur generari subiectiuè, quia est subiectum generationis: & sic habet rationem quasi materiæ. Et quòd dicatur sic generari subiectiuè, probatur primò: Illud est subiectum generationis, quod manet idem sub vtroque termino generationis. Essentia diuina manet eadem in Patre, & Filio: ergo, &c.

Secundò: quia in eodem est terminus, & transmutatio: patet in generatione naturali, in qua materia est subiectum formæ, quæ est terminus formalis generationis. Et etiam est subiectum transmutationis: patet, quia transmutatio denominat materiam: dicimus enim quòd materia transmutatur de vno in aliud: cùm ergo filiatio, quæ est terminus generationis Filij, sit in essentia, sequitur quòd generatio, quæ est ad talem terminum, erit in essentia, & denominabit illam: ergo erit subiectum generationis: & quòd est subiectum generationis, generatur subiectiuè. 5.

Tertiò: *Omni potentia actiua correspondet*, &c.

Quartò, & vltimò: *Si ignis generaret ignem*, &c.

SCHOLIVM.

Refutat sententiam Henrici, & Goffredi asserentium, essentiam esse quasi materiam, vel subiectum generationis. Primò, quia est terminus formalis generationis, quod multis probat. Secundò, si Filius generatur de essentia, vt de quasi materia; ergo supponitur, vt omnino absoluta, & in tribus, vel vt in vno aliquo supposito, & neutrum dicendum. Tertiò, in Patre esset relatio realis, prior relatione ad Filium. Quartò, prima effectiua se sola causat, vt in creatione sine concursu materiæ: ergo idem de prima productiua, quia hoc est perfectionis. Quintò, essentia secundùm ipsos, non est quasi materia spirationis.

5. *Reprobatur opinio Goffr.* COntra [a] istam opinionem arguo primò sic: Essentia est formalis terminus productionis: igitur non quasi materia Probatio antecedentis. Ioan. 10. *Pater, quod dedit mihi, maius est omnibus*, maius autem omnibus non est, nisi aliquid infinitum, hoc non est nisi essentia, ergo illam dedit. Hoc etiam vult Aug 15 de Trin. c. 26. *Sicut Filio,* (inquit) *præstat essentiam sine initio temporis, sine vlla mutabilitate naturæ, de Patre generatio: ita Spiritui sancto præstat essentiam sine vllo initio temporis, sine vlla mutabilitate naturæ, de vtroque processio* non autem conceditur formam aliquam dari producto siue communicari, vel præstari per generationem, nisi illa forma communicata sit formalis terminus talis productionis. Probatur etiam illud antecedens per rationem.

Essentia est terminus formalis generationis.

Primò [b], quia nulla entitas formaliter infinita simpliciter perfectior termino formali productionis, habetur per productionem: essentia est formaliter infinita; relatio autem non: ergo si relatio esset formalis terminus productionis, persona non haberet essentiam per productionem.

Secundò [c], quia in creaturis natura est terminus formalis generationis: non autem proprietas indiuidualis, vel hypostatica, sicut patet 2. *Physic.* vbi dicitur, quòd generatio est naturalis, quia est via in naturam, scilicet in formam: natura igitur, siue essentia, est per se terminus generationis, & non nisi terminus formalis. *Tex. comm. 14.*

Tertiò [d], quia aliàs ista generatio non esset vniuoca; quia ratio formalis termini eius, non esset ratio conuenientiæ generantis cum genito. Consequens est inconueniens, sicut tangetur *dist. 7.*

Similiter

Similiter [e] aliàs non esset ista productio generatio, sed magis esset mutatio ad relationem, quia productio ponitur in genere, vel in specie ex suo termino formali: sicut patet *ex 5. Physic* sicut alteratio ponitur in genere qualitatis, quia ibi est forma accidentalis, quæ est formalis terminus alterationis: ergo si formalis terminus huius productionis esset relatio, ista productio poneretur in genere relationis, & non esset generatio. Probo [f] consequentiam primi Enthymematis. Primò, quia illud, quod est materia in generatione, est in potentia ad terminum formalem, & quod est quasi materia, est quasi potentia: essentia nec verè, nec quasi est in potentia ad seipsam; ergo, &c. 6. *Tex. com. 4. & 5.*

Similiter probatur [g] eadem consequentia, quia vna persona tantùm vno modo habendi habet essentiam; saltem istis duobus modis non habet eam, scilicet vt terminum formalem productionis, & cum hoc, vt quasi materiam, & subiectum generationis. Probatio istius, quia si haberet eam ex vi productionis vt terminum formalem, haberet eam circunscripto omni alio modo; ergo non habet eam, vt quasi materiam subiectam generationi: non enim habet Deitatem aliquo modo, quo circunscripto haberet eam perfectè, & esset verus Deus. Videtur etiam sequi, quòd haberet bis essentiam, & per consequens, quòd sit bis Deus, (quia habere essentiam est esse Deum,) & quòd habeat priùs eam naturaliter, quàm habeat eam, si ratio quasi materiæ præcedit, aliquo modo rationem formalem termini generationis.

Item, secundò [h] essentiæ, vt de ea generatur Filius, necesse est assignare aliquod *esse*, quia principiare aliquod verum ens in quocunque genere principij non conuenit alicui, nisi realiter enti: quæro, quod *esse* conuenit essentiæ, vt ipsa est de quo per impressionem generatur Filius? aut præcisè *esse* ad se esse, scilicet, quod est essentiæ, vt essentia, & tunc Filius est de essentia, vt essentia; & hoc modo est trium personarum; aut vt conuenit sibi *esse* in aliqua subsistentia, & tunc quæro in qua? aut in ingenita, & sic cùm in intellectu eius, quod est esse de quo aliquid producitur, includatur hoc quod est esse illud, in quo forma inducitur: & in intellectu eius, quod est esse, in quo includatur habere illud, quod est in eo, & per consequens esse formaliter per ipsum; ergo si essentia, vt est in Patre, sit, de qua Filius generatur, & per impressionem, secundùm eos sequitur, quòd ipsa vt in Patre erit illud, in quo notitia genita imprimitur, & ita essentia, vt in Patre erit formaliter verbum, siue noscens notitia genita, quod est inconueniens. Si autem essentia, vt in alia subsistentia à Patre est, de qua generatur Filius, & inquantùm est de qua præcedit aliquo modo terminum generationis: ergo ante terminum generationis sunt duæ subsistentiæ, quod est inconueniens. 7.

Si autem dicas [i], vt est, de qua generatur Filius, nullam habet existentiam in persona, sicut & materia inquantùm est, de qua generatur genitum, non habet *esse* in aliquo supposito, sed tantùm habet *esse* in potentia in supposito generando. Hoc nihil est, quia (vt dictum est) principianti realiter aliquod ens, in quocunque genere principij, oportet tribuere aliquod reale *esse*, & ideò materiæ, vt principiat compositum, licèt sibi non competat *esse* compositi, quod est eius participatiuè: tamen conuenit sibi *esse* suum proprium, quod *esse* est priùs naturaliter, quàm sit pars compositi. Ita igitur hîc oportet essentiæ, inquantùm est, de qua generatur Filius, dare *esse*, vel in supposito, vel *esse* essentiæ secundùm se, & sic stat argumentum. 8.

Si dicatur [k] aliter, quòd inquantùm est Patris, est illud, de quo generatur Filius: & tamen per generationem, inquantùm quasi actu informatur notitia genita, est actu alterius suppositi: hoc improbatum est in argumento, quia in intellectu eius, quod est esse de quo per impressionem includitur esse in quo, & ita esse formaliter tale secundùm impressum illud.

Similiter [l], tunc communicatio essentiæ alteri supposito præcederet secundùm intellectum productionem, ita quòd communicatio non fieret per productionem, sed fieret quasi ante terminum productionis: sicut illud, quod est quasi materia generationis, præintelligitur aliquo modo ipsi termino. Similiter, licèt aliquid, quod non est de se alicuius suppositi in actu, per generationem fiat actu alicuius suppositi: sicut materia, quæ non est alicuius suppositi, fit per generationem aliquid suppositi; tamen quòd illud quod est vnius suppositi fiat alterius suppositi præcisè, per hoc, quod est materia, videtur impossibile absque actione, quæ fit ad ipsum.

Præterea tertiò [m]. Quando ad productionem effectus concurrunt actiuum & passiuum: prior est naturaliter respectus actiui ad passiuum, quàm vtriusque ad productum. Probatio huius, quia oportet causas diuersas eiusdem priùs naturaliter approximari ad inuicem, quàm producant effectum: & patet per exemplum de igne calefactiuo, & ligno calefactibili, & calore genito. 9.

Additio. Sic in originali, sed non manu propria.

Item, isti respectus actiui ad passiuum, & eiusdem ad productum, non omnino ex æquo conueniunt actiuo, nec ille respectus ad productum est prior; ergo est posterior. Antecedens huius Enthymematis quantùm ad vtramque partem simul probatur, quia actiuum agit in passiuum se solo in ratione causæ, nec producit productum, nisi alio concurrente in ratione concausantis.

Et si omnino neges prioritatem respectus ad respectum: non potes negare, quin necessariò sit respectus actiui ad passiuum non posterior respectu vtriusque ad productum: igitur si in Patre est fœcunditas actiua, & aliquid quasi materia concurrens ad productum, prior est respectus Patris, vt productiui ad illud quasi materiam, quàm sit vtriusque eorum ad Filium, aut saltem erit necessariò concomitans. Et ex hoc vltrà, cùm res non præexigat naturaliter, nec necessariò similiter requirat illud, quod est præcisè ens rationis: sequitur, quòd ista relatio, quæ naturaliter præexigitur, quasi actiui ad passiuum, sit realis: & ita in Patre erit relatio realis prior relatione eius ad Filium, vel saltem alia ab illa, quod videtur inconueniens.

Res nō præexigit ens rationis.

Item quartò ad principale, Potentia prima causatiua effectiua se sola effectiuè causat, excludendo omnem aliam causam eiusdem generis, & alterius generis in ratione causæ materialis. Et ratio est, quia causalitas causæ materialis non dicit perfectionem simpliciter: & ideò licèt reductio fiat ad aliquod principium in illo genere, illud tamen non est simpliciter primum, sed totum illud genus reducitur ad aliquod primum in alio genere, quod non includit imperfectionem, puta ad aliquid in genere efficientis. Patet etiam hoc antecedens per hoc, quòd potentia creatiua per se sine alio principio materiali producit productum. Ex hoc infertur à simili, quòd productiua potentia prima seipsa sola producit, & sine alio principio productiuo concurrente, & ita sine alio quasi materia: similis enim ratio videtur de principio productiuo, & creatiuo, quia si poneretur aliquod principium quasi materiale, non esset inquantùm tale est, summæ perfectionis, & ita videretur reducendum in ratione principij ad principium productiuum actiuè.

Perfectū agens non petit materiā.

Additio. Sic in antiquo originali.

Si arguatur, quòd omnis causalitas secundæ causæ reducitur ad consimilem causalitatem in prima causa, sicut efficiens ad Deum, vt ad primum efficiens, & finis etiam ad Deum, vt ad vltimum finem, & forma ad exemplar, siue ideam in Deo: ergo ita erit de causa materiali.

Respondeo, quòd non est simile, quia materia includit imperfectionem; quia semper est ei annexa priuatio, & ideò per se à nullo ponebatur principium: vnde Theologia, quæ est de Deo siue naturalis, siue supernaturalis, non determinat de causa materiali secundùm Commentatorem 1. Physic comm. 1.

10. Item quintò secundùm Augustinum contra Maximinum lib. 3. c. 15. *Spiritus sanctus non est de nihilo, sed inde est vnde procedit.* Ita igitur concedit Spiritum sanctum non esse de nihilo, sed de substantia Patris, & Filij: sicut concedit Filium esse de substantia Patris. & simili modo relatio Spiritus sancti est in Deitate, sicut relatio Filij: sed essentia non se habet respectu relationis Spiritus sancti, quasi materia receptiua eius, vt videtur secundùm istam opinionem: quia ponit Verbum generari per impressionem in illud, de quo gignitur: Spiritum sanctum autem quasi per expressionem, vel ex sufflatione sui de voluntate formata, de qua producitur. Quod enim producitur per expulsionem de aliquo, non habet illud *de quo*, pro materia in productione sui; quia omnis materia cuiuscunque productionis & producti est in qua recipitur forma producti, quod non est in expulsione de illo: igitur Spiritus sanctus non est de nihilo, nec tamen de aliquo sicut de quasi materia suæ productionis: igitur propter hoc, quod est Filium non esse de nihilo, vel relationem eius fundari in essentia, non oportet essentiam, vt est de qua Filius generatur, esse quasi materiam respectu generationis Filij.

Additio.

Item ad idem, Filium esse de substantia Patris, necessariò requiritur ad hanc generationem, quantùm ad existentiam realem generationis, sed ad istam existentiam non necessariò requiritur substantiam Patris esse quasi materiam: ergo, &c. Patet maior per Augustinum contra Maximinum, nullo modo verum Dei Filium cogitatis, si hunc esse de substantia Patris negatis. Probatur minor. Nullum ens præcisè rationis necessariò requiritur ad hanc generationem, vt existentem, substantiam Patris esse quasi materiam præcisè dicit ens rationis circa substantiam, alioquin circumscripta negotiatione intellectus, erit ex se quasi materia: ergo vel materia realiter, vel similitudo realis ad materiam.

Item, nihil conuenit illi essentiæ, in quo materia distinguitur à forma, sed quodlibet conueniens sibi, vel est proprium formæ, vel commune formæ, & materiæ: ergo in nullo erit ita quasi materia sicut quasi forma. Antecedens patet, quia esse idem in generante, & genito, non est proprium materiæ, imò anima est eadem in corde generante, & parte genita. materia nunquam est eadem in causatis; quia sufficienter actuatur per vnicam formam; in propagante materia

geniti

geniti fuit aliquid, sed non fuit materia sub forma propagantis. Non enim quia eadem est materia generati, & corrupti, ideò est eadem generantis, & geniti.

Item, incompoßibilia simpliciter non possunt esse actus simpliciter eiusdem, benè tamen potest esse idem actus incompoßibilium, sicut anima partium organicarum, hoc est contra relationem accidentem essentia.

Item, compositum per hoc constituitur, quòd potentiale actuatur actu compositi, & determinatur: igitur essentia referetur, & determinabitur.

Confirmatur, quia sicut qualitas non est actus alicuius nisi secundùm quòd actuatum est quale, ita relatio nullius est actus, nisi secundùm quòd aliquid ipsa refertur, essentia non refertur.

Item, illa ratio, quæ est in tertia dubitatione in fine, quod suppositum diceretur relatum secundùm illud fundamentum, sicut secundùm deitatem Pater est similis Filio: tamen hæc relatio non est actus fundamenti, vt est formaliter distincta secundùm te.

COMMENTARIVS.

1. *Improbatio Henrici, & Goffredi.*

a *Contra istam opinionem.* Hîc Doctor improbat opinionem Henrici, & Goffredi in hoc quòd dicunt Filium generari de essentia, vt de quasi materia.

Et pro intelligentia antecedentis est notandum, quòd in composito ex materia, & forma semper sunt tria, scilicet materia, quæ est receptiua formæ partis; & forma partis informans materiam, quæ dicitur terminus formalis generationis compositi, & compositum, siue forma totius, resultans ex materia, & forma. Et in tali composito nunquam materia est terminus formalis productionis: patet, quia terminus formalis propriè ante productionem in creaturis nullum *esse* habet: sed habet *esse* per productionem agentis. & quomodo dicatur habere *esse*, vide Doctorem *in 2. dist. 17.* Materia verò præsupponitur ipsi productioni: ergo materia non erit terminus formalis productionis, & hoc in composito producto, quod dico propter creationem; quia ipsa est terminus formalis creationis, vt patet à Doctore *in 2. d. 12. q. 2.* Sed in composito producto ipsa præcedit productionem. Et hoc est, quod Doctor intendit inferre; quia ex quo essentia diuina est terminus formalis productionis Filij, ipsa non poterit esse materia, vel quasi materia productionis Filij; sicut Doctor probat. Probat ergo antecedens (scilicet quòd essentia sit formalis terminus generationis Filij) duabus auctoritatibus, quæ sunt clarè in litera.

In composito naturali sunt tria.

2. b Deinde probat ratione. *Primò, Nulla entitas formaliter, &c.* Ratio stat in hoc; quia ex quo in productione oportet assignare terminum formalem productionis, sequitur quòd cùm in Filio tantùm sit essentia, & proprietas respectu generationis Filij, oportet assignare terminum formalem: aut ergo talis terminus erit essentia, & sic habetur intentum; aut erit relatio, quæ dicitur proprietas Filij. Contrà: quia terminus formalis productionis est perfectissimum, quod per productionem habetur; & sic stat ratio Doctoris.

Et vt clariùs intelligatur ista ratio, est notandum, quòd producẽs optimè dispositum, per productionem suam semper intendit inducere nobiliorem formam, quam potest: maximè quando principium formale producendi est perfectum. Perfectissimum ergo, quod habetur per productionem illam, erit terminus formalis: patet, quia ex illo, & materia, resultat tota perfectio producti; sed principaliter resultat à termino formali: & quantò terminus formalis est nobilior, tantò productum erit nobilius. Si ergo producens per productionem intendit perfectum productum, & perfectio ipsius producti est principaliter à termino formali: ergo si terminus formalis illius productionis nõ esset perfectior omni alio in tali producto existente, nunquam per talem productionẽ haberet *esse* in tali producto. Si ergo essentia diuina, cùm sit vnica simplicissima, & formaliter infinita, in productione Filij, non sit terminus formalis (maximè cùm Pater per talem productionem intendat producere personam omnino sibi similem in perfectione, & tota perfectio producti est principaliter à termino formali productionis; imò in diuinis tota perfectio producti est ab essentia diuina) sequitur quòd per talem productionem nunquam erit in Filio, nec per aliam; quia respectu Filij tantùm est vna productio, & illa sola productione omnia communicantur Filio.

Si obiiciatur, Nónne in creaturis forma totius est nobilior forma partis? & tamen ipsa non est terminus formalis; sed tantùm forma partis: & nihilominus forma totius habetur per eandem productionem. 3.

Dico, quòd forma totius in creaturis resultat ex partibus, & perfectio eius principaliter est à forma partis: & si forma partis non esset perfectior omni eo, quod pertinet ad productum, nunquam in tali productione haberetur: modò cùm essentia diuina sit tota perfectio Filij producti, & ipsa non est producta sicut forma totius: ergo si non esset terminus formalis generationis Filij, nunquam per hanc generationem haberi posset: & sic patet ista prima ratio.

c Secundò probatur idem antecedens: *quia in creaturis natura est terminus formalis generationis, &c.* Pro intelligentia huius rationis nota, quòd sicut *d. 3. q. 6. huius.* Doctor dixit, quòd natura est ratio formalis agendi, & non singularitas, quæ est conditio agentis (actiones enim sunt suppositorum, vel singularium) sic pariformiter in ente producto ratio formalis terminandi productionem, erit natura; & singularitas, vel ratio hypostatica, erit tantùm conditio producti; quia actiones sunt circa singularia, vt patet in proœm. Metaphysicæ, & talis natura erit terminus formalis productionis, quia generatio dicitur naturalis, quia via in naturam: totum autem productum non dicitur terminus formalis, sed terminus totalis, & adæquatus illius productionis. Cùm ergo essentia diuina vnà cum intellectu diuino sit in Patre ratio formalis producendi Filium, & paternitas in Patre sit conditio producentis, quia productio est suppositi: ergo ipsa memoria fœ-

Memoria fœcunda est ratio formalis terminãdi generationem filij.

cunda erit ratio formalis terminandi generationem Filij, & filiatio erit tantùm conditio producti. Et est sensus: Sicut producens *vt quod* semper est suppositum, & ratio formalis producendi abstrahit à ratione formali suppositi: sic productum *vt quod* erit suppositum, & terminus formalis productionis passiuæ abstrahet à ratione formali suppositi.

4.
Ratio conueniendi vniuocè.

d *Tertiò* probatur idem antecedens: *quia aliàs generatio non esset vniuoca*, &c. Pro clariori intelligentia huius est sciendum, quòd ratio suppositi nunquam est ratio formalis conueniendi vniuocè cum alia ratione suppositi, cùm istæ rationes sint primò diuersæ, sed ratio conuenientiæ est natura in supposito: sicut Franciscus productus conuenit vniuocè cum Ioanne, quia natura in ipso est ratio conuenientiæ realis cum natura Ioannis. Cùm ergo paternitas, & filiatio in diuinis secundùm communem opinionem sint rationes hypostaticæ, erunt primò diuersa; ergo in nullo quiditatiuè conuenientia realiter; ergo Pater, & Filius conueniunt vniuocè per naturam diuinam, in qua sunt idem, & sicut ratio formalis producendi est ratio formalis conuenientiæ producentis cum producto, ita terminus formalis productionis passiuæ in ipso producto, erit ratio formalis conuenientiæ producti cum producente; ergo filiatio non erit terminus formalis generationis Filij, sicut nec paternitas ratio formalis producendi Filium.

Quid sit corruptio, & generatio.

e Quartò, & vltimò probatur idem antecedens. Et ratio est ibi: *Similiter aliàs non esset ista productio generatio, sed magis esset mutatio ad relationem; quia productio ponitur in genere, vel in specie ex suo termino formali:* sicut patet ex 5. Physic. text. comm. 4. vbi sic habetur: *Transmutatio enim magis nominatur ab illo, ad quod est motus, quàm ab illo, ex quo est motus. & ideò corruptio est transmutatio ad non ens: & generatio est transmutatio ad ens.* Hoc idem Comm. ibi: Ergo si terminus formalis huius productionis esset relatio, ista productio poneretur in genere Relationis, & non esset generatio.

5.
Essentia diuina est terminus formalis generationis, & nõ est materia, nec quasi materia.

f *Probo consequentiam primi enthymematis.* Hîc probat consequentiam, scilicet quòd si essentia diuina est terminus formalis generationis, ergo essentia diuina in generatione Filij non est materia, nec quasi materia, nec potentia, nec quasi potentia: quod enim est quasi materia, est quasi potẽtia, supple receptiua. Sed essentia in generatione Filij, nec verè, nec quasi, est potentia receptiua, quia tunc idem reciperet seipsum: patet, dicimus enim, quòd in composito naturali materia est in potentia receptiua formæ partis, quæ est terminus formalis productionis: cùm ergo essentia diuina sit terminus formalis generationis, vt probatum est: si ex alia parte in tali generatione esset materia, vel quasi materia, tunc esset potentia receptiua, vel quasi receptiua termini formalis, qui est essentia, & sic idem reciperet seipsum, quod non est intelligibile.

Nota.

g *Similiter probatur eadem consequentia:* & ratio stat in hoc. Sicut in composito creato impossibile est haberi aliquod pertinens ad *esse* eius duplici modo habendi, vt patet, quia in ipso est forma, & materia; forma tantùm habetur vt terminus formalis, & non habetur vt materia receptiua illius termini, quia tunc idem reciperetur in se; & materia ibi tantùm habetur, vt subiectum termini formalis, & non vt terminus formalis; quia tunc præsupponeret in tali composito aliam materiam receptiuam, vel eadem materia reciperetur in se: sic in persona diuina constituta ex essentia, & proprietate, eadem essentia non habetur duplici modo habendi. Si ergo essentia diuina est quasi materia, & est terminus formalis generationis, vel ergo reciperet se, vel vt terminus formalis reciperetur in alia materia, & sic patet manifestè impossibile ipsam essentiam posse haberi in Filio, isto duplici modo, scilicet vt quasi materia, & vt terminus formalis. Imò videretur sequi, quòd Filius bis haberet essentiam, & per consequens, quòd sit bis Deus; quia habere essentiam est esse Deum, & quòd habeat priùs eam naturaliter, quàm habeat eam, si ratio quasi materia præcedit aliquo modo rationem formalem termini generationis: & sic patet ista ratio.

h *Item secundò, essentia, vt de ea generatur filius,* &c. Ista ratio intelligitur sic: essentia absolutè sumpta est quasi principium materiale respectu notitiæ genitæ, id est, aut essentia absolutè est subiectum, in quo quasi recipitur ipsa notitia genita, & hoc est principiare materialiter, vel quasi materialiter esse subiectum termini formalis: ex quo subiecto, & termino resultat constitutum, tanquam ex principiis intrinsecis; ergo Filius ita erit de substantia Filij, vel Spiritus sancti; sicut dicitur de substantia Patris: quia vt sic, est trium personarum, aut vt est principium quasi materiale habet esse, vt in Patre, id est, aut ipsam sic esse quasi materiam in generatione Filij tantùm sibi conuenit, vt est in Patre: ergo vt in Patre quasi reciperet notitiam genitam, & sic formaliter esset notitia genita, & sic Pater esset formaliter notitia genita, cùm illa sit in essentia, vt essentia est Patris, sicut Franciscus est formaliter intelligens, quia intellectio recipitur in intellectu formaliter, vt intellectus est formaliter in Francisco. Et quòd sequatur hoc de Patre; patet, quia *cùm in intellectu eius, quod est esse de quo aliquid producitur, includatur hoc, quod est esse illud, in quo forma inducitur,* id est, in illo ente, cui conuenit esse illud, vt de quo aliquid producitur, id est, cui conuenit esse principium materiale ipsius producti includitur in intellectu eius, id est, quòd includitur quiditatiuè hoc, quod est esse illud, in quo forma inducitur, id est, tale ens, quod est receptiuum formæ. Et tota sententia est: Illud, quod est materia, vel quasi materia in generatione, quiditatiuè includit ipsum *esse* receptiuum formæ, quæ est terminus formalis generationis: & includit etiam in intellectu suo, id est, quiditatiuè includit, quòd si est receptiuum formæ, quòd habeat illam in se formaliter: & hoc est, quod dicit: *Et in intellectu eius quod est esse in quo includatur habere illud, quod est in eo.* Et sententia totius literæ est. Principium materiale, vt huiusmodi, includit in suo conceptu quiditatiuo *esse* receptiuum termini formalis, & habere illum terminum in se formaliter. Si ergo essentia, vt in Patre existens formaliter, & sub illa ratione, qua est in Patre formaliter, sit quasi materia Filij, siue notitiæ genitæ: ergo notitia illa erit formaliter in essentia, vt in subiecto: & sic erit formaliter in Patre mediante essentia. Aut essentia, vt est quasi materia, erit alterius personæ, quàm Patris: ergo erunt duæ personæ ante productionem Filij. Cætera patent.

6.
Intellectio in intellectu formaliter recipitur.

Si dicatur, quòd non sequitur, quòd si materia sit de quo aliquid producitur, quòd illud productum recipiatur in materia: patet, quia compositum

positum primò, id est, adæquatè producitur 7. *Metaphysic.* & tamen non est subiectiuè in materia.

7. *Solutio.* Dico. quòd sic debet intelligi, quòd si materia sit, vt de quo aliquid producitur, vt terminus formalis, quòd sit receptiua illius: non autem de termino totali, & adæquato, nec possit esse talis terminus totalis, puta humanitas, nisi terminus formalis, puta anima, primò recipiatur in corpore, vt in materia. Et si essentia diuina esset quasi materia Filij, esset receptiua non Filij, sed ipsius filiationis, vt termini formalis, secundùm Henricum. Sed quia in eodem instanti, quo filiatio est formaliter in essentia diuina, vt in quasi materia, resultat persona Filij ex essentia, & filiatione constituta, & quia essentia est sic quasi materia, vt est in Patre, sequitur quòd Filius sit formaliter in Patre, & sic intellige sequentem literam vsque ibi: *Si autem essentia, vt in alia.*

i *Si autem dicas, vt est de qua*, &c. Hæc litera sic debet intelligi: Materia, vt de qua generatur suppositum, siue genitum, non habet *esse* in aliquo supposito; quia volunt isti, quòd materia in se nullam entitatem dicat realem; sed quòd tantùm sit ens in potentia sola, id est, ens tantùm possibile; ideò Scotus arguit contrà; quia ex quo ipsa est principium intrinsecum dans *esse* realiter producto naturali; quòd nisi esset verum ens: non principaliter realiter, & intrinsecè: quomodo enim illud, quod in se nihil est, potest constituere intrinsecè aliquod ens in *esse* reali? Et quia dicit, quòd materia non est alicuius suppositi, vt est id de quo genitum generatur, etiam accipiendo materiam habere verum *esse* in se ad mentem Scoti *in 2. distinct.* 12. verum est quòd non est alicuius suppositi.

Quomodo materia det esse realiter producto naturali.

8 *Obiectio.* Si dicatur, de materia ligni generatur ignis, & tamen ipsa est actu suppositi ligni.

Solutio pulchra. Dico, quòd non: quia materiam esse, vt de quo ignis generatur, est ipsam esse receptiuam formæ substantialis ignis, vt sic recipit, non est sub forma ligni; imò in eodem instanti, in quo introducitur forma ignis, expellitur forma ligni. Hoc ad mentem Scoti. Et hoc, quod dixi, non est argumentum contra Scotum, sed tantùm accipiendo ipsam materiam primo modo, id est, vt nullum simpliciter *esse* habet.

k *Si dicatur aliter, quòd inquantùm est Patris*, &c. Argumentum factum suprà in textu, idem secundò concludit contra istam responsionem; quia si essentia est Patris, vt de quo generatur Filius, statim ipsa, vt in Patre, includit in intellectu, quòd sit receptiua notitiæ genitæ, & includit vt habeat ipsam, vt in Patre: ergo falsum est dicere, quòd vt actu quasi informatur notitia genita sit Filij: & hoc est quod dicit.

l *Similiter tunc communicatio essentiæ*, &c. Hîc Doctor supponit quod ab omnibus conceditur, scilicet quòd quicquid communicatur personæ diuinæ productæ, communicatur per productionem, Filio per generationem, & Spiritui sancto per spirationem. Hoc idem est in generatione creaturæ. Si ergo essentia est quasi materia Filij, sequitur quòd saltem per considerationem nostram priùs habeat *esse* in Filio, quàm per productionem: patet, quia sicut materia est prior forma, ita priùs occurrit ad *esse* compositi.

9. *Obiectio.* Si dicatur non esse inconueniens aliquid priùs communicari producto ante productionem: & hoc secundùm considerationem nostram; quia in creatura præintelligitur materia communicari, quàm habeatur forma per productionem.

Dico, quòd non est simile; quia materia non communicatur per aliquid agens, cùm præsupponatur omni actioni; sed tantùm forma communicatur materiæ: essentia verò diuina, cùm sit eadem in tribus, non potest haberi in Filio, nisi per communicationem, & cùm ipsa per considerationem præintelligatur in Filio ipso termino formali, qui tantùm habetur per generationem, sequitur quòd essentia non erit in Filio per generationem: quod est contra Augustinum. *Solutio.*

Similiter licèt aliquid, quod non est, &c. Dicit Doctor quòd materia ligni, quod actu non est suppositi, puta ignis, potest fieri per generationem suppositi ignis, non per generationem ipsius materiæ, cùm sit ingenerabilis terminatiuè, sed per generationem formæ ignis in illa materia: nam in eodem instanti, quo forma ignis recipitur per generationem in materia ligni, ipsa materia desinit esse suppositi ligni, & fit suppositi ignis, sed quòd eadem materia, quæ actu est suppositi ligni, existens suppositi ligni fiat suppositi ignis est impossibile: nisi ipsa producatur in illo, & si producitur in illo, non erit in illa materia; quia materia præexigitur formæ producendæ. Cùm ergo essentia sit actu suppositi Patris, & eadem etiam actu existens suppositi Patris sit etiam suppositi Filij; ergo erit per productionem ipsius in Filio: & vt sic, non habet rationem materiæ, vel quasi materiæ.

Materia est ingenerabilis terminatiuè, generabilis verò subiectiuè.

Si dicatur, quòd ipsa vt est suppositi Patris sit suppositi Filij, & non per productionem ipsius in Filio, sed per productionem notitiæ genitæ in ipsa, sicut dixi de materia ligni respectu formæ ignis. *Obiectio.*

Contrà, quia si sic, sequitur argumentum factum suprà in textu. *Item secundò essentia*, &c. quòd vt est suppositi Patris, recipit notitiam genitam: & sic Pater erit formaliter sapiens notitia genita. *Solutio.*

m *Præterea tertiò, quando ad productionem effectus*, &c. Nota, quòd actiuum, puta ignis, qui producit compositum naturale ex materia, puta ligni, & forma ignis, priùs habet respectum realem ad illam materiam, quàm ad productum totale, & adæquatum: nam priùs mouet materiam ad formam partis, scilicet ad formam ignis, qui est terminus totalis, causando illam in tali materia. & hîc est duplex relatio. Prima est producentis ad terminum formaliter productum. Secunda est mouentis ad materiam motam, inquantùm recipit illum terminum: & hoc habet ex seipso: & habito isto respectu, est etiam respectus ignis producentis ad totum productum: & in isto secundo materia ipsa concausat, vt causa materialis. Si ergo Pater in generatione Filij respiceret essentam diuinam, quasi materiam, priùs haberet respectum, & relationem ad illam, vt quasi mouentis ipsam ad receptionem notitiæ genitæ, siue proprietatis; & pòst, vel simul haberet aliam relationem ad Filium productum; ergo ante relationem realem Patris ad Filium esset alia prior realis, quæ esset ad essentiam, vt quasi materiam; vel si esset tantùm rationis, vtrumque est falsum. Primum patet ab omnibus; quia omnes negant Patrem habere aliam relationem realem, quàm ad Filium, & Spiritum sanctum. Secundum similiter patet, quia cùm relatio Patris ad Filium sit verum ens reale, non præexigit necessariò aliquid, quod est præcisè ens rationis: vt patet intelligenti: 10.

Duplex relatio.

telligenti:& nota benè hanc rationem.Sequentia clara sunt.

11. *Greg.d.5.q.2. primi.* Gregorius de Arimino circa hanc materiam ponit, quòd nullus terminus formalis generationis diuinæ, qui sit alius à termino totali. Et probat sic primò:Vbi est terminus formalis alius à termino per se, ibi est formalis pars per se termini,& in illo inclusus:sed in simplicissimo nulla est pars:ergo.

Secundò,quia,vt videtur,si res aliqua simplex causatur à Deo:non assignatur terminus formalis distinctus à termino per se creationis, siue ab eo, qui creatur.

Confirmatur,quia illud est formalis terminus, quo actu productum est tale:constat autem,quòd nullum simplex est aliquo tale, sed seipso : iam enim non esset simplex.

Et si dicatur,quòd Filius essentia,& diuinitate est Deus:& filiatione,aut proprietate Filius.

Respondet Gregorius,quòd ex hoc non habetur, quòd aliquo alio à se sit Deus, aut Filius, vel persona,cùm ipse sit sua diuinitas, & omne quod est in eo : & sic in eo non distinguitur, *quo est*, & *quod est* : & ideò seipso, & per seipsum est, & Deus est.

Et si dicatur secundò,quòd generatio Filij non erit vniuoca, cùm per se terminus non sit eiusdem rationis cum producente : cùm persona Filij sit alterius rationis à persona Patris,nec alius terminus ibi formalis datur.

Respondet ad hoc, quòd sit vniuoca sufficit quòd producens, & productum sint eiusdem naturæ secundùm speciem:modò Pater,& Filius non tantùm sunt vnius naturæ secundùm speciem,sed etiam secundùm numerum ; & ideò maximè vniuoca est generatio ista.

12. *Opinio Scoti.* Respondeo præmittendo aliqua.Primum,quòd cum summa simplicitate stat aliquorum distinctio formalis,licèt nullo modo realis,vt suprà patuit *d.2.p.2.q.1.* vbi ostensum est, quòd cum simplicitate diuina stat non identitas formalis essentiæ,& proprietatis.Similiter probat Doctor infrà *d. 8. q. 3.* quòd cum summa simplicitate Dei stat formalis distinctio attributorum ab inuicem, & ab essentia diuina.Nulla enim potest esse compositio,nec quasi compositio inter aliqua duo,quorum vnum transit in perfectissimam identitatem realem alterius propter infinitatem, & simplicitatem alterius extremi,vt infrà ostendetur *præsenti quæst.& dist.26.* *In diuinis nō est compositio, sed cōstitutio.*

Secundò præmitto,quòd persona Filij est verè constituta ex essentia,& proprietate, tanquam ex aliquibus de necessitate formaliter distinctis, vt patebit infrà *d.8. q.3.* Et sic in Filio distinctus est dupliciter terminus generationis : vnus est totalis,& est ipse Filius constitutus ex essentia,& filiatione;& alius dicitur formalis,& non potest esse, nisi ipsa essentia : vt ostensum est suprà *præsenti q.* exponendo sensum Doctoris.

Tertiò præmitto, quòd proprietas Filij potest comparari ad essentiam,vel sicut actus perficiens, vel inhærens,siue informans ; vel sicut actus hypostaticus,quo persona subsistit in natura diuina. Primo modo facit compositionem aliqualem.Secundo modo nullam compositionem facit, nec quasi compositionem, vt infrà patebit *præsenti q. & 26.dist.huius.*

Quartò præmitto, quòd quando productum distinguitur à producente,& conuenit quiditatiuè cum producente, in eo est assignare aliquid, quo verè distinguitur,& aliquid,quo verè conuenit ; sicut in creaturis Franciscus distinguitur à Ioanne, & quiditatiuè conuenit cum Ioanne in humanitate : tunc humanitas in Francisco est ratio conuenientiæ quiditatiuè cum Ioanne:& hæcceitas Francisci est ratio distinguendi ipsum à Ioanne:& ideò in Francisco producto (posito etiam, quòd natura humana sit forma simplex) est terminus totalis generationis, qui est ipse Franciscus, includens humanitatem, & hæcceitatem: & est terminus formalis generationis, qui est natura humana, qua vniuocè conuenit cum producente.

His præmissis,respondeo ad rationes Gregorij. 13. *Solutio rationum Gregorij.*
Ad primam, cùm dicit:Vbi est terminus formalis alius à per se termino,ibi formalis est pars per se termini,& in illo inclusus.Dico,quòd hoc verum est primò in composito reali.Secundò etiam in re non composita ex materia,& forma:sed ex natura,& hæcceitate tanquam ex determinabili,& determinatiuo:tunc terminus formalis est pars termini per se,siue termini totalis, & adæquati:cùm ibi sit perfectiuum,& perfectibile. Vbi verò constituentia sic se habent,quòd vnum non est actus alterius,vt perficiens,vel informans:nec è contra, sed actus transiens in perfectam identitatem alterius extremi:tunc non est ibi,nec pars,nec quasi pars:& sic cum essentia diuina, & proprietas Filij verè constituant personam Filij : essentia diuina, quæ est terminus formalis,non erit pars,nec quasi pars Filij constituti, & tamen cum tali constituto stat summa simplicitas : quia cum formali distinctione aliquorum stat perfectissima realis identitas, & summa simplicitas, vt patuit in primo supposito. *Essentia diuina, quæ est terminus formalis,non erit pars.*

Ad secundam dico, quòd si creetur aliqua res simplex, id est, non composita ex materia,& forma : adhuc in illa est assignare terminum formalem creationis, & terminum totalem, vt quando Angelus creatur,dico,quòd terminus totalis creationis est hic Angelus, vt includit quiditatem, & hæcceitatem, siue rationem formalem subsistendi : & terminus formalis erit entitas quiditatiua ipsius Angeli,qua quiditatiuè conuenit cum aliis. Et vltrà dico,quòd in tali re creata terminus formalis creationis est pars ipsius creati : eo modo, quo dictum est de constituto ex natura determinabili,& hæcceitate determinatiua.

Ad confirmationem illam,cùm dicit,quòd illud est formalis terminus,quo actu productū est tale. 14.
Concedo,& sic essentia diuina est id,quo Filius est Deus,vel perfectissimum ens. Et cùm dicit, quòd omne simplex se ipso est tale, & non aliquo alio, aliter non esset simplex. Dico, quòd esse tale aliquo alio potest dupliciter intelligi. Primò, vt sit tale aliquo alio, vt parte, vel quasi parte. Secundò,vt sit tale aliquo alio,non sicut parte,vel quasi parte,sed sicut aliquo includente ipsum constitutum in perfecta identitate reali.Primo modo non potest dici simplex;sed benè secundo modo,& sic est in proposito. *Esse tale aliquo alio potest dupliciter intelligi.*

Ad aliud quod dicit:quòd licèt Filius sit Deus essentia, & diuinitate : & sit Filius filiatione, non tamen sequitur, quòd aliquo alio à se sit Deus, &c.Dico primò,quòd si Filius dicat aliquam entitatem præter essentiam, & proprietatem, licèt non realiter distinctam : patet quòd seipso non erit Deus,sed Deitate erit Deus, & filiatione erit Filius, & non seipso ; quia ipsa sunt aliquo modo alia ab entitate Filij.

Secundò

Secundò dico, quòd si Filius non dicat aliam entitatem à Deitate,& filiatione: adhuc hoc totum, vt vnitum potest dici Deus aliquo alio, & non seipso: patet,quia ex quo Filius dicit Deitatem,& filiationem: si hoc modo Filius seipso esset Deus (cùm vt sic dicat filiationem, & Deitatem) tunc sequeretur, quòd filiatione esset Filius: & similiter si seipso esset Filius, vt ly *Filius* includit Deitatem,& filiationem:tunc Filius esset Deitate Filius. Ad aliud,quod dicit de vniuocatione generationis Filij. Hæc responsio est pro me; quia si Filius conuenit cum Patre etiam in idem numero: aut hoc est ratione naturæ diuinæ, aut hoc est ratione proprietatis. Non secundò: tum, quia per proprietatē distinguitur realiter à Patre, tum,quia proprietas Filij est primò diuersa à proprietate Patris,vt infrà patebit *d*.13.*&* 26. Si ratione naturæ, tunc habeo propositum: quia illud est terminus formalis generationis Filij, quo Filius vniuocè, & quiditatiuè conuenit cum Patre. Et sic patet responsio ad argumenta Gregorij.

15. *Occham in 1. d.5. q.2. contra Scotum.* Alius etiam Doct.satis subtiliter arguit contra Scot.probando quòd essentia diuina nō sit terminus formalis generationis Filij. Et primò arguit sic:Sicut de ratione termini totalis alicuius generationis est non habere *esse* totale,nisi per productionē: ita de ratione termini formalis est non habere *esse* formale,nisi per productionē. Sed essentia non habet *esse* formale per generationem,quia essentia secundùm totum suum *esse* est in Patre.

Secundò arguit sic: Non idem est elicitiuum alicuius productionis, & terminus formalis eiusdem: quia idem non est prius,& posterius seipso: sed secundùm istos, principium elicitiuum est prius origine,terminus autem formalis est posterius origine: sed essentia, secundùm istos, est principium elicitiuum generationis:ergo non est terminus formalis eiusdem.

Confirmatur,quia,secundùm istos, vna persona tantùm vno modo habendi habet essentiam. Si ergo Filius habeat essentiam,vt terminum formalem generationis;ergo non habet eam,vt principium elicitiuum cuius oppositum dicit.

Si dicatur,quòd Filius non habet essentiam,vt principium elicitiuum, sed Pater, hoc non sufficit; quia saltem Filius haberet essentiam,vt principium elicitiuum productionis Spiritus sancti, & ita duobus modis habendi: & hoc argumentum est tantùm contra hominem.

16. Tertiò principaliter arguit: Si essentia sit terminus formalis generationis, aut hoc est, quia simpliciter habet *esse* per productionem; aut quia habet *esse* in producto per productionem. Non primò; quia essentia, cùm sit in Patre non habet *esse* simpliciter per quamcunque productionem. Non secundò, quia ista si anima intellectiua esset primò creata,& postea crearetur materia sub anima intellectiua,non diceretur quòd anima intellectiua esset terminus formalis illius productionis: & tamen caperet *esse* in hoc per illam productionem. Ex his patet, quòd non est idem communicari, esse terminum formalem alicuius productionis, quia illa anima intellectiua esset communicata materiæ: & tamen non esset terminus formalis productionis. Ideò dicō aliter, quòd *Positio Occhā propria.* aliud est communicari per productionem aliquam; & aliud est esse terminum formalem illius productionis:patet,quia spiratio actiua communicatur Filio per generationem: & tamen spiratio actiua non est terminus formalis istius productionis. Dico ergo, quòd terminus formalis productionis est illud, quod capit *esse* simpliciter per illam productionem. Vnde quando terminus formalis, & terminus totalis distinguuntur, terminus formalis est aliquid ipsius termini totalis capiens simpliciter *esse* per illam productionem, & per hoc, quòd terminus formalis capit simpliciter *esse* per illam productionem:terminus totalis capit *esse* simpliciter per ipsam productionem. Et ex isto sequitur, quòd non dicitur aliquid terminus formalis; quia est forma. Nam si Deus crearet ipsam materiam per se existentem, ista materia esset terminus formalis, & tamen non esset forma. Et sic in proposito dico, quòd essentia non est terminus formalis generationis, nec similiter relatio, sed ipsa persona potest dici terminus formalis: non tamen distinguendo terminum formalem contra terminum totalem. hæc Occham.

Respondeo ad primum: Concedo quòd sicut terminus totalis est ille, qui accipit *esse* per productionem: sic terminus formalis est ille, qui accipit *esse* per eandem productionem. Cùm dicitur,quòd essentia diuina per productionem in Filio non capit *esse* in Filio. Dico quòd accipere *esse* contingit dupliciter. Vno modo in se, & absolutè; ita quòd in aliquo instanti originis intelligatur non habere *esse*: & in alio instanti originis intelligatur habere verum *esse*. Alio modo quòd intelligatur habere *esse*;alio modo,quo priùs non habuit, puta *esse* communicatum: ita quòd in aliquo priori instanti originis dicatur non habere *esse* in Filio: & in secundo instanti originis dicatur habere *esse* in Filio:vt constitutiua, & vt dans *esse* Filio essentialiter, & quiditatiuè. Primo modo non potest dici terminus formalis generationis: cùm *esse* reale essentiæ diuinæ sit simpliciter primum in diuinis: imò, vt sic, intelligitur vt prior omni proprietate, & omni attributo: vt patet à Doctore infrà, *dist*. 8. *quæst*. 3. & diffusè *in Quodlib. quæst*. 1. Secundo modo dicitur terminus formalis generationis Filij:quia ipsa essentia per talem generationem habetur in Filio, per quam essentiam Filius est quiditatiuè Deus, & idem essentialiter cum Patre. 17. *Accipere esse contingit dupliciter.*

Ad secundum dico, quòd idem esse prius, & posterius seipso potest dupliciter intelligi. Primò, quantùm ad idem *esse* reale, vt quòd *A* realiter sit prius, & posterius seipso, & hoc est impossibile. Secundò, quantùm ad alium, & alium modum. Et sic etiam est impossibile, quòd respectu vnius,& eiusdem modi dicatur prius,& posterius seipso:vt verò comparatur ad alium,& alium modum, secundùm vnum modum potest dici prius; & secundùm alium potest dici posterius. Et sic in proposito essentia diuina,vt est principium elicitiuum in Patre, est prior se ipsa, vt est per productionem communicata Filio: & hoc est necessarium dicere:quia ex quo ipsa ponitur principium formale productiuum, quo Pater producit Filium, vt infrà patebit *d*. 7. & ipsa eadem ponitur communicari Filio per talem productionem: sequitur quòd vt in Patre est principium elicitiuum sit prior seipsa, vt in Filio, ipsi Filio per productionem communicata. *Idē potest esse seipso prius, & posterius.*

Ad confirmationem dico, quòd filius non habet essentiam diuinam, vt principium formale elicitiuum, vt infrà patebit *dist*. 7. Et quod dicit, quòd saltem habet eam,vt principium elicitiuum spirationis. Dico quòd verum est. Et cùm dicit, quòd 18.

Filius duobus modis habendi habet essentiam diuinam.

quòd duobus modis habendi habet eam; quia vt terminum formalem productionis, & vt principium elicitiuum spirationis. Dico, quòd non tantùm his duobus modis: sed etiam vt pluribus aliis modis; quia eadem, vt in Filio est principium operatiuum intellectionis, & principium operatiuum volitionis, & huiusmodi. Sed hoc nihil est. Et cùm dicit, quòd Scotus habet pro inconuenienti, quòd Filius habet essentiam duobus modis. Dico, quòd Scotus sic intelligit, quòd non habetur in Filio essentia diuina alio, & alio modo habendi, vt dans *esse* Filio: hoc patet arguendo contra Henricum, vbi dicit, quòd si essentia diuina esset quasi materia, & esset terminus formalis generationis; tunc Filius duobus modis habendi haberet eam, vt dantem sibi *esse* essentiale, & sic Filius esset bis Deus: vide in præsenti quæstione.

Ad tertium dico, quòd essentia diuina per productionem habet tantùm *esse* communicatum in Filio. Et sic patet responsio ad omnia sequentia ipsius Occham.

19. *Idem Occhã conatur Scot. rationes soluere.*

Deinde respondet Occham, *vbi suprà*, ad rationes Doctoris, & primò illas auctoritates concedit, dicens, quòd potest forma dari, siue communicari, siue præstari producto, quamuis non sit terminus formalis talis productionis, sicut si Deus crearet materiam sub forma præexistente, illa forma communicaretur tali composito per illam productionem, & tamen non esset terminus formalis talis productionis.

Ista responsio non soluit.

Dico, quòd hæc responsio (vt patet ex suprà dictis) non soluit rationem Scoti; qua ex quo essentia diuina vi productionis communicatur Filio, vt dans *esse* essentiale Filio: sequitur, quòd non potest dari, nisi vt terminus formalis productionis.

Obiectio.

Si dicatur, quòd etiam proprietas Filij habetur in Filio vi generationis, & tamen non erit terminus formalis.

Solutio.

Dico primò, quòd illud voco terminum formalem productionis, quo productum ex vi productionis est simile producenti, siue similitudine formali, siue similitudine virtuali: quæ distinctio patet suprà *dist.* 3. *q.* 8. Et sic per solam entitatem quiditatiuam vltimatè constituentem productum in *esse* quiditatiuo productum ex vi productionis est simile producenti; & quia Filius in diuinis ex vi productionis suæ non est similis producenti per proprietatem hypostaticam; ideò talis proprietas non potest dici terminus formalis.

20. *Terminus formalis est duplex.*

Dico secundò, quòd terminus formalis potest capi dupliciter. Vno modo pro eo, qui est terminus principalis. Alio modo pro termino quodammodò concomitante: & tunc essentia diuina dicitur terminus formalis primus, siue principalis: & attributa dicuntur termini formales concomitantes, siue quodammodò denominatiui: & breuiter omne illud, quod fundatur in essentia diuina, potest dici terminus formalis, concomitanter tamen: & de hoc infrà patebit. Et quod dicit de materia. Dico, quòd posito quòd anima intellectiua Francisci sit creata in instanti *A*, & in aliquo tempore sequenti creetur corpus organicum: & pòst communicetur ipsi corpori ex quo corpore, & anima constituitur Franciscus in *esse*, adhuc illa anima posset dici terminus formalis respectu compositi: quia per illam habetur vltimatè *esse* quiditatiuum. Et si ipsa anima eadem productione, qua Franciscus producitur, esset communicata Francisco: verè diceretur terminus formalis productionis terminatæ ad Franciscum, vt ad terminum totalem. In proposito autem essentia diuina tantùm habetur in Filio vt eiusdem productionis, qua Filius producitur, vt terminus totalis.

Gregorius tamen, *vbi suprà*, respondet ad has auctoritates, quæ responsio parum differt à responsione data ab Occham: & dicit, quòd dari per generationem alteri potest intelligi. Primò secundùm proprietatem locutionis: & sic omne quod datur per generationem, distinguitur ab eo, cui datur: nec est illud, siue detur ei vt subiecto, sicut forma detur materiæ à generante; siue detur ei vt habenti, seu toti, vt anima potest dici dari animali, id est, quòd animal per generationem habet animam. Et eodem modo potest dici, quòd materia datur animali, quia à generante habet materiam: & vtroque modo. Minor est falsa, videlicet quòd essentia sic detur Filio per generationem. Secundo modo potest intelligi dari per generationem Filio à Patre, ita quòd nascendo est Filius à Patre, & in huiusmodi sensu maior idem valet, ac si diceretur: Omne quod Filius est nascendo à Patre, siue per hoc, quòd nascitur à Patre est, &c. Et patet, quòd est falsa, quia Filius non solùm habet nascendo, vt sit essentia: sed etiam, vt sit Filius, & persona; non enim est intelligendum quòd Filio detur essentia, vt sit aliquid, quod sit in eo, vt in subiecto: vel vt pars eius intrinseca, sed vt aliquod, quod ipse est: & sic non est aliter intelligendum Filium habere essentiam, quàm ipsum esse essentiam. 21. *Greg. respondet ad auctoritates.*

Dico, quòd concedendo essentiam dari Filio per generationem, sic Filium esse essentiam, siue identicè, vel formaliter, non curo: non tamen ex hoc saluat quin sit terminus formalis generationis. Ex quo enim essentia est id, quo Filius ex vi productionis suæ est similis, siue idem producenti, sequitur quòd ipsa erit terminus formalis generationis. 22. *Cõfutatio responsionis Gregorij.*

Ad secundum argumentum Doctoris respondet Occham, quòd argumentum procedit, ac si poneretur quòd relatio esset terminus formalis: sed non ponitur ipsa relatio terminus formalis, sed tantùm ipsa persona constituta ex essentia, & relatione. *Occham respondet ad secundum Doctoris.*

Dico, quòd hæc responsio non soluit rationem Doctoris: ratio enim procedit ex vno supposito, scilicet quòd in productione Filij detur aliquis terminus formalis; quia ipse Filius est terminus totalis generationis, quod suppositum suprà probatum est. Et ideò Doctor addit, loquendo de termino formali distincto contra terminum totalem: aut essentia est terminus formalis, & habetur propositum; aut relatio, non enim alius potest haberi: si relatio. Contrà; quia perfectius, quod habetur vi productionis est terminus formalis; quia voco terminum formalem illud, quod ex vi productionis habetur, vt vltimum constitutiuum *in esse* essentiali, & quiditatiuo: si ergo relatio esset terminus formalis generationis, ex vi talis generationis non posset haberi essentia diuina, vt suprà patuit. *Improbatio ipsius responsionis.*

Ad tertium respondet Occham, dicens, quòd talis vniuocatio (qualis est in generatione diuina) stat cum hoc, quòd essentia non sit terminus formalis: quia ad illam vniuocationem, quæ est ibi, sufficit quòd generans, & generatum sint vna substantia, & quòd illa substantia non differat nec à generante, nec à generato. 23. *Ad tertium respondet idem Occham.*

Dico,

Responsio Ocham improbatur. Dico, quòd ista responsio non soluit rationem Doctoris, vt patet ex suprà expositis, quia sustinendo quòd Filius ex vi productionis suæ dicatur vniuocè generari, siue esse simile producenti ex vi generationis, quod idem est, oportet assignare aliquid in Filio, quod habeatur vi generationis illius, per quod Filius sit similis quiditatiuè Patri; illud non potest esse proprietas, vt patet: nec etiam Filius, vt Filius: ergo erit essentia. Si ergo per essentiam dicitur formaliter similis Patri ex vi productionis suæ, sequitur quòd essentia erit terminus formalis generationis, sicut etiam patet in creaturis, vbi compositum est simile producenti ratione termini formalis habiti virtute illius productionis. Et ex his (quæ dixi) patent alia, quæ dicit Ocham.

SCHOLIVM.

Tenet cum antiquis Doctoribus non esse in diuinis materiam, vel quasi materiam, simpliciter tamen Filium generari de substantia Patris. Primum declarat tribuendo generationi diuinæ, quod est perfectionis in generatione creata, scilicet productionem; separando ab ea imperfectionem generationis creatæ, nempe mutationem. Secundum declarat, dicens per ly de, *denotari originationem à Patre, & consubstantialitatem cum eo, quod ex Augustino ostendit egregiè.*

IDeò tenendo [a] cum Doctoribus antiquis, qui omnes à tempore Augustini, vsque ad istum, non sunt ausi in diuinis nominare materiam, nec quasi materiam: cùm tamen omnes concorditer dicant cum Augustino, quòd Filius generatur de substantia Patris. 11. *Decisio q.*

Dico primò, quòd Filius non generatur de essentia Patris, sicut de materia, vel quasi materia. Secundò, quòd sine glossa verè, & propriè Filius est de substantia Patris. Primum declarari potest sic: Generatio in creaturis duo dicit, productionem & mutationem, & istorum rationes formales aliæ sunt, & sine contradictione separabiles ab inuicem: productio autem formaliter est ipsius producti quod est compositum 7. *Metaph.* & accidit sibi, quòd fiat cum mutatione alicuius partis compositi. Mutatio formaliter est actus mutabilis, quod quidem de priuatione transit ad formam: concomitatur autem mutatio productionem in creaturis, propter imperfectionem potentiæ productiuæ, quæ non potest dare *esse* totale termino productionis: sed aliquid eius præsuppositum transmutat ad aliam partem ipsius, & sic producit compositum. Si enim generans creatum esset perfectum agens, & non exigeret materiam, de qua, vel in quam ageret, sed posset producere effectum per se, & ex se, tunc esset productio sine mutatione: igitur sine contradictione possunt separari, & realiter separantur, comparando ad potentiam productiuam perfectam. Hoc apparet etiam in creatione, vbi propter perfectionem potentiæ productiuæ ponentis primò totum in *esse*, verè est ratio productionis, inquantùm per eam terminus productus accipit *esse*: sed non est ibi ratio mutationis, inquantùm mutatio dicit aliquid substratum aliter nunc se habere, quàm priùs, *ex 6. Physic.* in creatione autem non est aliquid substratum. *Text. com. 26. Vt supr. q. præced. Mutatio nō est de ratione generationis. Text. com. 32. & 73.*

Ad propositum, cùm in diuinis nihil imperfectionis sit ponendum, sed totum perfectionis, & mutatio (de ratione sui) dicat imperfectionem, quia potentialitatem, & hoc in mutabili, & concomitanter etiam dicit imperfectionem potentiæ actiuæ in mutante; quia talis necessariò requirit causam concausantem ad hoc, vt producat: cùm igitur non sit ibi aliqua imperfectio, nec qualis est potentiæ passiuæ, nec etiam aliqua imperfectio potentiæ actiuæ, sed summa perfectio; nullo modo ponetur ibi generatio sub ratione mutationis, nec quasi mutationis; sed tantùm generatio, vt est productio, inquantùm scilicet aliquid per eam capit *esse*, ponetur in diuinis: & ideò generationi, vt est in diuinis, non assignabitur materia, nec quasi materia, sed tantùm terminus, & hoc vel totalis, siue primus, id est, adæquatus, qui primò producitur in *esse*: vel terminus formalis, secundùm quem terminus primus formaliter accipit *esse*. 12. *Quare generatio sub ratione mutationis non sit ponenda in diuinis?*

Secundò dico [b], quòd negata omni materialitate, & quasi materialitate, verè tamen Filius est de substantia Patris, sicut dicunt auctoritates adductæ in litera. vbi per ly *de*, non tantùm notatur efficientia, vel origo, si enim tantùm efficientia, tunc creaturæ essent de substantia Dei: nec notatur per illud *de* tantùm consubstantialitas, quia tunc Pater esset de substantia Filij, sed notatur simul originatio, & consubstantialitas, vt scilicet in casuali huius præpositionis *de*, denotetur consubstantialitas, sic, quòd Filius habet eandem substantiam, & quasi formam cum Patre, de quo est originaliter, & per illud, quod construitur in Genitiuo cum isto casuali: notetur principium originans, ita quòd totalis intellectus huius sermonis, *Filius est de substantia Patris*, est iste, Filius est originatus à Patre, vt consubstantialis ei. Et isto modo exponit Magister auctoritates in litera adductas, non præcisè per substantialitatem, nec per originem præcisè, sed per vtrumque, sicut communiter apparet de Patris substantia, hoc est, de Patre, qui est *Ly, de, denotat originationem, & consubstantialitatem.*

eadem substantia. Per primum originatio, per secundum consubstantialitas habetur. Et quòd ista sit intentio Augustini in auctoritatibus eius contra Maximinum, quæ ponuntur in litera, apparet ex fine auctoritatum. Nam in vna auctoritate ponit Augustinus, *Si aliam non inuenis, Patris agnosce substantiam, & Filium cum Patre homousion confitere.* Hoc igitur intelligit per Filium esse de substantia Patris, Filium sic esse de substantia Patris, vt sit *homousion* cum Patre.

Item in alia auctoritate dicit, *Si verò de Patris substantia, tunc est eadem substantia Patris, & Filij.*

2. Ad intellectum ergo huius affirmatiuæ, qua dicitur, *Filius est de substantia Patris,* secundùm intellectum prædictum: dico, quòd intellectus iste verè saluat, quòd Filius non sit de nihilo: verè etiam saluat, quòd Filius est de substantia Patris, sicut requiritur ad Filiationem.

Primum declaro, quia creatura genita non est de nihilo, quia aliquid eius præexistit, vt materia: igitur cùm forma sit aliquid compositi, & aliquid eius perfectius, quàm sit materia, si forma alicuius præexisteret, & materia de nouo adueniret, & informaretur illa forma præexistente, ipsum productum non esset de nihilo; quia aliquid eius præextitisset, imò aliquid eius perfectius, quàm materia, quæ præexistit communiter: igitur si Filius non diceretur esse de nihilo, quia essentia eius, secundùm ordinem originis, præfuit in Patre, & hoc si illa essentia esset quasi materia generationis Filij: multò magis nec Filius esset de nihilo, si illa essentia priùs origine existens in Patre, sit quasi forma communicata Filio.

Filius nō est de nihilo, nec de quasi materia.

Secundum declaro, scilicet quòd istud, *de*, sufficiat ad rationem Filiationis, quia in animatis, vt est paternitas & filiatio, videamus, quis sit ille actus, per quem generans dicitur formaliter Pater. Ille vtique est actus decidendi semen, & si esset perfectum agēs, ita quòd tunc quando decidit semen, posset immediatè decidere prolem, verè esset Pater, & multò perfectiùs, quàm modò sit vbi requiruntur tot mutationes intermediæ: sed nunc, in isto actu decidendi semen, illud, quod erat substantia eius, vel aliquo modò aliquid eius, non est materia, sed est quasi terminus formalis productus, siue communicatus per istum actum, sicut esset proles, si immediatè decideretur à Patre: igitur quòd aliquid substantiæ generantis sit terminus actionis suæ, qua est Pater, hoc verè saluat productum simile in natura esse de substantia eius, sic quòd ipsum, *de*, verè sufficit ad rationem Patris, & Filij, & quod illud decisum, vt terminus sit materia sequentium transmutationum, hoc accidit ipsi, *de*, vt conuenit Patri, & Filio: igitur Pater æternus non decidendo aliquid sui, sed totam essentiam suam communicando, & hoc, vt formalem terminum illius productionis, verissimè producit Filium de se, eo modo quo *esse de*, pertinet ad Patrem, & Filium. & licèt esset ibi essentia, de qua, sicut de quasi materia, illud *de* non faceret ad rationem Patris, sicut nec in creaturis, si generans haberet suum semen pro termino formali, & pro materia suæ actionis, non esset Pater inquantum suum semen esset materia subiecta suæ generationi, vel actioni, sed inquantum esset terminus illius actionis: quemadmodum etiam, si Pater creatus immediatè decideret à se Filium, verè esset Pater, quia illud quod esset de se, verè esset terminus actionis, nullo autem modo materia.

Quis est actus quo quis fit formaliter Pater?

COMMENTARIVS.

1. a IDeò tenendo cum Doctoribus antiquis. Hîc Doctor intendit declarare qualiter ista propositio sit vera: *Filius generatur de substantia Patris.* Et primò declarat quid sit generatio, vt mutatio, & generatio, vt productio tantùm, & hæc litera clara est. Et hoc idem suprà expositum est *dist. 2. part. 2. quæst. 3.* & sic patet quomodo Filius non generatur de substantia Patris, vt de materia, vel vt de quasi materia, quia quod sic generatur, habet materiam, quæ est subiectum mutationis, vel quasi mutationis.

b *Secundò dico, quòd negata omni materialitate, & quasi materialitate,* ista est simpliciter vera: *Filius generatur de substantia Patris.* Vbi per ly *de* non tantùm notatur efficientia, vel origo, quia tunc creaturæ essent de substantia Dei, quia effectiuè, siue originatiuè sunt immediatè à Deo: nec per ly *de* tantùm notatur consubstantialitas; quia tunc Pater esset de substantia Filij: quia sicut Pater est consubstantialis Filio, ita Filius est consubstantialis Patri: sed notatur simul origo, & consubstantialitas, vt scilicet in casuali huius præpositionis *de*, denotatur consubstantialitas cùm dicitur *de substantia*, sic quòd Filius habet eandem substantiam cum Patre, & per illud, quod construitur in Genitiuo cum isto casuali, notatur principium originans. Hoc casuale intelligitur per ly *Patris*; casuale præpositionis *de*, est substantia, cùm dicitur *de substantia.* Et sensus huius propositionis: *Filius est de substantia Patris,* est, iste Filius est originatus à Patre, vt consubstantialis ei. Et sic patet ista litera.

SCHO

SCHOLIVM.

Quærit, quomodo essentia, & relatio esse possunt in eadem persona, quin illa sit materiale respectu huius? pro quo resoluit quatuor dubia. Primum est, quomodo faciunt vnum per se, quin hoc sit potentiale, illud actuale? quod subtiliter declarat tribuendo essentiæ, quicquid est perfectionis in quiditate creata, remouendo ab eadem omnem imperfectionem.

TErtiò principaliter [a] ad solutionem difficultatis huius quæstionis, videndum est, quomodo relatio, & essentia possunt esse in eadem persona, quin essentia sit materiale respectu relationis, cùm nullo modo relatio sit materiale respectu eius. Et sunt hîc quatuor difficultates. 14.

Prima difficultas, qualiter persona diuina erit vna, nisi hoc sit actus, illud verò potentia.

Ad quod dico primò sic: Quòd sicut quiditas creata est, quo aliquid est ens quiditatiuè, & hoc non est imperfectionis: competit enim quiditati ex ratione quiditatis.

Secundò, ipsa quiditas [b] puta humanitas, quia est imperfectæ actualitatis, ideò diuisibilis est per illud, quod contrahit ipsam ad indiuiduum, puta per proprietatem indiuidualem: quæcunque sit, dicatur *A*, & recipit ab *A* aliquam actualitatem, sicut & vnitatem, siue indiuisibilitatem, quam habet in indiuiduo, & non habet ex se, ita quòd illud contrahens, vt *A*, non tantùm est formaliter in Socrate quo Socrates formaliter est Socrates, sed est aliquo modo formale respectu naturæ, & natura est aliquo modo potentiale respectu eius: vnde natura contrahitur, & determinatur per ipsum *A*.

Tertiò, humanitas in Socrate est aliquis actus, & præcisè accipiendo humanitatem & *A*, distinguendo contra se: humanitas est perfectior actus, quàm sit ipsum *A*, licèt *A* sit magis proprius actus, & aliquo modo actus naturæ inquantùm determinat naturam. Applicando hæc tria ad diuina, relinquatur illud, quod est imperfectionis. *Per actũ intellige hæcceitatem.*

Quo ad primum [c] Deitas de se est, quâ Deus est Deus, & quâ subsistens, siue persona, cuius proprium est *A*, est formaliter Deus, quia *esse quo*, hoc modo, non est imperfectionis in creatura, sed competit quiditati, vnde quiditas est.

Quo ad secundum [d] est dissimile, quia Deitas ipsa per proprietatem personalem, non determinatur, nec contrahitur, nec aliquo modo actuatur: quia hoc erat imperfectionis, & potentialitatis in natura creata. Similiter Deitas de se est hæc, & ita sicut habet vltimam vnitatem de se, ita & actualitatem. Est igitur proprietas personalis ita proprius actus personæ, quòd tamen non est actus ipsius naturæ diuinæ, aliquo modo perficiens, vel informans eam.

Quo ad tertium est [e] aliquo modo simile, quia relatio, etsi sit proprius actus personæ, & essentia nõ sit proprius actus personæ, sed aliquis actus: tamẽ essentia est formaliter actus infinitus, relatio autem non est actus infinitus ex ratione sua formali: ergo relatio, licèt sit proprius actus personæ, non tamen actuat essentiam. Cuius contrarium est in creaturis, vbi *A*, quod est in Socrate actus, actuat aliquo modo naturam, quæ est actus perfectior.

Sed quomodo [f] possunt isti duo actus concursus ad constitutionem vnius, si neutrum sit actus alterius?

Oportet enim vnum esse in alio, quia si non: igitur vtrunque est per se subsistens, & ita non erunt in eodem per se subsistente. Similiter vnitas, qualitercunque distinctorum non videtur secundùm Aristotelem esse nisi per rationem actus, & potentiæ. ADDITIO. 15. *8. Met. c. 15. & alibi sæpè.*

Respondeo [g], vnitas compositi necessariò est ex ratione actus, & potentiæ, sicut assignat Phil. 7. & 8. *Met. c. vlt.* sed persona in diuinis non est composita, nec quasi composita, sed est simpliciter simplex, & ita verè simplex, sicut est essentia ipsa secundùm se considerata, nullam habens compositionem, nec quasi compositionem in se, & tamen formalis ratio essentiæ diuinæ non est formalis ratio relationis, nec è conuerso, sicut dictum est suprà *d. 2. q. 1.* de Trinitate. *Text. 54. Text. 15. Persona æquè simplex ac essentia.*

Qualiter autem stat [h], quòd ratio relationis in re non sit formaliter eadem rationi essentiæ, & tamen in eodem concurrentes non constituunt compositum, vel compositionem, hoc est, quia ista ratio est eadem perfectè illi: propter enim infinitatem vnius rationis quidquid potest esse cum ea, est idem perfectè sibi. Perfectio enim identitatis excludit omnem compositionem, & quasi compositionem, quæ identitas est propter infinitatem, & tamen infinitas non tollit formaliter rationes, quin hæc formaliter non sit illa. Non est igitur ex istis quasi compositum, & ideò nihil est ex eis quasi compositum ex actu, & potentia, sed est vnum simplicissimum ex istis, quia vna ratio est perfectè, imò perfectissimè eadem alteri, & tamen non est formaliter eadem. Non enim sequitur, sunt *Infinitũ est omnino incõponibile, & quare? Sufficit in creatis distinctio formalis ad cõpositionẽ, in diuinis non, quare?*

perfectè eadem, etiam identitate simplicitatis: ergo sunt formaliter eadem, sicut tactum est *dist. 2. in quæstione præallegata.* Et tangetur inferiùs *dist.* 8. & eadem perfecta identitas excludit omnem aggregationem, quia idem non aggregatur cum seipso.

ADDITIO. *Et, quod additur, quòd vnum oportet esse in alio, concedo, vt relatio est in fundamento suo, siue radice: sed hoc non est, vt actus in potentia, sed vt identicè contentum in pelago infinito.*

Quomodo paternitas est in Deitate, vel è contra, & alia huiusmodi explicantur optimè?

Aliter potest dici, quòd omnes istæ sunt veræ: Deitas est in Patre, Paternitas est in Patre, Pater est in Deitate, *siue in natura diuina:* Paternitas est in Deitate; *& tamen nullum inest ibi, vt actus in potentia. Nam prima est vera, vt natura est in supposito habente esse quiditatiuum ea, quia hoc conuenit quiditati, vnde quiditas est, sed non propter hoc est forma informans suppositum, etiam in creaturis.*

Secunda est vera, vt forma hypostatica est in hypostasi, nec informat ipsam: tam enim quiditas, quàm forma hypostatica, etiam in creaturis, licèt sit forma suppositi, non tamen forma informans, sed ibi quasi pars. Hîc autem quasi vna ratio formalis concurrens cum alia formaliter ad idem simplex, sed habens in se plures formales rationes. Tertia est vera, vt suppositum est in natura, quod patet, licèt non vt informans.

Quarta est vera eodem modo in, quia quomodò totum est in primo aliquo, eodem modo pars est per se: sed non primo in eodem. Patet exemplum de esse in loco: igitur si Pater est primò in natura, vt suppositum naturæ, Paternitas per se erit in eadem natura, eodem modo essendi in, licèt non primò. Vltra hoc, prior responsio dat modum in, qui est relationis in fundamento, qui non reducitur ad esse forma in materia, nisi vbi fundamentum est limitatum, in tantum, quòd non habet perfectè per identitatem in se ipsam relationem.

COMMENTARIVS.

1. a TErtio principaliter ad solutionem difficultatum huius quæst. videndum est quomodo relatio, & essentia possunt esse in eadem persona, quin essentia sit materiale respectu relationis, &c. Hîc Doctor intendit ad maiorem dilucidationem (scilicet quomodo relatio est in essentia, & tamen essentia non sit quasi materia, nec denominet eam, & tamen distinguat vnam personam ab alia) declarare quatuor difficultates.

Prima qualiter persona diuina erit vna, nisi proprietas sit actus, & essentia potentia. Hoc declarat per exemplum, præmittendo aliqua. Primò, quòd quiditas creata est, quo aliquid est ens quiditatiuè: & hoc non est imperfectionis, & sic dicimus, quòd homo humanitate est tale ens quiditatiuè: non sic intelligendo, quòd humanitas sit aliqua entitas verè constitutiua ipsius hominis: cùm homo, & humanitas in re sint penitus idem: sed quia esse totale alicuius habentis esse non potest perfectiùs explicari, quàm per abstractum illius, & sic dicimus, quòd homo humanitate quiditatiuè est homo: non enim partes constituentes ita perfectè explicant totum *esse* hominis, & perfectiùs explicatur homo quiditatiuè per humanitatem quàm per animam, & corpus: cùm humanitas dicat absolutè entitatem absolutam realem, & realiter distinctam à partibus tā seorsum, quàm simul sumptis, vt patet à Doctore *in* 3. *d.* 2. & ibi hanc materiam prolixè exposui.

2. b *Secundò ipsa quiditas, puta humanitas*, &c. Et quomodo dicatur diuisibilis, vide expositionem, quam feci *in* 2. *d.* 2. ibi: *An detur natura habens minorem vnitatem vnitate numerali.* Et dicit Doctor quòd tale contrahens naturam ad *esse* Socratis, dicitur actus formalis respectu naturæ, & natura est aliquo modo potentiale respectu eius.

Tertiò, humanitas in Socrate est aliquis actus, scilicet essentialis, & quiditatiuus: *& præcisè accipiendo humanitatem, &* A, scilicet proprietatem, puta hæcceitatem, *distinguendo contra se: humanitas est perfectior actus*, quàm ipsa hæcceitas: cùm humanitas sit actus quiditatiuus, & essentialis, hæcceitas tamen est actus magis proprius, quia determinans naturam ad esse *hoc.*

c *Quo ad primum, Deitas de se est, qua Deus est Deus*, supple adæquatè, quia adæquatum *quod*, vel *quis* ipsius Deitatis est *Deus*, vt præscindit ab omni ratione suppositali: vt suprà patuit *d.* 4. *q.* 2. Et similiter ipsa Deitas est, qua persona (cuius proprium est *A*, scilicet cuius personæ actus suppositalis est proprius) est formaliter Deus, quia Pater Deitate est Deus.

d *Quo ad secundum est dissimile*, &c. Quia ipsa est in vltima actualitate, etiā vt præcedit quamcunque proprietatem, vt suprà patuit *dist.* 2. *q.* 1. *p.* 1. Si enim sic posset contrahi, hoc esset imperfectionis.

Si dicatur, Nónne essentia sit propria Patri per proprietatem hypostaticam? Dico quòd non, quia tunc eadem non esset in Filio. Potest tamen dici propria Patri, quanquam ad aliquam conditionem, puta inquantùm est in Patre est ratio formalis producendi, & non vt est in Filio. Sed hoc sibi accidit, quia si esset in Filio, & præintelligeretur non habere productum sibi adæquatum, esset ratio formalis producendi ipsi Filio. *Obiectio.* *Solutio.*

Sed Deitas de se est hæc, id est, quòd ex sua ratione formali est hæc: non enim est imaginandum, quòd Deitas, vt Deitas, sit aliquo modo prior sua singularitate, sicut est de humanitate, quæ ex sua ratione formali præintelligitur sua hæcceitate: Deitas enim ex se, & intrinsecè est singularissima. Et sicut suprà ostensum est *d.* 2. *q.* 2. *p.* 1. quòd existentia est de essentia Deitatis, & existentia non potest competere, nisi naturæ singulari, & sic videtur sequi, quòd si existentia est de essentia Deitatis, singularitas erit intimior existentia. Et sic patet quomodo Deitas, est de se hæc. *Et sicut habet vltimam vnitatem de se: ita & vltimam actualitatem.* Vltima vnitas naturæ diuinæ est tantùm singularitas: sicut 5. Met. distinguitur *vnum* in vnum numero, specie, genere, proportione. 3. *Nota de existētia, & singularitate.*

Si dicatur, quòd vnitas incōmunicabilis est vltima, vt patet in creaturis, quia vnum singulare non videtur habere vltimam vnitatem; quia adhuc est cōmunicabile alteri, vt patet de albedine singulari, & de natura singulari assumpta à Verbo. *Alia obiectio.*

Sed

Sed vnitas suppositalis sibi adueniens est vltima vnitas naturæ, quia tali vnitate natura magis determinatur, quia vt sic, fit simpliciter incommunicabilis quocunque modo.

Responsio. Dico, quòd non est simile, quia natura diuina singularissima non potest constitui per quodcunque sibi adueniens in *esse* incommunicabili: quia tunc, vt adueniret sibi proprietas personalis Patris, non posset communicari Filio.

4\. c *Quo ad tertium est aliquo modo simile*, &c. *Relatio autem non est actus infinitus ex sua ratione formali:* vt subtiliter probat Doctor 5.*q.Quodl.* licèt possit esse infinita per identitatem: non tamen formaliter, quia per impossibile circumscripta Deitate, manente tota ratione formali relationis, ipsa relatio non erit infinita, vt patet.

Si quæratur, si relatio non est formaliter infinita, ergo erit formaliter finita.

Inter finitũ, & infinitum datur mediũ. Dico, quòd non sequitur, quia inter infinitum, & finitum datur medium, scilicet non finitum: erit ergo relatio in diuinis non infinita. Et de hoc patebit infrà *dist.* 8. *quæst.* 3. respondendo ad primum argumentum.

f *Sed quomodo possunt isti duo actus*, scilicet essentia, & paternitas *concurrere ad constitutionem vnius*, puta personæ Patris, si *neutrum sit actus alterius* (actus dico perficiens, vel informans: quia non est dubium, quòd paternitas sit actus essentiæ: non tamen perficiens, neque determinans, neque contrahens, sed actus personalis non constituens essentiam in *esse* personali: sed constituens personam in tali *esse*) de hoc infrà patebit *d.* 26. quærit ergo hîc de actu tantùm perficiente.

g *Respondeo*, &c. *sed est simpliciter simplex, & ita verè simplex, sicut est essentia*, & non accipitur hîc *simpliciter simplex* pro non resolubili in conceptus priores quiditatiuos, quia certum est quòd persona resoluitur in essentiam, & in proprietatem. Et vltrà, conceptus simpliciter simplex, vel totaliter scitur, vel totaliter ignoratur, vt suprà expositum est *d.*3.*q.*2. & hoc non contingit dicere de persona: accipitur ergo hîc *simpliciter simplex* pro perfectissimè & summè simplici.

Quomodo accipiatur simpliciter simplex.

h *Qualiter autem stat*, &c. Dicit Doctor quòd hæc ratio est, quia ista ratio relationis est eadem perfectè illi, scilicet rationi essentiæ: modò perfectio identitatis realis excludit omnem compositionem, & quasi compositionem.

5\. *Primum dubium.* Sed circa hoc occurrunt dubia, quia non videtur, quòd talis identitas realis aliquorum, cum qua stat distinctio formalis, excludat compositum, vel quasi compositum, vt patet in multis.

Primò, quia hæcceitas, & natura in Francisco sunt idem realiter secundùm Scotum *in* 2. *d.*3. & tamen Franciscus componitur ex humanitate, & hæcceitate.

Secundum. Secundò, quia color, & differentia, puta disgregate, sunt idem realiter respectu albedinis, & tamen definitum dicitur quasi compositum.

Tertium. Similiter secundùm Doctorem *in* 2. *dist.* 1. *& in* 3. essentia & existentia sunt idem realiter, & tamen potest dici homo quasi componi ex essentia, & existentia.

Quartum. Quartò secundùm Doctorem *in* 2. *d.* 1. relatio creaturæ ad Deum est idem realiter cum ipsa, & tamen hoc totum, scilicet relatiuum, potest dici quasi compositum ex entitate absoluta creaturæ, & relatione illa.

Quintum. Quintò *dist.*3. *primi q.*3. forma, à qua sumitur differentia, puta rationale ab anima, & realitas illa, à qua sumitur vltima differentia, est realiter idem ipsi forma: & tamen ipsa forma, puta anima, dicitur quasi componi ex illa realitate vltima, & entitate, in qua conuenit quiditatiuè: ergo sic in proposito, quamuis essentia diuina, & relatio sint perfectè idem realiter, ex quo tamen distinguuntur ex natura rei, vel formaliter, persona diuina potest quasi componi ex illis.

Respondeo ad omnia simul, & postea singillatim, quòd essentiæ, & relationis est simpliciter maior identitas realis, quàm in aliquo istorum: quia propter suam infinitatem simpliciter, & absolutè, etiam circumscripto omni alio, quod non est idem realiter illi includit perfectissimè illud: & vltrà, quod est in vltima actualitate, & ex sua ratione formali: ita quòd nihil actualitatis potest sibi aduenire, & etiam omnes relationes sunt ibi in vltima actualitate: & sic patet responsio ad omnia argumenta. 6. *Responsio ad omnia.*

Dico tamen ad primum, quòd natura ex se non est in vltima actualitate, quia contrahitur per hæcceitatem. *Ad primum.*

Secundò dico, quòd non sunt sic idem realiter: cùm natura ex se non includat realiter quicquid sibi aduenit. Nam hæc est vera: Homo est idem realiter Ioanni, & differt realiter à Francisco: quia vt in Ioanne est idem realiter illi, & vt in Francisco differt realiter ab illo.

Tertiò, quia identitas realis est propter existentiam propriè. Modò natura, & hæcceitas, vt præcedunt existentiam, propriè non dicuntur realiter idem: sed quia existentia est simpliciter eadem in Francisco respectu naturę, & hęcceititas: sic natura, & hæcceitas dicuntur realiter eadem. Essentia verò diuina ex se dicit totum existentiam realem, & sui, & omnium existentium ibi, vt patet à Doctore in pluribus locis.

Ad secundum de albedine, scilicet de colore respectu disgregationis eodem modo dico, vt dixi ad primum. Et addo, quòd color non est simpliciter idem differentiæ: nisi tantùm, quia identificatur in albedine. *Ad secũdum.*

Ad tertium dico, quòd existentia, & essentia non faciunt compositionem, nec quasi compositionem. Et si etiam sit aliqualis compositio. Dico, quòd essentia suo modo est in potentia ad existentiam, & existentia aduenit essentiæ, non vt accidens, sed vt gradus intrinsecus, & ipsa essentia non est ex se in vltima actualitate: imò, vt sic, nullam includit existentiam: sicut essentia diuina, vt huiusmodi, quæ in primo modo includit summam existentiam. 7. *Ad tertium. Existentia, & essentia nõ faciunt compositionem.*

Ad quartum dico, quòd creatura facit aliqualem compositionem cum relatione, & hoc patet per vnã propositionem Doctoris *in* 2. *& in Quodl.* scilicet, *Qualis est ordo inter aliqua, si essent realiter distincta, talis est, vbi tantùm ratione distinguuntur.* Si ergo creatura esset realiter distincta à relatione, quæ est ipsius creaturę ad creatorem, faceret cõpositionem cum tali relatione, vt patet, talẽ, etiam vbi nũc ratione distinguũtur, vel formaliter: ergo vt sic, faciunt aliqualẽ cõpositionem: sed hoc non sequitur de essẽtia, & relatione: quia si per possibile, vel impossibile, talis relatio esset distincta realiter (cùm sit tantùm actus hypostaticus, & nullo modo personalis) nullam compositionem faceret cum essentia diuina, & ideò nec nunc vbi tantùm est distinctio ex natura rei, vel formalis. Similiter non posset vlteriùs actuare essentiam, cùm sit penitùs in vltima actualitate, vt suprà patuit. *Ad quartum.*

SCHOLIVM.

Explicat secundum dubium, quomodo relatio distinguit personaliter, essentia non, sine eo quòd alterum sit potentiale, per hoc quòd essentia est actus quiditatiuus, relatio actus personalis, non actuans, distinguens, vel perficiens essentiam. Item tractat tertium dubium, quomodo relatio non perficiat essentiam, cùm sit eius fundamentum? & respondet negatiuè, quia essentia vt præintelligitur relationibus, habet omnem perfectionem excogitabilem, quod non conuenit naturis creatis: est ergo fundamentum non perfectibile per relationes, sed veluti forma, in qua relationes subsistunt, sicut in natura creata subsistunt supposita.

16. SEcunda difficultas [a] est, quomodo relatio posset esse distinguens personam, & essentiam non distinguens, quin relatio habeat rationem actus, quia actus est distinguere, 7. *Metaph.*

Text. com: 49.

Respondeo, concedo relationem esse actum personalem, non actum quiditatiuum, quia personaliter distinguit, & non quiditatiuè. Essentia autem est actus quiditatiuus, & quiditatiuè distinguens: actus autem quiditatiuus est simpliciter perfectus, quia infinitus, non sic autem est actus personalis de se formaliter infinitus.

Et si dicatur, quòd actus distinguens est actus eius, quod non distinguit, falsum est, nisi illud, quod non distinguit, distinguatur per actum distinguentem, sicut in creaturis humanitas distinguitur in Socrate, & Platone per *A*, & *B*, & ideò ibi actus distinguens etiam indiuidualiter, est actus eius, quod non distinguit, quia actus ille distinguens, distinguit illam naturam, quæ non distinguit. Non ita est hîc, quia proprietas personalis non distinguit essentiam, nec contrahit, nec determinat.

Tertia difficultas est [b], quomodo potest esse relatio, nisi requirat propriam rationem fundamenti? Fundamentum enim videtur esse prius relatione, & quasi perfectibile per eam, non è conuerso. Relatio enim non videtur perfici à suo fundamento, quia tunc præsupponeretur suo fundamento: ergo cùm essentia sit fundamentum istarum relationum, videtur esse quasi materia illarum.

Text. 15. In creatis ordo generationis, & perfectionis, contrarij.

Respondeo, quòd in creaturis ordo generationis, & ordo perfectionis sunt contrarij, sicut patet 9. *Metaph.* quòd illa [c], quæ sunt priora generatione, sunt posteriora perfectione, & ratio est, quia creaturæ procedunt de potentia ad actum, & ideò de imperfecto ad perfectum. & ideò priùs peruenitur via generationis ad imperfectum, quàm ad perfectum: sed eundo [d] ad simpliciter primum, oportet quòd ipse sit simpliciter primum, & origine & perfectione, etiam secundùm Philosophum ibidem, quia totus ordo originis, & perfectionis reducitur ad aliquid primum perfectionis, sicut ad primum originis totalis. In diuinis igitur simul debent intelligi concurrere ordo generationis, & ordo perfectionis.

Cap. 6. Vult quòd natura non habet esse actuatũ nisi in supposito, simpliciter tamen priùs naturaliter est supposito, secũdum ipsum 3. d. 1. q. 1. imò priùs est singularitate, vt habet 2. d. 3. qu. 1. vide eum Quodl. 19.

Quomodo relationes pullulent ex essentia?

Sicut igitur [e] in creaturis, si concurrerent isti duo ordines semper vniformiter, non quæreremus primò materiam, quæ substaret formæ, & secundò formam: sed quæreremus primò formam, quæ nata esset dare actum materiæ, & secundò quæreremus materiam, quæ nata esset recipere *esse* per illam formam, vel suppositum, quod natum esset subsistere per illam formam. Ita in diuinis, incipiendo à primo signo naturæ, omnino primò occurrit essentia diuina, vt est esse per se, & de se, quod non competit alicui naturæ creatæ, quia nulla natura creata habet *esse* priùs naturaliter aliter, quàm in supposito. Ista autem essentia secundùm Augustinum 7. de Trin. *Est quâ Pater est, & quâ Filius est, licèt non sit quâ Pater est Pater, & quâ Filius est Filius.* Isti igitur essentiæ [f], abstractissimè consideratæ, vt priori omnibus personalibus, conuenit esse per se, & in isto priori occurrit, non vt aliquid receptiuum alicuius perfectionis, sed vt infinita perfectio potens in secundo signo naturæ communicari alicui, non vt forma informans materiam, sed vt quiditas communicatur supposito, tanquam formaliter existenti per eam, & ita pullulant (vt quidam dicunt) relationes ex ea, & personæ in ea, & ex ea, non quasi [g] quædam formæ dantes *esse* sibi, vel quasi quædam supposita, in quibus recipiat *esse*, cùm sit simpliciter ens: sed quibus suppositis dat *esse*, vt quo formaliter illa supposita sunt, & quo sunt Deus. & ita relatio illa pullulans, cùm sit per se subsistens, ipsa pullulat, non vt forma essentiæ, sed vt nata esse Deus ipsa Deitate formaliter, licèt non vt informante ipsam, sed vt existente eadem sibi perfectissima identitate.

Nullo autem modo è conuerso, relatio est essentiæ, vt quo formaliter essentia est determinata, vel contracta, vel aliquo modo actuata per ipsam: quia hæc omnia repugnant infinitati essentiæ, vt primò occurrit sub ratione actus infiniti. Concedo tunc, quòd essentia

ſentia eſt fundamentum iſtarum relationum, ſed non fundamentum quaſi potentiale recipiens iſtas, ſed fundamentum quaſi per modum formæ, in qua iſtæ formæ natæ ſunt ſubſiſtere, non quidem per informationem, ſicut ſimilitudo eſt in albedine: ſed ſicut ſubſiſtens dicitur eſſe in natura: ſicut Socrates dicitur ſubſiſtere in humanitate; quia Socrates humanitate eſt homo. Non enim ex ratione fundamenti habebit rationem potentiæ, vel quaſi potentialitatis eſſentia diuina, ſed præciſè habebit rationem formæ, vt quâ relatio fundata in ea ſimpliciter eſt Deus.

COMMENTARIVS.

1. *Relatio eſt actus perſonalis, nõ quiditatiuus.*

a *SEcunda difficultas eſt, quomodo relatio*, &c. *Reſpondeo. Concedo relationem eſſe actum perſonalem*, &c. *Eſſentia autem eſt actus quiditatiuus, quiditatiuè diſtinguens*, non perſonam à perſona, cùm ſit eadem in tribus: ſed diſtinguens perſonam quiditatiuè à creatura.

Obiectio. *Et ſi dicatur, quòd actus diſtinguens eſt actus eius, quod non diſtinguit*, & ſic actus perſonalis, qui diſtinguit, erit actus eſſentiæ, quæ non diſtinguit. Hoc falſum eſt, vt talis actus comparatur ad eſſentiam. *Solutio.* Sed benè verum eſt, quòd vt comparatur ad naturam, quæ diſtinguitur, erit actus eius. ſicut hæcceitas dicitur actus diſtinguens humanitatem, quia humanitas eſt diſtinguibilis in plura ſingularia: eſſentia verò diuina ſingulariſſima, & omnino indiſtincta, eſt ſimpliciter eadem in tribus perſonis: dicitur ergo magis actus perſonæ, quia ipſam diſtinguit ab alia perſona, & non actus eſſentiæ diuinæ, cùm ſit omnino indiſtinguibilis.

2. b *Tertia difficultas eſt, quomodo poteſt eſſe*, &c. *Reſpondeo, quòd in creaturis ordo generationis*, &c. *Quomodo eſſentia diuina eſt prima entitas in diuinis.* Sententia huius literæ eſt, quòd eſſentia diuina eſt ſimpliciter primum primitate perfectionis: ita quòd vnum infert aliud, & è contra: & per conſequens, ex quo eſſentia eſt ſimpliciter prima entitas in diuinis, & primitate originis, & primitate perfectionis, etiam vt prior relatione, ſequitur quòd ſit ſimpliciter in vltima actualitate: ita quòd ex ſua ratione formali ſibi repugnat poſſe actuari, vel determinari, vel perfici per quodcunque ſibi adueniens: & per conſequens ſi ponitur fundamentum relationum, non habebit rationem quaſi materiæ, nec quaſi potentiæ, nec quaſi determinabilis, nec quaſi per modum recipientis: ſed magis dicetur fundamentum, quaſi per modum formæ, in qua iſtæ relationes natæ ſunt ſubſiſtere: non quidem per informationem, ſed ſicut ſubſiſtens dicitur eſſe in natura; ſicut Socrates dicitur ſubſiſtere in humanitate, quia Socrates humanitate eſt homo.

3. c Quia tamen iſta litera eſt aliqualiter obſcura, ipſam declaro. Cùm dicit, quòd *illa, quæ ſunt priora generatione, ſunt poſteriora perfectione.* Hoc debet intelligi in eodem ordine, vt exponit Doctor in 4. in materia de Sacramento, & in Quodlib. & ſic in ordine formarum ſubſtantialium poſterior generatione erit prior perfectione, & ratio eſt: quia creaturæ procedunt de potentia ad actum, & ideò de imperfecto ad perfectum, vt patet de generatione hominis. Sequitur,

d *Sed eundo ad ſimpliciter primum.* Hoc patet, quia omnes cauſæ ſecundæ, inter quas etiam eſt ordo prioris, & poſterioris, reducũtur ad aliquod primum ens, quod eſt ſimpliciter primum primitate originis, & illud erit ſimpliciter primum primitate perfectionis. *In diuinis igitur ſimul debent intelligi ordo generationis*, &c. id eſt, quòd eſt ſimpliciter primum origine in diuinis, illud eſt ſimpliciter primum perfectione. Et non debet intelligi primum origine, quia ab alio originetur; ſed hîc intelligitur primum origine, cuius *eſſe* eſt ſimpliciter priùs quocunque alio: & quod eſt ſic primum primitate originis, eſt etiam primum primitate perfectionis. Sequitur, *Primum origine quid.*

e *Sicut igitur in creaturis, ſi concurrerent iſti duo ordines ſemper vniformiter*, puta in Franciſco, quod eſt primum origine, in Franciſco ſit primum perfectione, & è contra: tunc *non quæreremus primò materiam, quæ ſubſtaret formæ*, &c. puta ſi in Franciſco forma ſubſtantialis eſſet prior materia primitate originis, & primitate perfectionis, primum ſimpliciter exiſtens in Franciſco primitate originis eſſet forma, & poſterius origine eſſet materia. Sequitur, 4. *Quomodo forma ſit prior materia.*

Ita in diuinis incipiendo à primo ſigno naturæ, omnino primo occurrit eſſentia diuina, vt eſt eſſe per ſe, & de ſe, id eſt, vt eſt de ſe, & per ſe exiſtens, quod non competit alicui naturæ creatæ: quia nulla natura creata habet *eſſe*, ſupple exiſtentiæ priùs naturaliter, quàm in ſuppoſito: ipſa autem eſſentia ſecundùm Auguſtinum 7. de Trin. *eſt, qua Pater eſt, & qua Filius eſt*, ſupple Deus, vel ens perfectum, *licèt non ſit qua Pater eſt Pater*; quia paternitate eſt Pater, & Deitate eſt Deus. Sequitur,

f *Iſti igitur eſſentia abſtractiſſimè conſiderata*, &c. *non vt aliquid receptiuum alicuius perfectionis*, cùm ſit in vltima actualitate, *ſed vt infinita perfectio potens*, &c. Et quomodo dicantur pullulare, infrà declarabit *diſt. 8. quæſt. vlt.* dicuntur tamen pullulare ex ea, ex hoc, quòd eſt principium ſimpliciter primum omnis originationis, & perſonæ dicuntur pullulare in ea ex hoc, quòd dicuntur ſubſiſtere in eſſentia diuina, & ex ea, ex hoc, quòd eſt prima entitas, à qua omnis proprietas hypoſtatica ſuo modo dicitur habere *eſſe*. Sequitur, 5. *Quomodo relationes, & perſonæ dicãtur pullulare, ex diuina eſſentia.*

g *Non quaſi quadam forma dantes* eſſe *ſibi*, id eſt, perſonæ non pullulant ab eſſentia diuina, vt quædam formæ dantes *eſſe* ſibi, *vel quaſi quadam ſuppoſita, in quibus* ipſa eſſentia diuina *recipiat eſſe, cùm ſit ſimpliciter ens*, ſcilicet per ſe exiſtens: ſed dicuntur pullulare ab eſſentia huiuſmodi ſuppoſita, ſiue proprietates, vt quibus ipſa eſſentia dat verum *eſſe* exiſtentiæ, vt quo formaliter illa ſuppoſita ſunt, & quo ſunt Deus: *& ita relatio pullulans*, ſcilicet relatio originis, *cùm ſit per ſe ſubſiſtens*, vel quòd magis videtur ratio per ſe ſubſiſtendi, *ipſa*, ſupple relatio, *pullulat non vt forma eſſentiæ, ſed vt nata eſſe Deus ipſa Deitate formaliter*: non quòd relatio originis dicatur Deus formaliter, quia hęc eſt falſa: *Paternitas eſt Deus*, vt eſt prædicatio formalis: licèt ſit vera vt eſt prædicatio identica: perſona tamen conſtituta per huiuſmodi relationem erit formaliter Deus. Et ſic patet litera. 6.

SCHOLIVM.

Explicat mirabiliter exemplis peripateticis, quomodo essentia & relatio personas constituant, sine eo quòd alterum sit potentiale, alterum actuans: & expedit quartum dubium, quomodo essentia sit communicata, non supponendo id cui communicatur, quia hac communicatio non fit iam existenti, sicut in alteratione contingit, sed fit alicui, vt sit.

17. EXemplum huius [a] potest accipi in creaturis, ponendo ibi quædam per impossibile. Augmentatio enim modò fit per hoc, quòd alimentum adueniens corpori corrumpitur, & materia eius recipit formam carnis, & sic informatur ab anima. Ponatur quòd eadem materia manens nata sit recipere aliam partem formæ, sicut ponitur in rarefactione: tunc materia remanet vna, quæ priùs fuit formata, & nunc noua forma informatur: ipsa tamen formaliter est verè mutata, quia de priuatione transit ad formam. Ponamus ex alia parte, quòd anima eadem primò perficeret vnam partem corporis, vt cor; postea adueniret alia pars corporis organici perfectibilis ab anima, ipsa perficeret istam partem aduenientem de nouo, & tamen non mutaretur, quia non esset in ea primò priuatio, & postmodum forma. *Priuatio enim est carentia in apto nato recipere:* (5. & 10. *Met.*) anima enim primò non informans, & postea informans, non est nata aliquid recipere, sed dare: in vtroque igitur istorum exemplorum, verè esset productio alicuius producti: sed in primo mutatio, in secundo non.

Aptius exemplum videtur, si ponamus materiam cordis animati posse eandem communicari diuersis formis, puta manus & pedis, & hoc virtute actiua cordis animati producentis composita ista ex materia sua communicata, & ex formis istis: hîc verè esset productio totorum habentium eandem materiam, & esset cum mutatione illius materiæ. Sed si ex alia parte ponamus animam, propter sui illimitationem in ratione actus, & formæ, posse communicari multis, & virtute animæ in corde ipsam communicari manui & pedi productis à corde animato, hoc esset productio multorum consubstantialium in forma, absque mutatione illius formæ. In vtroque exemplo, ponantur producta esse per se subsistentia, & non partes eiusdem; quia partem esse est imperfectionis. Hoc posito secundus modus in vtroque exemplo, qui est de communicatione formæ ipsi producto, perfectè repræsentat productionē in Deo: non primus modus in vtroque exemplo, qui est de communicatione materiæ. & adhuc hoc addendo in positione, quòd anima in corde, & manu & pede, non sit forma informans; (quia componibilitas includit imperfectionem:) sed sit forma totalis, quâ ista subsistentia sint, & animata sint.

Ita intelligitur Deitas non communicari quasi materia, sed relationibus subsistentibus, si personæ ponantur relatiuè, communicatur Deitas per modum formæ, non informantis, sed quâ relatio, vel relatiuum subsistens est Deus; nec igitur essentia informat relationem, nec è conuerso, sed est perfecta identitas: sed essentia habet modum formæ respectu relationis, sicut natura respectu suppositi inquantum ipsa est quâ relatio subsistens est Deus: è conuerso autem nullo modo relatio est actus essentiæ, quia sicut dicit Damascenus, *Relatio non determinat naturam, sed hypostasim:* (Cap. 5. lib. 1. & c. 6. lib. 2.) ita non est actus naturæ, sed hypostasis. Similiter quando relatio informat fundamentum, suppositum dicitur relatum in se secundo modo, secundùm illud fundamentum: sicut Socrates est similis secundùm albedinem, vel albedine: Pater autem non est Pater Deitate, secundùm Augustinum 7. *de Trin* c. 4. & 6. Igitur hîc non est talis modus relationis ad fundamentum, qualis est in aliis; quia hîc fundamentum non actuatur per relationem, sed illa est tantùm actus suppositi, vel est suppositum. Dico igitur breuiter, quòd relatio & essentia ita sunt in persona, quòd neutra est forma informans alterum, sed sunt perfectè idem, licèt non formaliter. Vt tamen non sunt formaliter eadem, relatio nullo modo perficit essentiam, nec est terminus formalis receptus in essentia: sed essentia hoc modo est forma relationis, quia est quâ relatio est, & similiter quâ est Deus. (*Essentia est forma relationis, non è cōtra, quomodo?*) Essentia etiam est formalis terminus generationis, sicut in creaturis: nam est formalis terminus generationis, non autem actus indiuidualis.

18. Contra istud obiicitur [b], quia terminus formalis generationis communicatur: igitur præsupponit illud, cui communicatur. Essentia autem non præsupponit relationem, sed è conuerso: ergo essentia non communicatur relationi.

Et potest esse quarta difficultas, quia aliquid ibi communicatur, & illud erit ibi formalis terminus, & illud præsupponit illud, cui communicatur: essentia autem non potest presupponere relationem, cui communicetur: ergo è conuerso. & ita relatio communicatur essentiæ, & tunc relatio erit terminus formalis productionis, & essentia quasi materia.

Respon

Respondeo, productio, quia est alicuius termini primi, id est, adæquati includentis aliquid in ratione formalis termini ipsius productionis, & aliquid in ratione subsistentiæ in tali termino: ideò contradictio est respectu productionis hæc separari, scilicet terminum formalem & rationem subsistentiæ, inquantùm scilicet productione habent *esse*, licèt absolutè prioritas esset vnius ad alterum, etiam quantùm ad *separari* sine contradictione, considerando ipsa absolutè, non inquantùm per productionem habent *esse*: licèt etiam esset ibi prioritas perfectionis, quâ alterum esset altero perfectius: quia natura perfectior est ratione subsistentiæ, etiam in creaturis. & ex hoc sequitur, quòd natura est terminus formalis productionis, quia nulla entitas simpliciter perfectior formali termino productionis, potest esse per productionem. *Aliquid cõmunicatur, non præsupposito eo cui communicatur.*

Tunc ad formam [c] argumenti dico, quòd communicatum, inquantùm productione communicatur, non præsupponit illud cui communicetur, nec è conuerso: quia ista communicatio non est alicui iam existenti sicut est in alteratione, sed est alicui vt sit. ideò nec natura communicatur ante productionem suppositi, quia tunc communicaretur non producto: nec etiam è conuerso, suppositum est antequam natura communicetur: licèt absolutè communicatum sit priùs ratione propria suppositi, prioritate perfectionis, & etiam prioritate essendi, siue inuicem in creaturis, primæ prioritati correspondet hîc, quia in Deo essentia est formaliter infinita, relatio autem non.

COMMENTARIVS.

1. a EXemplum huius potest accipi in creaturis, &c. Doctor in ista litera ponit quatuor exempla, quæ omnia essent ad propositum, si non essent cum mutatione. Et quia primum, & tertium sunt cum mutatione, ideò relinquit illa. Tertium tamen est aptius. Primò, quia intendit probare quòd eadem essentia diuina, virtute productiua existente in Patre, est in Filio, & in Spiritu sancto, & sic tertium exemplum est magis aptum; quia ponit quòd si materia cordis, virtute actiua ipsius animati, esset sub forma capitis, & sub forma pedis, ista duo tota, scilicet compositum ex forma capitis, & ex illa materia cordis; & similiter compositum ex forma pedis, & ex illa materia pedis, essent verè producta. Secundum autem & quartum sunt ad propositum; quia non est ibi mutatio. Quartum tamen est magis ad propositum: quia ponit ipsam animam existentem in corde, virtute productiua ipsius animati posse esse eandem in capite, & in pedibus, ita quòd hoc compositum ex materia capitis, & ex ipsa anima, & similiter compositum ex materia pedis, & ex ipsa anima, essent verè producta, & si caput, & pes essent duo supposita per se subsistentia, & non essent partes alicuius totius. Et vltrà, si ipsa anima non informaret cor, nec materiam capitis, nec pedis, sed esset ipsa natura, in qua ista tria dicerentur subsistere, scilicet cor, caput, & pes, exemplum esset omnino ad propositum.

Quomodo essentia sit in Patre. Nam ipsa essentia diuina ex semetipsa, & non per productionem, neque per communicationem sui est in Patre, ita quòd Pater dicitur subsistere in illa ex semetipsa, & eadem est in Filio, & Spiritu sancto per generationem, & spirationem, ideò secunda, & tertia persona dicuntur productæ, & verè subsistere in essentia diuina, & hoc per productiones. *Personæ non dicuntur partes.* Et vltrà, istæ tres personæ non dicuntur partes alicuius totius; sed sunt tria supposita penitus incommunicabilia, nec essentia diuina est in eis, sicut forma informans; nec relationes illæ sunt in essentia diuina, sicut actus perficientes, vel formæ informantes; sed sicut subsistentia in natura, in qua verè dicuntur subsistere. Et sic patent ista exempla.

2. Dubitatur in hoc, quod dicit Doctor, scilicet quòd *nulla natura creata habet esse priùs naturaliter, quàm in supposito.* Tum, quia natura creata est naturaliter prior negatione fundata in illa: patet, quia talis negatio præsupponit fundamentum, cuius est: sed suppositum formaliter in creaturis dicit negationem duplicis communicabilitatis, scilicet vt *quo*, & vt *quod*, vt suprà patuit *dist.* 2. *part.* 2. *q.* 1. Siue dicit negationem duplicis dependentiæ, scilicet actualis, & aptitudinalis: vt patet *in* 3. *d.* 1. *q.* 1. *& in Quodl. q.* 19. ergo talis natura habet *esse* priùs naturaliter, quàm sit in supposito. Tum, etiam, quia natura est prior natura singularitate: ergo & supposito. Antecedens patet *in* 2. *d.* 3. *q.* 1. Consequentia patet, quia ratio suppositi præsupponit in creaturis rationem singularis. Sed quicquid est prius priore, est prius posteriore: ergo. *Dubium singulare.*

Responsio facilis est, quia Doctor sic intelligit, quòd in quocunque instanti naturæ positiuo, habet natura verum *esse* existentiæ, & vt sibi derelicta est necessariò in aliquo supposito, vel saltem in aliquo, ad quod necessariò concomitatur ratio suppositi. Si enim natura humana verè existat, tunc existit in proprio singulari, vt patet *in* 2. *d.* 3. *q.* 1. & in illo instanti naturæ positiuo, in quo intelligitur verè existere, est actu singularis. Si dicatur, ex quo natura est prior singularitate, accipiendo naturam priorem sua existentia, & similiter singularitatem, vt priorem sua existentia: sequitur quòd ex quo existentia naturæ est prior existentia singularitatis, vt exposui *super* 2. *q.* 1. *d.* 3. ergo natura, vt existens habet verum *esse* priùs naturaliter, quàm sit singularis, vel quàm sit in supposito. Dico ergo, quòd Doctor intelligit, quòd natura creata non habet verum *esse* existentiæ in vltima actualitate, nisi in singulari; quia vt prior singularitate, etiam vt habens verum *esse* existentiæ, est contrahibilis per hæcceitatem existentem propria existentia. Sed natura diuina, vt priùs natura supposito, habet verum *esse* in vltima actualitate, vt suprà patuit. Et etiam natura creata non habet *esse* vltimum actuale, & incommunicabile, quod *esse* nata est habere, cùm sit diuisibilis, nisi actu habeat negationem duplicis communicabilitatis: natura verò diuina etiam vt in supposito diuino nullo modo actualiter, vt suprà patuit. *Responsio.* *Quomodo natura creata habeat verũ esse existẽtia.*

b *Contra-*

3. b *Contra illud obiicitur, quia terminus formalis generationis communicatur*, &c.

Solutio. *Respondet Doctor quòd productio est alicuius termini primi*, &c. vt patet in Francisco producto: productio enim Francisci terminatur ad Franciscum, vt ad totale productum, in quo natura humana est terminus formalis productionis, & ratio suppositi, siue singularitas, est conditio ipsius producti, vt suprà declaraui. Sequitur, *Ideo contradictio est respectu productionis hac separari.* Et ratio, quia generatio terminatur ad compositum verè subsistens, vt patet 7. *Metaph.* quod de necessitate includit naturam, & hæcceitatem, siue rationem subsistentiæ. Sequitur, *Licèt absolutè prioritas esset vnius ad alterum*, scilicet naturæ ad rationem subsistendi, *etiam quantùm ad separari, sine contradictione considerando ipsa absolutè, non inquantùm per productionem habent esse*, id est, licèt natura humana, vt natura, sit in se prior, ratione singularitatis, & ratione subsistendi, sic quòd nullam istarum includat, vt probat Doctor *in* 1. *dist.* 3. In productione tamen, quâ compositum producitur, est impossibilis separatio vnius ab altero, cùm productum vtrunque de necessitate includat.

Generatio terminatur ad cōpositum.

c *Tunc ad formam argumenti dico*, &c. Exemplum: Si Deus crearet nunc naturam Angeli, in Angelo creato natura simplex Angeli esset terminus formalis creationis, & ratio subsistendi esset conditio ipsius producti, & tunc diceremus, quòd per creationem communicatur Angelo talis natura, & tamen illa natura non præsupponit rationem subsistendi, cui communicetur, nec è contra, ratio subsistendi præsupponit naturam cui communicetur. Sic in proposito, quando dicimus quòd natura diuina cōmunicatur, quia ista cōmunicatio non est alicui iam existēti, sicut est in alteratione, vbi forma, secundùm quā est alteratio, communicatur alicui subiecto præexistenti. Sed ista communicatio, scilicet essentiæ est alicui, vt sit, *Ideò nec natura cōmunicatur ante productionē suppositi, &c. prioritate essēdi*, siue originis, quia in Deo essentia est formaliter infinita: relatio autē nō. Vt verò intelligitur communicata producto, non est prior ratione suppositi, nec è contra: cùm productum, vt huiusmodi, ęquè simul includat vtrūque. *Essentia est formaliter, & radicaliter infinita.*

SCHOLIVM.

Respondet primò ad argumenta Henrici. Secundò ad argumenta Goffredi. Tertiò ad principalia, singula exactissimè discutiens.

19. *Resp. ad rationes Hēr.* AD argumenta pro opinionibus. Ad primum de Augustino contra Maximinum; patet quomodo Filius nullo modo est de nihilo: sed est verè de substantia Patris. Sed si quæras: posita originatione, & consubstantialitate, adhuc quæritur sicut de materia, vel de quasi materia, de quo est Filius. Respondeo quòd non est ibi materia; & ideò non est ibi de aliquo sic. & cùm dicitur vltrà, igitur de nihilo, non sequitur: sed sequitur, ergo de nulla materia.

Sed dices, tunc est creatura: dico quòd falsum est, quia creatura est post nihil. id est, post *non esse* sui, & cuiuscunque in ea; non ita Filius: non tantùm quia suum *esse* est æternum, sed etiam, quia sicut est secunda persona, sic priùs origine est suum *esse* formale in prima persona.

Ad aliud August. *de Trin.* 7. *c.* 4. hoc nihil valet ad propositum, sicut in quæstione præcedente expositum est. Quòd verò alij arguunt essentiam subiectiuè generari, ex falso inferunt falsum. Ad argumenta eorum. Ad primum dico, quòd hîc non sunt termini aliqui correspondentes generationi, vt mutatio est: quia nihil hîc, quasi aliquo modo priùs sub priuatione, & postea sub forma: generationis verò termini sunt priuatio, & forma, vt generatio est mutatio. Generatio autem vt est productio, tantùm habet ipsum productum, non autem generatio, vt sic, habet terminum *à quo*, nisi loquendo de principio productiuo, & sic termini generationis sunt producens, & productum. & ex hoc non sequitur, quòd aliquid sit quasi subiectum; sed sequitur ex hoc, si generatio est vniuoca, quòd aliquid sit commune gignenti & genito. & hoc concedo: sed non commune vt materia, sed vt forma, vel actus in vtroque. Cùm arguitur post de generatione & termino, patet responsio, quòd relatio non est in essentia sicut forma in materia: sed si persona est ibi relatiua, tunc relatio est in essentia sicut proprietas suppositi est in natura. Esse autem in aliquo, vt suppositum, vel ratio suppositi in natura, nihil infert de *esse in*, vt forma in materia: licèt quando natura est imperfecta, proprietas indiuidualis aliquo modo informet naturam, sicut dictum fuit in tertio articulo solutionis in prima difficultate.

Terminus à quo generationis nō est priuatio.

ADDITIO. *Sed obiicitur eo modo quo generatio præcedit Filium secundùm modum intelligendi, in quo est? non in essentia vt in Patre, quia vt in ipso est, non habetur per generationem; non vt in Filio, quia præcedit Filium aliquo modo, & est in aliquo, quia non est per se subsistens, quia tunc esset persona, non prima: igitur secunda persona præcederet Filium. Respondeo, in quo est creatio passio? est eadem quæstio, imò difficilior, quia hîc potest dari quòd est in essentia dupliciter, & tanquam in fundamento, & tanquam proprietas personæ in natura, in qua est illa persona, & vtrumque sine potentialitate essentiæ. Nec secundus modus est difficilior, quàm de relatione, quia generatio passiua est proprietas eadem cum filiatione, tantùm alio modo grammaticaliter concepta.*

Cùm

Cùm tertiò arguitur, quòd omni potentiæ actiuæ correſpondet potentia paſſiua,&c. Reſpondeo, primæ potentiæ actiuæ, non correſpondet aliqua potentia paſſiua, ſicut patet de potentia creandi,& hoc loquendo propriè de potentia paſſiua, vt in quam,vel de qua, aliquid propriè producitur : potentiæ tamen actiuæ correſpondet aliqua paſſiua, quam ipſi vocant potentiam obiectiuam, quæ eſt potentia producibilis, & hoc modo concedo, ſi Pater eſt fœcundus actiuè, quòd Filius eſt producibilis, ſed ex hoc non ſequitur aliqua potentia quaſi materiæ, ſicut nec ſequitur in creatione. 20.

Quo ſenſu omni potentia actiuæ reſpondet paſſiua.

Cùm vltimò arguitur de igne, dico quòd ſi ignis generaret de ſe, & communicaret genito ſuam formam, vt formalem terminum generationis, non autem eſſet ſubſtantia ſua in potentia ad formam ignis generandi, ſed ipſe ignis eſſet perfectè productiuum, tunc enim non requireret aliquam cauſam concauſantem. Ita eſt in propoſito, primum principium, nec aliud principium in eodem genere principij, nec in alio requirit concauſans ſecum ad principiandum.

Cùm arguitur ad principale per Auguſt. 7.*de Trin. c.6*. Reſpondeo quòd Aug. ſubdit ibidem, *Quaſi aliud ſit ibi eſſentia, & aliud perſona.* Similiter concedo quòd non propriè dicitur aliquam perſonam eſſe de eſſentia abſolutè, ſed addendo cum ſubſtantia aliquam perſonam originantem, benè dicitur quòd aliqua perſona originata eſt de ſubſtantia illius perſonæ : ita quod hæc, *Filius eſt de eſſentia diuina,* non eſt ita concedenda, ſicut hæc, *Filius eſt de ſubſtantia Patris,* quia per ſecundam exprimitur conſubſtantialitas, & originatio,propter genitiuum constructum cum caſuali præpoſitionis,per primam autem non notatur aliquid originans.

Ad arg. 1. in princip. quæſtionis.

Nõ admittitur, Filius eſt de eſſentia niſi addas Patris.

Ad aliud dicendum, quòd licèt Auguſtinus dicat Filium eſſe Filium ſubſtantiæ Patris 15. *de Trin. c.19.* & Doctor quidam dicat illam eſſe propriam, tamen videtur probabilius, quòd quandocunque relatiuum conſtruitur cum aliquo in tali habitudine caſuali, in qua aliquid natum eſt terminare illam relationem, vt correlatiuum, tunc conſtruitur cum illo præcisè, vt cum correlatiuo. Exemplum, Pater conſtruitur cum ſuo correlatiuo in habitudine genitiui,ſimile in habitudine datiui,maius in habitudine ablatiui, ſecundùm communem ſermonem : & ideò videtur, quòd cum quocunque conſtruitur tale relatiuum expreſſo in tali habitudine caſuali,illud notatur eſſe correlatiuum huius relatiui non enim dicimus, iſte canis eſt filius hominis, quia eſt filius, & eſt hominis vt domini, ita quòd ly *hominis* conſtruatur cum ly *canis,* ex vi poſſeſſoris, vel poſſeſſionis:ſed videtur ſignificare,quòd conſtruatur cum ly *canis,*in ratione relatiui, vt patris. Ita igitur iſta, Filius eſſentiæ, videtur accipi *eſſentia,* vt correlatiuum eius relatiui, cum quo conſtruitur. & tunc auctoritas Auguſt. *de Trin.* 15.*c.*19. debet exponi ſicut ipſe exponit, *Filij charitatis ſuæ*, id eſt, Filij ſui dilecti. Et tunc ad argumentum illud, cùm arguitur, quòd ad illam, *eſt de eſſentia,* ſequitur iſta,quòd *eſt eſſentiæ.* Nego conſequentiam,quia conſequens notat relationem eſſe inter Filium & eſſentiam,ſicut ſuum correlatiuum, quod non notat antecedens, ſed tantùm conſubſtantialitatem in eſſentia cum origine notata in illo, quod conſtruitur cum eſſentia.

21.

Ad 2.

D. Bonau. hac diſt. Hîc facit Grammaticam ancillari Theologiæ.

Filius quare non dicitur eſſentiæ, ſicut de eſſentia?

Ad vltimum dico, quòd *de* non tantùm notat identitatem, ſed notat identitatem ſui caſualis, & hoc in ratione formæ cùm diſtinctione illius, quod additur ſuo caſuali, vt principij originantis, ſicut dictum eſt priùs.

Ad 3.

Ad argumenta in oppoſitum, ad illud de 15. *de Trin* reſponſum eſt. Ad illud contra Maximinum, patet etiam ex dictis. Ad vltimum de filio in creaturis, quòd eſt de ſubſtantia patris, patet reſponſio ex dictis, in ſolutione quæſtionis; quia illud *de,* quod pertinet ad rationem filiationis, non dicit circunſtantiam cauſæ materialis, ſed magis ſufficit, ſi illud *de* quo eſt Filius, ſit vt forma communis Patri & Filio, & ſic non ſubiectum generationis, ſed terminus formalis eiuſdem.

Ad rationes in opp. Soluit hac quatenus facere videtur pro Henric. abſolutè benè concludunt.

COMMENTARIVS.

1\. a AD *argumenta pro opinionibus.* Ad illud Auguſtini contra Maximinum poſitum pro opinione Henrici patet reſponſio ex declaratis in litera.

Generatio naturalis eſt proceſſus de non eſſe ad eſſe.

Ad primum pro opinione Goffredi*.Dicit Doctor quòd loquendo de ſubiecto generationis, tale ſubiectum tranſit de priuatione ad formam: termini enim generationis naturalis, ſcilicet *à quo,& ad quem,* ſunt priuatio, & forma. Et ideò generatio naturalis, quæ includit mutationem, præſupponit aliquid ſubiectiuè generari, quod tranſit de priuatione formæ ad ipſam formam. Sed in diuinis accipitur generatio, vt tantùm eſt productio, vt ſuprà expoſitum eſt *diſt. 1. part. 2. quæſt. 3.* Et ideò non eſt ibi aliquid, quod dicatur ſubiectum generationis, quia illud tranſiret de priuatione ad formam,& ſic eſſentia diuina diceretur priuata, vel quaſi priuata forma : cuius oppoſitum probatum eſt, ſuprà *diſt. 1. parte 1. quæſt. 3. in reſponſione ad argumenta.* In generatione enim

** num. 4.*

Generatio eſt productio ſibi ſimilis in ſubſtantia.

enim diuina termini generationis tantùm sunt generans,& genitum,& non priuatio,& habitus, sicut est in generatione naturali. Et per consequens non sequitur, quòd in generatione diuina sit ibi aliquid quasi subiectum. Sed sequitur ex hoc si generatio est vniuoca, quòd aliquid sit commune gignenti, & genito : non autem commune, vt materia, sed vt forma, vel actus in vtroque.

2. Ad secundum patet responsio,quia relatio non est in essentia sicut forma in materia, & per consequens sic non intelligitur manere eadem sub termino generationis, & sub generatione : est enim proprietas hypostatica in essentia diuina, sicut ratio suppositi in natura, & non sicut actus perficiens, nec forma informans, vt suprà expositum est.

Ad tertium, negatur ista,quòd omni potentiæ actiuæ correspondeat aliqua potentia passiua:accipiendo *passiuam*, in qua sit potentia actiua : siue quæ est receptiua alicuius producti à tali potentia actiua. Et quòd non omni potentiæ actiuæ correspondeat hoc modo aliqua passiua:patet de potentia creatiua. Si verò accipiatur potentia passiua obiectiuè, quæ est potentia producibilis. hoc modo concedit Doctor quòd si Pater est fœcundus actiuè, Filius erit producibilis. *Vide in prol. q.1.*

Ad vltimum, dicit Doctor quòd si ignis communicaret suam formam igni genito, vt formalem terminum generationis : substantia ignis non diceretur quasi materia generationis, quia illa haberetur vt terminus formalis, & sic est in proposito in generatione diuina. Et sic patet responsio ad argumenta Gotfredi:cætera patent.

DISTINCTIO SEXTA.

A. *De cõparatione actus generandi ad potentiã.* *Orosius Tom. 4. dialog.65. quæst. 7.* *Cap. 20.* *Opinio cuiusdam hæretici.*

PRÆTEREA quæri solet. Vtrùm Pater genuerit Filium voluntate, an necessitate. De hoc Orosius ad Augustinum ita ait. [Voluntate genuit Pater Filium, an necessitate?Nec voluntate, nec necessitate : quia necessitas in Deo non est: præire autem voluntas sapientiam non potest.] quocirca, vt Augustinus ait in 15. *lib.de Trinit.* [ridenda est Dialectica Eunomij, à quo Eunomiani hæretici orti sunt. Qui cùm non potuisset intelligere, nec credere voluisset, vnigenitum Dei verbum Dei Filium esse natura, id est,de substantia Patris genitum, non naturæ, vel substantiæ dixit esse Filium, sed Filium voluntatis Dei, volens asserere accedentem Deo voluntatem, qua gigneret Filium, sicut nos aliquando aliquid volumus,quod antea non volebamus, propter quod mutabilis intelligitur nostra natura, quòd absit vt in Deo esse credamus.] Dicamus ergo verbum Dei esse Filium Dei naturâ, non voluntate, vt docet Augustinus in 15. *lib. de Trinitate*, vbi quendam Catholicum hæretico respondentem commendat, dicens : [Acutè sanè quidam respondit hæretico versutissimè interroganti, vtrùm Deus Filium volens, an nolens genuerit : vt si diceret, Nolens, absurdissima Dei miseria sequeretur : si autem Volens, continuò quod intendebat concluderet, scilicet non naturæ esse Filium, sed voluntatis. At ille vigilantissimè vicissim quæsiuit ab eo, vtrùm Deus Pater volens an nolens sit Deus, vt si responderet, Nolens, sequeretur grandis absurditas & miseria, quam de Deo credere magna est insania : si autem diceret, Volens, responderetur ei : ergo & ipse voluntate sua Deus est, non naturâ. Quid ergo restabat, nisi vt obmutesceret, sua interrogatione obligatum indissolubili vinculo se videns.] Ex prædictis docetur, non esse concedendum, quòd Deus voluntate, vel necessitate, vel volens, vel nolens sit Deus. Item, quòd voluntate, vel necessitate, vel volens, vel nolens genuerit Filium.

Aug.c.20. Et in quæstionibus ad Orosiũ, vbi suprà.

Oppositio

Opposita contra prædicta.

SEd contra hoc opponitur sic: Voluntas Dei est natura, siue essentia Dei: quia non est aliud Deo esse, aliud velle: & ideò sicut vna est essentia trium personarum, ita & vna voluntas. Si ergo Deus naturâ Deus est, & voluntate Deus est: & si verbum Dei naturâ Filius Dei est, & voluntate Filius Dei est: hoc autem facile est refellere. Nam & præscientia Dei, siue scientia, quâ scit, vel præscit bona & mala, diuina natura, siue essentia est: & prædestinatio, siue voluntas eius, eadem diuina essentia est: nec est aliud Deo scire & velle, quàm esse. & cùm sit vnum & idem scientia Dei, vel voluntas; non tamen dicitur de voluntate quicquid dicitur de scientia, & è conuerso: nec omnia illa sua voluntate Deus vult, quæ sua scientia scit, cùm sua scientia nouerit tam bona, quàm mala. Voluntate autem non velit nisi bona. Scientia quippe Dei & præscientia, de bonis est & malis: voluntas verò & prædestinatio de bonis est tantùm: & tamen vnum & idem in Deo est scientia, & voluntas & præscientia, & prædestinatio. Ita cùm vnum sit natura Dei & voluntas, dicitur tamen Pater genuisse Filium naturâ, non voluntate: & esse Deus naturâ, non voluntate. *B.* *Responsio.*

Qualiter intelligenda sunt illa verba, Pater nec nolens, nec volens Deus est, nec volens, nec nolens genuit Filium.

PRædicta tamen verba, quibus prudenter dictum est quòd Deus Pater, nec volens, nec nolens est Deus: nec nolens, nec volens genuit Filium, siue voluntate, siue necessitate, ex tali sensu mihi videntur accipienda, vt voluntatem præcedentem, vel accedentem intelligamus, qualiter Eunomius intelligebat. Non enim ipse Deus est voluntate præcedenti, vel efficienti, vel volens priusquam Deus: nec voluntate præcedenti, vel accidenti genuit Filium: nec priùs volens quàm generans genuit Filium: nec priùs generans quàm volens genuit Filium, volens tamen genuit, sicut potens genuit, & bonus genuit Filium, & sapiens genuit, & huiusmodi. Si enim Pater sapiens & bonus dicitur genuisse Filium, cur non & volens? cùm ita sit Deo idem esse volentem, quod est esse Deum: sicut idem est esse sapientem quod est esse Deum. Dicàmus ergo, quia Pater sicut sapiens, ita volens genuit Filium: sed non voluntate præcedenti, vel accedenti. Quem sensum aperit Hieronymus & confirmat ita dicens super epistolam ad Ephesios. [De Filio Dei, id est, Domino nostro Iesu Christo scriptum est, ἀεὶ ὤν, quia cum Patre semper fuit, & nunquam eum vt esset, paterna voluntas præcessit, & ille quidem natura Filius est.] *C.* *Hieronym. Ephes. 1. super illud, Qui prædestinauit nos.*

Hilarius in lib. de Synodis, Eos qui dicunt de non extantibus esse Filium Dei, similiter qui dicunt, quòd neque consilio, neque voluntate Pater genuerit Filium, anathematizat sancta Ecclesia. Item, si quis nolente Patre dicat natum Filium, anathema sit. Non enim nolente Patre coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cùm nollet, genuit Filium: sed mox vt voluit sine tempore & impassibiliter ex se vnigenitum demonstrauit.

QVÆSTIO VNIC.

Vtrùm Deus Pater genuerit Dei Filium voluntate?

Alensis 1.*p.q.*42.*m.*5.*art.*1. Richardus *hic q.*2. D.Bonauent.*art.*1.*q.*2. D.Thom.1.*p.q.*41.*art.*2.*& quæst.*2.*de potentia art.*3.Gregor.*hic q.*1.*art.*3.Capreol.*q.*1. Henr.*quodl.*1.*q.*4.*& sum.art.*58.*quæst.*2. Suarez 1.*p. tract.*3.*lib.*6.*c.*4. Vasquez 1.*p.d.*160. *Vide* Scot. 2.*Met. quæst.*4 5.6 .Mayton. *hic quæst.*1. Baccon. *ibid.* Durand.*d.*5.*quæst.*1.

1. CIRCA istam distinctionem sextam quæro. Vtrùm Deus Pater genuit Deum Filium voluntate? Quòd sic, Richard. 6.*de Trinit.cap.*17.post alia tractata de productione personarum dicit vltimò. *Vultis super his, quæ superiùs iam diximus, audire verbum abbreuiatum? ingenitum velle habere de se sibi conformem atque condignum, idem mihi videtur, quòd gignere Filium, & tam genitum, quàm ingenitum velle habere condilectum, idem videtur, quod producere Spiritum sanctum.* Sed si Patrem velle habere conformem est gignere: ergo sicut voluntate vult habere conformem, ita voluntate genuit.

Ex eadem auctoritate arguitur aliter sic: Eodem modo concedit, quòd *velle* Patris se habet ad *gignere*, sicut *velle*, vt est Patris, & Filij, se habet ad *spirare:* nunc autem Spiritus sanctus spiratur voluntate formaliter, vt est Patris, & Filij: ergo, &c.

Item Augustinus contra Maximinum lib.3.c.1.& ponitur dist.20. *Pater si non genuit sibi Filium æqualem, aut non voluit, aut non potuit, si non voluit: igitur inuidus fuit.* Ex hoc sic, inuidia non pertinet nisi ad illa, quæ voluntate subtrahuntur, & voluntate possunt communicari, sicut non sum inuidus, si non facio te sapientem; quia non possum facere sapientiam in anima tua: igitur Pater voluntate generat Filium sibi æqualem, quia secundùm auctoritatem prædictam, esset inuidus, si non generat Filium æqualem.

Item 5.Metaph. c.de Necessario, *omne inuoluntarium est triste:* sed nihil est triste in diuinis: ergo nihil inuoluntarium: ergo Filius voluntate generatur.

Item Verbum est amor: patet. & est productus, quia nihil nisi natum secundùm Hilarium, habet Filius: principium autem amoris producti est voluntas: igitur, &c. Si dicatur quòd concomitanter est amor, quia primò est notitia producta.

Contrà, quia idem est principium respectu primi termini formalis, & cuiuscunque concomitantis illum terminum.

Ratio ad oppositum. Contrà. Damasc. lib.1.cap.8. *Generatio est opus naturæ*, & Magister in litera, & est Augustini ad Orosium. *Praire scientiam voluntas non potest*, ergo cùm Filius sit scientia, vel sapientia Patris, non generatur voluntate.

SCHOLIVM.

Sententia Henrici quòd Pater non generat volens, sed necessitate naturali, sicut ignis significat; quia intellectio est gignitio, & præcedit volitionem. Scotus refutat hanc rationem, quia intelligere est perfectio simpliciter, gignere non: quia duæ personæ diuinæ non gignunt. & declarat quomodo Pater generat volens, quia priùs vult, quàm aliquid producat. Hîc videtur velle quòd Pater videat Verbum antequam illud producat: sed oppositum tenet. supr. d.1.q.2. & infrà d.10. ad vlt. & 2.d.1.q.1. art.2. & alibi: vult ergo hîc tantùm dicere, quòd Pater volens essentiam, gignat, quia alij, vt Gregor. & Capreol. hîc negant vllum actum in voluntate, ante gignitionem. Nisi hoc dicatur, Scotus in hac re ad summum est dubius, vel tantùm vult Patrem priùs origine velle gignitionem, quàm ipsa sit, quia sicut Pater est prior origine Filio, ita omnia quæ sunt in eo, sunt priora eadem prioritate ijs quæ sunt in Filio, vnde Pater priùs origine creat quàm Filius, de quo 2.d.1.q. . art.2.

2. IN ista quæstione videntur esse duæ difficultates. Vna, qualiter Pater generat Filium volens. Alia quomodo saluetur, quòd Pater non generat Filium voluntate, vt principio productiuo.

Opin.Henr. in sum. art. 58.q.2, Goffred. quodlib.5. q.4. Text.33. Quantùm ad primum [a] dicitur, quòd non generat volens, sed tantùm necessitate naturali, sicut ignis calefacit, licèt actu generandi, quasi iam posito, voluntas Patris quasi complaceat in illo. Hoc arguitur sic: Intellectio Patris præcedit aliquo modo volitionem Patris; sed intellectio Patris vt Patris, videtur esse gignitio Verbi, vel Filij: ergo gignitio Filij, vt Filij præcedit quamcunque volitionem Patris. Prima propositio est euidens ex 5.*de Trinit. c.*27. Probo secundam, quia eiusdem potentiæ non sunt duo actus, quia potentiæ distinguuntur per actus 2.*de Anima:* gignere autẽ Filium, siue, dicere Verbũ, (quod idem est in Deo, est potentiæ intellectiuæ, & intelligere similiter: ergo *dicere* est formaliter aliquod

quod *intelligere*, & non nisi Patris, vt Patris: ergo intellectio Patris, vt Patris est gignitio.

Ista ratio innititur minori falsæ, scilicet de identitate *intelligere*, & *gignere*, vel *dicere*: & ex ipsa sequitur conclusio falsa, scilicet, quòd Pater non propriè volens dicit. Primò ergo ostendo falsitatem minoris. Secundò, quòd illud consequens falsum sequatur. Tertiò, respondebo ad probationem minoris falsæ. Quartò, quomodo debeat vitari illud consequens falsum, & oppositum teneri quod est principale in isto articulo.

Improbatur hæc opin.

3\. De primo [b] contra illam opinionem de identitate *intelligere*, & *dicere* arguo sic: *Intelligere* est perfectio simpliciter: *dicere* non: ergo non sunt idem formaliter. Probatio primæ. Pater quantùm ad intellectum est formaliter beatus intellectione, & quantùm ad voluntatem volitione: non est autem beatus nisi perfectione simpliciter: ergo *intelligere* est perfectio simpliciter. Probatio secundæ, quia si *dicere* esset perfectio simpliciter, tunc Filius & Spiritus sanctus non essent simpliciter perfecti, quia non dicunt, accipiendo hoc modo *dicere*, quod est exprimere verbum. Secundò sic [c], quia sicut in creaturis ratio actionis, & ratio factionis, formaliter distinguuntur, quia actio est vltimus terminus, factionis autem est alius terminus productus per ipsam factionem: ita in diuinis operatio, quâ formaliter Pater operatur, videtur distingui à productione quâ formaliter producit. & hoc videtur, quia operatio habet obiectum quasi præsuppositum: productio autem habet terminum productum per ipsam: ergo *intelligere*, quod est operatio Patris, non est formaliter *dicere*, quod est productio Filij à Patre.

Intelligere est perfectio, simpliciter dicere, non alias solus Pater esset perfectus. 9. Metaph. & 6. Ethic. Perfectio simplex quid sit, vide supr. dist. 2. quæst. 7. num. 38. & quodlib. 5.

De secundo [d], quod est confirmatio primi, scilicet, quòd illud consequens falsum sequatur ex illa falsa minori, arguo sic: Sicut in intellectu nostro habente naturaliter primam intellectionem, quæ non est in potestate nostra, potest postea voluntas nostra complacere in illa intellectione iam posita: sed, propriè loquendo, non elicimus illam actionem volentes, sed eam elicitam volumus esse: ita sequeretur, si formaliter *dicere* esset *intelligere*, quòd Pater non gigneret formaliter volens, licèt Patri ipsa gignitio, quasi aliquo modo posteriùs complaceret.

Non vult quòd intellectio sit actio de genere actionis. supr. dist. 3. quæst. vltim. sed quòd sit operatio quæ est qualitas.

De tertio ad argumentum illud de distinctione potentiarum per actus, dici posset, quòd illud verum est de actibus adæquatis, & aliter non, quia potentia illimitata eadem manens, potest habere plures actus.

4\. Aliter dicit quidam Doctor, quòd intellectus, vt intellectus, habet illum actum, qui est *intelligere*. Secundò autem habet istum actum, qui est *dicere*, secundùm quòd iam factus est in actu per *intelligere*, sed illud est improbatum *distinct.* 2. vbi argutum est, quòd ille actus intelligendi primus non est ratio formalis gignendi verbum.

Opin. D. Th. 1. part. q. 34. art. 1. Henric. quolib. 6. q. 2. part. q. 4. num. 23.

Aliter respondeo sic [e], quòd actio in creaturis vno modo accipitur pro actione de genere actionis: alio modo pro actu secundo, qui est qualitas absoluta: sicut expositum est priùs *dist.* 3 *q vlt.* in responsione ad tertium argumentum principale. Vnius ergo potentiæ tantùm est vnus actus, loquendo de hoc actu tantùm, vel illo tantùm; vnius tamen potentiæ potest benè esse duplex actus, quorum vnus sit de genere Actionis, alius de genere Qualitatis, sicut intellectus noster pro actione de genere Actionis habet gignere verbum, habet tamen alium actum de genere Qualitatis, scilicet illam notitiam genitam; ita in proposito intellectus diuinus habet vnum actum correspõdentem intellectioni nostræ, quæ est qualitas, quo scilicet actu intellectus Patris formaliter intelligit: habet etiam actum correspondentem actui de genere actionis, quo scilicet exprimit verbum.

Auctoris sententia. Vide clar. 27. dist. huius.

5\. De quarto dico [f], quòd Pater hoc modo gignit Filium volẽs, quia Pater in primo signo originis intelligit formaliter: & tunc etiam potest habere actum volendi formaliter.

In secundo signo originis gignit Filium, nec tantùm vult illam gignitionem volitione sequente illam gignitionem, sed volitione habita in primo signo originis, qua volitione Pater formaliter vult, præsupposita aliquo modo intellectione, quâ Pater intelligit, non autem gignitione verbi: sic ergo dico quòd Pater volens generat non tantùm voluntate consequente, sed voluntate antecedente.

Non vult quòd Pater intelligat formaliter verbũ antequã gignat, quia tenet oppositũ supra dist. 1. q. 2. & infr. dist. 10. ad vltim. & quodlib. 14.

ADDITIO.

Quod sic intelligo, quòd memoria perfecta est principium producendi Patris, & principium operandi inquantùm memoria formaliter intelligit: hoc est, ab ea habet formaliter quo intelligit, aliter non esset memoria perfecta. Non solùm autem est principium operandi intrà: sed etiam potest extrà se intelligere, siue producere, quia fœcunditas Paterni intellectus non est exhausta, vsque ad terminum productum. In primo autem instanti Pater habet perfectum intelligere cuiuscunque intelligibilis, & volibilis à se: ergo in illo signo intelligit generationem Filij, & in secundo signo instantis habet terminum productum. Nam & in primo signo, etsi nulla persona procederet ab eo, habet intelligere, & velle, & in illo priori intelligit actum dicendi, qui est quasi posterior respectu actus intelligendi, & volendi. Non igitur Pater tantùm complacet voluntate in productione Filij, sicut dicebat ille: sed volens præcedit actum

generationis Filij, quia Pater quidquid intelligit, per essentiam suam intelligit, & quidquid vult, per essentiam suam vult. Vnde licèt intelligere Patris præcedat velle, velle tamen Patris præcedit dicere: ita quòd priùs Pater est perfectus in se, & beatus per intelligere & velle, quàm ista alteri personæ communicet per productionem; quia quod non conuenit ei in primo instanti, quo est Pater, numquam conuenit, eo quòd nulla perfectio potest sibi addi productione cuiuscumque personæ: quia nulla persona habet nisi quod est sibi communicatum ab illo. velle igitur sicut intelligere præcedit dicere, sic spirare sequitur dicere aliquo modo, scilicet ordine originis.

COMMENTARIVS.

1. a *QVantùm ad primum.* Hîc ponitur opinio Henrici, qui dicit, quòd Pater non generat Filium volens, sed tantùm necessitate naturali. Et probatur à Goffredo, cuius ratio stat in hoc, supponendo vnum, scilicet quòd intellectio Patris est generatio Filij: ita quòd *intelligere* Patris sit ipse Filius: modò intellectio est prior volitione. Et quòd ipsa intellectio sit ipsa gignitio Filij, siue ipse Filius, probat. Primò, quia eiusdem potentiæ non sunt duo actus, &c.

Ista ratio innititur minori falsa, Doctor intendit in ista litera quatuor ostendere. Primò, quòd hæc sit simpliciter falsa: *Intelligere, & gignere sunt simpliciter idem.* Secundò, quòd sequatur tale consequens falsum, scilicet, *ergo gignitio Filij, vt Filij, præcedit quancunque volitionem Patris.* Tertiò, respondebit ad probationem minoris falsæ. & quartò, quomodo debeat vitari illud consequens falsum, & oppositum teneri.

2. b *De primo contra illam opinionem.* Hîc probat Doctor quòd *intelligere*, & *dicere* non sint idem formaliter. Et ratio stat in hoc: Illa differunt formaliter, quorum vnum ex sua ratione formali est perfectio simpliciter, & alia non est perfectio simpliciter: hæc est nota: sed *intelligere* Patris est perfectio simpliciter: patet, quia Pater intellectione, & volitione est formaliter beatus: non est autem formaliter beatus, nisi in perfectione simpliciter, cùm beatitudo sit vltima perfectio Patris: gignere autem non est perfectio simpliciter: quia nulla relatio dicit perfectionem simpliciter: vt patet subtiliter à Doctore *in quolib. quæst.*1. *&* 5. & patere potest exponendo auctoritatem Anselmi de perfectione simpliciter, vt Doctor exponit suprà *dist.*2. *parte* 2. *quæst. prima, & infrà dist.*8. sed prolixiùs *in* 5. *quæst. quodlib.* Tum etiam si *dicere* esset perfectio simpliciter, tunc Filius, & Spiritus sanctus non essent simpliciter perfecti, quia non omnis perfectio simpliciter esset in eis.

Quomodo intelligere, & dicere non sint idem formaliter.

c Secundò sic; Ista ratio stat in hoc, quòd actio differt à factione in hoc, quòd actio est vltimus terminus: & factio non est vltimus terminus: & per consequens differunt. Vult dicere Doctor quòd ex quo intellectio dicitur actio, & productio in diuinis, non potest dici actio: ergo ista ab inuicem differunt.

Quomodo intellectio non sit actio.

Nota tamen, quòd loquendo de actione de genere Actionis, de qua dicitur in Prædicamentis: *Actio est secundùm quam in id, quod subijcitur agere dicimur:* accipitur *actio* pro respectu agentis ad passum, & intellectio hoc modo non est actio (vt suprà patuit *distinct.*3. *quæst. vlt.* respondendo ad vltimum argumentum principale) sed in proposito accipitur *actio* pro operatione, cui non correspondet aliquod productum: factioni autem correspondet aliquod productum extrà, vt patet. Et similiter productioni, vt productio est, verè correspondet aliquod productum, ad quod terminatur: & per consequens intellectio Patris, & productio Filij non sunt eadem res formaliter. Sed de ista differentia actionis & factionis, vide diffusè in quodlib. quæst.13. & quæ ibi prolixè exposui.

d *De secundo*, &c. litera stat in hoc: supponendo vnum concessum à Magistro, quòd Pater volens generat filium: quo supposito ex illo antecedente priùs facto, scilicet *intelligere* Patris, & *gignere* sunt idem: sequitur hoc consequens manifestè falsum, scilicet, *ergo Pater non volens generat Filium:* quòd autem hoc consequens sequatur, patet in litera: quia ex quo prima intellectio Patris est ipsa gignitio, & illa præcedit omnem volitionem, ergo Pater tali gignitione non potest gignere Filium volens. Si dicatur, quòd Filio genito postea complacet sibi, & hoc dicatur volens. Patet quòd si volitio sequitur gignitionem, nunquam Pater dicitur generare volens. 3.

Aliter dicit quidam. Hîc ponitur responsio Henrici *quodlib.*6. *quæst.*3. quòd intellectus, vt intellectus, habet illum actum, qui est *intelligere.* Secundò habet istum actum, qui est *dicere*: secundùm quòd iam factus est in actu per *intelligere*: sed illud improbatum est suprà distinct.2. parte 2. quæst.4.

Opinio sancti Thom. & Henric.

e *Aliter respondeo.* Hîc Doctor dat responsionem propriam, quòd eadem potentia potest habere duos actus, quorum vnus sit de genere Qualitatis, sicut est intellectio. Alius, qui dicatur productio. licèt ergo eadem potentia habeat tantùm vnum actum, qui dicatur de genere Qualitatis, qui dicatur operatio (& sic intellectus tantùm habet *intelligere*, & non habet *velle*, nec *sentire*, quæ sunt operationes distinctarum potentiarum: licèt enim actus, qui est de genere Qualitatis, sit communis omni potentiæ operatiuæ) tamen illæ potentiæ per distinctos actus de genere Qualitatis sibi adæquatos distinguuntur, vt potentia visiua distinguitur per actum videndi sibi adæquatum à potentia auditiua. Et sic est in proposito de intellectu diuino, qui tantùm habet vnum actum, qui dicitur operatio: quæ est qualitas absoluta, & vltra istum habet alium, qui dicitur actus productiuus.

Eadem potentia potest habere duos actus.

f *De quarto dico.* Hîc Doctor declarat secundùm intentionem propriam quomodo Pater potest dici propriè volens generare Filium, quia Pater in primo signo originis intelligit formaliter: & tunc etiam potest habere actum volendi formaliter. In secundo signo originis gignit Filium, nec tantùm vult illam gignitionem volitione sequente illam: sed volitione habita in primo signo originis, qua volitione Pater formaliter vult, præsupposita aliquo modo intellectione, qua Pater intelligit: non autem gignitione Verbi: sic ergo dico, quòd Pater volens generat: non tantùm 4.

tantùm voluntate consequente, sed voluntate antecedente.

Dubium. In ista tamen littera occurrit dubium. Ex quo in primo instanti originis non est gignitio Filij, & voluntas non potest velle illam, nisi priùs ab intellectu cognitam: quomodo tunc ab intellectu cognoscitur? non intuitiuè, quia illa est existentis inquantùm existens: modò in illo primo signo generatio Filij non est existens; nec abstractiuè, quia talis cognitio est imperfecta: ergo nullo modo cognoscit illam: & per consequens voluntas non vult illam: & sic Pater non generat volens.

Ad hoc dubium dic vt infra exposui *dist.* 10. in responsione ad argumenta principalia.

Contra tamen hunc modum ponendi de istis signis arguunt Gregorius & Ioan. Anglicus præsenti dist. quæ argumenta adducam in fine quæst. Arguit & Ocham contra huiusmodi signa *dist.* 9. *primi.* & ad argumenta sua respondi infra *dist.* 41. vide ibi. *Responsio.*

SCHOLIVM.

Probat Patrem non gignere Filium voluntate vt principio; quia hac habet productum sibi adæquatum, id est, Spiritum sanctum: & explicat quomodo in nobis voluntas principiat verbum, coniungendo parentem cum prole, non tamen in diuinis.

QVantùm ad secundum articulum, videtur quòd Pater non producat Filium voluntate tanquam principio productiuo: quia principium productiuum vnius rationis in diuinis non potest habere duas productiones vnius rationis. Nulla enim productio ibi est vnius rationis nisi vnica, quia adæquata: ergo cùm Spiritus sanctus producatur per modum voluntatis vt principij productiui, Filius non sic producetur. 6. *Pater quomodo nō generat voluntate, vt princ. productiuo.*

Sed in isto articulo videtur esse difficultas propter verba Augustini, qui videtur attribuere gignitionem voluntati in nobis, vt principio productiuo 9. de Trinitate, cap. 7. *verbum amore concipitur.* & eod. lib. cap 2. *notitia placita dignéque amata verbum est.* & 11. de Trinitate, cap. 3. *Voluntásque ipsa quomodo foris corpori obiecto formandum sensum admouebat, formatúmque iungebat, sic aciem recordantis animi ad memoriam conuertit.* & in eodem lib. cap. 4. *Voluntas verò illa, quæ hac atque illac fert, atque refert aciem formandam, coniungítque formatam.* & dicit multa consimilia. ergo vult quòd voluntas habeat rationem conuertentis aciam ante gignitionem, & retinentis eam in actu. Ita igitur videtur in Trinitate, cuius imago est in anima, quòd voluntas habeat ibi aliquam rationem principij respectu productionis, vel gignitionis, vel rationem alicuius superioris, applicantis principium proximum ad actum suum, sicut in nobis.

Hoc etiam arguitur in nobis, quia si gignitio nostra esset merè naturalis, nullo modo esset in potestate voluntatis: & ita semper haberemus idem verbum de eodem obiecto fortiùs mouente intellectum.

Quantùm ad istum articulum [a], etsi aliqui distinguant, quòd ly *voluntate*, potest teneri aduerbialiter, vt sit sensus, *voluntate genuit*, id est, voluntariè genuit: & tunc est vera: aut potest teneri ablatiuè, & tunc notat causam, & principium elicitiuum respectu gignitionis, & tunc est falsa. *Ioan. Rodinton lib. 1. dist. 6. quæst. vnica, sequitur hanc responsionem.*

Quidquid sit de ista distinctione, non videtur dicendum, quòd Pater Filium genuerit voluntate, ita quòd voluntas sit principium proximum, vel remotum. Quòd non proximum, probatum est, quia principium vnius rationis non est nisi principium vnius productionis. Quòd etiam non remotum, patet, quia sicut voluntas vt est principium operatiuum, aliquo modo posterius operatur quàm intellectus: ita, vt est principium productiuum, aliquo modo posterius producit, quàm intellectus. & ita non erit causa superior, neque prior productione, quæ est propriè intellectus. *Intellectus sicut priùs operatur, ita priùs producit quàm voluntas.*

Propter istas tamen [b] auctoritates Augustini intelligendum est, quòd in nobis non est tantùm vnicus actus intelligendi, accipiendo actum de genere qualitatis, neque vnicus actus gignendi, accipiendo actum pro actione de genere actionis: quia si esset tantùm vnicus actus iste, & tantùm vnicus ille: & ille & iste essent idem, tunc voluntas nostra nullam causalitatem haberet in ratione actus intelligendi, qui est de genere qualitatis, neque in ratione actus gignendi, qui est de genere actionis. In diuinis igitur, cùm non sit in Patre nisi vnicus actus intelligendi, respectu illius actus voluntas Patris non habebit aliquam rationem principij, vel causæ. Cùm etiam non sit nisi vnicus actus dicendi, respectu illius voluntas non habebit rationem principij: quia voluntas sicut operando, ita & producendo, vel principiando sequitur aliquo modo intellectum. 7. *Quare in creatis voluntas aliquo modo principiat verbum, in diuinis non?*

Actus igitur dicendi præcedit omnem principiationem voluntatis: potest tamen voluntas, vt complacens, non vt principians, habere actum respectu illius gignitionis: ex hoc quòd voluntas, vt operans in Patre non præsupponit gignitionem, sed tantummodo intellectionem illam, quâ Pater formaliter intelligit. In nobis autem veræ sunt auctoritates Augustini, quòd voluntas mouet aciem ad actum cognoscendi, & tenet eam in

in cognitione, quia poſito primo actu noſtro, ſiue de genere Qualitatis, ſiue de genere Actionis, poſſumus habere alios actus poſteriores ex imperio voluntatis: in parte autem voluntas non admouet intelligentiam Patris, vt formandam à memoria Patris: quia in Patre non eſt niſi vnica intellectio formaliter, quæ præcedit aliquo modo productionem verbi, neque admouet memoriam ipſi obiecto, vt gignatur verbum.

Contra iſtud arguitur [c] quod Auguſtinus non tantùm intelligit in nobis, ſed etiam in Deo, quia Auguſtinus nunquam videtur aſſignare actum volendi voluntati, (vt eſt tertia pars imaginis) niſi illum, qui eſt coniungere parentem cum prole; & hoc modo habet cauſalitatem aliquam reſpectu gignitionis prolis: ergo iſta pars, (vt eſt pars imaginis) nihil repræſentabit in prototypo, niſi voluntas diuina habeat aliquo modo ſic coniungere.

Volũtas noſtra, quâ ratione eſt tertia pars imaginis. Variè aſſignat Auguſt. rationem imaginis in nobis. Pulchra doctrina de ratione imaginis.

Reſpondeo, etſi frequenter aſſignet voluntati actum illum, (vt eſt pars imaginis) tamen aliquando ſibi aſſignat alium, videlicet dilectionem eiuſdem obiecti, quod eſt obiectum memoriæ, & intelligentiæ, ſicut apparet 15. de Trinit. c. 20. *Vnde poteſt*, inquit, *ſempiterna immutabiliſque natura recoli, conſpici, concupiſci*: quæ auctoritas poſita eſt ſuprà *diſt. 3. q. vlt.* ibi enim expreſsè ponit Trinitatem in memoria, intelligentia, & voluntate, vt habent actum circa obiectum idem, ſcilicet veritatem increatam. Similiter *lib. 14. c. 8.* ponit Trinitatem in mente, inquantum meminit ſui, intelligit ſe, & diligit ſe, vtrumque etiam actum tangit ſimul 15. de Trinit. cap. 3. *mens, & notitia, quâ ſe nouit, & amor quo ſe notitiámque ſuam diligit.* & benè [d] concurrunt iſti duo actus in voluntate noſtra: quia ipſa amans obiectum, amat etiam notitiam obiecti eiuſdem, & ex amore obiecti mouet intelligentiam ad intelligendum illud, copulans ipſam memoriæ, de qua ipſa formetur, & tenens eam in tali coniunctione, & per hoc in actuali intellectione vnius obiecti. Iſtorum autem duorum actuum voluntatis, in nobis principalior eſt ille, qui eſt dilectio obiecti, quia ille eſt cauſa quandoque dilectionis actus: actus tamen alius, ſcilicet dilectio actus, eſt vniuerſalior, quia reſpectu etiam obiecti mali diligimus actum cognoſcendi, licèt non obiectum, ſicut dicit Auguſtinus 9. de Trinit. *neque enim vitiorum notitia nobis diſplicet, ſed vitia ipſa nobis diſplicent: diffinio intemperantiam, & hoc eſt verbum eius, placet mihi diffinire, licèt non placeat mihi incontinentia.* voluntas igitur in nobis, (vt eſt pars imaginis) repræſentat voluntatem in Deo, non quantùm ad iſtum actum copulandi, qui eſt voluntatis noſtræ, ſed quantùm ad alium actum, inquantùm ſcilicet voluntas noſtra eſt principium producendi actum circa idem obiectum, quod fuit memoriæ, & intelligentiæ noſtræ: quia voluntas in diuinis eſt principium producendi amorem adæquatum eſſentiæ diuinæ, quæ eſt obiectum primum memoriæ diuinæ, intelligentiæ, & voluntatis: & ille amor productus eſt Spiritus ſanctus, cui correſpondet in nobis dilectio producta, quæ dilectio frequenter ab Auguſtino vocatur voluntas. Sed voluntas propriè in nobis, quæ eſt potentia, non correſpondet Spiritui ſancto, ſed vi ſpiratiuæ, quæ eſt in Patre, & Filio: & hoc ſecundùm illum actum, quo voluntas in nobis eſt principium producendi amorem obiecti intellecti, non autem primo inquantùm habet producere amorem notitiæ genitæ. nullo autem modo inquantùm eſt cauſa ſuperior notitiæ genitæ. Siquidem vis ſpiratiua eſt principium producendi Spiritum ſanctum in diuinis, qui eſt amor eſſentiæ diuinæ, & etiam amor notitiæ genitæ; licèt fortè ſecundùm aliquem ordinem: ſed non eſt vis illa ſpiratiua aliquo modo principium productiuum notitiæ genitæ, quia etſi Pater in primo ſigno originis ſit volens, & in ſecundo gignat: tamen voluntas Patris non habet rationem principij reſpectu illius gignitionis verbi. Sic igitur patet, quomodo Pater volens generat Filium, & tamen non voluntate, vt principio formali elicitiuo generationis.

Cap. 10. In nobis volitio, non voluntas correſpondet Spiritui ſancto.

Henric. quodlib. 5. quæſt. 5.

9. Tamen quantùm ad intentionem Auguſtini de dilectione copulante parentem cum prole, dicit quidam Doctor quòd illa dilectio copulans (loquendo reſpectu actus ſentiendi) eſt inclinatio facta in potentia per ſpeciem ſenſibilem. Vnde iſta quinque quæ ponit ille Doctor, videlicet, obiectum ſenſibile, ſpeciem, inclinationem factam, potentiam ſentiendi, & actum ſentiendi, probat per vnam auctoritatem Auguſtini 11. *de Trinit. c. 2.* cùm enumerat Auguſtinus quædam ad ſuum propoſitum facientia in fine ſic, *Senſum*, inquiens, *detinet oculorum animi intentio.* Ecce, ait ille, tertium: quod enim detinet ſenſum, non eſt niſi illa excitatio per dictam inclinationem. Vocat autem eam Auguſtinus ſecundùm eum, intentionem animi cauſantis, quia per ipſam fit ſenſus animi intentus ad percipiendum obiectum. Sed iſtud non eſt ibi ad intentionem Auguſtini quia ibidem diſtinguens ea ab inuicem, de intentione dicit, quòd *tertium ſolius animæ eſt*: igitur, ſecundùm eum, illa intentio quæ erat tertium, non eſt illa inclinatio, vel excitatio per ſpeciem. Similiter illud tertium attribuitur voluntati illi, de qua dicit inferiùs, quòd

Lib. 11. c. 4.

quòd *voluntas hac, atque illac refert aciem mentis*, &c. quod non videtur verum de inclinatione, sed tantummodo de voluntate, & potentia animæ.

Ad argumenta principalia. Ad primum cùm dicit Richardus, hoc mihi videtur, &c. 10. non hoc videtur Augustino quòd *velle* Patris sit formaliter *gignere*, quia dicit 5. de Trin. *Ad arg. 1.* cap. 14 quòd *Spiritus sanctus procedit, quomodo datus, non quomodo natus*, id est, per modum voluntatis liberæ, non per modum naturæ: & ideò oportet exponere Richardum, quòd ipse intelligat concomitanter.

Ad aliud, dico, quòd inuidia non solùm est in subtrahendo illa bona, quæ possunt *Ad 2.* communicari actu voluntatis immediatè, sed quæcunque volens potest communicare, & non communicat; Pater autem volens, licèt non sicut principio elicitiuo, vel productiuo, generat vt dictum est, & ideò tenet argumentum Augustini de inuidia.

Ad tertium, dico, quòd nihil est ibi inuoluntarium, & ideò generatio Filij non est in- *Ad 3.* uoluntaria; concedo, sed tamen non sequitur vltrà: ergo est voluntate, vt principio elicitiuo: multa enim facimus, siue voluntate præcedente, siue concomitante, quorum principium immediatum, non est voluntas.

COMMENTARIVS.

1. a QVantum ad istum articulum. Hîc Doctor primò ponit opinionem Ioannis Rhoditon, qui dicit, quòd quando dicitur, Pater voluntate generat Filium: si ly *voluntate*, teneatur aduerbialiter, pro *voluntariè*. hæc est vera: *Pater voluntate*, id est, voluntariè generat Filium. si verò teneatur ablatiuè, tunc est falsa: quia vt sic, voluntas ponitur principium elicitiuum generationis. Et hanc responsionem non improbat.

Quicquid sit de ista distinctione, non videtur dicendum, quòd Pater Filium genuerit voluntate, vt principio elicitiuo, siue proximo, siue remoto. De proximo patet suprà, quia principium vnius rationis est tantùm principium vnius productionis eiusdem rationis. De remoto patet, quia sicut voluntas, vt est principium operatiuum, aliquo modo posterius operatur, quàm intellectus: ita vt est principium productiuum aliquo modo posterius producit, quàm intellectus, & ita non erit causa superior, neque prior in productione: quæ est propriè intellectus. Et quomodo voluntas dicatur posterius productiua, & operatiua, suprà patuit *dist. 2. parte 2.*

2. b *Propter istas tamen auctoritates Augustini expono istam literam.* Dicit Doctor quòd in nobis non est tantùm vnicus actus intelligendi, qui sit de genere Qualitatis, id est, quòd non est in nobis tantùm vna intellectio numero, neque tantùm vna gignitio numero: & si actus intelligendi, & gignitio essent idem: tunc voluntas nostra nullam causalitatem haberet in ratione actus intelligendi, qui est de genere Qualitatis, neque in ratione actus gignendi, qui est de genere Actionis: patet, quia actus intelligendi, & actus gignendi si sunt idem, & actus intelligendi est tantùm vnus. Et similiter actus gignendi de necessitate præcedit omnem actum voluntatis tam illum, qui est volitione (quia volitio præsupponit cognitionem) quàm illum, qui est gignitio: quia actus gignendi voluntatis præsupponit actum volendi: quia potentia priùs est operatiua, quàm productiua, vt suprà patuit *dist. 2. part. 2.* & clarè patebit *in 2. dist. 1. quæst. 1.* Sequitur: *In diuinis igitur, cùm non sit in Patre, nisi vnicus actus intelligendi*, vt suprà probatum est *dist. 2. part. 1. quæst. 1.* *respectu illius actus voluntas Patris non habebit aliquam rationem principij*, vel *causæ*: patet, quia ille actus maximè, vt terminatur ad essentiam diuinam, est prior omni actu voluntatis.

Potest tamen voluntas, vt complacens, &c. *sed tantummodo intellectionem illam, qua Pater formaliter intelligit*: licèt voluntas, vt productiua sequatur gignitionem. Sequitur. *In nobis autem vera sunt auctoritates Augustini*, quæ omnes debent intelligi non de prima intellectione: quia illa non est in potestate voluntatis, vt suprà patuit *dist. 3. q. 6.* & clarè expositum est *in dist. 42. secundi.* 3.

Sed quia intellectus noster potest habere aliam, & aliã intellectionem respectu alterius, & alterius obiecti: voluntas nostra imperio suo potest intellectũ firmare in aliquo obiecto: & auertere ab vno obiecto, & conuertere ad aliud: & inquantum imperio suo firmat intellectũ in cognitione obiecti intendit illam intellectionem, vt patet à Doctore *in 2. dist. 42.* & illa intellectio, vt sic firmata potest dici Verbum amore productum: sic quòd memoria sit principium proximum: & voluntas principium remotum: inquantum etiam auertit intellectum ab vno obiecto, & conuertit ad aliud obiectum (quod contingit imperando cognitionem illius) talis cognitio, sic imperata, potest dici Verbum amore productum: & hoc modo exponantur dicta Augustini. Et quomodo voluntas nostra dicitur auertere intellectum ab vno obiecto, & conuertere ad aliud, vide per me exposita super 2. *dist. 42. q. 1.* Sed nullum istorum potest esse in voluntate diuina respectu verbi diuini: siue respectu intellectionis, vt patet. *Quomodo intellectus possit habere aliam intellectionem, respectu alterius obiecti.*

c *Contra istud arguitur*, &c. *nisi voluntas diuina habeat aliquo modo sic coniungere*: coniungere enim parentem cum prole nihil aliud est, nisi velle affirmare memoriam in cognitione, vel auertere intellectum ab vno obiecto, & conuertere ad aliud: vt suprà exposui. 4.

Respondeo. Dicit Doctor, quòd si Augustinus multoties assignat voluntati actum illum, qui est coniungere parentem cum prole: tamen aliquando sibi assignat alium, videlicet dilectionem eiusdem obiecti, & patent auctoritates in litera.

Et benè concurrunt isti duo actus in voluntate nostra, scilicet actus intelligendi obiectum, & actus copulandi parentem cum prole: *quia ipsa amans obiectum, amat etiam notitiam eiusdem obiecti, & ex amore obiecti*, priùs tamen cogniti ab intellectu, *mouet intelligentiam*, id est, intellectum formatum actuali cognitione *ad intelligendum illud*: supple obiectum *copulans ipsam memoriæ: de qua ipsa formetur*, id est, copulans ipsam intelligentiam memoriæ, 5. *Duo actus concurrunt in voluntate nostra.*

moriæ, id est, obiecto præsenti intellectui: quod vt sic, pertinet ad memoriam, vt suprà exposui *dist.3.quæst.7.de qua*, supple memoria ipsa *intelligentia formetur, & tenens eam:* supple intelligentiam, siue intellectum formatum actuali cognitione in tali coniunctione: & per hoc in actuali cognitione obiecti. Sequitur. *Istorum autem duorum actuum voluntatis*, &c. Et quando dicit Doctor quòd dilectio obiecti est causa dilectionis actus, non debet intelligi de causa effectiua: quia tunc dilectio non esset essentialiter liberè producta: patet, quia dilectio obiecti, si poneretur causa, esset tamen causa per modum naturæ.

6. Et vltrà non apparet quomodo vna operatio voluntatis sit causa productiua alterius operationis, ideò accipitur hic *causa* magis pro occasione, siue pro quadam inclinatione, quia voluntas, habita dilectione obiecti cogniti, statim inclinatur ad dilectionem cognitionis eiusdem obiecti. Sequitur. *Voluntas igitur in nobis*, vt est pars imaginis, repræsentat voluntatem in Deo, inquantum voluntas nostra est principium producendi actum diligendi circa idem obiectum: quia voluntas in diuinis, quæ est principium producendi amorem adæquatum essentiæ diuinæ, est obiectum primum memoriæ diuinæ intelligentiæ, & voluntatis: & ille amor productus est Spiritus sanctus; cui correspondet in nobis dilectio producta, quæ dilectio frequenter ab Augustino vocatur voluntas: sed voluntas propriè in nobis, quæ est potentia, non correspondet Spiritui sancto: sed vi spiratiuæ, quæ est in Patre, & Filio, vt suprà patuit dist. 3. q. vlt. & sic patet ista litera.

7. *Greg. de Arimin. in 1. d. 6.* Quidam nunc arguit contra Doctorem, probando quòd huiusmodi signa originis quæ dicta sunt *in 1. art.* non sunt ponenda. Et dicit, quòd ista verba Doctoris non possunt stare: quoniam, vel sunt verba sine intellectu, vel penitus falsa. Vnde prioritas originis propriè loquendo, non est alia, quàm prioritas causalitatis: extendendo nomen *causalitatis*, quomodo plures Sancti dicunt vnam personam esse causam alterius, sicut Augustinus, Chrysostomus, & Damascenus, &c. Si ergo in hac prioritate volumus assignare primum & secundum, vel prius, & posterius: producens est primum origine: & productum secundum. Cùm igitur dicitur, quòd Pater in primo signo originis formaliter intelligit, vel nulla alia prioritas connotatur in prædictis verbis. Et sic est sensus, quòd Pater in signo originis, id est, in Patre intelligit, & in secundo signo, id est, in Filio gignit Filium: quod non est intelligibile, vel est idem quod dicere quòd Pater ex se, & non à Filio habet intellectionem, & hoc est habere in primo signo, & habet à Filio quo gignat Filium: & hoc est gignere in secundo signo originis, & patet, quòd ista verba aut omnino carent intellectu, aut impossibilitatem implicant: nec sic faciunt ad propositum nostrum. Nullus enim dubitat, quòd Pater ex se voluerit gignere Filium: quapropter si non aliud intelligitur, cùm dicitur antecedenter voluisse generasse non est ad propositum. Si verò alia prioritas intelligatur, quâ scilicet non solùm intelligatur Filius esse à Patre, & Pater esse principium Filij: sed etiã aliquo modo præfuisse Filio, & priùs intellexisse, & voluisse, quàm genuisse, sic quòd in illo priori, in quo intelligebat, vel volebat, nec erat generatio, nec Filius, vt verba, & rationes eorum prætendunt; sic ex toto falsum est, quod dicunt: quod pater primò. Nam impossibile est Patrem priùs intellexisse, quàm fuerit: si ergo intellexit in primo signo, in primo signo fuit; aut ergo in illo signo fuit Pater, vel non? Secundum dici non potest, quia sequeretur, quòd Pater primò fuit, quã esset Pater: ergo in isto signo fuit Pater: ergo in illo signo genuit: nam eo Pater, quo genuit.

Secundò impossibile est priùs fuisse perfectam notitiam Patris, quàm fuerit eius Verbum perfectum: ergo impossibile est Patrem priùs intellexisse, quàm dixisse Verbum. Consequẽtia patet, quia pro nullo priori potest intelligi Patris intellectionem fuisse aliquid imperfectum, nec Verbum priùs esse, quàm à dicente aliquid sit dictum. Antecedens patet per Augustinum 15. *de Trin. cap.* 15. qui vult, quòd Verbum Dei nullo modo possit verè cogitari priùs fuisse formabile, quàm formatum: quòd tamen oportet dicere si intellectio Patris aliquo modo præcessisset ipsum Verbum. Ratione etiam patet, quia si posita perfecta notitia actuali Patris, non ponitur simul Verbum, non apparet qualiter postea Verbum formetur. 8.

Tertiò, aut primo signo Filius habuit *esse*, aut non: si non, cùm postea habuit *esse*, sequitur, quòd habuit *esse* post *non esse*, quod est erroneum: si habuit *esse*: ergo in illo signo fuit generatio eius.

Quartò. Secundùm hanc viam, vt patet in Reportatis *d.6.q.2. & alibi*, intellectio est prior volitione in ipso Patre. Nam, vt dicit *in quæstionibus reportatis*, quòd *intelligere* Patris precedit *velle*, & *velle* præcedit *dicere*, sicut & *intelligere:* quia *dicere* non est *intelligere*, & volitio prior est generatione Filij, & sic habemus illa tria signa se inuicem præcedentia, & sequentia: in quorum primò est intellectio, in secundo volitio; in tertio generatio Filij: sed eadem ratione qua in Patre præueniunt intellectio, & volitio generationem Filij. In Filio similiter præueniũt intellectio, & volitio se inuicem, & spiratio Spiritus sancti: sícque erunt alia tria signa post illa tria: & per consequens in diuinis erunt sex signa: & tantùm in vltimo erit Spiritus sanctus: quæ omnia absona sunt.

Item, non apparet qua prioritate intellectio præcedat volitionem, & volitio generationem, nisi prioritate originis: ex quo sequitur quòd intellectio Patris sit causa volitionis eiusdem: quod est impossibile, nec isti volunt. Et sic similiter volitio erit principium generationis, quod in eadem quæstione ipsi negant ex toto. 9.

Quintò, intellectio Patris, & volitionis eiusdem, sicut eius essentia est ipse Filius: igitur nullo modo ipsum præcedunt.

Dicendum igitur, quòd non genuit Pater Filium voluntate antecedenter, sicut etiam dicit Magister in litera. Similiter non est dicendum, quòd Pater voluntate subsequenter genuerit, quasi voluntate antecedente, cùm nulla talis in eo poni possit: tunc enim, vt arguit Augustinus 15. *de Trinit. cap.* 20. mutabilis esset voluntas diuina: quod est impium dicere.

Dico ergo, quòd voluntariè genuit concomitanter, accipiendo ly *voluntariè*, non vt liberè contingenter, sed voluntariè, id est, complacenter: complacuit enim sibi summè Pater in generatione Filij sui prædilecti, iuxta illud Matth. cap. 3. *Hic est Filius meus prædilectus, in quo mihi benè complacui.* Et hoc est, quod Magister dicit cùm ait, quòd *Pater volens genuit Filium.* Hæc ille. Et sic patet opinio illius.

10. *Ad rationes Greg.* Respondetur ad illum. Et priùs præmitto aliqua. Primò, quòd ordo prioris, & posterioris potest

test accipi multipliciter. Primò, quòd illud, quod dicitur prius, vltra entitatem propriam dicat aliquam mensuram, secundùm quam dicitur prius alio: sicut dicimus, quòd Franciscus est prior tempore Ioanne, quia ponitur in aliquo tempore tanquam in mensura, in qua non ponitur Ioannes.

Hic vide multiplicem prioritatem. Et sic dicimus, quòd vna substantia in se est prior alia, non tempore, cùm per se non mensuretur tẽpore, vt patet à Doctore *in 2. dist. 2.* sed æuo, quia ponitur in aliquo æuo priori, in quo non ponitur alia substantia: siue mensura, quæ dicitur æuum, sit successiua, siue non: de qua Doctor *in 2. vbi suprà:* pro nunc non est quærendum. Sic ergo ponimus aliquam mensuram quodammodo extrinsecam mensurantem entitatem alicuius. Secundò aliquid prius dicitur altero, sic intelligendo, quòd vna entitas, quantùm est ex parte sua, de necessitate præsupponitur alteri: sic quòd pro aliquo signo dicitur prior: non quòd talis entitas prior dicatur prior in aliquo instanti distincto à tali entitate, & mensuratiuo eiusdem entitatis. sed sic dicitur prior, quòd si possent dari aliqua instantia, quæ dicerentur instantia mensuratiua, quæ dicerentur instantia naturæ, vel instantia originis; siue alia instantia, quæ pro nunc non habent nomina imposita: verè mensuraretur tali instanti priori. Et intellectus posset habere cognitionem per prius terminatam ad entitatem priorem, & per posterius ad entitatem posteriorem. Et ex hoc sequitur, quòd essentia diuina est sic prior omni attributo, & omni proprietate hypostatica. Sequitur etiam, quòd intellectus diuinus est prior voluntate: & quòd intellectio est prior volitione, & quòd generatio Filij est prior spiratione, quia si huiusmodi priora haberent aliqua instantia mensuratiua, esset verum dicere, quòd vnum est prius alio in aliquo instanti, quia vnum ponitur in aliquo instanti priori, in quo non ponitur posterius. Nec dico, (vt aliqui imaginãtur) quòd talis prioritas in diuinis sit tantùm per actum intellectus nostri: nec tantùm per actum collatiuum intellectus diuini, quia si (per impossibile) nullus intellectus actu consideraret: adhuc essentia diuina esset aliquo modo prior relatione diuina: sic quòd si esset nata mensurari aliqua duratione, in qua essent plura instantia: per prius mensuraretur, quàm relatio: & hoc ponẽdo nullum sequitur inconueniens: quantùm enim est ex parte sua, nata esset per prius terminare actum intellectus, quàm relatio.

11. *Nota.* Secundò præmitto, quòd quando dicimus, Pater in aliquo instanti priori intelligit, & in aliquo instanti posteriori gignit; non intelligo, quòd Pater in se ipso formaliter intelligit. Sed sic intelligo, quòd si dabile esset aliquod instans distinctum ab entitate Patris mensurans ipsum Patrem, esset verum dicere: Pater in aliquo instanti intelligit, in quo non gignit: quia in instanti mensurante intellectionem Patris. Dicimus ergo Patrem in aliquo instanti priori intelligere, in quo non gignit, sic quòd intellectio, quantùm est ex se, priùs inest Patri, quàm gignitio. Sicut si (per impossibile) separaretur tempus à motu quod est mensura motus: aliqua pars motus diceretur prior alia: sic quòd verum esset dicere, aliqua pars motus est in aliquo priori tempore, quàm alia, scilicet quòd si haberet tempus extrinsecum, vt mensura: verè esset prius in aliqua parte temporis, in quo non esset alia. Sed quia non possumus ita explicitè exprimere huiusmodi prioritatem, & posterioritatem, nisi per aliud, & aliud instans, vel originis, vel naturæ, ideò magis ad exprimendum conceptum nostrum, dicimus, quòd Pater in aliquo instanti priori intelligit, & in aliquo instãti posteriori gignit, ac si verè essent ibi huiusmodi instãtia: quod benè nota. Et ideò non sequitur illud, quod dicit Gregorius *præsenti dist. & dist. 9.* & Ioãnes Anglicus *præsenti dist.* & Ocham *in 1. dist. 9.* videlicet quòd si Pater in secundo instanti gignit Filium, ergo Pater gignit in Filio. Quia non accipitur secundum instans pro Filio, nec pro aliquo distincto à Filio. Sed sic dicitur Filius gigni in secundo instanti, ac si esset genitus in aliquo instanti distincto. Nec similiter sequitur, quòd si Pater in aliquo instanti priori formaliter intelligit; ergo Pater intelligit in Patre: quia non pono tale instans esse essentiam Patris: nec aliquid distinctum à Patre: sed sic, quòd si Pater possit habere huiusmodi instantia, esset verum dicere, quòd Pater in aliquo instanti priori intelligit, sicut etiam dicimus, quòd quies alicuius corporis est prior in aliquo tempore, quàm quies alterius corporis: & tamen quies non habet tempus pro per se mensura, vt patet 4. Physic. Sed si haberet tempus pro mensura, tunc esset verum dicere, quòd quies *A* est prior in aliquo tẽpore quiete *B*.

Tertiò præmitto, quòd instans originis aliquando accipitur à Doctore pro instanti naturæ: 12. *Instans originis accipitur dupliciter.* sicut in proposito. Pater in aliquo instanti priori originis formaliter intelligit, & in aliquo instanti posteriori originis gignit: accipitur ibi instans originis pro instanti naturæ. Et hoc tamen modo, vt exposui suprà *dist. 1. q. 2.* Et sic non sequitur, quod dicit Gregorius, quòd tunc intellectio est originatiua Filij. Aliquando accipitur instans originis verè originatiuè. sic intelligendo, quòd illud, quod habet *esse* in secundo instanti originis, sit verè originatum ab eo, quod habet *esse* in primo instanti originis: ita quòd habens *esse* in primo instanti originis, verè producit illud, quod dicitur habere *esse* in secundo instanti originis. Sic tamen intelligendo, quòd tale producens est prius ipso producto. Et hoc modo loquitur Doctor *in 2. d. 1. q. 1.* vbi dicit, quòd Pater est prior origine Filio: quia Pater quicquid habet, habet à semetipso, & Filius est posterior origine, quia quicquid habet, habet à Patre. Et similiter quando dicit ibidem, quòd Pater priùs origine spirat Spiritum sanctum, & Filius posterius origine, id est, quòd Pater habet à semetipso vim spiratiuam, & Filius eandem vim habet à Patre. Et sic patet quomodo diuersimodè accipiuntur instantia originis à Doctore. Et ex his patet facilis responsio ad obiectiones Gregorij Ariminensis.

13. *Ad primam rationẽ Gregor.* Ad primam quando dicit, quòd tunc sequitur, quòd in Patre intelligit, &c. & in secundo signo, id est, in Filio gignit, responsum est suprà. Si tamen volumus ponere in diuinis instantia naturæ, & instantia originis aliquo modo distincta, non tantùm per operationem intellectus, sed ex natura rei: sicut etiam ponimus ibi æternitatem esse mensuram omnium: quæ ponuntur in diuinis distinctam ab ipsis mensuratis, Ex hoc non video aliquod inconueniens. Et sic patet, quòd in aliquo priori instanti naturæ, vel in aliquo aliquo alio formaliter intelligit, & in secundo instanti gignit. Et sic sustinendo hanc positionem, vel aliam patet responsio ad omnes rationes Gregorij.

Ad secũdam. Ad secundam rationem Gregorij dico breuiter, quòd intellectio Patris est prior gignitione Filij. Pro cuius intelligentia est notandum, quòd si

si intellectio absolutè comparatur ad generationem actiuam Patris, siue ad paternitatem, quod idem est, est prior ipsa generatione; quia omnis perfectio simpliciter est prior proprietate hypostatica, vt supra patuit *dist. 1. 2. & alibi sæpè:* & generatio actiua constituit Patrem in *esse* Patris, vt infrà patebit *dist. 27. quæst. vlt. & in quodlib. quæst. 4.*

14. Deinde notandum est, quòd eo modo, quo essentia diuina, & attributa habent ordinem ad inuicem: eo modo etiam habent, vt sunt in aliqua persona. Sicut enim essentia diuina absolutè sumpta est prior attributis: sic etiam, vt est in Patre, & in Filio: & sicut intellectio est prior paternitate, siue generatione actiua absolutè sumpta, sic vt est in Patre. Et quia Pater dicitur formaliter intelligens intellectione, & formaliter gignens gignitione: sequitur quòd priùs dicitur intelligere formaliter, quàm gignere. Et cùm dicis, Pater est tantùm Pater per generationem illam, ergo Pater inquantum Pater non priùs intelligit. Responsum est, & est simile, sicut dicimus: homo est prius animal, quàm rationale, & tamen homo non dicitur homo vltimatè, nisi per rationale. Dicimus ergo, quod homo est prius animal, ex hoc quod animal præintelligitur in homine ipsi rationali: sic in proposito. Et sic patet responsio ad argumentum.

Ad tertium. Ad tertium cùm quærit, aut in primo signo Filius habuit *esse*, aut non. Dico quod non. Et cùm infert: ergo habuit *esse* post *non esse*. Dico quòd *non esse* præcedere *esse* potest intelligi multipliciter. *Non esse præcedere esse potest intelligi dupliciter.* Primò, quòd *non esse* Filij præcedat aliqua duratione *esse* ipsius. Et hoc non. Vel *non esse* Filij præcedat ipsum *esse* aliquo instanti originis, & hoc non est inconueniens. Vel *non esse* Filij præcedat *esse* ipsius Filij aliquo instanti naturæ, loquendo de instanti naturæ propriè sumpto: de quo Doctor *in 2. dist. 1. q. 2. & in 3. dist. 3. q. 1.* Et quod ponitur habere *esse* prius in aliquo instanti naturæ sic sumpto semper præcedit aliqua duratione, & hoc comparando ad opposita, vt exposui in 2. Accipiēdo verò instans pro aliquo instanti priori natura non positiuè, sed magis priuatiuè, sic intelligendo, quòd ipsum *non esse* quantùm est ex parte sua actu inesset, nisi præueniretur ab aliquo agente dante *esse*: & hoc modo concedo, quòd si Filius non produceretur à Patre dante sibi *esse*: *non esse*, quantum est ex parte sui, sibi inesset. Et hoc modo potest concedi, quòd haberet *esse* post *non esse*. Et de hoc satis patere potest à Doctore *in isto primo dist. 2. part. 1. q. 1. & dist. 8. q. vlt. & in 2. dist. 1. q. 2. & in 3. dist. 3. q. 1. & alibi sæpè.*

Ad quartum patet responsio ex his, quæ dicta sunt ad secundam rationem. Ex illa enim responsione non sequuntur tot instantiæ, vt iste ponit. Si etiam ponerentur illæ sex instantiæ: non video ex hoc sequi aliquod absurdum, vel impossibile. 15. *Ad quartum.* Oporteret enim ipsum probare ipsam impossibilitatem. Quod enim inconueniens est dicere, quod intellectus est prior voluntate, & in aliquo instanti intellectio est prior volitione, & in alio instanti generatio est prior spiratione, & post in alio instanti intellectio producit creaturas in *esse* cognito, & post in aliquo instanti voluntas producit illas in *esse* volito. Et sic patet responsio ad Gregorium. Et ex his, quæ benè intelliguntur omnes aliæ rationes factæ contra hanc positionem Doctoris facillimè solui possunt, & sufficere possunt ista pro responsione ad rationes Ioannis Anglici Bacconis & Ocham.

DISTINCTIO SEPTIMA.

A. De comparatione potentia generandi ad personam.

HIC solet quæri à quibusdam, vtrùm Pater potuerit, vel voluerit generare Filium. Si enim, inquiunt, potuit, & voluit generare Filium, ergo potuit aliquid, & voluit, quod nec voluit, nec potuit Filius: nam Filius nec potuit, nec voluit generare Filium. Cui versutiæ facilè respondemus dicentes, quòd posse, vel velle generare Filium, nō est posse, vel velle aliquid subiectum potentiæ, vel voluntati. Est tamen aliqua potentia, vel voluntas, scilicet posse, vel velle gignere Filium: & ideò distinguenda est intelligentia propositi verbi posse, vel velle gignere Filium, & posse, vel velle aliquid. Neque enim generatio Filij aliquid eorum est, quæ subiecta sunt diuinæ potentiæ & voluntati: nec est aliquid inter omnia, vel de omnibus, sed super omnia & ante omnia. Non enim ante voluit, vel potuit, quàm genuit: sicut nec ante fuit, quàm genuit, quia ab æterno fuit, & ab æterno genuit. Ex simili quoque hoc videre possumus. Pater enim potest esse Pater, & vult esse Pater, Filius autem non potest, nec vult esse Pater: ergo Pater potest, vel vult esse aliquid, quod non potest, vel vult esse Filius, non sequitur, quia esse Patrem non est esse aliquid, sed potest esse ad aliquid, vt in sequenti ostendetur. *Dist. 28. huius primi.*

Ponit

Ponit quædam verba Augustini, vnde potest moueri auditor.

SEd vehementer nos mouet quod Augustinus ait *in 3. lib.* contra Maximinũ qui asserebat Patrem potentiorem esse Filio, eo quòd Filium genuit Deum creatorem, Filius autem non: dicebátque Patrem potuisse gignere, non Filium; & ideò potentiorem esse Filio. Ad quod respondens Augustinus dicere videtur, quòd Filius etiam potuit gignere, volens ostendere Patrem esse non potentiorem Filio, his verbis. [Absit vt ideò potentior sit Pater Filio, sicut putas, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem: neque enim non potuit, sed non oportuit.] Vide, & diligenter attende hæc verba: non enim non potuit, sed non oportuit, videtur enim dicere quòd Filius potuit gignere, sed non oportuit, & ita potuit, quod non oportuit. Quare autem non oportuit, subdit, dicens: [Immoderata enim esset diuina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia & ipse nepos nisi auo suo pronepotem gigneret, secundùm vestram mirabilem sapientiam, impotens diceretur. Similiter etiam ille si nepotem non gigneret auo suo, & pronepotem proauo suo, non à vobis appellaretur omnipotens, nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero nasceretur, nec eam perficeret vllus, si non sufficeret vnus omnipotens. Itaque omnipotentem genuit Filium Patris natura, non fecit.] *B.* *Aug. 3. in fin. 12. cap.*

Opponitur prædictis verbis Augustini.

HOc autem videtur quibusdam non posse stare, scilicet, quòd Filius potuerit gignere. Si enim potuit Filius gignere, potuit esse Pater, & si potuit esse Pater, potuit ergo esse Pater vel sui, vel Patris, vel Spiritus sancti, vel alicuius alius: sed alius non: quia nullus alius semper fuit. Nec Patris, quia Pater est ingenitus, & innascibilis. Nec sui, quia nulla res se ipsam gignere potest. Nec Spiritus sancti, quia nasci non potuit. Si enim nasci potuit, potuit esse Filius, & ita mutabilis esse potuit. *C.*

Hîc quæritur quomodo intelligenda sint.

QVomodo ergo accipiatur quod supra dictum est, non enim non potuit gignere, sed non oportuit, quasi potuit: sed non oportuit. Non est nobis perspicuum aperire quomodo sit hoc verum, & ideò sub silentio potiùs esset prætereũdum, nisi me super hoc aliquid loqui cogeret instantia quærentium. *D.* *Libr. de Trin. 1. c. 1.*

Hîc aperitur ex quo sensu accipienda sint.

POtest ergo sic intelligi; non enim non potuit, sed non oportuit, id est, non ex impotentia sui fuit, quòd Filius non genuit, sed ei non conueniebat. Sicut Deus Filius non est Deus Pater, nec tamen hoc ex impotentia sui est. Nam & Pater similiter non est Filius, nec hoc est ex impotentia Patris. Sed quærit Maximinus Arianorũ Episcopus. Vnde ergo est, quòd Pater non potest esse Filius, vel Filius Pater? non vtique ex impotentia, sed Pater proprietate generationis Pater est, quâ oportet eum non esse Filium: & Filius proprietate natiuitatis Filius est, quâ oportet eum non esse Patrem. De quibus proprietatibus pleniùs tractabitur. *E.*

Vtrùm Pater naturâ sit potens gignere Filium, & an hoc sit aliqua potentia quæ sit in Filio?

ITem quæritur à quibusdam, Si Pater potens sit naturâ gignere Filium, an hoc sit aliqua potentia quæ sit in Filio? Ad quod dicimus, quia Pater non est *F.*

eſt potens niſi naturâ: eius enim potentia natura eſt, vel eſſentia. At, inquiunt illi, ſi potens eſt gignere, habet ergo potentiam gignendi. Filius autem non habet potentiam gignendi, ſi non poteſt gignere, habet ergo aliquam potentiam Pater, quam non habet Filius. Non ſequitur. Eandem enim potentiam habet penitus Filius, quam & Pater: quâ Pater potuit gignere, & Filius gigni potuit. Eadem enim potentia eſt in Filio, quâ potuit gigni, quæ eſt in Patre quâ potuit gignere. Sed contra hoc opponitur. Aliud eſt poſſe gignere, aliud eſt poſſe gigni: quia aliud eſt gignere, & aliud gigni. Hîc diſtinguendum eſt. Si enim cùm dicitur, aliud eſt poſſe gignere, aliud poſſe gigni, aliam ſignificans potentiam, quâ Pater potens eſt gignere, & aliam, quâ Filius potens eſt gigni, falſus eſt intellectus. Si autem dicas, Patrem poſſe habere aliam proprietatem, ſiue notionem, quâ genitor eſt, & Filium aliam, quâ genitus eſt: verus eſt intellectus. Aliam enim habet Pater proprietatem, quâ Pater eſt: aliam Filius, quâ Filius eſt.

Quomodo intelligendum ſit, Filius habet, vel non habet potentiam generandi?

G. ITa etiam cùm dicitur, Filius non habet potentiam generandi, quam Pater habet, dupliciter intelligi poteſt. Si enim dicatur, Filius non habet potentiam generandi, quam & Pater, ſcilicet, quâ potens ſit ad generandum, id eſt, vt genuerit, vel vt generet ſicut Pater, verum eſt; ſi verò intelligatur ſic, non habet potentiam quâ poſſit gigni, vel genitus eſſe, qua eadem Pater potens eſt, vt genuerit, vel vt generet, falſum eſt. Sicut dicitur, Pater habet potentiam quâ poteſt eſſe Pater, Filius verò non habet potentiam quâ poſſit eſſe Pater: & è conuerſo, Filius habet potentiam quâ poteſt eſſe Filius, Pater verò non habet potentiam quâ poſſit eſſe Filius: habet ergo aliquam Pater, quam non habet Filius, & è conuerſo. Abſit, quia eadem eſt potentia Patris, quâ poteſt eſſe Pater, & Filij, qua poteſt eſſe Filius. Ita etiam eadem eſt voluntas, quâ Pater vult eſſe Pater, non Filius, & Filius vult eſſe Filius, non Pater: & eadem eſt voluntas Filij, quâ vult eſſe genitus, & Patrem genuiſſe, & Patris, quâ vult eſſe genitor, & Filius genitum eſſe.

QVÆSTIO VNIC.

Vtrùm potentia generandi ſit aliquid abſolutum, vel proprietas Patris?

Alenſis 1.*p q.*42.*m.*1. Henr.*ſum.art.*57.*q.*7. D.Thom.1.*p.q.*41.*art.*5. D.Bonauent. *hîc q.*1.*art.*1. Richard. *quaſt.*1. Capreol.*quaſt.*1.*art.*1.*com.*2. Gabriel.*quaſt.*1.2.*&* 3. Durand.*quaſt.*2.*n.*29. Aureol.*quaſt.*1.*art.*2. Suarez 1.*p.tract.*3.*lib.*6.*cap.*5. *Vide* Scot.1.*Phyſic.quaſt.*20.*cor.&* 5.*Phyſic.quaſt.*1.*&* 2. Mayron.*d.*7.*q.*2. Baccon.*d.*5.*quaſt.*1.

1. CIRCA iſtam diſtinctionem ſeptimam quæro, vtrùm potentia generandi in Patre ſit aliquid abſolutum, vel proprietas Patris? Quòd proprietas Patris, probo. Auguſtinus 5. de Trinit. cap.6. *eo Pater eſt, quo eſt ei Filius:* ergo eo eſt Pater, quo generat. Probatio conſequentiæ, quia generatione eſt ei Filius: ſed Paternitate eſt Pater: ergo Paternitate generat: vel ſi Deitate generat, ergo Deitate eſt Pater.

Item per rationem, actus proprius eſt à propria forma agentis: ſed *generare* eſt proprius actus Patris: ergo, &c. Probatio maioris; tum, quia propria forma dat *eſſe*, igitur & *agere*: tum, quia ſi forma communis & effectus communis: quia cauſa & effectus correſpon

correspondent sibi inuicem, vniuersalis vniuersali, particularis particulari, 2. *Physic.* & 5. *Metaph. c. de causa.* Item, medium est eiusdem generis cum extremis: sed supposita, quæ sunt extrema, sunt relatiua: igitur illud quo suppositum agit, quod est medium inter ea, est relatiuum. *Text. 38. Text. 2. 10. Met. Text. 22.*

Item, potentia est eiusdem generis cum actu; imò in diuinis sunt idem: sed actus generandi est relatio, vel relatiuum, ergo & principium erit relatio, vel relatiuum.

Contra, Damasc. *generatio est opus naturæ:* sed non est opus naturæ vt generantis, quia natura non generat: ergo est opus naturæ vt principij generandi. Item, Hilarius de Trin. lib. 5. *Ex virtute naturæ in eandem naturam, natiuitate subsistit Filius.* *Cap. 8.* *Circa fin.*

Item, Magister in litera, *Pater non est potens nisi natura:* & loquitur de potentia generandi: ergo, &c.

COMMENTARIVS.

Titulus quæstionis non intelligitur de principio *quod* generationis; quia certum est apud omnes quòd Pater est principium *quod* generans: sed intelligitur de principio quo Pater generat, siue de ratione formali generandi.

SCHOLIVM.

Sententiam D. Thomæ essentiam esse illud, quo Pater generat, quia in ea assimilat sibi Filium, impugnat sex rationibus. Prima, sequeretur si Deitas esset per se, quòd generaret. Secunda, haberet distinctionem realem à genito. Tertia, forma vt in ea assimilantur generans, & genitum, tantùm habet vnitatem rationis. Quarta, agens non est in actu per formam, nisi vt est hæc. Quinta, productio priùs distinguit quàm assimilat, & distinguit prius, vt hæc, quàm vt forma. Sexta, brutum generat sibi simile in specie, tamen forma specifica non est principium quo, *sed potentia vegetatiua; hæc vt faciunt contra ipsius Scoti opinionem postea soluuntur.*

Hic est opinio talis, quòd illud quo Pater generat, est essentia: propter hanc rationem quia generans assimilat sibi genitum in forma, quâ agit: Filius autem assimilatur Patri in essentia, non in proprietate: ergo, &c. Et declaratur ratio, quia sicut in creaturis proprietas indiuidualis non est ratio agendi, sed natura, in qua indiuidua conueniunt: ita in diuinis proprietas personalis, quæ correspondet proprietati indiuiduali in creaturis, non erit ratio agendi, vel gignendi. 2. *D. Thomas 1. p. q. 41. art. 5.*

Contra istud arguitur multipliciter. Primò sic: Omnis forma sufficienter elicitiua alicuius actionis, si per se est, per se agit illa actione. Exemplum, si calor est sufficiens causa calefactiua, calor separatus calefaceret: albedo etiam per se habet disgregare; & ideò cùm per se habet esse, vt in Sacramento Altaris, per se habet disgregare: ergo si Deitas sit potentia generatiua, & constat quòd sufficiens; sequitur quòd si per se sit Deitas, quòd per se generabit. Deitas autem priùs est in se aliquo modo, quàm intelligatur esse in persona, quia Deitas vt Deitas, est per se esse: ita quòd tres personæ ipsa Deitate per se sunt, non è conuerso, 7. de Trin. c. 4. *Omnis creatura ad se, subsistit, quantò magis Deus.* & infrà, *hoc est Deo esse, quod subsistere:* ergo in isto primo signo naturæ, in quo intelligitur Deitas in se, antequã intelligatur in persona, generabit. & ita Deitas sic cõsiderata, distinguetur à genito.

Si dicatur, quòd Deitas non habet per se esse nisi in persona, & ideò non per se agit, sed persona per se agit. Contrà, argumentum probat oppositum, quia si calor habens per se esse participatum per miraculum esset per se, posset operari per se illa operatione, cuius est principium quo elicitiuum in supposito: ergo ipsa diuina essentia, quæ est per se esse ex se, non autem per se participat esse, poterit per se esse agens illa operatione, cuius est principium *quo* elicitiuum in supposito: & ita stat argumentum.

Item secundò sic: Producentis, & formæ quâ producens producit, eadem est relatio ad productum: hoc accipitur à Phil. 2. *Physic.* & 5. *Met.* vbi vult, quòd ad idem genus causæ, & principij pertinent ars, & ædificator: ergo ad idem genus principij pertinent producens, & illud quo producens producit: & ita si essentia *sit* quâ Pater generat, habebit essentia relationem realem ad genitum: hoc falsum est: ergo, &c. *Arg. 2. Text. 38. & 50. Text. 2.*

Item tertiò, forma inquantùm est, in qua assimilantur generans, & genitum, non habet vnitatem nisi rationis, sicut accipitur à Damasc. *lib. 1. c. 8.* ergo nec entitatem nisi rationis: ergo secundùm hoc, non est principium elicitiuum actionis realis. 3. *Arg. 3.*

Item quartò, forma non est principium agendi nisi inquantùm agens est in actu per eam: non est autem in actu per ipsam, nisi inquantùm est in ipso: non est autem in ipso, nisi vt *est hæc:* ergo vt *est hæc,* est principium. *Arg. 4. 2. de Anim. Text. 2.*

Arg. 5. Item quintò, productio per prius est distinctiua, quàm assimilatiua: quod patet, quia omnis productio est distinctiua, non autem omnis est assimilatiua: ergo forma, quæ est principium productionis, priùs est principium eius inquantùm forma est distinctiua, quàm inquantùm est assimilatiua. Ipsa autem est distinctiua inquantùm *hac*, assimilatiua inquantùm forma: ergo priùs est principium productiuum inquantùm *hac*, quàm inquantùm forma.

Arg. 6. Item, instatur contra probationem argumenti positionis; tum, quia brutum generans brutum assimilatur ei in specie: & tamen forma specifica bruti non est principium generandi, sed potentia vegetatiua: igitur maior videtur esse falsa; tum, quia in augmentatione carnis, calor est principium actiuum secundùm Philosophum 2. *de Anima*, & tamen illo generatur caro animata similis generanti in forma vegetatiua.

Text. 50. & circiter.

SCHOLIVM.

Sententia Henrici est essentiam esse principium quo generationis, sed vt determinatur per relationem. Hanc reiicit Scotus aliis sex argumentis. Primò, quia actiuum perfectum indeterminatum vt agat, non petit determinans. Secundò, indeterminatum ad duos effectus ordine quodam, ex se determinatum est ad primum eorum. Tertiò, sequeretur quòd relatio esset ratio agentis, & simul ratio determinatiua principij agendi. Quartò, natura non est determinabilis secundùm Damascenum. Quintò, relatio secundùm Henricum tantùm ratione differt ab essentia. Sextò, ratio agendi in creatis non determinatur per relationes.

4. *Hēr. quodl. 3. q. 3. & in sum. art. 57. q. 7.* *Text. 10.*

ALiter dicitur [a] quòd generationis in diuinis oportet dare aliquod principium positiuum, quia actio est positiua: non sunt autem positiua in diuinis personis nisi essentia, & relatio: relatio autem non potest esse principium illius productionis, quia relatio non est principium, nec terminus motus, ex 5. *Physic* ergo essentia: sed essentia secundùm se considerata, est indeterminata ad plures personas, & ad actiones plurium personarum: ergo oportet, quòd ad hoc quòd ipsa sit principium determinatæ actionis, quòd determinetur: determinatur autem per relationem, & ideò relatio ponitur principium, non elicitiuum, sed determinatiuum. Ad hoc etiam adducitur confirmatio ex creaturis, vbi eadem forma dat actum primum, & secundum: sed determinatur ad hunc, & illum ex diuersis respectibus, quia ad primum determinatur ex respectu ad subiectum, & ad secundum ex respectu ad obiectum.

5. *Indeterminatio duplex, materia & efficientis. secunda non eget determinante ad agendū, prima sic.*

Contrà. Indeterminatio est duplex. Quædam est potentiæ passiuæ, vt indeterminatio materiæ: & quædam potentiæ actiuæ illimitatæ ad plures effectus. Exemplum, sicut Sol est indeterminatus ad producendum multa animalia, non quòd aliquam formam recipiat, vt agat: sed quia habet virtutem productiuam illimitatam: quod autem est indeterminatum indeterminatione materiæ, oportet quòd recipiat aliquam formam ad hoc, vt agat, quia non est in actu sufficiente ad agendum, sed quod est indeterminatum indeterminatione potentiæ actiuæ, est ex se sufficienter determinatum ad producendum quemcunque istorum effectuum, & hoc si passum dispositum sit approximatum, vbi requiritur passum, vel ex seipso, vbi non requiritur passum. Probatio, si tale actiuum esset de se determinatum ad vnum effectum, posset de se sufficienter producere illum: sed si est indeterminatum ad hoc, & ad illud, ex tali illimitatione, nulla tollitur perfectio causalitatis eius respectu talis effectus, sed tantū causalitas additur respectu alterius: igitur ita potest producere istud & illud, sicut si esset tantū istius: & ita non requiritur aliquod determinans. Ad propositum, essentia diuina non est principium indeterminatum indeterminatione materiæ: igitur sine determinatione alterius quasi principij actiui, erit simpliciter determinatum determinatione, quæ requiritur ad agendū, ita quòd non requiritur aliquid aliud.

Confirmatur [b]; quia talis indeterminatio principij actiui, licèt sit ad disparata, non tamen est ad contradictoria: sed determinatè ad alteram partem contradictionis respectu cuiuslibet istorum disparatorum: nulla autem indeterminatio prohibet ex se determinatè agere, nisi quæ aliquo modo esset ad contradictoria, vt ad *agere*, & *non agere*: ergo, &c.

Item secundò, quando aliquod principium actiuum est indeterminatum ad aliquos duos effectus non ex æquo, sed secundùm ordinem naturalem, ex se sufficienter determinatum est ad primum illorum: & posito primo est determinatum ad secundum: essentia autem diuina non est indeterminata ad istas duas productiones ex æquo: sed per prius se habet ad generationem: igitur est ex se sufficienter determinata ad vtrumque, quia ex se primo ordine ad primam: & illa posita, est determinata ad secundam, & ita in nullo

nullo signo originis est indeterminata ad vtramque quasi tunc eliciendam.

Item tertiò [c], relatio est ratio, & forma suppositi agentis: igitur si est determinatiua principij quo habebit duplicem rationem principij respectu generationis, vnam inquantùm est ratio agentis, & aliam inquantùm est ratio determinatiua principij agendi, & sic ipsa mediabit inter seipsam, & actionem.

Item quartò sic [d], natura vt natura ponitur principium elicitiuum istius actionis: ipsa autem vt natura non est determinabilis, secundùm Damasc. *lib. 3. cap. 6.* proprietates determinant hypostases non naturam vt natura: igitur nihil est determinatiuum principij *quo*, vt est principium *quo*, sed tantùm principij agentis. *Idem lib. 1. cap. 10.*

Item quintò, relatio secundùm istum Magistrum tantùm ratione differt à fundamento: ergo non potest esse principium determinatiuum ad actum realem aliquo modo distinctum ab essentia: quia nihil concurrit ad rationem alicuius principij respectu actionis realis, nisi reale.

Item sextò, quod dicitur de relatione determinatiua in creaturis, videtur esse falsum, quia calor ex se non per aliquem respectum medium est fundamentum huius respectus potentiæ calefactiuæ. Non oportet etiam quòd determinatio ad actum primum & secundum, fiat per respectus, quia eadem forma absoluta dat actum primum absolutum & secundum, & non respectiuum: & etiam principium agendi est absolutum, & non respectiuum.

COMMENTARIVS.

1. a *Aliter dicitur.* Hîc recitatur opinio Henrici, qui dicit in sententia, quòd essentia est principium elicitiuum generationis, sed non potest esse principium determinatæ actionis, nisi determinetur: & sic relatio erit principium non elicitiuum, sed determinatiuum ad talem, vel talem actionem.

Improbatio. *Contra. Indeterminatio est duplex.* Et ista duplex indeterminatio clara est hîc in litera: & suprà patet *d. 3. q. 7.* parum ante responsionem ad argumenta principalia: & ibi aliqualiter exposui. Cùm ergo indeterminatum potentiæ actiuæ illimitatæ seipso determinat ad agendum, id est, per formam propriam: sequitur, quòd cùm essentia diuina sit indeterminata indeterminatione potentiæ illimitatæ ad agendum seipsa: hoc est, per propriam entitatem, potest se determinare: ergo non per relationem sibi additam.

2. b *Confirmatur. Quia talis indeterminatio principij actiui,* &c. Intelligendo de indeterminatione principij actiui per modũ naturæ: vt patet de Sole; sed non per modum voluntatis, quia voluntas ex sua ratione formali propter sui libertatem est indeterminata ad contradictoria. Et litera clara est.

Paternitas est proprietas patris. c *Item tertiò,* &c. *Et sic ipsa mediabit inter seipsam, & actionem:* quia ex quo Paternitas est conditio agentis; quia est proprietas Patris: & sic est posterior ratione formali agendi, & ex alia parte ponitur, quòd sit determinatiua rationis formalis agendi: ergo erit prior seipsa, vt est conditio agentis, & actio sequitur rationem formalem agendi, & suppositum agens: ergo paternitas mediabit inter seipsam, & actionem: quod est falsum. Nam vt est determinatiua principij formalis agendi, est prior seipsa, vt est conditio suppositi agentis: sicut enim ratio formalis agendi intelligitur, vt prior supposito agente: ergo & ratio determinatiua ipsius principij formalis agendi erit prior ipsa conditione agentis: & ipsa paternitas, vt est conditio agentis est prior actione, id est, generatione actiua, quæ generatio actiua est formaliter ipsa paternitas: ergo paternitas, vt conditio suppositi agentis mediat inter seipsam, vt scilicet est determinatiua rationis formalis, & vt est actio.

d *Item quartò sic,* &c. *Proprietates determinant hypostases, non naturam, vt natura,* id est, quòd ipsa relatio, quæ est proprietas personalis est ratio distinguendi personam: filiatio enim in diuinis est ratio distinguendi Filium à Patre, & ideò est actus personæ distinguens vnum ab alio, & nullo modo est actus naturæ: non posset autem determinare essentiam, nisi esset actus essentiæ. *Natura nõ est determinabilis.*

SCHOLIVM.

Ante resolutionem quæst. explicat optimè varias acceptiones potentiæ. Primò, accipitur pro potentia Logica, id est, non repugnantia terminorum, quam benè declarat. Secundò, vt condistinguitur contra actum: & sic non est in Deo, ex d. 2. q. 1. quia quicquid potest esse in Deo ad intrà est. Tertiò, pro potentia reali, id est, pro fundamento relationis actiui, vel passiui, sed in præsenti agitur de actiuo. Quartò, sumitur quandoque pro illo fundamento præcisè, vt pro calore, quandoque verò pro eodem cum omnibus requisitis ad agendum: & vtraque hæc acceptio habetur ex Philosopho.

AD quæstionem igitur respondeo distinguendo de potentia: vno modo dicitur potentia Logica, quæ dicit modum compositionis factæ ab intellectu, & ista notat 7.
non repugnantiam extremorum, de qua dicit Philosophus 5. Metaph. cap. de potentia, *Tex. comm. 17.*
Illud est possibile cuius contrarium non est de necessitate verum. & si hoc modo quæratur de potentia generandi in diuinis; dico, quòd ipsa est possibilis, comparando generationẽ ad quemcunque actum nõ repugnantem generationi: & tunc possibilitas est Patris, vel Dei

ad hoc prædicatum, quod est *generare*; quia isti termini non repugnant: impossibilitas autem est, quòd Filius, vel Spiritus sanctus generent: quia isti termini repugnant.

1. Et si quæritur, quid est potentia generandi in diuinis isto modo?

Potẽtia Logica quid? De quo sup. d.2. part.2. q.3.

Respondeo, non oportet dare aliquod principium quo aliquis sit potens generare; sufficit enim sola non repugnantia terminorum, sicut si ante mundi creationem mundus non solùm non fuisset, sed per impossibile Deus non fuisset, & incepisset à se esse, & tunc fuisset potens creare mundum, si fuisset intellectus aliquis ante mundi creationem componens hanc, *mundus erit:* hæc fuisset possibilis; quia termini non repugnarent. non tamen propter aliquod principium in re possibili, nec propter actiuum sibi correspondens: nec etiam modò illa, *mundus erit*, fuit possibilis formaliter loquendo de potentia Dei, sed potentia, quæ erat non repugnantia istorum terminorum, quia isti termini non repugnarent: licèt istam non repugnantiam concomitaretur potentia actiua respectu huius possibilis.

8. Alio modo dicitur potentia diuisa contra actum: ista non est in Deo: relinquitur igitur potentia realis, quæ dicitur principium agendi, vel patiendi, vt proximum fundamentum relationum: quia hoc nomen *potentia*, non est abstractum vltimata abstractione, sed est concretum concretione ad fundamentum, licèt non concretione ad subiectum, de qua multiplici abstractione in relatiuis, dictum est suprà *d.* 5. *q.* 1. *art.* 2. Hîc autem tantummodò quæritur de potentia agendi, & tunc distinguitur, quòd hoc nomen *potentia*, potest sumi, vel pro eo, quod per se significat, vel pro eo quod connotat, quod est proximum fundamentum talis relationis. Primo modo accipiendo dico, quòd *potentia* significat relationem, sicut potentialis, vel principiatio, & hoc modo quæstio non habet difficultatem, quia potentia generandi in diuinis dicit essentialiter relationem.

Potẽtia quomodo cõcretum.

Potentia actiua variè sumitur.

Secundo modo est difficultas quæstionis, quærendo quid sit illud absolutum, quod est fundamentum proximum istius relationis: & tunc loquendo semper præcisè de potentia actiua, siue productiua, de qua est modo sermo; distinguo vlterius de potentia denominatiuè sumpta, quòd aliquando sumitur pro suo fundamento præcisè: aliquando autem pro ipso cum omnibus aliis, quæ concurrunt ad hoc, vt possit elicere actum, quæ scilicet requiruntur ad rationem potentiæ propinquæ: cuiusmodi sunt (in creaturis) approximatio passi, & impedimenti remotio.

Ista distinctio vltima potentiæ acceptæ pro fundamento præcisè, vel pro ipso cum aliis omnibus concurrentibus, accipitur à Philosopho 9. *Met.* definitio autem potentiæ actiuæ, quam ponit 5. *&* 9. *Met.* est potentiæ actiuæ primo modo sumptæ: potentiam autem secundo modo sumptam exprimit ipse manifestè 9. *Metaph.* 4.

Text. 10. & circiter. Text. 17. Text. 2. & inde. Text. 10.

Quoniam, inquit, *aliquid possibile, & quando, & quomodo, & quæcunque alia necesse est adesse in definitione:* & subdit, *tales potentias, scilicet irrationales necesse est, vt possint quando passiuum, & actiuum appropinquatur, hoc quidem facere, illud verò pati.*

Et si obiiciatur contra eum, quòd istæ irrationales possint impediri: hoc excludendo dicit, *Nullo namque exteriorum prohibente adiungere nihil adhuc oportet: potentiam enim habet, vt est potentia faciendi: est autem omnino, sed habentium aliquo modo, in quibus excluduntur, quæ exteriùs prohibent:* remouent enim hæc, *eorum, quæ in determinatione apponuntur quædam.* Vult dicere, quòd quædam pertinentia ad diffinitionem potentiæ actiuæ vt potentiæ, excludunt impedimentum: ergo potentia actiua ibi secundùm eum, accipitur cum omnibus concurrentibus ad possibilitatem propinquam agendi.

COMMENTARIVS.

1. AD *quæstionem igitur respondeo.* Ista litera clara est. Et primò distinguit de *potentia.* Primò accipitur *potentia* pro potentia Logica: & quid sit patet in litera, & suprà patuit *d.* 2. *p.* 2. *q.* 3. *in responsione ad argumenta principalia.* Secundò accipitur *potentia*, vt distinguitur contra actum: sicut dicimus, quòd ens diuiditur per actum, & potentiam, vt patet 5. *Metaph.* & ista potentia non est in Deo: quia quicquid est ibi, est in vltima actualitate, vt suprà patuit *dist.* 2. Tertiò accipitur *potentia* pro potentia reali, quæ est proximum fundamentum relationis agendi, vel patiendi, sicut dicimus, quòd calor est potentia agendi. Et hîc in proposito tantùm quærimus de potentia agendi, quæ adhuc distinguitur; quia potest accipi, vel pro significato, vel pro connotato, & pro significato dicit tantùm relationem: pro connotato dicit aliquod absolutum. Accipiendo potentiam pro significato, non est præsentis speculationis: sed accipiendo pro connotato, siue pro absoluto, tunc quæritur quid est illud absolutum in diuinis quo mediante Pater posset generare.

Potẽtia accipitur tribus modis. De multiplici potentia.

2 Accipiendo potentiam ergo pro tali absoluto, potest adhuc distingui; aut accipitur illud absolutum in se; aut accipitur illud absolutum cum omni circunstantia requisita ad actionem. Primo modo tale absolutum potest dici ratio formalis agendi, potentia tamen remota. Secundo modo potest dici ratio formalis agendi potentia propinqua. Et ista distinctio de potentia pro fundamento propinqua, & remota accipitur à Philosopho 9. *Metaph. text. comm.* 10. Nam ibi habetur expressè de

de potentia propinqua: inquit enim ibi secundùm aliam literam: *Potentia verò tales, quando appropinquant secundùm quòd est possibile eis de actiuo, & passiuo necesse est, vt quædam agant, & quædam patiantur.* Et parum infrà: *Ergo omne quod habet potentiam secundùm rationem, necesse est, cùm fuerit appetens illud, quo habet potentiam non habet illud: & secundùm quod habet de appetitu, etiam semper erit, cùm passiuum fuerit propinquum: & habuerit potentiam actionis in hac dispositione: & si actio potest ad hoc, & non indigetur addere in sermone: & si non fuerit aliquod extrinsecum*, &c. Ibi Commentator: *Ergo omne, quod habet potentiam, id est, ergo necesse est cùm ratiocinatus habuerit magnum appetitum ad illud, quod potest agere, vt agat illud secundùm suum appetitum, & suum posse: sed non agat, nisi quando patiens fuerit propinquum ei, & habuerit in tempore actionis istam dispositionem, quam dicimus, scilicet appetitum, & potentiam ad agere.* Deinde dicit. *Et si actio potest*, &c. *id est, Et non indigemus cum hoc, quòd potentia possit agere, & addere, nisi aliquod extrinsecum impediat: quoniam sufficit in hoc, quod dicimus, quòd potentia potest agere: quoniam cùm fuerit illic impediens, tunc potentia non poterit.* Hæc ille. Et sic patet expressè quomodo ibi intendit de potentia, quæ habet omnia requisita ad agendum, quæ tunc vocatur potentia propinqua. Sed de potentia primo modo, hoc est, de potentia absolutè sumpta, qua aliquid potest agere. Patet à Philosopho 9. *Metaph. text. comm.* 2. ibi enim distinguit Aristoteles potentiam accipi multipliciter. Vide textum cum commento. *Potĕtia multis modis sumitur.*

SCHOLIVM.

Decidit fundamentum relationis generatiui præcisè sumptum, non esse relationem, sed absolutum. Primum probat dupliciter. Primò, quia in diuinis non esset productio libera, seu per modum voluntatis. Secundò, relatio esset principium sui. Secundum probat primò, si Deus generaret alium Deum absolutum, foret principium quo, vt in creatis. Secundò, terminus generationis est absolutum, ex dist. 5. quæst. 2. ergo & principium.

LOquendo [a] tunc de potentia, id est, de proximo fundamento istius relationis præcisè sumpto, dico quòd potentia generandi Patris non est relatio, sed aliquid absolutum. Partem negatiuam probo. Primò, quia omnis relatio videtur æquè naturaliter respicere suum proprium correlatiuum: ergo relatio spirantis suum proprium correlatiuum sicut relatio generantis suum: non distinguuntur autem in diuinis productiones per modũ naturæ, & voluntatis, nisi quia principium quo producens producit aliter, & aliter se habet ad productionem, & productum; quia hæc, naturaliter hæc liberè: ergo non essent tũc duæ productiones formaliter distinctæ per modum naturæ, & voluntatis. 9.

Secundò, quia tunc eadem relatio esset principium sui ipsius, quia in Patre non est nisi vnica relatio ad Filium, & illa est per te *quo* respectu generationis, quæ scilicet generatio est eadem relatio, licèt aliter nominata: ergo, &c.

Tertiò, quia tunc Paternitas esset simpliciter perfectior Filiatione. Probatio consequentiæ dupliciter. Primò, quia illud quo producens producit, si non est eiusdem rationis cum producti forma, continet eam virtualiter, & est perfectior ea: ergo si Paternitas est quo Pater agit, & non eiusdem rationis cum Filiatione, continet Filiationem virtualiter, & est perfectior ea. *De hoc infr. d. 28. q. vlt. & quodl. 4.*

Secundò, quia Filiatio non dat Filio, quòd agat. nihil enim nec ad intrà, nec ad extrà producit Filius Filiatione: ergo si Pater Paternitate agit formaliter, Paternitas erit aliquid perfectius Filiatione.

Partem affirmatiuam [b] solutionis probo, primò sic: quod est perfectionis in principio productiuo non tollit ab illo rationem principij productiui: sed communicare se in identitate numerali, & adæquata communicatione sibi, ponit perfectionem in principio productiuo: ergo hoc non tollit ab aliquo rationem principij productiui. sed si Deus (per impossibile) generaret alium Deum, & ille alius tertium, Deitas poneretur principium productiuum alterius, & non relatio, & tunc Deitas non communicaret se in identitate numerali, nec communicaret se communicatione adæquata sibi in ratione principij productiui; quia Deitas posset esse principium alterius communicationis, puta factæ per impossibile à secundo Deo; ergo cùm modò Deitas communicetur in identitate numerali, & communicatione adæquata sibi, ita quòd Deitate non potest esse alia communicatio numero eiusdem rationis cum ista, sequitur quòd multò magis modò poneretur absolutum esse principium productiuum, quàm tunc poneretur. 10. *Producens cõmunicans suam naturam perfectius est, quàm dans aliam numero.*

Exemplum istius est, si calor in igne communicaret se eundem numero ligno, & communicatione adæquata, ita quòd iste calor nõ posset esse principium alterius calefactionis, non negaretur calorem ignis esse principium productiuum caloris in ligno: cùm modò de facto ponatur calor esse principium illius, & hoc cum duplici imperfectione opposita duplici perfectioni hîc suppositæ: quia nunc est ibi diuersitas caloris communicati, & communicatio non est adæquata, hîc autem esset identitas caloris, & communicatio adæquata. & tamen, illa hypothesi posita, lignum calore non posset calefacere:

non enim se, quia accipit calorem calefactione, quæ est ab hoc calore,& tunc priùs haberet calorem, quàm haberet calorem : nec aliud, quia ista calefactio ligni ponitur adæquata illi calori in ratione principij actiui.

Ita intelligendum est in proposito, quòd illud quod poneretur esse principium alterius communicationis,si communicatio fieret in diuersitate numerali,& non adæquata, illud idem debet modò poni principium quando fit communicatio eiusdem,& adæquata principio productiuo.

Secundò [c] probo idem sic : aliquid absolutum est terminus formalis generationis: ergo aliquid absolutum est ratio formalis,quâ agens agit. Antecedens probatum est *d.* 5. *q.*2. prima ratione contra primam opinionem.Probo consequentiam,quia impossibile est agens communicare terminum formalem productionis, nisi agat forma æquè perfecta, si agit vniuocè,vel perfectiori,si æquiuocè : in diuinis autem nihil est perfectius absoluto, quia absolutum est formaliter infinitum,relatio autem non. ergo,&c.

COMMENTARIVS.

1. *Pro parte negatiua.*

a LOquendo tunc de potentia. Primò Doctor probat, quòd potentia generandi in Patre non est aliqua relatio, puta paternitas. Et probat multiplici medio.

Primò, supponendo vnum communiter concessum, quòd productio Filij, & productio Spiritus sancti sic distinguuntur, quòd productio Filij est naturalis, & per modum naturæ ; & productio Spiritus sancti est libera, & per modum voluntatis. Sed si relatio esset ratio formalis generandi, & spirandi : sequeretur quòd vtraque productio esset naturalis, & per modum naturæ. Probatur, quia omnes productiones, quæ dicuntur per modum naturæ, sunt à principio formali productiuo per modum naturæ : & omnes productiones, quæ denominantur liberè sunt à principio formali productiuo per modum voluntatis. Sed nulla relatio potest esse ratio formalis producendi aliquid liberè : patet, quia sola voluntas est ratio formalis sic producendi. Et vltrà si paternitas in Patre est ratio formalis producendi Filium per modum naturæ, ergo & spiratio actiua in Patre,& Filio erit ratio formalis producendi Spiritum sanctum per modum naturæ.Probatur consequentia, quia omnis relatio æquè naturaliter respicit suum correlatiuum : si ergo vna respicit suum correlatiuum per modum naturæ: & reliqua similiter.

Sola volũtas est ratio formalis producendi aliquid liberè.

2. Secundò. Si paternitas est ratio formalis gignendi (cùm paternitas, & generatio actiua sint penitus idem,licèt nomine differant, vt infrà patebit *dist.*28 *q.vlt. & in quodl. q.*4.) sequitur quòd idem erit principium suiipsius : quia si paternitas est principium generationis, & generatio est penitus idem,quod paternitas;ergo idem erit principium sui.

Tertiò. Quia tunc paternitas esset simpliciter perfectior filiatione. Probatur consequentia dupliciter. Primò, quia illud, quo producens producit,si non est eiusdem rationis cum forma producti, continet eam virtualiter, & est perfectius ea : patet, quia tota perfectio agentis semper sumitur à ratione formali agendi, vt suprà exposui *d.*1.*q.*2. Cùm ergo paternitas sit alterius rationis à filiatione, & est ratio formalis producendi Filium, qui dicitur Filius per filiationem:ergo simpliciter erit perfectior filiatione. Secundò, quod est ratio formalis alicui agendi dicit perfectionem in illo,sed paternitas,per te,est ratio formalis generandi Filium : ergo erit aliqua perfectio in Patre:filiatio autem non est ipsi filio ratio formalis agendi,nec ad intrà,nec ad extrà : ergo paternitas erit perfectior filiatione : hoc autem est manifestè falsum : quia tunc personæ non essent æquales in perfectione.

3. *Pro parte affirmatiua.*

b *Partem affirmatiuam solutionis probo.* Hîc Doctor intendit probare,quòd ratio formalis generandi in Patre est simpliciter aliquod absolutum. Primò sic : *Quod est perfectionis in principio productiuo, non tollit ab illo rationem principij productiui*, &c. Ista ratio Doctoris est satis euidens.Illi enim qui dicunt paternitatem esse rationem formalem generandi, ex hoc dicunt, quia videtur impossibile, quòd idem numero sit ratio formalis generandi, & per generationem sit communicatum producto ; quia inter rationem formalem generandi, & rem communicatam per talem generationem producto, videtur aliqua distinctio. Cùm ergo essentia diuina eadem numero,quæ est in Patre sit per generationem communicata filio, non videtur possibile, quòd in Patre sit ratio formalis generandi,siue communicandi seipsam Filio : videtur enim quòd communicari alicui in identitate numerali auferat ipsi communicato rationem principij productiui. Doctor ergo intendit principaliter probare, quòd communicare se in identitate numerali non auferat ab eo rationem principij productiui. Et hoc probat ibi : *Sed si Deus (per impossibile) generaret alium Deum*, &c.

4. *Idem numero potest esse in pluribus suppositis.*

Et breuiter pro clariori intelligentia præmitto aliqua. Primum, quòd idem numero possit esse in pluribus suppositis, ita quòd in vno sit ex semetipso, & in alio sit per aliquam productionem : sicut nunc de facto essentia diuina ex semetipsa est in Patre : vt infrà patebit.*dist.*28. *quæst. vltima*, & eadem per generationem est in Filio, & per spirationem in Spiritu sancto. Secundum, quando aliqua sunt eiusdem rationis, si vnum sit principium formale agendi, & reliquum. Hoc patet, quia ratio formalis agendi consequitur entitatem quiditatiuam:vt suprà exposui *distinct.*1.*quæst.*2. *& dist.*3.*quæst.*6. Tertium, naturam simpliciter eandem numero posse diuersis suppositis communicari est perfectionis omnino illimitatæ : vt suprà notaui *distinct.* 2.*parte*, 2. *quæst.*3. Si enim communicare pluribus idem specie est maioris perfectionis, quàm communicare idem genere : ergo communicare pluribus suppositis in perfectissima identitate, quæ est identitas numeralis,hoc erit tantùm infinitæ perfectionis, vt infrà patebit *dist.* 28. si ergo idem specie communicare pluribus non aufert ab eo quod communicatur, quin sit principium formale productionis, per quam communicatur, à for

à fortiori, si aliquid eiusdem speciei communicatur in identitate numerali, non aufert ab eo, quin illud, quod communicatur in tali identitate, sit principium formale alicuius productionis, per quam communicatur, cùm hic modus sit perfectissimus: & sic patet litera Doctoris. Et exemplum positum ibi de calore in igne satis clarum est. Si ergo Deus generaret alium Deum, ratio formalis generandi esset Deitas, à fortiori quando Pater generat Filium, communicando sibi eandem Deitatem, ratio formalis generandi Filium, per quam generationem communicatur filio eadem Deitas, erit Deitas ipsa, supple ratio formalis generandi.

Quæ sit ratio formalis generandi filiū.

5. c *Secundò probo idem sic.* Ista ratio stat in aliquibus dictis. Primum, quòd terminus formalis generationis est simpliciter perfectior omni eo, quod per talem generationem habetur, vt suprà patuit à Doctore *d. 5. q. 2.* & vide ibi expositionem quam feci. Secundum, quòd essentia diuina est terminus formalis generationis diuinæ: vt suprà probatum est *dist. 5. quæst. 2.* Tertium, quòd tota perfectio producentis sumitur simpliciter à ratione formali producendi, vt suprà patuit: cùm ergo in Patre nihil sit perfectius essentia diuina, & ipsa eadem in Filio est terminus formalis generationis: ergo in Patre erit simpliciter ratio formalis generationis: patet, quia aliter non potest poni. Si enim paternitas ponitur, statim sequitur, quòd ratio formalis generandi sit imperfectior termino formali, quod est impossibile.

Essentia est formalis terminus generationis diuinæ.

SCHOLIVM.

Contra illam consequentiam, absolutum est terminus generationis, ergo & principium, instantias varias ponit, ex triplici via, quas benè refutat, & soluit, probans generationem diuinam esse vniuocam, nec tantam esse distinctionem distinctorum, quanta est distinctiuorum, pulcherrimam, & variam circa hæc affert doctrinam.

HVic rationi instatur, quòd consequentia tantùm valet in generatione vniuoca: hæc autem probatur esse æquiuoca: tum ex parte personarum: tum ex productionibus: tum ex ratione differentiæ specificæ. 11.

Instantia contra prædicta.

Prima via sic: Paternitas, & filiatio differunt specie: ergo personæ constitutæ per eas. Antecedens probatur, quia differunt secundùm quiditates, & talis est differentia specifica: tum, quia sunt puri actus, differentia autem actus, & formæ est specifica. Consequentia probatur. Primò, quia non maior distinctio est in principiis, quàm principiatis. Secundò, quia eadem est differentia formalium constituentium, & constitutorum. Tertiò, quia eadem est differentia eorum, secundùm quæ præcisè aliqua differunt, & ipsorum quæ differunt. Quartò, quia relationes sunt idem essentiæ diuinæ sicut personæ: igitur propter istud non negabitur differentia specifica personarum, sicut nec relationum.

Prima via ex parte personarū.

Secunda via de productionibus arguitur sic: In diuinis productiones differunt specie: ergo & producta. Antecedens patet, quia in diuinis non est productio nisi vnica vnius rationis. Consequentia probatur; tum, quia aliter non esset proportio productionum ad producta: tum secundò, quia productiones sunt eiusdem rationis cum productis: tum tertiò, quia potentiæ alterius rationis requirunt obiecta alterius rationis: ergo si producerent sua obiecta, producerent ea alterius rationis: ergo sicut intellectus, & voluntas præsupponunt bonum, & verum formaliter distincta, ita producerent terminos formaliter distinctos, vel erunt quibus termini sic distincti, producuntur.

Secūda via ex productionibus.

Tertia via de differentia specifica arguitur sic: Differentia specifica videtur esse perfectior, quàm differentia numeralis: quod probatur, quia distinctio specierum est de perfectione vniuersi, non autem distinctio indiuiduorum: ergo differentia specifica, sicut perfectior, videtur esse ponenda in diuinis.

Tertia via ex ratione differentiæ specificæ.

Ad ista [a]: siue generatio ponatur æquiuoca, siue vniuoca ratio non infringitur, quia in æquiuoca generatione oportet principium productiuum esse perfectius forma terminante: nihil autem in Deo est perfectius absoluto, & specialiter nulla relatio perfectior: absurdissimum enim videtur dicere, quòd relatio contineat virtualiter essentiam diuinam. Conclusio tamen, ad quam inducunt istæ rationes, scilicet de generatione æquiuoca, videtur esse falsa: quia cùm in primo termino generationis, scilicet in ipso producto concurrant duo, scilicet natura, & relatio propria ipsius producti, quâ est *hæc*; aut generatio dicitur æquiuoca, vel vniuoca à termino formali generationis, aut à formali proprio ipsi supposito producto. Si primo modo, cùm natura, quæ est terminus formalis huius productionis, sit eadem in producente, & producto, sequitur vniuocatio, quia perfectissima similitudo. Si secundo modo; ergo nulla generatio est vniuoca; quia nullum genitum in sua forma indiuiduali assimilatur gignenti. 12.

Ratio stat licet generatio esset æquiuoca.

Generatio diuina est vniuoca.

Hoc etiam [b] arguitur alio modo, & (est idem quasi) quia generatio, & est distinctiua, & est assimilatiua: perfectior autem ratio in ea est, quòd sit assimilatiua, quàm distinctiua, quod apparet, quia sic est à forma sub ratione formæ, non sub ratione quâ *hæc*: & ratio

formæ eſt perfectior in ſuppoſito iſta differentia indiuiduali. Si enim perfectius eſt in generatione ipſam eſſe aſſimilatiuam: ergo ſecundùm hoc generatio dicitur eſſe vniuoca, vel æquiuoca: ſi enim diceretur talis, vel talis, inquantùm eſt diſtinctiua, quælibet eſſet æquiuoca; quia quælibet diſtinguit: & hæc eſt imperfectior ratio in generatione; quia conuenit imperfectiſſimè generationi: ergo per hanc non diſtinguitur vniuoca ab æquiuoca: ergo ad propoſitum cùm generatio ſit aſſimilatiua, quatenus eadem natura communicatur diſtinctiua, quatenus eſt geniti diſtincti à generante diſtincto: ſequitur, quòd penes naturam gignentis, & geniti ſit vniuocatio, & non penes diſtinctionem eorum, ſcilicet gignentis, & geniti.

Conſtituta non tantum differunt, quantū conſtituentia. Tertiò applicatur ad propoſitum, quia ſi illæ duæ differentiæ indiuiduales, quæ ſunt primò diuerſæ conſtituunt producta non primò diuerſa, ſed inter quæ eſt generatio vniuoca, propter ſimilitudinem in natura: ſi iſtæ differentiæ indiuiduales eſſent ſpecies alterius generis, adhuc non conſtituerent diſtincta tanta diſtinctione, quanta eſſe earum in ſuo genere; quia tunc differentiæ indiuiduales conſtituerent primò diuerſa: quòd autem conſtituta modò non ſunt primò diuerſa, hoc eſt propter naturam, in qua natura indiuidua conueniunt; ita etiam tunc conuenirent in eadem natura, licèt differentiæ conſtituentes eſſent ſpecies alterius generis; igitur tunc conſtituta eſſent eiuſdem ſpeciei, ſicut modò.

13. Ad [c] argumenta igitur in oppoſitum.

Ad inſtantias ex prima via, in Deo non eſt genus, nec ſpecies, infr. d. 8. q. 2. Ad primum dicendum, quòd non eſt ibi propriè genus, nec ſpecies, nec differentia ſpecifica; ſed benè concedo, quòd Paternitas, & Filiatio ſunt relationes quaſi alterius ſpeciei, & alterius rationis, quia ſunt oppoſitæ, & non fundatæ ſupra vnitatem immediatè, ſicut ſimilitudo, vel æqualitas, magis etiam diſtinguitur Paternitas à Filiatione, quàm Paternitas à Paternitate. Sed cùm infers, ergo conſtituta ſunt alterius rationis quaſi ſpecificè: nego conſequentiam.

Et propter probationem conſequentiæ, notandum eſt, quòd aliqua dicuntur aliquando magis diſtingui propter eorum minorem conuenientiam in aliquo genere, aliqua propter maiorem repugnantiam, vel incompoſſibilitatem eorum: ſicut contraria magis dicuntur diſtingui, vt album, & nigrum, quàm diſparata, vt homo, & album: ſed hoc modo non eſt propriè dictum aliqua magis diſtingui. Plus enim propriè diſtinguuntur, quæ minùs conueniunt in aliquo genere. & ita diſtincta genere generaliſſimo, plus diſtinguuntur, quàm contraria, quæ ſunt eiuſdem generis, licèt contraria magis repugnent. Vnde vniuerſaliter quanta eſt diſtinctio, id eſt, repugnantia conſtituentium, vel formaliter diſtinguentium, tanta eſt, & conſtitutorum: quia ſi albedo, & nigredo ſunt incompoſſibilia, & conſtituta per ea ſunt incompoſſibilia: & ita eſt in propoſito: quanta enim eſt incompoſſibilitas Paternitatis, & Filiationis, propter quam Paternitas non eſt Filiatio, tanta eſt & Patris, & Filij; ita quòd Pater non eſt Filius. Sed primo modo accipiendo, nunquam diſtinguentia conueniunt tantum, quantum conueniunt, quæ per illa diſtinguuntur, ſicut patet per omnia diſtinguentia diſcurrendo: differentiæ enim ſpecificæ non includunt genus in quo conueniant: ſpecies autem diſtinctæ per eas includunt genus, in quo conueniunt: & ratio eſt, quia diſtinguentia aliquid præſupponunt in ipſis diſtinctis, quod ipſa diſtinguentia non includunt in ſuo intellectu, diſtincta tamen per ea includunt illud; ideò diſtincta conueniunt in illo, diſtinguentia autem ea non conueniunt in illo.

Aliqua ſunt magis diſtincta aliis, quia magis repugnāt, vt cōtraria, alia, quia minùs in aliquo conueniunt, vt diſparata. Quomodo diſtincta magis cōueniunt, quàm diſtinguentia?

14. Et per hoc patet ad argumenta, & ad probationes. Cùm dicitur de principiis, & principiatis, dico, quòd maior diſtinctio, id eſt, maior non conuenientia, hoc eſt in paucioribus conuenientia, poteſt eſſe principiorum, quàm principiatorum: ſicut differentiæ ſpecificæ, quæ ſunt principia ſpecierum, non conueniunt in genere, in quo conueniunt ipſæ ſpecies: & ita etiam eſt de differentiis indiuidualibus, & indiuiduis reſpectu naturæ ſpecificæ.

Per idem patet ad illud de formalibus conſtitutiuis, & de præcisè diſtinctiuis. In omnibus enim eſt falſum, quòd quanta eſt diſtinctio, vel differentia formalium conſtituentium, tanta ſit differentia conſtitutorum.

Sed [d] adhuc pondero argumentum, quia iſtæ relationes in propoſito, ſunt ſubſiſtentes: igitur tantam differentiam habent inquantùm ſubſiſtentes, quantam habent in rationibus propriis: ſubſiſtentes autem ſunt perſonæ: igitur tantam differentiam habent perſonæ, quantam habent relationes.

Præterea, aliqua differentia formali differunt perſonæ: & non niſi differentia illa, quæ eſt relationum, quia nullam aliam habent, quàm iſtam, quæ eſt relationum; iſta autem quæ eſt relationum, eſt ſpecifica; ergo iſta erit ſpecifica, vel nulla.

Ad

Ad ista respondeo. Ad primum, quòd licèt relationes sint subsistentes, tamen personæ non tantùm includunt relationes, sed ipsam naturam, in qua subsistunt: relationes autem non includunt formaliter ipsam naturam in aliquo igitur formaliter conueniunt personæ, in quo non conueniunt relationes formaliter, & ideò hîc non est tanta distinctio sicut ibi. 15. *Ad instant.*

Ad secundum dico, quòd non sequitur, istis præcisè personæ distinguuntur, & ista distinguuntur specie: ergo personæ distinguuntur specie, sicut nec de differentiis indiuidualibus respectu indiuiduorum. Et cùm dicis; tunc nulla erit differentia distinctorum, cùm non sit illorum illa, quæ est distinctiuorum, nec aliqua alia per illa; dico, quòd per ista potest esse distinctio distinctorum, & aliqua alia, quàm sit illa distinctiuorum, vel distinguentium: & minor sicut per differentias indiuiduales est aliqua distinctio ipsorum indiuiduorum alia, quàm ipsarum differentiarum; quia differentiæ sunt primò diuersa, sed distincta non sunt primò diuersa, sed tantùm sunt distincta numero in eadem specie. Ita hîc in proposito per relationes distinctas in specie, vel quasi genere, quibus tamen inquantùm sunt distinctiuæ accidit distingui specie, possunt alia distingui personaliter tantùm, in eadem specie, siue in eadem natura.

Ad secundam viam de productionibus, nego consequentiam, quia hîc ex perfectione istius naturæ, possunt esse aliqua principia propria alterius rationis, communicatiua tamen ipsius essentiæ, quod non contingit in aliqua natura imperfecta, & propter distinctionem istorum principiorum formalium possunt esse productiones alterius rationis, & tamen producta vnius rationis, propter vnitatem termini formalis, scilicet naturæ, quæ communicatur. *Ad instantias ex secunda via.*

Cùm probatur [e] illa consequentia prima per proportionem, dico, quòd proportio illa productionis ad terminum formalem, est quòd per ipsam communicatur terminus formalis: sed non requiritur talis proportio, quòd productio sit vnius rationis, si terminus formalis sit vnius rationis; quia productiones possunt distingui per rationes suas formales aliter, quàm ex terminis formalibus, sicut hîc ex principiis formalibus.

Exemplum huius est; quia quandoque forma eadem potest acquiri mutationibus alterius rationis, sicut idem vbi per motum localem super magnitudinem rectam, & circularem: qui motus ita sunt alterius rationis, quòd non sunt comparabiles secundùm Philosophum 7. *Phys.* Ita esset, si eadem sanitas posset induci immediatè ab arte, & immediatè à natura. *Ad terminũ vnius rationis possunt esse productiones diuersæ. Text. 21. & inde.*

Cùm probatur illa consequentia, secundò per hoc, quòd productiones sunt eiusdem rationis cum productis. Dico, quòd quo ad hoc sunt eiusdem rationis, quia sicut productiones sunt relationes, ita producta sunt relatiua, sed producta sunt subsistentia in aliqua vna natura, & productiones formaliter non sunt supposita subsistentia in illa natura: ideò producta possunt habere vnitatem aliquam in natura formaliter communicata eis per productiones, quam non habent formaliter productiones.

Cùm arguitur tertiò de potentiarum distinctione, & obiectorum distinctorum, quòd similis est distinctio obiectorum ad potentias: patuit responsio *d. 2. p. 2. q.* 4. vtrùm in diuinis sint tantùm duæ productiones. 16. *An potentiæ distinguãtur per obiecta. Vide supr. d. 2. p. 2. q. 4.*

De tertia [f] via, scilicet de perfectione differentiæ specificæ, dico, quòd differentia specifica non est perfectior identitate specifica in diuinis, sed in creaturis est perfectionis. Posita enim limitatione creaturarum, non potest esse tota perfectio in creaturis absque distinctione specifica: sed si in aliqua vna natura esset perfectio infinita, ibi distinctio specifica non requireretur ad perfectionem simpliciter: in creaturis igitur differentia specifica est perfectio supplens imperfectionem. In diuinis autem, vbi vna natura est simpliciter perfecta, non oportet ponere ad talem perfectionem supplentem imperfectionem, quia nulla est imperfectio, quæ suppleatur. Exemplum, generatio in creaturis est perfectio supplens imperfectionem in corruptibilibus, quæ sine generatione non possent conseruari, nec idem numeraliter, nec idem specie: in diuinis autem non oportet ponere talem perfectionem supplentem imperfectionem aliquam, quæ sit ibi, nec in aliquo æterno. *Ad instant. tertiæ viæ. In diuinis identitas specifica melior est differẽtiâ specificâ, in creatis contra. Vt inquit Aug. 2. de Anim. c. 34.*

COMMENTARIVS.

1\. a AD *ista.* Dicit Doctor primò, quòd siue generatio ponatur æquiuoca, siue vniuoca ratio non infringitur, &c.

Generatio in diuinis nõ potest esse æquiuoca. Secundò dicit, quòd falsum est dicere generationem diuinam esse æquiuocam. Dicit enim Doctor, quòd generatio in diuinis est simpliciter vniuoca, non æquiuoca, aut denominatur talis à termino formali generationis, aut à formali proprio ipsi supposito producto, id est, aut denominatur talis à natura in supposito producto, qui est terminus formalis, aut à ratione suppositali constituente suppositum in *esse* simpliciter incommunicabili. Si

Si à natura, cùm eadem sit in Patre, & Filio; ergo generatio diuina erit vniuoca. Si à ratione suppositali, nulla generatio erit vniuoca: quia nullum genitum in sua forma indiuiduali assimilatur gignenti.

b *Hoc etiam arguitur alio modo*, &c. Hæc ratio patet in litera, & exposita est præsenti distinctione respondendo ad argumenta facta contra opinionem sancti Thomæ. Si enim diceretur talis, vel talis inquantùm est distinctiua, quælibet esset æquiuoca; quia quælibet distinguit, & patet litera.

2. *Ad argumenta igitur in oppositum*. Hîc respondet ad argumenta facta pro opinione tenentium generationem diuinam esse æquiuocam.

Ad primum: ex prima via præmittit aliqua. Primum, quòd in diuinis non est propriè nec genus, nec species, nec differentia specifica, vt infrà patebit *d.* 8. *q.* 2. Potest tamen poni ibi differentia quasi specifica, licèt non verè specifica; sicut dicimus, quòd paternitas magis differt à filiatione, quàm à paternitate. Secundum, quòd aliqua dicuntur magis distingui, quia media minùs conueniunt in aliquo genere: & sic homo, & albedo magis distinguuntur, quàm homo, & asinus, vel quàm Franciscus, & Ioannes, quia homo, & albedo in nullo genere conueniunt. Aliqua verò dicuntur magis distingui propter maiorem repugnantiam, vel incompossibilitatem, & sic homo, & asinus magis distinguuntur, quàm homo, & albedo: quia magis repugnant in eodem. Sed hoc modo non est propriè dictum aliqua magis distingui: propriè enim illa dicuntur magis distingui, quæ minùs in aliquo genere conueniunt: & ita distincta genere generalissimo plus distinguuntur, quàm contraria, quæ sunt eiusdem generis: licèt contraria magis repugnent. Tertium est, quòd vniuersaliter quanta est distinctio, id est, repugnantia constituentium, tanta est & constitutorum: quia si albedo, & nigredo sunt incompossibilia, & constituta per ea sunt incompossibilia; & ita est in proposito: quanta enim est incompossibilitas paternitatis, & filiationis, tanta est Patris, & Filij, ita quòd sicut paternitas non est filiatio, ita nec Pater est Filius.

Aliqua possunt dici magis distingui dupliciter.

Quartum, loquendo de distinctione propriè dicta, dico, quòd constituta minùs distinguuntur, quàm constituentia; quia constituentia minùs conueniunt in genere, & constituta magis conueniunt: patet, quia rationale, & irrationale non conueniunt quiditatiuè in genere, & tamen species constitutæ quiditatiuè conueniunt; sic est in proposito, quòd quamuis paternitas, & filiatio non conueniant quiditatiuè in aliqua natura: tamen Pater, & Filius quiditatiuè conueniunt in Deo: & sic paternitas, & filiatio magis distinguuntur, id est, minùs conueniunt, quàm Pater, & Filius. Et ex his patet responsio ad rationes factas pro prima via.

Pater & Filius quiditatiuè conueniunt in Deo.

3. d *Sed adhuc pondero argumentum*. Hîc Doctor intendit probare, quòd tanta differentia sit inter personas, quanta inter relationes constituentes; quia illæ relationes sunt subsistentes, & subsistentes sunt personæ diuinæ: ergo.

Secundò personæ diuinæ aliqua differentia formali differunt, & non nisi differentia illa, quæ est relationum, quia nullam aliam habent, & ista quæ est relationum est specifica: ergo.

Quomodo personæ diuinæ differant.

Ad ista respondeo. Ad has duas rationes respondet. Ad primam dicit, quòd licèt relationes sint subsistentes, & personæ per illas subsistant: vltra tamen illas relationes includunt naturam in qua subsistunt: & ideò ratione naturæ, magis conueniunt.

Ad secundam: dicit, quòd nō sequitur: istis præcisè personæ distinguuntur: ergo distinguuntur specie: non sequitur, quia si tantùm includerent relationes, benè sequeretur, sed vltra illas includunt naturam, in qua conueniunt, & patet instantia, quia Franciscus, & Ioannes præcisè distinguuntur per aliam, & aliam hæcceitatem, sed illæ hæcceitates sunt primò diuersa, scilicet in nullo quiditatiuè conuenientia: ergo Franciscus, & Ioannes sunt primò diuersa: non sequitur, quia Franciscus, & Ioannes vltra hæcceitates includunt naturam, in qua conueniunt quiditatiuè: sic in proposito.

c *Ad secundam viam de productionibus*. Doctor respondet ad rationem factam pro secunda via, & negat consequentiam: non enim sequitur: productiones distinguuntur specie: ergo & producta. Potest enim eadem natura ex sua maxima perfectione in se habere principia communicatiua alterius, & alterius rationis; puta intellectum, & voluntatem, & ita propter distinctionem principiorum formalium possunt esse productiones alterius rationis: & tamen producta erunt vnius rationis propter vnitatem termini formalis, scilicet naturæ, quæ communicatur. *Et cùm probatur consequentia prima per proportionem*. Dicit quòd *proportio illa productionis*, &c. *Quia productiones possunt distingui per rationes suas formales aliter, quàm ex terminis formalibus*, vt infrà patebit dist. 13. Exemplum huius est, quia quandoque forma eadem potest acquiri mutationibus alterius rationis, vt apparet 3. *Physic. text. comm.* 21. & hoc suprà declaratum est dist. 2. par. 2. 4.

Cùm probatur illa consequentia secunda, &c. Dicit quòd sunt eiusdem rationis quantùm ad hoc, quia sicut productiones sunt relationes, ita producta sunt relatiua, & hoc, tenendo personas constitui per relationes. Si verò teneatur, quòd personæ sint constitutæ per absoluta, simpliciter negatur ista propositio: productiones sunt eiusdem rationis cum productis.

Quomodo productiones sint eiusdē rationis cum productis.

f *De tertia via*. Patet litera, quia in creaturis differentia specifica non dicit perfectionem simpliciter; imò limitatam, sed dicit perfectionem supplentem imperfectionem, vt patet in litera. Et sic patet responsio ad omnes obiectiones pro generatione æquiuoca in diuinis.

Aduerte tamen, quòd Occham *in* 1. *dist.* 7. *q.* 1. respondet ad argumenta Doctoris. Primò ad illa, quibus probat quòd relatio non est ratio formalis producendi; & secundò ad illa, quibus probat quòd absolutum in Patre est ratio formalis generandi. Ad primum ergo primæ viæ dicit, quòd Spiritus sanctus æquè naturaliter, & æquè necessariò producitur sicut Filius, nec propter hoc dicitur Spiritus sanctus produci magis per modum voluntatis, quàm Filius. 5.

Occham in 1. *d.* 7. *q.* 1.

Sed ista responsio videtur esse contra Doctorem; quia Spiritus sanctus, vt inquit Augustinus, procedit à Patre, & Filio non quomodo natus, sed quomodo datus. Vbi vult ipse Augustinus, quòd Spiritus sanctus producatur per modum voluntatis, & quòd talis productio sit libera: sed de hoc magis patebit infrà *dist.* 10. Et fortè Occham hoc habet dicere: quia ipse expressè tenet, quòd intellectus, & voluntas, etiam in creaturis, nullo modo differunt ab inuicem: sed hoc pertractare non est

Responsio Occham non satisfacit.

præ

præsentis speculationis: hoc enim pertinet ad secundum librum *d.* 16. vbi quæritur, an potentiæ animæ differant ab ipsa anima, & à se inuicem.

6. *Idem Occhā.* Ad secundum argumentum dicit, quòd illa generatio non est totaliter relatio in Patre ad Filium, sicut nec creatio est aliqua relatio Dei ad creaturam: sed illa relatio diceret principaliter parternitatem, & Patrem, connotando ipsum Filium: sicut creare dicit principaliter ipsum Deum, connotando creaturam, cuius *esse* sequitur ad *esse* Dei.

Reiicitur eius responsio. Dico primò, quòd non est simile de creatione, & generatione, quia impossibile est Deum referri relatione reali ad creaturam, vt patet à Doctore infrà, *d.* 30. in diuinis autem generans relatione reali refertur ad genitum.

Dico secundò, quòd posito quòd Deus possit referri relatione reali ad creaturam, qua formaliter diceretur creans, illa relatio esset de necessitate elicita à principio formali creandi. Sic in proposito, cùm semper generans vniuocè per generationem actiuam, formaliter in ipso existentem, attingat ipsum genitum, & sit via in genitum, & terminetur ad ipsum, non poterit poni ratio formalis generationis; sed aliquid aliud erit ratio formalis; aliter idem esset principium sui.

7. *Idē Occham.* Ad tertium dicit Occham, quòd hoc argumentum Doctoris minùs valet: & tota responsio Occham stat in hoc, quòd in diuinis non potest dici perfectius, & imperfectius: nec vna relatio perfectio alia propter realem identitatem cum Deo.

Nō satisfacit responsio Occham. Sed hæc responsio non tantum valet, quia etsi omnia in diuinis sint vna res, & per consequens nihil sit perfectius alio realiter, multa tamen in diuinis ex sua ratione formali dicunt perfectionem simpliciter, & formaliter distinctam ab alia perfectione: vt infrà patebit *distinct.* 8. *quæst.* 3. vbi probatur, quòd attributa in diuinis differunt formaliter, & tamen quodlibet dicit perfectionem simpliciter, vt ibi patebit. Et aliqua sunt, quæ ex sua ratione formali non dicunt aliquam perfectionem, nec imperfectionem, vt relationes in diuinis.

Dico vltrà, quòd si (per impossibile) poneretur, quòd lapis esset ratio formalis producendi hominem, esset tantæ perfectionis, quantæ est homo: licèt ergo paternitas ex sua ratione formali non dicat perfectionem, neque imperfectionem: si tamen poneretur ratio formalis producendi Filium, de necessitate esset tantæ perfectionis, quantæ terminus formalis communicatus per talem productionem. Et sic patet, quòd responsio Occham non infringit rationem Doctoris.

Ad aliud de secunda via, quo probat Doctor, quòd ratio formalis generandi est aliquod absolutum: dicit Occham, quòd si vnus Deus generaret alium Deum; tunc Deitas esset ratio generandi; quia nulla foret relatio talis, quæ posset esse ratio generandi: si tamen esset ibi relatio eadem realiter cum essentia, posset concedi, quòd tam essentia, quàm relatio foret ratio generandi. *Idē Occham.*

Sed hæc responsio non euacuat rationem Doctoris, vt patet ex suprà declaratis in illa ratione, nec oportet hîc aliter insistere. Et sic patet quomodo responsiones Occham parum valent contra rationes Doctoris. *Eius responsio euacuatur.*

SCHOLIVM.

Probato quòd potentia generandi sumpta pro fundamento relationis generatiui sit absolutum, quod declarauit esse memoriam fœcundam, (id est, intellectum, & essentiam diuinam perfectè ei præsentem) sup. d. 2. q. 3. & 2. d. 1. q. 1. & quodl. 2. nunc ostendit, quòd potentia generandi connotat actum vt egredientem ab eodem supposito, cui attribuitur; quia construitur cum gerundiuo generandi, *& ideò negandas docet, istas. filius habet scientiam, vel voluntatem generandi, & soluit argumenta principalia, dando notabiles explicationes, ad varia, & solemnia axiomata.*

AD formam [a] autem quæstionis, quâ quæritur de potentia generandi, an sit aliquid absolutum. Respondeo, gerundiuum constructum cum *potentia*, notat actum vt egredientem ab eodem supposito, cui attribuitur potentia, similiter est de *scientia*, & *voluntate*, quando construuntur cum gerundiuo, notant actum vt egredientem, vel potentem egredi ab illo supposito, cui attribuitur scientia, vel voluntas: propter quod non ita concederetur ista, *Filius habet scientiam, vel voluntatem generandi*, quo modo concederetur illa, *Filius scit generationem Patris, vel vult eam:* imò videntur illæ negandæ, sicut istæ, *Filius scit generare*, & *vult generare*, quia idem videtur velle agere, & habere voluntatem agendi; sed non idem istis videtur esse, velle actionem, quia hæc non includit eam velle vt actionem voluntatis, quod alia videntur significare. 17.

Ad argumenta [b]. Primò ad principalia, primò ad Augustinum, dico, quòd intelligit *eo* formaliter, non *eo* fundamentaliter, seu causaliter. 18.

Exemplum, dicimus quòd Socrates est similis similitudine formaliter, sed dicitur similis albedine fundamentaliter, seu causaliter. Ita in proposito, Pater generat, generatione formaliter, sed hoc modo non quærimus hîc, quo generat, sed quærimus hîc, quo generatio elicitur, vt principio formali elicitiuo, quòd scilicet sit fundamentum proximum istius relationis. Intendit igitur Augustinus quòd *eo est Pater, quo ei Filius*, id est. illa notione, hoc est, quòd Pater non dicitur ad se Pater, sed ad Filium: non autem intelligit ibi, quo Pater sit Pater, siue generet vt principio elicitiuo generationis, sicut patet ibi ex litera sua. *Explicatur id Aug. eo est Pater, quo est Filius.*

Ad secundum dico [c], quòd duplex potest intelligi communicabilitas formæ, vna, quæ *Ad arg. 2.*

quæ est vniuersalis, quæ est per identitatem ad multa inferiora, quorum quodlibet est ipsum, sicut vniuersale communicatur singularibus; alia, quæ est ad multa, quorum quodlibet est ipso, sicut forma communicatur materiæ, sed non est ipsum, sicut dictum est de duplici communicatione formæ *d.2 q.4.* Tunc dico, quòd à forma communi primo modo est operatio communis; quia si formam aliquam in vniuersali acceptam, consequatur aliqua operatio in vniuersali, quamlibet formam singularem sub illa consequitur operatio singularis eiusdem rationis, nisi aliqua forma singularis sit imperfecta. Si autem loquamur de secunda communitate, quæ est formæ respectu participantium ipsam; dico, quòd non oportet, quòd forma communis sit principium operationis communis, & maximè quando habetur à pluribus suppositis secundùm ordinem, ita quòd vni communicatur ab alio, & hoc communicatione adæquata: sicut fuit declaratum in exemplo adducto in prima ratione ad partem affirmatiuam quæstionis.

Forma communis quãdo est principium operationis cõmunis, & quãdo non?

19. Ad propositum dico, quòd maior est falsa, operatio propria est à forma propria, loquendo de appropriatione secundo modo, qualis est appropriatio ista, vel saltem non alia potest intelligi in proposito. Et cùm probatur prima propositio primò, quia propria forma dat *esse*: ergo dat *agere*: nego consequentiam: multæ enim sunt formæ dantes *esse*, quæ non sunt actiuæ, & ita nullo modo dant actum secundum: & talis est Paternitas sicut & Filiatio. Quæ autem sit ratio quare quædam formæ sunt actiuæ, & quædam non, difficilè est assignare rationem communem; quia aliquæ formæ substantiales sunt actiuæ, aliquæ autem formæ substantiales non sunt actiuæ; & aliquæ qualitates non sunt actiuæ: & tamen plus conueniunt qualitates, & qualitates in aliquo conceptu communi, quàm qualitates & substantiæ. Similiter aliquæ formæ substantiales imperfectiores sunt actiuæ, sicut elementares, & perfectiores non sunt actiuæ, sicut mixtorum, sicut forma lapidis, & aliorum inanimatorum: aliquæ etiam mixtorum perfectorum sunt communicatiuæ sicut animatorum, aliquæ tamen perfectiores non sunt communicatiuæ sui, sicut formæ corporum cœlestium, & formæ Angelicæ. Non igitur videtur ratio, quare aliquæ formæ in communi sunt actiuæ, & aliquæ non: sicut in speciali non videtur aliqua ratio, quare calor est calefactiuus, nisi quia calor est calor: & ita videtur, quòd hæc sit immediata, calor est caloris effectiuus: ita etiam videtur, quòd omnes formæ de genere quantitatis, & omnes relationes, de quibus est modò sermo, non sunt actiuæ, & de omnibus talibus non valet, si dant actum primum, ergo & secundum.

Operatio propria in patre, est à forma communi.

Quare quædam formæ sunt actiuæ, & aliæ perfectiores nõ actiuæ: nulla occurrit ratio nisi quòd ista sunt ista, & illa illa.

Cùm probatur [d] secundò consequentia per Philosophum *2. Physic.* & *5. Metaph.* dico, quòd loquitur de vniuersali, & particulari, loquendo primo modo de communi: non autem accipiendo secundo modo, scilicet prout eadem forma numero est communis participantibus eam: ista enim communitas non est in creaturis, sed communitas vniuersalis ad participantia sine communitate vniuersalis primo modo dictâ.

20. *Ad 3.* Ad tertium, cùm arguitur de medio, & extremis, dico, quòd quoddam est medium per participationem vtriusque extremi sicut fuscum, quod est medium inter album, & nigrum, quod est medium ex natura rei: & de tali verum est, quòd est in eodem genere cum extremis, sicut probat Philosophus 10. *Metaph.* Aliud est medium aliquo alio modo accidentaliter sumptum, sicut operatio inter operans, & terminum; istud non oportet esse eiusdem generis cum extremis: quia quando anima intelligit se, intellectio eius est qualitas, & tamen operans, & obiectum sunt substantiæ: tale autem medium accipitur in proposito, videlicet ipsum *quo* inter suppositum generans, & generatum. Vel potest dici, quòd ipsum *quo* non est medium propriè, sed tenet se ex parte alterius extremi, scilicet generantis: proprium autem medium (si quod detur) potest dici generatio, & de illa verum est, quod est eiusdem rationis cum extremis; quia ipsa est relatio, sicut extrema sunt relatiua.

Text. 22. *Medium participans extrema est in eodẽ genere cum illis: secus de alio medio.*

21. *Ad 4.* Ad quartum de potentia & actu; dico, quòd æquiuocatur de potentia: vera est enim maior, vt potentia est differentia entis condiuidens ens contra actum; quia sic ens in communi non tantùm diuiditur per actum, & potentiam, sed etiam quodcunque genus entis, & quæcunque species, & indiuiduum; quia sic eadem albedo est in potentia, & postea in actu. Et hoc modo ad idem genus pertinent actus & potentia: hoc modo propriè loquendo non est potentia generandi in diuinis, propriè, scilicet quæ opponatur actui, quia illa generatio est simpliciter in actu, & necessaria: & ideò non est in potentia, vt potentia repugnat actui. Sed hîc est sermo de potentia, vt est principium: & hoc modo ista propositio est falsa, quæ dicit, quòd potentia est eiusdem generis cum actu: potest enim forma substantialis esse principium actionis de genere actionis, & Actionis de genere Qualitatis, sicut tactum est suprà *d.3.q* de notitia genita, quòd subiectum est per se causa propriæ passionis.

Actus, & potẽtia sunt eiusdem generis, explicatur.

COM

COMMENTARIVS.

1. a AD formam autem quaestionis. Hîc Doctor duo dicit. Primum, quòd potentia generandi, loquendo de fundamento proximo relationis, est quid absolutum, & hoc probatum est suprà per duas rationes. Et quid sit illud absolutum suprà declarauit *dist. 2. part. 2. quæst. 3.* quòd est memoria fœcunda Patris, quæ memoria duo includit, scilicet intellectum, & essentiam diuinam, vt perfectè præsentem in ratione obiecti intelligibilis: hoc idem expresè declarat *in 2. dist. 1. quæst. 1. & in quodlib. quæst. 2.* Secundum est, quòd potentia generandi notat actum, vt egredientem ab eodem supposito, cui attribuitur potentia, & dicitur per hoc notare talem actum: quia *potentia* construitur cum gerundiuo, cùm dico *potentia generandi:* dicit Doctor quòd licèt in Filio sit simpliciter eadem memoria, quæ & in Patre, in Filio tamen nulla est potentia generandi, quia si Filius haberet memoriam fœcundam, vt potentiam generandi, tunc posset generare: in solo ergo Patre memoria fœcunda est potentia generandi.

2. *Petrus Aureolus.* Contra primum arguit Aureolus, & probat, quòd in Patre nulla est potentia verè productiua, vel elicitiua, qua generat, vel possit generare Filium, sed potentia quâ dicitur posse generare, est solummodo actualis connexio, & non repugnantia terminorum, sicut & potentia, quâ Deus potest esse Deus, & sic non est aliud potentia generandi in Patre, quàm potentia, quâ Pater potest esse Pater, & quòd potentia generandi in Patre non significet aliquod principium productiuum in Patre respectu Filij. Probatur multipliciter.

Primò, vbi est principium productiuum, siue elicitiuum, ibi est productio elicita; sed in Deo non est productio elicita: ergo.

Secundò sic, posse esse Patrem non est potentia productiua, sed est posse connexionis necessariæ eo modo, quo homo potest esse animal: quia si talis potentia esset productiua, etiam Pater in diuinis produceretur in esse Patris, quod est falsum. Sed eadem est potentia, quâ Pater potest generare, & qua Pater potest esse: sicut est idem actus generare, & paternitas: sicut etiam dicit Magister, quòd istæ sunt idem, Pater potest esse Pater, & Pater potest generare. Sed Filius non potest esse Pater, & Filius non potest generare.

Tertiò, Si potentia generandi est potentia productiua, aliqua perfectio simpliciter esset in Patre, quæ non esset in Filio: ergo.

3. Quartò, Cuius negatio non est negatio potentiæ, ipsum non est formaliter potentia, sed secundùm Augustinum negatio potentiæ generatiuæ non est negatio potentiæ, sed tantùm possibilitatis terminorum: ait enim contra Maximinum *lib. 3.* quòd *Filius non genuit, non quia non potuit, sed quia non oportuit,* quod exponens Magister dicit: *Expositio Magistri.* non quia non potuit, id est, non ex aliqua impotentia fuit, & per consequens negatio potentiæ generatiuæ non est negatio potentiæ.

Quintò in Patre non potest poni aliqua potentia productiua respectu sui formalis constitutiui, aliàs produceret in *esse* Patris; sed *generare* est formale constitutiuum Patris: ergo respectu *generare* nulla est in eo potentia productiua.

Sextò, Nulla potentia productiua recipit actum in se, sed ab ea egreditur actus; sed *generare* non egreditur à Patre: patet, quia ipsum constituit.

Septimò, Si in Patre est aliquod formale principium productiuum, illud non erit paternitas, quia paternitas, & *generare* idem sunt realiter. Nec erit persona tota, quia tunc *generare* egrederetur à persona, & esset aliud realiter ab ea. Nec essentia, quia actus generationis egrederetur ab ea, & esset aliud realiter ab eo, cùm nihil egrediatur à se. hæc Petrus Aureolus. *Quomodo paternitas & generare idē sint realiter.*

4. *Greg. de Arimin. ad rationes Aureoli.* Ad istas rationes respondet Gregorius Ariminensis *in 1. dist. 7. q. vnica.* Ad primam dicit, quòd vel per productionem intelligitur ipsum productum: sicut in creaturis res, quæ producitur, dicitur productio; & tunc ista est falsa, quòd in Deo non sit productio elicita. Vel intelligit per productionem ipsum producens, vel eius habitudinem ad productum, & tunc ista est falsa: vbi est principium elicitiuum, ibi est productio elicita; aliàs potentia creatiua non esset productiua, cùm nec creans, vel eius habitudo ad creaturã sit verè producta. Vel intelligit quandam rem mediam distinctam tam à producente, quàm à producto: & adhuc ista est falsa; & patet instantia de potentia creatiua, quia inter ipsam, & creaturam non est aliqua res media producta.

Ad secundam dicit Gregorius quòd si valeret, æquè probaretur quòd potentia creatiua Dei non esset productiua, quod est falsum apud omnes. Arguam enim sic: posse esse creatorem non est posse esse potentia productiua, aliàs Deus produceret in *esse* creatoris: sed est eadem potentia, qua Deus producere, & qua potest esse creator: sicut idem est Deum creare, & Deum esse creatorem; ergo potentia creatiua non esset pro ductiua, quod est falsum.

Respondet ergo Gregorius ad illam rationem, cùm dicitur: posse esse Patrem non est posse potentia productiua. Hoc nomen *Pater* aliquando est nomen hypostasis, aliquando proprietatis. Primo modo esse Patrem est *esse* personæ, quæ producit Filium: alio modo est Filium generare: hæc multum differunt. Nam primo modo concedimus Deitatem esse Patrem: non autem secundo modo. Primo modo dico, quòd posse esse Patrem non est posse potentia productiua: sed secundo modo posse esse Patrem est posse potentiæ productiuæ; sicut enim per productiuam potentiam Pater potest Filium producere, & eius esse principium: sic per eandem potest esse Pater, cùm non sit aliud primam personam esse Patrem, quàm ipsum Filium gignere. 5.

Et cùm dicitur, quòd tunc Pater producitur ex se in esse Patrem. Negatur consequentia: instantia patet de posse, & esse creatorem. Vnde sicut posse esse creatorem non est posse producere creatorem, &c. Et ad Magistrum dicitur, quòd accipit ibi nomen *Patris*, vt est nomen proprietatis.

Ad tertium dicit Gregorius quòd si accipiatur perfectio simpliciter, vt est significabile incomplexè, nulla est perfectio simpliciter, nisi Deus. Et sic principium productiuum Filij est perfectio simpliciter, quod & ipse Aureolus habet concedere: nisi velit dicere, aut Patrem non producere Filium, aut Patrem non esse Deum, & sic patet argumentum esse contra Aureolum, scilicet quòd aliqua perfectio simpliciter deest Filio. Vel intelligit aliquod significabile tantùm complexè, sicut si dicatur, quòd esse sapientem est perfectio simpliciter. Et sic cùm dicitur, quòd potentia 6.

productiua Filij est perfectio simpliciter:idem est ac si diceretur posse producere Filium est perfectio simpliciter,& sic argumentum reducitur contra Aureolum. Nam si posse producere creaturam esset perfectionis simpliciter, ex hoc sequitur per locum à minori,quòd posse producere creatorem esset perfectionis simpliciter.

Respondet ergo ad argumentum Aureoli, dicens,si primo modo accipiatur perfectio,tunc potentia productiua Filij esset perfectio simpliciter, quia ipse Pater est perfectio simpliciter,& tamen Filius non est minùs perfectus,quia licèt ipse non sit Pater,est tamen id ipsum,& est eadem bonitas, quæ est ipse Pater.Si verò accipiatur secundo modo,sic posse producere Filium non esset perfectionis simpliciter:sicut nec posse producere creaturam est perfectionis simpliciter.

7. Ad quartum dicit Gregorius quòd minor est falsa,accipiendo potentiam pro principio productiuo, & ideò non sequitur, tenendo expositionem Magistri, scilicet *non quia non potuit, id est, non fuit ex impotentia*, ac si dicatur, non quia impotens fuit. Sed non sequitur non fuit impotens, ergo potuit, vel fuit potens producere Filium. Sicut non sequitur,iste puer non est iniustus,ergo est iustus.

Ad quintum dicit Gregorius quòd non sequitur,in Patre non est potentia productiua respectu *generare*; ergo in eo non est potentia productiua', nisi per *generare* intelligás, ipsum genitum: nam cum hoc, quòd in Patre non est potentia productiua respectu alicuius,quod est in eo, benè tamen stat,quòd in eo sit potentia productiua respectu Filij.

Ad sextum,& septimum simul respondet,quòd à potentia productiua nihil egreditur, nisi, quod ab eo producitur. Et ideò si per *generare* intelligas ipsum productum,*generare* egreditur à potentia productiua, quæ est ipse Pater; si verò per *generare* intelligit aliquid aliud,non valet consequentia, quòd si respectu illius non sit potentia productiua in Patre: ergo absolutè non sit in ea potentia productiua: hæc Gregorius. Et licèt istæ responsiones videantur euadere rationes Aureoli, sustinendo viam Gregorij, qui tenet expresse quòd idem sit principium *quod* producens, & principium *quo*, siue (quod idem est simpliciter) Patrem generare, & Patrem esse potentiam generandi, vt patet ab ipso Gregorio *præsenti dist.*

8. *Responsio ad Aureolum secundùm viã Scot.* Sustinendo tamen opinionem Scoti aliter respondeo ad rationes Aureoli. Et priùs præmitto aliqua,ex quibus statim patebit responsio.Et primò præmitto,quòd in quocunque producente est reperire rationem formalem producendi & conditionem producentis: ita quòd ratio formalis dicitur principium, quo producens producit, & conditio producentis constituit ipsum producens, vt dicatur principium *quod*, & hoc satis suprà patuit *præsenti dist.& dist.1.quæst.2.& dist.3. quæst.6.*

Secundò præmitto,quòd,'etsi in creaturis ratio formalis producendi, siue principium generandi (quod idem est realiter,& essentialiter)distinguatur à producto, propter hoc, quia eadem natura numero non potest simul esse in pluribus suppositis. In diuinis tamen principium formale productiuum non distinguitur realiter à producto, vt patet, quia sustinendo opinionem Doctoris,quòd memoria fœcunda sit principium productiuum Filij, siue potentia generandi, est eadem realiter, & essentialiter cum Filio producto:licèt ex natura rei, & fortè formaliter distinguatur ab illo: & sic non est necesse principium elicitiuum, siue productiuum in diuinis esse realiter distinctum à producto, sed sufficit quòd producens, cui tale principium productiuum est potentia producendi, sit realiter distinctum à producto, vt suprà exposui *præsenti dist.& dist.4.quæst.2.* *Memoria fœcũda,est principium productionum Filij.*

Tertiò præmitto, quòd aliud est aliquid esse principium elicitiuum alicuius productionis,siue esse rationem formalem eliciendi aliquem actum, & aliud est esse principium *quod* producens. Exemplum. generatio actiua dicitur actus productiuus, siue generatiuus eo modo, quo suprà exposui. Si comparetur ad potentiam generandi, potest dici quasi elicita à tali potentia, quia etsi non distinguatur realiter puta à memoria fœcunda,quæ est potentia generandi:distinguitur tamen ex natura rei, & formaliter, & ideò potest dici actus quasi elicitus.Et hoc patet expresse à Doctore *q.4.quodl.* Si verò comparetur ad suppositum,generans non dicitur actus elicitus à tali supposito: patet, quia ipsum constituit. Istis ergo præmissis, patet responsio ad rationes Aureoli.

Ad primum: quando dicitur, vbi est potentia generandi,ibi est generatio elicita.Si intelligatur *generatio* pro genito, patet quòd genitum est verè productum à Patre. Si verò intelligatur pro ipsa generatione,dico,quòd etsi generatio non sit elicita à Patre,cùm ipsum constituat: dicitur tamen quasi elicita à potentia generandi,quæ est memoria fœcunda,& hoc sufficit. 9.

Ad secundum:negatur ista,quòd eadem sit potentia,qua Pater potest generare,& qua Pater potest esse Pater,quia memoria fœcunda,vt potentia generandi,siue principio formali Pater potest generare, & paternitate potest esse Pater, quia *non eodẽ Pater est Deus,quo est Pater*, vt inquit Augustinus. Deitate enim est Deus, & paternitate Pater. Et quod dicit de Magistro, quòd idem est Patrem esse Patrem & Patrem generare,concedo hoc esse verum,vt ly *Pater* accipitur adiectiuè, quod idem est, quòd generare,siue genuisse, quod suprà patuit *dist.5.quæst.1.*

Dico etiam,quòd ista multum differunt, Pater potest generare, & potentia generandi. Per primum notatur principium *quod* generans, siue potens generare,& per secundum notatur ratio formalis generandi.

Ad tertium dico, quòd potentia generandi potest dupliciter accipi.Vno modo formaliter, vt est quædam relatio. Alio modo fundamentaliter, vt est quoddam absolutum, quod est fundamentum proximum talis generationis. Primo modo potentia generandi in diuinis nullam perfectionem dicit, nec imperfectionem. Secundo modo dicit perfectionem simpliciter, quia vt sic,potentia generandi est intellectus, & essentia, & hæc eadem perfectio, quæ est in Patre,est etiam in Filio,sed vt in Patre est ratio formalis generandi,in Filio autem non,& quomodo hoc,patebit respondendo ad argumenta principalia Doctoris. 10. *Potentia generandi formaliter & fundamentaliter.*

Ad quartum patet responsio:quia ly *non potuit*, accipitur ab Augustino & à Magistro,vt nominat impotentiam, quæ notat imperfectionem. Dico enim quòd quicquid perfectionis est in potentia generandi in Patre, illud idem est in Filio; si enim eadem memoria fœcunda, quæ est in Filio,non præintelligeretur habere terminum

adæquatum,

adæquatum, ita ipsi Filio esset potentia generandi, sicut & Patri.

Ad quintum, patet responsio ex supradictis, quia si accipiatur *generatio* pro producto, patet quòd non est necesse ipsum distingui realiter à potentia generandi, siue à principio formali productiuo *quo*, sed sufficit quòd realiter distinguatur ab ipso producente. Si verò accipiatur pro generatione ipsa actiua, dico, quòd est quasi elicita à potentia generandi, & distinguitur ex natura rei, & formaliter ab illa. Sed potentia productiua non est ipse Pater, ideò non sequitur, quod ipse dicit. nam ipsa generatio, vt comparatur Patri non est actus elicitus ipsius Patris, quia cōstituit Patrem.

Ad sextum, & septimum, patet responsio ex supradictis.

11. *Greg. vbi suprà.* Quia tamen dixi, quòd necesse est in Patre distinguere principium *quo*, & *quod*, quia memoria fœcunda est principium *quo* generandi, & Pater est principium *quod*, vt allegauit Doctorem Gregorius vbi suprà, probat, quòd ibi non est aliquod principium *quo*, aliud à principio quod producit. Et arguit sic: Si enim sit aliquod principium quo producens producit, & aliud principium *quod* ipsum producens, iam non à se ipso primò producit, sed alio principio. Si enim non produceret se ipso primò, cùm per se producat, produceret per se primò per aliquod sui, & tunc, aut per aliquod extrinsecum, aut intrinsecum. Non primò, quia nihil tale est in diuinis. Non secundò, quia tunc includeret in se aliquam entitatem, & per consequens in Patre ad minùs essent plures entitates, quod est impossibile, cùm sit infinitæ simplicitatis.

Secundò arguit: Si Pater per aliud à se aliquo modo produceret, tanquam principio *quo*, esset aliquo modo illud tale causa Patris. Probatur, quia omne quod agit per aliquid agit, vt aliquo modo habet *esse*, vel tale *esse* per illud: nam principium *quo* est forma constituens, vel perficiens ipsum principium *quod*.

Tertiò: Si aliqua forma simplex substantialis, vel accidentalis per se separata à diuina virtute ipsa se ipsa prima ageret, & non aliquo alio principio *quo*: ergo similiter in proposito.

Idem Greg. Deinde Gregorius in speciali arguit, probando quòd essentia non sit principium *quo* generandi, quia omne principium generandi est realiter distinctum à generatione, vel à generato; patet ista, quia omne principium distinguitur ab eo, cuius est principium; sed essentia diuina non sic distinguitur, nec à generatione, nec à genito.

12. *Thom. respondet.* Ad hanc rationem dicitur à S. Thoma *in 1. dist.* 7. quòd principium *quod* distinguitur à principiato, non autem principium *quo*. Et in hoc Thomas concordat cum Scoto.

D. Thom. concordat cum Scoto. nota & bene. Contra hanc responsionem arguit Gregorius dicens: Si hoc esset verum, non magis principium *quo* esset principium principiati, quàm è cōuerso. verbi gratiâ, in proposito essentia diuina non magis esset principium *quo* generationis, vel geniti, quàm è conuerso, genitum, vel generatio esset principium eius: similiter essentia ita esset principium essentiæ, sicut generationis: ex quo tale principium à principiato non distinguitur, sed est ipsum. Hoc autem nullus diceret, nisi vocabulis abuteretur.

Confirmatur. Quia principium, inquantum principium, est principium alterius, & non sui, vt patet 1. *Phys. t. c.* 8. ideò dicitur ibi, quòd si tantùm vnum est, principium non est, vel igitur principium *quo* non est principium, vel est distinctum ab eo, cuius est principium.

Item, sic arguit: Si essentia esset principium generationis, vel Filij, essentia diceretur relatiuè principium ad illam, vel illum. Patet consequentia, quia principium, inquantum principium, esset aliquid.

Ad hanc rationem dicitur à Scoto *præsenti dist.* quòd vbi principium non distinguitur à producto, ibi inter illa non est realis relatio: vbi verò distinguitur, relatio est realis: licèt autem in creaturis semper principium *quo* sit realiter distinctum à producto, & per consequens realiter referantur ad inuicem: in diuinis tamen non est realis distinctio inter illa, vnde nec realis relatio, sed rationis tantùm. *Scot. respondet.*

Dicit Gregorius quòd hæc solutio Scoti nulla est, primò, quia dicit incompossibilia, scilicet aliquod esse principium alicuius, & tale non distingui ab illo, vt patuit *primo Phys. t. c.* 8. Secundò, quia si non exigitur realis distinctio, quid prohiberet relationem, vt relatio est esse principium *quo* generationis, vt est actio, vel productio, & esse tamen indistinctam ab ea realiter? & cum hoc (vt suprà patet) impugnauit. Quod etiam dicit non esse relationem, nisi rationis, nihil est: nam quod extra animam est, est principium extra animam, & non secundùm rationem, est tantùm ad aliquid: si ergo essentia non realiter referatur, nec realiter est principium. Hæc Gregorius. *Instat Greg.*

Respondendo ad primum, quo probat de *quo*, & *quod*, dico, quòd in parte sunt duæ entitates ex natura rei, & formaliter distinctæ: non tamen realiter, nec essentialiter, vt suprà patuit *dist.* 2. *part.* 1. & illæ non faciunt aliquam compositionem, vt suprà patuit *dist.* 5. *quæst.* 1. & magis infrà patebit *dist.* 26. Tum, quia paternitas non est actus perficiens essentiam, siue informans: sed magis est actus, quo suppositum subsistit in natura diuina, Tum, quia propter infinitatem, & simplicitatem essentiæ diuinæ, transit in perfectam identitatem realem in essentiam diuinam, & ita persona Patris constituta ex paternitate, & essentia, tanquam ex duobus constitutiuis formaliter distinctis, est ita perfectè simplex sicut & essentia. 13. *Solutio Greg.*

Ad secundum, concedo quòd principium quo constituit ipsum Patrem, est illud, quo Pater est, non quo Pater est Pater, Pater enim verè constituitur ex essentia, & paternitate.

Ad tertium dico, quòd si daretur forma simplex separata, adhuc esset distinguere, *quo*, & *quod*, patet de intelligentia, quæ est forma simplex, in qua natura est principium *quo*, & *quod*: ipsa enim natura, vt aliquo modo prior singularitate dicitur princium *quo*, & constitutum ex natura, & proprietate indiuiduali, siue suppositali, est principium *quod*, & similiter si calor esset separatus, & posset calefacere, in ipso distingueretur principium, *quod*, & *quo*, quia natura caloris, siue quiditas, esset principium *quo*, & constitutum ex tali quiditate, & hæcceitate, dicere principium *quod*. Sic dico in proposito de Patre.

Ad primam rationem, qua probat Gregorius quòd essentia non sit principium generandi, &c. Patet responsio ex his, quæ dixi in secundo præsupposito, respondendo ad rationes Aureoli, quæ responsio in re est eadem cum illa sancti Thomæ. 14.

Ad illud, quod dicit contra responsionem sancti Thomæ, dico, quòd esset difficile tenenti viam

Thomæ soluere hoc argumentum, quia si inter essentiam, & relationem nulla est distinctio ex natura rei, siue inter essentiam, & personam productam, non magis essentia diceretur principium, quàm persona producta, sed tenenti viam Scoti facilis est responsio, quia ipse vult expressè, quòd relatio originis sit non idem formaliter essentiæ diuinæ, vt suprà patuit *dist. 2. part. 2. q. 1.* Imò vult expressè, quòd distinguatur formaliter, vt patet infrà *dist. 8. quæst. 3.* persona verò constituta, & si fortè non distinguatur formaliter ab essentia diuina, quia includit illam in sua quiditate: tamen essentia diuina diceretur distingui formaliter à persona, quia ipsa non includit personam quiditatiuè. Et de huiusmodi distinctione formali satis dixi *in dist. 2. part. 2. quæst. 1.*

Relatio originis est non idē formaliter essētia diuina, imò est ab essentia diuina distincta formaliter.

Ad confirmationem, quando dicit principium inquantum principium est alterius principium, dico, quòd si accipiatur principium pro principio *quod*, quòd illud est alterius principiati realiter distincti, & sic Pater est principium *quod* respectu Filij in diuinis. Si verò accipiatur pro principio *quo*, concedo, quòd in creaturis est alterius realiter distincti, sed in Deo adhuc distinguo: aut enim principium *quo* comparatur ad terminum formalem productionis; aut ad terminum totalem productum. Primo modo non est alterius, nisi vt tantùm ratione distincti, quia essentia diuina, vt in Patre est principium *quo* communicandi se ipsam Filio, vt terminum formalem productionis, & sic ipsa essentia communicata tantùm distinguitur ratione à se ipsa, vt in Filio. Secundo modo est alterius distincti, saltem ex natura rei, & formaliter, licèt nullo modo realiter.

15. Ad aliud quando dicit, quòd tunc essentia diceretur relatiuè ad productum, patet responsio per Scotum. Et cùm dicit, quòd solutio Doctoris nulla est. Dico, quòd Doctor non negat, quòd principium alicuius non distinguatur ab illo, loquendo de principio *quod*; si verò loquatur de principio *quo*, dic vt suprà dixi. Et cùm dicit vltrà, quòd si non exigitur realis distinctio, relatio posset esse principium *quo*: hoc satis suprà improbatum est, quomodo nulla relatio potest esse ratio formalis producendi. Et quod dicit quòd tale principium *quo* est extra animam, conceditur. Et cùm infertur, si ergo essentia non referatur realiter, non erit realiter principium. Dico quòd esse realiter principium *quod* infert inferri realiter, sed non sequitur de principio *quo*. Et sic patet responsio ad Gregorium.

Essentia est principium quo, nō quod.

16. b *Ad argumenta principalia.* Ad primum respondet Doctor quòd ly *eo* debet intelligi formaliter, sicut dicimus, quòd Franciscus est similis Ioanni similitudine formaliter, sed albedine fundamentaliter. Sic Pater generat generatione formaliter, sed fundamentaliter memoria fœcunda, vt suprà expositum est.

Forma dicitur communicabilis dupliciter.

Respondet Doctor in ista responsione, aliqua dicit. Primò, quòd forma dicitur communicabilis dupliciter. Vno modo, vt est vniuersalis ad multa inferiora, quorum quodlibet sit ipsum, sicut vniuersale communicatur singularibus. Alio modo forma dicitur communicari pluribus, ita quòd quodlibet sit ipso, & non ipsum, sicut forma communicatur materiæ; nec dicimus, quòd materia sit forma ignis, sed sicut cùm dicimus anima communicatur corpori, & tamen corpus non est anima, sed dicitur animatum ipsa anima. Secundò dicit, quod à forma communi primo modo est effectus in communi, quia si formam aliquam in vniuersali acceptam consequatur aliqua operatio in vniuersali, quamlibet formam singularem sub illa sequitur operatio singularis eiusdem rationis, nisi aliqua forma singularis sit imperfecta, sicut animal in communi consequitur ista operatio, quod est sentire in communi, sic hoc animal (si non est imperfectum) consequitur sentire eiusdem rationis. Non tamen intelligas, quòd causa in communi producat aliquem effectum in communi. Tum, quia actiones sunt circa singularia, *ex proœmio Metaphysicæ.* Tum, quia in causa duo requiruntur, scilicet ratio formalis causandi, & conditio agentis, quæ est singularitas, vt suprà patuit.

Debet ergo sic intelligi, quòd sicut propria passio inest singularibus per rationem alicuius communis, cui primò inest: vt patet primo Poster. Et hæc propria passio singularis inest huic singulari per rationem propriam illius singularis: sicut effectus communis, qui natus est consequi talem formam communem, dicitur prius esse à tali natura communi. Tertiò dicit Doctor quòd si loquamur de secunda communitate, quæ est formæ respectu participantium ipsam, non oportet quòd talis forma sit principium operationis communis: maximè quando habetur à pluribus suppositis secundùm ordinem, ita quòd vni communicatur ab alio: & hoc communicatione adæquata. Et sic ista est falsa, quòd operatio propria sit à forma propria, quia operatio propria, vt generare in Patre, potest esse à forma communi, loquendo de communitate secundùm nomen. 17.

In causa duo requiruntur.

d *Cùm probatur secundò consequentia,* &c. *Ista enim communitas non est in creaturis*, quia nulla vna forma singularis potest participari à pluribus, ita vt quodlibet dicatur habere *esse* per illam formam, nec est communitas vniuersalis ad participantia, siue communitate vniuersalis primo modo dicta, non enim natura humana est realiter tota participata à Francisco & Ioanne. Sed quomodo dicatur tunc vniuersale prædicari de pluribus exposui *in distinct. 3. quæst. 1. secundi.*

Respondet ad tertium, quòd quoddam est medium per participationem vtriusque extremi: sicut fuscum, quod est medium inter album, & nigrum, & de tali verum est, quòd in eodem genere cum extremis: sicut probat Aristoteles 10. Metaph. t.c. 24. *Declaratum est*, inquit, *quòd omnia media sunt in eodem genere, & quòd sunt inter contraria, & quòd omnia sunt composita ex contrarijs*, vide ibi. Et ibidem t.c. 2. & 23. *Si igitur media sunt in eodem genere, sicut declaratum est, & contraria habent media, necesse est vt fiat compositum ex his contrarijs*, vide ibi. Aliud est medium aliquo alio modo accidentaliter sumptum, sicut operatio inter operans, & terminum: istud non oportet esse eiusdem generis cum extremis, quia quādo anima intelligit se, intellectio eius est qualitas; & tamen operans, & obiectum sunt substantia. Tale autem medium accipitur in proposito, videlicet ipsum *quo* inter suppositum generans, & generatum, loquendo de *quo* fundamentaliter, vt suprà dixi. Vel potest dici, quòd ipsū *quo*, non est medium propriè, sed tenet se ex parte alterius extremi, scilicet generantis, vt patet, proprium autem medium (si quod detur) potest dici generatio, & de illa verum est, quòd est eiusdem rationis cum extremis, quia ipsa generatio est relatio, sicut extrema sunt relatiua. Ista tamē vltima respon- 18.

Quomodo medium est eiusdem generis cum extremis.

respon

responsio non saluaret medium esse eiusdem rationis inter extrema: sustinendo, quòd personæ diuinæ sint constitutæ per absoluta, sicut fortè ipse videtur sustinere infrà *dist.* 20. Ideò prima responsio est melior.

19. Ad vltimum respondet Doctor quòd ista propositio, *potentia, & actus sunt eiusdem generis*, vera est de potentia, quæ est differentia entis, condiuidens ens contra actum; quia sic ens in communi non tantùm diuiditur per actum, & potentiam, sed etiam quodcunque genus entis, & quæcunque species, & indiuiduum; quia sic eadem albedo primò est in potentia, supple obiectiuè, & postea in actu, & hoc modo ad idem genus pertinent actus, & potentia. Et de hac potentia & actu, vide *in 2. dist.* 12. & 16. Et hoc modo propriè loquendo non est de potentia generandi in diuinis, quia illa generatio est simpliciter necessaria, & in actu; sed hîc est sermo de potentia, vt est principium productiuum: & hoc modo hæc est falsa, scilicet quòd talis potentia sit eiusdem generis cum actu, potest enim forma substantialis esse principium actionis de genere Actionis, & actionis de genere Qualitatis, vt suprà patuit *dist.* 3. *q. vlt.*

Potentia & actus sunt eiusdem generis, verum est de potentia obiectiua, non autem subiectiua.

SCHOLIVM.

Respondet ad argumenta quæ fecit contra opinionem D. Thom. suprà num. 2. quatenus facere videntur contra propriam sententiam, explicat quomodo id, forma si per se esset, ageret, non habet locum in diuinis. Item quomodo, in diuinis principium productiuum non dicat relationem realem ad productum, cùm tamen eam dicat producens ad ipsum. Item quomodo generatio sit priùs distinctiua, quàm assimilatiua, & vtrum horum sit perfectius, aliáque scitu dignißima.

QVia autem [a] aliqua argumenta contra primam opinionem sunt contra me. Respondeo ad illa. Ad primum dico, quòd illa propositio maior habet hîc maiorem probabilitatem quàm in creaturis: quia ista forma sic per se est, quòd illi corresspondet proprium *quod*, potens agere, puta hic Deus, qui quodammodo præcedit relationes, & sic agit. Patet, quia sic primò intelligit & vult: igitur videtur quòd posset in omnem actionem, cuius suum *quo* est proprium principium formale, & ita hic Deus generat primò. & ideò illa maior de principio elicitiuo falsa est, quando principium elicitiuum, si per se existat, non potest esse propinqua ratio ad operandum. Exemplum, species si ponatur principium elicitiuum operationis videndi in oculo, si per se existeret, non posset esse principium illius operationis: & ratio esset, quia non posset esse potentia propinqua ad agendum: quia non posset habere passum approximatum, quia approximatio, vt dictum est priùs, requiritur ad rationem potentiæ propinquæ. Sicut autem approximatio requiritur in creaturis, vel amotio impedimentorum: ita dicitur in proposito, quòd requiritur suppositum conueniens ad agendum: ergo forma quæ esset principium actionis in supposito distincto, si esset per se existens, non esset suppositum, nec principium distinctum, nec in supposito distincto conuenienti generationi: & ex quo illud suppositum requiritur ad potentiam propinquam agendi, non poterit talis forma per se agere. Essentia autem si per se existat in aliquo instanti naturæ antequam intelligatur esse in supposito vel persona, in illo priori non est suppositum agens in potentia propinqua ad agendum. Ista enim actio distinctionem requirit aliquorum in ista natura, quæ non potest esse nisi suppositorum: ergo suppositum conueniens huic actioni est suppositum distinctum existens in ista natura: in nullo tali est natura inquantùm intelligitur per se esse, si per se sit aliquo modo antequam in persona, & ideò non poterit per se agere ista actione.

22. *De hoc suprà dist.* 4. *q.* 2.

Explicatur illud, forma si per se esset ageret.

Nota quòd tripliciter potest intelligi forma per se esse: vno modo, quòd per ly per se excludatur inesse *formæ ipsi materiæ, siue forma accidentalis, siue essentialis vel substantialis: alio modo* inesse *quiditatis, siue naturæ ipsi supposito, & hoc actuale, tertio modo aptitudinale & potentiale & vtrumque inesse Tertius modus ponit illud, quod sic est per se, esse completè suppositum, & ideò sic accipere in maiori, est accipere contradictoria: quia forma quæ habenti est principium quo agit, non potest sic per se esse: igitur intelligitur, per se: in maiori duobus primis modis. & sic probo maiorem, quia ad agere non requiritur nisi actualitas, & per se esse. Primum habetur æquè in forma inhærente, & per se existente. Secundum habetur sufficienter, si duobus primis modis per se sit: alioquin anima separata non esset agens. Confirmatur etiam, quia si natura assumpta à Verbo dimitteretur absque omni actione positiua circa ipsam, ipsa non esset per se tertio modo; quia tunc esset inaßumptibilis vt sic. & tamen hic homo posset agere omnem actum, quem habet modo Verbum mediante ista natura: imò secundùm tertium artic.* 1. *q.*... *dist.* 1. *tertij libri, nihil positiuum constituit suppositum creatum. Et certum est, quòd ratio suppositi nihil dat alicui positiuum ad agendum, sed nec ordinem ad alia passa fundat, sicut patet per Auerroëm 7. Met. quia idea non posset mouere corpus, nec materiam, propter defectum ordinis.*

ADDITIO.

Forma tripliciter potest esse per se, scilicet vt excludit subiectû, suppositum, & aptitudiné ad vtrumque.

Com. 28. & 31.

Contra hoc, quia ordo agentis ad patiens consequitur hoc existens, accidit quod incommunicabiliter.

nicabiliter. Ideò responderi potest aliter, quòd maior est vera, quando forma est actiua respectu termini distincti à se: non autem quando respectu termini indistincti: quia tunc licèt possit esse quo suppositum producat, non tamen potest esse producens, quia nec distinguitur à termino, sicut requiritur ad hoc, vt sit producens: non autem hoc requiritur ad hoc vt sit quo. *Planiùs dicitur, quòd maior est vera de actione immanente & factione, & vniuersaliter productione termini distincti à forma productiua: hîc terminus est indistinctus à forma quâ producitur.*

Contrà, si Deitas, vel hic Deus creat: ergo agit illa actione, quæ necessariò præcedit creare: huiusmodi est generare. Probatio consequentiæ primæ: quia quod est omnino primum, non requirit aliquod posterius agere ad hoc, vt ipsum possit in actione sibi propria: hic Deus est aliquo modo priùs prima persona relatiua: ergo, &c. Hoc argumentum requirit, quòd ponatur ordo, quomodo hic Deus priùs est in personis, quàm possit potentia propinqua creare: non propter impotentiam huius Dei ad creandum, etiam si secundùm imaginationem Gentilium non esset in personis: sed propter maiorem propinquitatem personarum ad essentiam, quàm creationis, secundùm illam regulam realem, de quibuscunque duobus comparatis secundùm ordinem ad idem primum potentia propinqua non est ad secundum, nisi primo posito. Itaque hic Deus primò intelligit, etiam non præcisè, vt in personis: quia actio essentialis est quasi priùs relatione, & ita immediatior omnino primo. Secundò hic Deus est per se existens illimitatum, & in illo signo naturæ est primò in tribus personis: illud tamen habet signa originis. In tertio signo naturæ hic Deus habet potentiam propinquam ad extra. Itaque negatur minor, quia nunquam Deitas per se est ita, quòd non in supposito, nisi apud intellectum.

Contrà, quòd conuenit primò ex se formaliter alicui, est aliquo modo priùs extra intellectum illo, quod non conuenit sibi ex se formaliter: Deitas est omnino prima; quia pelagus, & illi conuenit ex se formaliter per se esse, non autem ex se formaliter est in hoc supposito relatiuo: igitur per prius per se est, quàm sit in aliquo. B probatur, quia idem est per se esse trium personarum quasi nihil sit commune tribus, nisi quod est primo essentiale. C. probatur, quia fundamentum aliquo modo præcedit relationem, saltem non ex ratione sua formali habet relationem: quia est aliquid præter eam. 7. de Trinit. c. 1 & 3. probatur etiam, quia aliter in quolibet haberet illam relationem, quia vbique habet illud quod conuenit sibi ex ratione sua formali.

23. *Quare in Deo principium productiuum dicat tãtùm relationem rationis ad productum?*

Ad aliud [b] de *quod*, & *quo*, dico quòd illud dictum Philosophi, est verum in causa & causato: quia ibi est distinctio realis causæ, & principij quo causat ab ipso causato, dependentia etiam essentialis est causati ad principium causatiuum, sicut & ad causam. & ratio est ibi, quia principium causatiuum non est nisi vnicum in vno supposito. In proposito autem est oppositum, quia suppositum producens est distinctum, quo autem producit est indistinctum, & ideò productum non realiter refertur ad principium *quo*, sicut refertur ad principium *quod* producit. Et ideò in proposito non est relatio realis principij productiui ad productum, sed producentis est relatio realis, principij autem productiui est relatio rationis, sicut priùs dictum est de natura communicante & communicata *dist. 5. q. 1.*

Datur vnitas minor numerali. In 2. dist. 3, q. 1. & infrà dist. 8. q. 2.

Ad tertium dico [c] quòd forma secundùm quòd est illud in quo assimilatur generans generato, non est tantùm ens rationis, sed habet aliquam vnitatem præcedentem omnem actum intellectus, quia nullo actu intellectus existente ignis generaret ignem & corrumperet aquam, & hoc propter sui similitudinem naturalem hîc, & contrarietatem ibi: hoc autem magis patebit in quæstione de indiuiduatione.

Ad Damascenum dico quòd intelligit de communicabilitate alicuius vnius secundùm naturam, & secundùm numerum, sicut essentia diuina est communis tribus personis: sed hoc modo nulla est communitas realis in creaturis, est tamen communitas alicuius vnius vnitate minori quàm sit vnitas numeralis.

Ad aliud [d] cùm dicitur, forma est principium agendi inquantum est in hoc, concludit pro me, quia illud absolutum quod est Patri potentia generandi, non est potentia generandi Filio.

24. *Prius secundùm consequentiam, quandoque posterius secũdum causalitatem.*

Cùm arguitur, quòd generatio priùs est distinctiua quàm assimilatiua, & quòd ex hoc forma sit priùs elicitiua vt *hæc*, quàm vt forma. Respondeo, quòd prius secundùm consequentiam non semper est prius secundùm causalitatem. Exemplum, sequitur, ignis, igitur calidus, & non è conuerso: igitur calidum est prius secundùm consequentiam; & tamen ignis est prius secundùm causalitatem ipso calore. & ita concedo, quòd distinguere est prius in generatione quàm assimilare, id est, communius, quia multa distinguunt quæ non assimilant: sed distinguere non est perfectius in generatione quàm assimilare, quia conuenit generationi etiam imperfectissimè, inquantum est à forma, vt *hæc*, & assimilare conuenit sibi inquantum est à forma absolutè, & perfectior est ratio formæ, quàm ratio singularitatis.

Concedo

Concedo [e] tamen argumentum contra opinionem ponentem tantùm distinctionem rationis,& non concludit contra me: sicut patebit in sequenti distinctione. Instantia prima de calore & vegetatiua, non valet: quia ibi communicatur vtraque forma, & forma principalis actiua & immediata. Est enim caro genita animata, & habens calorem genitum aliqualem naturalem: vtraque etiam forma est principium generationis, licèt vnum mediatum, aliud immediatum. Sed illa alia instantia de generatione bruti difficilior videtur, si sensitiua non habeat ibi aliquam operationem, sed vegetatiua tantùm, & de hoc in secundo libro, quando fiet sermo de rationibus seminalibus, quomodo potest esse generatio vniuoca in animalibus.

Si natura vt prior singularitate est quid rationis, generatio vt distinctiua est perfectior. Dist. 11.

COMMENTARIVS.

1\. a QVia autem aliqua argumenta contra primam opinionem sunt contra me. Respondeo, &c. Hîc Doctor respondet ad argumenta facta contra Thomam, quia etiam sunt contra positionem propriam. & ad primum argumentum dat duas responsiones. Prima, quòd ista propositio, *Omnis forma elicitiua actus, si per se est, per se agit illa actione:* habet maiorem euidentiam in essentia diuina quàm in forma creata: quia Deitati correspondet suum proprium, & adæquatum *quod*, præscindens ab omni ratione suppositali, scilicet ipse Deus per se, & actualissimè existens, vt suprà patuit *dist.*4. *quæst.*2. Et sicut Deus verè intelligit, & verè operatur, ita quantùm est ex se potest, generare, sicut *dist.* 4. *quæst.* 2. dictum est: quòd ista est primò vera, *Deus creat*, vt præscindit ab omni ratione suppositali. Illi autem maior non est sic vera in creaturis: quia nulla forma, quæ est ratio formalis agendi, vt præscindit à ratione suppositorum, est per se stans, & per se existens; Deus autem, vt non includit aliquod suppositum, est ens infinitum perfectissimè, & actualissimè per se existens: & si posset habere aliquod productum eiusdem naturæ reali er distinctum, posset verè generare illud. Et quia inter generans & genitum est semper distinctio realis, ideò oportet ipsum Deum esse in aliquo supposito realiter distincto à producto: & sic requirit suppositum, vt sit in potentia propinqua ad agendum. Et hæc est secunda responsio. Requiritur ergo suppositum generans, vt conueniens huic actioni: quia ista actio est inter aliqua realiter distincta: Deus autem à nullo in diuinis realiter distinguitur: ideò vt dicatur ratio formalis agendi proxima, oportet vt sit in supposito conuenienti. Et hanc responsionem benè nota.

2\. Hîc tamen occurrit vna difficultas, in hoc quod dicit Doctor quòd essentia diuina non potest habere hanc, nisi sit in supposito conuenienti realiter distincto à producto. Videtur enim primò quòd sibi contradicat, quia *in quæst.* 4. *quodlib.* expresè tenet quòd ipsa actio non præsupponit suppositum: vide ibi. Tum etiam per rationem, quia si præsupponit suppositum, ergo suppositum erit prius ista actione: cuius oppositum determinatum est *in quodlib. quæst.*4. & sustinendo quòd prima persona constituatur in *esse* per relationem ad secundam, vt infrà *dist.*28. *quæst. vlt. & in quodlib. quæst.*4. ergo si relatio, siue, generatio actio, constituit primum suppositum: ipse Deus non præsupponit illud ad hoc, vt dicatur in potentia proxima ad agendum.

Respondeo conformiter his, quæ dixi suprà dist. 1. & vide ibi singularem expositionem.

b Ad secundum respondet quòd dictum Philosophi est verum de causa, & causato: vbi causa non tantùm realiter distinguitur à causato: sed & fo ma qua agit, quia causato communicatur alia forma realiter distincta: in diuinis autem eadem essentia per generationem communicatur Filio: & ideò licèt Pater distinguatur realiter à Filio: non tamen essentia.

c Ad tertium respondet quòd vnitas naturæ creatæ, vt præscindit ab omni singularitate habet ex natura rei aliquam vnitatem minorem vnitate numerali: vt diffusè probat ipse *in secundo dist.*3. nullo enim intellectu considerante, ignis generaret ignem sibi similem in natura. Et illud, quod dicit Damascenus, intelligitur de vnitate numerali, qua generans assimilatur genito, quæ in creaturis tantùm est vnitas rationis, sed impossibile est, quòd aliqua vna natura numero secundùm *esse* reale sit in pluribus suppositis: non sic in diuinis. Sed quomodo vnitas numeralis secundùm rationem possit esse in pluribus suppositis: vide expositionem, quam feci *in dist.*3. *q. lib.*2. 3.

d Ad quartum patet responsio, quia si essentia, vt essentia, esset ratio generandi in potentia propinqua, tunc vt in Filio esset ratio generandi: sed quia non est ratio generandi in potentia propinqua nisi vt in supposito Patris, patet quòd vt in Filio non erit ratio generandi ipsi Filio.

e Ad quintum responsio clara est. Concedo tamen argumentum contra opinionem. Dicit Doctor quòd si natura, vt prior est singularitate, sit tantùm ens rationis: statim sequitur, quòd generatio erit perfectior inquantùm distinctiua, quàm inquantùm assimilatiua: patet, quia est distinctiua secundùm singularitatem, quæ dicit entitatem realem: & est assimilatiua secundùm naturam absolutè sumptam, quæ vt sic, est tantùm ens rationis: & sic generans, & genitum vt præcisè conueniunt in natura: quæ dicit tantùm vnitatem rationis, tantùm ratione distinguuntur. Sed hoc argumentum non est contra Scotum, qui ponit naturam absolutè sumptam dicere vnitatem realem, minorem tamen vnitate numerali, vt patebit infrà *dist.*8. *quæst.*2. *in responsione ad primum argumentum principale:* & clariùs *in* 2. *dist.*3. *quæst.*1. cætera patent. 4.

Finis primæ Partis Tomi quinti.